

Digitized by Google

7
8 F
8

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14 14
G F
28 23

MAGNA

BIBLIOTHECA VETERVM PATRVM,

Et antiquorum SCRIPTORVM *Eccleſiaſticorum.*

PRIMO QVIDEM A MARGARINO DE LA BIGNE SORBONICO IN ACADEMIA PARISIENSI THEOLOGO collecta, & tertiò in lucem edita.

Nunc verò plus quàm centum Authoribus,& opuſculis plurimis locupletata,hiſtorica methodo per ſingula ſæcula, quibus Scriptores quique vixerunt, diſpoſita,& in XIV. *Tomos diſtributa:*

OPERA ET STVDIO DOCTISSIMORVM IN ALMA VNIVERSITATE COLON. AGRIPP. THEOLOGORVM AC PROFESS.

TOMVS TERTIVS,

Continens Scriptores ſæculi III. id eſt, ab Ann. Chriſti 200. vſq; 300.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Antonij Hierati, ſub ſigno Gryphi.
ANNO M. DC. XVIII.

ELENCHVS EORVM AVTHORVM, ET OPVSCVLORVM QVÆ HOC MAGNÆ BIBLIOTHECÆ TOMO, SIVE SÆCVLO TERTIO COMPREHENDVNTVR.

*Aſteriſco * notati hac editione acceſſerunt.*

MInutius Fœlix cauſidicus Romanus ſcripſit Dialogum quendam, quem vocat Octauium, in quo Octauium Chriſtianum cum Cæcilio Ethnico diſputantem introducit. extat hic Dialogus p.1. Ferebatur olim, teſte Hieronymo, in Minutio ſub huius nomine alius quidam liber de Fato, quem nunc non puto extare.

Hippolytus primùm Metropolitanus Arabiæ, poſtea à Calliſto Pontifice factus Portuenſis Epiſcopus, ſcripſit multa quæ enumerantur ab Euſebio, Hieronymo, Phorio, & aliis, ſed pleraque interierunt. nunc extat oratio de Conſummatione mundi & Antichriſto, pag. 11. * Excerpta quædam ex libris eius de Theologia & Incarnatione per Henricū Caniſium p.17. * Homiliæ de Deo trino & vno, & de myſterio Incarnationis contra hæreſin Noeti per Ger. Voſſium p.19. Demonſtratio contra Iudæos apud Poſſeninum in verbo Hippolytus Martyr, quam, quia Poſſeuinus in omnium manibus verſatur, hic omiſimus. Reperti etiam ſunt, ait Sixtus Senenſis, ſuperioribus annis Baſileæ Commentarij quidam in Apocalypſim Hippolyto inſcripti, de quibus ob eruditionis & ſtyli inopiam ambigitur. claruit autem anno Chriſti 220.

Ammonius, non ille, qui ne à Theophilo eligeretur Epiſcopus, aurem ſuam præſcidit, neque presbyter ille Alexandrinus, quem vnà cum Petro Alexandrino martyrium ſubijſſe ſcribit Euſeb. lib. 8. cap. 25. ſed alius quidam vir, vt ait Hieronymus, diſertus & valde eruditus in Philoſophia, Alexandriæ clarus habitus eſt Scripſit canones Euangelicos, quos Baronius anno Chriſti 174. putat eſſe illos, qui ſub nomine Tatiani poſiti ſunt ſæculo ſecundo: Harmoniam autem Euangelicam, quam nos ita vt inuenimus, ſub nomine Ammonij poſuimus pag. 22. putat idem author eſſe Tatiani. Claruit Ammonius ſub Alexandro Mammeæ anno Chriſti 220.

* Gregorius Thaumaturgus Epiſcopus Neocæſarienſis ſcripſit varia opuſcula, ex quibus extant edita à Gerardo Voſſio, Expoſitio Fidei breuis pag. 34. Expoſitio Fidei alia prolixior pag. 35. Capita 12. de Fide cum anathematiſmo ſingulis ſubiecto, p. 37. in Annuntiationem B. Virginis Sermones 3. p. 39. in S. Theophaniam, ſeu de Chriſti baptiſmo Sermo. p. 44. de ijs qui in Barbarorum incurſu idolothyta comederunt, Epiſtola canonica, p. 46. Diſputatio de anima, ad Tatianum. p. 49. Metaphraſis in Eccleſiaſten p. 51. in Origenem Panegyrica Oratio, pag. 56. claruit anno Chriſti 233.

Sixto II. Pontifici & Martyri falſo tribuitur, Liber ſententiarum Sixti Philoſophi, qui extat pag. 64. Claruit Sixtus Papa, anno 254.

Dionyſius Alexandrinus claruit Anno Chriſti 250. ſed ſcripta eius magna ex parte interierunt, extat Epiſtola eius ad Eccleſiam Alexandrinam pag. 69. Liber ſeu Epiſtola contra Paulum Samoſatenum pag. 70. cui ſubiungitur Epiſtola Epiſcoporum Synodi Antiochenæ pag. 77. Epiſtola ad Baſilidem pag. 81.

Zeno Veronenſis Martyrio affectus eſt ſub Galieno Imperatore, ſub huius nomine editi Sermones ab Eccleſia Veronenſi habentur pag. 83. claruit anno 260. vide Martyrolog. Baronij 12. Aprilis. vide & pag. 374. hoc eod. tom. Raphaelis Bagatæ Vitam eiuſdem Zenonis, quæ ante Sermones eius debebat poni.

Victor Pictabionenſis Martyrio affectus eſt ann. Chriſti 303. extat ſub huius nomine Commentarius in Apocalypſim. pag. 156.

Dorotheus Tyrius dicitur tempore Diocletiani exilium paſſus, extat ſub huius nomine edita Synopſis de vitis Prophetarum, & diſcipulorum Chriſti pag. 143.

* Arnobius ſenior ſub Diocletiano floruit; extant huius ſeptem libri Diſputationum aduerſus Gentes pag. 150.

Lactantius Firmianus ſub Diocletiano floruit, extant huius Diuinarum Inſtitutionum li. 7. pag. 206. De ira Dei lib. 1. p. 324. de Opificio Dei liber 1. pag. 336. librorum ſuorum Epitome. pag. 347. de Phœnice carmen pag. 354. de Paſſione Domini carmen pag. 355.

Methodius Tyri Epiſcopus, quem Epiphanius hæreſi 64. Eubulium quoque nominat, ſcripſit multa quæ enarrant Hieronymus, Sixtus Senenſis, Poſſeuinus & alij; ſed nunc ſolum extant * Homilia de Simeone & Anna à Pet. Pantino edita, p. 357. & Reuelationes quædam illi falsò tributæ, p. 563. Martyrio affectus in Chalcide ſub Decio & Valeriano circa annum Domini 255.

Petrus Alexandrinus, de quo multa Baronius tom. 2. Annalium, Theonæ in Archiepiſcopatu Alexandrino ſucceſſor, Martyrio affectus eſt ſub Diocletiano & Galerio Maximino circa annum Domini 311. Scripſit Canones quoſdam de Pœnitentia, qui extant pag. 370.

FINIS.

A E

BIBLIOTHECAE VE-TERVM PATRVM, ET ECCLESIASTICOR. SCRIPTORVM,

B F

Sæculum Tertium.

M. MINVTII FELICIS ROMANI OLIM CAVSIDICI

OCTAVIVS; RESTITVTVS A FRANCISCO BALDVINO I. C.

De Minutio Felice agit S. Hieronym. lib. de viris illuſtribus & Epiſt. 84 ad Magnum, quem quoque pluri-mum laudat, eiuſque meminiſſe Lactantium in ſuis libris affirmat. Claruit ſub Seuero Imperat. & S. Zepherino Papa circa annum Domini 211.

C

Ex Bellarmino de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Minutius Felix Tertulliani æqualis ſcripſit Dialogum inter Chriſtianum Octauium & Ethnicum Cæcilium, qui Dialogus, Octauius inſcribitur; *atque inde factum eſt, cum Auctor ignoraretur, vt ſeptem libris Arnobij contra gentes, hic veluti octauus adiungeretur. Sed reuera non eſt octauus liber Arnobij, ſed Octauius Minutij Felicis, Cauſidici Romani inſignis, vt S. Hieronymus teſtatur in lib. de Script. Eccleſ.*

COGITANTI mihi, & cum animo meo Octauij boni & fideliſſimi contubernalis memoriam recenſenti, tanta dulcedo & affectio hominis inhæſit, vt ipſe quodammodo mihi videretur in præterita redire, non ea quæ iam tranſacta & decurſa ſunt, recordatione reuocare.

D

Ita eius contemplatio, quantũ ſubtracta eſt oculis, tãtũ pectori meo, ac penè intimis ſenſibus implicata eſt. Nec immerito diſcedens vir eximius & ſanctus, immenſum ſui deſiderium nobis reliquit: vtpote cum & ipſe tanto noſtri ſemper amore flagrauerit, vt in ludicris & ſerijs & pari mecum voluntate concineret, eadem vellet, vel nollet: crederes vnam mentem in duobus fuiſſe diuiſam. Sic ſolus in amoribus conſcius ipſe, ſocius in erroribus, & cum diſcuſſa caligine de tenebrarum profundo in lucem ſapientiæ & veritatis emergerem, non reſpuit comitem: ſed, quod eſt glorioſius, præcurrit. Itaq; cum per vniuerſam conuictus noſtri & familiaritatis ætatem mea cogitatio volueretur, in illo præcipuè ſermone eius, mentis meæ reſedit intentio, quo Cæcilium ſuperſtitioſis vanitatibus etiamnum inhærentem, diſputatione grauiſſima ad veram religionem reformauit. Nam negotij & viſendi mei gratia Romam contenderat, relicta domo, coniuge, liberis: & quod eſt in liberis amabilius, adhuc annis innocentibus, & adhuc dimidiata verba tentantibus, loquelã ipſo offenſantis linguæ fragmine dulciorem. Quo in aduentu eius non poſſum exprimere ſermonibus, quanto, quamq; impatienti gaudio exultauerim, cum augeret maximè lætitiam meam amiciſſimi hominis inopinata præſentia. Igitur poſt vnum & alterum diem, cũ iam & aſſiduitatem deſiderij frequens aſſiduitatis vſus impleſſet: & quæ per abſentiam mutuam de nobis neſciebamus, relatione alterna compenſaſſemus, placuit Hoſtiam petere amœniſſimam ciuitatẽ, quod eſſet corpori meo ſiccandis humoribus de marinis lauacris blanda & appoſita curatio ſanè, & ad vindemiam feriæ iudiciariã curam relaxauerant: nam id temporis poſt æſtiuam diem, in temperiem ſemet autumnitas dirigebat.

G

Itaq; cum diluculo ad mare inambulãdo littori pergeremus, vt & aura aſpirans leniter membra vegetaret, & cum eximia voluptate molli veſtigio cedens arena ſubſideret, Cæcilius ſimulacro Serapidis denotato (vt vulgus ſuperſtitioſus ſolet) manũ ori admouens, oſculum labijs preſſit. Tunc Octauius ait: Non boni viri eſt, Marce frater, hominem domi foriſq; lateri tuo inhærentem, ſic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deſerere: vt tam luculento die in lapides eũ patiaris impingere, effigiatos ſanè, & vnctos, & coronatos: cum ſcias huius erroris nõ minorem ad te, quàm ad ipſum infamiam redũdare. Cum hoc ſermone eius medium ſpatium ciuitatis emenſi, iam liberum littus tenebamus. Ibi arenas extimas, velut ſterneret ambulacro, perfundens lenis vnda tendebat: & vt ſemper mare etiã poſitis flatibus inquietum eſt, etſi non canis ſpumoſiſq; fluctib. exibat ad terram, tamen criſpis tortõſiſq;. Ibidem erroribus

H

delectati perquàm ſumus, cũ in ipſo æquoris limine plantas tingueremus, quod viciſſim nunc adpulſus noſtris pedibus alluderet fluctus: nũc relabens ac veſtigia retrahens in ſeſe reſorberet. Senſim itaque tranquilleque progreſſi, oram curui molliter litoris, iter fabulis fallentibus, legebamus. Hæ fabulæ erant Octauij diſſerentis de nauigatione narratio, ſed vbi eundi ſpacium ſatis iuſtum cum ſermone conſumpſimus, eandem emenſi viam ruſus verſis veſtigijs terebamus. Et cum ad id loci ventum eſt, vbi ſubductæ nauiculæ ſubliciis roboribus, à terrena labe ſuſpenſæ quieſcebant: pueros videmus certatim geſtiẽtes, teſtarũ in mare iaculationibus ludere. Is luſus eſt, teſtam teretem iactatione fluctuum leuigatã legere de litore: eam teſtam plano ſitu digitis cõprehenſam, inclinem ipſum atque humilem, quantum poteſt, vndas irrotare: vt illud iaculum, vel dorſum maris raderet, vel enataret, dũ leni impetu labitur. vel ſummis fluctib. tonſis emicaret, & emergeret, dum aſſiduo

A ſaltu ſubleuatur. Is ſe in pueris victorem ferebat, cuius teſta & procurreret longius, & frequentius reſiliret. Igitur cũ omnes hac ſpectaculi voluptate caperemur, Cæcilius nihil intendere, neque de contentione ridere: ſed tacens, anxius, ſegregatus dolore, neſcio quid vultu fatebatur. Cui ego, Quid hoc eſt rei? cur nõ agnuſco, Cæcili, alacritatem tuam illam? & illam oculorum etiam in ſerijs hilaritatem requiro? Tum ille, Iamdudũ me Octauij noſtri acriter angit & remordet oratio: qua in te inuectus obiurgauit negligentię, vt me diſſimulanter grauius argueret inſciẽtię. Itaq; progrediar vlterius: de toto & integro mihi cum Octauio res eſt. Si placet, vt ipſius ſectæ homo cũ eo diſputem, iam profecto intelliget facilius eſſe in contubernalibus diſputare, quàm conſerere ſapientiam, modo in iſtis ad tutelam balnearum iactis & in altum procurrẽtibus petrarum obicibus reſidamus, vt & requieſcere de itinere poſſimus & intentius diſputare. Et cum dicto eius aſſedimus ita, vt me ex tribus, medium lateris ambitione protegerent, nec hoc obſequij fuit, aut ordinis, aut honoris, quippe cùm amicitia pares ſemper, aut accipiat, aut faciat: ſed vt arbiter, & vtriſque proximus aures darem, & diſceptãtes duos medius

B ſegregarem. Tum ſic Cæcilius exorſus eſt:

Quamquã tibi, Marce frater, de quo eſt maximè quærimus, non ſit ambiguum: vtpote cum diligenter in vtroq; viuendi genere verſatus repudiaris alterum, alterum comprobaris: in præſentiarum tamen ita tibi informandus eſt animus, vt libram teneas æquiſſimi iudicis, nec in alteram partem propenſus incombas: ne nõ tam ex noſtris diſputationibus nata ſentẽtia, quàm ex tuis ſenſib. prolata videatur: proinde ſi mihi quaſi nouus aliquis, & quaſi ignarus partis vtriuſq; cõſidas, nullũ negotiũ eſt patefacere omnia in rebus humanis dubia, incerta, ſuſpenſa, magiſq; omnia veriſimilia quàm vera. Quo magis mirũ eſt, nonnullos tædio inueſtigãdę penitus veritatis cuilibet opinioni temerè ſuccumbere, quàm in explorãdo pertinaci diligentia perſeuerare. Itaque indignandũ omnibus, indoleſcẽdum eſt, audire quoſdã, & hos ſtudiorum rudes, literarũ profanos, expertes artium etiã ſordidarum, certũ aliquid de ſumma

C rerum ac maieſtate decernere, de qua tot omnibus ſeculis ſectarum plurimarũ vſque adhuc ipſa philoſophia deliberat, nec immerito. cum tantum abſit ab exploratione diuina, humana mediocritas, vt neq; quæ ſupra nos cęlo ſuſpẽſa ſublata ſunt, neq; quæ infra terrã profunda demerſa ſunt, aut ſcire ſit datum, aut ſcitari permiſſum, aut ſcrutari religioſum: beati ſatis, ſatiſq; prudẽtes iure videamur, ſi ſecũdum illud vetus Sapientis oraculũ, noſmetipſos familiarius nouerimus. Sed quatenus indulgentes inſano atq; inepto labori, vltra humilitatis noſtræ terminos euagamur, & in terrã proiecti cęlum ipſum & ipſa ſidera audaci cupiditate tranſcendimus, vel hunc errorẽ ſaltem non vanis & formidoloſis opinionibus implicamus: ſint principia omnium ſemina natura in ſe coëunte denſata: quis hic auctor Deus? Sint fortuitis concurſionibus totius mundi mẽbra coalita, digeſta, formata: quis Deus machinator? Sidera licet ignis accenderit, & cœlum licet ſua materia ſuſpẽderit: licet terrã fundauerit pondere, & mare licet influxerit è liquore:

D vnde hæc religio, vnde formido, quæ ſuperſtitio eſt? Homo, & animal omne quod naſcitur, inſpiratur, attollitur, elementorum id voluntaria cõcretio eſt: in quæ rurſum homo, & animal omne diuiditur, ſoluitur, diſſipatur: ita in fontẽ refluunt & in ſemet omnia reuoluuntur, nullo artifice, nec iudice, nec auctore. Sic cõgregatis ignium ſeminib. ſoles alios atq; alios ſemper ſplendere: ſic exhalatis terræ vaporibus, nebulas ſemper adoleſcere: quibus denſatis coactiſq; nubes altius ſurgere: iiſdẽ labantibus, pluuias fluere, flare ventos, grandines increpare: vel nimbis collidẽtibus tonitrua mugire, rutilare fulgura, fulmina pręmicare: adeo paſſim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt: ſine delectu tangunt loca ſacra & profana. homines noxios feriunt, ſępe & religioſos. Quid tempeſtates loquar varias, & incertas? quib. nullo ordine vel examine, rerum omnium impetus volutatur, in naufragijs bonorũ malorumq; fata mixta, merita cõfuſa, in incendijs interitũ conuenire inſontium nocentiumq;: &, cũ tabe peſtifera cęli tractus inficitur, ſine diſcrimine omnes deperire: & cũ belli ardore ſæuitur,

meliores potius occumbere. In pace etiã nõ tantum æquatur nequitia melioribus, ſed & colitur: vt in plurib. neſcias, vtrum ſit eorum deteſtanda prauitas, an optanda felicitas. E
Quòd ſi mundus diuina prouidentia, & alicuius numinis auctoritate regeretur, nũquã mereretur Phalaris & Dionyſius regnum, nunquã Rutilius & Camillus exilium, nunquã Socrates venenũ. Ecce arbuſta frugifera, ecce iã ſeges cana, iã temulenta vindemia, imbri corrumpitur, grandine caeditur: adeo aut incerta nobis veritas occultatur, & premitur: aut quod magis credendũ eſt, varijs & lubricis caſibus, ſoluta legib. fortuna dominatur. Cùm igitur aut fortuna certa, aut incerta natura ſit, quanto venerabilius ac melius, antiſtites veritatis Maiorum excipere diſciplinam: religiones traditas colere: deos quos à parentibus antè imbutus exiſtimare quàm cognoſſe, familiarius adorare: nec de numinib. ferre ſententiã, ſed prioribus credere, qui adhuc rudi ſeculo in ipſis mundi natalib. meruerunt deos vel faciles habere vel reges. Inde adeo per vniuerſa imperia, prouincias, oppida, videmus ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere & deos colere municipes, vt Eleuſinios Cererem, F
Phrygas Magnam matrẽ, Epidaurios Æſculapium, Chaldæos Belum, Aſtartẽ Syros, Dianam Tauros, Gallos Mercurium, vniuerſa Romanos. Sic eorum poteſtas & auctoritas totius orbis ambitus occupauit: ſic imperium ſuum vltra ſolis vias, & ipſius Oceani limites propagauit, dum exercent in armis virtutem religioſam, dum Vrbem muniunt ſacrorum religionibus, caſtis virginibus, multis honoribus ac nominibus ſacerdotum: dum obſeſſi, & citra ſolum Capitolium capti, colunt deos, quos alius iam ſpreuiſſet iratos, & per Gallorum acies mirantium ſuperſtitionis audaciam, pergunt, telis inermes, ſed cultu religionis armati: dũ captis in hoſtilibus mœnib. adhuc ferociente victoria numina victa venerãtur: dum vndiq; hoſpites deos quærunt, & ſuos faciunt: dum aras extruunt etiam ignotis numinib. & Manibus. Sic dum vniuerſarum gentiũ ſacra ſuſcipiunt, etiam regna meruerunt. Hic perpetuus venerationis tenor manſit, qui longa ætate non infringitur, ſed augetur: quippe antiquitas cæremonijs atq; fanis tantum ſanctitatis tribuere cõſueuit, quantum adſtruxerit vetuſtatis. Nec tamẽ G
temerè (auſim enim interim & ipſe concedere, & ſic melius errare) maiores noſtri, aut obſeruandis augurijs, aut extis conſulendis, aut inſtituẽdis ſacris, aut delubris dedicandis operam nauauerunt. Specta de libris memoriam: iam eos deprehendes initiaſſe ritus omnium religionum, vel vt remuneraretur diuina indulgentia, vel vt auerteretur imminens ira, aut vt iã tumens & ſæuiẽs placaretur. Teſtis mater Deûm, quæ aduentu ſuo & probauit matronæ caſtitatẽ, & vrbem metu hoſtili liberauit. Teſtes equeſtrium fratrum in lacu, ſicut oſtẽderant, ſtatuæ cõſecratæ, qui anheli, ſpumãtibus equis atq; fumantibus de Perſe victoriam eadem die, qua fecerant, nunciauerunt. Teſtis ludorum offenſo Iouis de ſomnio plebeij hominis iteratio: & Deciorum deuotio tata teſtis eſt: teſtis & Curtius, qui equitis ſui vel mole vel honore hiatum profundæ voraginis coæquauit: frequentius etiam quàm volebamus deorum præſentiam contempta auſpicia conteſtata ſunt. Sic Allia nomen infauſtum, ſic Claudij & Iunij, non prælium in Pœnos, ſed ferale naufragium eſt. Et vt Thraſymenus Romanorũ ſanguine & maior H
eſſet, & decolor, ſpreuit auguria Flaminius: & vt Parthos ſigna repetamus, diras imprecationes Craſſus & meruit, & irriſit. Omitto vetera quæ multa ſunt, & de deorũ natalibus, donis, muneribus, negligo carmina poëtarum: prędicta etiam de oraculis fata tranſilio, ne vobis antiquitas nimium fabuloſa videatur. intende templis ac delubris deorum, quibus Romana ciuitas & protegitur & ornatur: magis ſunt auguſta numinib. incolis, præſentibus, inquilinis, quàm cultu inſignia & munerib. opulenta. Inde adeo pleni & mixti Deo vates futura præcerpũt, dant cautelam periculis, morbis medelam, ſpem afflictis, opem miſeris, ſolatiũ calamitatibus, laboribus leuamentum: etiam per quietẽ deos videmus, audimus, agnoſcimus, quos impiè per diem negamus, violamus, periuramus. Itaq; cùm omniũ gentiũ de dijs immortalibus, quamuis incerta ſit vel ratio, vel origo, maneat tamen firma cõſenſio, neminem ſcio tanta audacia, tamq; irreligioſa neſcio qua prudẽtia tumeſcentẽ,

qui

A qui hanc religionẽ tam vetuſtam, tam vtilem, tam ſalubrẽ
diſſoluere aut infirmare nitatur. Sit licet ille Theodorus
Cyrenæus, vel qui prior Diagoras Melius, cui Atheon co-
gnomẽ appoſuit antiquitas, qui vterq; nullos deos aſſeue-
rando, timorẽ omnem, quo humanitas regitur veneratio-
nemq; penitus ſuſtulerunt: nunquã tamen in hac impieta-
tis diſciplina ſimulatæ philoſophiæ nomine atq; auctorita-
te pollebunt. Cùm Abderitẽ Protagoram Athenienſes viri,
conſultè potius quàm ꝓfanè diſputantẽ, & expulerint ſuis
finibus, & in cõcione eius ſcripta deuſſerint: quid homines
(ſuſtinebitis enim me impetum ſuſceptæ actionis liberius
exerentẽ) homines (inquam) deploratæ, inclinatæ, ac de-
ſperatæ factionis graſſari in deos, nõ ingemiſcendũ eſt? qui
de vltima fæce collectis imperitioribus, & mulieribus, cre-
dulis ſexus ſui facilitate labentibus, plebẽ ꝓfanæ coniura-
B tionis inſtituũt: quæ nocturnis cõgregationibus, & ieiunijs
ſolennibus, & inhumanis cibis, nõ ſacro quodam, ſed pia-
culo fœderantur: latebroſa & lucifuga natio, in publico
muta, in angulis garrula: templa, vt buſta, deſpiciunt: deos
deſpuũt, rident ſacra, miſerantur miſeri (ſi fas eſt) ſacerdo-
tum honores, & purpuras deſpiciunt ipſi ſeminudi: ꝓ mira
ſtultitia & incredibili audacia ſpernunt tormenta præſen-
tia, dum incerta metuunt & futura: & dum mori poſt mor-
tem timent, interim mori nõ timent: ita illis pauor & fallax
ſpes ſolatio rediuiuo blanditur. Ac iam, vt fœcundius ne-
quiora ꝓueniunt, ſerpentibus indies perditis moribus per
vniuerſũ orbẽ ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis ado-
leſcunt, eruenda prorſus hęc & exſecranda cõſenſio, occul-
tis ſe notis & inſignib. noſcunt, & amant mutuo penè an-
tequam nouerint: paſſim etiam inter eos velut quædam li-
bidinũ religio miſcetur, ac ſe ꝓmiſcuè appellant fratres &
ſorores, vt etiam nõ inſolens ſtuprũ intercesſione ſacri no-
minis fiat inceſtum, ita eorum vana & demens ſuperſtitio
C ſceleribus glorìatur. Nec de ipſis, niſi ſubſiſteret veritas ma-
xima, & varia & honore præfanda ſagax fama loqueretur.
Audio eos turpiſſimæ pecudis caput aſini cõſecratum inep-
ta neſcio qua perſuaſione venerari: digna & nata religio
talib. moribus: alij eos ferunt ipſius antiſtitis ac ſacerdotis
colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam, ne-
ſcio an falſa, certè occultis ac nocturnis ſacris appoſita ſu-
ſpicio: & hominem ſummo ſupplicio ꝓ facinore punitum,
& crucis ligna feralia, eorũ cæremonias fabulatur, congru-
entia perditis ſceleratiſq; tribuit altaria, vt id colant quod
merentur. Iam de initiandis tirũculis fabula tam deteſtan-
da quàm nota eſt, infans farre cõtectus, vt decipiat incau-
tos, apponitur ei qui ſacris imbuatur, is infans à tirunculo
farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus ꝓuocato cæcis oc-
cultiſq; vulnerib. occiditur: huius (pro nefas) ſitientes ſan-
guinem lambunt: huius certatim membra diſpertiunt, hac
fœderantur hoſtia: hac cõſcientia ſceleris ad ſilentium mu-
tuum pignerantur: hæc ſacra ſacrilegijs omnib. teteriora. Et
D de cõuiuio notum eſt, paſſim omnes loquuntur, id etiam
Cirtẽſis noſtri teſtatur oratio: ad epulas ſolẽni die coẽunt,
cũ omnib. liberis, ſororibus matrib9, ſexus omnis homines,
& omnis ætatis: illic poſt multas epulas, vbi conuiuium ca-
luit, & inceſtæ libidinis ebrietate feruor exarſit, canis qui
candelabro nexus eſt, iactu offulę vltra ſpacium lineæ, qua
vinctus eſt, ad impetum & ſaltum prouocatur: ſic euerſo &
extincto conſcio lumine impudẽtibus tenebris nexus in-
fandæ cupiditatis inuoluunt per incertum ſortis: & ſi non
omnes opera, conſcientia tamen pariter inceſti: quoniam
voto vniuerſorum appetitur, quicquid accidere poteſt in
actu ſingulorum. Multa prætereo cõſulto, nam & hæc ni-
mis multa ſunt, quæ aut omnia, aut pleraq; omniũ vera de-
clarat ipſius prauæ religionis obſcuritas. Cur etenim occul-
tare & abſcondere, quicquid illud colunt, magnopere ni-
tuntur? cùm honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſe-
creta ſint. cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota
ſimulacra? nunquam palam loqui, nunquã liberè congre-
gari, niſi illud quod colunt, & interprimunt, aut puniendum
eſt, aut pudendum? Vnde autẽ, vel quis ille, aut vbi Deus
vnicus, ſolitarius, deſtitutus: quẽ nõ gens libera, non regna,
nõ ſaltem Romana ſuperſtitio nouerunt? Iudæorum ſola
& miſera gentilitas vnum & ipſi Deum, ſed palam, ſed tem-
plis, aris, victimis, cæremonijſq; coluerunt: cuius adeo nul-
la vis, nec poteſtas eſt, vt ſit Romanis hominibus cum ſua
ſibi natione captiuus. At etiam Chriſtiani quænã monſtra, E
quæ portenta confingunt? Deum illũ ſuum quẽ nec oſten-
dere poſſunt, nec videre, in omnium mores, actus omniũ,
verba denique & occultas cogitationes diligẽter inquirere?
diſcurrentem ſcilicet, atque vbiq; præſentem: moleſtum
illum volunt, inquietum, impudenter etiã curioſum: ſiqui-
dem aſtat factis omnibus, locis omnib. intererrat: cùm nec
ſingulis inſeruire poſſit per vniuerſa diſtractus, nec vniuer-
ſis ſufficere in ſingulis occupatus. Quid, quòd toti orbi, &
ipſi mundo cum ſideribus ſuis minantur incendium, ruinã
moliuntur, quaſi aut naturæ diuinis legibus conſtitutus æ-
ternus ordo turbetur, aut rupto elementorũ omnium fœ-
dere & cœleſti compage diuiſa, moles iſta, qua continetur
& cingitur, ſubruatur. Nec hac furioſa opinione contenti,
aniles fabulas adſtruunt & annectunt, renaſci ſe ferunt poſt
mortem, & cineres, & fauillas: & neſcio qua fiducia mẽda- F
cijs ſuis inuicem credunt, putes eos iã reuixiſſe, anceps ma-
lũ & gemina dementia, cęlo & aſtris quæ ſit relinquimus,
vt inuenimus, interitum denũciare: ſibi mortuis extinctis,
qui ſicut naſcimur, & interimus, æternitatẽ repromittere.
Inde videlicet & exſecrantur rogos, & damnant ignium ſe-
pulturas, quaſi nõ omne corpus, etſi flammis ſubtrahatur,
annis tamen & ætatibus in terram reſoluatur: nec interſit,
vtrũ feræ diripiant, an maria conſumant: an humus conte-
gat, an flãma ſubducat: cùm cadaueribus omnis ſepultura,
ſi ſentiunt, pœna ſit: ſi nõ ſentiunt, ipſa conficiendi celeri-
tate, medicina. Hoc errore decepti beatam ſibi, vt bonis, &
perpetem vitã mortuis pollicentur: cæteris, vt iniuſtis, pœ-
nam ſempiternam. Multa ad hæc ſuppetũt, ni feſtinet ora-
tio: iniuſtos ipſos, magis nec laboro, iam docui; quamquã
& ſi iuſtos darem, culpã tamen vel innocentiã fato [illegible]ibus,
ſententijs plurimorũ, etiã veſtra conſenſio eſt, nã quicquid
agimus, vt alij fato, ita vos Deo addicitis, ſic ſectæ veſtræ nõ
G ſpõtaneos cupere, ſed electos. Igitur iniquum iudicem fin-
gitis, qui ſortem in hominib. puniat, non voluntatem. Vel-
lem tamen ſciſcitari, vtrumne cum corporibus, & corpori-
bus quibus, ipſiſne, an innouatis, ſurgatur? ſine corpore? ſi-
ne corpore hoc, quod ſciã, neq; mens, neq; an[illegible] nec vita
eſt, ipſo corpore, ſed iam ante dilapſum eſt. alio corpore?
ergo homo nouus naſcitur, nõ prior ille reparatur, & tamẽ
tanta ætas abijt, ſecula innumera fluxerunt, quis vnus vllus
ab inferis vel Proteſilai ſorte remeauit: horarum ſaltẽ per-
miſſo cõmeatu: vel vt exemplo crederemus? Omnia iſta fi-
gmenta maleſanæ opinionis, & inepta ſolatia à poëtis fal-
lacib. in dulcedine carminis luſa à vobis nimium credulis
in Deum veſtrum turpiter reformata ſunt. Nec ſaltem de
præſentibus capitis experimẽtum, quàm vos irritæ pollici-
tationis caſſa vota decipiant, quid poſt mortem impẽdeat,
miſeri, dum adhuc viuitis, æſtimate. Ecce pars veſtrum &
maior & melior, vt dicitis, egetis, algetis, opere, fame labo-
ratis: & Deus patitur, diſſimulat, non vult, aut non poteſt
H opitulari ſuis? ita aut inualidus, aut iniquus eſt? tu qui im-
mortalitatem poſthumã ſomnias, cum quaſſaris periculo, quateris,
cùm febribus vreris, cùm dolore laceraris, nõ tum condi-
tionem tuam ſentis? nõ tum agnoſcis fragilitatem? inuitus
miſer infirmitatis argueris, nec fateris? Sed omitto cõmu-
nia, ecce vobis minæ, ſupplicia, tormenta, & iam non ado-
randæ, ſed ſubeundæ cruces: ignes etiã, quos & prædicitis,
& timetis: vbi Deus ille? Qui ſubuenire reuiuiſcẽtibus po-
teſt, viuentib. non poteſt? Nonne Romani ſine veſtro Deo
imperant, regnant, fruuntur orbe toto, veſtriq; dominan-
tur? vos verò ſuſpẽſi interim atq; ſolliciti honeſtis volupta-
tibus abſtinetis: non ſpectacula viſitis, non pompis intere-
ſtis: conuiuia publica abſq; vobis: ſacra certamina, præcer-
ptos cibos, & delibatos altaribus potus abhorretis. Sic re-
formidatis deos, quos negatis, non floribus caput nectitis:
nõ corpus odoribus honeſtatis: reſeruatis vnguenta fune-
ribus: coronas etiã ſepulchris denegatis, pallidi, miſericor-
dia digni, ſed noſtrorum deorum: ita nec reſurgitis miſeri,
nec interim viuitis. Proinde ſi quid ſapientiæ vobis, aut ve-
recundiæ eſt, deſinite cœli plagas, & mundi fata & ſecreta
rimari: ſatis eſt pro pedibus aſpicere, maximè indoctis, im-
politis, rudibus, agreſtibus: quib. non eſt datum intelligere
ciuilia, multo magis denegatũ eſt diſſerere diuina. Quam-

Margin (left, beside D): Abutuntur Nouatores hoc Minutij loco aduerſus fabricas Eccleſiarum, altaria, & ſacras imagines, ſed prauam & orthodoxam Minutiũ mẽte

Margin (right, beside E): Item aperi-um Bellarminus lib. 3 de cultu Sanctorũ capite 4. & Baron. tomo 3. Annalũ anno 211. ipſos adito.

A quàm ſi philoſophãdi libido eſt, Socratem ſapientiæ principem, quiſquis veſtrum tantus eſt, ſi poterit, imitetur: eius viri quoties de cœleſtib. rogabatur, nota reſponſio eſt: Quod ſupra nos, nihil ad nos: merito ergo de oraculo teſtimonium meruit prudentiæ ſingularis, quod oraculum idẽ ipſe præſenſit, idcirco vniuerſis ſe præpoſitũ non quòd omnia cõperiſſet, ſed quod nihil ſe ſcire didiciſſet: ita confeſſæ imperitiæ ſumma prudentia eſt. Hoc fonte defluxit Arceſilæ, & multo poſt Carneadis & Academicorum plurimorum in ſummis quæſtionibus tuta dubitatio: quo genere philoſophari, & cautè indocti poſſunt, & docti glorioſè? Quid Simonidis Melici nonne admiranda omnib. & ſectanda cũctatio? qui Simonides cum de eo, quid, & quales arbitraretur deos ab Hierone tyranno quæreretur, primo deliberationi diẽ petijt. poſtridie biduũ prorogauit, mox alterũ tantum admonitus adiunxit: poſtremo cum cauſas tantæ moræ tyrannus inquireret, reſpondit ille, quòd ſibi

B quãto inquiſitio tardior pergeret, tãto veritas fieret obſcurior. Mea quoque opinione, quæ ſunt dubia, vt ſunt relinquenda ſunt: nec tot ac tantis viris deliberantib. temerè & audaciter in alteram partem ferenda ſententia eſt, ne aut anilis inducatur ſuperſtitio, aut omnis religio deſtruatur.

Sic Cæcilius, & renidens (nam indignationis eius tumorem effuſæ orationis impetus relaxauerat) Et quid ad hæc (ait) audet Octauius homo Plautinæ proſapiæ, vt piſtorũ præcipuus ita poſtremus philoſophorum?

Parce, inquam, in eum plaudere: neq; enim prius exultare te dignum eſt concinnitate ſermonis, quàm vtrinque plenius fuerit peroratum, maximè cùm non laudi, ſed veritati diſceptatio veſtra nitatur. Et quanquã magnũ in modum me ſubtili varietate tua delectarit oratio, tamẽ altius moueor, nõ de præſenti actione, ſed de toto genere diſputandi: quòd plerumq; pro diſſerentiũ viribus, & eloquentię poteſtate, etiam perſpicuæ veritatis cõditio mutetur. Id

C accidere pernotum eſt auditorum facilitate, qui dum verborum lenocinio à rerũ intentionibus auocantur, ſine delectu aſſentiuntur dictis omnibus: nec à rectis falſa ſecernunt, neſciẽtes ineſſe & in incredibili verũ, & in veriſimili menda[cium]. Itaq; quò ſępius aſſeuerationibus credunt, eo frequẽtius à peritioribus arguuntur: ſic aſſiduè temeritate decepti, culpã iudicis transferunt ad incerti querelam, vt damnatis omnib. malint vniuerſa ſuſpendere, quã de fallacibus iudicare. Igitur nobis prouidẽdum eſt, ne odio identidem ſermonum omnium laboremus: ita vt in execrationem & odium hominum plęriq; ſimpliciores efferantur. Nam incautè creduli circumueniuntur ab his, quos bonos putauerunt: mox errore cõſimili iam ſuſpectis omnibus vt improbos metuunt, etiã quos optimos ſentire potuerunt. Nos proinde ſolliciti, quod vtrinq; omni negotio diſſeratur, & ex altera parte plærumq; obſcura ſit veritas, ex altera latere mira ſubtilitas, quæ nonnunquam vbertate dicẽdi, fidem confeſſæ probationis imitetur: diligenter, quantum poteſt, ſingula ponderemus, vt argutias quidè laudare, ea verò quæ recta ſunt, eligere, probare, ſuſcipere poſſimus.

D Decedis (inquit Cæcilius) officio iudicis religioſi, nam periniuriũ eſt, vires te actionis meæ interiectu grauiſſimæ diſputationis infringere, cùm Octauius integra & illibata habeat ſingula. Si poteſt refutari id quod criminaris, inquã in cõmune, niſi fallor, cõpendium protuli, vt examine ſcrupuloſo noſtram ſententiam non eloquentiæ tumore, ſed rerum ipſarum ſoliditate libremus: nec auocanda, quod quereris, diutius intentio, cùm toto ſilentio liceat reſponſionem Ianuarij noſtri iam geſtientis audire.

Et Octauius: Dicam equidem, vt potero, pro viribus; & adnitendum tibi mecum eſt, vt conuiciorum amariſſimam labẽ verborum veracium lumine diluamus. Nec diſſimulabo principio ita Natalis mei errantem, vagam, lubricam nutaſſe ſententiam: vt ſit nobis ambigendum, vtrum ſua eruditio turbata ſit, an vacillauerit per errorem: nam interim deos credere, interim ſe deliberare variauit, vt propoſitionis incerto, certior reſpõſionis noſtrę intentio fundaretur. Sed in Natali meo verſutiam nolo, nõ credo: procul eſt ab eius ſimplicitate ſubtilis vrbanitas. Quid igitur? vt qui rectam viam neſcit, vbi, vt fit, in plures vna diffinditur, hęret anxius, nec ſingulas audet eligere, nec vniuerſas probare:

E ſic cui nõ eſt veri ſtabile iudiciũ, prout infida ſuſpicio ſpargitur, ita eius dubia opinio diſſipatur. Nullum itaq; miraculum eſt, ſi Cæcilius identidem in contrarijs ac repugnãtibus iactetur æſtu & fluctuetur: quod ne fiat vlterius conuincam, & redarguã quamuis diuerſa, quæ dicta ſunt: vna veritate confirmata probataq;; nec dubitandum ei de cætero eſt, nec vagandum. Et quoniã meus frater erupit ægrè ſe ferre, ſtomachari, indignari, dolere, illiteratos, pauperes, imperitos de rebus cœleſtibus diſputare: ſciat omnes homines ſine delectu ætatis, ſexus, dignitatis, rationis & ſenſus capaces & habiles procreatos: nec fortuna nactos, ſed natura inſitos eſſe ſapientiã: quin ipſos etiam philoſophos, vel ſi qui alij artium repertores in memorias exierunt, priuſquam ſolertia mẽtis parerent nominis claritatẽ, habitos eſſe plebeios, indoctos, ſeminudos, adeo diuites facultatibus ſuis illigatos, magis aurum ſuſcipere conſueſſe, quàm cœlum: noſtrates pauperes, & cõmentos eſſe prudentiam,

F & tradidiſſe cæteris diſciplinam. Vnde apparet, ingenium non dari facultatibus, nec ſtudio parari, ſed cum ipſa mentis formatione generari. Nihil itaq; indignandum, vel dolendum, ſi quicunq; de diuinis quęrat, ſentiat, proferat, cũ non diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas requiratur: atq; etiam quo imperitior ſermo, hoc illuſtrior ratio eſt: quoniam non fucatur pompa facundiæ & gratię, ſed, vt eſt, recti regula ſuſtinetur. Nec recuſo, quod Cæcilius aſſerere inter præcipua cõnixus eſt, hominem noſſe ſe, & circumſpicere debere, quid ſit, vnde ſit, quare ſit, vtrum elementis concretus, an concinnatus atomis, an potius à Deo factus, formatus, animatus. Quod ipſum explorare; & eruere, ſine vniuerſitatis inquiſitione nõ poſſumus, cùm ita cohærentia, connexa, concatenata ſint, vt niſi diuinitatis rationem diligenter excuſſeris, neſcias humanitatis: nec poſſis pulchre gerere rem ciuilem, niſi cognoueris hanc communem omnium mundi ciuitatem: præcipuè cùm à

G feris, beluis, hoc differamus, quod illa prona, in terramq; vergẽtia, nihil nata ſint proſpicere, niſi pabulum: nos quibus vultus erectus, quibus ſuſpectus in cœlum datus eſt, ſermo, & ratio, per quæ Dominum agnoſcimus, ſentimus, imitamur, ignorare nec fas, nec licet ingerentem ſeſe oculis, & ſenſibus noſtris cœleſtem claritatem. Sacrilegij enim vel maximi inſtar eſt, humi quærere, quod in ſublimi debeas inuenire. Quo magis mihi videntur qui hunc mundi totius ornatum non diuina ratione perfectum volunt: ſed fruſtis quibuſdam temerè cohærentibus conglobatum: mentem, ſenſum, oculos denique ipſos non habere. Quid enim poteſt eſſe tam apertum, tam confeſſum, tamq; perſpicuum, cùm oculos in cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra circaque luſtraueris, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur, moueatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipſum vide quàm latè tenditur, quàm rapidè voluitur, vel quod in noctẽ Aſtris diſtinguitur, vel quod in diem ſole luſtratur: iam ſcies quàm ſit in eo ſummi moderatoris mira & diuina libratio. Vide & annum vt ſolis ambitus faciat & menſem: vide vt luna auctu, ſenio, labore circumagat. Quid tenebrarum & luminis di-

H cam recurſantes vices, vt ſit nobis operis & quietis alterna reparatio? Relinquenda verò aſtrologis prolixior de ſideribus oratio, vel quæ regant curſum nauigandi, vel quæ arandi metendiq; tempus inducant: quę ſingula non modo vt crearentur, fierent, diſponerẽtur, ſummi opificis & perfectæ rationis eguerunt: verumetiam ſentiri, perſpici, intelligi, ſine ſumma ſolertia & ratione non poſſunt. Quid cùm ordo temporum hac frugum ſtabili varietate diſtinguitur: nonne auctorem ſuum parentemque teſtatur? Ver æque cum ſuis floribus, & æſtas cum ſuis meſſibus, & autumni maturitas grata, & hiberna oliuitas neceſſaria: qui ordo facilè turbaretur, niſi maxima ratione cõſiſteret. Iam prouidentiæ quantæ, ne hyems ſola glacie vreret, aut ſola æſtas ardore torreret, autumni & veris inſerere medium temperamentum, vt per veſtigia ſua anni reuertẽtis occulti & innoxij tranſitus labentur. Mari intende, lege litoris ſtringitur: quicquid arborum eſt, vide, quàm è terræ viſceribus animatur. Aſpice Oceanum, refluit reciprocis æſtibus: vide fontes, manant venis perennibus: fluuios intuere, eunt ſemper exercitis lapſibus. Quid loquar aptè

diſpoſita

A diſpoſita tecta montium, collium flexa, porrecta camporum? Quid animantium loquar aduerſus ſeſe tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus ſeptas, & fundatas vngulis, & ſpicatas aculeis: aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum. Ipſa præcipuæ formæ noſtræ pulchritudo Deum fatetur artificem, ſtatus rigidus, vultus erectus, oculi in ſummo velut in ſpecula cõſtituti, & omnes cæteri ſenſus velut in arce compoſiti. Lõgum eſt ire per ſingula: nihil in homine membrorum eſt, quod non & neceſſitatis cauſa ſit, & decoris: & quod magis mirum eſt, eadem figura omnibus, ſed quædam vnicuique lineamenta deflexa. ſic & ſimiles vniuerſi videmur, & inter ſe ſinguli diſſimiles inuenimur. Quid naſcendi ratio, quid cupido generandi? Nonne à Deo data eſt, & vt vbera partu matureſcente lacteſcant, & vt tener fœtus vbertate lactei roris adoleſcat? Nec vniuerſitati ſolummodo Deus, ſed & partibus conſulit. Britannia ſole deficitur, ſed circumfluentis maris tempore recreatur: Ægypti ſiccitatem B temperat Nilus amnis: colit Euphrates Meſopotamiam, pro imbribus penſat. Indus flumen & ſerere Orientem dicitur, & rigare. Quòd ſi ingreſſus aliquam domum, omnia exculta, diſpoſita, ornata vidiſſes: vtique præeſſe ei crederes Dominum, & illis bonis rebus multo eſſe meliorem. Ita in hac mundi domo, cum cœlum terramque perſpicias, prouidentiam, ordinem, legem: crede eſſe vniuerſitatis Dominum, parentemque, ipſis ſideribus & totius mundi partibus pulchriorem. Ne fortè quoniam de prouidentia nulla dubitatio eſt, inquirendum putas, vtrum vnius imperio, an arbitrio plurimorum cœleſte regnum gubernetur: quod ipſum non eſt multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla vtique de cœlo. quando vnquam regni ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine cruore diſceſſit? Omitto Perſas de equorum hinnitu augurantes principatum, & Thebanorum præmortuam fabulam tranſeo: ob paſtorum & caſæ regnum de geminis hiſtoria notiſſima eſt: generi & ſoceri bella toto orbe diffuſa ſunt. & tam C magni imperij duos fortuna non cepit. Vide cætera: rex vnus apibus, dux vnus in gregibus, in armẽtis rector vnus: tu in cœlo ſummam poteſtatem diuidi credas, & ſcindi veri illius ac diuini imperij totam poteſtatem? cum palam ſit parentem omnium Deum, nec principium habere, nec terminum, qui natiuitatem omnibus præſtet, ſibi perpetuitatem: qui ante mundum fuerit ſibi ipſe pro mundo: qui vniuerſa quæcunque ſunt verbo iubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi poteſt, nec æſtimari: ſenſibus maior eſt, infinitus, immenſus, & ſoli ſibi tantus quantus eſt, notus. Nobis verò ad intellectum pectus anguſtum eſt: & ideo ſic eum dignè æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum ſentio: magnitudinem Dei qui ſe putat noſſe, minuit: qui non vult minuere, non nouit. Nec nomen Dei quæras: Deus nomen eſt illi. Illic vocabulis opus eſt, cùm per ſingulos proprijs appellationum inſignibus multitudo dirimenda eſt. Deo, qui ſolus D eſt, Dei vocabulum totum eſt, quem ſi patrem dixero, terrenum opineris: ſi regem, carnalem ſuſpiceris: ſi Dominum, intelliges vtique mortalem. Aufer additamenta nominum, & perſpicies eius claritatem. Quid, quòd omnium de iſto habeo conſenſum? Audio vulgus, cùm ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quàm Deum dicunt: &, Deus magnus eſt: &, Deus verus eſt: &, Si Deus dederit: vulgi iſte naturalis ſermo eſt, an Chriſtiani confitentis oratio? & qui Iouem principem volunt, falluntur in nomine, ſed de vna poteſtate conſentiunt. Audio poëtas quoque vnum patrem diuûm atque hominum prædicantes, & talem eſſe mortalium mentem, qualem parens omnium Deus induxerit. Quid Mantuanus Maro? Nonne apertius, proximius, verius, Principio (ait) cœlum, & terras, & cætera mundi membra ſpiritus intus alit, & infuſa meos agitat? Inde hominum pecudumque genus, & quicquid aliud animalium. Idem alio loco mentem iſtam & ſpiritum Deum nominat. Hæc enim vera ſunt: Deum namque ire per omnes terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum. Vnde homines, & pecudes, vnde imber, & ignes. Quid aliud à nobis Deus, quàm mens, & ratio, &

ſpiritus prædicatur? Recenſeamus, ſi placet, diſciplinam philoſophorum, deprehendes eos, etſi ſermonibus varijs, ipſis tamen rebus in hanc vnam coire & conſpirare ſententiam. E Omitto illos rudes & veteres, qui de ſuis dictis ſapientes eſſe meruerunt. ſit Thales Mileſius omnium primus, qui primus omnium de cæleſtibus diſputauit. idem Mileſius Thales rerum initium aquam dixit: Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta formauerit: & altior & ſublimior aquæ, & ſpiritus ratio, quam vt ab homine potuerit inueniri, à Deo tradita. Vides philoſophi principalis nobiſcum penitus opinionem conſonare. Anaximenes deinceps, & poſt Apolloniates Diogenes, aëra Deũ ſtatuunt, infinitum & immenſum. Horum quoque ſimilis de diuinitate conſenſio eſt. Anaxagoræ verò deſcriptio & modus, infinitæ mentis Deus dicitur, & Pythagoræ Deus eſt animus, per vniuerſam rerum naturam commeans, & intentus: ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. Xenophanem notum eſt, omne infinitum cum mente, Deum tradere; & Antiſthenem, populares deos multos, F ſed naturalem vnum præcipuum. Speuſippum, vim naturalem, animalem, qua omnia regantur, Deum noſſe. Quid Democritus, quamuis atomorum primus inuentor, nonne plerumq; naturam, quæ imagines fundat, & intelligentiam, Deum loquitur? Straton quoque & ipſe naturam, etiam Epicurus ille, qui deos aut otioſos fingit, aut nullos, naturam tamen ſuperponit. Ariſtoteles variat, & aſſignat tamen vnam poteſtatem, nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum præficit. Ariſtoteles Ponticus variat, alias mundo, alias menti diuinæ tribuens principatum. Heraclides Ponticus quoque Deo diuinam mentem (quamuis variè) aſcribit. Theophraſtus, & Zenon, & Chryſippus, & Cleanthes, ſunt & ipſi multiformes, ſed ad vnitatem prouidentiæ omnes reuoluuntur. Cleanthes enim mentem, modò animum, modo æthera, plerumque rationem Deum diſſeruit. Zenon eiuſdem magiſter, naturalem legem atque diuinam, & æthera interim, interdumque rationem, vult omnium eſſe principium: idẽ G interpretando Iunonem aëra, Iouem cœlum, Neptunum mare, ignem eſſe Vulcanum, & cæteros ſimiliter vulgi deos elementa eſſe monſtrando, publicum arguit grauiter & reuincit errorem. Eadem ferè Chryſippus, vim diuinam, rationalem naturam, & mundum interim, & fatalem neceſſitatem Deum credit: Zenonemq; interpretatione phyſiologiæ in Heſiodi, Homeri, Orpheiq; carminibus imitatur. Babylonio etiam Diogeni diſciplina eſt exponendi, & diſſerendi, Iouis partum & ortum Mineruæ, & hoc genus cæterarum rerum vocabula eſſe non deorum. Nam Socraticus Xenophon formam Dei veri negat videri poſſe, & ideo quæri non oportere. Ariſto Chius comprehendi omnino non poſſe. Vterq; maieſtatem Dei, intelligendi deſperatione ſenſerunt. Platoni apertior de Deo, rebus ipſis, & nominibus oratio eſt: & quæ tota eſſet cœleſtis, niſi perſuaſionis ciuilis nonnunquam admixtione ſordeſceret. Platoni itaque in Timæo Deus eſt ipſo nomine mũdi parens, artifex animæ, cœleſtium terrenorumq; fabricator: quem & inuenire difficile præ nimia & incredibili poteſtate, & H cum inueneris in publicum dicere impoſſibile præfatur. Eadem ferè & iſta quæ noſtra ſunt: nam & Deũ nouimus, & parentem omnium dicimus, & nunquam publicè niſi interrogati prædicamus. Expoſui opiniones omnium fermè philoſophorum, quibus illuſtrior gloria eſt, Deum vnum multis licet deſignaſſe nominibus: vt quiuis arbitretur aut nũc Chriſtianos philoſophos eſſe, aut philoſophos fuiſſe iam tunc Chriſtianos. Quòd ſi prouidentia mundus regitur, & vnius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperitorum fabellis ſuis delectata vel capta ad errorem mutui rapere conſenſus: cùm philoſophorum ſuorum ſententijs refellatur, quibus & rationis & vetuſtatis aſſiſtit auctoritas. Maioribus enim noſtris iam facilis in mendacijs fides fuit, vt temerè crediderint etiam alia mõſtroſa miracula: Scyllam multiplicem, Chimæram multiformem, & hydram felicibus vulneribus renaſcentem, & Centauros equos ſuis hominibus implexos: & quicquid famæ licet fingere, illis erat libẽter audire. quid illas aniles fabulas, de hominibus aues, & feris homines, & de homi-

A nibus arbores atq; flores? quæ ſi eſſent facta, fierẽt quæ fie-
ri nõ poſſunt, ideo nec facta ſunt. Similiter verò erga deos
quoq; Maiores noſtri improuidi, creduli, rudi ſimplicitate
crediderunt: dum reges ſuos colunt religioſe, dum defun-
ctos eos deſiderant in imaginibus videre, dum geſtiunt eo-
rum memorias in ſtatuis detinere: ſacra facta ſunt, quæ fue-
rant aſſumpta ſolatia. Denique & antequam commercijs
orbis pateret, & antequã gentes ritus ſuos miſcerent, vna-
quæq; natio conditorẽ ſuum, aut ducem inclytum, aut re-
ginam pudicam ſexu ſuo fortiorem, aut alicuius muneris
vel artis repertorem venerabatur, vt ciuẽ bonæ memoriæ,
& ſic defunctis præmium, & futuris dabatur exemplum.
Lege Stoicorum ſcripta, vel ſcripta ſapiẽtium: eadem me-
cum recognoſces, ob merita virtutis aut muneris deos ha-
bitos. Euhemerus exequitur & eorum natales, patrias, ſe-
pulcra dinumerat, & per prouincias mõſtrat: Dictæi Iouis,
B & Apollinis Delphici, & Phariæ Iſidis, & Cereris Eleuſi-
niæ, pro dijs aſſumptos in deos loquitur, qui errãdo inuen-
tis nouis frugibus vtilitati hominum profuere. In eandem
ſententiam & Perſeus philoſophatur, & annectit inuentas
fruges, & frugum ipſarum repertores, iiſdem nominibus:
vt Comicus ſermo eſt, Venerem ſine Libero & Cerere fri-
gere. Alexander ille magnus Macedo inſigni volumine ad
matrem ſuam ſcripſit, metu ſuę poteſtatis proditum ſibi de
dijs hominibus à ſacerdote ſecretum: ille Vulcanum facit
omnium principem, & poſtea Iouis gentem: & diſpicis Iſi-
dis ad hirundinem ſiſtrum, & aſperſis membris inanem tui
Serapidis ſiue Oſiridis tumulum: conſidera denique ſacra
ipſa & myſteria: inuenies exitus triſtes, fata, & funera, & lu-
ctus atque planctus miſerorum deorum. Iſis perditum fi-
lium cũ Cynocephalo ſuo & alijs ſacerdotibus luget, plan-
git, inquirit, & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & dolorem in-
feliciſſimę matris imitantur. mox inuento paruulo gaudet
C Iſis, exultant ſacerdotes, Cynocephalus inuẽtor gloriatur:
nec deſinũt annis omnibus, vel perdere quod inueniunt,
vel inuenire quod perdunt. Nonne ridiculũ eſt, vel lugere
quod colas, vel colere quod lugeas? Hæc tamen Ægyptia
quondam, nunc & ſacra Romana ſunt. Ceres facibus ac-
cenſis, & ſerpente circumlata, errore ſubreptam, & corru-
ptam liberam anxia & ſolicita veſtigat. hæc ſunt Eleuſinia.
Et quæ Iouis ſacra ſunt? nutrix capella eſt, & auido patri
ſubtrahitur infans, ne voretur: & Corybantum cymbalis,
ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur. De Cybele Dyn-
dimena pudet dicere, quæ adulterum ſuum infeliciter pla-
citum, quoniam & ipſa deformis, & vetula, & multorum
deorum mater, ad ſtuprum illicere non poterat, execuit, vt
Deum ſcilicet faceret eunuchum. Propter hanc fabulam
Galli eam & ſemiuiri ſui corporis ſupplicio colũt. hæc iam
non ſunt ſacra: tormẽta ſunt. Quid formæ ipſæ, & habitus:
nonne arguunt ludibria & dedecora deorum veſtrorum?
Vulcanus claudus Deus, & debilis: Apollo tot ætatibus lę-
uis: Æſculapius benè barbatus, etſi ſemper adoleſcentis A-
D pollinis filius: Neptunus glaucis oculis, Minerua cæſijs,
bubulis Iuno, pedibus Mercurius alatis, Pan vngulatis, Sa-
turnus compeditis: Ianus verò frontes duas geſtat, quaſi &
auerſus incedat: Diana interim eſt altè ſuccincta venatrix:
& Epheſia mammis multis, & verubus extructa: & Triuia
terrinis capitibus, & multis manibus horrifica. Quid ipſe Iu-
piter veſter? modo imberbis ſtatuitur, modo barbatus lo-
catur: & cùm Hammon dicitur, habet cornua: & cùm Ca-
pitolinus, tunc gerit fulmina: & cùm Latiaris, cruore per-
funditur? & cùm Feretrius, nõ auditur. Et ne longius mul-
tos Ioues obeam, tot ſunt Iouis mõſtra, quot nomina. Eri-
gone ſuſpenſa de laqueo eſt, vt virgo inter aſtra ignita ſit.
Caſtores alternis moriuntur, vt viuant: Æſculapius, vt in
deum ſurgat, fulminatur. Hercules, vt hominẽ exuat, Oe-
tæis ignibus concrematur. Has fabulas & errores & ab im-
peritis parentib. didicimus, & (quod eſt grauius) ipſis ſtu-
dijs & diſciplinis elaboramus, carminibus præcipuè poë-
tarum: qui permirum, quantum veritati ipſi ſua auctorita-
te nocuere. Et Plato ideo præclarè Homerum illum incly-
tum laudatum & coronatum, de ciuitate, quam in ſermo-
ne inſtituebat, eiecit. Hic enim præcipuus bello Troico
deos veſtros, etſi ludos facit, tamen in hominum rebus &
actibus miſcuit. Hic eorum paria compoſuit, ſauciauit Ve-
nerem, Martem vinxit, vulnerauit, fugauit. Iouem narrat E
Briareo liberatum, ne à dijs cæteris ligaretur: & Sarpedonẽ
filium, quoniam morti nõ poterat eripere, cruentis imbri-
bus fleuiſſe: & ceſto Veneris illectum, flagrantius quàm in
adulteras ſoleat, cũ Iunone vxore concumbere. Alibi Her-
cules ſtercora egerit, Apollo Admeto pecus paſcit. Laome-
donti verò muros Neptunus inſtituit, nec mercedem ope-
ris infelix ſtructor accipit: illic Iouis fulmen cum Æneæ ar-
mis in incude fabricatur: cum cœlum & fulmina & fulgura
longè antè fuerint quã Iupiter in Creta naſceretur: & flam-
mas veri fulminis nec Cyclops potuerit imitari, nec ipſe
Iupiter non vereri. Quid loquar Martis & Veneris adulte-
rium deprehenſum? & in Ganymedem Iouis ſtuprum cęlo
conſecratum? Quę omnia in hoc prodita, vt vitijs hominũ
quædam auctoritas pararetur. His atq; huiuſmodi figmẽ-
tis, & mendacijs dulcioribus corrumpuntur ingenia pue- F
rorum: & iiſdem fabulis inhærentibus, & adulque ſummæ
ætatis robur adoleſcunt: & in iiſdem opinionibus miſeri
conſeneſcunt: cum ſit veritas obuia, ſed requirentibus. Sa-
turnum enim principem huius generis & examinis omnes
ſcriptores vetuſtatis, Gręci Romaniq;, hominem prodide-
runt. Scit hoc Nepos & Caſſius in hiſtoria, & Thallus ac
Diodorus hoc loquuntur. Is itaq; Saturnus Creta profugus,
Italiã metu filij ſæuientis acceſſerat, et ã ſuſceptus hoſpitio
rudes illos homines & agreſtes multa docuit, vt Gręculus
& politus, literas imprimere, nũmos ſignare, inſtrumenta
conficere. Itaq; latebram ſuam, quòd tuto latuiſſet, vocari
maluit Latium: & vrbẽ Saturniam de ſuo nomine, & Iani-
culum Ianus, ad memoriã vterq; poſteritatis reliquerunt.
Homo igitur vtiq; qui fugit, homo vtiq; qui latuit, & pater
hominis, & natus ex homine, terrę enim & cęli filius, quòd
apud Italos eſſet ignotis parentibus, prodita: vt in hodier-
num inopinato viſos, cęlo miſſos, ignobiles & ignotos, ter-
ræ filios nominamus. eius filius Iupiter Cretæ excluſo pa-
rente regnauit, illic obijt, illic filios habuit, adhuc antrum G
Iouis viſitur, & ſepulchrum eius oſtenditur, & ipſis ſacris
ſuis humanitatis arguitur. Ocioſum eſt ire per ſingulos, &
totam ſeriem generis iſtius explicare, cum in primis paren-
tibus probata mortalitas, in cæteros ipſo ordine ſucceſſio-
nis influxerit. Niſi fortè poſt mortem deos fingitis, & pere-
rante Proculo Deus Romulus, & Iuba Mauris volentibus
Deus eſt, & diui cæteri reges, qui conſecrantur non ad fidẽ
numinis, ſed ad honorẽ emeritæ poteſtatis. Inuitis denique
hoc nomen adſcribitur: optant in homine perſeuerare, fie-
ri ſe deos metuũt: etſi iam ſenes nolunt. Ergo nec de mor-
tuis dij, quoniam Deus mori non poſſit: nec de natis, quo-
niam moritur omne quod naſcitur, diuinum autem id eſt,
quod nec ortũ habet, nec occaſum. Cur enim ſi nati ſunt,
nõ hodieq; naſcuntur? niſi fortè iam Iupiter ſenuit, & par-
tus in Iunone defecit: & Minerua canuit antequàm pepe-
rit. An ideo ceſſauit iſta generatio, quoniã nulla huiuſmo-
di fabulis præbetur aſſenſio? Cæterum ſi dij creari poſſent,
interire non poſſent: plures totis hominibus deos habere- H
mus, vt iam eos nec cœlum contineret, nec aër caperet, nec
terra geſtaret. Vnde manifeſtum eſt, homines illos fuiſſe,
quos & natos legimus, & mortuos ſcimus. Quis ergo du-
bitat horũ imagines cõſecratas vulgus orare, & publicè co-
lere? dum opinio, & mens imperitorũ artis cõcinnitate de-
cipitur, auri fulgore perſtringitur, argenti nitore & cãdore
eboris hebetatur? Quòd ſi in animũ quis inducat, tormen-
tis quibus, & quibus machinis ſimulachrum omne forme-
tur, erubeſcet temerè ſe materiei ab artifice, vt Deum face-
ret, illuſum. Deus enim ligneus, rogi fortaſſe vel infelicis
ſtipitis portio, ſuſpẽditur, cæditur, dolatur, runcinatur. Et
Deus æreus vel argenteus de immundo vaſculo, vt ſæpius
factum Ægyptio regi, cõflatur, tunditur malleis, & incudi-
bus figuratur: & lapideus cæditur, ſcalpitur, & ab impetito
homine læuigatur: nec ſentit ſuæ natiuitatis iniuriã, ita vt
nec poſtea de veſtra veneratione culturã: niſi fortè nõdum
Deus ſaxũ eſt, vel lignũ, vel argentũ. Quando igitur hic na-
ſcitur? ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur, nondũ Deus eſt.
Ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur, nec adhuc Deus eſt.
Ecce ornatur, conſecratur, oratur: tunc poſtremò Deus eſt,
cùm homo ille voluit, & dedicauit. Quãta verò de dijs ve-
ſtris animalia muta naturaliter iudicant; mures, hirũdines,

A milui: non ſentire eos ſciunt, norunt, inculcant, inſident: ac niſi abigatis, in ipſo Dei veſtri ore nidificant. Araneæ verò faciem eius intexunt, & de ipſo capite ſua fila ſuſpẽdunt: vos tergitis, mundatis, eraditis: & illos, quos facitis, protegitis & timetis. Dum vnuſquiſque veſtrum non cogitat, prius ſe debere Deum noſſe, quàm colere: dum inconſultè geſtiunt parentibus obedire: dum fieri malunt alieni erroris acceſſio, quàm ſibi credere: dum nihil ex his quæ timent, norunt: ſic in auro & argento auaritia conſecrata eſt: ſic ſtatuarum inanium conſignata forma: ſic nata Romana ſuperſtitio, quorum ritus ſi percenſeas, ridenda quàm multa, multa etiàm miſeranda ſunt. Nudi cruda hyeme diſcurrunt, alij incedunt pileati, ſcuta vetera circumferunt, pelles cædunt, mendicantes vicatim Deos ducunt. Quædam fana ſemel anno adire permittunt, quædã in totum nefas viſere eſt, quædam viro non licet, nonnulla abſque fœminis ſacra ſunt: etiam ſeruo quibuſdam cæremonijs intereſſe piaculare flagitium eſt, alia ſacra coro- B nat vniuira, alia multiuira, & magna religione conquiritur, quæ plura poſſit adulteria numerare. Quid? qui ſanguine ſuo libat, & vulneribus ſuis ſupplicat, non profanus melius eſſet, quàm ſic religioſus? aut cui teſta ſunt obſcœna demeſſa, quo modo Deum violat, qui hoc modo placat? cum ſi eunuchos Deus vellet, poſſet procreare, non facere. Quis non intelligat maleſanos, & vanæ & perditæ mentis in iſta deſipere, & ipſam errantium turbam mutua ſibi patrocinia præſtare? Hic defenſio communis furoris eſt furentium multitudo: attamen iſta ipſa ſuperſtitio Romanis dedit, auxit, fundauit imperium: cùm non tam virtute, quàm religione & pietate pollerẽt, nimirum inſignis & nobilis iuſtitia Romana ab ipſis Imperij naſcentis incunabulis auſpicata eſt. Nonne in ortu ſuo & ſcelere collecti, & muniti, immanitatis ſuæ terrore creuerunt? Nam aſylo prima plebs congregata eſt: confluxerant perditi, facinoroſi, inceſti, ſicarij, proditores. Et vt ipſe Romulus, Imperator & rector, populum ſuum facinore præcelleret, C parricidium fecit. Hæc prima ſunt auſpicia religioſæ ciuitatis. mox alienas virgines iam deſponſatas, iam deſtinatas, & nonnullas de matrimonio mulierculas ſine more rapuit, violauit, illuſit: & cum earum parentibus, id eſt cũ ſoceris ſuis, bellum miſcuit, propinquum ſanguinem fudit. Quid irreligioſius, quid audacius, quid ipſa ſceleris confidentia tutius? Iam finitimos agro pellere, ciuitates proximas euertere cum templis & altaribus, captos cogere, damnis alienis & ſuis ſceleribus adoleſcere, cum Romulo regibus cæteris & poſtremis ducib. diſciplina communis eſt, ita quicquid Romani tenent, colunt, poſſident, audaciæ præda eſt, templa omnia de manubijs, id eſt de ruinis vrbium, de ſpolijs deorum, de cędibus ſacerdotum, hoc eſt inſultare & illudere eſt, victis religionibus ſeruire, captiuas eas poſt victorias adorare. Nam adorare quæ manu ceperis, ſacrilegium eſt conſecrare, non numina. Toties ergo Romanis impiatum eſt, quoties triumphatum, tot de dijs ſpolia, quot de gentibus & trophæa. Igitur Roma- D ni non ideò tanti quòd religioſi, ſed quod impunè ſacrilegi. Neque enim potuerunt in ipſis bellis deos adiutores habere, aduerſus quos arma rapuerunt, & quos poſt cladem triumphatos colere cœperunt. Quid autem iſti dij pro Romanis poſſunt, qui nihil pro ſuis aduerſus eorum arma valuerunt? Romanorum enim vernaculos deos nouimus: Romulus, Picus, Tiberinus, & Conſus, & Pilumnus, ac Picumnus. Cloacinam Tatius & inuenit, & coluit: Pauorem Hoſtilius atque Pallorem: mox à neſcio quo Febris dedicata, hæc alumna Vrbis iſtius ſuperſtitio, morbi & malæ valetudines. Sanè & Acca Laurentia, & Flora, meretrices propudioſæ inter morbos Romanorum & deos computandæ, iſti ſcilicet aduerſus cæteros, qui in gentibus colebantur, Romanorum Imperium protulerunt. neque enim eos aduerſum ſuos homines vel Mars Thracius, vel Iupiter Creticus, vel Iuno nunc Argiua, nunc Samia, nunc Pœna: vel Diana Taurica, vel mater Idæa, vel Ægyptia illa non numina, ſed portenta iuuerunt. Niſi fortè apud iſtos maior caſtitas virginum, aut religio ſanctior ſacerdotum: cùm penè in pluribus virginibus, & quæ inconſultius ſe viris miſcuiſſent, Veſta

ſanè neſciente ſit inceſtum vindicatum: in reſiduis im- E punitatem fecerit, non caſtitas tutior, ſed impudicitia felicior. Vbi autem magis à ſacerdotibus quàm inter aras & delubra conducuntur ſtupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentius denique in ædituorum cellulis, quàm in ipſis lupanaribus, flagrans libido defungitur, & tamen ante eos Deo diſpenſante diu regna tenuerunt Aſſyrij, Medi, Perſæ, Græci etiam & Ægyptij, cùm Pontifices & Aruales & Salios, Veſtales & Augures non haberent, nec pullos cauea reclusos, quorum cibo vel faſtidio reſp. ſumma regeretur. Iam enim venio ad illa auſpicia & auguria Romana, quæ ſummo labore collecta teſtatus es, & pœnitenter omiſſa, & obſeruata feliciter. Clodius ſcilicet, & Flaminius & Iunius ideo exercitus perdiderunt, quòd pullorum ſoliſtimum tripodium capectandum non putauerunt? Quid Regulus? nonne auguria ſeruauit, & captus eſt: Mancinus religionem tenuit, & ſub iugum miſſus eſt, & deditus. Pullos edaces habuit F & Paulus apud Cannas, tamen cum maiori reipublicæ parte proſtratus eſt. C. Cæſar ne ante brumam in Africam nauigia tranſmitteret augurijs & auſpicijs renitentibus, ſpreuit: eo facilius & nauigauit, & vicit. Quæ verò & quãta de oraculis proſequar? Poſt mortem Amphiaraus ventura reſpondit, qui proditus eſt ipſe ob monile ab vxore neſcius. Tireſias cæcus futura videbat, qui præſentia non videbat. De Pyrrho Ennius Apollinis Pythij reſponſa confinxit, cùm iam Apollo verſus facere deſiniſſet. cuius tunc cautum illud & ambiguum defecit oraculum, cùm & politiores homines & minus creduli eſſe cœperunt: & Demoſthenes, quòd ſciret reſponſa ſimulata, φιλιππίζειν Pythiam querebatur. At nonnunquam tamen veritatem vel auſpicia vel oracula tetigere. Quamquam inter multa mendacia videri poſſit induſtriam caſus imitatus, aggrediar tamen fontem ipſum erroris & prauitatis, vnde omnis caligo iſta manauit, & altius eruere, & aperire manifeſtius. Spiritus ſunt inſinceri, vagi, à cœleſti vigore terre- G nis labibus & cupiditatibus degrauati: iſti igitur ſpiritus poſteaquam ſimplicitatem ſubſtantiæ ſuæ onuſti & immerſi vitijs perdiderunt, ad ſolatium calamitatis ſuæ non deſinunt perditi iam perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere, & alienati à Deo inductis prauis religionibus à Deo ſegregare. eos ſpiritus dæmonas eſſe poëtę ſciunt, philoſophi diſſerunt, Socrates nouit, qui ad nutum & arbitrium aſſidentis ſibi dæmonis vel declinabat negotia, vel petebat. Magi quoque non tantum ſciunt dæmonas, ſed etiam quicquid miraculi ludunt, per dæmonas faciunt: illis aſpirantibus & infundentibus præſtigias edunt: vel quæ non ſunt, videri: vel quæ ſunt, non videri: eorum Magorum & eloquio & negotio primus Hoſthanes, & verum Deum merita maieſtate proſequitur: & angelos, id eſt, miniſtros & nuncios Dei, ſed veri, eiuſq; venerationi nouit aſſiſtere, vt & nutu ipſo & vultu Domini territi contremiſcant. idem etiam dæmonas prodidit terrenos, vagos, humanitatis inimicos. Quid Plato, qui inuenire Deum negotium credidit? nonne & angelos H ſine negotio narrat & dæmonas? & in Sympoſio etiã ſuo naturam dæmonum exprimere connititur? vult enim eſſe ſubſtantiam inter mortalem immortalemque, id eſt, inter corpus & ſpiritum, mediam, terreni ponderis & cœleſtis leuitatis admixtione concretam, ex qua manare in nos procupidinem amoris, & dicit informari & illabi pectoribus humanis, & ſenſum mouere, & affectus fingere, & ardorem cupiditatis infundere. Iſti igitur impuri ſpiritus dæmones (vt oſtenſum à Magis, à philoſophis, & à Platone) ſub ſtatuis & imagin. conſecratis delitеſcunt, & afflatu ſuo auctoritatem quaſi præſentis numinis conſequuntur, dum inſpirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt falſis plurib. inuoluta: nã & falluntur, & fallunt, vt & neſcientes ſinceram veritatem, & quã ſciunt, in perditionem ſui non confitentes. Sic à cœlo deorſum grauant, & à Deo vero ad materias auocant, vitam turbant, omnes inquietant, irrepẽtes etiam corporib. occultè, vt ſpiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent,

A vt ad cultum ſui cogant: vt nidore altarium, vel hoſtijs pe-
cudum ſaginati, remiſſius, quæ conſtrinxerant, curaſſe vi-
deantur. Hi ſunt & furentes, quos in publicũ videtis excur-
rere: vates & ipſi abſq; templo ſic inſaniunt, ſic bacchan-
tur, ſic rotantur. par & in illis inſtigatio dæmonis, ſed ar-
gumentũ diſpar furoris. De ipſis etiam illa, quæ paulo an-
te tibi dicta ſunt, vt Iupiter ludos repeteret ex ſomnio, vt
cum equis Caſtores viderentur, vt cingulũ matronæ naui-
cula ſequeretur, hæc omnia ſciunt plerique veſtrum ipſos
dæmonas de ſemetipſis confiteri quoties à nobis & meti-
tis verborum, & orationis incendijs de corporib. exigun-
tur. Ipſe Saturnus, & Serapis, & Iupiter, & quicquid dæ-
monum colitis, victi dolore, quod ſunt, eloquuntur: nec
vtiq; in turpitudinem ſui, nonnullis præſertim veſtrũ aſſi-
ſtentibus, mentiuntur. Ipſis teſtib. eſſe eos dæmonas de ſe
verũ confitentib. credite. adiurati enim per Deum verum
& ſolum, inuiti miſeris corporib. inhæreſcunt: & vel exi-
liunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim, prout fides patien-
tis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat. Sic Chriſtianos de
B proximo fugitant, quos longè in cœtibus per vos laceſſe-
bant. Ideo inſerti mentib. imperitorum, odiũ noſtri ſerũt
occultè per timorẽ. Naturale eſt enim & odiſſe quem ti-
mes, & quem metueris, infeſtare, ſi poſſis. Sic occupant a-
nimos, & obſtruunt pectora, vt ante nos incipiant homi-
nes odiſſe, quã noſſe: ne cognitos aut imitari poſſint, aut
damnare non poſſint. Quantum autem vitium ſit, inco-
gnitis & inexploratis iudicare, quod facitis, nobis ipſis
pœnitentib. credite: & nos enim idem fuimus, & eadẽ vo-
biſcum quondã adhuc cæci & hebetes ſentiebamus: quaſi
Chriſtiani monſtra colerent, infantes vorarent, conuiuia
inceſta miſcerent: nec intelligebamus ab his fabulas iſtas
ſemper ventilari, & nunquã vel inueſtigari, vel probari,
nec tanto tempore aliquem exiſtere, qui proderet, non tã-
tum facti veniam, verum etiã indicij gratiam conſecuturũ.
Malum autem adeo non eſſe, vt Chriſtianus reus nec eru-
beſceret, nec timeret, & vnum ſolummodo quòd non an-
C tè fuerit, pœniteret. Nos tamen cum ſacrilegos aliquos, &
inceſtos, parricidas etiam, defendendos & tuendos ſuſci-
piebamus, hos nec audiendos in totum putabamus: non-
nunquam etiam miſerantes eorũ crudelius ſæuiebamus,
vt vrgeremus confitentes ad negandum, videlicet ne peri-
rent, exercentes in his peruerſam quæſtionem, nõ quæ ve-
rum erueret, ſed quæ mendacium cogeret. Et ſi quis infir-
mior malo preſſus & victus Chriſtianum ſe negaſſet, faue-
bamus ei, quaſi peierato nomine iam omnia facta ſua illa
negatione purgaret. Agnoſcitisne eadem nos ſenſiſſe &
egiſſe, quæ ſentitis & geritis? cũ ſi ratio, non inſtigatio dæ-
monis iudicaret, urguendi magis, non vt diffiterentur ſe
Chriſtianos, ſed vt de inceſtis ſtupris, de impiatis ſacris, de
infantibus immolatis faterentur. His enim & huiuſmodi
fabulis ijdem dæmones ad execrationis horrorem impe-
ritorum aures aduerſus nos referſerunt, nec tamen mirũ,
cum omnium fama, quæ ſemper in ſparſis mẽdacijs alitur,
oſtenſa veritate conſumitur. Sic eſt negocium dæmonum:
D ab ipſis enim rumor falſus & ſeritur, & fouetur. Inde eſt
quòd audire te dicis caput aſini rem nobis eſſe diuinam.
Quis tam ſtultus vt hoc colat? quis ſtultior vt hoc coli cre-
dat? niſi quòd vos & totos aſinos in ſtabulis, cum veſtra
Hippona conſecratis: & eoſdem aſinos cum Iſide religio-
sè deuoratis: item boum capita, & capita veruecũ, & im-
molatis, & colitis: de capro etiã & homine mixtos deos, &
leonũ & canum vultu deos dedicatis. Nõne & Apim bo-
uem cum Ægyptijs adoratis & paſcitis? nec eorũ ſacra dã-
natis inſtituta ſerpentibus, crocodilis, beluis cæteris, & a-
uibus, & piſcibus, quorum aliquẽ Deum ſi quis occiderit,
etiã capite punitur. Ijdem Ægyptij cum pleriſq; vobis nõ
magis Iſidem, quã ceparum acrimonias metuunt: nec Se-
rapidem magis quã ſtrepitus per pudẽda corporis expreſ-
ſos extremiſcunt. Etiam ille qui de adoratis ſacerdotis vi-
rilib. aduerſum nos fabulatur, tentat in nos conferre, quæ
ſua ſunt. Iſta enim impudicitiæ eorũ fortiſan ſacra ſint, a-
pud quos ſexus omnis mẽbris omnib. proſtat: apud quos
tota impudicitia vocatur vrbanitas: qui ſcortorum licentiæ
inuident, qui medios viros lambunt: libidinoſo ore ingui-
nibus inhæreſcunt: homines malæ linguæ etiã ſi tacerent:

quos prius tædeſcit impudicitiæ ſuæ, quàm pudeſcit. Proh E
nefas! id in ſe peſſimi facinoris admittunt, quod nec ætas
poteſt pati mollior, nec cogi ſeruitus durior. Hæc & hu-
iuſmodi propudia nobis non licet nec audire: etiam plu-
ribus turpe defendere eſt. Ea enim de caſtis fingitis & pu-
dicis, quæ fieri non crederemus, niſi de vobis probaretis.
Nam quòd religioni noſtræ hominem noxium, & crucem
eius aſcribitis, longè de vicinia veritatis erratis, qui puta-
tis Deum credi, aut meruiſſe noxium, aut potuiſſe terre-
num. Næ ille miſerabilis, cuius in homine mortali ſpes o-
mnis innititur! totum enim eius auxilium cum extincto
homine finitur. Ægyptij ſanè hominem ſibi quem colant
eligunt, illum vnum propitiant, illum de omnibus con-
ſulunt, illi victimas cædunt: & ille qui cæteris Deus, ſibi
certè homo eſt, velit nolit. nec enim conſcientiam ſuam
decipit, ſi fallit alienam. Etiam principibus & regibus, non
vt magnis & electis viris (ſicut fas eſt) ſed vt deis turpiter
adulatio falſa blanditur, cum & præclaro viro honor ve-
rius, & optimo amor dulcius præbeatur. Sic eorũ numen
inuocant, ad imagines ſupplicant, geniũ, id eſt, dæmonem F
eius implorant: & eſt eis tutius per Iouis genium peierare,
quàm regis. Cruces etiam nec colimus, nec optamus. vos
planè qui ligneos deos cõſecratis, cruces ligneas, vt Deo-
rum veſtrorum partes, forſitan adoratis. nam & ſigna ipſa,
& cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quàm inau-
ratæ cruces ſunt, & ornatæ? trophæa veſtra victricia non
tantum ſimplicis crucis faciem, verum & affixi hominis i-
mitantur. Signum ſanè crucis naturaliter viſimus in naui,
cùm velis tumentibus vehitur, cùm expanſis palmulis la-
bitur: & cum erigitur iugum, crucis ſignum eſt. & cum ho-
mo porrectis manibus Deum pura mente veneratur: ita
ſigno crucis aut ratio naturalis innititur, aut veſtra religio
formatur. Illum iam velim conuenire, qui initiari nos di-
cit aut credit de cæde infantis & ſanguine. Putas poſſe fie-
ri, vt tam molle, tam paruulum corpus fata vulnerum ca-
piat: vt quiſquam illum rudem ſanguinem nouelli & vix
dum hominis cædat, fundat, exhauriat? Nemo hoc poteſt G
credere, niſi qui poſſit audere. Vos enim video procrea-
tos filios nunc feris & auibus exponere, nunc adſtrangu-
latos miſero mortis genere elidere. Sunt quæ in ipſis viſce-
ribus medicaminibus epotis originem futuri hominis ex-
tinguant, & parricidium faciant antequam pariant. Et hæc
vtique de deorum veſtrorum diſciplina deſcendunt. nam
Saturnus filios ſuos non expoſuit, ſed vorauit. Merito ei
in nonnullis Africæ partibus à parentibus infantes immo-
labantur, blanditijs & oſculo comprimente vagitum, ne
flebilis hoſtia immoletur. Tauris etiam Ponticis & Ægy-
ptio Buſiridi ritus fuit hoſpites immolare: & Mercurio
Gallos humanas vel inhumanas victimas cædere. Roma-
ni Græcum & Græcam, Gallum & Gallam, ſacrifici viuen-
tes obruere: hodieq; ab ipſis Latiaris Iupiter homicidio
colitur. & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxij ho-
minis ſanguine ſaginatur. Ipſum credo docuiſſe ſanguinis
fœdere coniurare Catilinam: & Bellonam ſacrum ſuum
hauſtu humani cruoris imbuere: & comitialem morbum H
hominis ſanguine, id eſt, morbo grauiore, ſanare. Non diſ-
ſimiles & qui de arena feras deuorant illitas & infectas
cruore, vel membris hominis & viſcere ſaginatas. Nobis
homicidium nec videre fas, nec audire: tantumq; ab hu-
mano ſanguine cauemus, vt nec edulium pecorum in cibis
ſanguinẽ nouerimus. Et de inceſto conuiuio fabulam gran-
dem aduerſum nos dæmonum concio mentita eſt: vt glo-
riam pudicitiæ deformis infamiæ auerſione macularet:
vt ante exploratam veritatem homines à nobis terrore in-
fandæ opinionis auerteret. ſic de iſto & tuus, Fronto, non
vt affirmator teſtimonium fecit, ſed conuicium vt orator a-
ſperſit. Hæc.n. potius de veſtris gentibus nata ſunt. Ius eſt
apud Perſas miſceri cum matribus: Ægyptijs & Athenis,
cum ſororibus legitima connubia. Memoriæ & tragœdiæ
veſtræ inceſtis gloriantur, quas vos libenter & legitis &
auditis: & ſic Deos colitis inceſtos, cum matre, cum filia,
cũ ſorore coniunctos. merito igitur inceſtum penes vos ſæ-
pè deprehenditur, ſemper admittitur: etiã neſcientes miſeri
poteſtis in illicita proruere, dum venerẽ promiſcuè ſpargi-
tis, dum paſſim liberos ſeritis, dum etiã domi natos alienæ

miſe-

A miſericordiæ frequenter exponitis: neceſſe eſt in veſtros recurrere, in filios inerrare. Sic inceſti fabulam nectitis etiam cùm conſcientiam non habetis. At nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus. vnius matrimonij vinculo libenter inhæremus, cupiditate procreandi aut vnā ſcimus, aut nullam. conuiuia non tantum pudica colimus, ſed & ſobria. nec enim indulgemus epulis, aut conuiuium mero ducimus, ſed grauitate hilaritatem temperamus, caſto ſermone, corpore caſtiore. plerique inuiolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius quàm gloriantur. Tantū deniq; abeſt inceſti cupido, vt nonnullis rubori ſit etiam pudica coniunctio. Nec de vltima ſtatim plebe conſiſtimus, ſi honores veſtros & purpuras recuſamus: nec faſtidioſi ſumus, ſi omnes vnū bonum ſapimus, eadem cōgregati quiete qua ſinguli: nec in angulis garruli, ſi audire nos publicè aut erubeſcitis, aut timetis. Et quòd indies noſtri numerus augetur, non eſt crimen erroris, ſed teſtimonium laudis. nam in pulchro genere viuendi & perſtat & perſe-
B uerat ſuus, & accreſcit alienus. Sic nos deniq; non notaculo corporis, vt putatis, ſed innocētiæ ac modeſtiæ ſigno facilè dignoſcimus. Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniā odiſſe non nouimus: ſic nos, quod inuidetis, Fratres vocamus, vt vnius Dei parentis homines, vt cōſortes fidei, vt ſpei cohæredes. Vos enim nec inuicē agnoſcitis, & in mutua odia ſæuitis: nec fratres vos, niſi ſanè ad parricidium recognoſcitis. Putatis autem nos occultare quod colimus, ſi delubra & aras nō habemus? quod enim ſimulachrum Deo fingam, cum ſi rectè exiſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulachrum? templū quod ei extruam, cū totus hic mundus eius opere fabricatus cum capere nō poſſit? cū homo latius maneam, intra vnā ædiculam vim tantæ maieſtatis includam? nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente? in noſtro imo conſecrādus eſt pectore? hoſtias & victimas Domino offeram, quas in vſum mei protulit? vt reijciā ei ſuum munus, ingratum eſt, cū ſit litabilis hoſtia, bonus animus, & pura mens, & ſincera ſententia.
C Igitur qui innocentiam colit, Domino ſupplicat: qui iuſtitiā, Deo libat: qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum: qui hominem periculo ſurripit, optimam victimam cædit. Hæc noſtra ſacrificia, hæc Dei ſacra ſunt: ſic apud nos religioſior eſt ille qui iuſtior. At enim quem colimus Deū nec oſtendimus, nec videmus: imò ex hoc Deū credimus, quòd eum ſentire poſſumus, videre non poſſumus. In operibus enim eius, & in mūdi omnib. motibus virtutem eius ſemper præſentem aſpicimus: cùm tonat, fulgurat, fulminat, cùm ſerenat. Nec mireris, ſi Deum non vides: vento & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, & ſub oculis tamen non venit ventus, & flatus. ſolem adeo, qui videndi omnib. cauſa eſt videre nō poſſumus: radijs acies ſubmouetur: obtutus intuentis hebetatur: & ſi diutius inſpicias, omnis viſus extinguitur. Quid, ipſum ſolis artificem, illum luminis fontem poſſis ſuſtinere? cùm te ab eius fulgorib. auertas, à fulminibus abſcondas? Deum oculis carnalibus vis videre, cùm ipſam animam tuam, qua viui-
D ficaris, & loqueris, nec aſpicere poſſis, nec tenere. Sed enim Deus actum hominis ignorat: & in cœlo conſtitutus non poteſt aut omnes obire, aut ſingulos noſſe. Erras, ô homo, & falleris. vnde enim Deus longè eſt, cùm omnia cœleſtia terrenaque, & quæ extra iſtam orbis prouinciam ſunt, Deo cognita, plena ſint? vbiq; nō tantum nobis proximus, ſed infuſus eſt. In ſolem adeo rurſus intende: cœlo affixus, ſed terris omnibus ſparſus eſt: pariter præſens vbique intereſt, & miſcetur omnibus, nuſquam enim claritudo violatur: quanto magis Deus auctor omnium, ac ſpeculator omnium, à quo nullum poteſt eſſe ſecretum: tenebris intereſt: intereſt cogitationib. noſtris, quaſi alteris tenebris. Non tantū ſub illo agimus, ſed cum illo (vt propè dixerim) viuimus. Nec nobis de noſtra frequentia blādimur: multi nobis videmur, ſed Deo admodum pauci ſumus. Nos gentes nationeſq; diſtinguimus: Deo vna domus eſt mundus hic totus. Reges tantum regni ſui per officia miniſtrorum vniuerſa nouere: Deo indicijs opus non eſt: non ſolum in oculis eius, ſed & in ſinu viuimus. Sed Iudæis nihil profuit, quod vnum & ipſi Deum aris atque templis maxima ſuperſtitione coluerunt. Ignorantia

laberis, ſi priorum aut oblitus, aut inſcius, poſteriorum recordaris. Nam & ipſi Deum noſtrum (idem enim omniū E
Deus eſt) quamdiu caſtè, innoxiè religioſeque coluerunt, quamdiu præceptis ſalubribus obtemperauerunt, de paucis innumeri facti, de egentibus diuites, de ſeruientibus reges, modici multos, inermi armatos, dum fugiunt inſequentes, Dei iuſſu, & elementis adnitentibus obruerunt. Scripta eorum relege, vel ſi Romanis magis gaudes, vt tranſeamus veteres, Flauij Ioſephi, vel Antonij Iuliani, de Iudæis require: iam ſcies nequitia ſua hanc eos meruiſſe fortunam: nec quicquam accidiſſe, quod non ſit his, ſi in contumacia perſeuerarent, ante prædictum. Ita prius eos deſeruiſſe comprehendes, quàm eſſe deſertos: nec, vt impiè loqueris, cum Deo ſuo eſſe captos, ſed à Deo, vt diſciplinæ transfugas, deditos. Cæterum de incendio mundi, aut improuiſum ignem cadere aut difficilem non credere, vulgaris erroris eſt. Quis enim ſapientium dubitat, quis ignorat, omnia quæ orta ſunt, occidere, quæ facta ſunt, interire? Cœlū quoq; cum omnibus quæ cœlo continentur,
ita vt cœpiſſet, deſinere? Fontium dulci aqua mariſve nutriri, in vim ignis abituram, Stoicis conſtans opinio eſt, F
quod conſumpto humore mundus hic omnis ignescat: & Epicureis de elementorū conflagratione, & mundi ruina eadem ipſa ſententia eſt. Loquitur Plato partes orbis nūc inundare: dicit nunc alternis vicib. ardeſcere: & cū ipſum mundum perpetuum & inſolubilem diceret eſſe fabricatum: addit tamen, ipſi artifici Deo ſoli & ſolubilem & eſſe mortalem. Ita nihil mirum eſt, ſi iſta moles ab eo, quo extructa eſt, deſtruatur. Animaduertis philoſophos eadem diſputare quæ dicimus, non quòd nos ſimus eorū veſtigia ſubſecuti, ſed quòd illi de diuinis prædictionib. prophetarum, vmbrā interpolatæ veritatis imitati ſint. Sic etiam cōditionem renaſcēdi, ſapientium clariores, Pythagoras primus, & præcipuus Plato, corrupta & dimidiata fide tradiderunt: nam corporibus diſſolutis ſolas animas volunt & perpetuo manere, & in alia noua corpora ſæpius cōmeare. Addunt iſtis & illa ad detorquendam veritatem, in pe-
cudes, aues, beluas, hominum animas redire. non philoſophi ſanè ſtudio, ſed mimi officio digna iſta ſentētia eſt. Sed G
ad propoſitum ſatis eſt, etiam in hoc ſapientes veſtros, in aliquem modū nobiſcum conſonare. Cæterum quis tam ſtultus aut brutus eſt, vt audeat repugnare, hominē à Deo vt primum potuiſſe fingi, ita poſſe denuo reformari? Nihil eſſe poſt obitum, & ante ortum nihil fuiſſe. ſicut de nihilo naſci licuit, ita de nihilo licere reparari? Porrò difficilius eſt id quòd non ſit, incipere, quàm id quòd fuerit, iterare. Tu perire & Deo credis, ſi quid oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur? Corpus omne ſiue areſcit in puluerem, ſiue in humorem ſoluitur, vel in cinerem cōprimitur, vel in nidorem tenuatur, ſubducitur nobis: ſed Deo elementorum cuſtodia reſeruatur. Nec (vt creditis) vllū damnum ſepulturæ timemus, ſed veterem & meliorem conſuetudinem humādi frequentamus. Vide adeo quā in ſolatium noſtri reſurrectionem futuram omnis natura meditetur: ſol de-
mergit & naſcitur: aſtra labuntur & redeunt: flores occidunt & reuiuiſcunt: poſt ſeniū arbuſta frondeſcunt: ſemina non niſi corrupta reuireſcunt: ita corpus in ſeculo, vt arbores in hiberno, occultant viorem ariditate mentita. Quid feſtinas, vt cruda adhuc hyeme reuiuiſcat & redeat? expectandū nobis etiam corporis ver eſt. Nec ignoro plerosq; conſcientia meritorum nihil ſe eſſe poſt mortē magis optare, quā credere: malunt.n. extingui penitus, quàm ad ſupplicia reparari. Quorum error augetur, & in ſeculo libertate remiſſa, & Dei patientia maxima: cuius quanto iudiciū tardum, tanto magis iuſtum eſt. Et tamen admonentur hominum doctiſſ. notū libris, & carminib. poetarum, illius ignei fluminis, & de Stygia palude ſæpius ambientis ardoris, quæ cruciatib. æternis præparata, & dæmonū indicijs, & de oraculis prophetarum cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipſe rex Iupiter per torrentes, ripas, & atrā voraginem iurat religioſè: deſtinatam enim ſibi cum ſuis cultorib. pœnam præſcius perhorreſcit: nec tormentis aut modus vllus, aut terminus. Illic ſapiēs ignis mēbra vrit, & reficit, carpit, & nutrit, ſicut ignes fulminū corpora tangunt, nec abſumūt: ſicut ignes Aetnæ mōtis, &

Veſuuij

A Veſuuij montis, & ardentium vbique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur. eos autem meritò torqueri, qui Deum neſciunt, vt impios, vt iniuſtos, niſi profanus, nemo deliberat, cum parentem omnium, & omnium Dominum non minoris ſceleris ſit ignorare, quàm lædere. Et tanquam imperitia Dei ſufficiat ad pœnam, ita vt notitia proſit ad veniam: tamen ſi vobiſcum Chriſtiani comparemur, quamuis in nonnullis diſciplina noſtra minor eſt, multò tamen vobis meliores deprehendemus. Vos enim adulteria prohibetis, & facitis: nos vxoribus noſtris ſolummodo viri naſcimur: vos ſcelera admiſſa punitis: apud nos & cogitare, peccare eſt: vos conſcios timetis: nos etiam conſcientiam ſolam, ſine qua eſſe non poſſumus. Denique de veſtro numero carcer exæſtuat: Chriſtianus ibi nullus, niſi aut reus ſuæ religionis, aut profugus. Nec de fato quiſquam aut ſolatium captet, aut excuſet euentum. ſit ſortis fortunæ, mens tamē libera eſt: & ideo actus hominis, non dignitas iudicatur. B Quid enim aliud eſt fatum, quàm quod de vnoquoq; noſtrum Deus fatus eſt? qui cū poſſit præſcire materiam, pro meritis & qualitatibus ſingulorum etiam fata determinat. Ita in nobis non genitura plectitur, ſed ingenij natura punitur. ac de fato ſatis, vel ſi pauca pro tempore, diſputaturi alias & verius & plenius. Cæterum quòd plerique pauperes dicimur, nō eſt infamia noſtra, ſed gloria. animus enim vt luxu ſoluitur, ita frugalitate firmatur, & tamen quis poteſt pauper eſſe, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo diues eſt? magis pauper ille eſt qui cū multa habeat, plura deſiderat. Dicam tandem quemadmodum ſentio: nemo tam pauper poteſt eſſe, quā natus eſt. Aues ſine patrimonio viuunt, & in diem paſcua paſcuntur: & hæc nobis tamen nata ſunt: quæ omnia ſi non cōcupiſcimus, poſſidemus. Igitur vt qui viam terit, eo felicior quo leuior incedit: ita beatior in hoc itinere viuendi qui paupertate ſe ſubleuat, non ſub diuitiarum onere ſuſpirat: & tamen C facultates, ſi vtiles putaremus, à Deo poſceremus: vtique indulgere poſſet aliquantum, cuius eſt totum: ſed nos contemnere malumus opes, quā continere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus: malumus nos bonos eſſe, quàm prodigos: & quod corporis humana vitia ſentimus & patimur, non eſt pœna: militia eſt. fortitudo enim infirmitatibus roboratur, & calamitas ſæpius diſciplina virtutis eſt. vires deniq; & mentis & corporis ſine laboris exercitatione torpeſcunt: omnes adeo veſtri viri fortes, quos in exemplū prædicatis, ærūnis ſuis inclyti floruerunt. Itaque & nobis Deus nec non poteſt ſubuenire, nec deſpicit: cū ſit & omniū rector & amator ſuorum: ſed in aduerſis vnumquemq; explorat & examinat: ingenium ſingulorū periculis penſitat: vſq; ad extremam mortē, voluntatem hominis ſciſcitatur, nihil ſibi poſſe perire ſecurus. Itaq; vt aurum in ignibus, ſic nos diſcriminib. arguimur. Quā pulchrum ſpectaculum Deo, cū Chriſtianus cū dolore cōgreditur, cùm aduerſum minas & ſupplicia & tor- D menta cōponitur? cùm ſtrepitum mortis & horrorē carnificis irridens inculcat? cū libertatem ſuā aduerſus reges & principes erigit? ſoli Deo, cuius eſt, cedit? cùm triūphator & victor, ipſi qui aduerſum ſe ſententiam dixit, inſultat? Vicit enim, qui quod contendit, obtinuit. Quis non miles ſub oculis imperatoris audacius periculum prouocet? nemo enim præmium percipit antè experimētum: & imperator tamen quod nō habet, non dat: nō poteſt propagare vitā: poteſt honeſtare militiam. At enim Dei miles nec in dolore deſeritur, nec morte finitur. Sic Chriſtianus miſer videri poteſt: non poteſt inueniri. Vos ipſi calamitoſos viros fertis ad cœlum, Mucium Scæuolam, qui cum erraſſet in regem, periſſet in hoſtibus, niſi dexteram perdidiſſet. Et quot ex noſtris non dexteram ſolum, ſed totum corpus vri, cremari ſine vllis eiulatibus pertulerūt, cùm dimitti præſertim haberent in ſua poteſtate? Viros cum Mucio vel cū Atilio Regulo comparo? Pueri & mulierculæ noſtræ cruces & tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum terriculas inſpirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, ò miſeri, neminem eſſe qui aut ſine ratione velit pœnam ſubire, aut tormenta ſine Deo poſſit ſuſtinere. Niſi fortè vos decipit, quod Deum neſcientes diuitijs affluant, E honorib. floreant, polleant poteſtatibus. Miſeri in hoc altius tolluntur, vt decidant altius. Hi enim vt victimæ ad ſuppliciū ſaginantur: vt hoſtiæ ad pœnā coronātur. In hoc adeo quidā imperijs ac dominationib. eriguntur, vt ingenium eorū perditæ mentis, licentiæ poteſtatis liberè nundinentur. Abſque. n. notitia Dei, quę poteſt eſſe ſolida fœlicitas, cum ſit ſomnio ſimilis? Antequā tenetur, elabitur. Rex es: tam times, quā timeris: & quamlibet ſis multo comitatu ſtipatus, ad periculum tamen ſolus es. Diues es: ſed fortunæ malè creditur, & magno viatico breue vitæ iter non inſtruitur, ſed oneratur. Faſcibus & purpuris gloriaris: vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente ſordeſcere. Nobilitate generoſus es: parentes tuos laudas: omnes tamen pari ſorte naſcimur: ſola virtute diſtinguimur. Nos igitur qui moribus & pudore cenſemus, merito malis voluptatibus & pompis veſtris & ſpectaculis abſtinemus: quorum & de ſacris originem nouimus, & noxia blādimenta damnamus. Nam in ludis curulib. quis non horreat populi in ſe rixantis inſaniam? F in gladiatorijs homicidij diſciplinam: in ſcenicis etiā non minor furor: turpitudo prolixior. Nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monſtrat. Nunc eneruis hiſtrio amorem dū fingit, infligit. Idē Deos veſtros induendo, ſtupra, ſuſpiria, odia, decorat. Idem ſimulatis doloribus lacrymas veſtras vanis geſtib. & nutibus prouocat. Sic homicidium in vero flagitatis: in mendacio fletis. Quòd verò ſacrificiorum reliquias, & pocula delibata cōtemnimus, nō confeſſio timoris eſt, ſed veræ libertatis aſſertio. Nam etſi omne quod naſcitur, vt inuiolabile Dei munus nullo opere corrumpitur: abſtinemus tamen, ne quis exiſtimet aut dæmonijs quibus libatum eſt, cedere, aut noſtræ religionis pudere. Quis autem ille, qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cùm capiamus & roſam veris & lilium, & quicquid aliud in floribus blandi coloris & odoris eſt? his enim & ſparſis vtimur mollibus ac ſolutis, & ſertis colla complectimur. Sanè quòd caput nō coronamus, igno- G ſcite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capilliſve ſolemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut ſentienti facem, aut non ſentienti coronam, cùm & beatus non egeat, & miſer non gaudeat floribus. At enim nos exequias adornamus. Eadem tranquillitate qua viuimus, nec adnectimus areſcentem coronam, ſed à Deo æternis floribus viuidam ſuſtinemus: qui & modeſti Dei noſtri liberalitate, ſecuri ſpe futuræ fœlicitatis, fide præſentis eius maieſtatis animamur. Sic & beati reſurgimus, & futuri contemplatione iam viuimus. Proinde Socrates ſcurra Atticus viderit, nihil ſe ſcire confeſſus, teſtimonio licet fallaciſſimi dæmonis glorioſus: Arceſilas quoque & Carneades, & Pyrrho & omnis Academicorum multitudo deliberet: Simonides etiam in perpetuum comperendinet: philoſophorum ſupercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros nouimus, & tyrannos, & ſemper aduerſus ſua vitia facundos. Nos non habitu ſapientiam, H ſed mente præferimus: non eloquimur magna, ſed viuimus. Gloriamur nos conſecutos, quod illi ſumma intentione quæſiuerunt, nec inuenire potuerunt. Quid ingrati ſumus? quid nobis inuidemus, ſi veritas diuinitatis noſtri temporis ætate maturuit? Fruamur bono noſtro, & recti ſententiam temperemus: cohibeatur ſuperſtitio, impietas expietur, vera religio reſeruetur.

Cùm Octauius perorâſſet, aliquandiu nos ad ſilentium ſtupefacti, intenti vultus tenebamus: & quod ad me eſt, magnitudine admirationis euanui, quòd ea, quæ facilius eſt ſentire, quā dicere, & argumētis, & exemplis, & lectionum auctoritatib. adornaſſet: & quòd maleuolos iiſdem illis quibus armantur, philoſophorum telis retudiſſet: oſtendiſſet etiam veritatem non tantummodo facilem, ſed & fauorabilē. Dū iſthæc igitur apud me tacitus reuoluo, Cæcilius ſic erupit: Ego Octauio meo plurimum, quantū ad tranquillitatem, qua viuimus: ſed & mihi gratulor, nec expecto ſententiam. vicimus, & ita, vt improbus, vſurpo victoriam: nam vt ille mei victor eſt, ita ego triumphator erroris. Itaque quod pertineat ad ſummam quæſtionis, &

de pro-

A de prouidentia fateor, & Deo cedo, & de ſectæ iam noſtræ ſinceritate conſentio. Etiam nunc tamen aliqua conſubſidunt non obſtrepentia veritati, ſed perfectæ inſtitutioni neceſſaria: de quibus craſtino (quòd iam ſol occaſui decliuis eſt) vt de toto congruentius, promptius requiremus.

At ego (inquam) prolixius omnium noſtrum vice gaudeo, quòd etiam Octauius mihi vicerit, cum maxima iudicandi mihi inuidia detracta ſit. Ne tamen poſſum meritum eius verborum laudibus repenſare: teſtimonium & hominis & vnius infirmum eſt. Habet Dei munus eximium, à quo & inſpiratus orauit, & obtinuit adiutus. Poſt hæc læti, hilaresque diſceſſimus: Cæcilius quòd crediderit, Octauius gaudere quòd vicerit: & ego, quòd hic crediderit, & hic vicerit.

De Diuo

B

HIPPOLYTO, EPISCOPO ET MARTYRE, EX D. HIERONYMI ſcriptorum Eccleſiaſticorum Catalogo.

HIPPOLYTUS cuiuſdam Eccleſiæ Epiſcopus (nomen quippe vrbis ſcire non potui) † rationem Paſchæ temporumque Canones ſcripſit vſque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & ſedecim annorum circulum quem Græci ἑκκαιδεκαετηρίδα vocant, reperit: & Euſebio, qui ſuper eodem Paſcha Canonem decem & nouem annorum, id eſt ἐννεακαιδεκαετηρίδα, compoſuit, occaſionem dedit. Scripſit nonnullos in ſcripturas commentarios, è quibus hos reperi, in ἑξαήμερον, & in Exodum, & in Canticum Canticorum, in Geneſim,

C *& in Zachariam, de Pſalmis, & in Eſaiam, de Daniele, de Apocalypſi, de Prouerbijs, de Eccleſiaſte, de Saul, de Phytoniſſa, de Antichriſto, de Reſurrectione contra Marcionem, de Paſcha aduerſum omnes Hæreſes, & προσομιλίαν de laude Domini Saluatoris, in qua præſente Origene ſe loqui in Eccleſia ſignificat. In huius æmulationem, Ambroſius quem de Marcionis hæreſi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus eſt Origenem in Scripturas Commentarios ſcribere, præbens ei ſeptem & eo amplius notarios eorumque expenſas, & librariorum parem numerum: quodque his maius eſt, incredibili ſtudio quotidie ab eo opus exigens, vnde & in quadam Epiſtola, ἐργοδιώκτην eum Origenes vocat.*

Non eſt illud opus S. Gelaſij primi Romani Pōt. verò. 4. initio illius libri annotamus.

SCIRE NON POTUI. †) Gelaſius PP. I. in libro contra Eutychen, Arabum Metropolis Epiſcopum eum nominat; Germanus Conſtantinop. Hippolytum de Roma;

D Zonaras, Annalium tom. 2. Martyrem & Epiſcopum Romani Portus, quem Centuriatiſtæ, oſcitanter, eſſe Hoſtiam ſcripſerunt. Et quidem Portuenſem Epiſcopum fuiſſe qui Cyclum Paſchalem deſcripſit, indicat ſtatua illius marmorea, cuius meminit Marianus Victorinus Scholio I. In illius vitam in D. Hieronymi Script. Eccleſiaſticorum Catalogo: Alioqui citat Germanus Conſtātinopolitanus in rerum Eccleſiaſticarum Contemplatione (quem librū habes, huius Bibliot. tom. 5.) ex huius libro de Antichriſto, illum Anno mundi 6500. venturum, quod tamen nō habetur in hac S. Hippolyti Orat. Cum enim de Aduentus illius tempore loquitur, conſtanter ait futurum poſtremis temporibus, de hora autem vel die, nihil præterea. His ſi addas non ita eſſe veriſimile Italum Epiſcopum vel Græcè ſcripſiſſe vel fuiſſe tanta neceſſitudine cū Origene coniūctū: per me liceat duo ſint Hippolyti; Latinus, vnus ille prior Portuēſis, Græcus verò alter hu° Orationis Author.

De S. Hippolyto agunt etiam Euſebius lib. 6. hiſt. cap. 16. Nicephorus lib. 5. cap. 15. S. Hieronymus epiſt. 86. ad Magnum, & Proœmio in Matthæum. Photius in Bibliotheca, & alij. Martyr occubuit, ſub Alexandro Mammeæ inſcriptuſque extat Romano Martyrologio 22. Auguſti. Plura de eodem ex probatis Auctoribus collecta exhibēt notæ ad Romani Martyrolog. & Annales Eccleſiaſtici, tom. 2. anno Chriſti 224. cap. 10. & anno 228. cap. 3. & ſeq. Item & apparatus ſacer Poſſeuini.

Fallitur Margarinus Nam S. Hippolytus Portuenſis Epiſcopus Græcus fuit, & Græcè ſcripſit, vt apparet etiam ex Cyclo Paſchali Græcis literis ſcripto, & ſedi eiuſdem S. Hippolyti marmoreæ, quæ nunc in Vaticano ſeruatur inſculpto. Conſule notas ad Romanū Martyrologium, 22 Auguſti.

E

EX IOANNIS PICI, PARISIENSIS SENATUS PRÆSIDIS, ET ORATIONIS HUIUS INTERPRETIS Præfatione, ad Illuſtriſſ. Principem Cardinalem Carolum à Lotharingia.

HAC in Oratione nemo ſperet diem vel horam illius ſecundi Aduentus ſiue Iudicij deſignatam iri, quam nemo (dempto ſolo Patre, vt Chriſtus inquit in Euangelio) exploratam habet, verum quæ ſtrictim & conciſè de indicijs diem illum anteceſſuris, a Domino dicta ſunt, ea ipſa verboſius & more prope declamatorio lepidius

F *explicari, allatis Prophetarum atque Apoſtolorum confirmantibus propoſitum teſtimonijs. Quicumque tamen accedet ad lectionem huius Orationis, duo potiſſimum attendet & ſummopere cauebit, in quibus peculiarem & alienam ab Eccleſiaſtica doctrina tuetur Hippolytus opinionem. Prius, dum cenſet Ioannem Euangeliſtam quaſi minime mortuum, cum duobus Prophetis Enoch & Elia venturum ad prædicandum verbum Dei paulò antequam reueletur Antichriſtus: cum tamen & beatum Ioannem obiiſſe mortem aſſerat Eccleſia, & ille ipſe Ioannes, Apocalypſeos vndecimo capite, duorum duntaxat Prophetarum Antichriſto præeuntium faciat mentionem. Alterum eſt in eo quod exiſtimat Antichriſtum non futurum verum hominem, ſed Dæmonem qui corpus tantum phantaſticum ſuſcentet, contra Diui Pauli ſententiam vocantis illum, hominem peccati filiumque perditionis. Quæ ne fallant imprudentem Lectorem, ſunt ad marginem annotata.*

G

EX BELLARMINO, DE SCRIPTORIBUS Eccleſiaſticis.

S. Hippolytus Epiſcopus Portuenſis, & martyr, Clementis Alexandrini diſcipulus, ſub Alexandro Seuero martyrium conſummauit.

Multa ſcripſit, quæ enumerantur ab Euſebio lib. 6. hiſt. cap. 16. & à S. Hieronymo in lib. de ſcriptorib. Eccleſiaſticis. Nunc ſolum extant, *Oratio de Conſummatione Mundi, de Antichriſto, & ſecundo aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti.* item *excerpta quædam ex libris S. Hippolyti de Theologia & Incarnatione.*

H

BEATISSIMI HIPPOLYTI, EPISCOPI ET MARTYRIS Oratio de Conſummatione Mundi, ac de Antichriſto, & ſecundo Aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti.

QUONIAM beati Prophetæ, oculi noſtri fuerunt, rerum arcanarum declarationem nobis indicantes, tum vita, tum manifeſtatione, atque Spiritus ſancti Aduentu, & verba de ijs quæ nondum acciderunt facientes; vnde etiam omnium ſæculorum poſteritati maximam delineatiūt contemplandi agendique occaſionem. Quam etiam ob cauſam, Dei per carnem Aduentu in Mundum promulgato, qui ex impolluta ac Deipara Maria ortum ſumpſit atque incrementum: eius cum hominibus conſuetudinem ac vitam, eiuſque per baptiſma declarationem, futuram omnibus hominibus regenerationem per lauacrum regenerationis, eius miracula copioſa, beatam illam in Cruce Paſſionem, ludibria Iudæorum quæ in ea pertulit, ſepulturam eius, deſcenſum ad Inferos, aſcenſum redemptionemque animarum quæ fuerunt à ſæculis, mortis extinctionem, viuificam eius à mortuis Reſurrectioné, vniuerſi Mundi refor-

Maria Deipara.

Chriſti deſcenſus ad inferos.

A

mationem, in Cœlum Aſſumptionem & Aſcenſionem, ſancti Spiritus ſuſceptionem qua ornauit Apoſtolos: Aduentum deniq; ſecundum qui manifeſtabit omnia, cùm Videntes appellentur, neceſſario præmonſtrârunt ac prædixerunt. Vnde diem etiam Conſummationis nobis ſignificârunt, extremis temporibus Apoſtatam emerſurum qui homines ſeduceret; initium ac finem regni eius, Iudicis quoq; Aduentum, Iuſtorum vitam, ac delinquẽtium ſupplicia præſignârunt: vti omnes ſingulis diebus ac horis hęc animo verſantes velut Eccleſiæ filij, cognoſcamus, ne vnum quidem iota aut vnum apicem ex his præteritum iri; quemadmodum ſermo Saluatoris indicauit. Omnes igitur neceſſariò aperite oculos cordium veſtrorum, ac auribus animæ veſtræ quæ dicturi ſumus excipite. Explicabo enim vobis hodierno die, omnis horroris terroriſque plenam narrationem: nẽpe de conſummatione; id eſt, totius

B

Mundi ſeductione quam patietur ab hoſte & diabolo, quam ſequetur ſecundus Aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vnde ergo (Chriſti amãtes) ſumam initium? quid exordiar, quidve commemorabo? Quem, eorum quæ dico, teſtem exhibebo? Verum vnde ſermonẽ ſumus auſpicati, eos in medium proferamus teſtes fide dignos, qui dicta comprobent: deinde Apoſtolorum quoq; doctrinam vel Prophetiam potiùs, vt per vniuerſum Orbẽ terrarum quaſi tuba canent conſummationis diem. Cum igitur hi quoq; præſignauerint quæ nondum euenerint; ac fallacias peruerſaque conſilia improborum hominum qui extiterint, aperuerint; agedum, Eſaiam Prophetam tanquam primum teſtem in medium producamus; qui docet nos quæ futura ſunt circa tempora conſummationis. Quid igitur ait? *Terra veſtra deſerta, Ciuitates veſtræ igne exuſtæ, Regionem veſtram in conſpectu veſtro deuorant alieni. Derelinquetur filia Sion ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, tanquam Ciuitas quæ vaſtatur.* Vides, dilecte, lumẽ Prophetæ immiſſum; quo tempus illud, quod ante ſæculis vaticinatus eſt? Nec enim de Iudæis, nec de ciuitate Sion verbum hoc prædixit, ſed de Eccleſia: Nã omnes Prophetæ

C

declararunt Sion eſſe ſponſam è Gentibus adductã. Quocirca ad ſecundum Teſtem orationem applicemus. Quiſnam eſt ille? Audi etiam Oſeam grandiloqua fundentem: *In diebus illis inducet Dominus è deſerto ventum vrednis contra illos, deſiccabit venas eorum, & deſertos faciet fontes eorum, & vniuerſa vaſa deſiderabilia delebuntur: Quia reſtiterunt contra Deum, in gladio cadent, & quæ ex eis prægnantes fuerint diſrumpẽtur.* Ecquis alius ventus vredinis à deſerto, quã Antichriſtus, qui temporib. ſuis deleturus eſt & deſiccaturus venas aquarũ & fructus arborũ, propterea quòd homines amplexi ſunt opera eius? Itaq; delebit eos, ipſique ſeruient in impuritate ipſius. Attende concordiam Prophetæ cum Propheta; cognoſce alium quoq; ſimilia proloquentem; exdẽ enim Amos Propheta conſentiens prædixit: *Hæc dicit Dominus, quia pugno percutitis pauperem & dona electa cepiſtis ab eo, domos politas ædificaſtis & non habitabitis in eis: Vineas deſiderabiles plantaſtis, nec tamen vinum bibetis earum, quia noui permultas impietates veſtras, & grauia ſunt peccata veſtra, qui defraudatis iuſtos,*

D

accipitis munera, & pauperes in portis opprimitis. Ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt. Diſce, dilecte mi, probitatem hominũm illius memoriæ, vt iuſtum diripiãt, domos & agros & ipſam iuſtitiam auferant à iuſtis, vt ſcias tum finem adeſſe, quando hæc fient: Ita perſpecta tibi eſt Prophetæ ſapientia, ac reuelatio futura temporibus illis. Quin Prophetæ omnes (quemadmodum prædiximus) vt vetera patefecerunt, ſic poſterioribus euentura temporib. clarè vaticinati ſunt. Sed ne recẽſendis omnium Prophetarum verbis orationem conſumamus, vbi vnius mentionem fecerimus, ad propoſitum reuertamur. Quid porrò Michæas quoque prædicit? *Hæc dicit Dominus ſuper Prophetas qui ſeducunt populum meum, qui mordent dentibus ſuis & prædicant ei pacem: & ſi nihil datum fuerit in os eorum, ſanctificant ſuper eum bellum. Propterea nox erit vobis pro viſione, & tenebræ vobis erunt pro diuinatione: Et occidet Sol ſuper Prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies: Et confundentur qui vident ſomnia, & deridebuntur Vates.* Hæc prænarrauimus, vt intelligatis cruciatum & perturbationem extremis futuram tẽporibus, omniumque hominum inter ſe viuendi conſuetudinem,

Oratio de mũdi cõſummatione, terroris plena eſt.

Eſa. 1.

Oſea 13.

Antichriſtus vẽtus vredinis à deſerto.

Amos 5.

Mundi finis, ſigna.

Mich. 3.

E

inuidiam, odium, contentionem; Paſtorum in ouibus negligentiam, populi erga Sacerdotes animum immorigerum: Ita omnes ſuo arbitratu viuent. Filij manus iniicient in parẽntes; vxor virum ſuum tradet in mortem; vir vxorẽ ſuam, vt ream, trahet in iudicium. Domini in ſeruos ſuos erunt inhumani; ſerui in Dominos animum gerẽt inobedientem, ſenis canitiem nemo reuerebitur, iuuenilis formæ nemo miſerebitur, templa diuina domorum inſtar erunt, locis omnibus euerſiones fient Eccleſiarum, Scripturæ contemnentur; hoſtes illius Cantica vbiq; decantabunt. Poſt hæc, ſtupra, adulteria, periuria, incantationes, diuinationes magno impetu ſtudioq; ſequentur. In ſumma, ex iis qui Chriſtiani videntur, tunc exurgent falſi Prophetæ falſiq; Apoſtoli; homines impoſtores, corruptores, malefici, mentientes alius in alium, adulteri, ſtupratores, rapaces, auari, periuri, detractores. Paſtores fient quaſi lupi, Monachi expetent quæ ſunt mundi; diuites animum expertem miſericordiæ induent, pauperi non ſuccurrent

F

Principes; Potentes, miſerationes abiicient; Iudices iuſtũ auferent ex iuſto, muneribuſque excæcati iniuſtitiam probabunt. Quid narro quæ fient ab hominibus, cùm ipſa etiam elementa ordinem ſuum ſint negatura? Terræmotus erunt per omnes Regiones, tonitrua, venti, horrenda fulgura quæ domos & agros, exurent, procellę ventorum quę terram ac mare ſine modo perturbabunt, terræ ſterilitates, ſonitus maris, intolerabilis commotio ob interitum tam animarum quàm hominum: ſigna in Sole, ſigna in Luna, ſiderum de via deflexiones, anguſtiæ gentium, aëris intemperies, grãdinis emiſſiones ſuper faciem terræ, hyemes inordinatæ, glacies ſui diſſimilis, ardores qui ſedari nequeant, repentina fulmina, inſperata incendia: &, vt ſemel dicam, gemitus & planctus vniuerſæ terræ conſolatione carentis. Ex quo enim abundauerit *iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Propterea Dominus Vniuerſi, huius omnium fluctuationem & confuſionem clamat per Euãgelium dicens: *Videte, ne ſeducamini, multi enim venient in no-*

G

mine meo dicentes, quia ego ſum, & tempus appropinquauit, ne ſeducamini igitur poſt me: Cum autem audieritis bella & diſſenſiones, nolite terreri, oportet enim primum hæc fieri, ſed nõ ſtatim finis. Videamus verba Saluatoris, quemadmodum ad nos ſemper confirmandos præceperit. *Videte, ne ſeducamini, Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego ſum:* Nam poſteaquam ipſe aſſumptus eſt ad Patrem, ſurrexerunt quidam dicentes, Ego ſum Chriſtus: vt Simon Magus, & reliqui quorum nomina referre non eſt huius temporis. Quare extremo etiam die conſummationis exurgere denuo debent Pſeudochriſti, viri qui dicant, Ego ſum Chriſtus, & ſeducent complures. Plerique homines curſitabunt ab Oriente ad Occidentẽm vſque; & ab Aquilone vſq; ad mare dicentes, Vbi hic Chriſtus? Vbi illic Chriſtus? ſed vt qui vana ſapientia præditi, nec diligenter legant Scripturas, nec recta ſentiant, nomen quærent quod inuenire non poterunt: oportet enim primum hæc fieri, itaque conſpici filiũ perditionis, hoc eſt, diabolum. Quin & diuiniloqui Apoſtoli qui confirmant Aduentum Domini noſtri Ieſu Chri-

H

ſti, ſigillatim innuerunt iſtorum deteſtandorum ac exitialium hominum demonſtrationem, ac palam prædicarunt nefarias illorum actiones. Princeps Petrus, fidei petra, quem beatum iudicauit Chriſtus Deus noſter, ille doctor Eccleſiæ, ille primus Diſcipulorum, ille qui regni claues habet, docuit nos dicens: *Hoc primum ſcitote filij, quòd venient in extremis diebus illuſores, ſecundum ſuas ipſorum concupiſcentias ambulantes:* Et, *Erunt in vobis falſi doctores, qui introducent ſectas perditionum.* Secundum hunc conſonat Ioannes Theologus dilectus Chriſti, clamatque; *Manifeſti ſunt filij diaboli.* Et, *nunc Antichriſti multi facti ſunt, verùm ne ſeducamini poſt eos. Nolite omni ſpiritui credere, quia multi pſeudoprophetæ exierunt in Mundum.* Deinde etiam Iudas Iacobi frater, his ſimilia dicit: *In nouiſſimis temporibus erunt illuſores, ſecundum ſua deſideria ambulantes in impietatibus, hi ſunt qui ſine metu ſeipſos paſcunt.* Perſpexiſti Theologorum & Apoſtolorum conſenſum, ac doctrinæ illorum concordiam: deinceps Paulum etiã audias, liberè loquentem, quàm apertè hoſce reuelet: *Videte malos operarios, videte cõciſionem. Videte ne quis vos deprædetur per Philoſophiam & inanẽ fallaciam, Videte quomodo caute ambuletis.*

Hominũ quanta futura ſit, in mundi fine improbitas.

Elementorũ perturbatio in mundi conſummatione.

Luc. 21.

Princeps Petrus, fidei petra.

2. Petr. 3.

2. Petr. 2.

1. Ioan. 3. & 2.

1. Ioan. 4.

Iud. 1.

Phil. 3.

Coloſ. 2.

quoniam

A *quoniam dies mali ſunt.* Ecquis igitur habebit excuſationem, qui hæc audiat in Eccleſia à Prophetis, ab Apoſtolis, atq; ab ipſo Domino, nec ſollicitus erit de ruina ſua, ac temporе conſummationis & hora illa qua ſiſti debemus ad tribunal Chriſti? Sed narrationem huius de conſummatione orationis conuertamus ad ea quæ ſequuntur nobis dicenda. In medium verò produco teſtem fide dignum Danielem Prophetam qui ſomnium Nabuchodonoſor diſſoluit, atque ab initio regnorum vſque ad conſummationem, viam indeclinabilem ſequi volentibus, declarationem veritatis demonſtrauit. Quid enim Propheta clarè

Dan. 2. Regi Nabuchodonoſor prænunciauit? *Videbas, ô Rex, & ecce ſtatua ingens ſtabat in conſpectu tuo; cuius caput erat ex auro, brachia eius & humeri argentei, venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ, pedum autem pars erat ferrea, pars teſtacea: Contemplabaris ergo donec abſciſſus eſt lapis ſine manibus, qui percuſſit imaginis pedes ferreos ac teſtaceos, & tandem comminuit, tumque ſimul comminuta ſunt teſta, ferrum, æs, argentum, & aurum, & facta ſunt quaſi puluis à facie turbinis æſtiui: Lapis autem qui percuſſit imaginem, creuit in montem magnum, & repleuit vniuerſam terram.* Coniun-

B gentes ergo his viſiones Danielis, amborum vnam faciemus expoſitionem, demonſtrantes vera fuiſſe à Daniele viſa, & conſentanea iis quæ Nabuchodonoſor quoque

Dan. 7. præuiderat. In hunc enim modum ait Propheta: *Ego Daniel videbam, & ecce quatuor venti Cæli pugnabant in mari magno, & quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari, inter ſe diuerſæ: Prima beſtia quaſi leæna, & eius alæ velut aquilæ, aſpiciebam donec euulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt à terra, & ſuper pedes hominis ſtetit, & cor hominis datum eſt ei. Et ecce beſtia ſecunda ſimilis vrſo, in parte ſtetit, & tres ordines in ore eius in medio dentium eius, & ſic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas. Poſt hoc aſpiciebam, & ecce beſtia tertia velut pardus, & huic erant aui alæ quatuor ſuper ſe, capita quatuor erant beſtiæ: Poſt hoc aſpiciebam, & ecce quarta beſtia terribilis atque mirabilis & fortis ſupra modum, cuius dentes erant ferrei, & vngues ænei, edebat & comminuebat, & reliqua pedibus ſuis conculcabat: & hæc valde diſcrepabat ab omnibus beſtiis præcedentibus eam, & habebat cornua decem: Conſiderabam cor-*

C *nua eius, & ecce, cornu paruum creuit in medio eorum, & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius. Et ecce oculi quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia.* Cùm igitur hæc videantur omnibus intellectu difficilia, quæ myſticè dicta ſunt à Propheta, nullum eorum celabimus eos qui mente ſunt ſana præditi. Cum dicit Daniel primam beſtiam (hoc eſt leænam) aſcendentem è mari, ſignificat regnum Babyloniorum, quod fuit in mundo, aureum caput ſtatuæ illius. Quod autem dicit, alas eius velut aquilæ, ſignificat exaltatum Regem Nabuchodonoſor, contra Deum ſeſe extuliſſe. Poſtmodum inquit alas eius euulſas, quoniam euerſa fuit eius gloria; Pulſus enim fuit è regno ſuo. Illa autem verba, *Cor hominis ei datum eſt, & ſuper pedes hominis ſtetit,* reſipuiſſe eum, vbi ſe hominem eſſe agnouit, dediſſeque gloriam Deo. En demonſtrauit primæ beſtiæ ſimilitudinem. Poſt leænam, alteram beſtiam videt Propheta vrſo ſimilem, qui erant Perſæ. Cùm autem di-

D cit, *Videbam in ore eius tres ordines,* tres gentes deſignat, Perſas, Medos, ac Babylonios, quod declarat in imagine argentum poſt aurum: En ſecundam etiam beſtiam declarauimus. Sequitur tertia, pardus, qui Græci fuerunt: Alexander enim Rex Macedonum poſt Perſas rerum potitus eſt, fuſo Dario, quod ſignificatur per æs, in imagine. Iam quod ait, beſtiam habere quatuor alas auis, & quatuor capita, clariſſimè demonſtrauit quo pacto regnum Alexandri diuiſum fuerit quatuor in partes. Quatuor enim habuit capita, Reges quatuor qui ex eo regno ſurrexerunt: Nam moriens Alexander regnum ſuum diuiſit in quatuor partes. Iam etiam tertiam beſtiam expediuimus, deinceps narrat quartam beſtiam terribilem ac ſtupendam, cuius dentes erant ferrei, ac vngues ænei. Quinam ſunt hi, niſi Romanorum imperiũ quod eſt ferrum quo conteret omnes ſuperiores Reges, & dominabitur vniuerſæ terræ? Quid porrò reliquum eſt nobis interpretandũ ex his quæ vidit Propheta? At extremitates illæ pedũ imaginis, in quibus pars erat ferrea, pars teſtacea, permixta ambo in vnum: Siquidẽ decem digitis pedum imaginis, myſticè ſignificauit decẽ Reges inde exortos, quod Daniel eſt interpretatus. *Conſide-*

E *rabam* enim, inquit (beſtiam quartã videlicet) *& ecce decem cornua poſt eam. In quib. aſcendit alterum cornu tanquã pullulans, ac tria ſepriora eradicabit.* Quod cornu demonſtrat pullulũ altum non eſſe niſi Antichriſtum qui ſuſcitabit regnũ Iudæorum. Tria cornua quæ ab eo radicitus euellentur, tres Reges indicant, Ægypti, Libyæ, Æthiopum, quos deleturus eſt acie bellica: quibus omnib. potitus, iam tyrannus formidabilis ſanctos affliget ac perſequetur, inſurgens in eos. Vides, vt Daniel Nabuchudonoſori regnorũ dominationem expoſuerit? Cernis, vt ſtatuæ formam, omnibus ſuis lineamentis declarârit? percepiſti, qua ratione præmonſtrârit nobis quatuor beſtiarum aſcenſum è mari? Supereſt, vt Antichriſti peculiaria facinora vobis aperiamus, & quatenus licebit, è Prophetis atq; Scripturis promulgemus eius vagationem per vniuerſam terram, & aduentum nefarium. Cum Dominus Ieſus Chriſtus ſecundum carnem aduenerit ex ſancta & immaculata Virgine, tribumque Iuda aſſumpſerit, ex eaq; proceſſerit, declarauit Scriptura regiam ſtirpem, ex ſentẽtia Iacob in benedictionibus clamantis ad Iudam filium ſuum: *Te laudabunt* Antichriſti facinora.

F *fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui, Catulus Leonis Iuda, ò virgulto, fili mi, aſcendiſti: Recubans dormiuiſti vt leo, & velut catulus leonis, quis excitabit illum? Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de fæmoribus eius, donec veniant quæ repoſita ſunt ei, & ipſe eſt expectatio gentium.* Attẽde verba Iacob ad Iudam dicta, in Domino eſſe impleta. Idem profectò clamat etiam de Antichriſto Patriarcha. Itaque ſicuti prophetiam emiſit in Iudam; ita & in filium ſuum, Dan: Nam Iudas erat filius eius quartus: Dan verò filius quoque eius ſeptimus. Ecquid de illo clamauit? *Occurrat ipſi Dan, coluber in via, inſidens in ſemita, mordens vngulam equi.* Quis erat ſerpens, niſi ſeductor ille, ab initio dictus in Geneſi ſeduxiſſe Euam, & Adamum ſupplantaſſe? Sed quoniam pluribus hæc nobis ſunt demonſtranda, haud grauabimur. Ille certò naſciturus eſt è tribu Dan, & velutì rex tyrannus aciem ex aduerſo inſtructurus eſt, iudex ſeuerus ac diabolus, vt ait Propheta: *Dan iudicabit populum ſuum, vt quæuis alia tribus in Iſrael.* Sed dicet quiſpiam, hoc

G de Samſone dictum eſſe, qui natus eſt è tribu Dan, iudicauit populum ſuum annos viginti. At in parte duntaxat illud à Samſone factum eſt, hoc verò vniuersè implebitur temporibus Antichriſti. Inquit enim Ieremias in hunc modum: *E Dan audiemus vocem acutiſſimam equorum eius. A voce hinnitus equitatus equorum eius concuſſa eſt vniuerſa terra.* Et ruſſus Moſes inquit. *Catulus leonis Dan, & exiliet è Baſan.* Et ne quis dicat, dictum hoc ad Saluatorem pertinere, attendat animum. *Dan,* inquit, *catulus leonis,* perſpicuum reddit propoſitum, nominata tribu Dan, de qua naſcetur diabolus. Quemadmodum enim è tribu Iuda natus eſt Chriſtus, ita naſcetur è tribu Dan Antichriſtus. Cumque Dominus ac Saluator noſter Ieſus Chriſtus filius Dei propter regiam & illuſtrem naturam, Leo ſit antè prædicatus: eodem modo Scriptura diabolum ob tyrannicam ac violentam indolem, leonem ſimiliter ſore prædicauit: nam per omnia ſeductor ille vult imitari filium Dei. Leo

H Chriſtus, Leo quoque Antichriſtus. Chriſtus Rex cœleſtium atque terreſtrium, Rex etiam naſcetur ſuper terram Antichriſtus. Demonſtratus eſt Saluator vt agnus, ipſe quoque naſcetur in Circumciſione. Chriſtus miſit Apoſtolos ad omnes gentes, hic itidem mittet Pſeudoapoſtolos. Chriſtus oues diſperſas congregauit, hic populum Hebræorum diſperſum, ad eundem modum congregabit. Chriſtus dedit credentibus in eum precioſam ac viuificam Crucem, hic itidem, ſignum ſuum daturus eſt. Apparuit Dominus in figura humana, ſic iſte prodibit ſub forma hominis. Ex Hebræis ortus eſt Chriſtus, hic quoq; naſcetur è Iudæis. Chriſtus oſtendit carnem ſuam tanquam tẽplum, ac ſuſcitauit tertia die, ſic iſte Ieroſolymis ſuſcitabit templum lapideum. Atque hac illius fallacias ex iis quæ deinceps exponemus, liquidò intelligent qui attentè nos audient. Nam è Scripturis duplicem Aduentum Chriſti Saluatoris didicimus. Ac prior quidem ſecundum carnẽ, fuit abiectus, eò quod ille humilis apparuerit: Ita poſterior eius Aduentus prædicatus eſt glorioſus, quoniam veniet è Cœlis cum potentia, cum Angelis & gloria Patris.

Margin notes, right column:
- Gen. 49.
- Gen. 49.
- Antichriſtus naſciturus de tribu Dan Gen. 49 Iud. 10.
- Ierem. 8.
- Chriſtus dictus eſt Leo, item & Antichriſtus: ſed diuerſis de cauſis.
- Antichriſtus per omnia volet imitari Chriſtum.
- Duplex Chriſti aduentus.

A

Prior ipſius Aduentus præcurſorem habuit Ioannem Baptiſtam, poſterior autem quo venturus eſt in gloria, Enoch, Eliam, & Ioannem Theologum † exhibebit. Humanitatem ſpecta Domini, vt, vel extremis temporibus, mortalium etiam gerat ac miſereatur. Ac ne tunc quidem ſine Prophetis nos relinquet, ſed miſſurus eſt eos ad doctrinã noſtram certamq; ſcientiam, atque vt animos attẽdamus in Aduentũ aduerſarij, vt ibidem Daniel præmonſtrauit. Inquit enim, *Teſtamentum confirmabit multis hebdomada vna: & in medio hebdomadæ auferetur Sacrificium & Hoſtia.* Vna hebdomada, ſeptennij demonſtrationem indicat poſtremis futuram temporibus. Ac dimidium hebdomadæ ſument duo Prophetæ cum Ioanne, ad denunciandum per vniuerſum Mundum Aduentum Antichriſti, hoc eſt, mille ducentos ſexaginta dies, amicti ſaccis: facientque ſigna & prodigia, vt vel hac ratione flectant & conuertant homines ad pœnitentiam, propter immenſam eorum iniquitatem & impietatem. *Quòd ſi quis velit eis nocere, ignis egredietur ex ore ipſorum, & deuorabit hoſtes eorum. Hi poteſtatem habent claudendi Cælum, ne pluat diebus Aduentus Antichriſti: & aquam conuertendi in ſanguinem, ac percutiendi terram omni plaga quotieſcunque voluerint. Cumq; prædicauerint hæc omnia, occumbent gladio interfecti à diabolo. Et implebunt teſtimonium ſuum,* vt inquit etiam Daniel, qui prævidit beſtiam aſcenſuram ex Abyſſo † cum eis bellum geſturam, id eſt, Enoch, Elia, & Ioanne, & ſuperatos eos interfecturam, propterea quòd noluerint gloriam dare diabolo. Illud eſt exiguum cornu quod emergebat. Nam Antichriſtus elatus corde, poſtea incipiet exaltare ſeipſum & glorificare tanquam Deum, perſecutione Sanctos, & blaſphemia Chriſtum inceſſens. Verum quia narrationis ſeries neceſſariò nos deducit ad dies regni Aduerſarij illius, primo natiuitas eius eſt exponenda atque incrementum: tum ſermo (vt antea diximus) deducendus ad explicandum quo pacto, per omnia diabolus & filius iniquitatis ſit Saluatori noſtro ſe exæquaturus. Sic enim nos docet demonſtratio. Cùm Saluator Mundi, genus humanum ſaluare decreuiſſet, ex immaculata Virgine Maria natus eſt, & in figura carnis hoſtem cõculcauit, ſuæ diuinitatis propria potentia. Ad eũdem modum etiã diabolus, ex impura muliere prodibit ſuper terram, ſed falsò naſcetur ex Virgine. Etenim Deus noſter in carne verſatus eſt nobiſcum, noſtræ non diſpari, quam ipſe fecit Adamo poſteriſq; eius omnibus, abſq; peccato. Sed diabolus † licet carnem aſſumat, hoc opinione tantùm. Qui enim carnem ferret, quam ipſe non condidit, ſed oppugnat quotidie? Hanc (opinor) dilecti, carnis ſuæ ſubſtãtiam phantaſticam aſſumet organi vice. Propterea edetur ex Virgine veluti ſpiritus, qui quidem tunc reliquis apparebit caro. Nam virginem peperiſſe ſolam ſanctiſſimam nouimus, quæ carnigerum verè genuit Saluatorem: Siquidem Moſes ait, *Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur:* Hic autem nequaquam. Sed quemadmodum hoſtis non aperiet vuluam, ita nec carnem veram aſſumet, aut circumcidetur, vt circumciſus eſt Chriſtus. Et ſicuti Chriſtus elegit Apoſtolos, ſic ille integrum populum diſcipulos ſibi aſciſcet, nequitia ſui ſimiles. In primis autem Iudaicam gentem amabit, apud eos omnes ſigna edet & horrenda miracula non vera ſed falſa, ad ſeducendos ſui ſimiles impios. Etenim, ſi fieri poteſt, etiam electos abducet à dilectione Chriſti. Verũ in primordijs ſuis clemens erit, factus ad dilectionem, quietus, religioſus, pacificus, quiu dio proſequatur iniuſtitiã, deteſtetur munera, idololatriam nõ admittat, amet Scripturas, revereatur ſacerdotes, canitiem honori habeat, ſcortationem repudiet, adulteriũ abominetur, obtrectationes nõ audiat, detractiones non recipiat, hoſpitalis, ſtudioſus pauperum, miſericors. Poſteà edet prodigia, leproſos mundando, paralyticos excitando, expellendo dæmones, longinqua nõ aliter quàm præſentia denunciabit, excitabit mortuos, viduis opem feret, pupillos tuebitur, cunctos diliget, conciliabit homines contendentes ad amicitiam, his verbis: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Non poſſidebit aurum, nec diliget argentum, diuitias non amplectetur. Atque hæc omnia faciet conſilio ſimulato ac fraudulento: quo circumueniat omnes, vt ſe regem creent. Nam vbi populi ac multitudines, tantas eius virtutes atque facultates perſpexerint, vno conſenſu conuenient omnes vnum in locum, ad creandum illum regem. Ac potiſſimum Hebræorum gens, præ omnibus ipſi tyranno chara erit; dicentque alius alij: Nunquid in generatione noſtra, talis ac tam bonus & iuſtos homo inueniri poteſt: Iudæi præcipuè, vt iam dixi, ſperantes ſe ſpectaturos illum regem tali in imperio, eum adeuntes, his verbis alloquentur: Omnes tibi obtemperamus, agnoſcimus te iuſtum ſuper omnem terram, omnes à te ſalutem nos conſecuturos ſperamus, & ex ore tuo iuſtum & incorruptum iudicium accipiemus. Atque initio quidem mendax & iniquus ille, ſubdolè gloriam hanc repudiabit, at perſeuerantes homines & obſecrantes, illum declarabunt regem. Poſtea extollet animum, & qui priùs erat manſuetus, euadet ferox, qui dilectionem amplectebatur, fiet immiſericors, qui animum gerebat ſummiſſum, ſuperbus atque inhumanus euadet, qui oderat iniuſtitiam, iuſtos perſequetur. Deinde ſublatus in regnum ſuum, bellum inſtruet, itaque percitus tres magnos reges percutiet, Ægyptiorum, Afrorum, atque Æthiopum: Inde templum conſtruet Ieroſolymis, quod confeſtim exci... tradet Iudæis. Tum efferetur animo in omnes homines: quin etiam in Deum ipſum contumelioſa verba proloquetur, ſperans doloſus ille in poſterum ſe perpetuò regnaturum ſuper terram, ignorans miſer, regnum ſuum breui iritum fore, & quã primum ſe recepturum ignem paratum ipſi cum omnibus qui crediderint & ſeruierint illi. Nam cùm Daniel dixerit, *Teſtamentum confirmabit multis hebdomada vna*, ſeptem annos declarauit. Dimidium hebdomadæ prædicabunt Prophetæ: dimidium hebdomadæ, hoc eſt, tres annos cum dimidio regnabit Antichriſtus ſuper terram, poſt auferetur regnum illius & gloria. Aduertite qui Deum diligitis, qualis afflictio futura ſit illis temporibus. At illis duntaxat temporibus. Tunc Iniquus ille elato animo dæmones ſuos congregabit humana ſpecie, & eos qui illum ad regnum inuitarunt, faſtidiet, animaſque multas inquinabit: quippe principes eis conſtituet ex dæmonibus. Nec iam velut religioſus, ſed planè auſterus, ſeuerus, iracundus, plenus excandeſcentiæ, truculentus, inconſtans, terribilis, grauis, odioſus, contemptor, immitis, exitioſus, nequam, in eo ſtudium & operam collocans, vt vniuerſum genus hominum in foſſam interitus conijciat, ſigna falſa multiplicabit. Cunctis enim populis fauſta omnia acclamantibus propter ubiectas ſpecies, vehementi & grandi voce clamabit (ita vt moueatur locus in quo turbæ aſtiterint ei) Perſpicite populi, Tribus ac gentes magnam meam poteſtatem ac potentiam vireſque imperij mei. Quis princeps tam potens, atque ego? Quis Deus magnus, præter me? Potentiæ meæ quis reſiſtet? Transferet montes ante oculos ſpectantium, ſiccis pedibus ambulabit ſuper mare, deducet ignem è cælo, conuertet diem in tenebras, & noctem in diem: Solem circumaget quò libuerit. Et vt ſemel dicam, elementa omnia terræ mariſque, vi oblatæ apparitionis à ſe coram ſpectantibus, obtemperare ſibi demonſtrabit. Nam ſi ipſe modò non conſpicuus Filius perditionis, viſibiliter tamen nobis bellum ac pugnas & cædes immittit atque excitat: tunc cũ in propria perſona veniet ipſe ac verè illum homines intuebuntur, quas non machinas, dolos ac ſpecies molietur ad ſeducendos cunctos homines & abducendos à via veritatis & regni porta? Deinceps poſt hæc omnia cœlum non dabit rorem ſuum, nubes nõ præbebunt aquam, terra denegabit fructus ſuos, mare grauiter replebitur odore, flumina deſiccabuntur, morientur piſces maris, homines fame ſitiq; peribunt, pater amplexus filium, mater item filiam, vnà morientur, nec erit qui ſepeliat: Verùm vniuerſa terra perfundetur fœtore corporum morticiniorum paſſim iacentium. Mare quoque non recipiens fluminum incurſus, cœnum inſtar fiet, infinitoq; & graui odore replebitur. Tum peſtis inualeſcet ſuper vniuerſam terram, tum lamẽtatio carens omni cõſolatione, tum eiulatus immodicus, tum fletus continuus. Tum homines beatos prædicabunt eos qui antea deceſſerunt, dicentes eis, Aperite ſepulchra veſtra, noſque miſeros excipite. Aperite loculos

veſtros,

Margin notes:

† Cautè lege de Ioanne, nã duorum tantum prophetarum mentio fit c. 11. Apocal.

Dan. 9.

B

Apoc. 12.

† Imò videtur Ioãnes prætermiſſe beſtiã aſcendentem de Abyſſo. *Apoc. 11.*

C

De natiuitate & progreſſu Antichriſti.

† Carne prorſus, quia Paulus vocat Antichriſtum hominẽ peccati. Huius autem opinionis meminit, verũ ſic vt non probet D. Hieron. in illud Dan. 7.

D

Et ecce oculi quaſi oculi hominis erãt. *2 Theſſ. 2.* *Rom. 13.* *& 14.* *Num. 6.* *Luc. 2.*

Hypocritici mores Antichriſti.

Non verè, ſed apparenter: nã certum eſt Antichriſtum vera miracula nequaquã effecturũ. *Epheſ. 4. d.*

E

Antichriſti vitæ commutatio.

F

Dan. 9. Regnum Antichriſti, trium annorum cum dimidio.

G

Antichriſti falſa miracula.

H

Conſummationis Mundi ſigna.

A

veſtros, vt ſuſcipiatis miſerabiles cognatos ac familiares veſtros: Beati eſtis vos qui non ſpectaſtis dies illos, Beati vos qui non vidiſtis vitam iſtam, tot dolores nobis & cruciatus afferentem, nec peſtem iſtam vincentem omnia remedia, neque neceſſitatem iſtam quæ occupat animas noſtras. Inde impurus ille mandata mittet per vniuerſam prouinciam, opera tum dæmonum, tum ſenſibilium hominum, qui dicant: Rex magnus natus eſt ſuper terram, venite omnes adoratum eum, properate omnes ad ſpectandas vires potentiæ eius. En vobis præſtabit frumentum, vinum vobis largietur, opes pretioſas ac ſublimes dignitates. Eius namq; imperio omnis terra mareque obtemperant: Ad illum omnes accedite. Mox cuncti ciborum penuria accedent atque adorabunt eum, quibus dabit characterem in dextra manu & fronte, ne quis dextra ſua pretioſam illam Crucem pingat in frõte: Ex quo tempore non poterit vllum ſignare membrorum ſuorum, ſed adhærebit ſeductori, eique ſeruiet, neque ducetur pœnitudine, ſed peribit ille, tum quod ad Deum, tum quod ad homines attinet. Ita ſeductor ille dabit eis pauca cibaria, idque ob impurum ſigillum ſuum. Sigillum illius tã in fronte quàm dextra manu, eſt calculus, χξς. At, vt opinor, neque certò hoc ſcio, quòd in Scriptura quæ eſt in calculo illo, permulta repetiantur nomina quæ numerum illum habeant. At dicimus fortaſſe ſcripturam illius ſigilli eſſe ἀρνοῦμαι, id eſt, nego. Nam anteà quoque, hoſtis ille nobis aduerſarius, opera miniſtrorum ſuorum (hoc eſt, idololatrarum) Chriſti martyres hortantium, Negato (aiebat) Deum tuum Crucifixum, tale erit tempore illius tempeſtatis, omnis oſoris ſigillum dicens, ô ego Creatorem cœli & terræ, nego baptiſma, nego adorationem à me Deo præſtari ſolitam, tibi adhæreſco, in te credo. Hoc enim Enoch & Elias Prophetæ denunciabunt, Ne credatis hoſti qui venturus eſt & apparebit. Nempe aduerſarius eſt, corruptor, & filius perditionis, ſeducet vos & interficiet: Et cõphæa feriet illos. Attendite fraudem Hoſtis, inſidias cognoſcite illius doloſi, quemadmodum hominum mentem obtenebrare perpetuò ſtudeat. Dæmones enim ſuos velut ſplendentes Angelos reddet, innumeraſque copias ſpirituum incorporeorum adducet, & coram omnibus in cœlum aſſumi ſe demõſtrabit, cum tubis, ſonis, & clamore valido prædicantium illum hymnis indicibilibus. Itaque ille tenebrarum hæres, inſtar lucis fulgens, interdum volitans in cœlos, quandoq; deſcendens cum gloria magna ſuper terram, nonnunquam dæmonibus imperans velut Angelis ad miſſa ſua peragenda cum timore & tremore multo, confeſtim mittet dæmonum cohortes ad montes, ſpeluncas & cauernas terræ, qui ſcrutẽtur eos qui ſubduxerunt ſeſe ab oculis eius, & adducent eos ad adorãdum illum. Ac ſibi obtemperantes, ſigillo ſuo notabit, recuſantes verò impetum ipſius, pœnis incomparabilibus, acerbiſſimiſq; tormentis & machinis abſumet, qualia nũquam fuerunt, nec aurib. homo percepit, nec oculis mortalium conſpecta ſunt. O beatos, qui tunc tyrannum illũ deuicerint! Quippe prioribus Martyribus illuſtriores & ſublimiores declarandi ſunt, propterea quòd ſuperiores ſuperarunt Tyrannos, hi verò diabolum ipſum filium perditionis expugnarint, ac victoriam reportarint. Quibus igitur encomijs & coronis non ornabuntur à rege Chriſto? Sed reuertamur ad propoſitum. Tunc homines vbi ſigillum acceperint, & nec eſcas necaquam inuenerint, adibunt eum cum voce acerba dicentes, Da nobis quod edamus & bibamus, nam omnes præ fame cunctiſque neceſſitatibus deficimus: Iube cœlum præbere nobis aquam, abige à nobis beſtias homines deuorantes, Tum doloſus ille reſpõdens, multa cum inhumanitate ſubſannabit illos, his verbis: Cœlum negat pluuiam, terra non iterum producit germina ſua, vnde nam ego vobis alimẽta ſuppeditabo? Auditis his verbis doloſi illius, miſeri tunc intelligent, eum eſſe improbũ illum diabolum. Tunc plãgent miſerè, plorabunt vehementer, faciem manibus ſuis contundent, capillos ſuos euellent, genas vnguibus dilacerabunt, alius alij dicentes: O calamitatem! O acerbam negotiationem! O pactum fraudulentũ! O caſum ingentem! Quomodo nos Impoſtor ſeduxit! Quomodo adhæſimus ei! Quomodo retibus illius, Quomodo verticulũ illius impuri, concluſi ſumus! Quomodo Scripturas audientes non intelligebamus! Siquidem tunc illigati rebus vitæ, ac deſiderio futuri ſæculi, perfacile adducentur ad diabolum, & ſignabuntur. At multi qui audiunt Scripturas diuinas, eas in manibus habebunt, mente verſabunt, impoſturam illius cauebunt. Clarè enim perſpicient inſidias eius, & impoſturæ arrogantiam, effugientque è manibus eius ad montes, & occultabuntur in cauernis terræ, cum lacrymis & contrito corde quærentes illum amantem hominum, qui eripiet eos è laqueis illius & conſeruabit à moleſtis illius ſcandalis, dextraque manu ſua, inuiſibili modo proteget eos qui dignè ac iuſtè et ſupplicabũt. Vides, quali ieiunio quibuſve precibus tunc vtentur ſancti? Simul diſce, quàm durum tempus ac dies orientur illis qui in vrbe agriſque erunt. Accedent ab Occidente ad Orientem vſq; plorantes maiorem in modum, grauiterque plangent. Illuceſcente die noctem expectabunt vt requieſcant ab operib. ſuis, vbi nox comprehẽderit illos, ob crebras terræ concuſſiones aeriſque tempeſtates, quærent, vt vel aſpiciant lumen diei, & qua ratione poſtea in acerbam mortem deueniant. Tum lugebit vniuerſa terra vitã cruciatuum plenam, lugebit mare, lugebit aër, lugebit Sol, lugebunt animantes feræ cum volatilibus, lugebunt montes & colles ac ligna, campi propter genus humanũ, eò quòd omnes defecerint à ſancto Deo, & crediderint Impoſturi illi, ſuſcepto charactere impuri illius & hoſtis Dei, loco viuificæ Crucis Saluatoris. Lugebunt etiam Eccleſiæ luctũ magnũ, quia nec Oblatio, nec ſuffitus fiat, nec cultus Deo gratus. Sed Eccleſiarum ædes ſacræ, tugurij inſtar erunt, PRECIOSVMQVE CORPVS ET SANGVIS CHRISTI nõ extabit in diebus illis, Liturgia extinguetur, pſalmorũ decantatio ceſſabit, Scripturarum recitatio nõ audietur: ſed erunt apud homines tenebræ, lamentatio ſuper lamentationem, væ ſuper væ. Argentum & aurum tunc proijcietur in plateas, nec quiſquã colliget ea, ſed omnia abominationi habebunt. Cuncti enim aufugere conabuntur & abſcondi, nuſquam tamen latere poterunt à malis Aduerſarij, ſed notam illius circumferentes facilè cognoſcentur, ac noti eius declarabuntur. Extra timor, intus tremor, nocte dieque, tum in platea, tum domi, morticina, in plateis & domib. fames ac ſitis, in plateis tumultus, in domibus planctus. Pulchritudo aſpectus faciei tabeſcet, fient enim formæ eorũ tanquam mortuorum. Venuſtas mulierum exareſcet, cupiditas omnium hominum euaneſcet. Neque tamen eo tempore miſericors & hominum amans Deus relinquet humanum genus omni conſolatione deſtitutum, ſed decurtabit dies illos & tempus trium annorum & ſemis, conciſum reddet propter reliquias latitantiũ in montib. & ſpeluncis, ne phalanx illa ſanctorum illorum omniũ deficiat. Sed dies illi celeriter tranſibũt, Seductoris & Antichriſti regnum citò tolletur. Deinde in ictu oculi præteribit ſpecies Mundi huius, hominumque potentia euaneſcet, & cuncta quæ cadunt ſub oculos, delebuntur. Quum igitur (dilecti) facta fuerint hæc quæ antè diximus, diuiſaque in duas partes vna hebdomada, & abominatio deſolationis tunc extiterit, & præcurſores Domini curſum ſuum peregerint, mũdo denique vniuerſo ad conſummationem properante: quid ſupereſt, niſi Aduentus Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti filij Dei, de cœlis? in quẽ ſperauimus, qui exultionem ac iuſtũ omne iudiciũ educet in eos qui non crediderint ei? Ait enim Dominus: *Quemadmodum fulgur exit ab Oriente & apparet vſque ad Occidentem, ſic erit etiã aduentus Filij hominis: Vbi enim fuerit cadauer, illic congregabuntur & aquilæ.* Orietur enim ab Oriente ad Occidentem vſque ſignum Crucis ſuperãtis ſplendorem Solis, denuncians aduentum & apparitionem Iudicis vt reddat cuique ſecundum opera ſua. Nam de Reſurrectione vniuerſa & de regno ſanctorum loquitur Daniel: *Et multi dormientium excitabuntur è puluere terræ, hi in vitam æternam, illi in contumeliam & ignominiam æternam.* Eſaias autem dicit: *Reſurgent mortui, & excitabuntur qui ſunt in monumentis, ac lætabuntur habitãtes in terra.* Dominus quoque noſter ait: *Multi in illa die audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.* Tunc enim ſonabit tuba, & excitabit dor-

Sigillum Antichriſti, ne quis crucem pingat.

B

Character iſte χξς, ſignificat numerum 666. de quo Apoc. 13 in hoc ſic mentio.

C

Martyres ſub Antichriſto paſſi, beatiores antiquis Martyribus.

D

E

Illigati cuiu. ab Antichriſto ſignabuntur.

F

Euchariſtiæ defectus & Liturgiæ.

G

H

Secundus aduentus Chriſti. Matth. 24.

Crucis ſignum, in Chriſti iudicis aduentu.

Dan 12.

Eſa. 26

Ioan 5

A mientes è profundiſſimis terræ tam iuſtos quam peccatores: omniſque natura, lingua, gens & Tribus reſurgent in ictu oculi, & aſtabunt ſuper faciem terræ, expectantes iuſti atque terribilis Iudicis aduentum, in timore & tremore inenarrabili. Fluuius enim igneus egrediens cum furore inſtar maris ſæui, exuret montes & colles, & mare delebit, ac æthera velut cera in inflammatione diſſoluet: Stellæ cadent de cœlo, Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, cœlum more libri volutabitur, exuretur vniuerſa terra propter opera quæ in ea corruperunt homines, in ſcortationibus, adulterijs, mendacijs, idololatrijs, cædibus ac pugnis, nam net cœlum nouum & terra noua. Tunc ſancti Angeli diſcurrent, congregantes omnes gentes, quos expergefaciet horrenda vox illius tubæ: ſiſtenturque ad tribunal Chriſti, qui fuere quondam Reges, Principes, Pontifices, Sacerdotes, vt adminiſtrationis ſuæ & ouilis reddant rationem, qui videlicet per negligentiam ſuam perdiderunt ouem de grege ſuo. Adducentur eo tempore milites qui non contenti ſtipendijs ſuis vexarunt viduas, pupillos, & pauperes. Tunc ſiſtentur tributi exactores, qui plus quàm ſit imperatum pauperi eripiunt. Itidem qui probum aurum adulterant, vt dato nono pauperem afficiãt, in agris, in domibus, in Eccleſijs. Tunc exurgent effœminati, cum pudore, qui quidem thorum proprium immaculatum non ſeruauerunt, ſed quauis carnis pulchritudine capti ſua deſideria ſunt ſecuti. Tunc qui dilectionem Domini non ſeruarunt, exurgent mœſti ac tetrici, eò quòd Saluatoris mandatum facile contempſerunt, quod præcipit: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Tunc qui habuerunt libram iniquam, ſtateras, menſuras, modios iniuſtos, gement expectantes iuſtum Iudicem. Sed quid plura de ſiſtendis adnimus? Tunc iuſti fulgebunt vt Sol, peccatores autem triſtes & tetrici apparebunt. Vtrique enim & iuſti & peccatores reſurgent incorruptibiles: iuſti, vt perpetuò ſint in honore ac immortalibus fruantur delitijs, peccatores, vt per iudicium pœnas luant ſempiternas. Quiſque igitur veſtrum perpendat apud ſe, tum bonorum tum malorum, iuſto Iudici rationem reddendam. Nam actiones omnes, hominum vnumquemq; tam probum quàm improbum circundabunt. Quandoquidem Virtutes cœlorum mouebuntur, & omnia timor ac tremor abſument, cœlum, terram, ac ſubterranea, & omnis lingua confitebitur eum, & fatebitur enim qui veniet iuſtum iudicium iudicaturum, Deum fortem & conditorem omnium. Tũc cum pauore ac ſtupore procedent Angeli, Throni, Poteſtates, Principatus, Dominationes, & multis oculis & alis ſex prædita Cherubim ac Seraphim fortiter clamantia, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth omnipotens, plenum eſt cœlum & terra gloria tua*. Et reuelabitur Rex regum & Dominus dominantium, ac Iudex qui perſonam non accipit, ſed cuique quod iuſtum eſt diſtribuit in throno terribili & exaltato. Et videbit omnis cætus mortalium, faciẽ eius, tum iuſtus, tum peccator, cum timore ac metu ingẽti. Tum adducetur Filius perditionis, id eſt, diabolus, cum dæmonibus & miniſtris ſuis, ab Angelis ſeueris & rigidis: tradenturque igni inextinguibili, vermi non dormienti, ac tenebris exterioribus. Videbit enim populus Hebræorum illum in figura humana, quemadmodum illis ex ſancta Virgine per carnem apparuit, & ſicuti crucifixerunt eum: ac oſtendet eis manuum pedumq; clauos, latus ſuũ lancea perforatum, caput coronatum ſpinis, ac pretioſam crucem. Denique omnia videbunt Hebræi, & plangent ac plorabunt, quemadmodum Propheta clamat: *Videbunt in quem transfixerunt*, nemoque feret opem illis, aut miſerebitur eorum, quia non egerunt pœnitentiam nec auerſi ſunt à via ſua praua. Itaque diſcedent hi in ſupplicium æternũ cum dæmonibus & diabolo: deinde congregabit omnes gentes, vt clara voce clamat Euangelium. Quid enim ait Matthæus Euangeliſta, imò Dominus ipſe in Euangelio? *Quum venerit Filius hominis in gloria ſua & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper thronum gloriæ ſuæ: & congregabuntur coram eo omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, velut paſtor ſeparat oues ab hœdis, & conſtituet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris: Tunc dicet ijs qui erunt à dextris eius, Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione*

Iudicandi in extremo iudicio.

B

Matth. 19.

C

Cũ ſignis ſuæ paſſionis iudicabit Chriſtus.

D

Zach. 12.

Matth. 25.

E *Mundi*. Venite Prophetæ, propter nomen meum expulſi: Venite Patriarchæ, qui ante aduentum meum obtemperaſtis mihi, regnumque meum deſideraſtis: Venite Apoſtoli, meatum afflictionum participes, dum inter homines agerem, propter Euangelium: Venite Martyres, qui conſeſſi me coram tyrannis, tormenta multa atque ſupplicia pertuliſtis. Venite Pontifices, qui purè mihi ſacrificium die noctéque obtuliſtis, ac PRETIOSVM CORPVS ET SANGVINEM MEVM IMMOLASTIS QVOTIDIE. Venite Sancti qui in montibus, in ſpeluncis & cauernis terræ exercuiſtis vos, qui per cõtinentiam, preces, & virginitatem ſeruaſtis nomini meo. Venite adoleſcentulæ quæ thalamum meum exoptaſtis, nec præter me ſponſum alium dilexiſtis, quæ per Martyrium & pietatis exercitationem, mihi immortali ac incorruptibili Sponſo copulatæ eſtis. Venite, qui dilexiſtis pauperes ac peregrinos. Venite, qui charitatem meam ſeruaſtis, ſicut ſum ego charitas. Venite ſocij pacis, ego enim ſum ipſa pax. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum*, qui nihili feciſtis diuitias, qui pauperis eſtis miſerti, qui tuliſtis opem pupillis, qui viduis eſtis auxiliati, qui ſitientibus potum dediſtis, qui paſtiſtis eſurientes, qui excepiſtis peregrinos, qui nudos induiſtis, qui viſitaſtis infirmos, qui detentos in carcere conſolati eſtis, qui cæcis auxilio fuiſtis, qui ſigillum fidei conſeruaſtis illæſum, qui concurriſtis ad Eccleſias, qui ſcripturas meas audiſtis, qui ſermones meos excepiſtis, qui legem meam noctu diuque ſeruaſtis, qui tanquam ſtrenui milites, dura mecum toleraſtis, mihi regi cœleſti placere ſtudentes: Venite, hæreditatis iure poſſidete præparatum vobis regnum à conſtitutione Mundi. En regnum meum paratum eſt! En patet Paradiſus! En immortalitas mea decorata eſt! Venite omnes, poſſidete paratum vobis regnũ à conſtitutione Mundi. *Tunc reſpondebunt iuſti*, attoniti magnitudine miraculi, quòd is quem ordines Angelorum intueri clarè ac verè non poſſunt conſolatur eos velut amicos, clamabuntque ad illum: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & paſcimus? Domine, quando te vidimus ſitientem, & præbuimus potum?* Stupende, quando te vidimus nudum, & operuimus? Immortalis, quando te vidimus peregrinum, & collegimus? Amator hominum, quando te vidimus infirmum aut in carcere, & venimus ad te? Tu es, qui ſemper es. Tu vnà cum Patre cares principio, & coæternus es Spiritu ſancto. Tu es, qui ex nihilo omnia creaſti. Tu es, rex Angelorum. Tu es, quem tremunt abyſſi. Tu es, qui lumine indueris, vt veſtimento. Tu es, qui nos creaſti ac finxiſti è terra. Tu es, qui inuiſibilia condidiſti. A facie tua fugit vniuerſa terra: & quo pacto nos regiam tuam dignitatem ac dominationem excepimus hoſpitio? Tum reſpondebit iterum Rex regum, dicens eis: *Quatenus feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. Quatenus hos quos antè dixi vobis, excepiſtis, induiſtis, aluiſtis, potu recreaſtis, membra mea, pauperes dico, mihi feciſtis. Verum accedite ad regnum vobis paratum à conſtitutione Mundi, fruamini in ſæculum ſæculi, à Deo patre meo cœleſti, ac ſacroſancto & viuifico Spiritu. *Ecquod os enarrabit bona illa, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus eum?* Noſtis gaudium perpetuum, noſtis regnum inconcuſſum, noſtis delitias nullum finem bonorum habentes. Diſcite quoque acerbam vocem, quam in eos qui ſtabunt à ſiniſtris, eloquetur iuſtus iudex & Deus clemens cum ira & indignatione vehementi: *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum paratum diabolo & angelis eius*. Ipſi vobis hæc comparaſtis, ipſi iam vos fruamini. Diſcedite à me maledicti in tenebras exteriores, & in ignem qui non extinguitur, paratum diabolo & angelis eius. Ego vos formaui, & adhæſiſtis alteri. Ego ſum qui è vulua eduxi vos, & me reiecistis. Ego ſum qui iuſſu meo de terra vos formaui, & alij vos adiunxiſtis. Ego ſum qui vos enutriui, & alteri ſeruiſtis. Ego terram ac mare in alimentum veſtrum & vitæ terminum conſtitui, at vos præceptis meis non paruiſtis. Ego lucem vobis creaui, vt die frueremini, itidem noctem, vt requieſceretis: at vos improbis factis me irritaſtis ac reiputiſtis, foriſque affectionibus aperuiſtis. Diſcedite à me operarij iniquitatis, neſcio vos, non agnoſco vos, alterius Domini operarij

F

G

Ibid.

1. Cor. 2.

H

Ibid.

A ſacti eſtis, hoc eſt, diaboli. Poſſidete cum ipſo tenebras at-
que ignem qui non extinguitur, & vermem qui non dor-
mit, ac ſtridorem dentium: *Nam eſuriui, & non dediſtis mihi
quod manducarem, Sitiui, & non dediſtis mihi potum, Hoſpes fui,
& non collegiſtis me, Aegrotaui, & non viſitaſtis me.* Aures veſtras
condidi, vt audiretis Scripturas, at vos paraſtis eas ad can-
tica dæmonum, citharas & ridicula. Oculos veſtros crea-
ui, vt perſpiceretis lumen præceptorum meorum, eaque
exequeremini, at vos accerſiſtis ſtupra & impudicitias, &
ad reliquam immunditiam ipſos aperuiſtis. Os veſtrum
compoſui ad glorificandum & laudādum Deum, & Pſal-
mos cantioneſque ſpiritales pronunciandas, lectioniſque
continuam meditationem, at vos aptaſtis illod ad conui-
cia, detractiones & blaſphemias, dum ſedentes obtrecta-
batis proximis veſtris. Manus veſtras feci, vt ad preces &
obſecrationes extenderetis eas, at vos ad rapinas, cædea,
& mutuas occiſiones expandiſtis. Pedes veſtros ordinaui,
B vt ambularetis in præparatione Euangelij pacis, tum in
Eccleſijs tum in domibus ſanctorum meorum, at vos do-
cuiſtis currere ad adulteria, ſtupra, ſpectacula, ſaltationes,
in ſublime iactationes. Iam ſolutus eſt conuentus publi-
cus, ſpectaculum deſijt Mundi huius, præterijt deceptio
Philip. 2. ac ſpecies illius: mihi adhæreſcite, *cui flectitur omne genu cæ-
leſtium, terreſtrium, & infernorum.* Omnes enim qui neglexe-
runt, nec miſericordiam exercuerint, hic bene merendo,
Merces laboris. nihil eis debetur, niſi ignis qui non extinguitur: Huma-
nus enim ſum, at iuſtus quoque iudex. Nam omnes pro
dignitate remunerabor, omnibus pro cuiuſque labore
mercedem præſtabo: omnibus pro ſuo certamine præmia
rependam. Miſereri volo, ſed oleum in vaſis veſtris non
video. Miſericordiam exhibere deſidero, ſed tranſegiſtis
vitam omnem ſine vlla commiſeratione. Affectu miſeri-
Iac. 2. cordiæ erga vos commoueri propero, ſed lampadea veſtræ
caliginoſæ ſunt præ cordis duritia. *Diſcedite à me:* Iudicium
enim fiet ei ſine miſericordia qui non fecit miſericordiā.
Tunc ipſi etiam reſpondebunt horrendo ac perſonas non
Matth. 25. accipienti Iudici: *Domine, quando te vidimus eſurientem aut ſi-*
C *tientem, aut peregrinum, aut nudum, aut ægrotum, aut in carcere,
& non miniſtrauimus tibi?* Domine non agnoſcis nos? Tu
nos formaſti, tu condidiſti, tu nos è quatuor elementis
compoſuiſti, tu ſpiritum & animam inſeruiſti. Tibi credi-
dimus, ſigilli tui participes facti ſumus, baptiſma tuum
accepimus, te confitemur Deum, te nouimus Creatorem.
In te ſigna fecimus, per te dæmonas expulimus, propter te
carnem macerauimus, propter te virginitatem ſeruaui-
mus, propter te caſtitatem nobis adſciuimus, propter te
facti ſumus aduenæ terræ, & ais: *Neſcio vos, diſcedite à me?*
Tum reſpondebit etiam illis, his verbis: Confeſſi eſtis me
Signum Crucis. Dominum, ſed verbis meis non paruiſtis. Signo crucis
meæ notati eſtis, ſed hoc, animi duritia deleuiſtis. Baptiſ-
ma meum recepiſtis, at præcepta mea non ſeruaſtis, at o-
dium fraternum ex animis veſtris non excuſſiſtis. *Non enim
Matth. 7.* *qui dicit mihi, Domine, Domine, ſaluabitur, ſed qui facit volunta-
tem meam.* Et diſcedent hi in ſupplicium æternum, iuſti
D verò in vitam æternam. Audiſtis, dilecti, reſponſionem
Domini, cognouiſtis ſententiam Iudicis: didiciſtis quàm
in horrendum iudicium & dies & hora nos maneat: de
eo ſoliciti cogitemus quotidie, hoc diu noctuque medi-
temur, in domibus, in plateis, in Eccleſijs: ne in horrendo
illo Iudicio, in quo nulla eſt perſonarum acceptio, abiecti
ac triſtes adſtamus condemnati: ſed cum actione, vita,
conuerſatione, confeſſione pura, vt nobis quoque dicat
Luc. 18. ille miſericors, hominumque amans Deus: *Fides tua te ſal-
Matth. 25.* *uum fecit, vade in pace.* Item illud: *Euge ſerue bone & fidelis, quia
ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gau-
dium Domini tui.* Quod conſequi, nobis omnibus contin-
gat gratia beneuolentiaque Domini noſtri Ieſu Chriſti:
cum quo Patrem eius initio carentem: cum ſacro-
ſancto, bono & viuifico eius Spiritu, nunc
& ſemper decet gloria, honor,
& adoratio.

E Excerpta ex Libro

S. HIPPOLYTI EPISCOPI PORTVENSIS ET MARTYRIS,

DE THEOLOGIA ET INCARNATIONE, contra Beronem & Helicen hæreticos.

Nunc primum in lucem edita. Interprete Franciſco Turriano Societatis Ieſu, Studio Henr. Caniſij.

LECTORI.

QVis quantuſque Hippolytus Portuenſis, accuratè explicatum inuenies apud Card. Baronium Tom. 2. Anno Chriſti 229. Summa eſt. fuiſſe Metropolitanum Arabiæ, veniſſe Romam ſub Calliſto Pontifice honoratum ab illo, Epiſcopatu Portuenſi: ſcripſiſſe (Euſebio id F *atteſtante) commentarios in Hexaemeron. Librum contra Marcionem. Explanationem in Canticum Canticorum. Expoſitionem in aliquot partes Ezechielis. Librum de Paſchate. Librum contra omnes hæreſes. Commentarios in Iſaiam (vt refert S. Hieronymus) In Danielem. In Zachariam. In Pſalmos. In Eccleſiaſten. De Saul & Pythoniſſa. De Antichriſto. De Reſurrectione, & orationem de laude Domini Saluatoris. Epiſtolam ad Reginam quandam (teſte Theodoreto) Orationem de duobus Latronibus. Item in Helcanam & Annā, & in principium Iſaiæ. Librum de diſtributione talentorum. Item aduerſus Valentinianos, & alia multa. Tandem Martyrium ſub Alexandro Imperatore ſubiiſſe. Hæc ſumma eorum eſt, quæ Illuſtriſſimus Annalium ſcriptor ex veterum monumentis de Hippolyto memoriæ prodidit.*

Porro cum Hippolytus aduerſus omnes hæreſes ſcripſerit, & Euſebij tempore, ipſo Euſebio teſte, multæ eius lucubrationes (quarū relatione Euſebius ſuperſedet) paſſim fuerint adſeruatæ, difficile creditu non eſt, inter illas etiam fuiſſe hoc de Theologia & Incarnatione opus contra Beronem & Helicen, Valentiniani hæretici deſertores. Ex quo G *opere Excerpta tibi damus, beneficio ſummi viri Franciſci Turriani, abſque quo fuiſſet, planiſſime hæc & alia multa antiquitatis monumenta perierant. Exploratum autem eſt errorem illum de humanitate Chriſti in diuinitatem mutata (contra quem diſputat Hippolytus) non cum Apollinari & Eutyche demum natum, & in orbem introductum, ſed longe antiquiorem eſſe, cum illius Iuſtinus Martyr meminerit in Expoſitione fidei, vbi huius ſententiæ hæreticos his verbis exagitat.* Dicite nobis vos, qui Chriſtianiſmum profiteri ſimulatis, qui vt duas naturas tollatis, talia inueſtigatis & obtenditis: qui miſtionis & confuſionis, & corporis in Deitatem, ita vt commiſceatur, mutationis, eiuſcemodi dubias ambiguitates concinnatis, qui nunc verbū in carnem conuerſum, nunc carnem in verbum ſubſtantia ſua conuerſum eſſe aſſeritis, & per id genus mentis emotionem & delirationes vosmetipſos ne tantillum quidem ſapere manifeſtè declaratis: dicite ergo nobis, quomodo Verbū cœlos non reliquit? &c. *Differit deinceps Iuſtinus copioſe contra hunc errorem, eumq; euidenter extremæ vanitatis, & vt ſic loquar,* H impoſſibilitatis, *coarguit. Hæc eo notare viſum, ne quis ſuſpicaretur Excerpta hæc ex Hippolyti officina non prodiiſſe, quod reſellunt dogma à poſterioribus ſectarijs demum excogitatum. Fallitur, quiſquis eſt hoc animo. Nam error ille vetuſtiſſimus eſt, vt ex Iuſtino Hippolytum ætate antegreſſo demonſtrauimus.*

Excerpta ex Libro

S. HIPPOLYTI MARTYRIS ET EPISCOPI PORTVENSIS

de Theologia, & Incarnatione, contra Beronem & Helicen hæreticos.

VOluntate Dei, quæ infinitæ potentiæ eſt, fa- *CAP. I.*
cta ſunt omnia: & poſtquam facta ſunt, ſalua manent ſingula ſecundum ſuas rationes ordinatè conſeruata ab ipſo Deo in immēſum præpotente, & auctore vniuerſitatis rerum, diuina eius voluntate, qua omnia fecit, & mouet ſingula ſuis legibus naturalibus gubernata, manente cum eis im-

A mobili, infinitum enim nullo modo, aut ratione motum ſuſcipit, non habens quo, aut circa quod moueatur. motus enim infiniti natura, cui non ineſt natura, vt moueatur, mutatio ipſius infiniti eſt. Quamobrē Verbum Dei, quod verè, vt nos ſcimus, factum eſt homo ſine peccato, operatum, & paſſum humanè, quæcunq; naturæ humanæ ſunt citra peccatum, & ſuſtinens propter nos naturalem carnis circumſcriptionem, mutationem non ſuſtinuit, qui eſt idem cum patre, in nulla penitus re factus idem carne propter exinanitionem. Quin potius ſicut erat expers omnis carnis, extra circumſcriptionem manſit: per carnem diuinè operans, quæ diuinitatis ſunt, & vtrumque ſe eſſe demonſtrans per ea, quæ vtroque modo, diuine ſcilicet, & humane, operatus eſt ſecundum ipſam verè veram & naturalem eſſentiam, vtrumque inquam ſe eſſe, & intelligi, Deum infinitum, ſimul & circumſcriptum hominem, ſubſtantiam vtriuſque perfecte perfectam habentem cum B ipſa operatione, id eſt, naturali proprietate.

Ex quibus operationibus, & proprietatib. ſcimus manere ſemper ſecundum naturam ſine mutatione ipſarum ſubſtantiarum differentiam, ſed non, ſicut quidam aiunt, ſecundum comparationem, ne eundem ſibi ipſi ſecūdum idem, quod non licet, maiorem, & minorem dicamus. cōparationes enim ſunt eorum, quæ eiuſdem naturæ ſunt, & non quæ diuerſæ. cum Deo autem auctore omnium factorum, & infinito finitore finitorum, & cū ipſa infinitate nulla ratione comparatur finitum; quæ naturaliter & non comparatè per omnia ſemper inter ſe differunt: tametſi facta eſt vtriuſque ſubſtantiæ vnio inexplicabilis, & indiſſolubilis in vnam hypoſtaſim. Vnio, inquam, quæ omnem cognitionem omnis creaturæ omnino fugit. diuinitas enim ſicut erat ante incarnationem, eſt, & manet ſecūdum naturam poſt incarnationem infinita, ſoluta & libera omni habitudine, impaſſibilis, incomparabilis, immutabilis, immobilis, per ſe fuctis, & vt omnia complectar, ſola eſt C per ſe ſecundum ſubſtantiam infinitæ potentiæ & bonum infinitum.

Eiuſdem ex eodem libro.

CAP. II. Factus igitur eſt Deus vniuerſorum non mutatus verè homo ſecundum ſcripturas, ſine peccato, ſicut ipſe ſolus nouit, qui eſt natura artifex eorum, quæ intelligentia cōprehendi non poſſunt, qui in ipſa ſimul incarnatione operationem propriæ diuinitatis carni impoſuit, non circumſcriptam ipſa carne propter exinanitionem, neque ſicut erat diuinitatis, ſic ab ipſa carne naturaliter prodeuntē, ſed oſtenſam per carnem in iis, quæ incarnatus diuine operatus eſt non enim caro facta naturæ diuinitatis, caro facta eſt naturā diuinitas, mutata natura ſua. Sed quod erat, manſit ſecundum naturam, & operationem, vnita cum natura diuina, ſicut Saluator dicit, *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma*, in qua operatus, & paſſus, quæ erant carnis ſine peccato, fidem fecit exinanitionis pro nobis factæ in diuinitate, miraculis, & paſſionibus carnis naturaliter con- D firmatam.

Idcirco enim factus eſt Deus vniuerſorum homo, vt patiens in carne paſſibili, totum genus noſtrum morti vēditum redimeret, in diuinitate autem impaſſibili operans per carnem miracula, ad ſuam immortalem, & beatam vitam reduceret, & in cœlis ſanctos ordines cœlitum myſterio ſuæ incarnationis ad immutabilitatem roboraret, cuius opus eſt omnium ad eum tanquam ad caput reuocatio. manſit igitur incarnatus ſecundum naturam Deus ſupra quam infinitus habens operationem ſibi cognatam, & conuenientem, ex diuinitate quidem prodeuntem ſecundum ſubſtantiam, per ſanctam verò carnem in miraculis œconomicè perfectam, vt crederetur Deus eſſe, qui per carnem natura infirmam ſalutē vniuerſi operabatur.

Ex eodem libro.

CAP. III. Mihi etiam, vt exemplo planum faciam, quod de Saluatore dictum eſt, ratio mea naturalis cognata eſt, & congruens, qui ſum ratione præditus, & anima intelligente, cuius eſt operatio, qua ēanima mouetur, & prima potentia ſemper mobilis ratio naturalis ex ipſa manans, quæ cū verbum à me facta eſt, & lineis bene ſignata, lingua quidē inſtar inſtrumenti aliquando eam profero, & litteris arti- E ficioſè per diſſimilia non mutatam oſtendo, vt audiatur. non enim ratio mea naturalis, eſt linguæ & litterarum, etſi per linguam, & literas eam profero, ſed ex me eſt, qui ſecundum naturam loquor, & eam per linguam, & litteras promo, ex mea quidē anima intelligente naturaliter ſemper manantem, per linguam verò meam corpoream organicè, vt dixi, quando oportet prolatam. Sicut igitur in nobis, quoad licet aſſimilare (quod penitus aſſimilari nō poteſt) per linguam noſtram corpoream, immutabiliter facultas rationalis ſecundum naturam animæ profertur, ſic in Dei corporatione, ſiue incarnatione, quæ ſupra naturam eſt, per ipſius ſanctam carnem in iis quæ diuinè operabatur, citra mutationem omnipotens, & omnium effectrix diuinitatis operatio oſtendebatur, extra omnē circumſcriptionem ſecundum naturam remanens, quamuis per carnem natura finitam elucebat. non enim poteſt per naturam creatam circumſcribi id, quod natura ſua eſt in- F creatum, quamuis vnitum eſt ei in conceptu omnem mētem circumſcribente, neq; poteſt vnquam fieri in eandē naturam, & operationem naturalem, dum vtraque natura intra ſuam naturalem immutabilitatem manet. eorum enim ſolum, quæ ſunt eiuſdem naturæ, eſt motus idem operans, qui ſubſtantiam declarat, cuius eſt poteſtas naturalis, quæ nulla ratione poteſt eſſe proprietas diuerſæ ſubſtantiæ citra mutationem.

Eiuſdem ex eodem libro.

Myſterium enim diuinæ incarnationis ab Apoſtolis, & Prophetis, & doctoribus iudicatum eſt duplicem & differentem conſiderationem naturalem in omnibus ſubire, perfectæ diuinitatis, & perfectæ humanitatis. itaque dum non vna ratio ſecundum ſubſtantiam noſcitur, nequaquā vnius operationis motus vnquam vtcunque in ambabus naturis cognoſceretur. Qui enim natura ſemper eſt Deus infinita poteſtate: factus, ſicut voluit, homo ſine peccato, quod erat, eſt cum illis omnibus, cum quibus intelligitur G Deus, & quod factus eſt, eſt cum illis omnibus, cum quibus intelligitur, & poteſt natura cognoſci homo; non excidens à ſeipſo, ſed in vtraque natura ſemper firmiter permanens, ſeruans ſibi perfecta, & immutabilia naturaliter ſecundum vtriuſque naturæ rationem illa, quibus diuinè ſimul & humanè operatus eſt. CAP. IV.

Eiuſdem ex eodem libro.

Quidam enim Beron nuper cum aliis quibuſdam, relicta fictione Valentini, grauiore malo ſe trāſtiierunt, cum aiunt: Carnem à verbo aſſumptam vnam & eandem operationem habere, quam diuinitas propter aſſumptionem, diuinitatem verò eandem paſſionem, quam caro, propter exinanitionem, & mutationem ſimul & mixtionem, ac confuſionem, & ambarum naturarum in ſeipſas conuerſionem tradunt. Si enim caro aſſumpta eandem operationem habet, quam diuinitas, liquet factā eſſe natura Deū, H habereque omnia, cum quibus naturaliter intelligitur Deus: & ſi diuinitas exinanita eandem paſſionem ſubit, quam caro, liquet factam eſſe natura carnem, habereque illa omnia, cum quibus naturaliter noſci poteſt caro. Quę enim inter ſe ſunt eiuſdem operationis, & efficientiæ, ac cognitionis, & omnino idem patiuntur, nullam naturæ differentiam recipiunt, atq; ita naturis inter ſe confuſis erit Chriſtus duæ perſonæ, vna verbum, tertia ſcilicet perſona Trinitatis, & altera ſine differentia naturarum, naturis inter ſe confuſis, atque ita erit pro Trinitate quaternitas, ſcelus maxime fugiendum: & quomodo ipſe vnus eſt, & idem Deus ſimul natura, & homo Chriſtus? Quam eſſentiam habebit eorum opinione factus homo mutata diuinitate in carnem? & quam habebit Deus, mutata carne in Deum? mutatio enim duarum naturarum inter ſe, interitus eſt ambarum. Sed rurſus conſideremus aliter hanc rem. CAP. V.

Eiuſdem ex eodem libro.

Piam dogma ſancitum eſt Chriſtianis, eſſe Deum ipſa natura, & operatione, & omni alia re, quæ ipſius naturæ conuenit, æqualem ſibi, & † idem ipſum eſſe Deum, nihil eorum, quæ ipſius ſunt, omnino haben- CAP. VI.

† [illegible]

tem

A tem inæquale, & † impar. Si igitur ſecundum Beronem caro aſſumpta eiuſdem cũ ipſo Deo operationis naturalis facta eſt, liquet factam quoq; eſſe eiuſdem naturæ, habereq; omnia, cùm quibus natura Dei intelligitur, carere principio, eſſe ingenitam, infinitam, æternam, incõprehenſam, & ſimiliter in reliquis, quæ ratio Theologica ſuperlatè, & ſupra naturam in diuinitate contemplatur, & vtraq; natura mutationem paſſa eſt, cum nihil eorum, quæ propria naturæ ſunt, rationem ſubſtantiæ ſaluam, & incolumem retineat. Qui enim eandem operationem diuerſis naturis Chriſti tribuit, confuſionem naturalẽ ſimul introducit, & diuiſionem perſonarum: cum naturalis eſſentia naturarum, per mutationem proprietatum penitus ſublata ſit.

Eiuſdem ex eodem libro.

B In hunc errorem adducti ſunt, cum malè eis ſuaſum eſ-
Cap. 7. ſet, fieri propriam carnis operationem ipſam diuinam operationem, quæ in miraculis per carnem oſtenſa eſt; qua diuina operatione Chriſtus quatenus intelligitur Deus, vniuerſum & fecit, & continet, & ei dominatur. non enim intellexerũt impoſſibile eſſe operationes diuinæ naturæ fieri proprias diuerſę naturę ſine mutatione: nec intellexerunt, nõ omnino proprium carnis eſſe, quod per ipſam quidem promitur, ſed non ex ipſa naturaliter prodit, cum alioqui manifeſta & perſpicua eſſet eis huius rei demonſtratio. ego enim, qui lingua loquor, & manu ſcribo, vnam & eandẽ meæ animæ, intelligentis notionem enuncio, quæ naturalis operatio ipſius eſt, quã nulla ratione oſtendo ea lingua, aut manu naturaliter naſci, nec eſſe, aut dici notionem linguæ, aut manus, quia per linguam, & manum enunciata ſit. Linguam enim aut manum ratiocinantem nullus intelligentia præditus nouit. Sicut neq; ſanctam Dei carnem factã eſſe natura creatricem, quia aſſumpta fuerit, & quia per

C eam operatio diuina edita ſit. ſed potius piè credimus, & cõfitemur, quod propter noſtram ſalutem, & quia vniuerſum immutabilitate indigebat, creator omnium ea ſancta virgine Maria, in conceptu puro, ſine mutatione animam intelligentem cum corpore ſentiente ſibi ſubſtantialiter vniens factus eſt homo natura à peccato alienus, Deus verbum idem Deus totus, idem item homo totus, diuinitate quidem diuina operans, per ſanctam carnem, quæ natura nõ erãt carnis, humanitate vero, humana, quæ natura non erant diuinitatis, patiens ſuſtentatione diuinitatis, nihil diuinum nudum corpore operans, nihilq; humanum expers diuinitatis, ſeruans ſibi nouum modum, quo vtraq; diuina ſcilicet, & humana operatus eſt, vt in neutra natura mutatio fieret, idq; ad faciendam fidem perfectæ ſuæ humanitatis, veræ reuera & nihil praui habẽtis. Beron igitur cum ſic, vt dixi, ſentiret, confundens diuinitatem Chriſti, & humanitatem ſimul naturaliter, diſſoluit vitam, ignorans vnam & eãdem operationem vim habere declarandi ſolũ vnam & eandem naturam perſonarum eiuſdem naturæ.

F I N I S.

D

S. HIPPOLYTI MARTYRIS HOMILIA,

DE DEO TRINO, ET VNO. ET DE myſterio incarnationis, contra hæreſim Noeti.

Alii quidam aliam doctrinam introducunt, facti diſcipuli cuiuſdam Noëti, qui genere quidem Smyrnæus fuit non multo antè. Hic inflatus in elationem prouectus eſt, alieni ſpiritus exiſtimatione elatus. Dixit hic Chriſtum eſſe eundem patrem, ipſumque patrem genitum eſſe & paſſum. Videte quanta elatio cordis, & inflatio ſpiritus alieni in eum ſubijt. Iam igitur ex alijs actibus deprehen- E ſum eſt quòd non loquebatur Spiritu mundo. Qui enim in Spiritum ſanctum blaſphemus eſt, ea diuina ſorte eiectus eſt. Aiebat hic ſe eſſe Moyſen, & fratrem ſuum eſſe Aaron. Hæc cum beati presbyteri audirent, accerſitum coram Eccleſia examinauerunt. Ille verò negabat principio ſic ſe ſentire; poſtea verò in quibuſdam deliteſcens, & collectis alijs qui in eodem errore erant, volebat apertè dogma ſuum defendere. Quem rurſus accerſitum presbyteri redarguerunt. Ille verò reſiſtebat, inquiens: Quid igitur mali facio ſi Chriſtum honoro? Huic presbyteri reſponderunt: Et nos vnum Deum verè ſcimus; ſcimus Chriſtum, ſcimus filium paſſum, ſicut paſſus eſt, mortuum, ſicut mortuus eſt; & ſuſcitatum tertia die, & ſedentem ad dexteram patris, venturumq́ue ad iudicandum viuos & F mortuos. Atque hæc dicimus, quæ didicimus. Tunc iſtum conuictum eiecerunt ex Eccleſia, qui eò inflationis venit, vt docere inſtitueret. Volunt autem dogma ſuum conſtituere & confirmare, quia eſt in Lege: *Ego ſum Deus* Exod. 20. *patrum tuorum. non erunt vobis alij dij præter me.* Et rurſus in alio Eſai. 44. loco: *Ego ſum primus, & ego nouiſſimus; & poſt me non eſt alius.* & 45. Sic aiunt ſe probare vnum eſſe Deum. & reſpondent: ſi Chriſtum confitemur Deum, igitur ipſe eſt pater, ſi eſt Deus: paſſus verò eſt Chriſtus Deus, paſſus igitur eſt pater. pater enim erat ipſe. At non ſic eſt. non enim ſic ſcripturæ exponunt. Vtuntur præterea alijs teſtimonijs. ſic enim aiunt ſcriptum eſſe: *Hic Deus noſter; non reputabitur alius ad* Baruch 3. *eum, adinuenit omnem viam ſcientiæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Vides igitur, inquit, quòd hic eſt Deus, qui ſolus eſt, & poſtea in terris viſus, & cum hominibus conuerſatus? Et in alio loco ait: *Laborauit Aegyptus, & mercatura* G *Aethiopum, & Sabaim, viri celſi ad te tranſibunt, & tui erunt ſerui, &* Eſai. 45. *ibunt poſt te vincti vinculis manuum, & in te adorabunt; quia in te eſt Deus, & in te deprecabuntur, quia non eſt Deus præter te. tu enim es Deus, & neſciuimus, Deus Iſrael Saluator.* Vides, inquit, quomodo Scripturæ vnum Deum prædicant? Cum hoc apertè declaratum ſit, cùm hæc ſic conteſtata ſint, neceſſe eſt, vno per confeſſionem conſtituto, hunc paſſioni ſubijcere. Chriſtus enim erat Deus & propter nos paſſus eſt, cùm eſſet pater, vt poſſet ſaluos nos facere. Aliud enim (inquit) dicere non poſſumus; ſi quidem Apoſtolus vnum Deum confitetur, cùm ait: *Quorum patres, ex quibus Chriſtus* Rom 9. *ſecundum carnem, qui eſt Deus benedictus in ſæcula.* Sic volunt iſta recitare, & vti mutilatis, ſicut fecit Theodotus, cùm vellet probare Chriſtum eſſe hominem nudum. Sed nec illi nec illi quidquã intellexerunt; vt ipſæ ſcripturæ inſcitiam eorum redarguunt, quæ teſtimonium veritati tribuunt. Videte fratres, quomodo præceps & audax dogma introduxerunt, cùm impudenter aiunt: Ipſe Chriſtus eſt pater, ipſe filius; ipſe paſſus eſt, ipſe ſe excitauit à mortuis. At non ſic eſt: rectè enim dicunt ſcripturæ, ſed aliter Noëtus intelligit. At non quia Noëtus non intelligit, idcirco ſcripturæ repudiandæ ſunt. Quis enim non dicet vnum Deum eſſe? non tamen continuo œconomiam, id eſt, incarnationem, negabit. Primùm igitur oportet confutare quidem hæc capita ſecundùm ſenſum illorum; declarare verò ea ſecundùm veritatem. Primum enim re vera eſt exponere patrem eſſe vnum Deum, *ex quo omnis paternitas, per quem omnia, & ex quo omnia, & nos in ipſo.* Videamus, vt dixi, confutationem, deinde veritatem exponemus. Ait enim: *Laborauit Aegyptus, & mercatura Aethiopum, & Sabaim,* & quæ ſequuntur vſque ad eum locum, vbi dicit: *Tu es Deus Iſrael, & Saluator.* Hæc recitat, non intelligens quod prius dictum eſt. Cùm enim volunt malitiosè ac dolo malo agere, circumcidunt ſcripturas. Recitet autem integrè, & reperiet cauſam propter quam hæc dicuntur. paulò enim ſupra, principium capitis eſt, vnde oportet incipere ad docendum cui & de quo dicit. Superius enim principium capitis ſic habet: *Interrogate me de filijs* Ibidem. *meis, & de filiabus meis; & de operibus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem ſuper eam. ego manu mea firmaui cœlum; ego mandaui aſtris. ego excitaui eum, & omnes viæ eius rectæ. Hic ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem reducet non cum precio, neque cum donis, dixit Dominus Sabaoth.* Sic di-

Marginal notes: Theodotus hæreticus Chriſtũ tacebat nudũ hominẽ, ſicut Paulus Samoſatenſis. — H — Eph. 3. 1. Cor. 8. Eſai. 45. Quando-que cõfutatio falſæ ſententiæ præcedit explicationem veræ, vt hic: quãdoque explicatio veræ confutationẽ falſæ.

A *xit Dominum Sabaoth: Laborauit Ægyptus, & mercatura Æthiopum, & Sabaim; viri celſi in te tranſibunt, & tibi erunt ſerui, & poſt te ſequentur ligati vinculis manuum, & in te adorabunt, & in te precabuntur; quoniam in te eſt Deus, & non eſt Deus præter te. Tu enim es Deus, & neſciuimus; Deus Iſrael Saluator. In te igitur,* inquit, *eſt Deus.* In quo autem eſt Deus, niſi in Chriſto Ieſu verbo patris, & myſterio œconomiæ, id eſt, incarnationis? De quo rurſus docens, carnem eius ſignificat cum ait: *Ego excitaui eum cum iuſtitia, & omnes viæ eius rectæ.* Quid igitur? de quo teſtatur hoc loco pater? de filio dicit pater: *Ego excitaui eum in iuſtitia.*

Ibidem Rom. 8. Quòd autem pater ſuſcitauit filium in iuſtitia, teſtatur Paulus Apoſtolus, cum ait: *Si autem Spiritus qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitauit Chriſtum Ieſum à mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora veſtra per inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Ecce comprobauit quod dictum eſt per Prophetam: *Ego ſuſcitaui eum in iuſtitia.* Quod autem dixit: *In te eſt Deus;* oſtendit myſterium œconomiæ, id eſt, incarnationis,

B quòd incarnato verbo & facto homine pater erat in filio, & filius in patre, conuerſante filio cum hominibus. Hoc igitur, fratres, ſignificabatur, quòd verè myſterium incarnationis ex Spiritu ſancto & ex Virgine erat hoc verbum, quod (1) operatum eſt Deo filium vnum. Hoc autem non ego dico, ſed ipſe teſtatur qui de cœlo deſcendit.

Ioan. 3. Sic enim ait: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœlo.* Quid igitur quærit iſte præter hoc quod dictum eſt? Nunquid dicturus eſt quòd caro erat in cœlo? Eſt igitur caro, quæ à verbo patris oblata eſt dono, caro inquam ex Spiritu ſancto & Virgine oſtenſa, perfectus filius Dei.

Verbum Dei vocatũ in Scriptura filius hominis antequam carnem ſumeret. Manifeſtum igitur eſt, quòd ſe ipſe obtulit patri. antea verò non erat in cœlo caro. Quis ergo erat in cœlo, niſi verbum ſine carne, quod miſſum eſt vt oſtenderet ſe, qui in terra erat, eſſe etiam in cœlo? Verbum enim erat, Spiritus erat, virtus erat. Vnus commune nomen, & in vſu apud homines ſibi ſumpſit, vocatus à principio filius hominis, propter futurum, quamuis nondum eſſet homo, ſicut Daniel teſtatur inquiens:

Dan. 7. *Vidi, & ecce in nubibus cœli venientem tanquam filium hominis.* Rectè igitur dixit, eum qui in cœlo erat verbum Dei, hoc nomine à principio vocari.

C Sed quid mihi, inquit, dicit ſcriptura in alio loco: *Hic eſt Deus, non reputabitur alius ad eum?* Rectè dixit.

Baruch 3. Quis enim reputabitur ad patrem? *Hic,* inquit, *Deus noſter; non reputabitur alius ad eum. Inuenit omnem viam ſcientiæ, & dedit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo.* Benedicit. Quis enim eſt Iacob puer eius, & Iſrael dilectus eius, niſi hic de quo clamat, inquiens:

Matth. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite?* Qui omnem ſcientiam à patre accepit, perfectus Iſrael, & verus Iacob. *Poſt hæc in terra viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Quis autem eſt Iſrael, niſi homo videns Deum? Videns autem Deum, nemo niſi ſolus puer & perfectus homo, & qui ſolus enarrat conſilium patris.

Ioan. 1. *Ioan. 3.* Ait enim Ioannes: *Deum nemo vidit vnquam, niſi vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris; ipſe enarrauit.* & rurſus: *Qui de cœlo deſcendit, quod audiuit & vidit, teſtatur.* Hic igitur eſt, cui omnem ſcientiam dedit pater; qui in terra viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.

D *Rom. 9.* Quod autem dicit Apoſtolus: *Quorum patres, ex quibus Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula:* pulchrè enarrat & dilucidè myſterium veritatis. Hic qui eſt

Matth. 11. ſuper omnia, Deus eſt (ſic enim audet dicere: *Omnia mihi tradita ſunt à patre, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus.*) genitus eſt, & factus homo, Deus eſt in ſæcula.

Apoc. 1. Sic enim Ioannes ait: (5) *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, Deus omnipotens.* Rectè vocauit omnipotentem Chriſtum. Hoc enim dixit, quod quidem Chriſtus teſtabitur. Tribuens enim teſtimonium, *Omnia,* inquit, *mihi tradita ſunt*

Matt. 11. *à patre.* & omnium dominatum tenet; omnipotens à patre conſtitutus eſt Chriſtus.

1. Cor. 15. Imo & Paulus docens omnia ei data eſſe, ſic dixit: *Primitiæ Chriſtus, deinde, qui ſunt Chriſti in aduentu eius; poſtea finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri; cum euacuauerit omnem principatum, & omnem poteſtatem & virtutem. Oportet enim ipſum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſſimè autem inimica deſtruetur mors. omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cum autem dicat: Omnia ſubiecta ſunt ei; ſine dubio, præter eum qui ſubiecit ei omnia. Cùm autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.*

E Si igitur omnia ſubiecta ſunt ei præter eum qui ſubiecit omnia, omnium tenet dominatum; ipſius verò dominatum tenet pater, vt in omnibus vnus Deus reperiatur, cui omnia ſubiecta ſunt, ſimul cum Chriſto; cui omnia pater ſubiecit præter ſeipſum. Hoc enim Chriſtus dixit, ſicut in Euangelio & patrem ſuum & Deum confeſſus eſt.

Ioan. 20. Ait enim ſic: *Vado ad patrem meum & patrem veſtrum, & Deum meum & Deum veſtrum.* Si ergo Noetus audet dicere, ipſum eſſe patrem; ad quem patrem dicet ire Chriſtum ſecundum vocem Euangelij? Sin verò vult vt relicto Euangelio, amentiæ eius credamus, fruſtra laborat. oportet enim obedire magis Deo, quam hominibus.

Act. 5. *Ioan. 10.* Si autem dicat: Ipſe dixit: *Ego & pater vnum ſumus;* aduertat animum, & intelligat quod non dixit: Ego & pater vnum ſum ſed vnum ſumus. Illud enim, ſumus, non dicitur de vno.

F ſed ſic dixit, quia duas perſonas demonſtrauit, vnam autem potentiam, ſiue virtutem. Ipſe hoc explicauit, cum dixit de diſcipulis ad patrem:

Ioan. 17. *Gloriam quam dediſti mihi dedi eis. vt ſint vnum, ſicut nos vnum ſumus. ego in ipſis, & tu in me, vt ſint perfecti in vnum, vt cognoſcat mundus quod tu me miſiſti.* Quid ad hæc dicere poſſunt Noetiani? Nunquid omnes vnum corpus ſunt ſecundum ſubſtantiam? an vero † poteſtate & affectione conſenſionis & concordiæ vnum efficiuntur? Ad eundem modum puer miſſus, & alijs qui in mundo erant, non cognitus, (3) confeſſus eſt ſe eſſe in patre poteſtate, & affectione conſenſionis, vna (4) enim mens patris eſt puer. Qui autem mentem patris habemus, ſic credimus: qui vero non habent, filium negauerunt.

Ioan. 14. Si autem velint dicere, quod Philippus de Patre interrogans, *oſtende,* inquit, *nobis patrẽ & ſufficit nobis:* cui reſpondit Dominus, inquiens: *Tanto tempore vobiſcum ſum Philippe, & non cognouiſti me? Qui vidit me vidit & patrem. Non credis quia ego in patre, & pater in me eſt?* Et volunt dicere quod his verbis eorum dogma confirmatur, ipſo confitente ſe eſſe patrem; ſciant maximam repugnantiam in ſe ipſos inducere, ſcriptura eos redarguente & conuincente.

G Cum enim Chriſtus in omnibus ſe filium dixiſſet & demonſtraſſet, non tamen cognouerant eum, neque virtutem eius intelligere, aut intueri potuerant. & hoc Philippus cum capere non poſſet, quoad videre licebat, volebat videre patrem. cui Dominus dixit: *Philippe, tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſti me? qui vidit me, vidit patrem.* id eſt, ſi me vidiſti, per me potes patrem cognoſcere. per imaginem enim quæ ſimilis eſt, poteſt facile pater cognoſci. Sin vero imaginem, quæ eſt filius, non cognouiſti, quomodo vis patrem videre? Quod autem hæc ita ſint, quæ in ipſo capite adiecta & ſubiecta ſunt, explicant, quæ ſignificant, filium propoſitum miſſum eſſe à patre, & ad patrem ire.

Rom. 3. Multa alia, immo omnia huic veritati aſtipulantur. Neceſſe ergo eſt, vt quamuis nolit, confiteatur patrem Deum omnipotentem, & Chriſtum Ieſum filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia pater ſubiecit præter ſe, & Spiritum ſanctum, & hos eſſe verè tres.

H Quòd ſi vult ſcire quomodo vnus Deus demonſtratur, ſciat vnam eſſe virtutem ſiue potentiam huius: & quantum ad virtutem pertinet, vnus eſt Deus; quantùm verò ad incarnationem pertinet, tertia eſt oſtenſio; vt paulò pòſt docebimus, cum reddemus rationem de veritate. Hæc igitur fratres, dicta nobis ſunt, de quibus inter omnes conuenit. Vnus enim eſt Deus, cui credere oportet, ſed ingenitus, impatibilis, immortalis, qui omnia facit quæ vult, ſicut vult, & quando vult. Quid igitur ad hæc audebit dicere Noëtus, non intelligens veritatem? Quandoquidem igitur hactenus Noëtus confutatus eſt, veniamus ad demonſtrationem veritatis; vt confirmemus veritatem, contra quam tot & tantæ hæreſes ortæ ſunt, quæ nihil dicere potuerunt.

Demonſtratio veritatis, de Deo trino, & vno. Quomodo oporteat cognoſcere ex Scripturis, vnum Deum eſſe.

Vnus Deus eſt, quem non aliunde, fratres, agnoſcimus, quàm ex ſanctis Scripturis. Quemadmodum enim ſi quis vellet ſapientiam huius ſæculi exercere, non aliter hoc cõſequi poterit, niſi dogmata Philoſophorum legat: ſic quicunq; volumus pietatem in Deum exercere, non aliunde

diſcemus,

A

Non eſſe Scripturas ſecundum proprium ſenſum noſtrum intelligendas.

diſcemus, quàm ex Scripturis diuinis. Quæcunque ergo ſanctæ Scripturæ prædicant, ſciamus: & quæcunque docent, cognoſcamus: & ſicut vult pater credi, ſic credamus; & ſicut vult filium glorificari, ſic glorificemus; & ſicut vult donari Spiritum ſanctum, ſic accipiamus. non ſecundum propriam voluntatem, neque ſecundum proprium ſenſum, neq; vim inferentes iis, quæ ab eo data ſunt; ſed quomodo ipſe per ſanctas Scripturas docere voluit, ſic intelligamus.

a Gen. c. 6 Cogitauit Deus quod fecit hominē. *β* Dixit fiat lux, & facta eſt lux. hoc eſt loqui, id eſt, oſtendere.

Deus ſolus cùm eſſet, nihilque ſibi coæuum haberet, voluit mundum efficere, & mundum cogitans, ac volens, & dicens, effecit; continuoque extitit ei factus ſicut voluit; & ſicut voluit perfecit. Satis igitur nobis eſt ſcire ſolum, nihil eſſe Deo coæuum. Nihil erat præter ipſum; ipſe ſolus multus erat. Nec enim erat ſine ratione, ſine ſapientia, ſine potentia, ſine conſilio. Omnia erant in eo, ipſe erat omnia. Quando voluit, & quomodo voluit, oſtendit verbum ſuum temporibus apud eum definitis; per quem omnia fecit. Qui cùm vult, facit; quando (*a*) cogitat, perficit, quando (*β*) loquitur, oſtendit, quando (*γ*) format, ſapientiam edit. Omnia enim quæ facta ſunt, ratione & ſapientia fabrefecit. ratione quidem creat, ſapientia verò ornat. Fecit igitur ſicut voluit: Deus enim erat. Eorum (*δ*) autem quæ facta ſunt, ducem, conſiliarium & operarium generabat verbum: quod verbum cum in ſe haberet, eſſetque mundo creato inaſpectabile, fecit aſpectabile, (5) emittens priorem vocem, & lumen ex lumine generans, deprompſit ipſi creaturæ dominum, (*ε*) ſenſum ſuum. & qui prius ipſi tantùm erat viſibilis, mundo autem inuiſibilis, hunc viſibilem facit, vt mundus cum eum qui apparuit, videret, ſaluus fieri poſſet. Atque ita adſtitit ei alius. Cum alium dico, non duos deos dico; ſed tanquam lumen ex lumine, & aquam ex fonte, aut radium à ſole. vna enim virtus ex toto: totum verò pater, ex quo virtus verbum: hoc verò mens, ſiue ſenſus, qui prodiens in mundum, oſtenſus eſt puer Dei. *Omnia* igitur *per eū facta ſunt*, ipſe ſolus ex patre genitus. Quis ergo profert multitudinem deorum, quæ per curricula temporum appulſa fuit? Omnes enim eò redacti ſunt inuiti, vt dicant omnia ad vnum recurrere, etiam ſecundùm Valentinum, & Marcionem, & Cerinthum, & omnem illorum nugacitatem, & huc nolentes reciderunt vt vnam omnium cauſam confiteantur. Igitur veritati volentes conſentiunt, eſſe ſcilicet vnum Deum, qui fecit omnia ſicut voluit. Hic autem dedit legem & Prophetas; & dando (6) coëgit hos per Spiritum ſanctum loqui, vt accipientes virtutis paternæ inſpirationem, conſilium & voluntatem patris nuntiarent. In his igitur verbum verſabatur, loquens de ſeipſo. iam enim ipſe ſuus præco erat; oſtendebatque futurum eſſe, vt verbum in hominibus appareret. Idcirco ſic clamabat: Factus ſum manifeſtus iis qui non quærebant me; inuentus ſum ab iis qui non interrogabant me. Quis verò eſt qui factus eſt manifeſtus, niſi verbum patris? quod cum pater miſit, poteſtatem ſuam oſtendit hominibus. Sic igitur factum eſt manifeſtum verbum, ſicut ait beatus Ioannes. repetit enim ſummatim, quæ à Prophetis dicta ſunt, demonſtrans hoc eſſe verbum, per quod omnia facta ſunt. ſic enim ait: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. & infra, ait. Mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. *Si mundus* (inquit) *per ipſum factus eſt*, ſicut ait Propheta: *Verbo Domini cæli firmati ſunt*, igitur hoc eſt verbum, quod factum eſt manifeſtum. Ergo verbum incarnatum cernimus, patrem per eum intelligimus, filio credimus, Spiritum ſanctum adoramus. Videamus igitur quæ ſcripta ſunt, quod prædicabatur quidem verbum futurum manifeſtum; Hieremias etiam dicat: *Quis ſtetit in hypoſtaſi Domini, & vidit verbum eius?* Verbum autem Dei ſolum eſt viſibile, verbum vero hominis audibile. Quando dicit videre verbum, neceſſe eſt mihi vt credam, hunc viſibilem miſſum eſſe, miſſus autē nō eſt alius, quàm verbum. Quòd autem miſſum ſit, teſtatur Petrus, cū dicit Cornelio centurioni. *Miſit Deus verbum ſuum filiis Iſrael per prædicationem Ieſu Chriſti.* Hic eſt Deus omnium Dominus. Si ergo verbum

B

γ Formauit igitur hominē de limo terræ. maximam ſapientiam oſtendit Deus in formatione hominis.

δ quia eſt, ſicut Apoſtolus ait, primogenitus omnis creaturæ.

C

ε Filius eſt mens, ſiue ſenſus patris.

Abſolutiſſima Theologia Dei patris & verbi Dei.

Eſai. 65.

Quomodo in Prophetis verbū Dei verſabatur, loquens de ſeipſo quòd futurū erat, vt appareret hominib^9: quod factum eſt carne aſſumpta.

D

Ioan. 1.

Act. 10. Locus Actorum de Verbo incarnato

mittitur per Ieſum Chriſtum voluntas patris eſt Ieſus Chriſtus. Hæc igitur, fratres, ſignificant nobis ſcripturæ. Hanc œconomiam, id eſt, incarnationem tradit nobis Ioannes in Euangelio, teſtimonio ſuo; & hoc verbum confitetur Deum, ſic inquiens: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum.* Si ergo *verbum erat apud Deum, & Deus erat*, quid ergo? dicetne aliquis dicere Ioannem duos deos? Duos quidem non dicam, ſed vnum, perſonas vero duas, (7) œconomiam tertiam, (8) gratiam dico ſancti Spiritus. Pater quidem vnus, perſonæ verò duæ, quia filius; tertia autem Spiritus ſanctus. Pater mandat, verbum perficit, filius autem oſtenditur, per quem pater creditur. Oeconomia † conſenſionis redigitur ad vnum Deum, vnus enim eſt Deus, qui mandat, pater; qui obedit, filius; qui docet ſcientiam, Spiritus ſanctus. pater qui (9) eſt ſuper omnia, filius per omnia, Spiritus ſanctus in omnibus. Aliter Deum vnum intelligere non poſſumus, niſi verè patri & filio & Spiritui ſancto credamus. Etenim Iudæi patrem glorificauerunt, ſed non egerunt gratias; ſiquidem non agnouerunt filium. diſcipuli agnouerunt filium, ſed non in Spiritu ſancto, idcirco † negauerunt. Sciens igitur verbum patris œconomiam & voluntatem patris, quòd non vult aliter pater glorificari, niſi ſic, cùm reſurrexiſſet, tradidit hoc diſcipulis: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Docuit hic, quòd quicumque vnum quid horum omiſerit, is perfectè Deum non glorificauit. Per hanc enim Trinitatem Pater glorificatur. Pater enim voluit, filius fecit, Spiritus ſanctus manifeſtum fecit: omnes igitur Scripturæ de hoc prædicant. Sed dicet mihi aliquis: Nouum verbum mihi affers, cum filium vocas. Ioannes enim verbum quidem dicit, ſed aliter per allegoriam interpretatur. Immo non aliter (10) per allegoriam interpretatur: ſic enim oſtendens hoc verbum Dei quod ab initio erat, & nunc miſſum eſt, dixit poſtea in Apocalypſi: *Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus; & qui ſedebat in eo, fidelis & verax, & in iuſtitia iudicat & pugnat. Oculi eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum quod nemo nouit niſi ipſe. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: & vocatum eſt nomen eius, Verbum Dei.* Videte igitur fratres, quomodo veſtis ſanguine aſperſa in ſymbolo ſignificauit carnem, qua venit, ad ſubeundam paſſionem impaſſibile Dei verbum, ſicut mihi Prophetæ teſtantur. ſic enim ait beatus Michæas: *Domus Iacob irritauit Spiritum Domini. hæc ſunt eorum ſtudia. non bonis ſermones eius, & recte cum ipſis ambulant. & ipſi ſuſcitauerunt inimicitiam contra pacem eius,* (11) *gloriam eius detraxerunt.* id eſt, fecerunt eum pati in carne. Similiter beatus Paulus ait: *Quod enim impoſſibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudine carnis peccati, damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis oſtenderetur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum Spiritum.* Qualem igitur filium ſuum Deus per carnem miſit, niſi verbum, quod à principio ſcilicet filium vocauit, quia futurum erat vt ortum caperet? & cū filius vocatur, (12) commune nomen amoris erga homines ſumit. Nec enim verbum per ſe & ſine carne (13) perfectus filius erat, cùm tamen eſſet perfectum verbum, vnigenitus. neque caro per ſe ſine verbo ſubſiſtere poterat, quia in verbo habebat [illegible], id eſt, in verbo ſubſiſtebat. Sic ergo vnus filius Dei perfectus, manifeſtatus eſt. Atque hæc quidem ſunt de incarnatione verbi teſtimonia, & alia plurima. Videamus nunc quod propoſitum nobis eſt, quòd verè, fratres, virtus patris, quod eſt verbum Dei, è cœlo deſcendit, & non ipſe Pater. ſic enim ait: *Ego ex Patre exiui, & venio.* Quid eſt autem quod *ex Patre exiui*, niſi verbum? Quid eſt quod ex ipſo genitum eſt, niſi Spiritus, id eſt, verbum? Sed dicet mihi: Quomodo genitum eſt? Explicationem, quomodo tu genitus es, non potes expromere, quamuis quotidie vides cauſam humanam, & modum generationis, non potes perfectè efferre. non enim licet tibi cognoſcere artem eius qui creauit, inexperientia & vſu politam, & non enarrabilem: ſed ſolum videndo intelligere & credere quòd opus Dei eſt homo. De verbi autē generationis ratione, qua Deus Pater generare voluit, generauit ſicut voluit. Non ſatis eſt tibi ſcire quòd

E

prædicatū per Apoſtolū.

Ioan. 1.

† Quia in myſteriū incarnationis vno cōſenſu & operat one concurrerunt pater & filius & ſpiritus ſanctus vnus Deus.

F

† Hoc dicit propter Petrū quē legimus in Euangelio negaſſe

Matt. 28

Apoc 19

G

Michæ 2

Rom. 8.

H

Ioan 16

Deus

A

Si tanto generationis humanæ non eſt enarrabilis quanto minus erit generatio non diuinæ? Matthæo & cæ. Ioan. 3. Pſal. 109.

Deus mundum condidit, niſi audeas inquirere, quomodo condidit? Non ſufficit tibi cognoſcere, quòd filius Dei tibi apparuit ad ſalutem, ſi tamen id credis; ſed inſuper quomodo genitus eſt ſecundum Spiritum, curioſè indagas? Atqui generationem eius ſecundum carnem enarrare non pluribus quàm duobus concreditum eſt, & tu audes generationem ſecundum Spiritum ſcrutari, quam apud ſe Pater ſeruat, reuelaturus tunc ſanctis, qui vt faciem eius videant digni erunt? Satis habe quòd à Chriſto dictum eſt: *Quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.* ſicut per Prophetam ſignificat verbi generationem quòd genitus eſt: quomodo verò reſeruat apud ſe in tempus certum ac præfinitum, cum illud reuelaturus eſt. Sic enim ait: Ex vtero ante luciferum genui te. Sufficiunt hæc teſtimonia fidelibus veritatis ſtudioſis. infideles enim nulli credunt. Etenim Spiritus ſanctus vt terreret, in perſona Apoſtolorum teſtatus eſt: *Domine, quis credidit auditui noſtro?* Quamobrem ne ſimus infideles, ne quando in nobis, quod dictum eſt, impleatur. Credamus igitur fratres, ſecundum traditionem Apoſtolorum, quòd Deus verbum è cœlis deſcendit in ſanctam virginem Mariam, vt ex ea incarnatus ſumpta anima humana, rationis inquam participe, factus omnia quæcunque homo eſt, excepto peccato, ſaluaret Adam qui ceciderat, & immortalitatem hominibus largiretur iis, qui crederent in nomine eius. In omnibus igitur demonſtratum eſt nobis verbum veritatis, quod vnus eſt Pater, cuius adeſt verbum, per quod omnia fecit, quod poſterioribus temporibus, ſicut ſuperius diximus, miſit Pater ad ſalutem hominum. Hoc per legem & Prophetas prædicatum eſt venturum eſſe in mundum. Sicut ergo prædicatum eſt, ſic præſens ſe ipſum manifeſtum fecit ex Virgine & Spiritu ſancto nouus homo factus, habens cœleſte quod paternum erat, tanquam verbum; terrenum verò tanquam ex vetere Adam per Virginem incarnatus. Sic in mundum egreſſus, Deus corporatus apparuit, egreſſus perfectus homo. non enim per fictionem, aut mutationem, ſed verè factus eſt homo. Sic igitur humana ſua non recuſat qui demonſtrabatur eſſe Deus, cùm eſurit & laborat, & defatigatus ſitit; cum formidans fugit, & ſuper puluinum dormit, qui naturam habet inſomnem vt Deus: cùm calicem paſſionis refugit, qui propter hoc in mundum aduenerat: cùm in anxietate ſudat, & ab Angelo roboratur, qui eos qui in eum credunt, roborat; & opere docuit mortem contemnere: cùm à Iuda proditur, qui cognoſcebat Iudam quis eſſet; & à Caipha inhonoratur, qui erat ab eo ſacerdotio fungente, paulò antè (14) tanquam Deus honoratus: cùm ab Herode ſpernitur, qui totam terram iudicaturus eſt; & verberatur à Pilato is qui infirmitates noſtras ſuſcepit: & à militibus illuditur is, cui adſtant millia millium, & decies centena millia Angelorum & Archangelorum: & à Iudæis in ligno figitur, qui tanquam cameram cœlum fixit: & clamans ad Patrem Spiritum commendat, qui eſt à Patre inſeparabilis: & inclinato capite expirat, qui dixit: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* quòd autem non dominabatur ei mors qui vita erat, ſignificauit cum dixit: *Ego à me ipſo pono eam*, & latus lancea aperitur ei, qui vitam omnibus largitur: & linteo inuolutus in monumento ponitur, qui mortuos ſuſcitat: & tertio die à patre excitatur, qui eſt ipſe *reſurrectio & vita*. Hæc enim omnia nobis operatus eſt, qui propter nos factus eſt ſicut nos. Ipſe enim *infirmitates noſtras ſuſcepit, & languores noſtros portauit; & pro nobis dolet*, ſicut dixit Eſaias Propheta. Ab Angelis laudatur, à paſtoribus viſus, à Symeone expectatus, ab Anna teſtatus, à Magis quæſitus, ab ſtella ſignificatus, in domo patris verſatus, à Ioanne digito oſtenſus, cui pater supernè teſtimonium dedit, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* hic coronatur contra diabolum. Hic eſt Ieſus Nazarenus, qui in Cana Galilææ ad nuptias vocatus, aquam in vinum mutauit; & mare et ventorum agitationi increpauit; & ſuper mare tanquam ſuper terram ſiccam ambulauit, cæcum à natiuitate videre fecit; Lazarum iam quatriduo mortuum excitauit; varia miracula edidit; peccata remiſit; dedit Apoſtolis poteſtatem; lancea ictus ſanguinem & aquam ex latere fudit. Propter huoc ſol obtenebreſcit, dies non illuminatur, rumpuntur petræ, ſcinditur velum, fundamenta terræ quatiuntur, aperiuntur ſepulchra, & reſurgunt mortui; & principes pudore afficiuntur cùm vident in cruce eum qui vniuerſum ornauit, claudentem oculos, & tradentem Spiritum. Hæc cùm creatura videret turbabatur, & cum gloriam illius capere non poſſet, tenebras ſibi obducebat. Hic inſufflans dat diſcipulis Spiritum, & ianuis clauſis ingreditur. Hic videntibus Apoſtolis à nube in cœlum ſuſceptus eſt, ſedetque ad dexteram patris, venturus inde ad viuorum & mortuorum. Hic Deus & homo propter nos factus, cui omnia ſubiecit pater. Ipſi gloria & imperium cum Patre & ſancto Spiritu, in ſancta Eccleſia, & nunc & in ſecula ſæculorum, Amen.

Margin, left column: B — Ioan. 12. Rom. 10. — C — Matth. 4. Ioan. 4. Ioan. 8. & 10. — Luc. 22. Ioan. 12. Luc. 23. Dan. 7. — Eſaia 40. — Ioan. 10. — D — Ibidem Ioan. 19. — Ioan 11. Eſaia 53. — Luc. 2. Matt. 2 — Ioan. 1. Matt 17. Ioan. 2. Matt. 8 & 14. — Ioan. 9. Ioan. 11. 12 Ioan. 20 Ioan 19 Matt. 27.

Margin, right column: E — Matt. 27 — Ibidem. — Ioan. 20. — Act. 1. — 1. Cor. 15.

EVANGELIORVM QVATVOR NARRATIO, AMMONIO ALEXANDRINO OTTOMARO LVSCINIO interprete.

F

Ex his quæ ſuperius ſeculo ſecundo Victoris Capuani, ante Harmoniam Tatiani annotauimus, facile conſtat hoc opus hic poſitum non eſſe Ammonij Alexandrini, ſed Tatiani Syri, in hoc ſiquidem opus exactè omnia competunt, quæ Euſebius & Theodoretus de diateſſaro Tatiani prodiderunt. Quocirca vt probè noſcas, & cuius auctoris, & qua auctoritate hic liber ſit habendus, ab hæretico auctore fraude & impoſtura compactus, accipe quid de ipſo ſcribat Euſebius lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 27. in hæc verba. Tatianus ille, qui erat primus auctor & princeps Encratitarum, coniunctionem quandam & collectionem Euangeliorum neſcio quomodo compoſuit, illudque opus diateſſaron, id eſt, vnum euangelium ex quatuor collectum nuncupauit. Hæc Euſebius. At quid ſibi vult illud illud, Neſcio quomodo, niſi fraudem & dolum hæretici auctoris opus concinnantis. Id quod Theodoretus palam expoſuit lib. 1. hæret. fabular. hiſce verbis: Tatianus compoſuit etiam Euangelium, quod dicitur diateſſaron, id eſt, ex quatuor vnum, amputatis genealogijs, & alijs quæcunque oſtendunt Dominum natum eſſe ex Dauid ſecundum carnem. Eo autem vſi non ſolum ſunt, qui ſunt illius ſectæ, ſed hi etiam qui dogmata Apoſtolica ſequuntur, compoſitionis fraudem non agnoſcentes, ſed ſimplicius eo tanquam libro compendioſo vtentes. Ego quoque inueni plusquam ducentos huiuſmodi libros qui in honore habebantur in noſtris Eccleſijs, quos cum omnes ſimul coegiſſem, depoſui, & in eorum loco repoſui quatuor Euangeliſtarum euangelia. Hactenus Theodoretus. Cernis apertè in hoc ipſo opere reciſas genealogias Domini, & alia, quæ Chriſtum ex Dauid ſecundum carnem genitum demonſtrant, vt illud met Tatiani opus eſſe non dubites totum, dolo & impoſtura ad ſtabilimentum hæreſis conſerruminatum. Quocirca inſcriptio ita mutanda videtur: SS. Euangeliorum Diateſſaron, id eſt, vnum ex quatuor Tatiano Syro hæreſiarcha Encratitarum principe auctore.

G

Ex Bellarmino de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Ammonius Alexandrinus, tempore Alexandri Imp. vixit, & ſcripſit canones Euangelicos, quos alij Harmoniam Euangelicam vocant: quam Victor Capuanus cum Tatiani diateſſaron confudiſſe videtur. H

IN principio erat Verbum, per quod condita ſunt omnia, in fine tandem temporum caro factum. Ioan. 1. Idque nouo naſcendi modo, ex virgine Maria, Ioſeph cuidam nuptui tradita: Matth. 1. Sed Gabrielis paranymphi cœleſtis nuntio, grauida. Luc. 1. Quæ res maritum Ioſeph Sacramenti neſcium, traxit in admirationem, vt niſi diuino fuiſſet edoctus oraculo, conſilium de virgine deſerenda, ita vt conceperat animo, haud dubiè impleſſet. Matth. 1. Cenſi capite ſunt tùm forte Octauij Auguſti edicto, omnes qui Romano parebant imperio: quum Ioſeph, Bethleem quæ ciuitas erat Dauid ad quem genus referebat, ſimul cum Virgine proficiſcitur. Vbi illa partu ſoluta, enixa eſt Chriſtum, Aderat mox Angelus è cœlo delapſus præco, agmine cœleſtium ſpirituum longo ſtipatus, qui paſtoribus noctu eo loci excubias agentibus, natum hominibus Seruatorem nunciaret. Lu. 2. Cap. 1.

A 2. Neque latuit Magos ad ſolis ortum longis terrarum ſpacijs etiam diſſitos, ea natiuitas. Matth. 2. Quippe poſt circunciſum octauo die infantem, Ieſumque vocatum. Lu. 2. Ipſi tertio decimo, Hieroſolymam, noua quadã ſtella duce venientes, Regem Iudæorum prædicant natum. Ac communicato cũ Herode principe & Scribis conſilio in Bethleem iouentum adorant, ac venerantur muneribus. Matt. 2. Sed & iuſtus ille Simeon, Annaque Phanuelis filia Prophetico ſpiritu afflati, oblatum poſt dies quadraginta in Templo agnouerunt Chriſtum, lætis prędicationibus fauſta terris ominantes. Luc. 2. Iniquo animo hæc tulit Herodes, natumque recens puellum conatur extinguere. Itaque Ioſeph rediens Nazareth. Luc. 2. Oraculo admonetur vt fuga in Ægyptum, infantis vitæ conſulat, idque in tempore: natu non multo pòſt ita ſucceſus Rex, bimulos omnes ac natu minores gladio ſuſtulit. Matth. 2. Creſcebat interea puer & confortabatur ſpiritu, continuum ſeptennium agens in Ægypto vſque poſt Herodis interitũ. Quem B vbi Ioſeph cœlitus per quietem didicerat, reducem ſeſe tũ patriæ Nazareth protinus exhibuit. Luc. 2.

Cap. 2. Porrò annum agens Ieſus duodecimum, parentes Hieroſolymam ſequutus, quò illi ſtatis quibuſdam anni diebus ſacrorum gratia confluebant, Patris cœleſtis agens negotium, diuinæ legis doctorum cœtui, toto triduo permixtus, parentes paululum declinauit. Deinde inuentus ab his, diuinamque voluntatem cauſatus quia ſe ſubduxerat, domum redit morigerus in omnibus. Luc. 2. Ioannes aliquanto pòſt, Zachariæ filius Chriſti anteambulo, prædicationis munere clarus fuit. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Acceſſit prædicationi pœnitentiæ, iuncto baptiſmo, tanta vitæ ſanctimonia, cultuſque auſteritas, vt à Iudæorum primoribus dubitatum ſit num eſſet ille Chriſtus, legatione ad ſciſcitandum veritatem in id decreta. Verùm Ioannes *Eſai 40* faſſus planè quod erat, Eſaiæ de ſe affert vaticinium, quod clarius delegata ſibi à Deo prouincia intelligeretur. Ioan. 1.

Cap. 5. Ieſus interea trigeſimum fermè ætatis annum attigerat, quum Galilæam relinquens, Iordanis peteret fluenta: vbi C à Ioanne lauacro tinctus, multum primò reluctante, quaſi præpoſterum illud eſſet officium: auditaque vox Patris Cœleſtis, hunc dilectum ſibi filium atteſtantis. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Subductus hinc in deſertum, poſt quadraginta dierum inediam, Tentatoris ſuſtinuit graſſantis inſidias. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. Ioannes deinde viſo Ieſu, agnum Dei hunc eſſe apertè indicat, qui totius mundi auferat delicta. Atque eo teſtimonio primùm illecti, Bariona, cũ fratre Andrea Ieſum ſequitur, Philippus mox vocatus addit ſe ſocium. Ioan. 1. Tertio die vocatus ad nuptias, virtutem diuinam aqua in vinum cõmutata prodidit, ſimulque electis è templo mercatoribus. Ioan. 2. Huic acceſſit copioſa piſcium captura in Ieſu verbo, quum vano labore Petrus totam noctem cõſumpſiſſet. Vnde ſtupor ille, verbaque: Exi à me Domine, quia peccator ego ſum. Luc. 5. Baptizabant interea paſſim & Ieſu, & Ioannis diſcipuli. Ioan. 4. Quæ res materiam orti poſt inter illos liuoris ſuppeditabat. Verùm Ioannes de Ieſu rebus fœliciùs promo-D uendis ita loquebatur: Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui de cœlo venit ſuper omnes eſt. Ioan. 3. Atque ita futurum breui indicauit euentus: Ioanne per Herodem (quod ſe admonuiſſet errati) primùm coniecto in vincula, deinde capitis damnato. Matth. 14. Mar. 6. Quæ crudelitas Ieſu, è Galilæa migrandi in fines Zabulon & Nephtalim, occaſio fuit. Vbi primùm pœnitentiam, regnique cœleſtis confinitatem prædicauit. Matth. 4.

Annus primus Dominicæ prædicationis.

Firmata de ſe, editis miraculis, diuinitatis opinione, ad doctrinam Euangelicam longè lateque diuulgandam, *Eſai 11.* Ieſus animum conuertit. Locumque Eſaiæ quo ait: Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me: Euangelizare pauperibus miſit me: cum his quæ ſequuntur, palàm ſuæ functioni congruere indicauit. Luc. 4. Elegit autem diſcipulos duodecim. Matt. 10. Marc. 3. Luc. 6. quibus conſcenſo monte ſeparatim propoſuit beatitudinis quaſdam formulas, longè diuerſas ab his quas vulgus hominum ſectatur. Proinde definiuit arma quibus velit eſſe inſtructos cœleſtis doctrinæ præcones, poteſtate illis facta, impuros dæ-E mones pellendi, ſimulque curandi morbos. Matth. 5. Nec minor illis fuit ſollicitudo docendi plebem, poſtquàm relicto monte in latè patentes campos deſcenderat. Luc. 6. Doctrinam ſequuta ſunt miracula, aut ſi quis malit appellare, varia in miſeros collata beneficia. Lepra vitiatum corpus ſuæ puritati reſtituitur. Matth. 8. Marc. 1. Vexatus à Cacodæmone, in Synagoga, ſibi reſtituitur. Marci & Luc. 4. & 5. Centurionis famuli paralyſis conſolidatur. Marc. 8. Luc. 7. Ioan. 4. Viduæ natus vnicus à morte ad vitam reuocatur, ad portam ciuitatis Naim. Luc. 7. Quid multa? omnes corpore affecti, quos fama per vniuerſam Syriam diſperſa de Ieſu coëgerat, bonę valetudini reducũtur. Mar. 4. Mar. 3. Luc. 4. Ioan. 6. Nec contentus his beneficijs corporalibus, mulierem in Phariſæi conuiuio malè actæ vitæ conſcientia ægram abſoluit. Luc. 7. Multos tum cupido inceſſerat illum ſequendi: verum affectus terrenarum re-F rum obſtitit. Alius enim fortunæ ſtrepitum ſibi pollicetur, & audit Filium hominis ne tantillum quidem habere ditionis vt caput eò reponat, quum auibus nidi ſint & vulpibus ſuæ ſpecus. Alius paterni funeris curationem præfert Chriſti contubernio, cui dicitur: Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Matth. 8. Luc. 9. Alius proinde domeſticorum ac neceſſariorum curam prætexuit vt non protinus ſequeretur: quem aranti ſimilem facit, vultu in tergum verſo. Lucæ 9. Cæterum regionem petituro Geraſenorum, traijciendus erat lacus in quo naui vectus dormiebat, ac coorta interim tempeſtate, ventos mareque compeſcuit. Matth. 8. Marc. 4. Luc. 8. Porrò ad portum vbi appulit, ſpiritibus immundis obnoxios, præter modum ſæuientes liberans, porcorum gregem rapito præceps permiſit. Matth. 8. Luc. 8. Marc. 5. Rediens inde Capernaum Paralyticum per tegulas dimiſſum alienæ fidei reſpectu ſanat. Matth. 4. Marc. 2. Lu-G cæ 5. Et pauculos poſt dies Iudæam repetit, atque in Teloneo conſpectum Matthæũ Publicanum vocat ad Apoſtolici muneris functionem. Matt. 9. Marc. 2. Luc. 5. Rurſus in Galilæam profectus per mediam Samariam, in colloquium incidit cum muliercula prope puteum. Vnde illa edocta, Meſſiam veniſſe qui dicitur Chriſtus, palàm fatetur. Ioan. 4. Deinde in Canam Galilææ ſe contulit, inter eundum regij cuiuſdam viri filium iam moribundum, ea hora qua ille ſalutem petebat, viuere prædicauit. Ioann. 4. Succedit mox conuiuium Leui, quo receptus Ieſus ſimul cum Publicanis, à Phariſæis reprehenditur. Verùm ille medicum ſe eſſe teſtatus, morbo laborantes potiſſimum ſua ope indigere indicauit. Proinde miſericordiam qua egenibus ſuccurreret, longè præſtare ſacrificio. Verterunt item vitio diſcipulis Ieſu, Ioannis ſectatores, quòd ſe non ad Phariſæorum morem ieiunijs macerarent. Et audiunt iniquum videri vt ſe ſponſo præſente, lugeant filij: nouumque viuendi inſtitutum, veterum permiſſione confundatur. Perinde ac in communi rerum vſu, deſipere dicitur qui veteri veſtimento particulam noui panni aſ-H ſuat, nouumque vinum vtribus annoſis audeat committere. Matth. 9. Marc. 2. Lucæ 5. Nec contenti Phariſæi obtrectatione, qua omnia Chriſti facta calumniabantur: ſed ſignum quoque nouum expetũt, quaſi verò ille nullum exhibuerit. Et reportant aptum malignitati ſuæ reſponſum. In filios videlicet degeneres & ſceleratos, ſuæ ſignum rectè competere, aluo piſcis triduo *Ioan. 9 Matth. 12* olim incluſi, cuius monitis, Niniuitæ etiam deploratæ improbitatis homines, reſipuerint. Atque eã ratione damnationem manere incredulos. Subiecit mox Regi-*3. Reg. 10. 2. Par. 9 Luc. 11.* næ Auſtri exemplum, quam Salomonis ſapientia ab vltimis terrarum oris attraxerat. Et quod omnium aptiſſimè quadrabat, impuri ſpiritus ad hominem, vnde paulo antè exierat, reditum longè infœliciſſimum. Quando, quod ad prædicationem attinet veritatis, Ionas & Salomon multis partibus ſe eſſent inferiores. Matth. 12. Luc. 11. Necdum ſermonem inſtitutum finierat, & mulier quædam è medio turbæ, beatum exclamat ventrem Chriſti Genetricis, ac fœlicia vbera. Sed ille quod potius eſſet,

A magiſque eſſe re noſtra, malebat eſtimari: Beatos videlicet haud dubiè futuros qui verbum Dei conciperent animo, generarent benè factis. Luc. 11. Denique in prædicationis Euangelicæ negotio, quemadmodum abeſſe debeat cognationis & alterius cuiuſuis neceſſitudinis affectus, matre ac fratribus ſe quærentibus, diffiniuit, dum illos repudiat, & diuinæ voluntati morigeros, parentes & fratres ſuos agnoſcit. Matth. 12. Mar. 3. Luc. 8.

Cap. 5. Sermo autem Domini cùm iam confirmatus eſſet miraculis, cõmodum à Iairo ſynagogæ præfecto inuitatur ad beneficium defunctæ filiæ præſtandum, id quod facilè obtinuit. Matt. 9. Mar. 5. Luc. 8. Cæci item duo Ieſum ſequentes, viſum precibus impetrarunt. Mat. 9. Mutus dæmoniacus eiecto immundo ſpiritu loquitur, ita vt turbam nõ mediocris caperet inſolitæ rei admiratio. Verùm Phariſæi, dona Dei non agnoſcentes, Beelzebub dæmoniorũ principi accepta Chriſti opera referunt. Matth. 9. Luc. 11. Quæ

B in re tam atrox piaculum eſt admiſſum, vt neque hîc dilui queat, nec in futuro ſæculo. Matt. 12. Mar. 3. Luc. 11. Quanquam nihil eſt cur miremur, natura improbos in maledicta prorumpere, quòd vir bonus de bono theſauro bona proferat: malignus, pernicioſa, verumque ſit quod dicitur: Ex arbore fructum dignoſci. Atqui proſpiciendum erat ne lingua peccaremus, de quocunq; verbo ocioſo coram Deo iudice exactam rationem reddituri. Matth. 12.

Sub hæc ingreſſus Ieſus oppidulum quoddam, à Martha hoſpes excipitur: quæ dum ſedulò in apparando conuiuio occupata, ſororem Mariam ab ore Domini pendẽtem incuſaret, mox diſcit ſe negotijs, non quidem negligendis, ſed fluxis tamen incumbere, ſorore interim quæ ſunt optima, complectente. Luc. 10. Deſignauit præterea alios ſeptuaginta duos diſcipulos, quos in meſſem Euangelici negotij tum impendio copioſam, anteambulones præmitteret, nihil omittens præceptorum ſalubriũ quæ ad Apoſto-

C licam integritatem veruandam his conducerent. Denique præceptis, dotes additæ ſunt curandorum languorum, ſimulq; eijciendorum dæmonum. Cœptis fœlix non defuit ſucceſſus: atq; inde in arrogãtiam lapſi diſcipuli, Dominico ſermone, quo ſe vidiſſe ait, Satanam ceu fulgur è cœlo deciduum, ad modeſtiam reuocantur. Luc. 10. Eadem fermè hora cõmendatur à Chriſto lætitia geſtiente, Patris ſui cœleſtis benignitas, quæ magnates, Euangelij Sacramenta celaſſet, infimæ ſortis hominibus illa aperuiſſet. Matth. 11. Luc. 10. Cęterum fœlicitatis comes inuidia Phariſęorum exſtimulabat, vt Chriſto ac ſuis vndiq; obturbarent. Flectebat ille fortè iter ſabbato per ſegetes, & famẽ ſpicis manus conuulſis ſolabantur, quod opus à ſuperſtitioſulis iſtis veluti impiũ carpebatur. At Ieſus Dauidis exemplo Scripturæq; diuinæ permiſſum, & innoxios eſſe diſcipulos oſtendit, ſeq; tanquàm ſabbato ſuperiorem, eius legibus haudquaquam aſtringi. Matth. 12. Marc. 2. Luc. 6. Proximo dein ſabbato arentem hominis dexteram in Synagoga ad vigorem reduxit. Veritum vtiq; non eſſe Sabbatu conteſtans, vt beneficus exiſtas. Quando in puteum collapſam pecu-

D dẽ impune extraxeris. Vt nephas quoq; videri poſſit, tunc hominis ſalutem negligere. Matth. 12. Marc. 3. Luc. 6. Quæ res prima æmulis occaſio fuit vt de perdendo Ieſu conſiliũ ceperint. Matth. 7. Verùm ille ad tempus cedens improborum maleuolentiæ, montem cõſcendit, in quo ſolidam eam noctem precibus vacauit: Matt. 12. Luc. 6. Poſtero die verbi cæleſtis eminentiam ac fructum, è nauı ad plebem in littore collectam exponit, parabolis in eam rem varijs atq; adeò aptiſſimis adductis. Nempe ſeminantis, cuius ſeges partim in iter publicum, petram, & ſpinas: partim in fertile ſolum inciderat. Matt. 13. Mar. 4. Luc. 8. Confinis huic parabolę erat illa de ſeminante zizaniam in agrũ, dormiente eo qui bonum ſemen in eundem ſparſerat. Matth. 13. Mar. 4. Tum illa de grano ſinapis minimo, in iuſtã arboris magnitudinem ſuccreſcẽte. Cui acceſſit ea de fermento quod mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus. Matth. 13. Luc. 13. Deinde dimiſſa plebe, in ædiũ penetralibus explicat diſcipulis parabolarũ ſuperiorũ myſteria, adiectis inſuper alijs, puta de theſauro in agro reperto, ac negociatore margaritas pulchras quærente: quę vtraq; nõ niſi diuenditis omnibus potuerint acquiri: Latẽter indicans verbi cæleſtis ſub-

De verbi Dei, dignitate & fructu.

E limitatem. Ac ne quis hoſtium illius veritus inſidias, defectionem meditetur, aut de tollendis è medio improbis cogitet, eoq; differat ſuum in re Euãgelica ſtudium, protinus verriculo in mare iacto piſcibuſque extractis, pro eo quod boni fuerint aut vitioſi, retentis aut abiectis, tolerandum hoc tædiũ quàm diu viuas, oſtendit. Mat. 13. Id quod fermè ſuperiore quoq; de zizanijs parabola non obſcurè docuit.

Dominicæ prædicationis annus ſecundus.

ANni autem ſecundi initium, Ieſus docẽdæ patriæ dedicauit. Porrò frequentia & familiaritas prorſus cõtemptibilem reddidêre, vt diceret ſibi commune eſſe cum Prophetis qui in patria duntaxat expertes gloriæ fuiſſent. Matth. 13. Luc. 4. Marc. 6. Heliæ exemplo ac Helizei non abſurdè huc trahebatur, quorum neuter in gentem ſuam impendio beneficus extitiſſet. Cæterum hic ſermo quantũ exagitauerit municipes Ieſu, euentus planè docuit. Conati enim ſunt, illum ex edito, vrbis loco præcipitare, erãt-

F que dictis parum creduli, vt nullo illic prodito miraculo, diuina virtute è manibus illorum laberetur. Matt. 13. Luc. 4. Herodes interim Tetrarcha, necato Ioanne, quum fama de Chriſti miraculis per omnem finitimam regionẽ dimanaret, ſuſpicans Ioannem reuixiſſe, deſiderio videndi illius tenebatur. Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. At Ieſus agnita fraude, in ſolitudinem ſe abdidit, quò ſequuta ingens turba, commeatu iam deficiente, de quinq; panibus & piſcibus duobus paſcitur. Quo beneficio Ieſus adeò ſibi multitudinis animos conciliauit, vt dignum indicarent principatu. Sed is alienus ab omni ambitione, clanculum fugit in mõtem, vbi ſolus perpetuis precibus noctem ad quartam vſq; caſtrẽſem vigiliam protraxit. Matt. 14. Mar. 6. Luc. 9. Ioan. 6. Erãt tum diſcipuli in ſummo marinæ tempeſtatis diſcrimine, ventis præter modum ſæuientibus, & nauim qua vehebantur in diuerſum agitantibus, cùm Ieſus in vndis perinde atque in ſolida terra deambulans, præſentia mœ-

G ſtos ſua ſolatur. Verùm illi nouitate rei deterriti, ſpectrum eſſe inane quod viderant, putabant. Matth. 14. Mar. 6. Ieſu autem loquente, Petrus fide in Chriſtum ſuper mare ambulat, incredulitate mergitur. Matth. 14. Conquieuit autem illicò ventus Domino nauim ingreſſo. Matt. 14. Marc. 6. Et traiecit in terram Genezaret. Matt. 14. Vbi varijs languoribus affectos, qui vel fimbriam veſtis illius optabant contingere, ſanauit. Matth. 14. Marc. 6. Poſtero die inuentus ab his quos pauit in ſolitudine, cauſam intelligens cur ſe longis ambagibus quæſiſſent, cibum corporalem ad cæleſtem alimoniam comparandam longo ſermone cohortatus, Manna, illo cibo longè eſſe inferius edocuit. Proinde quum de verbo vitæ æternæ loquens, iam panem nominaret, modo carnem & ſanguinẽ, multi horrore rei perperam intellectæ concepto, à Chriſto deſciuêre. At Petrus contrà, quòd verba hæc ſint vitæ æternæ, perdurandũ ſuadebat. Ioan. 6. Deinde quum vocatus ad Phariſæi cuiuſdam prandium neglecto lauacro diſcubuiſſet, & is plurimum eo fuiſſet offenſus: Stultos vocat qui nimium anxiè maiorum obſeruarent traditiones, iudicio Dei & charita-

H te interim omiſſis. Luc. 11. Decimabant illi mentham, rutã & olus quoduis, in vaſis quoq; mundandis quæ ad victum pertinebant plus iuſto erant curioſi. Cæterum ambitioſi in affectandis primis in ſynagoga cathedris, Hypocritæ in extrinſeco cultu, vereque ſepulchra foris dealbata. Impij denique in ſenes valetudinarios, quibus oblationum prætextu ſubtrahebant alimoniam, circumuentis falſa doctrina. Vnde cæcos vocat illos Chriſtus, & plãtationem quam Pater cæleſtis minimè agnoſcat, ideoque breui interiturã. Rectè proinde in iſtos competere Eſaiæ vaticinium, quo ait: Populus hic me labijs honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa autem colunt me docentes doctrinas & mandata mortalium. Oſtendit autem hominem minimè contaminari ab his quæ per os immitteremus, ſed magis adulterio, fornicatione, homicidio, furto, auaritia, impoſtura, dolo, impudicitia, obtrectatione, ſuperbia & ſtultitia, quæ omnia in cordis officina clàm concepta, magno malo foras prodirent in publicum: eſſeque ſimplex genus expiandarum impuritatum, ſi eleemoſyna in fratrem beneficus exiſtas. Matth. 15. Marc. 7. Luc. 11.

A

Cap. 8.

Dimiſſa inde Iudæa, Ieſus in oras finitimas Tyri perrexit & Sidonis. Vnde Chananæa quædam mulier egreſſa, fidei magnitudine iugique precum inſtantia filiæ à dæmone vehementer afflictæ ſalutem impetrauit, Matthæi decimoquinto, Marci ſeptimo. Et illico cæcos, claudos, ac quosuis imbecilles ac valetudinarios ad pedes Domini proiectos ille ſanitati reſtituit, magnaque hinc populum cepit admiratio, Matth. 15. Longè autem maior, ſurdo mutoque audiendi ac loquendi officiis redditis, dum relictis Tyri finibus, Decapoleos peragrat oras: acclamabant enim etiam prohibente Domino: Benè omnia fecit, & ſurdos audire, & mutos loqui, Marci ſeptimo. Contulit autem ſe eo itinere Hieroſolymam ad ſolennia Pentecoſtes, vbi ad Probaticam piſcinam expoſitum duodequadraginta annorum languidum, Sabbato (mirum in modum ſæuientibus Phariſæis) ſanum fecit. Porro cauſam ſciſcitantibus, dixit ſe Patris cœleſtis Dei opera in omni ſua functione hactenus fuiſſe adiutum. Scripturas diuinas, in quibus illi vitam æternam conſtituebant, de ſe certum præbere teſtimonium.

B

Denique quod omnium maius acceperit à Deo: Id quod Ioannes quoque non obſcurè firmaſſet. Verùm incredulos viciſſim ſibi gloriam tribuere, quæ quàm ſit vana, abundè perſpicuum ex eo videri, quòd à ſolo Deo omnis gloria procedat. Incitauit hic ſermo magis atque magis iſtorum in Ieſum animos, vt & illius non mediocre ſeminarium is extiterit, Ioannis quinto. Aliquantò pòſt, tranſmiſſo mari Galilææ, ſeptem panibus & pauculis piſcibus quatuor milia hominum cibauit in ſolitudine, Matth. 15. Marc. 8. Vnde digreſſus, nauigio venit in oras Dalmanutha, vbi laceſſitus à Phariſæis accuratè docuit impoſturas illorum prorſus fugiendas, fermentum appellans, eò quòd multi ſenſim lupum mentientes, ouilia huiuſmodi corrumperent, Matthæi 7. Marci 8. Lucæ duodecimo. Ac mox in Cæſareæ Philippi partes conceſſit, & confeſſionem Petri de ſe recipiens, ea occaſione claues regni cœleſtis et promiſit: ita ſuam ſtabiliendo Eccleſiam, vt portæ inferorum nihil virium aduerſus illam ſint habituræ.

C

Indicat autem quanta ſe maneat calamitas, denique & mors ipſa, in quam conſpiraturi ſint Iudæorum Scribæ & Antiſtites. Sed tertio mox die ſit reſurrecturus, Matthæi decimoſexto, Marci octauo, Lucæ nono. At Petrus mortem audiens, increpuit occultè Dominum, ceu parum conſultè acturus ſit, ſi illam ſponte ſuſcipiat. Quo contrà Ieſus à ſe abegit Petrum, Satanam eum vocans, qui diuinæ voluntati repugnet, & in humanis duntaxat rebus ſit oculatus, Matthæi decimoſexto, Marci octauo. Quin magis domandos oſtendit humanos affectus, ſeſe prorſus abnegato, & cruce ſua ipſius ſuſcepta, quo liberiùs illum ſequi nobis liceat, Matth. 16. Marc. 8. Lucæ 9. Contemptum autem ſe in humana ſpecie, aliquando in gloria Patris, inter Angelorum agmina viſendum ait, quando ius ſit redditurus, & præmia cuique pro meritis. Sed quid ego, inquit, vos longiùs moror? Quando ex hoc præſenti cœtu quidam ſunt, quibus maieſtas mea etiamnum viuis palàm reddetur conſpicua? Matthæi decimoſexto, Marci nono, Lucæ nono.

D

Et interiectis ſex fermè diebus, planè contigit hæc promiſſio, præſentibus in monte quodam excelſo, Petro, Ioanne, & Iacobo diſcipulis, qui mirabili luce coruſcum viderunt, cum Moſe & Helia ſermones miſcentem, Patre cœleſti tum denuò Filium hunc eſſe dilectum, teſtante. Atque hæc viſio tam grata fuit Apoſtolis, vt cogitarint de ſedibus illic conſtituendis: placuit enim nunquam ab immenſo hoc gaudio diuelli, Matthæi decimo ſeptimo, Marci nono, Lucæ nono. Quanquam quod ad fidem attinet, quæ his rebus geſtis debebat accendi, Apoſtoli adhuc mirè frigebant. Id quod obſtitit, quo minus à dæmone arreptum potuerint liberare. Nam Ieſus ſanato homine protinus incredulitatem taxat, & fidem ſummo præconio extollit, Matth. 17. Marci 9. Lucæ 9. Venit deinde Capernaum, vbi tributum ſoluit, Petro ad mare piſcatum miſſo, fore enim, ait, vt ſtaterem, id eſt, quatuor drachmas, in ore piſcis, quem primùm prehendiſſet, inueniret. Etiamſi oſtenderet ſe tanquam terræ Dominum minimè ad hoc teneri, Matthæi decimoſeptimo. Inuaſerat autem diſcipulos, ea viſis miraculis & auditis de regno cœlorum ſermonibus, partim liuor, quò ægrè ferebat quiſq; alterum ſibi præferri: partim ambitio, qua honores, his qui in terris ſunt ſimiles animo conceperant.

E

Sed præceptor vtrunque damnans, accerſito puello, regnum cœleſte ad illos duntaxat pertinere dixit, qui prorſus in alium hominem mutari, ſeſe ad paruuli modum ſcirent demittere, Matthæi decimooctauo, Marci nono, Lucæ nono. Denique qualiter Deus erga huiuſmodi eſſet affectus, parabola oſtenditur ouis centeſimæ, quam amiſſam repetens, humeris lætus imponat, vocatis ad epulandum eius rei gratia amicis. Confinis eſt huic parabolæ, quam de drachma perdita recenſuit, magno cum gaudio inuenta. Et quæ omnium maximè indulgentem in nos Patrem cœleſtem piumque, modò reſipiſcamus, expreſſit, de Filio prodigo, cui parens obuiam vadens, in illius cupidè ruit amplexus. Stola adhæc priori ſimul cum annulo & crepidis afferri iuſſis, opiparum mox apparando conuiuium, Lucæ decimoquinto.

F

Cœleſtis autem parentis circa nos benignitatem oſtendit modis omnibus formulam eſſe agendi cum lapſis fratribus, quò animas illorum lucremur, dum ſolicitè primò arguimus ſoli, deinde adhibitis arbitris, ac mox Eccleſia, poſtremò tantiſper abijcimus, dum illos pudeat delicti, ratum deinde ac firmum ſe in cœlis habiturum, quicquid illi in terris ſuo nomine collecti ſtatuerent. Cæterùm in condonando erratu noluit Petro normam aut modum præſcribere, ſeptuagies ſepties abſoluendum peccantem, docendo, Matthæi decimooctauo, Lucæ decimoſeptimo. Quò autem clariùs intelligamus ob inclementiam noſtram, non ſolùm à Deo nobis non remitti, ſed etiam redire eam, quæ remiſſa eſt ſemel, parabolam dixit de rege, qui ſeruum, cui condonata erant debita, ad carcerem & pœnas repetiit, quia parem benignitatem conſeruo non impertierat, Matthæi decimooctauo.

Cap. 9

G

Finito hoc ſermone digreſſus à Galilæa Ieſus, in Iudæam, quæ ſita eſt trans fluenta Iordanis, profectus eſt, magna ſe comitante hominum multitudine, quorum ille primò languidos curat, deinde ad doctrinam animum conuertit. At Phariſæi, quibus mos erat in deteriorem omnia torquere partem, captiosè ſciſcitantur: Num liceat marito ex quauis cauſa vxorem abijcere; futurum rati, vt ſi permitteret, ſecum pugnare videretur, qui repudium vetuiſſet, ſin negaret, in legem Moſaicam delinqueret. Verùm Chriſtus reſpondit, Moyſeo ad duritiem Iudæorum reſpexiſſe, quum diuortiis frena laxaſſet. Cæterùm diligentiùs expendenda erat vel ex Geneſeos libro diuina in hac re voluntas, Matthæi 19. Marci 10. Difficultate autem attenta, quæ incidit in re vxoria, cœlibatum prætulit, Eunuchos eſſe nonnullos teſtatus, qui ſe caſtrarent regni cœleſtis gratia. Verùm id negocij ad pauciſſimos quibus conceſſum ſit, pertinere, Matthæi decimonono. Affertur ſubita occaſione idoneum puritatis & abſolutæ modeſtiæ exemplum, improbitate matrum adducti infantes, Apoſtolis impendiò prohibentibus, quos omnes ad ſe vocans, Dominus complexus eſt, & exoſculatus, talium eſſe comprobans regnum cœlorum, Matthæi 19. Marci 10. Lucæ decimooctauo.

De repudio.

H

Rurſus deinde relinquens Iudæam, quòd in perniciem illius Iudæi conſpirauerant, Galilæam petit, Ioannis ſeptimo. Vbi cùm audiſſet Pilatum præſidem extrema crudelitate in quosdam Galilæos animaduertiſſe, adeo vt ſanguinem quoque necatorum cum ſacrificijs miſceret; ad reſipiſcentiam omnes cohortatur, ſi ab interitu velint ſeſe vindicare. Ad pauciores enim plerumque pœnam pertingere; veluti illis quoque contigiſſet, quos duodeviginti turris in Siloe olim compreſſerat, quùm multò plures culpæ fuiſſent obnoxij. Et vt tenaciùs memoriæ inſideret quod maximè omnium vellet, parabolam ſubiecit de arbore fici, cui ſucciſionem comminatur paterfamilias, quæ fructum de ſe non ediderat, atque ſic feciſſet niſi vinitor ſuaſiſſet dilationem, ſpe quadam de frugibus etiamnum concepta, Lucæ decimotertio. Docebat fortè tunc in ſynagoga ſabbato, & verba comprobans miraculis, mulierem decem & octo annis dæmonio obnoxiam ſanat, quanquam vitio ſibi verterit illud princeps ſynagogæ. Chriſtus autem legem non, ait, ſoluis, ſi ſabbato bo-

Pilati crudelitas.

A uem aut aſinum ligatum vinculis expedias, & aquatum ducas. Cæterùm multò minus quia Abrahæ filiam quis ab immundi ſpiritus poteſtate exemerit. Phariſæi hinc felici ſucceſſui inuidentes Euangelici negocij, ſummouere loco Dominum conati: Abi hinc (aiunt) quò necem, cui te Herodes deſtinauit, euadas: atqui Ieſus fraude cognita, reſpondit, quòd iſtos vehementer morderet: Ite, inquit, dicite vulpi huic: Ecce eijcio dæmonia, & perficio ſanitates, hodie & cras, & tertia die conſumor, Lucæ decimotertio.

Cap.10 Subiecit mox ſeminarium odij & maleuolentiæ illorum, teſtimonium perhibens malignitati. Et quandoquidem in propinquo tum erat Scenopegiæ celebritas, contulit ſe Hieroſolymam, vbi poſt diuerſam volgi de ſe opinionem (Quidam enim virum bonum eſſe Ieſum prædicabant, alij impoſtorem.) ipſe in longum protracto ſermone, non ſuum agere ſe negocium, ſed Patris, qui ſe miſiſſet, indicat. Mirabantur enim qui illum audiebant, quo-

B modo literas probè calleret, quas nunquam didiciſſet. Ac mox ſecreta cordium illorum prodit, quòd pertinaci propoſito eſſent ſupplicium de ſe ſumendi. Et iniecissent planè illi manus, niſi remorat' illos fuiſſet Dominus, eò quòd hora ſua nondum adeſſet, Ioan. 7. Neque ita multò pòſt acceſſit Ieſum quidam, fratrem ſuum incuſans cupiditatis, quod hæreditatem ſecum non partiretur. At ille ad ſe minimè pertinere, ait, forenſe iudicium. Admonuit tamen auaritiam modis omnibus eſſe fugiendam, propoſita in hunc diuitis parabola, cuius opes magnis ſudoribus per improbitatem partę, ad incertum veniſſent hæredem, ſtulti illius anima, noctu dum minimè ita fore cogitaſſet, ablata, Lucæ duodecimo. Exorſus mox alium ſermonem deinde in templo, degenerare Iudæos ab auitis moribus probabat, quandoquidem Abraham factis non referentes, diabolum imitarentur, cuius verè eſſent filij. Illi con-

C trà Samaritanum appellant & dæmoniacum, lapidum iactu (niſi abiens ſibi proſpiciat) perniciem allaturi, Ioannis octauo. Prætereiens tum forte quendam ex eo tempore, quo natus fuerat, cæcum, omnibus mendicitate cognitũ, videndi tribuit facultatem, atque ea res multum Phariſæos vrebat, Ioannis nono. Quum protinus adoleſcens quidam accedens: Magiſter, inquit, bone, quid boni faciam, vt conſequar vitam æternam? At Ieſus præceptorum Dei obſeruationē commendauit: Ita tamen vt mentis propriæ diffideremus, quòd non ſit bonus niſi vnus, nempe De'. Verùm iuuene arrogantiùs ſeſe iactante, quod diuinis iuſſibus ſedulò paruiſſet: Chriſtus, quem nihil latebat, intuitus eum æris aliquantò appetentius, ad vendenda omnia, quæ mox eroget in pauperes, ſeque ſequendum inuitat. Verùm quum ille in diuerſum ſe torqueret, rectè, ait Dominus, ex ijs moribus conſequitur, Faciliùs camelum per acus foramen, quàm diuitem regnum cœleſte ingredi. Proinde Petro res Chriſti amore dimiſſæ fiduciam ſperandæ

D mercedis fecerant, & protinus audit: in maieſtate Domini, proximas ſedes, ſui ſimiles habituros, denique centuplum ſimul, cum gloria cœleſti recepturos, Matthæi decimonono, Marci decimo, Lucæ decimooctauo. Cæterùm opibus & potentia præſtantes, hæc quæ de terrenarũ rerũ contemptu diſſeruerat, ceu propoſito ſuo repugnantia effusè ridebant, quum Ieſus parabolam minimè ridiculam affert de Lazaro, id eſt, in ſolum Deum ſpem omnem collocante, qui ex fame & ſqualore ereptus in ſinum Abrahæ, cuius verè erat filius, recipitur. Epulone quodam diuite contrà, qui omnes vitæ delitias ſectatus, Lazarum prædictum vna alimonia, & ne micis quidem panis dignatus eſſet, in tartara deiecto, vbi perpetuò pœnas acerbiſſimas ac penitus intolerabiles ſit daturus, Lucæ decimoſexto. Proximam parabolam diſcipulis propoſuit de iniquo diſpenſatore, qui in rem ſuam dominica bona callidus profuderat, latenter indicans, nihil hic noſtrum eſſe, ſed Domini, qui tamen prudentiam laudet miniſtri, ex bonis alienis in egentes benefici: vnde illum viciſſitudo quædam maneat officij, Lucæ decimoſexto. Aliam item ſuperioribus connexam parabolam patrisfamilias, qui varijs diei horis operarios in vineam ſuam mercede pacta conduxit, imparem laborem pari præmio remunerans, quo ſignifi-

E care voluit iam olim futurum, vt gentes fide Iudæos anteuerterent, Matthæi decimo. Conquieuit autem pauliſper à ſermone Ieſus, & Phariſæi cuiuſdam ingreſſus ædes ſabbato vt cibum caperet, hydropicum ſanauit. Ac mox docuit perperam agere, qui inuitati ad conuiuium, primos accubitus curioſè ambirent. Optimates enim verè eſſe, ac aliorum anteſignanos, qui ſeſe ſcirent animo demittere. Proinde in conuiuijs apparandis inopum voluit haberi rationem, qui ad reddendum vices, quanquam eſſent impotes, tamen illius præmij, quod ſperandum ſit in reſurrectione iuſtorum, certa videretur occaſio, Luc. 14. Et hæ quidem res geſtæ, finem ſecundo dominicæ prædicationis anno impoſuere. — Hydropicus ſanatus.

F

TERTIVS ANNVS DOMINICÆ PRÆDICATIONIS.

Cap.11. EXtremus annus dominicæ prædicationis, idem illi planè qui & vitæ finis fuit. Deambulabat tum fortè Ieſus in porticu templi Salomonis, in Iudæorum encænijs, & cingebant illum Iudæi, improbis conatibus fermè vrgentes, vt palàm Chriſtum ſe eſſe fateretur. Verùm ille ex operibus facilè iudicandum oſtendens quis eſſet, Vnum nihilominus ſe eſſe cum Patre ingenuè confitetur. Quo dicto lapidibus, ni fugiat, obruere Dominum adorti ſunt, Ioannis decimo. Fugit igitur in vlteriorem ripam Iordanis, & illic accipit nuncium de Lazari morbo, dormire hominem ſignificans, qui iam fato conceſſerat. Præbuit ea mors repetendæ Iudææ occaſionem, etiamſi diſcipuli, cauendam Domino eam regionem, ob necem, quam illi

G Iudæi machinarentur, apertè prædicerent. Venit igitur Bethaniam quarto die, ex quo Lazarus in monumentũ reconditus fuerat, & deploratum iam penitusque deſperatum, ſe reuocaturum ad vitam pollicetur. Nec mirum, ſi Lazaro præſtaret, quod omnes in illo expectamus, ait enim: Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet; & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Nec mora, dicto fides certa adfuit, prodit è monumento, qui quartum iam diem mortuus fuerat. Quare permulti ex Iudæis complures, fidei Chriſti colla ſubdiderunt. Portò Phariſæi vbi hæc reſciuere, coacto concilio, in foribus eſſe periculum, niſi vnus Ieſus multorum vice pereat, Caiphæ Pontificis ſententia cognoſcunt. Itaque mox decernitur, quò celeriùs fieri poſſit, quoque commodiùs è medio tollatur, Ioannis vndecimo. Ceſſit furori Dominus, Efrem profectus, quæ vrbs non longè à vaſta ſolitudine aberat, vbi in tuto manſit cum diſcipulis ſuis, Ioannis vndecimo, Matthæi duo-

H decimo, Marci tertio. Poſtquam autem ita viſum eſt illi, vt mortem ſuſciperet, declinauit latibula, & iter flexit Hieroſolymam. Eundum autem illi erat per mediam Samariam & Galilæam, in qua oppidum quoddã ingreſſus, decem viros à lepra mundauit, è quibus vnus duntaxat, & ille Samaritanus rediens à Sacerdotibus gratias egit, Lucæ 17. Præmiſit autem nuncios, quos auerſati ſunt Samaritani, Iacobo & Ioanne vindictam expetentibus, vt flamma cœleſtis contumaces abſorbeat, ad eum modum, quo Helia orante contigit. Sed increpuit concitatos in iram Dominus, ſpiritum cœleſtem & verè Apoſtolicum, eſſe ſpiritum lenitatis, manſuetudinis & patientiæ indicans. Seq; haudquaquam veniſſe vt perdat animas, ſed vt ſeruet, Lucæ nono. Ait autem ad illos ſecretò: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, prodeturque illic filius hominis primarijs Sacerdotibus & Scribis, qui illum damnantes capitis, gentibus tradent, quò illuſum ac flagris cæſum cruci affigant. Cæterùm tertia die reſurgens à morte, reuiuiſcet, Matth. 20. Marc. 10. Luc. 18. Diſcipuli ijs verbis in ſpem erecti, futuri cuiuſdam regni ditionem affectabant, ac primi omniũ Iacobus & Ioannes, filij Zebedæi ſimul cum matre prima loca dominici regni ambiebant, Ieſu hanc mentis elatio-

nem

Lazarus ſuſcitatus.

A nem paucis verbis confutante, quippe facta mentione de calice, id eſt, pœna crucis, & dona Dei; quibus vtriusque via aperitur ad ſumma contendendi. Deniq; cæteros monet, principatum non cogitent, cuius inter Ethnicos reſpectus quidem habeatur. Verùm ſuo exemplo, qui aliorum neceſſitatibus inſeruiturus aduenerit, rectiùs facturos, qui animi faſtum deponant, Matthæi 20. Marc. 10. Lucæ vigeſimo ſecundo.

Cap. 12. Zachæus manet.

Rectà autem Hieroſolymam petens, delatus Hiericho, inter eundum vano illo Zachæo, vt ſe hoſpitio reciperet, accerſito. Qui poſtquam res per nefas aliquando partas quadruplo redderet, dimidio nihilominus in pauperes, concepto cœleſtium amore, diſpenſato, ſalutem eo die huic domui contigiſſe ait Ieſus, vereque Zachæum Abrahæ eſſe filium, quippe quem benefactis refert, Lucæ decimonono. Et mox cæcis vehementi clamore miſericordiam poſcentibus, viſum reddidit. Sciſcitatus tamen priùs, num id gratum haberent, quòd multi cæcutiant, qui tamen lucem penitus execrantur, Matthæi vigeſimo, Marci B decimo, Lucæ decimooctauo. Diuertit proinde eodem itinere in ædes Simonis cuiusdam cognomento leproſi, Bethaniæ, & inibi conuiuans cum Lazaro, Martham habuit miniſtram, & Mariam eius ſororem plus ſolito officioſam. Nam alabaſtrum vnguento refertum precioſo fregit, liquore toto in caput Dominicum diffuſo. Id cùm malè haberet diſcipulos, qui diuenditum vnguentum maluiſſent, & inopia laborantibus precio conſultum: Fore, ait, vt nunquam deſint pauperes quos foueamus, ſed vnctionem hanc in mortis ac ſepulturæ ſuæ gloriam merito impendi. Quod eius rei geſtæ memoriam nulla vnquam eſſet obliteratura obliuio, Matthæi vigeſimoſexto, Marci decimoquarto, Ioannis duodecimo. Vicinus inde Hieruſalem Dominus, nouam aduentus ſui pompam inſtruit. Miſſos enim à Bethphage ad oppidum, quod è regione ſitum erat, diſcipulos iubet, aſinam ſimul cum pullo abducere, quibus inſideat. Ac ſic iumentorum vectus tergis, ſterni viam ſibi veſtibus ac arborum frondibus paſſus eſt, C & à pueris promiſcuaque multitudine acclamari lætis gratulationibus: Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſrael, Matthæi vigeſimoprimo, Marci vndecimo, Lucæ decimonono, Ioannis duodecimo. Cæterùm propius intuitus ciuitatem, defleuit illius cladem omnium miſerrimam, quam à Romanis Principibus Tito & Veſpaſiano eſſet acceptura, Lucæ decimonono. Iamque erat intra vrbis mœnia, quum ſubitus omnes occupat motus, quo nouarum rerum cupidi ſcire geſtiebant, quis ouationibus vſque adeo inſolitis Hieroſolymã ingrederetur, Matthæi vigeſimoprimo, Ioannis duodecimo. Ac protinus templum inuiſens, primum ſtudium domus paternæ, ſceleſtis negociatoribus purgandæ adhibuit, flagello ex funibus ad eam rem parato, Matthæi 21. Marc. 11. Luc. 19. Proximum cæcis ac claudis, ſenſuum integritati reſtituendis, Matthæi vigeſimoprimo. Quærebant Iudæi ſignum acerbæ illius caſtigationis, & audiunt fore vt templum ab iis diruendum ſua virtute reſtauretur, D Ioannis ſecundo. Sedens autem è regione gazophylacij Dominus, viduam pauperculam duo minuta æris, id eſt, quadrantem inijcientem contemplatus, quum nihil illi eſſet reliqui, plus omnib. iniecisse eam oſtendit, Mar. 12. Lucæ viceſimoprimo. Ac mox docendæ multitudini intentus, elationem Phariſaicam damnat, qua nimirum pleriq; de ſuis benefactis præſumerent, omnibus præ ſe alijs, veluti nihil videantur, contemptis. Seruiebat huic negocio parabola Phariſæi iactantis bona ſua, & publicani nihil horum agnoſcentis, ſed totum quod aſſequi poſſet boni, diuino beneficio tribuentis. Quorum poſterior iuſtitiæ dotes à Deo acceperit, Lucæ decimooctauo. Appetebat autem veſpera, & redit Ieſus Bethaniã, Mat. 21. Mar. 11. vbi Nicodemos nocturno congreſſu arcana cœleſtis generationis didicit, cauſamque dominici aduentus, & imminentis iam exitij, vt videlicet omnis qui credit in Chriſtũ, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Poſtero die rediens Hieroſolymam famelicus, & accedens ficum arborem, quum nihil præter folia in ea reperiſſet, execratus eſt illam, quia fructum non edidiſſet, imprecatus vt perpetuò ſterilis permaneret, Matthæi vigeſimoprimo, Marci vndecimo. Ingreſſo autem templum Domino, Scribæ & Phariſæi adulteram in opere nefario deprehenſam producunt, captioſè quærentes quid ſibi ſtatueret. Porro Ieſus ita reſponſum temperauit, vt neque illam abſoluens Moſis legem abrogare, neque condemnans, in tanta peccantium multitudine, vindictam à ſola hac paupercula expetere videretur, Ioannis octauo. Oſtendit autem, mox fore, vt gloria ſua ethnicis à patre cœleſti aperiretur, commodam nactus occaſionem ethnicorum quorundam aduenarum, qui Philippi & Andreæ vſi patrocinio, Ieſum videre deſiderabant. Qua hora patrem inuocauit, vt ſe clarum gentibus redderet, id quod facilè impetrauit, voce cœlitùs audita: Et clarum reddidi, & poſthac reddam, Ioannis duodecimo. Rediit eo die, quum adueſperaſceret, Bethaniam, Marci vndecimo, poſtridie Hieroſolymam repeturus. Et diluculo videntes ficum execratam à Domino, aruiſſe, trahuntur in admirationem. Verùm Ieſus F fidei pertinaci maiora tribuit, Matt. viceſimoprimo, Marci vndecimo, preces parùm efficaces eſſe prædicans, quæ fide careant, Matthæi viceſimoprimo. Cui hoc addidit, inſtantes quoque eſſe preces, & tenaci propoſito fixas oportere, parabolam afferens iniqui iudicis, quem vidua precibus tandem vrgentibus, ad ius reddendum induxerit, alioqui in rebus agendis remiſſum. Vnde appareat deſperati eſſe hominis, ne tantillum quidem de Deo præſumere; Lucæ decimooctauo. At quum veniſſet in templum, à Sacerdotum anteſignanis ac plebis ſenioribus interrogatur, quis illi feciſſet poteſtatem docendi? Ieſus autem hanc quæſtionem alteram retulit de baptiſmo Ioannis: Num è cœlo eſſet, an ex hominibus, Matthæi vigeſimoprimo, Marci vndecimo, Lucæ vigeſimo. Publicano ait, & meretrices in cœlis præferri incredulis, quòd Ioanni obſequentes reſipuerint. Ad quod miré congruebat parabola de duobus filijs, quorum vterque iuſſus à parente vineam colere, qui operam eſſet pollicitus, ceſſator fuit: qui illam negauit, reſipiſcens tandem præſtitit, Matthæi G vigeſimoprimo. Proxima huic parabola erat de patrefamilias vineam colonis locante, qui miniſtros ſimul cum herili filio fructus poſcentes trucidaſſent, quam adduxit, vt ſententiam rogati, ſeipſos damnarent, qui pari ſcelere cum colonis nutarentur. Verùm quò meritas ob id pœnas intelligerent euidentiùs, lapidem ſe eſſe reprobatum ab ædificantibus teſtatus eſt, cuius meminit Propheta. In quem lapidem aut impingenti, aut ab eodem illiſo, haud dubiè ſit pereundum, Matthæi vigeſimoprimo, Marci duodecimo, Lucæ vigeſimo. Huc pertinebat & illa parabola, quam de rege nuptias filio apparante recenſuit. Inuitati enim toties Iudæi, obſtinato animo varias cauſas errori prætexuerunt, Matt. 22. Luc. 14. Subornant tùm Phariſæi diſcipulos, qui ſimul cum Herodianis ad Ieſum profecti, de tributo Cæſari pendendo interrogarent, vt ſi licere id affirmaret, Iudæos offenderet, qui profano principi parere indignum putabant: ſin fas non eſſe, Cæſareanos infenſos haberet. Sed Dominus verſutiam ſubodoratus, numiſmatis inſcriptionem ab alijs diſcere cupit, H quaſi ipſe ignoraret, quæ ad veram pietatem non eſſent maximopere conducibilia, quorum vſus quoque ceu promiſcuus videretur, Matthæi vigeſimo ſecũdo, Marci duodecimo, Lucæ vigeſimo. Verùm dum nihil hinc acceſſerat Phariſæis victoriæ, videntes Saducæos quoque ſuccubuiſſe, qui reſurrectionem non credebant, dum arguuntur inſcitiæ ſcripturarum, quæ crebrò Deum appellant Abraham, Iſaac & Iacob: Neque contentaneum ſit Deum rectè dici mortuorum, Matth. 22. Marc. 12. Lucæ 20. Rurſus alium ſubornant legis doctorem, qui quærat de magno mandato, & reſponſum accipit liuori, odio & maleuolentiæ iſtorum non indignum, de proximo videlicet poſt Deum diligendo, parabola, vnde id perſpicuum fieri poſſet, de vulnerato à latronibus in medium allata, qui à Sacerdote & Leuita prætereuntibus neglectus, Samaritani tandem cuiuſdam pietatem ſenſiſſet. Hoc aptum eſſe ait exemplum, quod alieni à charitate imitarentur, Lucæ decimo. Miſſi ſunt protinus ab æmulis miniſtri, qui caperẽ afferrent, ſed deterruit illos ſermo, cui parem nunquam

A audiſſent, deinde quod dixerat: Quæretis me, & non inuenietis. Denique varius in plebe rumor de Ieſu ſubortus eſt: quidam Prophetam eſſe prædicabant, quidam verò Chriſtum, alij ex Bethleem oppido naſci Chriſtum, non ex Galilæa originem trahere contendebant, Ioannis ſeptimo. Porrò Ieſus Phariſæos in hac controuerſia acceſſit in vnum collectos, & interrogauit: Cuius tandem filium crederent Chriſtum? Et quum incunctanter reſponderent, Dauid: clam notauit impiam illorum de ſe opinionem. Quippe qui hominem confitebantur, Deum ignorarent. Niſi enim Deus ſit, abſurdum videri, quod Dauid in pſalmis Dominum appellet, qui illi ſit filius, Matthæi viceſimoſecundo, Marci duodecimo. Deinde plebem intuitus, docebat ſanam doctrinam, quam Deo authore à Moſe recepiſſent, patienter à Scribis & Phariſæis in cathedra Moſi conſidentibus recipiendam: Atqui vitæ exemplum, eò quòd eſſet turpiſſimum, haudquaquam vt ſequaris proponendum. B Nam onerant, inquit, ſarcinis importunores, quas digito ipſi dedignantur attingere. Omnia agunt ad oſtentationem, ambiunt loca honorificentiora, Rabbi ab hominibus ſalutari geſtientes, quando vnus eſt Rabbi & pater, nempe qui agit in cœlis. Deinde ad Phariſæos verſus, comminatus eſt illis exitium: Væ, ait, vobis Phariſæi, Scribæ & hypocritæ, qui regnum cœlorum alijs clauditis, ipſi perpetuo extorres: Voratis domos viduarum, longum precamini, vagamini terra marique, vt in ſuperſtitionem veſtram pertrahatis ſimpliciores. Væ vobis duces cæci, qui ex patribus homicidis nati, vt illi Prophetas, ita vos Apoſtolos trucidabitis, quo verè reatum contrahatis omnis innoxij ſanguinis. Futurum vobis auguror, vt me aliquando videatis in gloria, quem iam habetis deſpectui, Matth. 23. Marc. 12. Lucæ 21.

De extremo iudicio. Cap. 14.

Exeunti autem templum Domino, diſcipuli præclara & ſumptuoſa eius phani ædificia, admiratione quadam capti oſtendunt. Sed ille vanitatem mentibus eximit, prædicens, breui futurum, vt ne vilus quidem lapis alteri cohæreat lapidi, Matth. 24. Marc. 13. Lucæ 21. C Ac mox abiens in monte Oliuarum vrbem intuitus pauliſper conſedit. Vbi ſecretò huc congreſſi diſcipuli, initia futuræ huius cladis condiſcunt, videlicet Antichriſtos, bella, ſeditiones, terræmotus, peſtilentiam, famem, terrifica de cœlo ſigna, idolum abominabile Danielis vaticinijs celebre, extremam denique calamitatem eorum, qui docebunt euangelium. *Dan. 9.* Quanquam ne vnus quidem capillus è capite illorum ſit periturus: fore enim, vt in patientia ſua animas adſeruent. Hieruſalem verò, captis habitatoribus, & quaquauerſum abductis, à gentibus tantiſper calcatum iri, dum euangelium vniuerſos illarum fines occupauerit: tum enim finem inſtare mundi, quem & ipſum portenta quædam præcedent in ſole, luna, ſtellis, & pelago, Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. Solicitè autem cauendum, ait, ne crapula, ebrietate aut curis huius vitæ detineamus, ita vt imprudentes opprimat ex inopinato dies illa, Lucæ 21. vſque adeo incerta, vt nec Angeli cœleſtes eam poſſint prædicere, Matth. 23. D Veniet enim ſubitò ceu fulgur coruſcans à cœlo, Luc. 7. Et ad eum fermè modum, quo diluuium, quod contigit Noe temporibus, edentes enim & bibentes, ac nuptijs incumbentes, inexpectatum corripuit. Itaque prudenti cuique vigilandum eſt, boni patrisfamilias exemplo, qui furibus nocturnis domum ſuam patere non ſiuit. Iisdem frugi miniſter non indulget potationibus, rixis aut ſomno, ſub id tempus, quo domini ſuſpectum habet aduentum, Matth. 24. Sic videntur deſipere virgines in occurſum ſponſi venturæ cum incenſis lampadibus, ſi noctu excitatæ è ſomno, oleum, quod in promptu eſſe illis debuerat, iam primùm emptum ierint. Et ſeruus ille parùm frugi traditur extitiſſe, qui acceptam à Domino pecuniam, per incuriam, domi otioſam iacere paſſus eſt, quam ille cum fœnore ſe recepturum ſperauerat. Separari autem tunc à bonis, ait Ieſus, eos, qui fuerint noxij homines & ſcelerati, non aliter quàm paſtor ab ouibus hœdos ſegregat, bonorum numero cenſeri eos, qui ſuo nomine miſeris charitatis opera impenderint: malorum contrà, qui hæc pertinaciter negauerint. Hos execrabiles igni & cruciatibus nunquam finiendis tradi, illos benedictos ad cœleſte regnum vocari, Matth. 25.

E

De initiis paſſionis Christi. Cap. 15.

Cæterùm profectò post hunc ſermonem in Bethaniam Domino (vbi conſentaneum eſt illum ſequentem egiſſe diem.) interea ſacerdotum Antiſtites & Scribæ coacto concilio in Caiphæ atrio, capiendum per inſidias Ieſum morteque plectendum ſtatuunt. Inuentus eſt huic negocio idoneus Iudas diſcipulus, qui pecunia corruptus, decem argenteos ſtipulatur à Iudæis, vt prodat magiſtrum, Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. Poſtero die, quæ prima erat earum, quibus à fermento abſtinebant Iudæi, præmiſit Ieſus duos ex diſcipulis, qui Paſcha in ciuitate pararent, Ipſe ſecutus, vna cœnans, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Lauit pedes diſcipulis, tanto exemplo ad animi demiſſionem & modeſtiam illos inuitans. Simul ex eo cœtu, quem tanto ardore dilexerat, quendam eſſe ſubindicans, qui ſe eſſet Iudæis proditurus, Matth. 26. Ioan. 13. Et mox accepto pane, deinde vini calice, corpus eſſe ſuum ac ſanguinem teſtatus, F manducare illos iuſſit & bibere, quòd ea ſit futuræ calamitatis ſuæ mortiſque memoria. Fore proinde, vt omnibus ea res fieret offendiculo, Petro contrà, neque carceres, nec mortem ſe formidaturum conſtanter pollicente. Sed Ieſus trinam de ſe illius abnegationem prædixit, Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13. Commendat autem protinus nouum illud de mutua dilectione mandatum, ſymbolum id eſſe ſignificans, quo diſcipuli ſui ab cæteris dignoſcantur, Ioan. 13. Deinde ad proxima pericula inſtruens animos, iubet mœrorem ac metum omnem deponere, iturum ſe, præparatum ſuis locum, quò illos ad ſe recipiat. Et planè ſe viam eſſe, veritatem ac vitam: argumentum præterea videri quòd ſe magiſtrum ament, ſi præceptis ſint morigeri. Nunquam ſe commiſſurum, vt deſertos omni ſolatio relinquat, quando ſpiritum cœleſtem conſolatorem in hoc illis mittendum deſtinarit, pacem interea ſuam impertiens, Ioa. 14. Deniq; vt omnem ſpem ſalutis non alió, ſed in ſe duntaxat collocent, vitem ſe eſſe prædicat, à qua ſemotus palmes ſterilis reddatur, & mox in flammas, poſtquam aruerit, videatur conijciendus. G Non ſe item electum ab ijs fuiſſe, ſed cum delectu factos fuiſſe Apoſtolos. Magiſtro proinde hunc mundum tendere inſidias, vt Prophetæ oraculo continetur: Odio, inquit, habuerunt me gratis. *Ioan. 15. Pſal. 14.* Itaq; non mirum videri, ſi idem accidat diſcipulis, qui dignitate cenſeantur inferiores, Ioan. 15. Cæterum ſpiritum conſolatorem, cuius paulò antè meminit, ſuo aduentu incredulum hunc mundum de peccato condemnaturum: breuem eſſe triſtitiam, & parientis fœminæ ſimillimam. Vt enim hanc ingens ſinit gaudium recens nati infantis, ita diſcipulorum corda poſt præſentem mœrorem lætitia perpetua exhilarabit. Poſtremò pacem Ieſus diſcipulis in ſeſe habituros ſpondet, modò ſuo exemplo animentur, qui mundum vicerit, Ioan. 16. Fixis deinde in cœlum oculis, patrem orat, vt ſe clarum mundo reddat, diſcipulos & eos quoque, qui illorum verbo credituri ſint, à malo ſeruet, vnumque faciat per dilectionem, ad eum modum, inquit, quo ego & tu, vnum, Ioann. 17. H Et veſtigiò quum hymnum abſoluiſſet cum diſcipulis Ieſus, vrbem egreſſus in prædium Gethſemani, quod eſt ſitum vltra torrentem, qui à cedris nomen habet, vnde hortus erat, Iudæ proditori non ignotus. Solebat enim ſe plerumque Dominus in ſemotum ab vrbano ſtrepitu receſſum hunc, cum ſuis recipere. Illic accerſito ad ſe Petro cum duobus Zebedæi filijs, cæteros iubet quietos paululum ſe expectare, qui precibus velit inſiſtere. Et progreſſus inde, mœſtum ſe eſſe indicat, talique triſtitia teneri, quæ ſola morte ſit finienda, iubens item illis, vt conſideant & ſecum vigilent. *Christus orat.* Ipſe ſolus non admodum longo ſpacio diuulſus, ſed quod iactu lapidis poſſis attingere, humi pronus conſternitur, patrem orans, ſi quâ fieri poſſit, immunem ſe reddat ab imminente ærumnarum calice, ne hunc deguſtet. Quanquam ſi omnino ita viſum ſit, nihil detrectaturum ſe, verùm in omnibus morem geſturum. Exſurgens à precibus, quos vigilare iuſſerat ſomno oppreſſos inuenit. Itaque rurſus admonet, ne dormiant, ſed orent magis Deum, ne ſinat illos labi in tentationem: quod ſpiritus nihil quidem non moliatur, at caro perquam eſt fragilis. Ac mox rediens

A ad preces, tertiò eoſdem repetijt, toties ſomnolentos increpans. Laborabat autem angore tanto Dominus, vt ſudore eius ſanguinolento tellus etiam madeſceret, quum protinus è cœlo vox Angelica audiuit, quæ animum ac robur addidit. Iamque aderat Iudas proditor cum cohorte ac miniſtris Phariſæorum & Pontificis: quibus in occurſum veniens Dominus, oſcitantibus diſcipulis inquit: Dormite iam & requieſcite, quaſi verò tempore tam periculoſo quies apta videatur. Et compellans multitudinem tertiò, quem quærant, ſciſcitatur. Illis toties reſpondentib. Ieſum Nazarenum, Dominoque ſubijciente: Ego ſum, in terram dilabuntur. Ac protinus vt diſcipulos abire paterentur, ſi ſe quærerent, iuſſit. Quo dicto, Iudas exoſculatus Magiſtrum (nam id ei ſymbolum fuit proditionis, quã cum Iudæis pactus fuerat.) Et confeſtim illi hoſtiles manus inijciunt, vinculis membra ſtringentes. At Petrus prolato in medium gladio, miniſtro pontificio, cui Malcho
B nomen erat, dextram abſcidit auriculam, quam confeſtim Dominus loco ſuo reſtituit, vetans gladio ferire eum, qui nollet ferro ſuccumbere. Verſus inde ad capientes, cauſam reddidit, cur ſe veluti latronem caperent, id quod prius crebrò docenti in templo nunquam contigiſſet: Nimirum quia iam permiſſa videretur tenebris poteſtas quiduis audendi, atque ita futurum prophetarum oracula præcinuerant. Diſcipuli interea omnes fuga ſaluti ſuæ conſuluere, quum magno impetu in ædes Annæ, qui Caiphæ pontifici ſocer erat, Ieſus deducitur. Interrogatus ibi de diſcipulis & doctrina. Verum ille potius quærendum dixit ab audientibus, quorum ingens erat numerus, quid tandem illos docuiſſet. Ad quæ verba pontificis miniſter alapam Domino, non aliter quàm ſuiſſent contumelioſa, impegit. Et audiuit: Si perperam loquutus ſum, de hoc profer teſtimonium, ſin rectè, cur abs te vapulo? Miſſus deinde Caiphæ, vbi omne Iudæorum concilium teſtes iniquos aduerſus Dominum conquiſierat, reiectis quibusdam ceu friuolis ac prorſus ineptis, quum ſæpe interrogatus, nihil
C ad obiecta reſponderet, quærit pontifex, Num Chriſtum Dei filium ſe eſſe fateretur? At ille: Tu, inquit, ita dixiſti: forte ſignificans, vt aliquando multa luce conſpicuum in nubibus cœli Dei filium viderent, quem modò humilem aſpernarentur. Ad quam vocem pontifex ceu execrabilem concitatus, veſtem ſcidit, & morti obnoxium eſſe Ieſum toto cœtu acclamante pronunciat. Illudebant illi interea miniſtri, velato capite membra ferientes ac fœdantes ſputo. Prophetam inſuper inſalutabant, ſedulò exigentes vt illum proderet qui ſe verberaſſet, multis quoque alijs huiuſmodi in hunc cuſſatus conuitijs. Interea Petrus in Annæ atrio ſemel atque iterum ab ancilla alijſque interrogatus de Ieſu: Num illius eſſet diſcipulus, conſtanter ac deinde ſanctè iurans, illum abnegauit. Id quod in Caiphæ quoque ædibus ad eum modum accidit. Et cum vocem edidiſſet gallus, meminit Petrus verbi Dominici: Priusquam gallus bis cecinerit, tu me ter abnegabis. Atqui Ieſus intuitus Petrum, mœſtum reddidit, vt ſe foras cum
D ingenti fletu proriperet, Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22. Ioan. 18.

Cap. 16. Porro vbi primùm diluxerat dies Paraſceues, vinctum omnis Iudæorum multitudo Ieſum in prætorium ducit ad Pilatum præſidem, non tamen ipſi intrò, ne contaminarentur, ſed Paſcha manderent. ᵃId cùm vidiſſet Iudas, pœnitens eum proditionis, & coniectis in templum triginta argenteis, (vnde illi agrum in peregrinorum ſepulturam mercati ſunt.) Peccaui, inquit, ſanguinem iuſtum vobis tradens: ac mox abiens, laqueo vitam finijt. Exijt autem foras ad Iudæos Pilatus accuſationem in Ieſum recepturus: ſed illi opinione ſeipſos commendabant, quò grauius reum premerent. Si hic, aiunt, immunis eſſet à ſcelere, non vtique conſpectui tuo illum obtuliſſemus. Verùm accuſationem, ne in ea parte te moreamur, paucis accipe: Subuertit populũ noſtrũ: vetuit tributa pendi Cæſari, dixitq; ſe Chriſtum regem eſſe. Præſes recepta accuſatione, interrogauit ſecretò Ieſum, rexne eſſet: & ſubodoratus accuſationis Iudæorum vanitatem, abſoluere Dominum conſtituit. At illi ſeditioſum eſſe hominem prodiderunt, qui à Galilæa exorſus doctrina ſua motus in populo ad Hieroſolymam vſque pertingentes ſuſcitauerit. Audita autem Gali-
E læa, præſes Ieſum Galilæum eſſe edoctus, ad Herodem tetrarcham, qui tum Hieroſolymis fortè agebat, eum miſit. Vbi expectatus, vt portenta ederet, conticuit. Itaque indutus veſte alba ludibrio habetur ab Herode omniq; exercitu, atque ad Pilatum præſidem remittitur. Qui innocuum liberare pro virili admitens, conſuetudinem Iudæis ſolennem, qua in paſchali celebritate vinctum aliquem illis dimittere ſolebat, fauori ſuo prætexuit. At illi in diuerſum nitentes, Barrabam quendam vinculis eximi homicidam cupiunt: Ieſum verò voce increbreſcente cruci affigi deſiderant. Præſes autem lenire illorum ſæuitiam volens, nudatum veſte flagris cædi iuſſit. Corona ex ſpinis mox ceruici impreſſa, & arundo dextræ tradita, corpus multis atque adeo horrendis plagis contuſum eſt, ſalutatque à militibus rex Iudæorum eceptus per ludibrium. Vnde Pilatus eum eripiens, iam ſatis ſuperque caſtigatum Iudæis oſtendit, quò ad commiſerationem eos commoueret. In-
F nocentiam viri etiam atque etiam inculcans, quam vxor quoque eius in ſomnis multa ob Ieſum paſſa de illo palàm prædicabat. Cæterùm obſtinati eiuſdem tenaces propoſiti cruci affigendum clamant. Niſi enim ita faceret præſes, Cæſari illum aduerſari. Lauit mox manus Pilatus, immunem ſe eſſe ab innoxio ſanguine conteſtatus. Verùm illi ſibi & filijs hunc imprecati, ad condemnandum cruci Ieſum, præſidem impulerunt.

Cap. 17. Itaque lata hac ſententia, eductus inter duos latrones Dominus, crucem ipſe ſibi geſtare cogitur. Sed & Simonem quendam Cyreneuſem adigunt ad opem in ea re ferendam. Sequebatur ingens multitudo, & inter eam matronæ quædam à Galilæa, Ieſu ſermone attractæ. Hæ iunctæ Hieroſolymitanis miſerè Domini vicem deplorabant. Sed is Hieroſolymitanis iuſſit, vt ſe ac ſuos lugerẽt liberos, qui ceu lignum aridum pœnis eſſent digniſſimi. Affixus autem cruci in caluariæ loco, inter duos latrones medius pendebat, omnium iniurijs & probris expoſitus. Quum
G ille ne tunc quidem ſolitæ in omnes beneuolentiæ poterat oblitus. Ac primò patrem cœleſtem precatus, vt errori illorum daret veniam: Latroni mox oranti, vt in regno cœleſti non grauaretur ſui vel meminiſſe, Paradiſum eo die ſe præſtiturum, quam non fuerat rogatus pollicetur. Titulus præterea à Pilato ceruici Dominicæ appoſitus eſt, Iudæis multùm repugnantibus, ad eum, qui ſequitur, modum: Luc. 23. Ioan. 19.

ΙΗΣΟΥΣ ΝΑΖΑΡΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

IESVS NAZARENVS REX
IVDAEORVM.

Cap. 18. VEſtes militum voluntati ceſſere, vt prophetæ oraculo continetur, ſorte in ijs partiendis facta. Commendabat Ieſus Mariam genitricem cruci vicinam Ioanni diſcipulo, mulierem appellans, ne quid affectibus humanis tribuere videretur, qui patris cœleſtis iam ageret negociũ.
H Filium inſuper ſe eſſe negans: dum illum in vicem ſuam ſubſtituit. Congruebant mirè hæ res geſtæ cum Dauidis vaticinio, vt videre poſſis, ad illud reſpexiſſe Dominus, dum voce Hebræa clamaret, id eſt: Deus, Deus meus, cur me deſeruiſti? Huc item pertinebat, quod ſiti affici ſeſe clamabat, felle mox & aceto potatus. Eueniſſe tum omnia dixit, quæ oraculis olim vates futura de Chriſto præcinuiſſent. Itaque demiſſo in pectus capite, patrem affatus: In manus, inquit, tuas commendo ſpiritum meum. Quæ vox illi vitam linquenti extrema fuit.

Mortem e templò ſequuta ſunt prodigia. Sol caligine obducitur, tellus tremit, velum templi diſrumpitur, petræ diſſiliunt, & monumenta aperiuntur, prodeuntibus inde quibuſdam perſpectæ ſanctitatis hominibus. Quæ res Centurioni, qui tum aderat alijſque compluribus fidem de Chriſto faciebant; pulſis enim pectoribus domum redeuntes, verè hunc eſſe Dei filium fatebantur. Rogabant protinus Pilatum Iudæi, vt corpora condemnatorum eo die pateretur auferri, ob ſequens ſabbatum, quo que cele- ...23.

A

nis quoque extinguerentur, latronibus crura comminuta ſunt, Christo iam exanimi, latus cuſpide confoſſum, cruoris & aquæ vberrimos riuos edidit. Veſperi Ioſeph decurionis precibus à Pilato conceſſum corpus Dominicum honorificè ſepelitur, obſeruato etiam Iudæorum in vngendo ritu, qua in re Nicodemus, cuius paulò ſuperiùs facta mentio, allatis myrrhæ & aloes libris plus minus centum, ſuo non defuit officio. Sed & mulieres è regione monumenti ſedentes, ac locum tacitè ſecum conſiderantes, ægrè diuelli inde poterant, Matth.27. Marc.16. Luc.23. Ioan.19.

Cap. 19. Poſtero die Iudæi, ne corpus dominicum clàm à diſcipulis auferretur, veriti, à præſide Pilato excubias ſepulchro dominico adhiberi impetrarunt. Nondum enim exciderat illorum mentibus, quod de reſurrectione ſua peracto triduo aliquando prædixerat Chriſtus; itaque in muniendo ſepulchro, magna lapidis mole, conſignandoque oſtio nihil prætermiſſum, Matth.27. Sed quid ſunt ad Deum humana conſilia? Tertia die terræmotus ingens ad Domini reſurrectionem, aſpectuſque angelicus ceu fulgur cuſtodum animos vſque adeò exterruit, vt à mortuis nihil viderentur differre. Quod vbi reſciuere Iudæi, excogitato commento ſubornarunt pecunia, qui dicerent furtim Ieſum è monumento noctu ſublatum, Matth.28. Interea Maria Magdalene, Iacobi, & Salome dum ſabbato legis præcepto obſequentes quieuiſſent, diluculo præparatis ad vngendum corpus dominicum aromatis, ad ſepulchrum properant, Lucæ 23. Vbi quum lapidem oppidò ingentem ab oſtio motum cernerent, ac corporis Dominici veſtigium, id quod referebant faſciæ, iubentur ab Angelis Christi reſurrectionem diſcipulis illius prædicare, metum deponere, eum qui viuat, inter mortuos minimè quærere, denique meminiſſe quid prædixerit adhuc in Galilæa agẽs Dominus, iam de proditione, modò de pœnis, ac mox de morte, à qua tamen tertia die reſurrecturus, Matth.28. Marc.16. Luc.24.

Christi reſurrectio. Mulieres dicto audientes, reſurrexiſſe quidem diſcipulis narrabant Dominum, ſed illis vera eſſe negabant quæ dicebantur, ac mulierculas planè aiebant deſipere, Matth.24. Quanquam Ioannes & Petrus conſpecto ſepulchro, veraces fuiſſe mulieres deprehendere poterant, Luc.24. Ioann.20. Mariam autem Magdalenam mœror pauliſper circa monumentum, diſcipulis abeuntibus, retinuerat, quæ mora illi primo conſpiciendi Domini occaſio fuit, Ioan.20. Ac mox eodem die in Emaus ab Hieruſalem profectis duobus apparuit diſcipulis, dum in longũ de Domino ſermonem protraherent, ipſe quàm obtuſo eſſent ingenio, productis à Moſe ac Prophetis Scripturis oſtendit. Quippe omninò videri neceſſarium, vt Chriſtus pœnis plecteretur, ita demum gloriam ſibi æternam pararet, Luc.24. Marc.16. Neque ita multò pòſt apparuit diſcipulorum cœtui, dum fores eſſent clauſæ veſperi, pacem illis imprecatus. Deinde rei nouitate obſtupeſcentibus latus, manus ac pedes præbuit contrectandos, iuſſitq́;

E

afferri, ſi quid haberent, quod eſſet eſui, atque ibi corám piſcis aſſi partem comedit ac fauum mellis, id quod ſpiritus nulla ratione poſſit efficere. Aperuit protinus Scripturæ arcana ſenſa, fierique non potuiſſe dixit, vt quæ de ſe in lege Moſi, Prophetis ac Pſalmis ſint cõſcripta, irrita prorſus videantur. Commonefecit item eos verborum, quæ ſuper hac re crebrò habuerit, quo pactò videlicet extrema quæque ferenda fuerint Chriſto, & tertia die reſurgendum à morte. Iamque fore, vt in illius nomine pœnitentia etiam in gentibus prædicetur, iuncta peccatorum condonatione, Luc.24. Viſo autem Domino, ingens lætitia perfudit diſcipulos. Et ille denuò pacem comprecatur, ſuo tum nomine ad Apoſtolicam cohortatus functionem, ad eum ſanè modum, quo ipſe patris legationem obiiſſet. Nec mora, ſpiritum cœleſtem afflatu ſuo impertit, in quo errata aut diluantur, aut certè diuinitùs conſtringantur, Ioan.20.

F

Rurſus poſt dies octo, clauſo oſtio diſcipulis viſus, ſolito pacis ſymbolo cõſalutat. Thomæ ibi diſcipuli caſtigãs pertinacẽ de ſe dubitationẽ, quòd cõdiſcipulis ea quæ ſuperi memorauimus, ſe abſente, parùm credulus fuiſſet. Digitum in latus cuſpide iam pridem apertum immiſſi, ac manus Chriſti membris clauis nuper perfoſſis admoti. Vbi beatitudinis præconio commendantur à Domino quicunque non viſa pietatis ſtudio crederent, Ioan.20. Tertiò in mari Tyberiadis piſcantibus diſcipulis, manifeſtum ſe reddidit, dum præciperet in dextram iactari retiaculum. Vbi pranſus vnà poſt tertiò confeſſum ſui amorem, Petro paſcendos concredidit ſuos agnos, ſub quodam verborum inuolucro adiiciens, quis illum maneret pro ſuo nomine vitæ exitus, Ioan.21. Poſtremò in Galilæa viſendum ſe præbuit Dominus, in monte quẽ ad hoc deſtinarat, confluentibus eò diſcipulis & adorantibus, vbi parum ſinceræ fidei homines reprehendit, quia eos, qui ſe reſurrexiſſe viderãt, vanos reputaſſent. Traditam autem ſibi mox indicat, omnium quæ cœlo terraque continentur, ditionem, conteſtatus, eam eſſe veræ & ſalutaris doctrinæ formulam, quam ſe doctore auribus hauſiſſent. Iamque nihil reſtare aliud,

G

quàm vt ea gentibus longè lateque innoteſceret, id quod veſtrarum, inquit, poſthac erit partium. Doctrinæ huius comitem voluit eſſe baptiſmum, qui in Patris, Filii, & Spiritus ſancti nomine credituris impenderetur. Ad hæc non defutura miracula & valetudinis reſtituendæ varia beneficia. Quanquam quid hæc attinet commemorare, quum ipſe ſuo negocio ſe præſtò affuturum certò definierit? Ecce, inquit, vobiſcum ſum vſq; ad ſeculi conſummationẽ, Matth.28. Marc.16. Hæc dicens, receptus eſt in cœlum, ſedetque ad dexteram Dei. At diſcipuli dominicis obtemperantes iuſſibus, cœleſtem doctrinam in orbem vniuerſum diuulgarunt, & dominicam opem ſemper circa ſe, ad eum modum, quo prædixerat ille, præſentem ſenſerunt, Matthæi 16.

D

H

A E

SANCTI

GREGORII EPISCOPI NEOCÆSARIENSIS, COGNOMENTO THAVMATVRGI,

OPERA OMNIA,

QVOTQVOT IN INSIGNIORIBVS, PRÆCIPVE Romanis Bibliothecis reperiri potuerunt;

Interprete, Reuerendo D. Doct. GERARDO VOSSIO *Borchlonio, Germ. Præp. Tungrenſi.*

B F

SANCTORVM ALIQVOT PATRVM ANTIQVORVM DE S. GREGORIO EPISCOPO NEOCAESARIENSI

cognomento Thaumaturgo præclara quædam Elogia atq; teſtimonia, per Doct. Gerardum Voſsium collecta, & hic ſuo ordine digeſta.

S. BASILIVS *Magnus in libro de Spiritu ſancto, cap. 29. elogium inprimis inſigne de hoc Magno* GREGORIO *noſtro, ponit tale:*

S. Gregorij Neocæſarienſis encomia ampliſſima.

CÆterum Gregorium Magnum, & illius voces quo loco ponam? Annon cum Apoſtolis & Prophetis, virum qui eodem ſpiritu quo illi verſatus ſit, quique Sanctorum veſtigiis, per omnem vitam inhæſerit: quique euangelicæ conuerſationis vigorem quamdiu vixit præſtiterit. Equidem illud dixerim, profectò iniuria affecerimus veritatem, ſi non animam illam adnumeremus iis qui Deo iuncti ſunt, qui velut inſignis magnaque lucerna in Eccleſia Dei ſplenduit, qui è ſpiritus ope terrorem habuit aduerſus dæmonum poteſtatem. Nam tantam acceperat gratiam ad obedientiam fidei inter gentes, vt aſſumptis non plus ſeptemdecim Chriſtianis, vniuerſum populum, & vrbanum & ruſticanum, per agnitionem adiunxerit Deo. Ille & fluminum curſus in directum vertit, præcipiens illis in magno nomine Chriſti, & paludem exſiccauit, belli cauſam præbentem fratribus auaris. Cæterum prædictiones de futuris eiuſmodi ſunt, vt nihilo ſit inferior cæteris prophetis. Sed omnino perlongum fuerit viri percenſere miracula, qui propter donorum excellentiam, quæ in ipſo operabatur ſpiritus, in omni virtute, ſignis ac prodigiis, ab ipſis etiam veritatis hoſtibus alter Moyſes appellatus fuit. In tantum in illo in omnibus tum dictis tum factis, eorum quæ per gratiam peragebantur, veluti lumen refulſit, ſupercæleſtis virtutis indicium, quæ ex occulto aſſectabatur illum. Cuius & in hodiernum quoque diem magna eſt apud eius regionis homines admiratio, recensque ac ſemper vigens memoria ſic infixa eſt eccleſiis, vt nullo tempore obſoleſcat. Itaque non factum aliquod, non dictum, non figuram vllam myſticam, vltra quam illis reliquit, eccleſiæ adiecerunt. Imo hic multa in his quæ apud illos aguntur in ritibus videntur imperfecta, propter inſtitutionis antiquitatem. Neque enim ſuſtinebant qui in Eccleſiæ adminiſtrationem ſucceſſerãt, additamenta quæ poſt illum adinuenta ſint, recipere. Idem igitur fuit glorificationis modus, quem inſtituit Gregorius, & is cui non contradicitur, ex illius inſtitutione Eccleſiæ obſeruatus, &c.] ita de hoc Magno Gregorio ſcribit ac loquitur ibi Magnus Baſilius.

C

Miracula.

S. Gregorius Thaumaturgus, alter Moyſes.

D

Idem de eodem Baſilius in Epiſtola 62. quæ eſt ad Eccleſiam Neocæſarienſem conſolatoria: vbi de eiuſdem Gregorij ſucceſſoribus ſic ſcribit:

Quia à tempore Magni Præſidis Eccleſiæ veſtræ Gregorii, vſque ad beatum iſtum, alium poſt alium ſemper quaſi ex quadam pretioſorum lapidum ſerie depromptos adiiciens & adaptans, admirabilem Eccleſiæ veſtræ pulchritudinem largitus eſt: itaque neque deinceps de futuris deſperandum eſt, &c.

Idem Baſilius in Epiſtola 63. ad Clericos Neocæſarienſes, de eodem ſic:

Sed iſta dicitis tempore Gregorii Magni (*quod de Gregorio Neocæſarienſi intellige*) non fuiſſe: verum, neque Litaniæ, quas vos iam in vſu habetis, illius tempore fuerunt, &c.] *paulloque de eodem ibidem poſtea ſic:* Quod autem ea quæ facimus ſub præclaro Gregorio in vſu non fuerint, quibus teſtimoniis euincere poteritis? Nihil eorum quæ ille in vſu habuit, ad hunc vſque diem illibatum ſeruaſtis. Gregorius in oratione conſtitutus, tecto capite nõ fuit. quamobrem? Germanus erat diſcipulus Apoſtoli, dicentis: Omnis vir orans, aut prophetans tecto capite, dehoneſtat caput ſuum, & vir non debet velare caput ſuum, cum ſit imago & gloria Dei. A iuramentis abſtinuit munda illa anima, ac digna Spiritus ſancti communione: cur? propter mandatum Domini dicentis: Ego vero dico vobis, ne iuretis omnino, ſatis erat, etiam & non. Non eſt auſus ille fratrem ſuum vocare fatuum, comminationem Domini veritus. Tumor, & ira, & amarulentia ex ore illius non proceſſerunt. Conuitium odio proſequutus eſt; vt quod in regnum cœlorum haud inducat. Inuidia & arrogantia à ſyncero illo animo procul abfuerunt. Altare non acceſſit, niſi fratri reconciliatus. Falſum ſermonem & artificioſum, & ad detractionem concinnatum ita abominatus eſt, vt qui ſciret mendacium ex diabolo prognatum eſſe, Dominumq; omnes eos qui mẽdacium loquuntur, perditurum, &c.] ita ibi de hoc noſtro Gregorio Baſilius.

G

Gregorius nudo capite orabat.

H

Idem Baſilius in Epiſtola 64. quam prudentioribus Neocæſarienſibus ſcribit:

Hoc igitur apud vos, vt fides ſubuertatur, idq; ſubuerſione Apoſtolicis & Euangelicis doctrinis inimica: inimica quoque traditioni Magni reuera Gregorij, & eorum qui illum ex ordine ſubſequuti ſunt ad Beatum vſq; Muſonium: cuius etiamnum dogmata quantum apud nos celebritatis obtineant, manifeſtum eſt. Sabellii namque nomen peſtem olim quidem motam, traditione vero magni Gregorij compoſitam, renouare conantur, &c.] hæc ibi de magno inter alia Baſilius.

Idem in epiſtola 75. ad Neocæſarianos, vbi inter alia ſic:

Sunt autem iidem & nobis & vobis Doctores myſteriorum Dei, & ſpiritales patres, qui veſtram ab initio fun-

A

darũt Eccleſiam: Gregorium dico priſcum illum, & quotquot poſt ipſum, Epiſcopalem apud vos ſedem ſuſceperũt: qui ordine ſuccedaneo inſtar aſtrorum exorti, iiſdem ingreſſi ſunt veſtigiis; ita vt haud facile ſit volentibus conuerſationis ipſorum indicia deſerere, &c.

Et nonnullis interiectis, ibidem poſtea de eodem ſic:

Macrina diſcipula Gregorii, & Baſilii auia ac nutrix.

Fidei vero noſtræ quæ poterit eſſe euidentior probatio, quam quod à nutrice beata fœmina, quæ ex veſtro gremio progreſſa eſt (Macrinam dico, illuſtrem illam) educati ſumus: à qua & Beatiſſimi Gregorii verba, quæ memoriæ beneficio ad illius vſque ætatem ſeruata ipſa retinuit, edocti ſumus, quibus illa nos adhuc infantes, tanquam pietatis dogmatibus finxit ac formauit, &c.] *Fuiſſe vero Macrinam hanc S. Gregorii Neocæſarienſis diſcipulam, vel hinc patet: eandemque Sanctorum Baſ. & Greg. Nyſſeni extitiſſe auiam, ipſe Nyſſen. in vita S. Macr. atteſtatur. De qua & Baſil. Epiſt. 79. ad Euſtathium Epiſcopum Sebaſtiæ. Dicta porro hæc Macrina eſt ſenior, reſpectu eius neptis, ſororis S. Baſilii Magni: quoniam ipſa auia fuit eiuſdem Baſilii, mater nimirum Patris eius. Hæc etiam eſt illa, quæ temporibus Decii Imperatoris & ſucceſſorum, vixit Neocæſareæ in Ponto, à Magno Gregorio Thaumaturgo erudita, vt idem Baſilius in iam allegata enarrat Epiſtola: quæque ipſum Baſilium nepotem adhuc infantulum ſacris imbuit diſciplinis: quamobrem & ipſe eam ſuam in fide nutricem haud ſine cauſa appellat, gloriaturque ideo eandem ſe retinere fidem, quam velut lac purum e pectore ſancta Macrina olim ebibiſſet. De qua Baſilius in Epiſt. 64. 75. & 79. nec non S. Gregorius Nyſſenus Baſilii frater in Epiſtola ad Leontium Monachum, de vita S. Macrinæ iunioris.*

B

De hoc eodem Gregorio Euſebius Pamphili Cæſarienſis, libro 7. hiſtoriarum Eccleſiaſticarum, c. 27 ſic recenſet:

Per idem tempus cum Romano adhuc ſacerdotio Xyſtus præeſſet, & apud Antiochiam Demetrianus, Firmilianuſque adhuc Cæſareæ Cappadociæ ſupereſſet, Ponti Eccleſias Gregorius (qui prius Theodorus eſt dictus) ex Origenis diſcipulis, cum fratre Athenodoro gubernandas ſuſcepit, &c.] *vbi quo pacto Gregorius Thaumaturgus qui antea Theodorus, & huius frater Athenodorus, diſcipuli Origenis, Eccleſiis in Ponto præfecti ſint, aperta habetur.*

C

De eodem Gregorio idem Euſebius eodem libro 7. hiſtoriarum Eccleſiaſticarum, cap. 25. plenius ſic:

Miraculũ Gregorii, de Stagno exſiccato, & fratribus diſcordibus reconciliatis.

Verum quoniam Beati Gregorii hiſtoriæ textus attulit mentionem, digniſſimum puto tanti viri geſta (quæ ſub orientali & ſeptentrionis axe cũctorum ſermone celebrantur) omiſſa neſcio quo caſu, huic narrationi ad memoriam poſteritatis inſerere. Stagnum quoddam erat in Ponti regionibus ſitum, piſcibus copioſum, ex quorum captura prædiuites reditus dominis præſtabantur. Iſta poſſeſſio duobus fratribus ſorte hæreditatis obuenerat: ſed pecuniæ cupiditas (quæ omniũ pene mortalium corda ſuperat) etiã fraternã neceſſitudinẽ violauit. Oribatur à fratrib. tẽpore capturæ, non tam ad capiendos piſces quã ad decipiẽdos homines: cædes & bella mouebantur, humanus ſanguis pro piſcibus fundebatur: ſed Dei prouidentia, adfuit aliquãdo auxiliũ, aduentuſq; Gregorii. Vidit prælia & mortes virorum, furenteſque germanos; quid cauſæ ſubeſſet, pro quo in exitium ſui ſuorumque, fratres accenderentur, inquirit: nullam, niſi capturam piſcium comperit. Tunc ille, cum pro honore aduentus ſui, vtræque partes paullulum ſiluiſſent: Nolite (inquit) ô filioli, rationales animas pro mutis animantibus violare, fraternam pacem quæſtus cupiditate diſſoluere, Dei leges, & naturæ pariter iura temerate; & vnà mecum ad ora ſtagni exitialis accedite. Ego iam vos per virtutem Domini, omni certamine cruentæ contentionis abſoluam. Et cum hæc dixiſſet, in conſpectu omnium virgam quam tenebat in manu, ad primas littoris vndas defigit, & ipſe poſitis genibus palmas ad cœlum tendit, atque his verbis excelſo ſupplicat Deo: Tu Domine Deus patrum noſtrorum, qui, cum tibi primus homo Adam peccaſſet, ac mandatum tuum prætertiſſet, pœnam culpæ illius moderatus, ad terram maledictionis ſententiam detorſiſti, dicens: Maledicta terra in operibus tuis. Et nunc ergo miſeratus horum iuuenum fraternum ſanguinem qui periclitatur, præcipe vt maledictæ ſint aquæ iſtæ in operibus eorum, pro quibus furore ſucceſſi fraternæ pietatis obliti ſunt; ita vt nunquam in hoc loco vel piſcis appareat, vel aqua reſideat, ſed ſit campus aratri patiens, ac frugum ferax, & cuſtos in æternum fraternæ concordiæ perſeueret. Simul vt ille finem orandi fecit, ſtatim ſe vnda ſubducens, & curſu velociore refugiens, à conſpectu ſuperno iuſſa diſcedere, abyſſis ſuis redditur, & arentem campum germanis iam concordibus dereliquit. Sed & in hodiernum, frugum ferax eſſe dicitur ſolum, quod ante fuerat nauium ferax.

D

Virga ad ripam defixa impetum aquæ miraculoſe coercet.

Precatio.

E

Memoratur etiam aliud illuſtrius ab eo & diuinius geſtum: In quodam loco rurıs anguſti, cum res depoſceret Eccleſiam conſtrui, rupes quædam vicini montis ex parte Orientis obiecta, ex alia vero præterfluens fluuius, ſpatium quantum Eccleſiæ ſufficeret, denegabat. Et cum alius omnino non eſſet locus, omneſque dolerent, quod ſolum ad conſtruendam Eccleſiam non haberent, ille fide plenus, pernoctaſſe in oratione dicitur & Dominum Ieſum promiſſionis ſuæ admonuiſſe fideliter, qua dixit: ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: tolle te, & mitte te in mare, & fiet vtique. Cumque hæc plena fide atque deuotione depoſceret, ad lucem coeuntibus populis, inuenta eſt rupes importuna receſſiſſe tantum, quantum ſpatii ad condendam quærebatur Eccleſiam, &c.] *Refertur ibidem & aliud de Apollinis oraculo obmuteſcente, Gregorii miraculum, & de ſacerdote Apollinis per ipſum conuerſo: ſed cum idem & à Gregorio Nyſſeno in illius vita hic in fine operis adiecta, narretur, ſolum allegaſſe hoc loco ſuffecerit.*

Aliud miraculum de rupe mota pro ſacello extruendo.

F

Matt. 17. & Luc. 17.

Idem Euſebius eodem lib. 7. hiſtor. Eccleſ. cap. eodem 25. de monumentis ingenii Gregorii ſic ſcribit:

Sed & ingenii ſui nobis in paruo maxima monumenta reliquit: In Eccleſiaſten namque Metaphraſin idem Gregorius magnificentiſſime ſcripſit, & Catholicæ fidei expoſitionem breuiter editam reliquit, quam pro ædificatione Eccleſiarum ſociare his commodum duxi: Vnus Deus pater verbi viuentis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ ac characteris ſempiterni, perfectus perfecti genitor, Pater filii vnigeniti. Vnus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo, &c.] *quæ fidei Gregorii profeſſio vbi tota recitatur, ſicut & in ipſius Vita per Nyſſenum deſcripta, continetur, ac à nobis Latine hic poſtea ſeorſim ponitur.*

Monumenta ingenii eius.

G

Profeſſio fidei S. Gregorii Neocæſarienſis.

De hoc eodem Gregorio Neocæſarienſi, Gregorius quoq; Nyſſenus in eius Vita ſic habet:

Sicut de Moyſe ait ſcriptura, quod eruditus eſſet omni ſapientia Ægyptiorum: ita quoque magnus iſte vir (*de Gregorio Thaumaturgo loquitur*) cum omnem gentilium eruditionem atque doctrinam perſcrutatus eſſet factoque periculo didiciſſet, quam infirmæ eorum opiniones ſint atque ſententiæ, quamque parum ſibi conſtent, diſcipulus fit Euangelii, ac prius quam per myſticam & incorpoream natiuitatem inſtitutus eſſet, adeo recte atque præclare ſeſe in vita gerebat, vt nullas peccati ſordes ad lauacrum afferret, &c.] *hæc ipſe de eo ibi, comparans eum Moyſi.*

Gregorius fit diſcipulus Euangelii.

Idem de eodem ibidem, aliquibus interiectis, poſtea ſic:

H

Ecquod maius aliquis ad laudandum argumentum excogitare poſſit? quis poſſit hunc ipſum aliquis digne ac pro merito admirari? qui cum ratione naturam deuiciſſet, ac veluti manſuetum aliquod animal, iuuentutem iugo rationis ſubieciſſet, cunctiſque affectibus naturalibus inſurgentibus ſuperior euaſiſſet, atque inuidiam quæ res quaſcunque inſignes inuadere ſolet, contra ſe concitaſſet, etiam hanc ſuperauit, quippe neq; ad vlciſcendum iniurias atq; inſidias ſodalium commotus, & mulierculam infamem, quæ illis in ſubornando probro operam nauauerat, per orationem ab afflictione dæmonis liberatã beneficio proſecutus eſt, &c.

Patientia Gregorii.

Et nonnullis interiectis, de eodem ibidem poſtea ſic:

Concitati vnũ agebãt, vt Magnus ille (*Gregorium intelligit*) apud ipſos maneret, tanquam conditor virtutis ac vitæ

Superbiã fugere.

legum-

A legumlator futurus. Sed ille modis omnibus materiam ſuperbiæ fugiens, quod haud ignoraret, vitium ſuperbię, improbæ ac ſceleratæ vitæ plerumque cauſam atque occaſionem præbere ſolere, veluti portum aliquem, quietam in patria vitam ingreditur, &c.

Idem paulo poſt de eodem ibidem ſic:

Solitudine delectabatur. Cumque à turbis ſeſe forenſibus, & à vita vrbana penitus ſeiunxiſſet, in ſolitudine quadam ſecum ſolus, ac per ſeſe cum Deo verſabatur: vniuerſi mundi, rerumq; mundanarum paruam curam gerens, non de Regibus curioſe inquirens, non magiſtratus excutiens, non ex aliquo commemorante audiens, vt res quæque publica adminiſtraretur: ſed vt animus virtute perfectus euaderet, ſollicitus, ad hoc omni ſtudio per totam vitam contendebat & contebatur.]

Sequitur de eodem S.Gregorio poſtea ibi ſic:

B Gregorius cũ Moyſe comparatur. Seculoq; omni, ac rebus ſecularibus valedicens, alter hic noſtris temporibus plane Muyſes fuit, qui cum illius miraculis certaret. Exiuerunt vterque ex turbulento ſtrepitibusq; ac clamoribus circumſonanti hoc ſeculo, Moyſes & Gregorius, ſuo vterque tempore per ſe priuatam vitam degentes, quoad reuelatione & apparitione diuina vtriſque puræ vitæ lucrum manifeſtaretur. Sed Moyſen quidem vna cum philoſophia etiã vxor ſequebatur: Gregorius autem cõiugem ſibi ſolam virtutem adiunxit, &c. *Ecce quam conuenienter Moyſi comparetur noſter hic Gregorius.*

Longum ibidem poſtea, de eodem hoc noſtro Magno Gregorio ſic narratur:

Quoniam autem protinus vt attigit philoſophiam, omnibus rebus ſe veluti onere quodã leuauerat; nec quidquam ei rerum ad hanc vitam neceſſariarũ ſuperérat, non ager, non locus, non domus: ſed omnia ipſe ſibi erat (imo vero virtus & fides ei patria erat, & ſedes, & diuitiæ;) vt

C igitur in vrbem ingreſſo, domus ad requieſcendum ei nuſquam, vel Eccleſiæ, vel ipſius propria erat, comitibus eius trepidantibus atque ſollicitis quo pacto diuerſaretur, & à

Not. quibus tecto reciperetur, anxijs: Quid hæc, inquit Gregorius ad eos, quaſi extra protectionem Dei conſtituti, anxij

Act. 2. atque ſolliciti inquiritis, vbi corpora reficere atque curare oporteat? an parua nobis domus, Deus eſſe videtur? ſiquidem per eum viuimus, & mouemur, & ſumus. an arctum & anguſtum cœleſte vobis tectum videtur? & præter hoc, aliud diuerſorium quæritis? vna vobis domus ſtudio curæque ſit ea, videlicet, quæ cuiuſque propria eſt, quæ per virtutes ædificatur, & in altum tollitur. Hoc ſolum vobis curæ ſit, atque ſollicitudini, ne eiuſmodi vobis habitaculum non paratum, nec inſtructum ſit, &c.]

Hæc præclara ſunt virtutum Magni Gregorij noſtri Thaumaturgi inſignia. Hæc ipſius admiranda ſunt monita, dicta, ac facta: præter quæ, ſi miraculorum eius magnitudinem, ac varietatem quis noſſe etiam velit, conſequenter hic in illius Vita ad calcem operis adiecta, luculenter per Gregorium Nyſſenum magni Baſilij fratrem deſcripta, inueniet.

D *De eodem etiam S.Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſt. in Theodoro, perhonorifice ſic ſcribit:*

S.Hieronymi de Thaumaturgo teſtimoniũ. Theodorus, qui poſtea Gregorius appellatus eſt, Neocæſareæ Ponti Epiſcopus, admodum adoleſcens, ob ſtudia græcarum & latinarum litterarũ, de Cappadocia Berytũ, & inde Cæſaream Palæſtinæ tranſiit, iuncto ſibi fratre Athenodoro: quorum cum egregiam indolem audiſſet Origenes, eos ad philoſophiam cohortatus eſt, in qua paullatim Chriſti fidem ſubintroducens, ſui quoque Sectatores reddidit. Quinquennio itaque eruditi ab eo, remittuntur ad matrem; è quibus Theodorus proficiſcens, πανηγυρικὸν εὐχαριστίας ſcripſit Origeni, & conuocata grandi frequentia, ipſo quoque Origene præſente recitauit, qui vſq; hodie extat. Scripſit & μετάφρασιν in Eccleſiaſten, breuem quidem, ſed valde vtilem. Et aliæ huius vulgo feruntur Epiſtolæ, ſed præcipue ſigna atque miracula, quæ iam Epiſcopus cum multarum Eccleſiarum gloria perpetrauit.]

E De Gregorio qui alii ſcripſerint. *Cuius quoq; idem Hieronymus honorifice meminit alibi, in Epiſt. 84. ad Magnum Oratorem Romanum: vbi eum, virum Apoſtolicorum ſignorum atq; virtutum vocat. Et S. Gregorius Papa lib. 1. dialogorum, cap. 7. vbi de monte per Gregorium Thaumaturgum moto agit. Item Socrates lib. 4. cap. 22. & Euagrius lib. 3. c. 31 necnon Theodorus Lector lib. 2. collectan. vbi de inſigni miraculo ad eius ſepulchrum edito enarrat. & Cedrenus in anno 12. Anaſtaſij Imperatoris. De quo etiam Gregorio fit mentio in Concilio Epheſino, & in Concilio ſexto Oecumenico. & apud Haymonem lib. 7. cap. 8. & Nicephorum lib. 9. aliosq; alibi. agit quoq; de illo Venerabilis Beda, & Vſuardus in Martyrologio, ac cæteri Latinorum, necnon & Græci in Menologio, eodem die ſcilicet quintodecimo Kalend. Decemb. ſiue 17. Nouembris. Ruffinus & Vſuardus martyrem illum appellant, Græcorum ſcilicet more; quod pro fidei confeſſione multa admodum ſit perpeſſus.*

De eodem & Suida ſic:

Gregorius, qui & Theodorus dictus eſt, cognomento θαυματουργὸς, hoc eſt, rerum admirabilium effector, Neocæ-

F ſareæ, quæ in Ponto eſt, Epiſcopus, admodum adoleſcens, Græcarum, Romanarumque litterarum ſtudio incenſus, è Cappadocia Berytum profectus eſt, atq; inde Cæſaream, quæ in Palęſtina eſt, cum fratre Athenodoro ſe contulit. Hos in Chriſti religione ſigillatim Origenes inſtituens, ſui ſtudioſos amanteſque reddidit. Quinquennium igitur in eius diſciplina verſati, in patriam redeunt. Vbi Gregorius gratiarum actionem ad Origenem ſcripſit, eamque populo conuocato, & ipſo Origene præſente legit. Quæ quidem Oratio extat vſque ad præſentem diem. Scripſit & Metaphraſim in Eccleſiaſten, breuiſſimam illam quidem, ſed ſane quam admirabilem. Multas præterea & varias Epiſtolas compoſuit. Denique factus Epiſcopus, ſignis & miraculis humanas vires ſuperãtibus elatus, Iuliano † imperante deceſſit. Huius vitam Gregorius Epiſcopus Nyſſę, litterarum monumentis commendauit.] *Ita de eo Suidas.* † fort. Aureliano imperante.

Not. *Superuixiſſe hunc noſtrum S.Gregorium Thaumaturgum, certum eſt, ſaltem vſque ad tempora Aureliani Imperatoris, quando*

G *Antiocheno interfuit Concilio aduerſus Paulum Samoſatenſem hæreſiarcham, ſicut de eo refert Euſebius Cæſar. hiſtor. lib. 7. ca. 22. quare nullo modo placet, quod hoc loco Suidas ſcribit, peruenisse eum vſq; ad tempora Iuliani Apoſtatæ. Quomodo enim fieri poteſt, vt qui Alexandro imperante clarere cœpit in ſchola Origenis, anno nimirum à Chriſto, 223. idem vſque ad Iuliani Imperatoris tempora ſuperſtes fuerit: cuius Imperium demum ſumpſit exordium anno Domini 362. Fortaſſe ergo hic* (Iuliano imperante) pro (Aureliano imperante deceſſit) *per errorem poſitum legitur: quomodo omnino hic Suidæ locus videtur corrigendus ac reſtituendus.*

Ex vetuſtiſſimo Græco Menologio, de eodem ſic:
Decimo quinto Calend. Decemb. Commemoratio S. Patris noſtri Gregorij Epiſcopi Neocæſareæ Thaumaturgi.

Gregorius, qui Aureliano Imperatore floruit, parentib. natus infidelibus, fidei myſterium à Sanctiſſima Dei genitrice, Ioanneq; Theologo per viſionem edoctus, Thaumaturgi cognomen ob mirabilia facta, quorum magnus fuit numerus, merito tulit. Profectus aliquando in Alexandriam, in ſcortum quod ipſi obloquebatur, ac detrectabar, Dæmonem immiſit, ſed & paulo poſt fugauit. A Phædimo Amaſenſium Antiſtite, Epiſcopus abſens creatur. Tanta erat ſanctitatis illius opinio, vt ſaxum ingẽt oratione aliò tranſtulerit. Paludem, cauſam inter duos fratres diſcordiarum, exſiccauit. Fluuium, defixo in terram baculo, qui & in magnam excreuit arborem, coercuit. Migraturus ad Dominum, gratias illi agebat, quod tot relinqueret in ſua Vrbe infideles atque gentiles, quot inuenerat fideles ac Chriſtianos, cum Epiſcopatum adiiſſet. Quibus in verbis expirauit. Gregorius vt Thaumaturgi cognomẽ tulit. Gregorii miracula. H

Ex Romano Breuiario, die 17. Nouembris, de eodem S Gregorio ſic:

Gregor. Neocæſareæ Ponti Epiſcopus; ſanctitate doctrinaq; illuſtris, ſignis vero & miraculis multo illuſtrior, quorum multitudine atque pręſtantia Thaumaturgus appellatus eſt; & S. Baſilij teſtimonio, cum Moyſe, prophetis & Apoſtolis comparatus, montem qui Eccleſiæ ædifi- Gregorius cur dictus ſit θαυματουργὸς.

A *Miracula.* cationem impediebat, oratione aliò tranſtulit. Item Paludem, inter fratres cauſam diſcordiarum, exſiccauit. Lycum fluuium pernitioſe agros inundantem defixo ad ripam quo ſuſtentabatur baculo, qui ſtatim virentem creuit in arborem, coercuit, vt poſtea vltra eum terminum nõ effluxerit. Sæpiſſime dæmones ex idolorum ſimulacris, atque ex hominum corporibus eiecit: multaque alia mirabiliter effecit, quibus innumerabiles homines traxit ad Ieſu Chriſti fidem, cum etiam prophetico ſpiritu futura prædiceret. Qui migraturus è vita, cum quæſiſſet, quot in ciuitate Neocæſarienſi reliqui eſſent infideles, reſponſumque eſſet, tantum eſſe ſeptemdecim, Deo gratias agens, totidem, inquit, erant fideles, cum cepi Epiſcopatum. Plura ſcripſit, quibus etiam, non ſolum miraculis, Dei Eccleſiam illuſtrauit.

Ex Martyrologio Romano, die eodem 17. Nouembris.

B Neocæſareæ in Ponto, Natalis S. Gregorij Epiſcopi, qui doctrina & ſanctitate illuſtris, propter ſigna atque miracula, quæ cum multa Eccleſiarum gloria perpetrauit, Thaumaturgus eſt appellatus.] *Hæc de vita & doctrina, ſignis, atq; miraculis eius hactenus.*

EX BELLARMINO, DE SCRIPTO-ribus Eccleſiaſticis.

SAnctus Gregorius antea Theodorus dictus, Epiſcopus fuit Neocæſarienſis, & à magnitudine miraculorũ patratorũ Thaumaturgus appellatus, auditor fuit Origenis, dum eſſet adoleſcens, ſed ab erroribus eius omnino immunis fuit. Claruit tempore Alexãdri Seueri, cuius ann. 10. factum Epiſcopum ſcribit Cardinal. Baronius in ſecũdo tomo Annalium, ad ann. 233.

Scripſit *Metaphraſim in Eccleſiaſten.*

Panegyricum in Origenem.

C *Breuem fidei confeſſionem, quam ex reuelatione B. Ioannis Apoſtoli didicit.*

Expoſitionem fidei aduerſus Elianum.

Et Epiſtolam Canonicam.

His ſuperadiungit Gerardus Voſſius *duodecim ſententias cum anathematiſmis:*

Tres Sermones eiuſdem S. Gregorij de Annuntiatione B. Virginis.

Item Sermonem de Baptiſmo Chriſti, ſiue de Theophania Domini: denique diſputationem de Anima ad Tatianum.

Et quidem de metaphraſi nullum eſt dubium. Eius enim teſtatur ſanctus Hieronymus tum in libro de Script. Eccleſ. tum in Commentario ad cap. 4. Eccleſiaſtæ. Ruffinus etiam meminit lib. 7. hiſt. Euſebij ca. 25. & falluntur, qui eam tribuunt Gregorio Nazianzeno.

De Panegyrico quoque in Origenem res notiſſima eſt. Scripſit enim illud adoleſcens, & coram ingenti multitudine, ipſo etiam Origene audiente, recitauit, teſte ſancto Hieronymo de Script. Eccl. & hoc tempore in lucem prodiit auctore Gerardo Voſſio hoc ipſum Panegyricũ Græce, & Latine.

Non minus certum eſt didiciſſe ſanctum Gregorium confeſſionem fidei à B. Ioanne Euangeliſta, ſibi cum ipſa ſanctiſſima Virgine Deipara apparente; cuius rei meminit D Gregorius Nyſſenus in vita Gregorij Thaumaturgi: & eam ipſam fidei confeſſionem ab eodem Gregorio ſcriptam, totidem verbis referunt idem Gregorius Nyſſenus, & alij.

Denique extra controuerſiam eſt epiſtola Canonica, quam etiam Balſamon Commentarijs illuſtrauit.

Expoſitionem fidei, quam ſanctus Gregorius ſcripſit, exiſtimat Gerardus Voſſius ſe inueniſſe, & edidiſſe: ſed fortaſſe fallitur: nam expoſitio illa fidei, cuius meminit ſanctus Baſilius in epiſt. 64. ad Neocæſarienſes, quæ vere à Gregorio Thaumaturgo ſcripta fuerat aduerſus Elianum, multum differt ab iſta, quæ nunc extat apud Voſſium. In illa enim habebatur, Patrem & Filium hypoſtaſi eſſe vnum, & ſola animi cogitatione diſtingui: vnde ſuſpicio orta erat, à Gregorio foueri hæreſim Sabellij: & ſanctus Baſilius laborat, vt ſanctum Gregorium à Sabellianiſmi ſuſpicione defendat. At expoſitio fidei, quam Voſſius edidit, Sabellium nominatim refutat, neque vnquam dicit, Patrem & filium hypoſtaſi eſſe vnum, & ſola rationis cogitatione diſtingui: ſed contra dicit, Patrem & filium natura diuinitatis eſſe vnum, & vnamquamque perſonam per ſe ſubſiſtere, & aliã eſſe hypoſtaſim Patris, aliam filij, &c. Præterea expoſitio fidei Voſſiana videtur omnino ſcripta contra Arrianos, ac per hoc ſatis diu poſt tẽpora S. Gregorij Thaumaturgi: ſic enim incipit, Inimiciſſimi, & alieni à confeſſione Apoſtolica ſunt, qui dicunt, eſſe filium ex non extantibus, &c. & infra: Eos vero, qui communicant cum ijs, qui reijciunt homouſion, tanquam alienum à ſcripturis, & qui dicunt aliquid ex Trinitate creatum eſſe, alienos exiſtimamus.

Conſtat autem Arianos fuiſſe, qui dicebant, filium eſſe ex non extantibus, & qui reijciebant vocem, homouſion, tamquam alienam à ſcripturis. Quin etiam ita diſputat hic auctor de Incarnatione, vt videatur refellere Neſtorianos, & Eutychianos.

F Eadem cenſura addi poteſt ad duodecim capitula cum anathematiſmis, quæ Gerardus Voſſius ſancto Gregorio tribuit. Videntur enim illa capitula quaſi appendix quædã ad expoſitionem fidei adiuncta; ac præcipue Neſtorij & Eutychetis erroribus opponuntur: qui hæretici longe poſt obitum ſancti Gregorij exorti ſunt.

De ſermonibus in Annunciationem, & Theophaniam Dominicam, vt etiam de libello De anima ad Tatianum, nihil certi habeo, cum nec veteres horum operum meminerint; neque tamen conuinci poſſit, eos eſſe ſuppoſititios.

SANCTI PATRIS NOSTRI GREGORII EPISCOPI NEOCÆSAREÆ PONTI, THAVMATVRGI,

Expoſitio Fidei, quam per reuelationem à Beato Ioanne Euangeliſta, mediante Deigenitrice Maria virgine accepit.

G *Doctore Gerardo Voſſio interprete.*

VNus Deus, pater verbi viuentis, ſapientię ſubſiſtentis, & potentiæ ac characteris ſempiterni: perfectus perfecti genitor, pater filij vnigeniti. Vnus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo: Character & imago Deitatis, verbum efficax. Sapientia, conſtitutionis rerum vniuerſarum comprehenſiua: & virtus atque potentia vniuerſæ creaturæ effectiua. Filius verus, veri patris, inuiſibilis, eius qui eſt inuiſibilis. & incorruptibilis, corruptioni non obnoxij. ac immortalis, mortis prorſus neſcij. & ſempiternus, ſempiterni. Vnuſque ſpiritus ſanctus, ex Deo exiſtentiam habens; & qui per filiũ apparuit, ſcilicet, hominibus: imago filij, perfecti perfecta. vita, viuentium cauſa, fons ſanctus. Sanctitas, ſanctificationis ſuppeditator. In quo, manifeſtatur Deus pater, qui ſuper omnia eſt, & in omnibus: & Deus filius, qui per omnia eſt. Trinitas perfecta, quæ gloria & æternitate, ac regno atq; imperio nõ diuiditur, neque ab H alienatur. Non igitur creatum quid, aut ſeruum in Trinitate: neq; ſuperinductitium aliquid & aduentitium, quaſi prius non exiſtens, poſterius vero adueniens. Non ergo defuit vnquam filius patri, neq; filio ſpiritus: ſed immutabilis & inuariabilis, eadem ſemper manet Trinitas.

EIVSDEM MAGNI GRE. NEOCAESARIENSIS COGNOMENTO THAVMATVRGI, ALIA FIdei expoſitio, quæ [illegible] dicta eſt.

Argumentum Gerardi Voſſij.

A*Lia hæc eſt Fidei expoſitio, longeque diuerſa à priore, quam ex reuelatione Magnus hic noſter Gregorius*

accepit

A *accepit. Dicta autem hæc ideo* [Greek] *videtur, vel quod ex parte quæ ſunt fidei tradat, atque exponat: vel quod per partes in ea fides explicetur. Vir tamen* [Greek], *R. P. Franc. Torrenſis Theologus Societ. Ieſu (huius* [Greek] *interpres & Scholiaſtes) fidem non vniuerſam ſed ia parte, Latine tranſtulit. Eſt porro hæc Fides non vniuerſa ſed ia parte, ſecundum eum, fides non omnium dogmatum Eccleſiaſticorum, ſed aliquorum, contra hæreticos qui ea negant.*

Inimiciſſimi, & alieni à confeſſione Apoſtolica ſunt, qui dicunt eſſe filium ex non extantibus, & (1) ex principio emittente, externum & foris adſcitum patri: & qui eadem de ſpiritu ſancto ſentiunt; qui dicunt datione & gratia factum eſſe Deum, & Spiritum ſanctum ſanctificari; qui nomen filij cum ſeruis commune faciunt; qui ſic dicũt eum primogenitum creaturæ, ac ſi eſſet ſimiliter factus, cum non eſſet, & tanquam primum factus: & non confitentur vnigenitum filium, qui
B ſolus ſit patri filius, qui dedit ſeipſum, vt adnumeraretur mortalibus, atque ita eſſet nominatus primogenitus: qui generationem filij ex patre humane circumſcribunt ſpatio demenſo; & non confitentur æuum genitoris & geniti ſine principio: qui tres latrias, id eſt, cultus ab vna communione ſeparatos & alienos introducunt, cum ſit vna & ſola legitima religio, quam à principio ex lege & prophetis acceptam, & à Domino confirmatam, & à Sanctis Apoſtolis prędicatam habemus. Non minus alieni ſunt, qui Trinitatem non ſecundum veritatem ex tribus perſonis confitentur, ſed in vnitate triplicatam ſecundum compoſitionem impie fingunt, & ſapientiam in Deo exiſtimant eſſe ſicut in homine ſapientiam humanam, qua ſapiens eſt: & verbũ ſimile eſſe interpretantur verbo quod profertur, vel mente concipitur, nulla hypoſtaſi. Eccleſiaſtica vero confeſſio, & mundo ſalutaris, eſt fides de incarnatione verbi, quod quidem præbuit ſeipſum humanæ carni, quam ex Maria aſſumpſit, manens idem ipſum, nullamq; diuinam mutationem neque variationem ſuſcipiens, copulatum cum carne ad (2) ſimilitudinem humanam, vt caro ſit vnita diuinitati, ſuſcepta à diuinitate verbi, paſſibilis ex carnis ad implendum myſterium. Poſt deletam vero
C mortem perpetua impaſſibilitas in ſancta carne, & immortalitas immutabilis manſit, recuperata in virtute diuinitatis pulchritudine humana, quæ à principio fuit, & manante in omnes homines, conciliante eam fide. Si qui vero etiam hic ſacram fidem deprauant, ſeparatim attribuentes diuinitati quæ humana ſunt, incrementa, paſſiones, acceſſionem gloriæ: aut ſeparantes à diuinitate corpus, quod proficiebat & patiebatur, tanquam per ſe exiſteret; hi quoque extra confeſſionem Eccleſiaſticam & ſalutarem ſunt. Nemo igitur poteſt cognoſcere Deum, niſi filium agnoſcat. Sapientia enim eſt filius, qua omnia creata ſunt. Creaturæ autem ſapientiam declarant, & Deus in ſapientia noſcitur. Non eſt autem ſapientia Dei, qualem homo habet; ſed perfecta, quæ ex perfecto Deo exiuit, & ſemper manet; non vt notio hominis, quæ præterit, & verbum quod loquimur, & non eſt. Idcirco non ſolum eſt ſapientia, ſed Deus: neque ſolum eſt verbũ, ſed filius. Siue quis igitur ex creatura intelligit Deũ,
D ſiue ex ſcripturis docetur, non ſine ſapientia eius cognoſcere, aut audire de eo poteſt. Et qui recte inuocat Deũ, per filium inuocat: & qui propterea accedit, per Chriſtum accedit. Accedere autem ad filium non poteſt ſine ſpiritu ſancto. Spiritus enim eſt vita, & (3) ſancta † formatio vniuerſorum. Hunc Deus per filium emittens, creaturam ſibi aſſimilat. Vnus igitur pater Deus, vnus filius verbum, vnus ſpiritus, vita, ſanctificatio vniuerſorum. Et neque Deus alius, vt pater; neque filius alius, vt verbum Dei; neque ſpiritus alius, vt viuificans & ſanctificans. Imo etſi Sancti vocantur Dij, & filij, & ſpiritus; non tamen implentur ſpiritu, neque ſimiles ſunt filio & Deo. Si quis vero ſic dicit filium eſſe Deum, tanquam ipſum etiam plenum diuinitate, & non tanquam genitum ex diuinitate; negauit verbum, negauit ſapientiam, amiſit cognitionem Dei, cecidit in culturam crea-

Quomodo ſit Chriſtus primogenitus omnis creaturæ.

Eccleſiaſtica confeſſio.

Quomodo ex creaturis non poteſt cognoſci recte Deus, niſi filius cognoſcatur

† [Greek]

E turæ, apprehendit impietatem gentilium, & ad hanc conuerſus eſt: Iudæorum incredulitatem imitatus eſt, qui cum exiſtimarent verbum Dei eſſe † filium humanum, non crediderunt Deum eſſe, neque filium Dei confeſſi ſunt. Eſt autem impium cogitare verbum Dei tanquam humanum; & opera per eum facta manere, non manente ipſo.

Si quis vero dicat operari Chriſtũ omnia iuſſu verbi; verbũ Dei otioſum faciet, & ordinẽ Dominij to ſeruitutẽ mutabit. Seruus enim eſt, cui iubetur; & quod creatum eſt, ad credendum minime idoneum eſt. non enim vllo modo creaturæ exæquari definet, vt ſicut ab illo creatum eſt, ſic ipſum alia creet. Rurſus, cum quis dixerit eſſe ſpiritum ſanctum opus ſanctificatum, non amplius poterit intelligere omnia in ſpiritu ſanctificata, qui enim vnum ſanctificauit ſanctificat etiam omnia. Negat igitur fontem ſanctificationis Spiritum ſanctum, qui eum priuat poteſtate ſanctificandi; & prohibebitur, ne eum patri, & filio adnumeret; ac ſanctum baptiſma reiicit; & amplius ſanctam
F & venerandam Trinitatem non confitebitur. Aut enim in naturali & vera gloria tota Trinitas intelligenda eſt; aut vnitatem, & non amplius trinitatem dicere cogemur; aut cogemur non adnumerare creatori creata opera, neque Domino vniuerſorum creaturas, ſicut neque Trinitati vllum opus creatum adnumeratur. At in nomine ſanctæ Trinitatis baptiſma fit, & inuocatio & cultus. Si enim tres ſunt gloriæ, fiunt tres cultus apud eos qui creaturas colunt. Si natura quæ adoratur diuiſa eſt; fit etiam apud eos diuiſa adoratio. Sed neque cum æterno recentia adorabuntur: recens enim eſt omne id quod principium cepit, quia multus & immenſus eſt, qui eſt ante ſæcula. Qui igitur aliquod principium temporum vitæ filij & ſpiritus ſancti ponit, ſimul ſeparat filium & ſpiritum ſanctum ab adnumeratione patris. Oportet enim ſicut vnam gloriam confitemur, ſic vnam ſubſtantiam, ſcilicet diuinitatem, & vnam ſempiternitatem Trinitatis confiteri. Caput vero ſalutis noſtræ, incarnatio verbi eſt. Credimus igitur manente immutabili diuinitate factam eſſe verbi incarnationem, ad renouationem humanitatis. Nec enim mutatio, neque tranſmotio, neque incluſio in motu ac voluntate facta eſt circa ſanctam Dei virtutem; ſed eadem permanens, opus incarnationis ad ſalutem mundi
G impleuit. Et verbum Dei in terra ſecundum humanitatem conuerſans, diuinam præſentiam ſimiliter retinuit, omnia implens, † ſingulariter carni vnitum; & paſſionibus circa carnem factis, diuina virtus ſuam habebat impaſſibilitatem. Impius ergo eſt, qui paſſionem in virtutem diuinam reducit. Dominus enim gloriæ in humano habitu apparuit, ſuſcepta † œconomia in terra, qui operibus quidem legem pro hominibus impleuit, paſſionibus vero paſſiones diſſoluit, & morte mortem ſuſtulit; reſurrectione vero vitam omni fecit: cuius glorioſum è cœlo aduentum expectamus ad vitam vniuerſorum, & iudicium, cum futura mortuorum reſurrectione, ad retribuendum omnibus pro cuiuſque meritis. Sceleratum vero opus aliqui contra ſanctam Trinitatem meditantur, qui affirmant non eſſe tres perſonas, vt qui perſonam non ſubſiſtentem introducunt. Quocirca Sabellium fugimus, qui dicit eundem eſſe patrem, & filium. patrem quidem dicit eum qui loquitur; filium vero verbum in patre manens, & tempore creationis patefactum, completis vero rebus in Deum
H remeans. idem dicit de ſpiritu ſancto. Nos enim credimus, tres perſonas vnam habentes diuinitatem declarari nominibus patris, & filii, & ſpiritus ſancti. vna ſiquidem diuinitas naturaliter in Trinitate reſtata, vnitatem naturæ confirmat. Eſt enim (4) proprium quidẽ patris, iuxta illud. (5) *Vnus Deus pater*: proprium vero filij, eſſe verbum patris, iuxta illud: Deus erat verbum, & ſpiritus ſancti proprium & naturale eſſe ſpiritum Dei, ſicut ait Paulus: *Templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis.* Perſona enim vniuſcuiuſque declarat eſſe ipſum, & per ſe exiſtere. Diuinitas autem patris proprium, & quando vna Diuinitas trium dicitur, teſtimoniũ datur, eſſe proprietatẽ † patris in filio & ſpiritu ſancto. Quare ſi vna diuinitas in trib. perſonis dicitur, Trinitas affirmatur, & vnitas nõ ſcinditur; & vnitas

naturalis

† Filium humanũ vocat filiũ more aliorum genitum.

† græc. [Greek]

Oeconomiam hic vocat totum opus & negotium incarnationis & redemptionis per carnem.

Sabellii hæreſis deteſtanda.

1. Cor. 8.

Ioan. 1.

1. Cor. 3.

† Proprietatem pa-

A

naturalis filij & ſpiritus ſancti cum patre prędicatur. Si quis vero dicat vnam perſonam, ſicut vnam diuinitatem; non ſunt tanquam (6) vnum, duo in vno. Paulus enim vnum quidem diuinitate patrem clamat, vnum vero in dominatione filium dicit: *Vnus Deus pater ex quo omnia, & nos in ipſum; & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.*

tris, vocat diuinitatẽ propriam patris, vt paulo ante dictum eſt.

1. Cor. 8.

Igitur ſi vnus quidẽ Deus, Dominus vero vnus; vna autem perſona, ſicut diuinitas, vnius dominationis: quomodo creditur illud, ex quo, & per quem, ſicut prius dictum eſt? At nos diuinitatem dicimus non ſeparantes ab ea dominationem, nec alterum ab altero alienãtes, ſed ſic intelligentes vt res habet & veritas: filium quidem vocamus Deum † proprietate patris, tanquam imaginem & germen; patrẽ vero Dominum, nomine vnius Domini appellamus, tanquam huius principium & genitorem, eadem autem & de ſpiritu ſancto vnitatem cum filio habente, quam filius habet cum patre. Quamobrem noſcatur hypoſtaſis patris, appellatione Dei; ne ſeparetur ab hac appellatione filius, vt qui ex Deo eſt. Noſcatur etiam perſona filij, appellatione Domini; ne ſeparetur ab hac Deus, qui Dominus eſt vt pater Domini: ſicut filij quidem proprium eſt dominari; qui per ſeipſum creauit, & creatis dominatur: patri vero prius ineſt hoc vt patri dominantis.

† Id eſt, quia eſt generatus à Deo patre, vocamus filiũ, qui eſt imago eius, Deum hoc eſt, Deum ex Deo.

B

Sic Trinitatem vnum Deum dicimus, & non tanquam ex compoſitione trium vnum damus: omne enim quod pars eſt, imperfectum eſt, quod ex compoſitione ſubſiſtit: ſed quod eſt pater ratione principij & generationis, hoc dicimus eſſe filiũ imaginem & germẽ patris. Quare ſi quis dicat, Quomodo vnus Deus eſt, ſiquidem filius eſt Deus ex Deo? reſpondebimus, ratione principij, ſicut vnum principium patet. Et ſi quis rurſus interroget: Quomodo vnus Dominus Ieſus Chriſtus, ſiquidem pater eſt Dominus? hoc rurſus reſpondebimus; Sicut (7) pater eſt Domini, & non occurret amplius nobis hæc dubitatio. Et rurſus dicent impij: Quomodo non erũt tres dij, tres perſonæ, ſi vnam habeant diuinitatem? Dicemus, quia eſt principium, & pater filij. & hic imago eſt & germen patris, & non eſt (8) frater eius: & ſpiritus S. ſimiliter ſpiritus Dei eſt, ſicut ſcriptum eſt. *Deus eſt ſpiritus.*

Ioan. 4.

Et multo ante à Dauid declaratũ eſt, cœlos eſſe verbo Dei firmatos, & ſpiritu oris eius omnem virtutem eorum.

C

Et in principio Geneſis ſic ſcriptum eſt: *Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquam.* Et Paulus ſcribens Romanis: *Vos autem* (inquit) *non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis.* Et rurſus ait: *Si autem ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum ex mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitauit Chriſtum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra per inhabitantem ſpiritum eius in vobis.*

Pſal. 32.
Gen. 1.
Rom. 8.
Ibidem.

Et iterum: *Quicunq; ſpiritu Dei aguntur, hi ſilij Dei ſunt, non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater.* Et iterum: *Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium prabente mihi conſcientia mea in Spiritu ſancto.* Et rurſus: *Deus autem ſpei impleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, in virtute ſpiritus ſancti.* Et iterum ait ſcribens ad eoſdem Romanos: *Audacius autem ſcripſi vobis ex parte, vt tanquam in memoriã vos reducens propter gratiam quæ data eſt mihi a Deo, vt ſim miniſter Ieſu Chriſti in gentibus, ſanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta, ſanctificata in ſpiritu ſancto.*

Ibid.
Rom. 9.
Rom. 15.
Ibid.

D

Habeo igitur gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum: non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Chriſtus in obedientiam gentium, verbo & factis, in virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute ſpiritus ſancti. Et iterum: *Obſecro autem vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſpiritus.*

Ibid.

Atque hæc quidem ſcripta ſunt in Epiſtola ad Romanos. In Epiſtola autem ad Corinthios rurſus dicit: *Quia ſermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides noſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Et iterum ait: *Quia ſicut ſcriptum eſt: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus eum: nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in ipſo? ſic quæ ſunt Dei, nemo nouit niſi ſpiritus Dei.* Et rurſus ait: *Animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei.* Vides quod vbique in Scriptura ſpiritus prædicatur, & nuſquã nominatur creatura? Quid vero impij dicent, ſiquidem mittente Domino diſcipulos ad baptizandum in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti; non poteſt contradici quin habeant communionem & vnitatem, ſecundum quam neque tres diuinitates, neq; tres dominationes, neque tres ſanctitates; ſed tribus perſonis manentibus, firme vnio trium confitenda eſt? ſic enim conuenienter creditur mittens & miſſum.

1. Cor. 2.
Ibid.
Ibid.

E

Matt. 28

Sicut (9) pater filium miſit, & filius ſpiritum ſanctum mittit: vna vero perſona nunquam ſeipſam miſerit, non enim aliquis dicet patrem incarnatum, quæ enim in confeſſione fidei continentur, non conueniunt cum falſis hæreticorum opinionibus. Oportet autem vt noſtræ notiones diuina & Apoſtolica dogmata ſequantur: non autem vt noſtræ fictiones impoſſibiles, diuinæ fidei dogmatibus vim afferant. Si autem dixerint: Quomodo tres perſonæ, & quomodo vna diuinitas? Dicemus eis tres perſonas eſſe, ſicut vna quidem eſt Dei patris, vna vero Domini filij, & vna ſpiritus ſancti: vna vero diuinitas, ſicut patris, qui vnus eſt, imago eſt filius, id eſt, Deus ex Deo; & ſpiritus ſimiliter vocatur ſpiritus Dei; & hoc naturaliter ſecundum eandem ſubſtantiam, non ſecundum participationem Dei: & vna eſt ſubſtantia Trinitatis, quod quidem non eſt in iis quæ facta ſunt: non enim eſt vna ſubſtantia Dei, & eorum quæ facta ſunt; quoniam nihil horum eſt ſubſtantia Deus. imo neque Dominus eſt quidquã horũ ſecundũ ſubſtantiam; ſed vnus eſt Deus pater; vnus Dominus filius; vnus ſpiritus ſanctus, dicimuſq; vnam diuinitatem, & vnam dominationem, atque vnam ſanctitatem Trinitatem; quia principium Domini eſt pater, qui ex æternitate eum genuit; & Dominus eſt (10) prototypus ſpiritus ſancti. Sic enim & pater Dominus, & filius Deus; & de Deo dictum eſt: *Deus eſt ſpiritus.*

Quod notiones noſtras oportet eſſe ſecundum diuina & Apoſtolica dogmata.

F

Quomodo filius ſit imago patris. Vna ſubſtantia Trinitatis, quia vnaquæque perſona eſt vnus Deus.

Ioan. 4.

Confitemur igitur vnum Deum verum, vnum principium, & vnum filium verum Deum ex vero Deo naturaliter paternam diuinitatem habentem, id eſt, ὁμογενῆ patri; & vnum ſpiritum ſanctum, qui natura & veritate vim habet omnia ſanctificandi; id eſt, ex ſubſtantia Dei deificus. Eos vero qui vel filium vel ſpiritum ſanctum creaturam dicunt, anathematizamus. Omnia vero alia confitemur facta eſſe, & ſerua à Deo creata per filium, in ſpiritu ſancto † ſanctificata.

ὁμογενῆ

G

† Sanctificata in ſpiritu ſancto dicit, quæ ſunt idonea ad recipiendam ſanctificationem, vt rationalia omnia.

Præterea confitemur filiũ Dei factum eſſe filium hominis, qui non nomine ſed veritate aſſumpſit carnem ex Maria virgine; eſſeque perfectum filium Deum, & eundem filium hominis, vnam perſonam, & vnam adorationem verbi & carnis quam aſſumpſit; & anathematizamus eos qui differentes adorationes faciunt, vnã diuinam, & vnam humanam; & adorantes hominem ex Maria tanquam alterum præter Deum ex Deo. Scimus enim quod in principio erat verbũ, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Factum vero hominem propter noſtram ſalutem, adoramus non tanquam æqualem factum in æquali corpore: ſed tãquam Dominum, qui formam ſerui ſumpſit.

Ioan. 1.
Philip. 2.

Confitemur paſſionem Domini ſecundum carnem, reſurrectionem in virtute diuinitatis eius, aſcenſionem in cœlos, & glorioſum aduentum eius: qui venturus eſt ad iudicium viuorũ & mortuorum: & ad vitam æternam ſanctorum. Et quia nonnulli turbas nobis excitarunt, nitentes euertere fidẽ noſtram in Chriſtum Dominum noſtrum, non confitentes Deum eſſe incarnatum, ſed hominem Deo copulatum: idcirco confeſſionem edimus de fide, quam diximus, reiicientes contradicentium perfidiam.

H

Fides de Incarnatione verbi.

Deus enim humana carne incarnatus puram habet propriam operationem, cum ſit mens paſſionibus animæ & carnis inuicta, & carnem ac carnis motus diuine ac ſine peccato moderans. Qui non ſolum à morte teneri non potuit, ſed etiam mortem deleuit; & eſt Deus verus, qui carnis expers, in carne apparuit perfectus vera & diuina perfectione. Non duæ perſonæ, neque duæ (11) naturæ, nec enim quatuor adorari dicimus, Deum, & filium Dei, & hominem, & ſpiritum ſanctum. Idcirco eos anathematizamus, qui ſic impij ſunt, qui hominem in diuina laudatione ponunt. Nos enim dicimus verbum Dei factum eſſe hominem ad noſtram ſalutem, vt ſimilitudinem cœleſtis capiamus & deificemur ad ſimilitudinem veri ſecundum naturam filij Dei: ſecundum vero carnem filij hominis, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Credimus igitur in vnum Deum, id eſt, in vnum principium,

Deum

A

Deum Legis & Euangelij, iuſtum & bonum: Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Deum verum, id eſt, imaginem veram ſolius veri Dei, creatorem omnium viſibilium & inuiſibilium, filium Dei, & fœtum vnigenitum, & æternum verbum viuens, & per ſe exiſtens atque operans, ſemper cum patre manens: & in vnum ſanctum ſpiritum; & in aduentum glorioſum filij Dei, qui carnem accepit ex Virgine, & pro nobis paſſiones & mortem ſuſtinuit, & tertia die reſurrexit, & aſſumptus eſt in cœlos; & in futurum aduentum glorioſum: & in vnam ſanctam Eccleſiam; remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam. Confitemur conſubſtantialem eſſe patri filium, & ſpiritum ſanctum, & vnam ſubſtantiam Trinitatis, id eſt, vnam diuinitatem naturaliter, manente patre ingenito, genito autem filio ex patre vera generatione, non factione ex voluntate; & Spiritu Sancto ex ſubſtantia patris per filium æterne emiſſo, habente virtutem Sanctificandi totam

B

creaturam. Confitemur etiam incarnatum verbum, & manifeſtatum in operatione carnis ex Virgine aſſumptæ, non in homine operatum. Eos vero qui communicant cum iis, qui reijciunt † ὁμοούσιον, tanquam alienum à Scripturis, & qui dicunt aliquid ex Trinitate creatum eſſe, & ab vna naturali diuinitate ſeparant; alienos exiſtimamus, & cũ nullo ex iſtis communionem habemus. Vnus Deus pater, vna diuinitas. Deus etiam filius imago vera vnius & ſolius diuinitatis ſecundum generationem & naturam quam habet à patre, Dominus vnus filius: Similiter autem & Spiritus Sanctus, qui dominationem filij in creaturam Sanctificatam tranſmittit. Filius venit in mundum aſſumpta carne ex Virgine, quam impleuit Spiritu Sancto ad noſtram omnium ſanctificationem. Cum autem carnem morti tradidiſſet, mortem deleuit per reſurrectionem. aſcendit autem ad cœlum, exaltans & glorificans homines in ſeipſo: veniet autem iterum ad inſtaurandum nobis vitam æternam. Vnus filius ante incarnationem, & poſt incarnationem idem homo & Deus vtrumque tanquam vnum: & non alia quidem perſona Deus verbum, alia vero homo Ieſus, ſed idem qui prius erat filius, vnitus eſt carni ex Ma-

C

ria, conſtituens ſeipſum perfectum & Sanctum, ac ſine peccato hominem, & adminiſtrans opus incarnationis ad renouationem ſalutarem humanitatis, & totius mũdi. Deus pater perfecta perſona perfectum habet Verbum ex ſeipſo vere genitum. Non tanquam verbum vocale quod loquimur; neque vt filium ſecundum adoptionem, ſicut angeli & homines vocantur filij Dei; ſed vt filium natura Deum. Perfectum vero etiam habet ſpiritum ſanctum ex Deo per filium in adoptatos filios effuſum, viuentem & viuificantem, ſanctum & ſanctificantem eos, qui eum participant; non tanquam ſpiratione in ab homine emiſſam non per ſe ſubſiſtentem, ſed ex Deo viuentem. Vnde Trinitas eſt adorabilis, glorificabilis & honorata, ac venerabilis, patre quidem intellecto in filio, ſicut filius ex ipſo eſt: filio vero glorificato in patre, ſicut eſt ex patre; manifeſtato in ſpiritu ſancto ſanctificatis. Quod autem venerabilis eſt ſancta Trinitas non ſeparata nec alienata; docet nos Paulus in Epiſtola ad Corinthios ſecunda. Sic enim ait: *Gratia Domini*

2. Cor. 13.

noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti ſpiritus cum omnibus vobis. Et rurſus in eadem Epiſtola: *Qui autem*

2. Cor. 1.

D

confirmat nos nobiſcum in Chriſto, qui & vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. Adhuc autem clarius in eadem Epiſtola ſic ſcribit: Cũ legitur Moy-

2. Cor. 3.

ſes, *velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. cum autem conuerſi fuerint ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem ſpiritus eſt. Vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas. Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini ſpiritu.* Et rurſus ait Pau-

2. Cor. 5.

lus: *Vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus; qui dedit vobis pignus ſpiritus.* Et iterum: *Com-*

2. Cor. 6.

* vulg. ſicut Dei miniſtros.

*mendantes noſmetipſos tanquam * miniſtri Dei, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis*, & quæ ſequuntur. Deinde ſubiungit, dicens: *In ſuauitate, in ſpiritu ſancto, in*

Ibidem.

charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Ecce hic etiam deſignauit ſanctus Paulus Trinitatem, nominans Deũ, & verbum, & ſpiritum ſanctum. Et iterum ait: *An neſcitis quo-*

1. Cor. 3.

niam templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Si quis au-

tem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim

E

Dei ſanctum eſt: quod eſtis vos. Et iterum: *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.* Et rurſus: *An neſcitis (18) quoniam † corpora*

1 Cor. 6.

Ibidem.

† vul membra veſtra.

veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo? Et illud: *Videor enim & ego ſpiritum Dei habere.* Et iterum

1. Cor. 7.

loquens de filijs Iſrael tanquam baptizatis in nube & in

1. Cor. 10.

mari, ait: *Et omnes eundem potum ſpiritalem biberunt: bibebant enim de ſpiritali, conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus.* &

1. Cor. 12.

iterum ait: *Propter hoc notum vobis facio, quod nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathema Ieſu: & nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. Diuiſiones gratiarum ſunt, vnus autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, vnus autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, & idem eſt Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autẽ ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum: alij fides in eodem ſpiritu: alij vero operationes virtutũ: alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum: alij genera*

F

linguarum: alij vero interpretatio ſermonum. Omnia autem hæc operatur vnus & idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Et ſicut vnum Corpus eſt, multa autem habet membra; omnia vero membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus. Omnes enim nos in vnum corpus baptizati ſumus. & rurſus ait.

Alluſio videtur fieri ad verba Galat. 1.

Nam ſi is qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non prædicauimus, aut alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis; aut aliud Euangelium, quod non recepiſtis, recte pateremini. Vides quod inſeparabilis ſit ſpiritus à diuinitate? & nunquam vllus pie ſentiens, creaturam eſſe ſuſpicabitur. In Epiſtola autem ad

Heb. 2.

Hebræos ſic ait: *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum ab iis qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis, & varijs virtutibus, & ſpiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem.* Et rurſus in eadem Epiſtola dicit: *Qua-*

Heb. 3.

Pſal. 94.

propter, ſicut ait ſpiritus ſanctus: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto; vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerunt & viderunt opera mea, quadraginta annis. Propter quod infenſus fui ge-

Ibidem.

nerationi huic, & dixi ſemper errant corde. Ipſi autem non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem

G

meam. Hic etiam audiant Paulum non ſeparantem ſpiritum ſanctum à diuinitate patris & filij: quin potius clare ſignificantem, locutionem ſpiritus ſancti ex perſona Dei eſſe, & tanquam à Deo prolatam, ſicut redditum eſt in iis quæ dicta ſunt. Idcirco vnus Deus ſancta Trinitas creditur & adoratur, iuxta hæc diuinæ ſcripturæ teſtimonia: tametſi vbique in diuinis Scripturis innumeri ſermones nobis ſuppetunt, qui Apoſtolicam & Eccleſiaſticam fidem comprobant.

EIVSDEM SANCTI GREGORII EPISCOPI NEOCÆSAREÆ PONTI, THAVMATVRGI, CAPITA

duodecim de Fide, ſubiecto ſingulis Capitibus Anathematiſmo, & appoſita vniuſcuiuſq; Capitis Interpretatione contra Hæreticos & Iudæos.

Interprete Gerardo Voſſio.

H

ARGVMENTVM.

QVomodo Dei gratiâ oporteat credere de Incarnatione Filij Dei Ieſu Chriſti Domini noſtri, ſecundum ea quæ Lex præſignificauit, Prophetæ teſtati ſunt, Apoſtoli prædicauerunt, & ipſe Dominus verbo docuit, & operibus ſeipſum manifeſtum fecit.

CAPVT I.

SI quis dicit, corpus Chriſti increatum, & non confitetur ipſum increatum Deum † verbum ex creata humanitate incarnationem oſtendiſſe, factumq; eſſe hominem, ſicut ſcriptum eſt; anathema ſit.

† al Dei verbum.

Luc. 2.

Ioan. 1.

Interpretatio.

Quomodo enim corpus increatum dici poteſt? Nam quod increatum eſt, etiam paſſionis expers eſt, & neq; vul-

A

nerari, neque attrectari poteſt: Chriſtus autem à mortuis reſurgens figuram clauorum, & lateris apertionem lancea factam, corpuſq; ſuum palpandum diſcipulis demonſtrauit; tametſi clauſis ianuis ingreſſus eſſet. Sed vt diuinitatis operationem, & corporis veritatem oſtenderet, cum alioqui Deus eſſet, homo natura agnoſcebatur: & cum eſſet alioqui vere homo, Deus tamen ex ſuis operibus oſtendebatur.

Ioan. 20.

CAPVT II.

Si quis dicit carnem Chriſti [illegible] id eſt, conſubſtantialem eſſe diuinitati, & nõ confitetur ipſum in forma Dei, Deum eſſe ante ſecula, & ſeipſum exinaniſſe, & formam ſerui accepiſſe, ſicut ſcriptum eſt; anathema ſit.

En [illegible], in verſu 55. Patres ante Concilium Nicænum. Phil. 2.

Interpretatio.

Quomodo autem caro poſt tempus, [illegible] id eſt, einſdem ſubſtantiæ, cum ſempiterna diuinitate dici poteſt? [illegible] enim dicitur, quod eſt idem natura, & eadem ſempiternitate inuariabiliter.

B

CAPVT III.

Si quis dicit hominem perfectum aſſumptum eſſe à † Chriſto, tanquam vnum ex prophetis, & non confitetur ipſum incarnatione ex Virgine factum hominem, in Bethleem natum, & in Nazareth educatum, & qui progreſſum in ætate oſtēdit, & curſum † temporum compleuit; in Iordane baptizatus eſt, & à Patre teſtimonium hoc accepit: *Hic eſt filius meus dilectus*, ſicut ſcriptum eſt; Anathema ſit.

† al. à Domino. Luc. 2. † al. & numerationem temporum ſuſcepit. Matth. 3.

Interpretatio.

Qua ratione dici poteſt homo perfectus † à Domino aſſumptus, tanquam vnus ex prophetis; cum ipſe Dominus per incarnationem ex Virgine homo factus ſit? Ideo ſcriptum eſt. *Primus homo ex terra terrenus.* poſtquam vero is, qui ex terra formatus erat, in terram abijt; ſecundus homo factus, in cœlos aſcendit. & dicitur primus Adam, & nouiſſimus Adam. Et ſicut in confeſſo eſt, ſecundum ex primo eſſe, quantum ad carnem attinet; vnde & homo, & filius hominis Chriſtus: ita quoq; teſtatum eſt, quod ſecundus ſit Saluator primi, propter quem etiam è cœlo deſcendit. Quoniam autem Verbum è cœlo deſcendens, & homo factum in cœlos aſcendit; ideo & è cœlo ſecundus Adam eſſe dicitur.

† al. à Chriſto. 1 Cor. 15.

C

CAPVT IV.

Si quis dicat ex ſemine viri genitum eſſe Chriſtum de Virgine, ſicut omnes alij naſcuntur homines: & non confitetur ipſum ex ſpiritu ſancto, & ex ſancta Maria virgine incarnatum, & factum hominem *ex ſemine Dauid*, ſicut ſcriptum eſt; Anathema ſit.

Rom. 1.

Interpretatio.

Quomodo dici poteſt ex ſemine viri genitus Chriſtus ex Virgine; cum ſanctum Euāgelium, & ipſe Angelus teſtentur, Mariam Virginem dixiſſe: *Quomodo fiet mihi iſtud; quoniā virum non cognoſco?* Ideo & qui nunciauit Mariæ dixit: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, quamobrem & quod natum eſt ex te ſanctum, vocabitur filius Altiſſimi.* Et Ioſepho dicit: *Ne timeas accipere Mariam coniugē tuam. quod enim in ea natum eſt, ex ſpiritu ſancto eſt pariet vero filium, & vocabunt nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*

Luc. 1. Ibi. Luc. 1.

D

Matt. 1.

CAPVT V.

Si quis dicit: alius eſt filius Dei ante ſecula, & alius qui extremis temporibus apparuit; & non confitetur vnum & eundem eſſe illum ante ſecula, & qui nouiſſimis temporibus apparuit, ſicut ſcriptum eſt; anathema ſit.

Interpretatio.

Quomodo dici poteſt alius filius Dei ante ſecula, & alius in extremis temporibus; cum ipſe Dominus dicat: *Antequam Abraham fieret, ego ſum. &c.*, quia *à patre exiui, & venio: & iterum vado ad patrem meum?*

Ioan. 8. Ioan. 16.

E

CAPVT VI.

Si quis dicat: alius eſt qui paſſus eſt, & alius, qui non eſt paſſus; & non confitetur, idem impaſſibile & immutabile Dei verbum, in carne propria paſſum immutabiliter, ſicut ſcriptum eſt, anathema eſto.

Interpretatio.

Qua ratione dici poteſt alius qui paſſus eſt, & alius, qui non eſt paſſus? cum ipſe Dominus dicat: *Oportet filium hominis multa pati, & occidi; & die tertia reſurgere à mortuis.* & illud: *cum videritis filium hominis ſedentem in dextera patris, & cum venerit filius hominis in gloria patris ſui.*

Marc. 8. Luc. 9. Mat. 16. 25 Marc. 8. Luc. 9.

CAPVT VII.

Si quis dicit Chriſtum ſaluum factum eſſe, & non confitetur ipſum eſſe ſaluatorem mundi, ac lucem mundi, ſicut ſcriptum eſt; Anathema ſit.

Ioan. 3. Eſa. 43. & 49.

Interpretatio.

Quo pacto poteſt quiſpiam dicere: Chriſtum ſaluum eſſe factum? cum ipſe Dominus dicat: *Ego ſum vita, & Ego veni, vt vitam habeant. &: qui credit in me mortem non videbit, ſed videbit vitam æternam.*

Ioan. 11. Ioan. 10.

F

Ioan. 6. 8.

CAPVT VIII.

Si quis dicit, perfectum hominem eſſe Chriſtum diuiſe, & Deum verbum diuiſe, & non confitetur vnum Dominum Ieſum Chriſtum, ſicut ſcriptum eſt; Anathema ſit.

Interpretatio.

Quomodo dicere quis poteſt perfectum hominē Chriſtum diuiſe, & Deū verbū diuiſe; cum ipſe Dominus dicat: *Quid me quæritis occidere hominem, qui veritatem loquutus ſum, quam audiui à patre?* Non enim hominem pro nobis dedit, ſed ſeipſum pro nobis tradidit Deus verbum homo propter nos factū. quapropter dicit: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ipſe autem dicebat de templo corporis ſui.*

Ioan. 8. Ioan. 2.

CAPVT IX.

Si quis dicit mutabilem aut alterabilem Chriſtum, & non confitetur ipſum immutabilem ſpiritu, † corruptibilem carne; Anathema ſit.

† al. incorruptibilē.

Interpretatio.

Qua ratione poteſt aliquis dicere, mutabilem aut variabilem eſſe Chriſtum? cum ipſe Dominus dicat: *Ego ſum, & non mutor.* & rurſum: *Neq; anima eius relicta eſt in inferno; neq; caro eius vidit corruptionem.*

Malach. 3. Pſal. 15. & Act. 2.

G

CAPVT X.

Si quis dicat, partem duntaxat hominis aſſumpſiſſe Chriſtum, & non confitetur ipſum per omnia ſimilem nobis, excepto peccato; anathema eſto.

Heb. 4.

Interpretatio.

Quomodo poteſt quiſquam dicere, partem tantummodo hominis aſſumpſiſſe Chriſtum? cum ipſe Dominus dicat: *Animam meam pono, vt iterum eam accipiam, pro ouibus meis. Et caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. & qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.*

Ioan. 10. Ioan. 6.

CAPVT XI.

Si quis dicit corpus Chriſti eſſe inanimatum, aut ſine mente; & non confitetur ipſum perfectum eſſe hominem per omnia vnum & eundem; Anathema eſto.

Interpretatio.

Qua ratione poteſt vllus dicere, Corpus Chriſti eſſe ſine anima, aut mente? Turbatio enim & dolor, & pauor, neq; carnis ſunt inanimatæ, nec animæ non intelligentis; neque diuinitatis immutabilis; nec oſtenſio inanis apparitionis; neque infirmitatis humanæ ſuccumbentis defectus, ſed paſſiones naturæ noſtræ in ſeipſo Verbum oſtendebat, ſuſcipiens partem ad patiendum datam, ſicut ſcriptum eſt: *Quoniam ipſe infirmitates noſtras aſſumpſit, & languores noſtros ipſe tulit.* Turbatio enim, & dolor, & pauor, languores animæ ſunt: defatigatio autem, & ſomnus, & vulneratio corporis, infirmitates carnis ſunt.

H

Iſai. 53.

CAPVT XII.

Si quis dixerit, Chriſtum ſola opinione atq; fictione apparuiſſe mundo, & non confeſſus fuerit ipſum in carne veniſſe; anathema ſit.

Interpretatio.

Quomodo poteſt quiſpiam dicere, Chriſtum putatiue

acticte

A

ac ficte apparuiſſe mundo; Chriſtum dico, in Bethleem natum, ad circumciſionem carnis adductum, à Symeone geſtatum; vſque ad duodecimum annum à parentibus educatum, uſque morigerum; in Iordane baptizatum, in cruce confixum, & à mortuis ſuſcitatum? Quamobrem dum dicitur: Turbatus eſt ſpiritu, triſtatus eſt anima, vulneratus eſt corpore; appellationes paſſionũ ſecundum naturæ noſtræ conſtitutionẽ aſſerit, vt oſtendat ſe hominem in mundo eſſe natum, & cum hominib. conuerſatum ad ſimilitudinem noſtram, ſine tamen peccato. Natus eſt in Bethleem ſecundum carnem, vt Deum † decebat, Angelis cœleſtibus Dominũ ſuum agnoſcentibus, & Deum in præſepio pannis inuolutum collaudantibus, atque dicentibus: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* In Nazaret enutritus eſt. In medio Doctorum ſedẽs, Deum ſe oſtendit, & admirationem eis mouit ſuper ſapientia præter tempus ætatis ſecundũ corpus, ſicut Euangelicus ſermo enarrat. In Iordane baptizatus eſt, non vt ſanctificationẽ

B

aſſumeret, ſed vt ſanctificationis participationem alijs elargiretur. In deſerto tamen tentatus eſt, nõ ſubiectus tentationi: ſed noſtras tẽtationes prouocationi tentatoris obijciens, vt vanum eſſe tentantem demonſtraret. Propterea ait: *Confidite, ego vici mundum.* non diuinã luctationem opponens; ſed propriam carnem victricem paſſionis, & mortis, atq; corruptionis oſtendens: vt per quam carnem, peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors in omnibus hominibus regnauit; per eandem carnem ſecũdum ſimilitudinem, damnaretur peccatum in carne; & vinceretur peccati præſes qui tentat; & mors diſſolueretur, ne regnaret; & corruptio in corporis ſepultura euaneſceret; primitiæque reſurrectionis oſtenderentur, & principium iuſtitiæ in mundo per fidem exerceretur; regnumque cœlorum hominibus adnonciaretur, & Dei cum hominibus cõmunio iniretur: Pro hac gratia glorificemus patrẽ qui dedit filium ſuum vnigenitum pro mundi vita: glorificemus ſpiritum ſanctum, qui operatur in nobis & viuificat nos, & charismata ad communionem cum Deo ineũdam tribuit: & ne doctrinam euangelicam curioſe verbis aridis perſcrutemur, *interminatas quæſtiones & pugnas verborum* † circũ-

C

ferentes; & planum ac facilem, rectumque de fide ſermonem, aſperum reddentes: ſed potius operemur opus fidei, pacem amemus, concordiam perſeramus, vnitatem atque coniunctionem ſeruemus, charitatem excolamus, per quã placatur Deus. Quemadmodum autem noſtrum non eſt, *ſcire tempora aut momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate*; credere autem oportet, finem fore huius temporis, & futuram venturi ſeculi manifeſtationem, ac iudicij reuelationem, & filij Dei aduentum, operumque retributionem, ac hæreditatis regni cœlorum poſſeſſionem: ſic non eſt noſtrũ ſcire, quomodo filius Dei factus ſit homo. myſterium enim hoc magnum eſt, ſicut ſcriptum eſt: *Generationem eius quis enarrabit? quia tolletur de terra vita eius.* Sed credere oportet, quod filius Dei factus ſit homo ſecundum Scripturas; & quod *in terra viſus ſit, & cum hominibus conuerſatus*, vt ſcripturę ducent, ad ſimilitudinem noſtram abſque peccato; quodque pro nobis mortuus ſit, & reſurrexit ex mortuis, ſicut ſcriptum eſt; & quod in cœlos † aſſumptus ſit, ſedetque in dextera patris; vnde venturus eſt iudicare viuos & mor-

D

tuos, ſicut Scriptura docet: ne forte dum verbis inter nos contendimus, blaſphement quidam doctrinam fidei noſtræ, atque quod dictum eſt: *Propter vos ſemper blaſphematur nomen † meum in gentibus.*

Luc. 2. 3. 22. 24. Baruch. 3. Heb. 4. Luc. 2. † Ἰουδαίους (?) Luc. 2. Math. 3. Math. 4. Ioan. 16. Rom. 5. 1. Cor. 15. 1. Tim. 1. Tit. 3. † al. circumferentes. Act. 1. Eſa. 53. Baruch. 3. Heb. 4. Marc. 16. † al. aſcendit. 2 Tim. 4. 1. Tim. 6. Eſa. 52. † al. nomẽ Dei.

IN VETERE QVADAM GRAECA COLLECTIONE

(QVÆ IN PLVRIBVS ANTIQVIS REPERITVR Bibliothecis) Auctoritatum de duabus in Christo naturis, ex S. Gregorio Thaumaturgo, plera que præcedentium Capitum & Anathematiſmorum, cum ſuis Interpretationibus citantur, hoc tenore ac ordine, vt ſequitur.

S. Gregorij Thaumaturgi, ex ſermone de Incarnatione & Fide, in Interpretatione Anathematiſmi ſecundi, de humanis paſſionibus.

Interprete Gerardo Voſſio.

E

Sed paſſiones naturæ noſtræ in ſeipſo oſtendebat Verbum ſuſcipiens partem paſſionibus ſubiectam. Sicut ſcriptum eſt: Ipſe infirmitates noſtras aſſumpſit, *& ægritudines noſtras portauit.* Turbatio enim & dolor, & pauor, ægritudines ſunt animæ: labor vero & ſomnus, & corporis vulneratio, carnis infirmitates ſunt. *Eſai. 53*

Eiuſdem, ex vndecimo Anathematiſmorum capite: Quod non ſit eiuſdem ſubſtantiæ corpus Domini cum diuinitate ipſius.

Si quis dicit carnem Domini [Greek], id eſt, eiuſdẽ ſubſtantiæ eſſe cum diuinitate, & non confitetur ipſum eſſe in forma Dei, Deum ante ſecula, & ſeipſum exinaniſſe, ac formam ſerui accepiſſe, ſicut ſcriptum eſt, anathema ſit. Quomodo enim caro poſt tempus, [Greek], id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ cum diuinitate? Nam [Greek] dictum eſt, quod eſt idem natura, & proprietate immutabiliter. *Phil. 2.*

F

Eiuſdem ex ſermone Duodecimi Anathematiſmi de capite propoſito.

Si quis dicit corpus Chriſti increatum, & non confitetur increatum Deum verbum ex creata humanitate incarnationem oſtendiſſe, anathema ſit.

Interpretatio.

Quomodo enim corpus Chriſti increatũ dici poſſet? Siquidem quod increatum eſt, neque pati, neque vulnerari, neque palpari contrectarine poteſt: Chriſtus vero ex mortuis reſurgens, figuram clauorum, & lateris apertionẽ lancea factam, & corporis attrectationem diſcipulis oſtendit, quamuis ianuis clauſis abſque impedimento ingreſſus eſſet, vt & diuinitatis operationem, & corporis veritatem demonſtraret. *Ioan. 20.*

Eiuſdem ex Fidei expoſitione [Greek]: Quod non oporteat quæ humana ſunt, Dei verbi diuinitati attribuere.

Si qui vero etiam hic ſaciam deprauant fidem, ſeparatim diuinitati quæ humana ſunt attribuentes, incrementa, paſſiones, & acceſſionem gloriæ: aut à diuinitate ſeparantes corpus quod proficiebat & patiebatur, tãquam per ſe ſubſiſteret; etiam hi extra fidem Eccleſiaſticam ſunt, & ſalutem.

G

EIVSDEM SANCTI PATRIS NOSTRI GREGORII

EPISCOPI NEOCÆSAREÆ PONTI, THAVMAturgi, in Annunciationem ſanctiſſimæ Dei genitricis virginis Mariæ, ſermo primus.

Interprete eodem D. G. Voſſio.

HOdie ab Angelicis choris laudes diuinæ celebrantur, & lumen Chriſti aduẽtus fidelibus illuceſcit. Hodie lætum nobis ver. Chriſtus ſol iuſtitiæ affulſit, ac claro nos lumine colluſtrauit, fidelium que mentes illuminauit. Hodie renouatur Adam, & choros cum Angelis agit, in cœlum ſublatus. Hodie totus terrarum orbis, gaudio ob aduentum ſpiritus ſancti in homines, plenus eſt. Hodie diuina gratia, ſpes inuiſibilium effulget, & miracula quæ mentem atque intelligentiam ſuperant, myſteriumque quod ab æterno occultatum fuit, palam nobis facit. Hodie perennis virtutis texuntur coronæ. Hodie ſacrum beneuolorum, & religioſorum, dieſque feſtos ſtudioſe colentium capita coronare volens Deus, firmæ fidei amatores tanquã vocatos & hæredes appellat; ſupernumque regnum cum ſtudio eos qui cœleſtia ſapiunt, vt ſe diuino incorporeorũ chororũ miniſterio coniungant, vocat. Hodie Dauidicum adimpletum eſt oraculum, quod dicit: *Lætentur cæli, & exultet terra. Gaudebunt campi, & omnia ligna ſyluæ, a † conſpectu Domini, quoniam venit.* Et Dauid quidem, ligna dicit: Præcurſor vero Domini, arbores facientes fructus dignos pœnitentiæ, immo Domini aduentu, nuncupat. At Dominus noſter Ieſus Chriſtus, perenne gaudium cunctis in ipſum credentibus adnunciat. Ait enim: *Videbo vos & gaudebitis & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Hodie celebris atque ineffabile Chriſtianorum, qui ſuam in Chriſtum ſpem † ſponte obſignarunt, myſterium plane nobis adnunciatur. Hodie Gabriel, qui Deo aſſiſtit, ad caſtiſſimam Virginem veniẽs,

H

al. renouatur. Pſal. 95. † al. ante faciem Domini. Matth. 3. Ioan. 16. † al. pie ac ſancte obſignarunt.

A illud, *Aue gratia plena*, ipſi annunciat. Ipſa vero ſecum cogi-
Luc. 1. tante, *qualis eſſet illa ſalutatio*: Angelus confeſtim ſubiunxit,
Ibid. dicens: *Dominus tecum. ne timeas Maria: inueniſti enim gratiam*
† al. Ecce concipies. *apud Deum.* † *Ideo concipies in vtero, & paries filium: & vocabunt*
al. vocabis. *nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius Altiſsimi vocabitur. Et*
dabit ipſi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in do-
mo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria
Ibid. *ad Angelum: Quomodo iſtud fiet mihi: quoniam virum non cogno-*
ſco? nunquid amplius virgo permanebo? nunquid virgini-
tatis dignitas in me prodetur & amittetur? Quæ, dum vel-
ut admirabunda, ſecum animo ſanctiſſima Virgo verſaret;
breuiter Angelus ſermonis ſummam profert, ac dicit: *Spi-*
Ibid. *ritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Id-*
eoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Nam
quod eſt, hoc & omnino vocabitur. Conuenienter igitur
ſanctam Mariam ex omnibus generationib. ſolam gratia e-
legit. Nam prudens reuera ac ſapiens in cunctis erat: nec
ſimilis ei, ex vniuerſis generationibus vlla vnquam eſt re-
† al. prima virgo. perta. Non ſicut antea † virgo Eua ſola in paradiſo chorum
agens atque tripudians, relaxata mente per incuriam ab
Auctore omnis mali ſerpente, verbum ſuſcepit; & ſic ſenſu
B † mentis corrupta eſt, ac per ipſam fraudulentus venenum
† al. mente cordis. effundens, mortemq; admiſcens, in omnem mundum in-
troduxit: ac propterea omnis Sanctorum ærumna nata
eſt: verum in ſola ſancta Virgine, eius lapſus reparatus eſt.
Neq; prius ſanctiſſima Virgo donum admiſit, quam, quis
illud mitteret, & quodnam donum eſſet, ac quis ferret, ad-
didiciſſet. Quæ dum ſecum, velut anceps loqueretur, ait
ad Angelum: Vnde ſic nobis benedictionem apportaſti?
Ex cuiuſmodi theſauris, verbi margarita nobis emiſſa eſt?
† al. promiſſum. Vnde nobis donum † materiam parauit? Ex cœlo aduen-
iſti, at in terra incedis: humanam formam exhibes, & lucis
fulgore reſplendes. Hæc dum intra ſe cogitaret ſanctiſſima
Virgo, talibus Archangelus ſermonibus diſceptationem e-
Ibi. Luc. 1. ius ſoluit, dicens ad ipſam: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &*
virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Ideo & quod naſcetur ex te ſanctũ,
vocabitur filius Dei. Et ne timeas Maria: non enim vt metum ti-
bi incuterem, adueni; ſed vt metus materiam à te repellerẽ.
Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. Ne diiudi-
† al. legi. ces gratiam ſecundum naturam: † Legibus enim naturę ſe
ſubijci gratia non patitur. Noſti ô Maria, quæ Patriarchas
C & prophetas latebant. Didiciſti, ô Virgo, quæ adhuc An-
gelis etiam fuerant abſcondita. Audiſti, ô ſanctiſſima, quæ
nũquam, diuino ſpiritu afflatorum chorus audire meruit,
Moyſes & Dauid, Eſaias ac Daniel, cunctique prophetæ
de ipſo prædicauerunt: ſed modum rationemue ignora-
runt. Tu vero ſola, ô ſanctiſſima Virgo, quæ his omnibus
† al. ſuſcipe & intellige. ignota fuerunt myſteria, nunc † ſuſcipis, cauſamque intel-
ligis. Nam vbi ſpiritus ſanctus, cuncta prompte atque in-
cunctanter perficiuntur. Vbi diuina adeſt gratia, omnia
Luc. 1. Deo ſunt poſſibilia. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus*
Altiſsimi obumbrabit tibi: ideo & quod naſcetur ex te ſanctum, voca-
bitur filius Dei. Si autem filius Dei, etiam Deus, eiuſdem for-
mæ cum patre, & coæternus: in quo omnem pater poſſidet
clarificationem: character atque imago in perſona; & per
ſplendorem gloria refulget. Et quẽadmodum ex perenni
fonte procedunt flumina: ſic & ex hoc perenni ac ſemper
viuo fonte, progreditur perennis & vera lux mundi, Chri-
ſtus Deus noſter. De eo namque Prophetæ clamarunt. *Flu-*
Pſal. 45. *minis impetus lætificat ciuitatem Dei*: neque vnam duntaxat ci-
uitatem, ſed omnes; nam ſicut vnam ciuitatem, vniuerſum
D terrarum lætificat orbem. Conuenienter igitur † Angelus
† al. Archangelus. ſanctæ Mariæ virgini, primo omnium, illud, Aue gratia
plena, Dominus tecum, præſignificauit: quoniam cum i-
pſa, totus gratiæ theſaurus reconditus erat. Ex omnibus e-
nim generationibus, hæc ſola virgo, ſancta corpore & ſpi-
ritu extitit; ſolaque fert eum, qui verbo omnia portat. Et
non ſolum admirationem nobis parit, ſanctiſſima illius in
corpore pulchritudo; ſed & virtutes animæ eius. Ideo &
† al. Archangelus verbis illis, *Aue gratia plena*, primum † Angelus ipſam ſalu-
tando compellauit: Dominus tecum. & nõ terrenus ſpon-
ſus, ſed ipſe ſanctificationis Dominus, pater caſtitatis, in-
al. ſanctitatis. corruptionis auctor, & libertatis dator, ſalutis procreator,
& veræ pacis conſeruator, atque largitor: qui ex terra vir-
gine creauit hominem, & ex illius latere ac coſta Euam

† aſſumpſit: Hic Dominus tecum, & rurſum ex te. Agite i- E
gitur, chariſſimi, & nos angelicam conſectantes laudem, † al. prouiſio, creauit.
debitum pro viribus † grati perſoluamus, dicentes: *Aue*, ac
gaude, *gratia plena, Dominus tecum*. Tuum enim vere eſt aue- † al. grato animo.
re, atque gaudere: quoniam tecum diuina gratia, vt nouit,
habitationem elegit: cum ancilla, Rex gloriæ: cum ſpecio- Luc. 1.
ſa, ſpecioſus forma præ filiis hominum: cum impolluta,
qui ſanctificat vniuerſa: Tecum Deus, & ex te Deus, ac
perfectus homo, in quo omnis plenitudo diuinitatis in-
habitat. *Aue gratia plena*, fons lucis, qui cunctos in ipſum
credentes illuminat. *Aue gratia plena*, intelligibilis † ſolis o- † al. ſolis iuſtitiæ oriens.
riens, & flos immaculatus. *Aue gratia plena*, pratum fragran-
tiſſimum. *Aue gratia plena*, vitis ſemper vigens; quæ animas
glorificantium te lætificas. *Aue gratia plena*, ager qui non ex-
aratus fructus profert pulcherrimos. Secundum naturam
quidem, eo quod more noſtro, & tempore motus, geſta-
tioniſque ſeruato protuliſti: at præter naturam, aut potius
ſupra naturam; quia ſuperne diuinum verbum adueniens, & al. è cœlo.
in ſancto tuo vtero Adamum reformauit. ac fœcũditatem
quidem, Spiritus ſanctus ſanctæ virgini præbuit: verum
autem corpus ex eius corpore aſſumptum eſt. Et ſicut Mar- P
garita ex duabus naturis, ex fulgure nimirum & aqua, oc- Similia ſunt, apud ſanctum Ephræm, in ſerm. de Margarita pretioſa. Tomo 3.
cultis quibuſdam iudiciis ac ſignis maris prouenit: ita quo-
que Dominus noſter Ieſus Chriſtus, inconfuſe & immota-
biliter ex pura ac caſta, & impolluta, ac ſancta Maria virgi-
ne progreditur, in Deitate perfectus, & in humanitate per-
fectus, patri per omnia ſimilis, & nobis per omnia conſub-
ſtantialis, omnis peccati expers.

Plurimi ſanctorum Patrum, Patriarcharum, & prophe-
tarum deſiderauerunt eum videre, & coram ſpectatores
fieri, & non potuerunt. Et alii quidem ex ipſis per viſiones
adumbratim in † ænigmatibus conſpexerunt: alii vero in † al. in ænigmate.
columna nubis diuinam vocem audierunt, & ſanctorum
Angelorum aſpectibus potiti ſunt: ad Mariam autem vir-
ginem ſolam ſanctam, Gabriel † Archangelus claro lumi- † al. Angelus.
ne venit, *Aue gratia plena*, ei annuncians: & ſic ipſa verbum
ſuſcepit, & in tempore corporeæ completionis, pretioſam
Margaritam produxit. Adeſte igitur vos quoque chariſſimi,
& dulcia verba illa ex ſpirituali Dauid cithara nobis repræ-
ſentata decantemus, dicentes: *Surge Domine, in requiẽ tuam* Pſal. 131.
tu, & arca ſanctificationis tuæ. Vere enim arca eſt ſanctiſſima
Virgo, intrinſecus & extrinſecus deaurata, quæ vniuerſum G
ſanctificationis theſaurum ſuſcepit. Surge Domine, in re-
quiem tuam. Surge Domine, ex ſinu Patris, vt collapſum
primi parentis genus erigas. Hæc poſtulans ac deprecans
Dauid, ad virgam, quæ ex ipſo pulcherrimi illius fructus
florem germinatura erat, vaticinans dicebat: *Audi filia, & vi-* Pſal. 44.
de, & inclina aurem tuam; & obliuiſcere populum tuum, & domũ
patris tui: & concupiſcet rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt Domi-
nus Deus tuus, & † adorabis eum. Audi filia, quæ antea in te præ- † al. adorabunt. al. de te.
dicta ſunt: vt & cognitionis oculis res ipſas cõtẽpleris. Au-
di me, tibi præſignificantem, & Archangelum, perfecta ti-
bi myſteria diſerte annunciantem. Venite igitur, dilectiſſi-
mi, & nos ad memoriam, ea quæ præceſſerunt, reuocantes,
virgam illam ex Ieſſe ſic admirabiliter atque ineffabiliter
germinãtem glorificemus, collaudemus, beatam prędice-
mus, lætiſque acclamationibus excipiamus. Non enim ſo-
li Ioſeph, ſed & Dei genitrici Mariæ teſtimonium perhi- al. ſolum.
bens Lucas, in diuinis Euangeliis, ad ipſam Dauid familiã
atque cognationem reſpiciens, enarrat ac dicit: *Aſcendit au-* Luc. 2.
tem & Ioſeph à Galilæa in ciuitatem Iudææ, quæ vocatur Bethlehem,
vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore, prægnante: eo quod H
eſſent ipſi e domo & familia Dauid. Factum eſt autem, cum eſſent Ibidem.
ipſi ibi, impleti ſunt dies vt pareret ipſa, & peperit filium ſuum primo-
genitum omnis creaturæ: & pannis eum inuoluit, & reclinauit
ipſum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio. Faſciis eum
inuoluit, qui *amictus eſt lumine ſicut veſtimento*. Inuoluit pan- Pſal. 103.
nis eum, qui omnem formauit creaturam. Reclinauit in
præſepio eum, qui ſuper cherubim ſedet, & ab infinitis An- Pſal. 79. Dan. 3.
gelis collaudatur. In irrationalium animalium præſepio
Diuinum requieuit verbum, vt hominibus vere irrationa-
libus ſecundum liberam voluntatem, rationalem ſenſum
tribueret. In menſa iumentorum, † cœleſtis panis propoſi- † al. panis vitæ appoſitus eſt.
tus eſt: vt homines inſtar pecorum irrationales, myſtici cibi
participes redderet. Et ne locus quidem eis erat in diuer-

ſorio

A *Gen. 1. 2. Cor. 8.* † *al. occultorum diſpenſationis myſterio.* † *al. antiqua.*

ſorio. Locum non habuit, qui cœlum & terram verbo exſtruxit. Quoniam *cum diues eſſet, propter nos factus eſt pauper*, extremam vilitatem ob ſalutem naturæ noſtræ eligens, ex ingenita ſua in nos bonitate. Qui † occultorum diſpenſationis myſteriorum omnem impleuit prouidentiam ac diſpoſitionem in cœlo in ſinu patris, & in ſpelunca in vlnis matris, in præſepio requieuit. Chori Angelici circumcingebant eum, in cœlo gloriam concinentes, & in terra pacẽ adnunciantes. In cœlo à dextris patris ſedebat; & in præſepio, vt ſuper Cherubim requieſcebat. Thronus reuera & hic erat Cherubicus; Thronus regalis; ſanctus ſanctorum; ſolus ſuper terrã glorioſus; ſanctus ſanctior; in quo requieuit Chriſtus Deus noſter. Cui gloria, honor, & imperium, cum immaculatiſſimo patre, & ſanctiſſimo ac viuifico ſpiritu: nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

B

EIVSDEM SANCTI PATRIS NOSTRI, GREGORII

EPISCOPI NEOCÆSAREÆ PONTI, THAVMAturgi Encomium in Annunciationem ſanctiſſimæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ, Sermo II.

Eodem Interprete G. Voſſio.

Cunctas quidem feſtorum celebritates atque hymnodias decet nos ſacrificiorum inſtar offerre Deo: primum autem omnium, Annunciationem ſanctiſſimæ Dei genitricis, verbis illis comprehenſam (*Aue gratia plena*) quæ ab Angelo ad eam facta eſt: quoniam & prima † omnis ſapientiæ & ſalutaris doctrinę in nouo Teſtamento illa nobis ſalutatio à patre luminum emiſſa eſt. Gratia autem plena, dicens, omnem naturam humanam complexus eſt. Aue gratia plena, in ſancta conceptione, & in glorioſo partu. Adnuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Rurſus ad ſalutarem paſſionem Dominus veniẽs, aiebat: *Videbo vos, & gaudebitis; & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis* & poſt ſuam reſurrectionem, iterum per ſanctas mulieres primum, illud † Aue, nobis adnunciat. Similia rurſum hiſce Apoſtolus proclamauit: *Semper* (inquiens) *gaudete. ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite.* Videtis igitur, ô chariſſimi, quo pacto gaudium, quod omnem cogitationem excedit, atque perenne, nobis indiuiſibiliter vbique Dominus dilargitus ſit. Nam quoniam S. Maria, in carne dum eſſet, puriſſimam vitam, omnique genere virtutum excultam, optimamq; ſupra humanæ naturæ conſuetudinem gerebat; ideo æterni patris verbum, carnem ex ea, & perfectam humanam naturam ſuſcipere dignatum eſt; vt, per quam carnem, peccatum in mundum introiuit, & per peccatum mors, per eandem carnem peccatum in carne condemnetur, ac peccati tentator in † ſepultura ſancti corporis vincatur, principiumque reſurrectionis ſimul oſtendatur, & vita æterna in mundo verſetur, ac Dei cum hominibus ſocietas contrahatur. Cæterum quid hic dicamus, aut dicere omittamus? aut quis myſterii incõprehenſibilitatem enarrabit atq; exponet? Sed nunc ad propoſitũ redeamus. Ad caſtiſſimam virginem miſſus eſt Gabriel; incorporeus, ad eam quæ in corpore vitam tranſigebat incorruptam, in caſtitate ac virtutibus viuẽtem. Et ad ipſam veniens, primũ, illud. Aue gratia plena, Dominus tecum, ipſi ſic adnunciat: *Aue gratia plena.* Tu enim quæ reuera gaudio ſunt digna, agis: quoniam immaculatam induta es veſtem, & cingulo continentiæ ac pudicitiæ cincta es. *Aue gratia plena*, quæ ſupercœleſtis lætitiæ vas es atque receptaculum. *Aue gratia plena*: nam per te, gaudium omni diſpenſatur creaturę, genuſq; humanum antiquã dignitatẽ recuperat. *Aue gratia plena*: quoniam in vlnis tuis, creator vniuerſorum geſtabitur. Ipſa vero in hoc turbata eſt verbo: nam ad quoſcunque virorũ affatus, erat inſolita: & quietem atq; ſilentium vt continentiæ ac caſtitatis matrẽ amplectebatur: cũque puritatis atq; integritatis immaculatum ſimulacrũ eſſet, aſpectum ipſa Angelicum, ſicut plures ex prophetis, nõ reformidauit: quoniam & affinitatem quandam ac ſimilitudinem vera virginitas cum angelis habet. Studioſe quippe ſanctiſſima virgo lampadẽ virginitatis conſeruabat, & ne extingueretur, aut cõmacularetur, prouide diligenterq; curabat. Et ſicut ſplendido amictus veſtimento, magnam rationẽ ac curam adhibet, ne qua inquinatione ac ſorde contaminetur: ita quoq; ſanctiſſima Maria intra ſe cogitabat, atq; dicebat: Nunquid forte artificiũ aliquod ac fraudem, vel aſſentationem iſte miniſterij atq; obſequij actus in ſe continet? Nunquid, Aue iſtud, doloris mihi cauſa erit; ſicut olim primæ matri Euæ, blanda diuinitatis promiſſio, quam ea dæmoniaci ſerpentis operatione ſuſceperat? Nunquid rurſus in Angelũ lucis trãſfiguratus mali auctor dæmon, & meo ſponſo ſuã valde pudicitiã inuidens, blandoque eum ſermone fortaſſe oppugnãs, & non valens viri mentẽ tanquam firmiorẽ decipere, ad me quaſi teneriorẽ decoratam mente acceſſit; & iſtud mihi Aue, inueterſutum in poſterum intonuit? Nunquid per ironiam beatificatio atq; ſalutatio illa facta a ſe? Nũquid venenum ſub melle occultatũ? Nũquid verba quidẽ fauſta nunciantis; at ſcopus eſt deprædantis? quomodo enim quam non nouit ipſe ſalutat? Hæc apud ſe, dubia cogitatione verſabat, atque dicebat. Tunc rurſus gaudiũ † cunctis credibile atque indubitabile Archangelus ipſi adnunciat, & dicit: *Ne timeas, Maria: inueniſti enim gratiam apud Deum.* Habes breuẽ dictorum demonſtrationem. Non ſolũ enim tibi quod nihil timendum eſt, ſed & fiduciæ rationẽ innuo. nam cunctæ per me cœleſtes poteſtates, te ſanctã virginem ſalutãt: quin & ipſe cœleſtium omnium poteſtatum dominator, ex omni creatura, te ſanctiſſimam & ornatiſſimam elegit; & per ſanctũ, ac caſtum, purũ atque impollutum ventrem tuum, fulgidiſſima Margarita in ſalutẽ totius terrarũ orbis progreditur: quoniam & tu ſancta, omni humana † natura glorioſior ac purior ſanctiorque effecta es; ac niue quidem candidiorem habens mentem, quouis autem auro quantumuis probato purificatum magis corpus: ventrem vero, qualem Ezechiel vidit, & qualem recenſuit, talia dicens: *Similitudo animalium ſuper caput, quaſi firmamentum, & quaſi aſpectus cryſtalli formidabilis, & ſimilitudo throni ſuper ea, quaſi aſpectus lapidis Sapphyri: & ſuper thronum, tanquam ſimilitudo hominis, & quaſi aſpectus electri; & introrſecus eius, velut aſpectus ignis, per circuitum.* Perſpicue igitur Propheta natũ ex ſanctiſſima Virgine, in figura ac vmbra cernebat: quem tu ſancta Virgo portare non poſſes, niſi omni gloria atq; virtute † pro tempore illo refulgeres. Quibus igitur encomiorũ verbis dignitatẽ virginalẽ deſcribamus? Quibus laudũ ſignificationibus atq; præconiis immaculatã eius formã celebremus? quibus ſpiritualibus canticis, atq; elocutionibus glorioſiſſimam inter Angelos glorificemus? Hæc tu domo Dei inſtar fructiferæ oliuæ plantata, cui ſpiritus Sanctus † obumbrauit: per quam nos filios & hæredes regni Chriſti vocauit. Hæc, ſemper vigens immortalitatis paradiſus; in qua lignum vitæ plantatum, cunctis † immortalitatis fructus ſuppeditat. Hæc, Virginum gloriatio, & matrũ iubilatio. Hæc, credentiũ firmamentũ, & piorũ perfectum exemplũ. Hæc lucis indumentũ, & † virtutis domicilium. Hæc, fons perennis, in quo aqua viua ſcaturiuit atq; produxit Domini in carne aduẽtũ. Hęc iuſtitię munimẽtũ: & quicũq; eius, ac virginalis ingenuitatis, puritatiſq; amatores fuerint, angelica gratia perfruẽtur: quicũq; à vino † ebrietatis, & ſiceta voluptatis abſtinuerint, ex genimine viuificæ plantationis lætificabuntur. quicũq; virginitatis lampadẽ inextinctã conſeruauerint, immarceſſibili immortalitatis corona exornabũtur. quicũq; immaculatã temperãtię ac pudicitię veſtẽ cõparauerint, myſtico iuſtitiæ thalamo excipientur. Quicunq; propius ad Angelicũ gradum acceſſerint, perfectius quoq; delitijs dominicę beatitudinis reficiẽtur. quicunq; pellucidũ mentis oleũ, ac purũ conſcientiæ thymiama poſſederint, boni ſpiritalis odoris, adoptioniſque promiſſionẽ conſequẽtur. Quicunq; digne Dei genitricis Virginis Marię Annunciationẽ celebrauerint; plenioreẽ etiam Angelicę ſalutationis illius, *Aue gratia plena*, mercedẽ referent. Oportet igitur nos hanc feſtiuitatẽ celebrare: quoniã gaudio atq; lætitia cunctũ terrarũ repleuit orbẽ. Celebremus igitur nos eam in pſalmis & hymnis, ac cãticis ſpiritualibus. Celebrauit olim & Iſrael: at in aſſyriis, & herbis amaris. de quibus ait propheta: *Conuertam feſtiuitatem ipſorum*, in dolo-

Margin notes (left): † *al. ante omnem ſapientiam.* — *Ioan. 16.* C *Matth. 28.* † *al. Aue.* *1. Theſ. 5.* — † *al. in attactu.* — D *Luc. 1.*

Margin notes (right): E — *Gen. 3.* *2. Cor. 11.* — F — † *al. gaudium indiuiſibile adnunciat, ac dicit; Ne timeas, &c.* *Luc. 1.* — † *al. creatura.* — *Ezech. 1.* — G *al. beata Virgo.* † *al. coram throno ipſius coruſcares.* — † *al. obumbrat.* — † *al. incorruptibilitatis fructum.* — † *al. veritatis.* — † *al. à vino & ebrietate.* H — *al. & adoptionis ſpiritalis.* — *Amos 8.*

A
Hiere. 31.

in dolores & luctum, & lætitiam eorum in triſtitiam. Noſtrum porro luctū Dominus noſter, per fructus pœnitētię in gaudium ſe conuerſurū affirmauit. *Habuit quidem & primum teſtamentum iuſtificationis cultum,* vt in primo patre Abraam: verum in doloribus carnei cruciatus per circumciſionem, vſque ad tēpora expletionis. *Lex illa per Moyſen data eſt* ad correptionē: nobis aūt *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum † confecta eſt.* Cunctorū nobis bonorum principium, adnunciatio Mariæ gratia plenæ extitit, laudatiſſimæ Saluatoris diſpenſatio, diuinaque eius, atq; altiſſima cœleſtis doctrina. Hinc nobis ſpiritalis lucis exoriuntur radij. hinc nobis ſapientiæ, & immortalitatis ſcaturiunt fontes: qui limpidos ac puros riuos pietatis effundūt. Hinc nobis diuinę cognitionis reſplēdent theſauri. Hæc.n. *vita eſt æterna, vt cognoſcamus verū Deum, & quē miſit Ieſum Chriſtū.* Et rurſus: *Scrutamini ſcripturas: quoniā in eis † inuenietis vitam æternā.* Propterea enim ſcrutatorib. diuinorum eloquiorum, theſaurus diuinæ reuelatur cognitionis. Theſaurum nobis hodie à Deo inſpiratæ ſcripturę, Paracletus explicauit. Theſaurus porro ſapientiæ, nobis ſit lingua prophetica, & doctrina Apoſtolica: Non enim abſque lege & prophetis, aut Euangeliſtis, atq; Apoſtolis, perfectā ſalutis ſpē habere poſſumus. Nam per ſanctorū prophetarū & Apoſtolorū linguam, Dominus noſter loquitur: & in ſanctorū vocib. Deus ſibi placet & acquieſcit: non q locutione egeat, ſed quod bona affectione ac diſpoſitione gaudeat, non q ab homine fructum vllū capiat; ſed quod in animab. iuſtorū gratis, cōquieſcat. Non enim quia nos loquimur, Chriſtus magnificatur; ſed quia beneficijs ab eo afficimur, beneficentiā ipſius grato animo prædicamus: nō vt id pro dignitate faciamus, ſed vt debitū pro virib. perſoluamus. Quādo porro Euangelium legitur, vel Apoſtolicum; nō libro attendas, aut lectori: ſed Deo è cœlis loquenti. Liber ſiquidem, eſt id, q cernitur: at Chriſtus, eſt id, de quo † diſſeritur. Euāgelizat igitur nobis celeberrimā Saluatoris Oeconomiā ſiue diſpenſationem: quoniā cū Deus eſſet, nimia benignitate ſua factus eſt homo; nō quidē dignitatē q̄ ab æterno habuit, deponēs: ſed ſalutarē œconomiā induēs. Euāgelizat nobis laudatiſſimā ſaluatoris diſpenſationē. quoniā laborantib. atq; ægrotantibus medicus aduenit, nō pharmacis curans, ſed nutu benignitatis ſuæ ſanans. Euangelizat nobis celebratiſſimam Saluatoris diſpēſationē: quia errantib. factus eſt via ſalutis, deſperantib. gratia ſalutaris, multifariam in cunctos beneficia cōferens, errantes requirens, tenebris cōfuſos illuminās, mortuos viuificās, ſeruos libertate donās, captiuos redimēs, & omnib. nobis omnia factus, in viā ſalutis: non ꝓpter noſtrā animi gratitudinē, ſed ob bonitatē ipſi Saluatori cōuenientē. Omnia.n. fecit Saluator, nō vt ſibiipſi virtutē cōpararet, ſed vt nobis vitā cōciliaret æternā. Ad imaginē quippe Dei hominē formatus, in paradiſo deliciarum iuſſit eū degere: cæterū diaboli inuidia is deceptus, & diuini præcepti trāſgreſſor factus, morti ſe obnoxium reddidit. quaꝓpter & qui ex ipſo geniti ſunt, per ſucceſſionem hęreditario debito obſtricti, damnationis ſententia † mulctati ſunt. Regnauit.n. mors ab Adā vſq; ad Moyſen. Benigniſſimus aūt Dominus cernens plaſma ꝓpriū à morte detineri, non in finē vſq; auerſatus eſt hominē, quem ad imaginem ſuam fecerat; ſed per ſingulas eū generationes viſitans, nō reliquit. & antea quidem Patribus oſtenſus, & in lege prædicatus, ac in prophetis aſſimilatus, ſalutarem diſpenſationem ſuam prænuntiauit. *Quando* porro *venit plenitudo temporum* glorioſi aduentus ſui, Archangelum præmiſit Gabrielem ad Mariā virginem, qui lætum ipſi nuntium deferret. Hic aūt ab ineffabilibus ſupernis poteſtatibus ad ſanctiſſimam virginem deueniens, primum Illis verbis (*Aue gratia plena*) ipſam compellauit ac ſalutauit: qua quidem verborum voce ad eam facta, in ipſa mox auditione, ſpiritus ſanctus in immaculatum virginis templum ingreſſus eſt; & ſanctificata eſt mens eius ſimul cum membris: ſtetitq; natura ex aduerſo, & concubitus procul, cū ſtupore ſpectantes naturæ Dominum præter naturam, atq; adeo ſupra naturam, rem admirabilem in corpore perpetrantem. & per quæ diabolus arma decertauerat, per contraria nos Chriſtus liberauit, aſſumpto corpore quod pati poſſet, vt noſtrum; vt deficienti humano generi maiorem † gratiam tribueret. *Et vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia.* Conuenienter igitur gratia ad ſanctiſſimam eſt virginem miſſa. Sic enim & Euangelicę hiſtoriæ continet oraculū dicens: *Menſe autem ſexto, miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, ex domo & familia Dauid: & nomen virginis, Maria,* & reliqua. Primus vero hic eſt menſis, quo ad ſanctiſſimam Virginem miſſus eſt Archangelus. Sicut & in legali libro ait Scriptura. *Menſis iſte vobis principium menſium, primus eſt vobis in menſibus anni. Paſcha ſanctum celebrate Domino, in cunctis generationibus veſtris.* Sextus vero menſis apud Zachariam. Merito igitur ſanctiſſima virgo ex genere Dauid fuit, & Bethleem patriam poſſedit, ac Ioſeph ſecundum conſanguinitatis leges iure deſponſata. Et cuſtos eius erat ſponſus, atq; incorruptionis ipſius intemeratæ cohabitator. Et ſanctiſſimæ Virgini valde ſuit quadrabit nomē. Maria enim nuncupata erat, q illuminatio interpretatur. Quid enim ſplendore virginitatis illuſtrius? Quapropter & Virtutes, virgines denominant, qui recte eſſentias earū cōijciunt. Quod ſi tantum eſt bonum, habere cor virginitate præditum; quantum tandem erit, caro, quæ cū animo virginitatem coluerit? Sic & S. Maria in carne dum eſſet, vitam incorruptam atq; immaculatam poſſidebat; ac verba ab Archangelo dicta, in fide ſuſcipiebat. Tuncq; cum feſtinatione ad Elizabeth cognatā ſuam cōtendebat. *Et ingreſſa domum Zachariæ, ſalutauit Elizabeth,* angelum imitata. *Vt autem audiuit ſalutationē Mariæ Elizabeth, exultauit infans præ iubilo in vtero eius, & repleta eſt ſpiritu ſancto Elizabeth.* Vox igitur Mariæ efficax fuit, & ſpiritu ſancto repleuit Elizabeth: ac velut ex perenni quodam fonte, inſtrumento linguæ, flumen chariſmatum per propheti: cognatę ſuę emiſit: & pedib. infantis in vtero colligatis, ſaltum & exultationem ſuppeditauit. quod quidē miraculoſi tripudij ſymbolum ſignumq; erat. Nam vbi gratia plena aduenit, gaudio cuncta repleta ſunt. Exclamauit autem magna voce Elizabeth, ac dixit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Benedicta tu in mulieribus.* Tu quippe ipſis principium reparationis, effecta es. Tu fiduciam in paradiſum introitus nobis dediſti, & antiquum dolorem luctumque fugaſti. Non enim amplius poſt te, mulierum genus vituperatur. non amplius hæredes Euæ, antiquam maledictionem timent, neq; partus dolorem reformidant: quoniam Chriſtus humani generis redemptor, Saluator vniuerſæ naturæ, ſpiritalis Adam, terreni hominis vulnus curans, ex ſancto tuo vtero procedit. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Omnium enim bonorum plantator, tuus fructus effectus eſt. Pręclara quidem videmus etiam ſterilis Elizabeth verba, at illuſtriora viciſſim ſanctiſſima prolocuta eſt Virgo, & canticum Deo gratiarum actionis, boniq; odoris, ac theologiæ plenum retribuit, cum antiquis noua adnuncians, cum ijs quæ à ſeculo & ab initio, ea quæ in ſeculorum conſummatione acciderunt, prædicans, breuique ſermone, Chriſti myſteria ſummatim perſtringens. Ait autē Maria: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo,* & quæ ſequuntur. *Suſcepit Iſrael puerū ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ, ac teſtamenti quod diſpoſuit cum Abraham, & ſemine eius in ſecula.* Vides quo pacto ſanctiſſima virgo etiam patriarchicam ſuperauerit perfectionem, confirmaueritque teſtamentum Dei ad Abraham, dicentis: *Hoc eſt teſtamentum, quod ſtatuam inter me & te.* Ideoque veniens, ſuum ad Abraham † confirmat teſtamentum, myſtice ſignum circumciſionis accipiens, & plenitudo legis ac prophetarum effectus. Huius igitur propheticum canticum, ſancta Dei genitrix Deo † remittebat, dicens: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius,* Deiparam quippe me faciēs, viciſſim me Virginē conſeruauit: vt per meum ventrē, cunctarum generationum, in ſanctificationem, ſummatim colligatur plenitudo. Omni.n. ætati benedixit, virorū pariter ac mulierum, adoleſcentulorū ac iuuenū, ſenūq. *Fecit potentiā in brachio ſuo,* pro nobis, aduerſus mortem & diabolū; noſtrorūq; peccatorum † diſrumpens chirographum. *Diſperſit ſuperbos mente cordis ipſorum.* diſperſit ipſū diabolū, & cunctos ei militantes dęmones. Illi quippe propter corde ſuperbi erat, quoniā dicere audebat, *Supra*

Ioan. 1.
† al. facta eſt.
Ioan. 17.
Ioan. 5.
† al. putatis vitam æternam habere.
B
al. Euangelius.
† al. de quo diuina prædicantur.
C
† al. damnationis ab eis ratio exigitur.
Rom. 5.
Heb. 1.
D
Luc. 1.
† al. gaudium.

E
Rom. 5.
al. delictū.
Luc. 1.
Exo. 12.
al. celebrabitis.
Mariæ appellatio.
F
Luc. 1.
al. colligati.
Luc. 1.
al. reſurrectionis.
G
Luc. 1.
Gen. 17.
& Rom. 4.
H
† al. adimplet.
al. Hoc. Iſtius canticum.
† al. retribuit.
Luc. 1.
Ibid.
† al. dirupit.
Eſa. 14.

nubes

A *nubes cæli ponā ſoliū meū, & ero ſimilis altiſſimo.* quomodo verò nunc ipſum diſſipārit, conſequenter Propheta declarauit, dicens; *Nunc autem in infernum † deſcendes, & cuncti exercitus tui.* Vbiq; enim aras, atq; delubra eius, inanium q; Deorum cultus diſperſit, & ex gentib. populum ſibi peculiarē atq; acceptum conſtituit. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* quib. ſanè verbis Iudæorum electionem, & gentium introductionem breuiter innuit. Iudæorum enim ſeniores ac ſcribæ in lege, & qui in reliquis prærogatiuis ac priuilegijs diuites erant, quòd malè ſuis diuitijs & potentijs vſi eſſent, hinc eos ab omni ſede depoſuit, propheticæ nimirū ac ſacerdotij, legislaturæ atq; doctrinæ, opulentiæ hæreditariæ, ſacrificiorum ac feſtiuitatum copiæ, dignitatiſq; regiæ. His omnib. illi ſpoliati, profugi ac nudi in captiuitatē eiecti ſunt, & illorum loco, humiles, qui ex gentib. populi iuſtitiam eſuriebant, exaltati ſunt: quoniam humilitatem ſuam, & diuinæ cognitionis famem, qua detinebantur, oſtendentes, diuinum verbū, ſicut Chananæa micas, deprecabantur, & propterea diuinorum myſteriorum repleti B ſunt diuitijs. nam vniuerſam diuinorum bonorum ſortē, qui ex Virgine natus eſt Chriſtus Deus noſter, in gentes tranſtulit. Suſcepit Iſrael puerum ſuum, & non quemuis Iſraelem, ſed puerum ſuum, qui re ipſa nobilitatem illuſtrat, atq; ideo ipſum filium & hæredem, Dei genitrix † appellauit. Cum enim in littera & lege illum laborantem inueniſſet, per gratiam vocauit. Talem igitur Iſraelem vocans, ſuſcepit, recordatus miſericordiæ ſuæ. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abrahā & ſemini eius in ſecula.* In paucis igitur hiſce dictionibus vniuerſum diſpēſationis complectitur myſterium. Saluare quippe genus humanum, & teſtamentū cum patrib. conſtitutum adimplere Chriſtus volens, cœlos tandem inclinauit, & deſcendit. Sic autem ſecundū capacitatem noſtrā ſe nobis oſtendit, vt ipſum videre ac tangere, & loquentem audire poſſimus. Et propterea Deus verbum, carnem & perfectam humanam naturam ex muliere ſanctiſſima Virgine aſſumere dignatus eſt, & homo natus C eſt, vt debitum noſtrum perſolueret, & vſq; ad ſe ipſum teſtamentū cum Abrahamo diſpoſitum, circumciſionis, ac cæterorū legalium præceptorum adimpleret. Poſt hos porro ſermones conceſſit in Nazareth ſanctiſſima Virgo: inde verò rurſus in Bethleem per edictum Cæſaris aſcendere coacta eſt: ipſa autem tanquam ex regia familia procedens, in regiam Dauid patriam cū Ioſeph ſponſo mittebatur, & myſterium, quod omne miraculū ſuperat, conſecutū eſt. Virgo parit, & manib. geſtat eum, qui verbo res omnes creatas geſtat. *Neq; locus erat ei in diuerſorio.* Locum nō habebat, qui totam terram verbo fundauit. Lacte Virgo mater paſcebat eum, qui omnem nutrit, viuum q; producit ſpiritum. Faſcijs inuoluebat eum, qui verbo omnem ligat creaturā. In præſepio reclinabat eum, qui in cathedra ſupra Cherubim vehitur. Lux è cœlis circumfulgebat eum, qui omnem illuminat creaturam. Cœleſtes exercitus glorificantes aſſiſtebant ei, qui ante ſecula glorificatur in cœlis. Stella prælucens, ducatum præſtabat eis, qui ex longinquis venerant regionib. ad eum, qui verè oriens erat. Ex oriente veniunt, D munera deferentes ei, qui pauper propter nos factus eſt. Sanctiſſima porro Dei genitrix conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo, velut quæ omnium myſteriorum vas ac receptaculum eſſet. Tua ſanè, ò ſanctiſſima virgo, laus omnem prorſus laudem, propter Deum ex te incarnatum, ac hominem natum, excedit. Tibi omnis creatura in cœlis ac terris, & apud inferos reuerentiam ac cultum conuenientem offert. Tu enim verè thronus euaſiſti Cherubicus. Tu in † ſummis ſpiritualib. regnis, lucis ſplēdore coruſcas, vbi glorificatur pater omnis principij expers cuius obumbrantem habuiſti potentiam: adoratur filius, quem ſecundum carnem peperiſti, celebratur ſpiritus ſanctus, qui in tuo vtero natiuitatem magni Regis peregit. Per te, ò gratia plena, Trinitas ſancta & conſubſtantialis in mūdo cognoſcitur. Tecum & nos dignare participes efficere perfectæ tuæ gratiæ, in Chriſto Ieſu Domino noſtro: † Cū quo Patri gloria, ſimulque Spiritui ſancto, nunc, & ſemper, & in ſecula, ſeculorum, Amen.

Ibidem. † al. deprimeris. Luc. 1. Matth. 15. † al. declarauit. Gen. 17. Pſal. 104. Rom. 4. & Act. 7. Luc. 2. Luc. 2. Gen. 1. Luc. 2. Pſalm. 79. Matth. 2. 2. Cor. 8. Luc. 2. † al. in ſupremis ac illis regnis. al. glorificatur. † al. Cui gloria & potentia in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM SANCTI GREGORII EPISCOPI NEOCÆSAREÆ,

Thaumaturgi, in Adnunciationem ſanctiſs. Dei Genitricis, Virginis Mariæ, Sermo III.

Eodem interprete G. Voſſio.

E RVrſus hora fauſtaq; gaudij nuncia. Rurſus libertatis indicia. Rurſus reuocatio. Rurſus reuerſio. Rurſus lætitiæ promiſſio. Rurſus à ſeruitute liberatio. Angelus cum Virgine loquitur, vt nō amplius cū muliere ſerpens loquatur, *Menſe ſexto,* inquit, *miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem deſponſatam viro.* Miſſus eſt Gabriel, vt totius mundi ſalutem adnūciaret. Miſſus eſt Gabriel, vt reuocationis ſubſcriptionem Adamo deferret. Miſſus eſt ad Virginem Gabriel, vt mulieris ignominiam in honorē cōmutaret. Miſſus eſt Gabriel, vt dignū puriſſimo ſponſo thalamū pararet. Miſſus eſt Gabriel, vt inter creaturam & creatorē ſpōſalia F contraheret. Miſſus eſt Gabriel ad animatū Regis Angelorum palatium. Miſſus eſt Gabriel ad Virginem, deſponſatā quidem Ioſeph, ſed Ieſu filio Dei ſeruatam. Miſſus eſt ſeruus incorporeus ad Virginem inuiolatā atq; immaculatā. Miſſus eſt à peccato liber ad eam, quæ omnis corruptionis expers erat. Miſſus eſt lychnus, qui ſolem iuſtitiæ indicaret. Miſſus eſt diluculi nitor, qui diei lumen præcurreret. Miſſus eſt Gabriel, vt eū qui in ſinu eſt patris, etiā in matris vlnis prædicaret. Miſſus eſt Gabriel, vt eū qui in ſolio ſedebat, etiā in ſpelunca iacere oſtenderet. Miſſus eſt miles, qui magni Regis myſteriū proclamaret, myſteriū, inquā, quod fide cognoſcitur, & curioſitate nō indagatur: myſterium, quod adoratur, & humano ingenio nō pōderatur: myſteriū, quod diuinis, & nō humanis rationib. expenditur. *Menſe ſexto miſſus eſt Gabriel ad virginē,* Sed quem hic 6. mēſem dicit? Quē nam? Illū nimirū, ex quo lætū illud Elizabeth accepit nunciū, ex quo Ioānem cōcepit. Et vnde hoc planū fit? Id ipſemet † interpretatur Archāgelus, ad Virginē dicens: *Ecce,* inquit, *Elizabeth cognata tua & ipſa concepit filium in ſenectute ſua. Et hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis.* Menſe ſexto ſcilicet cōceptionis Ioannis. Conueniebat enim, vt miles præcederet. Oportebat, vt ſatelles anteuerteret, decebat, vt nuncius præcurreret, qui Domini aduentū indicaret: *Menſe ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem deſponſatam viro:* deſpōſatam, inquam, non coniunctā: deſponſatam quidē, ſed ſeruatam. Cur deſponſatam? ne citiùs latro myſterium cognoſceret. Quod etenim per Virginem Rex venturus eſſet, improbū nō latebat. nam & Eſaiæ illa verba ipſe audierat: *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium.* quare & quotidie Virginis vocem obſeruabat, vt vbi myſteriū hoc adimpleretur, infamiā præpararet. Atq; ideo Dominus per deſponſatam venit, vt improbū lateret: quæ enim deſponſata fuerat, deinceps ſponſo tradenda erat. *Menſe ſexto miſſus eſt Gabriel ad Virginem deſponſatam cui nomen Ioſeph.* Audi quid de hoc viro & Virgine Propheta: *Dabitur,* inquit, *liber hic obſignatus viro ſcienti literas.* Et quis iſte obſignatus eſt liber, niſi omnino immaculata Virgo? A quib. dabitur? A ſacerdotib. ſcilicet. Cui nā viro? Fabro Ioſeph. Cū igitur ſacerdotes virginē Mariam caſto deſpondiſſent Ioſeph, eam ipſi cōmendarūt tempus nuptiarum expectantes. Quā quidem ipſe accipiēs integram erat conſeruaturus, quod & longè antea prædixerat Propheta: *Dabitur,* inquiens, *liber obſignatus viro ſcienti litteras, & dicet: Nō poſſum legere.* Cur nō potes legere, ô Ioſeph? Nō poſſum, inquit, legere: nam liber obſignatus eſt. Cui nā ſeruatur? Rerū omniū creatori pro domicilio cuſtoditur. Cæterùm ad propoſitum redeamus: *Menſe ſexto miſſus eſt Gabriel ad Virginem,* Qui planè eiuſmodi mandata à Deo acceperat: Adesdum, o Archangele, miniſter tremendi & arcani eſto myſterij, miraculo deſerui. Ad requirendū Adā qui errauerat, meis commotus miſerationibus, deſcendere propero. Peccatū inueterauit eum, qui ad imaginem meā formatus eſt, & opus manuum mearū debilitauit, pulchritudinemq; à me confectam obſcurauit. Lupus meum alumnum deuorat. Paradiſi domicilium deſolatur. Lignum vitæ à gladio flammeo cuſtoditur. Campus deliciarū clauſus eſt. Oppugnati miſereor, & hoſtē cōprehendere volo.

Luc. 1. Luc. 1. † al. interpretatur. Luc. 1. Luc. 1. Eſa. 7. Luc. 1. Eſa. 29. G H Eſa. 29. Luc. 1. Gen. 3

A Myſteriũ hoc cunctas virtutes cœleſtes latere cupio, quod tibi ſoli confido. Vade igitur ad Mariam Virginem. Abi ad animatam ciuitatem, de qua dicebat Propheta: *Glorioſa dicta ſunt de te, Ciuitas Dei.* (Pſalm. 68.) Abi ad paradiſum meum ratione præditum. Abi ad portã orientalẽ. Abi ad domicilium verbo meo dignum. Abi ad alterũ, quod in terra eſt, cœlum. Abi ad nubem leuem, & aduentus mei imbrẽ ipſi adnuncia. Abi ad ſanctuarium mihi præparatum. Abi ad incarnationis meæ cubiculum. Vade ad purum meæ ſecundum carnem natiuitatis thalamũ. Loquere in aurib. arcæ meæ ratione preditæ, vt auditionis mihi paret ingreſſum. Sed caue offendas, aut conturbes Virginis animũ. Humaniter ac placidè coram diuino illo ſacrario cõpareas, primamque ipſi gaudij vocem enuncia, Tu illud, *Aue gratia plena*, ad Mariã dicito, vt ego ærumnoſæ atq; afflictæ miſerear Euæ. Audiuit iſta Archangelus, & apud ſe, vt rationi conſentaneum erat, cogitabat atq; dicebat: Noua & inaudita hæc res eſt. Intelligentiam ſuperant, quæ dicuntur. Quẽ reformidant B Cherubim: Quẽm Seraphim intueri nequeunt: Quẽ cunctæ virtutes † cœleſtes cõprehendere intellectu nõ valent, (†al. Angelicæ.) is ſuum promittit puellæ congreſſum, ſuæq; ipſius perſonę aduentum denunciat; immo verò ingreſſum per auditum pollicetur: Et qui Euã cõdemnauit, eius filiam tantopere glorificare contendit? Ait.n. Paret mihi audit⁹ ingreſſum. Sed nunquid poterit Virginis vterus illũ capere, qui cõprehendi nequit? Myſteriũ certè tremendũ ac venerandũ eſt iſtud. Talia dũ Angel⁹ ſecum cogitaret, dixit Dominus ad ipſum: (Luc. 1.) Quid turbaris ô Gabriel? Nõne antea miſſus à me es ad Zachariã ſacerdotẽ? Nõne ipſi lætũ natiuitatis Ioannis attuliſti nunciũ? Nonne incredulo ſacerdoti taciturnitatis pœnam intuliſti? Nõne ſenẽ loquelæ priuatione mulctaſti? Nõne quæ tu aſſeruiſti, ego cõfirmaui & approbaui? Nõne tuam adnunciationem res ipſa ſubſecuta eſt? Nonne ſterilis cõcepit? Nonne vter⁹ obediuit? Nonne ſterilitatis morb⁹ receſſit? Nonne naturæ inertia fugit? Nonne nunc fœcũditatem oſtendit, quæ prius vterũ nõ gerebat? (Luc. 1.) C *Nunquid impoſſibile* apud me cunctorum creatorẽ *erit omne verbũ?* Quomodo ergo dubitas? Quid igitur viciſſim ad hæc Angelus? Naturæ, inquit, errores, ô Domine corrigere, morborũ tẽpeſtatem diſſoluere, mẽbra emortua ad vitalẽ vim reuocare, naturæ, vt liberos gignat, præcipere, ab exterminatis mẽbris ſterilitatẽ repellere, ſeneſcentẽ ſtipulam ad viridẽ formam reducere, terram infœcundam repentè manipulorũ matrẽ efficere, op⁹ eſt quod tua virtute atq; potentia perfici ſolet. Teſtisq; eſt Sara, & cum † hac Rebecca, rurſusq; Anna: (†al. poſt hanc. Gen. 18. 25.) quę dũ graui atq; moleſto ſterilitatis morbo laboraſsẽt, poſtea à te liberatę ſunt. Cæterũ virginẽ abſq; viri congreſſu parere, cunctas naturæ leges ſuperat, atq; adeò tuũ ad puellam pollicetis aduentum? Cœli terræq; nõ te fines capiũt, quomodo igitur te virginalis vterus capiet? Cui Domin⁹: Quomodo, inquit, & Abrahæ tabernaculum me capere potuit? (Gen. 18.) Et Angelus: quoniam, inquit, hoſpitalitatis habebat pelagus, illicq;, ô Domine, te cõſpicuũ Abrahæ in oſtio tabernaculi reddidiſti, & pertranſiſti velut qui oĩa reples. Quomodo verò Maria diuinitatis feret ignẽ? Thronus tu⁹ ſplẽ D dore illuſtratus accenditur, & virgo te ferre poterit, vt non cõburatur? Cui Domin⁹: Imò verò, inquit, ſi ignis in ſolitudine læſit rubũ, lædet omnino & Mariã meus aduentus: (Exod. 3.) At ſi ignis ille, qui diuini mei ex cœlo ignis aduentum deſignabat, rubũ rigauit, nõ cõbuſſit, quidnã de ipſa veritate dixeris, non in flãma ignis, ſed in ſpecie pluuiæ deſcendẽte? (Pſalm. 71.) Tunc igitur Angelus Dei iuſſa in ſe recipiens, & ea equi volens, Virginẽ adiit, & clara eam voce cõpellauit, dicens: (Luc. 1.) *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Non amplius diabolus erit cõtra te: nam vbi antea hoſtis ille vulnus inflixit, illic primũ nunc medicus ſalutis medicamentũ adhibet. Vnde mors prodiit, inde vita ſibi ingreſſum parauit. Per mulierem mala fluxerunt, & per mulierẽ bona emanant. *Aue gratia plena.* Ne, quòd mulier dãnationis cauſa extiterit, erubeſcas: Iudicis.n. & redemptoris tu mater eris. Aue immaculata viduati orbis ſpõſa ſimul & mater. Aue, quæ in tuo vtero matris Euæ mortem demerſiſti. Aue animatũ Dei templũ. Aue cœli & terræ æquiualens dignumq; domicilium. Aue naturę illius incomprehenſibilis capaciſſimum receptaculum. Cumq; hæc ita te habeant, adeſt per eam ægro omnib. E medicus, in tenebris ſedentib. ſol iuſtitiæ: cunctis verò tẽpeſtate iactatis anchora portusque tutiſſimus. Inimicis & Deo inuiſis ſeruis, Dominus natus eſt, pacisq; vinculũ factus, captiuis liberatio, & bello exagitatis pacificatio. Ipſe (Epheſ. 2.) .n. eſt pax noſtra: qua quidem pace vtinam concedatur nobis omnibus frui, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui gloria, decus & imperium, nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM SANCTI

PATRIS NOSTRI GREGORII EPISCOPI Neocæſareæ, Thaumaturgi ſermo, in ſancta † Theophania, id eſt, de Dei apparitione, ſiue de Chriſti Baptiſmo,

(†al. in S. Lumina.)

Eodem interprete G. Voſſio.

Viri Chriſto dilecti, & hoſpitalitatis atq; fraternitatis amatores, audit⁹ veſtri hoſpitio etiamnum hodie lin F guã meam excipite, auribusq; veſtris portarũ inſtar apertis meum intra eas ſermonẽ admittite, & ſalutare à me prædicationẽ accipite, demerſionis Chriſti, quæ in Iordane fluuio facta eſt, vt Dominũ, qui vſq; adeo nobis indulget, adamatis vehementi⁹. Nam etſi Epiphaniæ ſiue apparitionis Saluatoris noſtri celebritas præterierit, gratia tamen ipſi⁹ ſemper manet. Quare inſatiabilib. animis percipiamus, ac delectemur eã: nã bona in reb. ſalutarib. eſt inſatiabilitas, bona, inquam. Venite igitur cuncti ex Galilæa in Iudæam, & vnà cum Chriſto exeamus. Beatus .n. qui ſimul cũ via vitæ iter facit. Venite, pedib. mentis Iordanem petamus, & à Ioanne Baptiſta eum baptizari conſpiciamus, qui baptiſmo nõ indiget, vt baptiſmi nobis gratiã donet. Venite, cõtemplemur regenerationis noſtræ imaginẽ, quæ in aquis illis adumbratur. *Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt ab eo baptizaretur.* (Matth. 3.) O quanta Domini humilitas atq; modeſtia animi! O quanta indulgentia! Rex cœleſtis ad Ioan. præ G curſorẽ ſuũ accurrit, nõ Angelorũ mouens caſtra, neq; præcurſores ſibi præmittens, incorporeas poteſtates: † verùm tanquam ſimplicis ac tenuis cõditionis, in militari aduẽt⁹ forma, ad ſuũ ipſius venit militẽ, & quaſi vnus è vulgo accedit, ſeq; ipſum inter captiuos refert redẽptor, & inter eos ſe ponit Iudex, ſeq; ouib. perditis cõiũgit paſtor bonus, qui propter ouem errantẽ è cœlis deſcenderat, & cœlos non reliquerat, admiſtumq; erat zizanijs cœleſte illud granum, quod abſq; humano ſemine proceſſerat. (†al. exercitum. †al. ſed in domeſtiẽ, in militari accedens forma. Ioan 10. Luc 15.) Cernens ergo ipſum Ioan. Baptiſta, & agnoſcens, quem materno ex vtero nouerat, & adorauerat, manifeſteq; hunc illum ipſum eſſe, (Luc 1.) cuius cauſa in vtero matris ſupra ætatem exultauerat, naturæ terminos reprimens, dexteram intra diploidem cõtraxit, & inclinato ſuo capite, vt amantiſſimus Domini ſeruus, talib, ad eum vocib. † elocutus eſt: *Ego opus habeo, vt à te baptizer, & tu venis ad me?* (Matth. 3. al. vſus eſt.) Quid agis, o Domine? Cur rerum immutas ordinem? Quorſum cum ſeruis, ea quæ ſeruorũ ſunt à ſeruo tuo quæris? Cur ea cupis accipere, quibus non indiges? Cur tã magna indulgentia atq; humilitate, me famulum tuum grauas? *Ego debeo à te baptizari*: at tu, vt à me baptizeris, non indiges. (Matth. 3.) H Quod minus eſt, à maiore ac potiore benedicitur: non autem quod potius, à minore benedicitur & ſanctificatur. Lucerna à ſole vndiq; illuſtratur, non ſol à lucerna illuminatur. Argilla à figulo præparatur, non figulus ab argilla formatur. Res creata à creatore renouatur, non creator à re creata dirigitur. Ægrotus à medico curatur, non medicus ab infirmo † viſitatur. Egenus à diuite, nõ diues à paupere mutuatur. (†al. adoretur.) *Ego à te baptizari opus habeo, & tu venis ad me?* (Matth. 3.) An enim ignoro, quis ſis? & ex quo eluxeris, & vnde veneris? An quia † ſimilis mihi factus es, magnificentiam diuinitatis tuæ negem? An quia vſq; adeo indulſiſti mihi, vt corpore propè accederes, ac me totũ in te ipſo ferres, vt totũ ſaluares hominẽ, ego propter corp⁹ tuũ quod cernitur, quod mente intelligitur diuinitatis deſpiciam? (†al. an quia propter me natus es, ſimilis mihi.) An quia ob meam ſalutem, meas indutus es primitias, ignorem te indui lumine ſicut veſtimento? (Pſalm 103.) An quoniam carnem mihi † cognatam geſtas, & omnibus cõſpicuus es, vt ipſi te videre poſſint, me ſplẽdor coruſcãtis diuinitatis tuæ lateat? (†al carnẽ meam geſtas.) An quonia meam in te cerno formam, ego diuinam tuam eſſentiam inuiſibilem atq; incomprehenſibile

A

falſa ratiocinatione negare audeam? Noui te Domine, noui te planè, noui te, à te edoct⁹; nemo. n. te noſſe poteſt, niſi gratiæ tuæ lumine illuſtratus. Noui te Domine, apertè: vidi enim te in ſpiritu, antequam hanc lucem inſpicerē.

Luc. 1.

Quia tu, cùm totus in incorporeo cœleſtis patris ſinu eſſes, totus quoq; in vtero ancillæ tuæ ac matris eras: ego verò in ventre Elizabet, velut in carcere, natura detentus, atq; indiſſolubilib. infantiū vinculis cōſtrictus exultabā, & tuam antea natiuitatem collaudabā ac celebrabam.

Luc. 1.

Qui igitur ante partum, tuum aduentum prædicabam, poſt partum, aduentum tuū ignorabo? Qui in vtero aduentus tui doctor fui, nunc perfecta habita cognitione infans ero? Cæterùm non poſſum non te colere ac venerari, qui ab omni adoraris creatura. Nō poſſum nō prædicare eum, quem cœlum ducatu ſtellæ præmonſtrauit, & terra per magos benignè excepit, Angelorumq; chori, ob tuam in nos indulgentiā,

Matth. 2.

gaudentes decantarunt, & paſtores in agro pernoctātes archipaſtorem rationalium ouium celebrarunt.

Luc. 2.

B

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1.

Nō poſſum te præſente tacere: nam vox ego ſum, & quidē vox clamantis in deſerto: *parate viam Domini. Ego à te baptizari debeo, & tu venis ad me?* Ego natus, matris, quæ me peperit, ſterilitatem ſolui, & infans tùm adhuc eſſem, taciturnitati patris mei medicinam adhibui, à te puer miraculi gratiā accipiens. Tu verò ex Maria natus virgine, vt voluiſti, & ſicut tu ſolus noſti, non ſoluiſti virginitatem eius, ſed & hanc cuſtodiſti, & ipſam matris appellatione donaſti, & neq; tuū partū impediuit virginitas, neq; virginitatem læſit partus, ſed concurrerunt res repugnantiſſimæ, partus, atq; virginitas, in vnum fœdus: quoniam † hoc tibi naturæ cōditori promptum eſt ac facile.

† al. ſic tibi [illegible] auctori viſum eſt.

Ego homo duntaxat ſum diuinæ particeps gratiæ: at tu Deus idem es, & homo: quoniā benignus, & humani generis amantiſſimus es. *Ego opus habeo vt à te baptizer, & tu venis ad me?*

Matth. 3. Ioan. 1.

Tu, qui in principio eras, & apud Deū eras, & De⁹ ipſe eras. Tu, qui paternæ es gloriæ ſplēdor. Tu qui perfecta es imago † perfecti patris. Tu qui lux es vera, quæ illuminat omnē hominem venientem in hunc mundū.

C

† al. perfecti luminis, videlicet patris. [illegible]

Tu, qui cùm in mundo eſſes, veniſti vbi eras. Tu, qui factus es caro, ſed non conuerſus in carnem. Tu, qui habitaſti in nobis, & ſeruis tuis in forma ſerui conſpicuus fuiſti. Tu, qui terram & cœlum tuo ſancto nomine, quodam † quaſi ponte iunxiſti. Tu venis ad me? Tu, qui tantus es, ad talē? Rex ad præcurſorē? Dominus ad ſeruū? Sed quamuis tu in humilibus humanitatis modis naſci nō erubueris; ego tamen naturæ terminos præterire nō poſſum. Noui; quantum inter terrā & creatorem ſit † diſcrimen. Noui, quanta inter limū terræ & factorem ſit differentia. Noui, quantum ſol tuus iuſtitiæ præcellat mihi, qui lucerna tuæ ſum gratiæ.

† al. ſpatiū

Et licet pura corporis amict⁹ ſis nube; ego tamē tuā agnoſco dominationē. Cōfiteor ſeruilem meam cōditionem: tuā prædico magnificentiā. Agnoſco dominationis tuæ perfectionē: & meā ipſe abiectionē ac vilitatem cognoſco. *Nō ſum dign⁹, vt ſoluam corrigiam calceamenti tui*, & quo pacto immaculatū capitis tui verticem tangere audebo?

Luc. 3. & Ioan. 1.

Quo pacto meam ſuper te extendam dexteram, qui cœlum ſicut pellē extendiſti, & terram ſuper aquas ſtatuiſti?

Pſal. 103. Pſal. 135.

D

Quomodo ſeruiles meos digitos ſuper diuinum caput tuum explicabo? Quomodo immaculatum nulliq; peccato obnoxiū lauabo? quomodo ipſam lucē illuminabo? cuiuſmodi ſuper te orationem faciam, qui etiam eorum qui te ignorant, preces ſuſcipis. Alios dum baptizo, in tuo nomine baptizo, vt in te cuius gloria venientem credant: Te verò baptizans, cuius mentionem faciam? In cuius te nomine baptizabo? An in nomine Patris? At totum habes patrem in teipſo, & totus in patre es. An in nomine Filij? At nō eſt præter te alius natura filius Dei? An in nomine Spiritus ſancti? At ſemper vnà tecum eſt, vt conſubſtantialis tibi, & eiuſdē voluntatis atq; ſententiæ, æqualis poteſtatis, ac paris honoris, tecumq; ab omnib. adorationē ſuſcipit. Baptiza ergo, ſi vis, Domine, baptiza me baptiſtā. Regenera, quē naſci feciſti. Extende tremendā dexteram tuam, quam tibiipſi cōparaſti, & tuo contactu caput meū corona, vt ante regnū tuum currens, coronat⁹ velut præcurſor, aſſiduè peccatorib. euangelizē, clamans ad eos: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Et tu Iordanis flumen, choros mecum age, & ſimul

Ioan. 1.

exulta, ac cōcinnè apteq; vndas tanquā ſaltationes moue: nam tuus tibi creator cum corpore adſtat.

E

Exod. 14. Pſal. 113.

Vidiſti aliquando Iſrael per te tranſeuntē, & diuiſis aquis ſubſtitiſti, tranſitum populi expectans; nunc verò vehementius diffundaris, ac tardi⁹ fluas, & membra immaculata eius, qui etiam tunc † Iudæos tranſmiſit, amplectere.

† al. Hebræos

Mōtes & colles, valles & torrentes, maria & flumina benedicite Domino, fluuiū Iordanem ingredienti: nam ipſe per has aquas cunctis aquis ſanctificationem immittit. Reſpondens. a. Ieſus dixit ad ipſum: *Sine modò: ſic. n. nos decet omnem implere iuſtitiā.*

Matth. 3.

Sine modo. Tribue, ô Baptiſta, tempori diſpenſationis meæ ſilentiū. Diſce velle quæ ego. Diſce miniſtrare mihi in his, ad quæ te ſollicito, & ne curioſè nimis quæ volo, inquiras. *Sine modò:* nondum meam prædicaueris diuinitatē, nondū labiis tuis meū buccinaueris regnum: ne ſi cognouerit tyrannus, fugiat conſilium, quod cōtra me ſuſcepit. Sine diabolum ad me tanquam ad vnū aliquē ex cæteris hominib. accedere, mecūq; congredi, vt opportunū vuln⁹ accipiat. Sine me adimplere propoſitū atq; conſilium, ob quod in terram adueni. Myſterium atq; ſecretū eſt, quod hodie in Iordane perficitur.

F

Eſa. 24.

Secretum meum mihi & meis. Secretū eſt, quod nō meam explet neceſſitatē, ſed quod vulneratis curationem adhibet. Myſteriū atq; arcanū eſt, quod † in hiſce aquis humanæ regenerationis, cœleſtia fluenta ante deſcribit.

† al. quod non ob meam aliquā neceſſitatem in aquis, &

Sine modò: quando me videris, vt Deū decet, in meis creaturis quod mihi videtur operantē, tunc † ea quæ facta ſunt, laudib. celebra.

Matth. 9.

† al. tunc in quæ ſiunt, laudes accōmoda.

Quando me leproſos mundantē cōſpexeris, me naturæ opificē prædica. Quando me claudos aſpexeris tūc efficientē veloces, tunc & tu citatis pedib. mētis, ad meā laudē, tuam linguam cōponas. Quando me videris eijcientē dæmones, tūc meū regnū adora, quādo me videris mortuos è ſepulchris ſolo verbo reſuſcitantē, tunc etiā me cū reſuſcitatis, vt vitæ auctorem atq; datorē glorifica. Quando me ad dexteram patris ſedentē intuitus fueris, tunc me Deum confitere ac prædica, tanquam eiuſdē throni, ac coæternū, pariq; honoris cū Patre, & ſpiritu S. Sine modo: ſic quippe nos decet omnē implere iuſtitiā. Legiſlator ego ſū, & legiſlatoris filius: ac primū oportet me per oīa q̃ ſūt cōſtituta venire, & tūc vbicūq; doni mei ꝓponere documēta.

G

Oportet me implere legem, & tunc dare gratiā. Oportet me vmbram adducere, & tunc veritatem. Oportet me veteri finem afferre teſtamento, & tunc nouum prædicare, ac cordib. hominum inſcribere, meoq; † ſanguine ſubſcribere, & meo ſpiritu obſignare.

† al. nomine.

Oportet me in crucē aſcendere, ac clauis configi, & pati ſecundum eam naturā quæ pati poteſt, ac paſſione mea paſſionib. aliorum mederi, lignoq; vulnus quod per lignum hominib. inflictum eſt, curare.

al. ac paſſionum paſſione ſanare.

Oportet me deſcendere etiā in ipſum inferni profundum, propter mortuos ibi detentos. Oportet me triduana morte carnis meæ, delere ac profligare diuturnæ mortis imperiū. Oportet me corporis mei lucernā illis accendere, qui in tenebris & vmbra mortis ſedent. Oportet me illuc aſcendere cū carne, vbi ſum per diuinitatem. Oportet me Patri adducere, regnantē in me Adam. Oportet me hæc peragere: nā propterea meis operibus † aſtiti.

† hoc eſt, ad homines veni, factus homo.

H

Oportet me hoc nunc baptiſmo baptizari, ac poſtea conſubſtantialis Trinitatis baptiſma cunctis hominib. conferre. Cōmoda mihi Baptiſta, ad præſentem diſpenſationem, dexteram tuā; vt mihi ad generationem commodauit ſuum vterum Maria. Immerge me fluēntis Iordanis, ſicut quæ me genuit, infātilib. inuoluit faſcijs. Cōfer mihi baptiſmū, ſicut Virgo lac præbuit. Apprehende ac tāge caput meū, quod colunt ac venerantur Seraphim. Apprehende tua dextera caput, quod ſanguine tibi iunctū eſt. Apprehende, quod natura teneri poteſt. Apprehende, quod ideò à me & patre paratū eſt. Apprehēde caput meū, quod quiſpiā apprehēdit ac tāgit, nūquā naufragiū faciet. Baptiza me, qui per aquā, & ſpiritū, ac ignē baptizaturus ſum credentes: per aquā, quæ peccatorū ſordes abluere valeat: Per ſpiritū, qui terrenos efficere ſpiritales poſſit: per ignem, qui ad ſcelerum ſpinas comburendas eſt idoneus. His auditis, Baptiſta in ſcopum ſalutis mentem intendens, & myſterium quod acceperat percipiens, diuino obſecutus eſt mandato, erat quippe pius ſimul & morigerus: ſuamque ipſe dexteram ſubtremiſcentem ac partim geſtientem paulatim extendēs, Dominū baptizauit. Cū verò Iudæi, qui cominus & eminus

al. Saluatoris.

aderant

A

† al. Exiſtimabamus.

aderant, apud ſe cogitarent, & inter ſe dicerent: Num fruſtra † ſuſpicabamur, Ioannem potiorem ac meliorem Ieſu? Nunquid fruſtra exiſtimabamus illum hoc excellentiorẽ? Nonne ipſum baptiſma Baptiſtæ atteſtatur, quod ſit potius? Nõne is baptizauit, vt is qui præſtat: at hic baptizatus eſt, vt inferior? Hæc inter ſe murmurantibus iis, qui diſpenſationis myſterium ignorabant: ille qui ſolus Dominus eſt, & natura pater vnigeniti, qui ſolus accuratè atq; perfectè nouit eũ, quem ſolus abſq; paſſione ac perturbatione genuit, ipſe, inquam, erroneam Iudæorum ſuſpicionem corrigens, aperuit cœlorum portas, & Spiritum S. in ſpecie columbæ demiſit ſuper † caput Ieſu, digito oſtendẽs nouum Noe, & creatorem Noe, bonumq; naufragio periclitantis naturæ gubernatorem. Et ipſe cœlitùs inclamat, clarè dicens: *Hic eſt filius meus dilectus*: Ille Ieſus, nõ Ioannes: qui baptizatus eſt, non qui baptizauit: qui ex me genitus eſt ante omne temporale ſpacium, nõ qui ex Zacharia: qui ex Maria natus eſt ſecundum carnem, nõ qui ex Eliſabeth, præter ſpem apparuit: qui non læſa virginitate, nullaq; humana cultura præuia, prodiit fructus, non qui ex ſoluta ſterilitate productus eſt ramus: qui vobiſcum conuerſat⁹ eſt, non qui in deſerto educatus: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, filius conſubſtantialis, non alterius ſubſtantiæ: conſubſtantialis mihi, in eo quod à vobis nõ cernitur: & conſubſtantialis vobis, in eo quod à vobis videtur, ſine peccato. Hic eſt qui mecum formauit hominem. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Non alius eſt hic me⁹ filius, & alius Mariæ filius: at hic eſt filius meus dilectus, qui & oculis cernitur, & mente intelligitur. *Hic eſt filius me⁹ dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite*. Si dixerit: *Ego & pater vnum ſumus*, ipſum audite. Si dixerit: *Qui videt me, videt & patrem*, ipſum audite. Si dixerit: *Qui me miſit, maior me eſt*, diſpenſationi vocem adaptate. Si dixerit: *Quem me dicunt homines, eſſe filium hominis?* reſpondete ipſi: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. His verbis cœlitùs tonitrui in modum prodeuntibus illuminatum eſt humanum genus, cognoueruntque differentiam creatoris & creaturæ, regis & militis, opificis & ſui operis, ſicq; confirmati acceſſerunt per baptiſma Ioãnis ad eum, qui in ſpiritu & igne baptizat, Chriſtũ verũ Deum noſtrum: Cum quo patri ſit gloria, vnà cum ſanctiſſimo ac viuifico ſpiritu, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

† al. ſuper Domini caput.

Matth. 3. ca. 17. & Marc. 1 & 9.

B

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem. Ioan. 10. Ioan. 14.

Matth. 16.

C

Matth. 3. Luc. 3

EIVSDEM SANCTI

PATRIS NOSTRI GREGORII EPISCOPI NEOCÆSARIENSIS PONTI, COGNOMENTO

Thaumaturgi, de iis qui in Barbarorum incurſione idolothyta comederunt, ſeu qui in captiuitate idolis ſacrificauerunt, & alia peccata commiſerunt, Epiſtola Canonica, cum Commentariis Theodori Balſamonis, Patriarchæ Antiocheni.

NOn tibi nos grauant, ſancte Papa, ſi captiui comederint ea, quæ qui in eos dominium obtinent, eis appoſuerunt, maximè, quando vna de omnibus fama eſt, Barbaros, qui in noſtras regiones incurſiones fecerunt, idolis non ſacrificaſſe. Dicit autem Apoſtolus: Eſcæ ventri, & venter eſcis; Deus autem & hunc & has deſtruet. *Sed Saluator quoque omnes cibos mundans:* Non quod intrat, *inquit*, coinquinat hominem, ſed quod egreditur. *Et hoc quoque, quòd captiuæ mulieres corruptæ fuerunt, Barbaris, earum corporibus inſolenter abutentibus: ſed ſi prius quoque damnata vita fuerat, in res varias abeuntibus oculis fornicatoribus, vt ſcriptum eſt: fornicarius † ſcilicet habitus ſuſpectus eſt etiam tempore captiuitatis, & non oportet facilè orationibus cum eiuſmodi communicare. Sed ſiquidem aliqua, quæ in ſumma continentia vixerit, & puram, ab omnique ſuſpicione alienam, priorem vitam oſtenderit, nunc vi & neceſſitate in probrum contumeliamve lapſa ſit: habebimus exemplum, quod eſt in Deuteronomio, de adoleſcentula, quam homo in agro inuenit, & ea vi compreſſa, cum ipſa dormiuit:* Adoleſcentulæ, *inquit*, nihil facietis, nõ erit adoleſcentulæ peccatum mortis: quia, quemadmodum ſi quis homo aduerſus proximum ſuum inſurrexerit, & ipſius animam morte affecerit; ſic hanc rem adoleſcentula proclamauit, & non erat qui ei opem ferret. *Hæc quidem certè ita ſe habent.*

D

1. Cor. 6 Matth 15.

Num. 15.

† al. fornicariæ habitæ ſunt etiam tempore captiuitatis.

Deut 22.

Ibidem.

E

Balſam. Sanctus interrogatus, quid oporteat fieri Chriſtianis, qui à Barbaris capti ſunt, & quæ ipſis ab eis apponebantur Idolothyta comederunt? reſpondit: *Hi tibi non grauant*, pro eo quod eſt, *non graue damnum afferunt*; & maximè, quãdo vno ore ab omnibus dicitur, idolis non ſacrificaſſe Barbaros, qui in noſtra incurſiones fecerunt. Adducit autem & ex Apoſtolo, & ex Euangelio ſententias. Ex Apoſtolo quidem: *Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & eum & has deſtruet*. Qui quidem locus Apoſtolicus loquitur de repletione & ingluuie, & eſcas quidem nominat ea, quæ ſunt ſuperuacanea, luxumq; ac delicias: ventrem .n. voracitatem atq; ingluuiem. Porro ventrem græcè dixit, à concauitate, κοιλίαν, non γαστέρα. Per hæc autem dicit Apoſtol⁹, quòd exaturatio & luxus ad ingluuiem pertinet, ſed neq; ad Deum deducit; luxui autem ciborumq; deliciis ingluuiei vitium familiare redditur, & alterum alteri ſeruit: De⁹ autem ea deſtruet. Græcè eſt, καταργήσει, id eſt, ea otioſa & inefficacia efficiet, vt nulli ab eis lædantur. Ex Euangelio autem vſus eſt verbis Euangelij, quæ dicunt: *Quod intrat per os, non coinquinat hominem*. Deinde dicit de captiuis quoque mulieribus, quibus conuicti Barbari ſtuprum attulerunt, & dicit, quòd ſi prima quidem earum vita eſſet condemnata, ſuſpectas eas & fornicarias habitas facit, etiam tẽpore captiuitatis: Et proinde non oportet facilè cum eis orare Deum: poſtquam, pœnis videlicet impoſitis, ſe ſubmiſiſſent. Eſt autem habitus, longa conſuetudo, quæ tempore quoque confirmata eſt, quæ ad naturam etiam, ſimilitudine, quàm proximè accedit: quare, quæ non tales, ſunt violatæ, non peccarunt. Exemplo autem vſus eſt legis, quæ in Deuteronomio habetur de virgine, cui in ſolitudine per vim probrum illatum eſt. Videtur autem Sanctus, ex eo quod dixit, non inferri graue damnum iis, qui Idolothyta comederunt, eis à Barbaris appoſita; & ex eo quòd dicit, omnes aſſerere, Barbaros idolis non ſacrificaſſe, & ex eo quòd vtitur dictis Apoſtolicis, quæ de luxu & ingluuie diſſerunt, ſimiliter & Euangelicis, quæ eadem tractant, non feciſſe ſimplicem reſponſionem, ſed quæ diuiditur in eos, qui Idolothyta per delicias ſua ſponte comederunt, in eos qui vt à Barbaris coacti comederunt, in eos qui propter naturæ neceſſitatem eas eſcas fecerunt, & in eos qui ad hæc vi compulſi ſunt à Barbaris, qui idolis non ſacrificarunt. Vnde vt mihi videtur, nullus eſt eorum qui non ſit pœnæ affinis. Qui .n. ea propter luxũ & delicias cõederunt, maiorib. pœnis ſubijcientur. Qui propter neceſſitatem & corporis nutrimentum, & vt qui non poſſint aliter nutriri, minus punientur. Reliqui quoque propter eſum execrabilem mitius punientur, eò quòd Sanctus quoque dicat, non graue eſſe Idolothyta comedere, quæ ab iis apponuntur, qui idolis non ſacrificarunt, non eſt tamen ab omni penitus reprehenſione alienum.

Cor. 6.

Ventrem κοιλίαν hic, non γαστέρα nũcupet.

Matth 15.

F

Habitus quid.

Deut. 22.

4. Gradus eorũ, qui Idolothyta comederunt.

G

Interrogauerit autem quiſpiam, cùm 14. Canon beati Petri Archiepiſcopi Alexandrini & Martyris contineat, eos qui vi tyrannica compulſi Idolothyta comederunt & itidem ſacrificarunt, non puniri, ſed potius eſſe etiam in Clero, ſi ſint Clerici, quomodo decernit præſens hæc Epiſtola eos, qui Idolothyta comederunt, non grauiter lædi, vt ex eo appareat, ipſos mediocriter lædi?

Obiectio.

H

Solut. *Sanctus martyr Petrus* in 14. ſuo Canone, etiam in ipſo immolatorũ eſu athletas martyres fuiſſe, & teſtimonium præbuiſſe perhibet. Dicit enim quòd etiam ferramentum in os ipſorum iniectum eſt, & manus eorum vſtæ ſunt: & vt ſemel dicam, ad immolatis veſcendum, nullo modo conſenſerunt, nec etiam ad ſacrificandum idolis. Præſens autem canonica Epiſtola tractat in principio, captiuos quidem appoſita ſibi Idolothyta, vi comediſſe, ſed non etiam eo ipſo tempore, quo comedebant, tyrannica violentia compulſos fuiſſe, & ideo vult, eos, vt qui omnino tyrannorum voluntati ceſſerint, moderatè puniri. Exiſtimo autem ego, quod quemadmodum Idolothyta comedere, à Barbaris qui non ſacrificarunt, compulſum, nõ eſſe omnino à ſuppliciis remotum; ita nec barbaricum ſtuprũ vi perpeſſum eſſe, nam hoc quoque modicè punietur. Dicit enim Lex ciuilis dicti 10 libro 60. tit. 38. cap. 12. Themate ſexto, quòd etiam ea quæ ab hoſtibus eſt adulterata, ac reuerſa, à viro accuſatur, niſi hoc vi paſſa eſt, & hoc modo,

Solutio.

Lex ciuilis.

ei cui

A

Lex Eccleſiaſtica.

ei cui vis allata eſt, ignoſcitur, nec id matrimonium dirimit. Sed lex Eccleſiaſtica, eam quæ omnino à Barbaris polluta eſt, à pœna puram eſſe non ſinet. Lege & 103. Nouellam Imperatoris domini Leonis ſapientis, quæ hæc in fine proſequitur: *Nullo ergo modo deinceps, eum qui captiuitatem non expertus manſit, ad alterius connubium venire, &c.* Hæc autem Nouella tollit Iuſtiniani 117. Nouellam, quæ ſita eſt in lib. 28. tit. 7. & dicit, nonnunquam ſolui matrimonium, quando captiua à Barbaris non eſt polluta. Si quid autem eiuſmodi factum ſit, locum habent quæ ſunt in dicto capite 60. libri.

CAN. 2.

Grauis eſt auaritia, & plura habendi cupiditas, nec poſſunt vna epiſtola proponi Scripturæ, in quibus non ſolùm, prædari fugiendum, horrendumque prædicatur, ſed plura etiam concupiſcere, & aliena propter turpe lucrum attingere: & quicunque eſt eiuſmodi, à Dei Eccleſia abdicatur. In tempore autem incurſionis, in tanto luctu tantiſque fletibus auſos eſſe aliquos, tempus, quod omnibus exitium afferebat, exiſtimare eſſe ſibi lucri tempus, eſt hominum impiorum, & Deo inuiſorum, & quorum improbitati nihil poteſt adijci. Vnde illis omnibus eiuſmodi, interdicere viſum eſt, eoſque abdicare, ne fortè ad totum populum ira perueniat, & in eos primùm qui præſunt, & non inquirunt. Vereor enim, vt ait Scriptura, ne impius iuſtum vnà ſecum perdat. Fornicatio enim, inquit Apoſtolus, & auaritia non nominentur in vobis, per quæ venit ira Dei in filios inobedientiæ. Ne ſitis ergo eorum participes: Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis eſt in omni bonitate & iuſtitia, & veritate probantes quid ſit Deo acceptum, & nolite communicare infructuoſis operibus tenebrarum, ſed potius etiā redarguite. Quæ enim ab ipſis fiunt clanculum, turpe eſt vel dicere: Omnia autem à luce conuicta manifeſtantur. *Hæc quidem Apoſtolus. Si autem qui propter priorem plura habendi cupiditatem, quæ in pace fuit pœnam dant, in ipſo iræ tempore rurſus ad auaritiam conuertuntur, lucrum facientes ex ſanguine & pernicie euerſorum hominum, captiuorum, interfectorum: quid aliud expectandum eſt, quam vt auaritia decertantes, iram ſibi & vniuerſo populo accumulent?*

Quæſtum facere ex aliena calamitate, ſuperat omnē improbitatē: quare tales ſunt ab Epiſcopis coercēdi.

B

Prou. 21.

Epheſ. 5.

al. diſſidentiæ.

Epheſ. 5.

Ibidem

Epheſ.

C

Balſam. In tempore incurſionis quidam ex orthodoxis corripuerunt res, quæ captiuorum deprædationem effugerunt: De his ergo interrogatus Sanctus dicit, quòd quiſquis eſt auarus, eſt ab Eccleſia abdicatus, id eſt, eiectus & alienus. Dicuntur enim abdicari filij, quando propter aliqua crimina ab hæreditate paterna alienantur. In tempore autem talis calamitatis audere aliquem facinus eiuſmodi, & exiſtimare aliorum calamitatem eſſe ſui lucri occaſionem, eſt impiorum hominum, & Deo inuiſorum, & qui omnem improbitatem ſuperant. Vnde viſum eſt eos abdicare, pro eo quod eſt, apertè Eccleſia expellere, & à fideliū multitudine ſeparare, ne propter ipſos Dei ira ad omnes veniat, & ante alios, ad omnes qui præſunt, qui eiuſmodi homines non inquirunt & examinant. Deinde ſubiungit etiam teſtimonia Scripturæ, & circa finem infert: *Si qui autem propter ſuam auaritiam, quæ fuit tempore pacis, puniti, in Barbarorum incurſione, eadem peccauerint: ij, inquit, non ſolùm Dei iram in ſe attrahent, ſed etiam aduerſus omnem populum.* Hæc cum ita ſe habeant, nota ex hac præſenti epiſtola, quòd Epiſcopis permittitur, auarorum pluraque habendi cupidorum potentiam, pœnis impoſitis coercere, & eos quidem, qui quæ ex captiuitate relicta ſunt, rapiunt fideles, magnis Eccleſiaſticis animaduerſionibus caſtigare: qui non ſunt autem eiuſmodi, mediocriter punire. Quamobrem ex eiuſmodi cauſis laicus quiuque Epiſcopi ritè condemnent, quomodo enim eos punient, ſi non prius veritas apparuerit? Propter auaritiam .n. à Fidelium cōmunione aliquem abdicare, magnum eſt, & væ auaris: Lex verò ciuilis eum, qui rapit ex incendio, vel ex ruina ædium, intra annū quidem in quadruplum condemnat: poſt annum autem in ſimplum: & lege 2. cap. 20. tit. 62. libr. Similiter autem puniuntur pœna pecuniaria, qui expugnata domo rapiunt. Dicit enim primum Reſponſum Thematis eiuſdem tituli & libri hæc expreſſè: *Si à domo vel vico qui oppugnatur, raptum quid fuerit, legi locus eſt.*

Abdicari vt dicantur filij.

D

Auari, vt ab Epiſcopis coercendi.

CAN. 3. Ioſ. 7. 22.

Nam erat Achar Zaræ filius, in eo quod Deo dedicatū erat, peccauit, & in omnē Iſraelis ſynagogam ira peruenit. Atqui hic vnus ſolus peccauit, ſed non ſolus in ſuo peccato eſt mortuus. Nobis .n. quidquid non eſt noſtrum, ſed alienum eſt ab hoc tempore lucrum, Deo dicatū eſſe, exiſtimandum eſt. Nam & ille quidē † Achar ex præda accepit, & ipſi nunc ex præda accipiunt. At ille quidem ea quæ erant hoſtium: qui verò nunc ſunt, ea quæ ſunt Fratrū, lucro pernicioſo lucriſaciūt.

B

† vulg. Achan.

Balſam. Cùm dixiſſet Sanctus, à fidelibus abdicari eos, qui ea rapiunt, quæ ad eos qui in bello capti ſunt, pertinēt, & ex barbarica præda relicta fuerunt, & quòd propter eos, qui ſic ſæpe lapſi & minimè correpti ſunt, in populū quoque ira Dei ſæpè accumulata ſit, ad eorum confirmationē inducit Achar hiſtoriam in libro Ieſu Naue deſcriptam. Narrat enim, quòd cùm Ieſus nouiſſet omnia Deo eſſe dedicata ſpolia, quæ ex Hiericho capta eſſent, aurea lingua & aliqua veſte ſurrepta, ea infodit † in ſuo tentorio. Cùm autem Deus propterea ſuccenſuiſſet, in eo bello Iſraelitæ victi ſunt. Quia autem non manifeſta erat ira Dei, miſſa eſt ſors & cecidit ſuper Achar. Ille autem interrogatus, furtum confeſſus eſt, & quæ ſurrepta ſunt, protulit, & lapidibus obrutus eſt ipſe, & omnes ſui, & animalia, & tota eius ſupellex. Et dicit: *Ecce vnus peccauit, & ex eo quod Deo dedicatum eſt, ſuſtulit, & propter illum peccatum multi perierunt in bello, ex ſynagoga ſeu cœtu Iſraelitarum.* Et rurſus: *Vltio facta eſt non in illum ſolum, ſed in omnes ſuos.* Eis autem, qui fortaſſe dicerent eſſe differentiam eorum, quæ ad priuatos aliquos pertinent, reſiſtit Sanctus, & oſtendit hanc rapinam eſſe illa auaritia deteriorem, & quòd eo tempore quo prædæ ab hoſtibus aguntur, res fratrum relictæ, tanquam Deo dedicatæ reputantur, & quòd quamuis æqualitatem habeant, quæ ab † Achar direpta fuere, & quæ ab eis rapta ſunt, eorum tamen culpa maior eſt. † Achar enim res hoſtium abſtulit; ij autē, quos plura habendi cupiditas nūc inuaſit, bona fratrum rapuerunt, eorum calamitatem lucrum pernicioſum rati. Nota præſentem Canonem, propter eos, qui res Eccleſiarum & monaſteriorum rapiunt, & vt ſemel dicam, propter eos, qui quæ ſunt Deo dedicata, tanquam propria ſibi vendicant.

Furtum Achar. Ioſ. 7. 21.

† Achar.

Ioſ. 7. 28.

F

Ibidem.

† al. ab Achan.

† al. Ac

Nemo ſeipſum ſeducat, tanquam inuenerit: neque enim fas eſt ei qui inuenit, lucriſacere, ait Deuteronomium. Vilo fratris tui vitulo & oue errante in via, ea ne deſpexeris, ſed ea reſtitutione reſtitues fratri tuo. Sin autem frater tuus ad te non approximet, neque ipſum noueris, coges ipſum, & erit tecū, donec eū frater tuus quæſierit, & reddes ea, & ſic facies de eius aſino, & ſic facies de eius veſte, & ſic facies poſt omnē perditionem fratris, quæcunque ipſi perierint, & tu ea inueneris. *Hæc Deuteronomium. In Exodo autem non ſolùm ſi quis res fratris, ſed etiam inimici inuenerit, reſtitutione, inquit, reſtitues ipſa domus domini ipſorum. Si autem ab eo qui in pace & in otio delicatè vitam tranſigit, vel etiam ab inimico non licet lucrari, quantò magis ab eo qui rebus aduerſis premitur, & fugit, & neceſſitate coactus propria relinquit?*

CAN. 4.

G

Deut. 22.

Exod. 23.

Balſam. Eſt veriſimile, dixiſſe aliquos, ſe non rapuiſſe res fratrum ſuorum captiuorum, ſed eas, inquiebant, diſiectas inuenimus, nec ſciebamus, cuiuſnam eſſent, & propterea nulla in nos cadit reprehenſio. Aduerſus eos ergo opponit Sanctus Deuteronomium & Exodum, & dicit, quòd etiamſi diſiectas neglectiue habitas eo tempore res inuenerit, ipſarum autem dominum ignorauerit, ne ſic quidem eas lucrari permittitur. Debet .n. eas ſeruare, donec earum dominus illas cognouerit, & quæſierit. & infert: Quod ſi lege Moſaica nulli licet ea quæ ad alios pertinent, tanquam ſua ſibi propria adſcribere, ſiue ij ſint amici, ſiue inimici, etiamſi tempore pacis neglectui habita ſint, ſed cogetur dominis ipſorū reſtituere, quāuis luxurioſè & delicatè viuant, nec proprias res inuenire curent, quantò magis debet is, qui inuenit res fratrū, rebus aduerſis oppreſſi, & in captiuitatem abducti, vel barbaros fugientis, & qui tanta neceſſitate ſua neglecta relinquit, eas tam infortunato homini reſtituere. Atq; hæc quidem Sanctus deſcribit, & docet deinceps, quomodo puniri debeant, & qui res eas rapuerunt, & qui nō rapuerunt, ſed inuenerunt, & qui poſtquam inuenerunt, eas nō reſtituerunt. Lex autē ciuilis hoc expreſſè dicit in Themate 5. cap. 43 tit. 12. libr. 60. Qui rem alienam abiectam accepit, vt eam lucretur, etiamſi ignorat cui⁹ ſit, eſt furti actioni obnoxius, niſi fortè dominus eam ita reliquerit, vt eius nullam curam gerat. Tunc enim etiamſi vt ea furans ceperit, quoniā ipſius eſſe deſijt, furti non tenetur, Non enim fit furtum, niſi ſit

H

cui

A cui furtum fiat. Si autem quod non eſt pro derelicto habitum, pro derelicto eſſe habitum exiſtimauit, non eſt fur. Si autem nec pro derelicto habebatur, nec pro derelicto haberi exiſtimauit; accepit autem, vt domino inuento redderet, actione furti non tenetur, etiamſi pro inuentione precium acceperit. Similiter & 61. cap. 3. Tit. 50. lib. ſic habet: *Si quis abſentis rem vacantē detinuiſſet, non tenebatur olim vel Interdicto de vi, vel Interdicto, quod vi aut clam, niſi vtiq; rei vendicatione, quatenus erat abſens dominus.* Nos ergo volum⁹, eũ, vt qui ſit poſſeſſor, generali de vi Interdicto teneri. Eſt .n. ridiculum dicere, quòd proprium exiſtimabant id, quod eſt alienum, quemadmodum & de furti in duplum actione diximus: quod qui præter domini ſententiam ac voluntatem contrectat, furtum committit. Hæc autem dicim⁹, niſi 30. annorum ſpatium præterierit, ex quo poſſeſſionem apprehendit. Nota ergo, quòd etiam & Canonibus & Legibus, non ſolum qui captiuorum res deprædantur & diripiunt, puniuntur & tenentur, ſed etiam ij, qui rem immobilem vacantem inueniſſe dicuntur, & non ſtatim rem aperiunt, & eam nomine domini poſſident, ſecundum legem quidem Eccleſiaſticam eis pœnitentia iniungetur, ſecundum ciuilē autem, vel vt fures punientur, ſi res eſt mobilis, vel Interdicto de vi, ſi erit immobilis. Quando autem quod inuentum eſt, pro derelicto habetur, non ſimiliter punitur qui id detinuit: ſed ſi ſit quidem res mobilis, cogitur eam domino reſtituere, & ſolum, niſi eius dominium aſſecutus ſit, vt bonæ fidei poſſeſſor intra triennium. Si autem illud immobile, quod pro derelicto detentum eſt, niſi eius factus ſit dominus, intra decennium. Vacantis autē, & eius quod pro derelicto habetur, magna eſt differentia. Quod enim vacat, animo poſſidemus, etiamſi id naturaliter non poſſidemus. Quod autem pro derelicto, nec ciuiliter, nec naturaliter poſſidemus, & ideo à bonæ fidei poſſeſſore eius dominium acquiritur; hoc autem locum non habet in ijs, quæ à captiuis derelicta ſunt, & iden qui ea detinent & non reſtituunt, vt ſuperiùs dictum, citra vllam diſtinctionem, & tenentur, & puniuntur. Nota quæ hic ſcripta ſunt de rebus eorum, qui captiui abducti ſunt. Lege & librum 34. Tit. 1. cap. 15. qui dicit: *Agros, qui ab hoſtibus capti ſunt, priores domini recipiunt; neque enim prædæ loco ſunt, nec publici ſiunt: quæ enim ab hoſtibus capiuntur, non ſiunt publica.*

B

C

CAN. 5. *Alij ſeipſos ſeducunt, pro proprijs quæ perierunt, aliena quæ inuenerunt, detinentes. Vt quoniam Boradi & Gothi ea hoſtilia fecerunt, ipſi ſint alij Boradi & Gothi. Propterea ergo fratrem & conſenem noſtrum Eufroſynum ad vos miſimus, vt † ſecundum formam quæ hic eſt, etiam ibi det ſimiliter, & quorum accuſationes admittere oporteat, & quos à precibus abdicare, iſthic ſimiliter diſponat.*

† ἵνα τῇ ... [margin note]

Balſam. Poſtquam Sanctus, quæ erant conſentanea, reſpondit ijs, qui dicebant, ſe, vt diſiectas & neglectui habitas res captiuorum inueniſſe, & propterea ſibi vendicaſſe; nunc ijs reſpondet, qui, quæ ad captiuos pertinebant, pro ijs quæ ſibi ab hoſtibus prius ablata fuerant, vendicabant. Dicit enim hoc eſſe fraudem & inanem prætextum. Neq; enim æquum eſt, vt qui ex bello Barbarico detrimentum acceperint, non toleranter ferant, ſed ſint ipſi hoſtes fratrũ, & alij in ipſos barbari appellentur. Propterea, inquit, miſimus ad vos fratrem Eufroſynum, vt iuxta formam hic traditam, ſeu, quemadmodum hic fecimus, iſthic quoque det formam, vt ſic vos faciatis. Deinde dicit: Eufroſynus vos docebit quoſnam, & aduerſus quos, accuſantes admittere, & quoſnam ab Eccleſia abdicare oporteat.

D

CAN. 6. De iis, qui captiuos ex Barbaria fugientes, vi detinent.

Denunciatum eſt nobis, quidpiam factum eſſe in veſtra regione incredibile, vel vtique infidelibus & impijs, & qui ne nomen quidē Domini nouerunt: quòd nonnulli eò inhumanitatis crudelitatiſq; proceſſerunt, vt captiuos aliquot, qui effugerunt, vi retineant. Mittito aliquos in regionem, ne vel fulmina in eos cadant, qui hæc agunt.

Balſam. Accepit Sanctus, quòd quidam captiui orthodoxi, poſtquam manus barbaricas euaſerunt, vi à quibuſdam tenentur, nec domum reuerti ſinuntur. Dicit ergo ijs, ad quos ſcriptum hoc epiſtolare miſſum, quòd hoc ei incredibile viſum eſt: eſt enim infidelium & impiorum opus. Sin autem factum eſt, non remanebit impunitum. Et ideo debere hæc diligenter inquiri, & mitti in regionem, qui hæc perſcrutentur. Exiſtimat enim, quòd etiam fulmen, ſeu ignis ſit caſurus, & eos qui hæc agunt exuſturus.

E

CAN. 7. De iis, qui inter Barbaros adnumerati ſunt, & aliſ ſunt aliquam in eos qui ſui ſunt generis, fecerunt.

Eos itaque qui inter Barbaros adnumerati ſunt, & cum eis in captiuitate inuaſerunt, obliti ſe eſſe Ponticos, & Chriſtianos: efferati autem barbariq; redditi, vt & eos qui huius ſunt generis, vel ligno, vel ſuffocatione interficiant: vias autem vel domos neſcientib. Barbaris oſtendant, etiam ab auditione arcere oportet, donec de ijs congregatis Sanctis aliquid communiter viſum fuerit, & ante eos, Spiritui ſancto.

Balſ. Eos quidem, qui poſtquam captiui facti ſunt, Barbaris conſenſerunt, & cum eis veluti barbari effecti ſunt, & ſui generis Chriſtianos interfecerunt, vel vias barbaris ignotas, & ad Chriſtianos ducentes oſtenderunt, vel eorũ ædes hoſtibus manifeſtas fecerunt, ne ad diuinarũ quidem laudum auditionem admittendos eſſe decernit, ſed eos omnino extra Eccleſiam ſtatui in loco Deflentiũ, poſt Confeſſionē ſcilicet vel condemnationē, donec Sancti ſimul congregati de iis cõmuniter ſtatuerint. Sanctos autē, Epiſcopos appellat. Illud autem, *ante eos Spiritui ſancto*, ſubiungit, oſtendens, quod quæcunq; in cõmuni conſideratione ab Epiſcopis diſpenſantur & ſtatuuntur, Spiritus S. ea ingerit. Et lex quidem Eccleſiaſtica ipſos ſic punit: lex verò ciuilis eos καθοσιώσεως crimini ſubijcit. Dicit enim primum c. 26. Tit. 60. lib. *Lex de inſidiatoribus ſimilis eſt ei, quæ eſt de ſacrilegis, & ea tenetur, qui aduerſus populum Romanum offendit, & quo ſtuduit præter iuſſum Imperatoris, vt obſides dolo interficerentur, vel vt ſint homines armati in Remp. vel vt loca, vel ſacra detineantur, vel ſeditioſa fiat coitio, vel vt occidatur magiſtratus, & qui miſit ad hoſtes nuncium, vel literas, vel dedit eis ſignum, vel aliter eis tulit auxilium, vel milites corrupit, & ad ſeditionem aut tumultum aduerſus Remp. ſollicitauit.* Et c. 3. eiuſd. Tit. & lib. quomodo qui hoſtes ſollicitauit, & eis Remp. tradidit, capite punitur, & deinceps diſſerit de alijs quibuſdam ſimilibus. Et hæc quidem de ijs qui in captiuitatem abducti ſunt, & hoſtib. tamē conſenſerunt, & de ijs itidem, qui non in captiuitatem abducti ſunt, cum hoſtib. tamen conſenſerunt, & aduerſus Rom. imperium conſpirarunt. Qui autem cum iis, qui terram mareq; depopulantur, vnà deprædati ſunt, magis vt mihi videtur, punientur; maior .n. eſt eorum improbitas: Hoſtes .n. aperta fronte, & nudo, vt aiunt, capite bellũ cõparant; latrones .n. ac prædones inopinatā cædē moliũtur. Quãto ergo præcurſi periculi pugna leuior eſt inopinato malo, tantò hoſtiũ inſultus eſt tolerabilior latronum inſidijs.

F

Lex Eccleſiaſtica, vt à ciuili hic differat.

G

Prouerb.

CAN. 8. De iis, qui alienas domos inuadunt, in Barbarorum incurſione.

Eos autem qui alienas domos inuadere auſi fuerunt: ſi accuſati quidem conuicti fuerint, nec auditione dignos exiſtimare oportet: Sin autem ſeipſos enunciarint, & reddiderint, in eorum qui conuertuntur, ordinem † ſubſternis.

† ὑποπίπτειν.

Balſ. Poſtquam Sanctus craſſiùs confuſiuſq; tractauit de iis qui rapuerunt, vel quorundã captiuorum res inuenerunt, quod ad pœnarum rationem attinet; nunc quoq; ſpecies pœnitentiæ, ſiue Eccleſiaſticarum pœnarum, incipit dicere. Et ſtatim decernit, vt nec ſtent cum Audientibus, ſed cum Deflentibus, extra Eccleſiam, qui rem captiui rapuerunt, & eam non reſtituerunt, ſed accuſatione & probationē expectauerunt, propter inficiationē. Eos .a. qui ſe ipſos denunciarunt, & ſua ſponte, quod debebant, ante actionē dederunt, ſtatuit, vt propter pœnitentiam comprecentur ſeu cõſiſtant cum fidelibus. Subſternantur autē, ſeu ſint ſubtus, eò quòd coguntur egredi cum Catechumenis. Ac lex quidē Eccleſiaſtica ſic eos punit: lex verò ciuilis, raptores, quod ab ipſis raptum eſt, etiam ante condemnationem offerentes, non admittit, ſed condemnat in quadruplũ. Dicit .n. c. 6. 17. tit. 60. lib. Raptor à pœna non liberatur, rem offerens ante iudicium. Et Thema 72. eiuſd. lib. & tit. intra annum, verùm ei precium quadruplat, non autē id quod intereſt. Quod autem hic dicit Sanctus de iis, qui ante condemnationem & accuſationem rem reſtituunt, lex iubet id fieri in eos, qui aliquid ex aliquo metu acceperunt. Dicit enim quintum Thema, 13. c. 2. Tit. 5. libr. Actio, quod metus cauſa, eſt libera, & licet ei, aduerſus quē agitur, ad ſententiam vſque rem reſtituere, & nõ dare quadruplum. Eſt autem & alia differentia eorum, qui per vim res auferunt, & eorum qui aliquid ab aliquo metu accipiunt. Raptores enim vnà cum quadrupli reſtitutione infamantur. Qui autem metum intulerunt, in exiſtimatione tantùm labem aliquam contrahunt.

H

Subſternens, qui hic dicantur.

Raptores, vt puniantur.

CAN. 9. *Eos autem qui in campo aliquid inuenerunt, vel in ſuis ædibus, à*

Barbaris

A

Barbaris relictum; ſi accuſati quidem conuicti fuerint, ſint ſimiliter iis qui ſubſternuntur: Sin autem ſeipſos enunciauerint, & reddiderint, etiam precibus digni habeantur.

Dei is, qui in agro vel ædibus res relicta à Barbaris inuenerunt.

Balſam. Dictum eſt ſuperius de iis qui dicunt ſe inueniſſe res captiuorum neglectui habitas, & earum ſibi proprietatem vendicaſſe. Nunc autem decernit Sanctus, eos qui res in captiuorũ domibus inuenerunt, vtpote non à Barbaris ablatas, vel in iis abiectas, fortaſſe propter pondus, ea quidem quæ inuenerunt, amice reſtituentes, in ſuo perfecto gradu ſtare debere cum Fidelibus: Sin autem condemnati fuerint, collocari cũ iis qui ſubiciũtur ſeu ſubſternũtur; ſcilicet, egredi cum catechumenis. Hæc cum ita ſe habeant; dixerit quiſpiam, eos ſic puniri, qui pro re inuenta reſtituenda condemnationem expectant, eſſe iniuſtiſſimum; quoniam facti quoque actione tenentur. Secundum legem quæ dixit: *Fur eſt, qui rem alienam contrectat præter domini voluntatem, ſciens id illi moleſtum eſſe.* Cum Fidelibus autem conſiſtere; & ne ſacramentis quidem dignatur eum qui ſeipſum denunciauit, & amice rem inuentam dedit, nouum eſt: Eſt enim potius Euchariſtia dignus, vt qui rem captiui ſeruauerit, & ipſam reſtituerit. Et iden dicunt nonnulli, cum Fidelibus conſiſtentiam, ſacramentorum quoque participationem tacite conſequi.

Fur, quiſnam.

B

Cum Fidelibus conſiſtẽtia

CAN. 10. Inuentionis precium an & quando exigi poſſit.

Eos autem qui ſeruant mandata, abſque omni turpi lucro ſeruare oportet, nec indicationis, vel cuſtodiæ vel inuentionis precium, vel quocunque nomine appellant, exigentes.

Balſam. Cum admiſiſſet Sanctus bonam eorum voluntatem qui ſeipſos denunciarunt, & inuentum beneuolè reddiderunt, adiicit, quod ſi ij velint mandati Dei obſeruatores videri, debent abſque vllo turpi lucro rem inuentam reddere. Definitum autem eſt non exigere oportere eum qui dixit, vel indicationis, vel cuſtodiæ, vel inuentionis precium, vel aliquid aliud; eo quod non ex negligentia dominorum, vel etiam fortuito res amiſſa ſit; ſed magna calamitate & barbarorum incurſione. Qui enim res, dominorum negligentia, vel fortuito perditas inuenerunt & eas reſtituunt, inuentionis precium rectè exigunt, quemadmodum ex legibus ſuperius poſitis apparet.

C

CAN. 11. De quinque pœnitentium locis.

Fletus, ſeu luctus, eſt extra portam oratorij, vbi peccatorem ſtantem, oportet Fideles ingredientes orare, vt pro ſe precentur. Auditio eſt intra portam, in loco quem νάρθηκα *vocant, in ferula: vbi oportet eum qui peccauit, ſtare poſt Catechumenos, vſq; ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens † enim, inquit, poſt Scripturas & doctrinam, eiciatur, & precatione ne dignus cenſeatur. Subiectio † autem ſeu ſubſtratio eſt, vt intra Templi portam, ſtans cum Catechumenis, egrediatur. Congregatio † ſeu conſiſtentia eſt, vt cum Fidelibus, conſiſtat, & cum Catechumenis non egrediatur. Poſtremo eſt participatio † ſacramentorum.*

† al. Audiens enim ſcripturas, &c.

† ὑπόπτωσις.

† σύστασις.

† μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων.

Balſam. Præſens quidem Sanctus, declaratis quinque locis eorum qui pœnitentiam agunt; nec eorum exercitii tempora declarauit, nec peccata ob quæ pœnitentia definita eſt. Magnus autem Baſilius in ſuis Canonicis Epiſtolis, hæc omnia exactè tradidit. Verum hic quoque pœnarum medelam Epiſcopali arbitrio reliquit.] Et ita ea Balſamonis Patriarchæ Antiocheni commentario in hanc Canonicam Epiſtolam, hactenus.

D

Quando, & qua occaſione, & ad quem S. Gregorius hanc ſuam ſcripſerit Epiſtolam.

EO ipſo tempore, quo Gothi inter alias Aſiæ prouincias, Pontum quoque incurſabant, Magnus hic Gregorius Neocæſareæ eius prouinciæ primariæ ciuitatis Epiſcopus, cognomento Thaumaturgus, ad correctionem & emendationem pluſimorum grauiorum delictorum, quæ tunc barbaricæ illius incurſionis occaſione acciderant, hanc planè Epiſtolam (qua pœnitentium claſſes in Eccleſia, & loca diſtincta pulchrè referantur) ſcripſiſſe videtur. Quæ quidem Epiſtola à Græcis canonica eſt appellata; eamque ſexta ſynodus generalis recepit, & in canone ad ſextam Synodum generalem appoſito, inter alias canonicas Epiſtulas reperitur adnumerata. Et ſi verò non ſatis liqueat, ad quem ea ſcripta ſit: ad aliquem tamen ſanctum Epiſcopum, qui ipſum ſuper nonnullis conſuluerat, datã eã fuiſſe, vel ex ipſo eius exordio conſtat quo dicitur: *Non cibi nos grauant, ſancte*

Canonica hæc eſt Epiſtola, & à ſexta ſynodo generali recepta.

Papa, ſi captiui, &c.) Sicque Proſper Aquitanicus Regienſis Epiſcopus etiam Sãctum Auguſtinum in Epiſtola ad ipſum de reliquiis Pelagianæ hæreſeos, Papam appellat. Nam in ipſo ad eum exordio ſic præfatur: *Domino beatiſſimo Papa, ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando, præſtantiſſimo patrono, Auguſtino Proſper.* Ignotus quidem tibi facie, ſed iam animo, & ſermone compertus, &c.] Ita quoq; ſanctus Hieronymus in Epiſtola octogeſima (quæ eſt ad ſanctum Auguſtinum) iiſdem eum Epithetis, & ad eundem ſic ſcribit: *Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo, quo decet, honore veneratus ſum, &c.* ac in fine eiuſdem Epiſtolæ, ſic: *Incolumem, & mei memorem te Chriſti Domini clementia tueatur Domine venerãde, & beatiſſime Papa.* Cuius rei, multa alia exempla ex aliorum Patrum Epiſtolis afferri poſſent. ſed de his, hic ſatis. E

EIVSDEM SANCTI PATRIS NOSTRI GREGORII EPISCOPI NEOcæſareæ Ponti, cognomento Thaumaturgi, de Anima, per capita Diſputatio, ad Tatianum. F

Gerardo Voſſio interprete.

IVſſiſti, præſtantiſſime Tatiane, vt cum efficacibus argumentis ſiue demõſtrationibus, ſermonem atq; diſputationem de Anima tibi cõſcriptam mitterem; eaq; in re nullis Scripturarum vterer teſtimoniis. Quæ quidem docendi ratio etſi vera ſit, & illis qui piè ſentire velint, quauis humana ratiocinatione certior & ad probandum aptior: quia tamen id à me ſic fieri cupis, non vt tibi ipſe ſatisfacias, quippe qui iam ita ſis inſtructus, vt Diuinis & Scripturis, & traditionibus atq; conſtitutionibus adhæreas, neque vllis humanis rationibus de ſententia dimoueri te ſinas, ſed ad eos conuincendos qui aliter ſentiunt, & Scripturis diuinis fidẽ habere nolunt; quadam autem diſſerendi facultate homines diſput. eiuſmodi haud aſſuetos circumuenire ac fallere nituntur. Quibus adductus ſum rationibus, vt non, velut aliqua deterritus imperitia, hãc tractationem ſubterfugerim; ſed tua in me conſiſus beneuolentia, tuæ promptius morem gesſerim iuſſioni ac volũtati. Noſti etenim pro tua in me benignitate atq; amicitia, quæ præclara eſſe cenſes, ea in conſpectum hominum lucemq; proferre, quæ autem minus rectè dicta eſſe videantur, ea diſſimulare atq; contegere. Quare hæc ſciens, audacter me ad ſcribendum contuli. Ea verò diſſerendi ratione & ordine vtar, qua & illi, qui res huiuſmodi profitentur, ſcienter ac peritè inueſtigando, vti ſolent. G

Ac primum quidem proponam, quo indicio Anima naturaliter comprehendi queat. Deinde, quibus rationib. eſſe oſtendatur. Tum deinceps, ſubſtantia ne ſit, an accidens. Deinde conſequenter, corpus ne ſit, an incorporea. Præterea ſimplex ne, an cõpoſita. Tum rurſus, mortalis ne, an immortalis. Poſtremò autẽ, rationis particeps ne ſit, an illius expers. H

Hæc enim in Diſputatione de Anima, vt maximè propria, & vim atq; naturam eius melius exprimentia, inquiri ſolent. Ad ea porro, de quibus diſſerendum erit, probanda ac confirmanda, pro demonſtrationibus, notionib. illis vtemur cõmunibus, per quas rebus quæ manib. tractantur, aſſenſus comparari ſolet. Breuitatis verò, vtilitatisq; cauſa, iis duntaxat oſtẽ ratiocinationib. vtemur, quæ ad demõſtrandã illa, quorum ſit inueſtigatio, potiſſimum valent: vt manifeſtis perceptuq; facilioſib. earum notionib. atq; probationibus inſtructi, propiores occurramus repugnantib. Hinc igitur Sermonis noſtri atq; Diſputationis, ducatur principiũ.

Quo indicio comprehendatur Anima.

1. Rẽs quæcunq; aut ſenſu cognoſcuntur, aut intelligentiã comprehenduntur. Ex quib. quidẽ, quę ſub ſenſum cadunt, ipſo ſenſu ſatis demonſtrantur: nam ſimulatq; ille admotus fuerit, ſubiectæ rei imaginem ac ſpeciem nobis repræſentat.

A Quæ verò intelligentia comprehenduntur, non ipſa ex ſe, ſed ex ipſarum actionibus atq; effectis percipiuntur. Quapropter cum Anima ex ſeipſa cognoſci nequeat, ex ipſius effectis meritò cognoſci poterit.

An ſit Anima.

2. Corpus noſtrum cum mouetur, aut extrinſecus, aut intrinſecus mouetur. Non moueri illud extrinſecus, ex eo patet: quod neq; impulſione, neq; tractione mouetur, ſicut ea quæ ſunt inanimata. Cum autem moueatur intrinſecus, nô tamen naturaliter mouetur vt ignis. Nam ignis quãdiu eſt, nũquam motum intermittit: at corpus vbi mortuum fuerit, moueri deſinit, licet tamen ſit corpus. Quare ſi neq; extrinſecus mouetur, ſicut inanimata, neq; naturaliter, velut ignis: manifeſtum eſt moueri ab Anima, quæ etiam vitam ipſi ſubminiſtrat. Si igitur corpori noſtro vitam ab anima præberi conſtet, anima etiam ex ſuis effectis cognoſcitur.

An Anima ſit ſubſtantia.

3. Quod porrò Anima ſit ſubſtantia, oſtẽditur: Primo quidem, quoniam illi quoque definitio ſubſtantiæ iure conuenit, quæ quidem eſt eiuſmodi Subſtantia eſt id, quod cum

B vnum & idem ſit numero, contraria viciſſim ſuſcipit. Quod verò Anima à natura propria non recedens, contraria viciſſim ſuſcipiat, omnibus credo eſt perſpicuum. Iuſtitia enim & iniuſtitia, fortitudo & timiditas, temperantia & intemperantia, in ipſa viciſſim cernuntur, quum ſint contraria. Quamobrem cum ea ſubſtantię ſit proprietas, vt contrariorum viciſſim ſuſceptrix ſit, eademq; Animæ conueniat, ſubſtantia igitur anima erit. Præterea, cum & corpus ſit ſubſtantia, Animam quoque ſubſtantiam eſſe neceſſe eſt. Neque enim fieri poteſt, vt quod vitam recipit, ſubſtantia ſit, illud autem quod vitam præbet, non ſit ſubſtantia. Niſi forte quis ita inſaniat, vt id quod nõ eſt, eius quod eſt, cauſam eſſe affirmet: aut rurſus id, cuius illud ipſum quod eſt, ex alio ſic pendet, vt abſque illo eſſe nequeat, eius ipſius, ex quo pendet, cauſam eſſe velit.

An incorporea ſit Anima.

4. In corpore quidem noſtro Animam eſſe ſuperius oſten-

C ſum eſt: quomodo autem ſit in corpore, cognoſcere oportet. Nam ſi illi ita adiacet, vt lapis lapidi: ſequitur, quod corpus ſit Anima, nec totum corpus animatum eſſe, cum parti cuidam ſolum adhæreat. Sin autem cum corpore mixta, cõfuſaq. ſit, è propria Animæ ratione deiecta, multis partibus conſtabit, nec ſimplex erit. Quod enim multarum eſt partium, diuiſibile eſt ac diſſolubile: quod autem poteſt diuidi, compoſitum eſt: compoſitum verò triplici diuidi poteſt. Corpus autem adiunctum corpori, molem auget: Anima verò in corpore exiſtens, illud non tumidum, ſed viuum potius reddit. Non igitur corpus, ſed incorporea eſt Anima.

Ad hæc, ſi corpus eſſet Anima, aut extrinſecus aut intrinſecus moueretur: Nõ aũt extrinſecus mouetur: non enim impulſione, neq; tractione mouetur, vt inanimata: neq; intrinſecus mouetur, ſicut animata. Abſurdum enim eſt, Animã animæ dicere. Non ergo Anima eſt corpus: incorporea igitur.

Et rurſus, ſi corpus eſt Anima, etiam qualitates haberet quę percipiuntur ſenſibus, & nutritur: ſed non nutritur. Quod ſi nutritur, non corporeè nutritur, vt corpus, ſed incorporeè:

D nam ratione & verbo nutritur: non igitur ſenſibiles qualitates habet: Neq. enim oculis cernitur iuſtitia, neque fortitudo, neq; alia eius generis, quæ ſunt Animæ qualitates: quapropter corpus non eſt anima: incorporea igitur.

Præterea, cũ omnis ſubſtantia corporea in animatam vel inanimatã diuidatur, dicant qui Animam † corpus eſſe affirmant, animatamne dici eam velint, an inanimatam.

† al. corpoream.

Denique, ſi corpus omne colorem, quantitatem, & figuram habet: nihil autem eiuſmodi in Animæ conſpicitur: non igitur Anima eſt corpus.

An ſimplex ſit Anima, an compoſita.

5. Ex quibus ergo Anima corporis expers oſtenditur, ex ijs potiſſimum etiam ſimplex demonſtratur. Nam ſi corpus non eſt, & omne corpus compoſitum eſt, compoſitum autẽ ex partib. conſtet, nec plurium quidem partium erit. Cum autem incorporea ſit, ſimplex erit: quoniam non eſt compoſita, neque in partes ſecabilis.

An immortalis noſtra ſit Anima.

6. Conſequens verò mihi videtur, vt quod eſt ſimplex, et-

E iam ſit immortale. Et quo pacto illud, euiculta: Nihil eorũ quæ ſunt, ſeipſum corrumpit, alioquin enim ne initio quidẽ cõſtitiſſet. Quæ aũt corrũpuntur ex cõtrarijs corrũpuntur. Nãmque quod corrũpitur, diſſoluitur: quod diſſoluitur, cõpoſitum eſt: compoſitũ, multarum eſt partiũ: quod ex partib. conſtat, ex ijs ſcilicet conſtat differentibus: quod verò differens eſt, idem non eſt: Quamobrem cum ſimplex ſit Anima, neque ex pluribus partibus conſtet, quæ nec compoſita eſt, nec diſſolui poteſt: ſequitur eam incorruptibilem, & immortalem eſſe.

Præterea, quidquid alieno cietur motu, nec ea ſe ipſo, ſed ex eo, à quo mouetur, viuendi habet facultatem, illud tamdiu permanet, quoad ab illa intrinſecus operante vi conſeruatur: et vbi ea ceſſauerit, & ipſum quod ab ea mouebatur, deſinat neceſſe eſt. Quare cum Anima à ſeipſa moueatur, nunquã eſſe deſinit. Hæc enim ita ſe conſequuntur, vt quod à ſe ipſo mouetur, ſemper moueatur, quod ſemper mouetur, nunquam deficit: quod nunquam deficit fine

F caret: quod finis eſt expers, non corrumpitur: quod non corrumpitur, eſt immortale. Ergo ſi Anima à ſeipſa mouetur, vt ſuperius demonſtratum eſt, erit igitur ea vi iam propoſitæ ratiocinationis, incorruptibilis & immortalis.

Præterea, quodcunq; à proprio malo non corrumpitur, corrumpi non poteſt: malum autem bono contrarium eſt, ideo & illius corrumpendi vim habet. Non enim aliud eſt corporis malum, quam paſſio, morbus, & mors, ſicut è contra, virtus eius eſt, pulchritudo, vita, ſanitas, & firma conſtitutio. Si igitur Anima à ſuo malo non corrumpitur, malum autem Animæ eſt, metus, intemperantia, inuidia, & ſimilia: quæ tamen omnia viuendi ac mouendi facultatem ipſi non auferunt: Anima ergo eſt immortalis.

An rationis particeps noſtra ſit Anima.

7. Quod porrò anima noſtra rationis ſit particeps, multis argumentis oſtendi poteſt: ac primum quidem, ex eo, quod artes vitæ noſtrę vtiles ipſa adinuenerit. Neque enim eas temerè, aut caſu aliquo repertas eſſe, quis dixerit: cum nec otioſas, nec vitæ inutiles eaſdem eſſe, queat demonſtrare. Si

G igitur artes ad vitæ vtilitatem conferunt, & quæ ſunt vtilia, etiam laudabilia ſunt, laudabilia verò ratione comparentur, animæ verò inuente, ipſæ ſint artes: Anima igitur noſtra, rationis eſt particeps.

Deinde ex eo, quod ſenſus noſtri ad res comprehendendas non ſunt ſufficientes, etiam animam noſtram ratione præditam eſſe demonſtratur. Neque enim ſola ſenſus applicatione, valemus ad res cognoſcendas peruenire. At quia nec in hiſce volumus inhærere, id protinus inde conſtat, quod ſenſus, niſi ratione erudiantur, ea, quæ figura ſunt æqualia, & colore ſimilia † natura tamen differentia, internoſcere atque diſcernere nequeant. Quapropter, cum ſenſus ratione deſtituti, falſas nobis rerum imagines ac ſpecies iudicant, reputandum nobis eſt, res comprehendi ne tenera queant, necne? & ſi quidem comprehendi poſſunt, alia nobis præter ſenſus vis eſt, eaque præſtantior, qua ad earum cognitionem peruenire liceat. Quod ſi non comprehenduntur, ne illa quidem aſſequi poterimus, quæ aliter quam ſunt, conſpiciuntur. Res porro à nobis percipi, vel ex eo patet,

† al. aſpectu tamen

H quod eas conuenientes ad vſus noſtros adhibemus, & rurſus in quodcunque volumus, conuertimus. Quare ſi res cõprehendi poſſe à nobis demonſtratum eſt, idque à ſenſibus ratione deſtitutis effici nequeat, quippe qui falſas nobis opiniones repræſentant, mens ſanè erit, quæ † ratione cuncta diſtinguit atque diiudicat, & res vt reuera ſunt, cognoſcit: mens autem eſt Animæ pars ratione decorata ac illuſtrata. Eſt ergo Anima rationis particeps.

† al. quæ omnẽ ratione diſcernit, &c.

Poſtremò, quia nihil agimus, quod non prius nobis ipſi deſcripſerimus atque definierimus: id autem nihil aliud eſt, quam animæ dignitas: quippe cui non extrinſecus aduenit rerum cognitio, ſed ipſa tanquam ſuis commentis ac ſenſis res ornat, & ideo in ſeipſa rem antè depingit atq; deſcribit, vt ſic eam poſtea in medium proferret. Animæ porrò dignitas, nihil aliud eſt, quam ratione omnia facere, † qua quidem etiam à ſenſibus differt. Animam igitur ratione præditam eſſe, demonſtratum eſt.

† al. hac enim etiã à ſenſibus differre demõſtratum eſt Anima igitur ratione prędita eſt.

A

EIVSDEM SANCTI PATRIS NOSTRI GREGORII EPISCOPI NEOCÆSARIENSIS THAVMATVRGI

metaphraſis, ſiue tranſlatio in Salomonis Eccleſiaſten: ſiue in duodecim capita eccleſiaſtes.

CAPVT I.

B

HAc verba, Salomon, Dauidis Regis & Prophetæ filius, rex mortalium omnium clariſſimus, & Propheta ſapientiſſimus vniuerſam Dei Eccleſiam affatur: Quam vana & inutilia ſunt omnia ea hominum negotia & ſtudia, quæ in humanis rebus ſuſcipiuntur. Nemo enim eſt, qui vtilitatem vllam ijs adnexam dicere poſſit, quę, homines humi reptantes, & corporibus & animis perficere contēdunt, rebus caducis & temporarijs addicti; ſupra ſidera autem, generoſo animæ oculo, ne tantillum quidem aſpicere volentes. Ac mortalium vita conteritur, die diei ſuccedente, annique partibus & conuerſionibus, ſoliſque curſibus certis ac definitis, nunc accedentibus, nunc ſenſim recedentibus. Nec diſſimilis eſt hæc res Torrentum tranſitui, cum magno ſtrepitu atque tumultu in immenſum Maris profundum dilabentium. Et quidem ea, quæ hominum cauſa à Deo creata ſunt, eadem manent, velut quod à terra gignantur, quod in terram abeant, quod terra ipſa firma & ſtabilis ſit, quod ſol ea rota decurſa ad eundem rurſus rurſus terminum punctumque circumuoluatur, fluuijque itidem, tanto numero in mare influentes, & venti incurrentes; ne ipſum fines ſuos excedere cogant, nec ipſi rurſus legem ſibi cōſtitutam infringant. Atq; hæc ſanè, quæ nobis ad hanc vitam, vſum & adiumentū afferunt, ita decreta ſunt & conſtituta: At quæ ab hominibus excogitantur, tam res quam verba modum † finemq; ue non habent. Ac verborum magna quidem eſt copia; cæterum fructus nullus à ſeducta & errore circumfuſa loquacitate, & nugacitate. Verū ita à natura, cōparata eſt hominum ratio, vt inexplebilis ſit eorum & loquendi & audiendi ſitis, ac præterea, vanis oculis, ea omnia quæ accidunt, intuendi cupiditas. Quid autem in poſterum fieri queat, quod non iam confectum fuerit, aut geratur ab hominibus? quid nouum, quod nondum experimento compertum fuerit, dummodo inſigne ſit & memorabile? Vt quidem mea opinio fert, quiſquis ſecum reputabit atq; conſiderabit, nihil nouum aut recens inueniet, priſciſq; incognitum. Quemadmodum autem præterita, obliuione tecta ſunt, ſic præſentia quoque, progreſſu temporis, ad poſteros, in obſcuritatem ibunt. Nec verò temerè hæc nunc dico. Eccleſiaſten agens, verum mihi Hebræorum regnum, Hieroſolymis, fidei meæ commiſſum habenti, diligenter & accuratè omnia cogitata & perpenſa ſunt. Porrò totā rerum terrenarum naturam perſcrutatus, atque ingenioſè & ſapienter in ea cogitatione verſatus eam maximè variam comperi. Hominibus enim in terra, laboribus vexari datum eſt, alias, alia ærumnæ occaſione, fruſtra inuoluto. Spiritu autē prodigioſo & execrando, omnia hæc ſunt inferiora plena, adeo vt ea recolligere nemo queat, immo ne quidem cogitare, quanta res humanas abſurditas inuaſerit. Nam cum mecum ipſe aliquando reputaſſem, atque exiſtimaſſem, me omnibus qui ante me fuiſſent, hac in re ſapientiorem eſſe, in animum induxi, tum parabolas intelligere, tum rerum naturas. Cæterum incaſſum mihi ad eam rem animum conferre viſus ſum, quod vt ſapientiam ſcientia ſequitur, ita ſcientiæ comites ſint labores.

Eccleſ. 1 — *Humanę vitę conſideratio, ac ſtatus.* — C — *† al. modū nullum habent.* — *Nihil nouum.* — *Omnium rerum obliuio.* — D — *Salomonis ſapientia, ac ſtudia.*

E

CAPVT II.

HÆc igitur ad hunc modum ſe habere arbitratus, alterum vitæ genus capeſſere propoſui, delitiiſque memet tradere, variaſque voluptates expetiui. Verum nunc omnia hæc vana eſſe intellexi, atque hinc riſum ſolutum, temereque vagantem compeſcui, hinc voluptatem ad temperantiam coercui, acerbeque ei ſuccenſui. Ad hæc, cum eam vim eſſe animæ cogitaſſem, vt temulentam corporis naturam, atque inſtar vini diffluentem ſiſtere poſſit, rurſuſque continentia cupiditatem domari, perſpiciendum mihi eſſe conſtitui, quidnam tandem hominibus propoſitum ſit ſerium, vereque bonum, & honeſtum, quod in hac vita conficiant? Nam reliqua omnia, quæ præclara & † expetenda cenſentur, percurri, velut excelſiſſimarum ædium ſubſtructiones, & vinium conſitiones, atque inſuper hortorum ſtructuras, frugiferarumque omnis generis arborum collectiones, ſtudioſaſque excultiones, vbi etiam ingentes lacus ad aquarum exceptiones confecti ſunt, ad vberem & copioſam arborum rigationem diſtributi. Iam verò domeſticorum quoque agmine ſeptus fui, tum famulis, tum ancillis, eoſque partim externe comparaui, partim apud me natos poſſedi. Quin etiam plures quadrupedum animantium greges, tum boum, tum pecudum in meam, quam in cuiuſquam eorum, qui olim extiterunt, poteſtatem venerunt. Sed & auri & argenti theſauri mihi affluebant, vtpote qui Reges omnes eò adduxiſſem, vt mihi & munera afferrent, & tributa perſoluerent. Præterea chori complures ad meam oblectationem agitabantur, virorum ſimul & fœminarum, concinniſſimum cantum & modulatiſſimum efficientium. Conuiuia porrò & † pocillatores (nam ea in hanc voluptatis partem retuleram) ex vtroque hominum ſexu delectos, & eximios, nec numerò quidē complecti poſſim. Adeò hic omnes qui ante me Hieroſolymis regnarunt, antecellui. Hinc autem contingebat, vt mihi & ſapientia imminueretur, & vitioſa cupiditas creſceret. Nam cum omnibus oculorum illecebris, & impotentibus petulantibuſque cordis deſiderijs vndique incurſantibus, totas habenas permiſiſſem, ac voluptatum ſpei meipſum dediſſem, miſeris omnibus delitiis, animi voluntatem adſtrinxi. Meæ namq; cogitationes eò infœlicitatis prolapſæ ſunt, vt hæc bona eſt. & egregia, dignaq; quæ facerem arbitrarer. Tandem verò expergefactus, atque oculis reſtitutus, ea quæ in manibus habebam, flagitioſa ſimul, acerbitatiſque plena eſſe perſpexi, ſpiniuſque non boni opificia. Neque enim vllum hominum ſtudium, vitæque inſtitutum comprobandum mihi nunc videtur, nec rectu iudiciu expetendum. Proinde mente collectis & ſapientiæ bonis & ſtultitiæ malis, magna hunc virum admiratione proſecutus fuerim, qui cum præceps ferretur, temereq; ue vagaretur, poſtea mente recepta, ad virtutem officiumque redijt. Prudentia enim & dementia, magno interſtitio diſiunctæ ſunt, nec minus inter vtramque eſt diſcriminis quam inter diem & noctem. Quocirca, qui virtutem amplexus eſt, haud mihi ab eo differre videtur, qui rem vnamquamque perſpicue cernit, ſurſumque proſpectat, ac clariſſimæ lucis tempore iter facit. Contra, qui ſe vitiis implicuit, omniſque generis erroribus, haud abſimilis eſt homini in profunda caligine oberranti, quippe qui † cæcitate affectus ſit, atque à negotiorum tenebris excoculatus. Denique vtriuſque harum vitarum differentiam animo aſſecutus, nihil poſtea reperi, quin illud potius fore, vt ſi me ad ſtultorum ſocietatem ac ſodalicium contuliſſem, ſtultitię præmia perciperem. Quid enim ex argutijs illis commodi referri, aut quid fructus ex prolixis ſermonib. colligi poteſt, cum quidem loquacitatis importunæ flumina ab inſipientia velut à fonte oriantur? Sapienti porro & ſtolido nihil commune eſt, nec quantum ad hominum memoriam, nec quantum ad Dei remunerationem. Res autem humanas cum adhuc oriri videntur, iam finis arripit. Sapiens, eiuſdem cum ſtolido finis, † nonnunquam eſt particeps. Quare vitam omnem meam execrari cœpi, quam in rebus vanis traduxeram atq; conſumpſeram, iſtis enim laboribus intabeſcens. Etenim, vt vno verbo complectar, omnia mihi magna cum moleſtia elabo-

Eccleſ. 2 — *Voluptatum vanitas.* — *† al. admiratione digna.* — *al. poſſeſſiones.* — F — *Salomonis honores, delitiæ atque diuitiæ.* — *† al. pincernas.* — *Ex delitijs ac voluptatibus, vt ſapientia imminuatur.* — G — *al. ærumnoſa.* — *Vir admiratione dignus, quiſnam ſit.* — H — [illegible] — *† al. nunquam. Salomonis reſipiſcentia.*

A rata ſunt, præcipiti animi impetu ita me pertrahente: atque ea alius excepturus eſt, ſapiens an excors & ſtolidus, neſcio, frigidos, inquam, laborum meorum fructus. His autem excuſſis atque proiectis, mihi vera bona hominibus propoſita, apparuerunt, hoc eſt, ſapientiæ cognitio, & fortitudinis adeptio. Quod ſi quis harum cura neglecta, alius cuiuſpiam rei cupiditate incitatur, hic, & mala bonis anteponit, & vitiũ pro benignitate & virtute conſectatur, & ærumnam pro quiete, varijs tumultibus diſtractus, noctu atq; interdiu diuexatus, tum vrgentibus corporis laboribus, tũ perpetuis animæ curis, pectore, illi, ob abſurda negotia, ingemiſcente & palpitante. Neque enim ſummum & perfectum bonum in eſculentis & poculentis conſiſtit, & ſi alioqui, maximè Dei beneficio, alimenta mortalibus contingunt. Nihil enim eorum, quæ nobis ad ſalutem data ſunt, citra ipſius prouidentiam exiſtit. Verum probitate præditus vir, ſapientiamque Dei dono conſecutus, cœleſti voluptate fruitur: improbus autem, malis diuinitus immiſſis ſtimulatus auaritiæque morbo correptus, multa congerere ſtudet, atq; eum quem Deus honore affecit, in omnium Domini conſpectu, probris inceſſere feſtinat, dono inutilia porrigens, inſidioſa ſimul & vana animæ ſuæ miſeræ ſtudia faciens.

Diuina prouidentia.

B

CAPVT III.

ENimuero hoc tempus rebus inter ſe maximè contrariis plenum eſt, partus & mortis, ortus ſtirpium & euerſionis atque interitus, curationum & cædium, extructionis ædiũ & deſtructionis, gemitus & riſus, planctus & ſaltationum. Nunc terræ fructus aliquis colligit, nunc rurſus eiicit, nunc mulierẽ deperit, atq; inſano amore cõplectitur, nunc impenſe eam odit & auerſatur, nunc aliquid quærit, nunc amittit, nunc diligenter adſeruat, nunc proiicit, nunc interficit, nunc obtruncatur, nunc loquitur, nunc ſilentio acquieſcit, nunc amat, nunc odio inſectatur. Res enim humanæ, nunc bello affligantur, nunc tranquillæ & pacatæ ſunt: tantaque eſt earum inconſtantia, vt quæ modo ſecundæ eſſe videantur, celeri momento in certiſſima mala delabantur. Ac proinde vanis laboribus exerceri deſinamus. Hæc enim omnia, vt mihi quidem videtur, ad homines virulentis aculeis concitandos, poſita ſunt: atque peruerſus quidem explorator, occaſioniſque captator, huic ſeculo inhiat, Dei figmentum delere ac perdere omni contentione adnitens, vt qui à principio ad extremum vſque, cum eo confligere inſtituerit. Perſuaſum itaque habeo, animi tranquillitatem & beneficentiam, maxima homini bona eſſe, atque adeo temporariam ac breuem hanc ſolam voluptatem diuinitus obuenire, ſi rebus gerendis iuſtitia præeat: At verò æternarum rerum ſtatui corruptioniſque expertium, quas Deus firmiſſime conſtituit, nec aliquid detrahere, nec addere quiſquam poteſt. Verum formidoloſæ ſimul, & admirabiles illæ ſunt, atque eæ quidem, quæ iam fuerunt ſtabiles manent, quæ autem futuræ ſunt, iam ſecundum præſcientiam extiterunt. Cæterum is, qui iniuſtè læſus eſt, Deo *auxiliatore vtitur.

Temporis varietas, & humanarum rerum inſtabilitas oſtenditur.

C

Tranquillitas animi.

Res æternæ, certæ

† al. Deum auxiliatorem ac vindicem habet.

Potiò in inferis partibus, ſupplicij barathrum vidi, impios excipiens, piis contra, ſedem alteram patefactam. Illud quoque † cogitaui, apud Deum æqualia omnia eſſe, exiſtimari & iudicari: idem eſſe iuſtos & iniuſtos, idem, animalia ratione vtentia, & bruta. Tempus enim omnibus æque admenſum eſſe, & mortem impendere, idemq; apud Deũ eſſe, hominum & iumentorum genus, ſola tantum articulata vocis prolatione inter ſe differre: reliqua autem omnia ipſis eodem modo contingere, nec mortem magis in cætera animalia, quam in homines graſſari. Omnibus enim æqualem ſpiritum eſſe, nec quidquam omnino amplius homines habere: ſed cuncta, vt vno verbo dicam, vana eſſe, ab eadem terra coagmentationem habentia, atque in eandem terram dilapſura. Incertum enim eſſe, tum de humanis animabus, an ſurſum conuolaturæ ſint, tum de reliquis, quas animalia ratione carentia acceperunt, an deorſum defluxuræ ſint. Ac mihi nullum aliud bonum eſſe videbatur, quam deliciæ, & præſentium commodorum * perceptio. Neque enim fieri poſſe putaui, vt quiſquam rurſus ad percipiendas voluptates accedat, poſteaquam mortem ſemel deguſtarit.

D

† Cogitationẽ hanc vt inuenilẽ imperitiæ, hic proponit, vt deinde retractat & auerſatur * eccleſiaſtes ſeq. capite.

† al. vſus.

CAPVT IV.

AB iis omnibus cogitationibus animum reuocans, conſideraui, atque auerſatus ſum omnia Sycophantiarum genera inter homines errantia, quibus nonnulli inique circumuenti ac per vim deiecti, lachrymas fundunt, atque ingemiſcunt, vndique ab amicis prorſus inopes, qui eorum cauſam tueantur, aut certè afflictos conſolentur. qui autem legibus vim faciunt, tyrannidique ſuæ iura ſubſternunt, in ſublime vehuntur, ob eamque cauſam corruent. Enimuero, ex conſceleratis & audacibus, ij qui ex hac vita migrarunt, meliore conditione ſunt, quam qui etiamnum viuunt: Vtriſque autem præferendus, qui ſimilis eorum futurus eſt, nec creatus adhuc eſt, quoniam hominum improbitatem nondum attigit. Perſpicuum mihi quoque factum eſt, quanta proximorum inuidia inſignes viros ſequatur, œſtrum impuri ſpiritus: quodque ſi quis hunc ſuſceperit, ac velut pectore complexus fuerit, nihil aliud habet, quam quod animam ſuam exeſt & diſſecat, ſimulque cum corpore abſumit, mœrorem acerbiſſimum, nec ſolatio vllo mitigabilem, aliorum proſperitatem, exiſtimans. Atqui præoptarit vir ſapiens & cordatus, alteram manum cum facilitate & leuitate implere; quam vtramq; cum ærumna & fraudulenti ſpiritus calliditate & verſutia. Eſt & quiddam aliud, quod præter fas & æquum homini ob improbam voluntatem coniungere ſciui, qui vndique ſolus relictus, nec fratrẽ nec filium habens, facultatibus & copiis affluens, inexplebili cupiditate ardet, nec beneficentiæ atq; humanitati ſeipſũ vllo modo tradere cupit. Ex eo igitur lubens quæſiuerim, quam ob cauſam laboribus ſe conficiat, boni quidem aliquid facere ſummopere fugiens, multiplicibus autem quæſtus alicunde faciendi cupiditatibus diſtractus. Quantò tandem hoc meliores, qui vitæ ſocietatem ineunt, ex qua optimos fructus decerpere queant? Duobus enim vitæ rebus iiſdem, rectè incumbentibus, etiamſi alteri quidpiam aduerſi accidat, tamen haud leue ſubſidium in ſodali & contubernali ſuo poſitum habet. Grauiſſima autem eſt calamitas homini aduerſa fortuna vtenti, carere amico, qui iacentem luctuque afflictum excitet ac recreet. At, qui contubernij neceſſitudine iuncti ſunt, & proſperi ſucceſſus voluptatem ſibi inuicem conduplicant, & rerum præter voluntatẽ fluentium tempeſtatem leniunt: adeò vt & diu, mutua libertate ſplendeſcant, & noctu honeſtate ac grauitate fulgeant. Contra, qui vitam ab omni hominum ſocietate remotam ducit, horrendam quandam vitam traducit, non intelligẽs, eum temere ac periculoſe ſibi conſulere, qui multos homines mutuo præſidio circũſeptos adortus fuerit, ac præterea funem triplici nexu contextum haudquaquam facile perfringi ſolere. Ego verò *iuuenem pauperem, modo prudentia ornatum, antepono ſeni Regi ſtolido cui in mentem non venit, fieri poſſe, vt quiſpiam ea carcere atque ergaſtulo ad regni gubernacula conſtituatur, ipſe autem poſtea, iniquo principatu iuſtè exturbetur. Nonnunquam enim euenit, vt qui iuueni quidem, cæterum cordato ſubſunt, *mœſtitiæ vacent, ſaltem maiores z. natu. Nam qui poſtea in lucem prodierunt, quoniam alterius periculum nõ fecerunt, ne hunc quidem laudare poſſunt, abducti videlicet inconſulto conſilio aduerſariique ſpiritus impetu præcipites acti. Quiſquis autem Eccleſiaſtæ munere fungens, illud ob oculos habeto, vt & rectum vitæ iter teneas, & pro ſtultis preceptis, vt accepta prudentia, malorum actiones vitare ſciant.

E

Inſignes viros ſequitur inuidia.

F

Societatis bona vtilitas.

G

Calamitas grauis eſt, carere amico.

Prouerb. † Hunc locum Eccl. 4. ſic à S. Gregorio Thaumaturgo explicatum citat. S. Hieron. in ſuo Cõment. in Eccleſiaſt. Eccleſiaſtę duo præſtanda.

H

CAPVT V.

LIngua parce vti, præclarum; atque ad loquendi ſtudium, grauitatem conſtantiamque cordis adhibete Non enim nos inconſulto loquendi ſtudio teneri oportet, eaque quæ in mentem veniunt quamuis abſurda, proferre atq; emittere: verum illud cogitare, quod licet magno interuallo à cœlo diſtemus, certũ eſt tamen ſermones noſtros à Deo exaudiri, atque vtile eſt, lapſum in loquendo cauere. Quemadmodum enim varias animæ curas, multiplex inſomniorum ſpecies ſubſequitur: ad eundem quoq; modum ſtultitiæ verborum, nugacitas coniuncta eſt. Pollicitatio porro

Lingua vt temperanda.

Sermones noſtros à Deo exaudiri.

A — Votũ explendum. *Deut. 5.*

votũ facta, finem per opus accipiat. Eſt hoc ſtultorum proprium, vt reiectioi ſint. At tu promiſſi veritatem præſta, ſciens longè tibi ſatius eſſe non vouere, nec facturum aliquid polliceri, quam poſt conceptum votum, id relinquere. Omni autem ratione fugiendum eſt turpium verborum profluuium. nec enim Deo inaudita erunt. Nam ad eum qui hæc cogitat, nulla alia vtilitas redit, quam vt ſentiat opera ſua à Deo labefactari atq; corrumpi. Vt enim plerumq; inſomnia vana: ſic etiam pleraq; verba. Timor autem Dei, hominibus quidem ſalutaris, cæterum rarus. Quocirca nihil eſt cur mireris, ſi & pauperes calũniis opprimi, & iudices legibus impoſturam facere videris. Cauendum porrò eſt, ne iis qui potẽtia præſtant, maiores eſſe videamur. Nam etiamſi hoc accideret, tamẽ ex horrendis cruciatib. in quos incidemus, nequaquã nos improbitas liberabit. Quẽadmodum autem facultates raptu collectæ ac per vim extortæ, pernicioſiſſimæ & ſceleratiſſimæ ſunt: ſic etiam homini pecuniarum cupiditate flagranti, nunquam ſatietas, nec proximorum beneuolentia proueniet, quamlibet maximam vim argenti quæſierit. Hoc enim vanũ eſt & inane. At probitas, familiares ſuos maiorem in modum oblectat, forteſque efficit, rem vnamquamq; perſpiciendi facultatem præbens, ſed & huiuſmodi curis minimè inhæſiſſe, animumque defixiſſe, magnum cenſendum eſt. Enimuerò pauper, licet ſenectute prematur, ventremque ſuum nequaquam largius impleuerit, tamen ſuaui ſomni requie fruitur: opum autem cupiditas, indiuulſas comites habet vigilias & animæ labores. Quid porrò abſurdius eſſe queat, quam cum magno ſtudio & cura reconditas opes conſeruare, ac ſic totorum malorum occaſiones ſibi ipſi cuſtodire? Ac diuitias quidem illas labefactari ac perire neceſſe eſt, ſiue ei, qui has adeptus eſt, liberi ſint, ſiue nulli. ipſum autem, vel inuitum ac repugnantem, talem in terram cadere atque diſcedere oportet, qualis erat, cum in hanc lucem prodiit. Ita vacuis manibus abſceſſurus, peccatum ſuum auget, perinde atque hoc nõ cogitans, natiuitati ſimilem vitæ finem ſibi imminere, ſeque inani labore torqueri, atque in quendam potius venti impetũ, quam ſuo ipſius ſtudio inſeruiẽs, totam vitã ſuam in impuriſſimis cupiditatibus, temerariiſque appetitionibus, ac præterea in mœroribus morbiſque conſumit. Atque, vt compendio dicam, huiuſmodi homini, dies, tenebræ ſunt, ac vita, luctus. Quanquam illud minimè reticendum eſt: Dei enim beneficio, homini contingit, vt laboribus ſuis cũ animi oblectatione perfruatur, diuinitus acceptas ac non vi extortas opes poſſidens. Neque enim ille mœroribus affligitur, nec vt plurimum malis & perditis cogitationibus ſeruit: quin potius beneficentiis & largitionibus vitam ſuam metitur, in omnibus rebus animi tranquillitate fruens: atque ob Dei donum, lætitia geſtiens.

Verborum pia fugienda.

Timor Dei.

Similia.

Auaritia inſatiabilitas. — B

Paupertis & diuitis cõparatio.

Iob. 20. *Iob. 1.*

C

CAPVT VI.

Infœlicitas, vt apud homines frequens. — † al. opib. — D

IAm verò fœlicitatem apud homines maximè frequentem atque graſſantem, oratione perſequar: cum nimirum Deus cuipiam, omnia quæ ipſi cordi erant, abunde ſuppeditauerit, nec vlla omnino re, ex omnibus quæ animũ cupiditate tentant, eum ſpoliauerit, non † operibus & facultatibus, non gloria & ſplendore, non reliquis aliis omnibus, quæ mortales ad ſtuporem vſque admirantur: ille autem omnibus rebus circumfluens (quaſi hac vna calamitate diuinus inflicta implicitus teneatur, quod eorum fructu careat) alii ſua aſſeruat, inutilis prolapſus & ſibi & proximis. Hoc ſane argumentum magnum, ſignumq; perſpicuum extremæ cuiuſdam improbitatis eſſe cenſeo. Quin illum quoque hominem, qui plurimorum liberorum pater ſine vlla offenſione nominatur, vitaque in longum producta, benignitate tamen ac deliciis animum tanto tempore non expleuerit, mortis interim periculo haud quaquã facto, hunc equidem nec numeroſæ prolis, nec diuturnitatis vitæ nomine beatum duxerim, imò verò, fœtum è matrerio ventre præmaturè excidentẽ, atque ab ortu egeſtum, ipſi præferendum puto. Illud † enim, vt incaſſum venit, ita clanculũ etiam & cum obliuione diſcedit, non deguſtatis huius vitæ malis, nec ſole proſpecto. Quod quidem leuius eſt, quam quod peruerſo illi, & † profligato homini accidit, qui licet in mille annus vitam ſuam propagarit, vitæ tamen commoda non agnouit. Vtriuſque porrò finis, mors. Cæterum hic maximè ſtultus conuincitur, quod nulla cupiditate ſatietur & expleatur: At prudens & moderatus, his affectibus minimè retinetur. Ferè fit autem, vt vitæ rectitudo & integritas, hominẽ ad paupertatem ducat. Multũ verò de mentis gradu deiiciunt procacium oculorum aſpectus, animam incitantes: ac per inanem videndi cupiditatem, ad inutile ſtudium pertrahentes. Enimuerò ea, quæ nunc facta ſunt, iã cognita ſunt: perſpicuumq; eſt hominẽ iis, quæ ſupra ſe ſitæ, reluctari atq; obſiſtere non poſſe. Cæterũ nugæ & ineptiæ inter homines verſantur, eorum qui iis vtuntur, amentiã augentes.

al. eiectum. — † al. Ille enim. — † al. flagitioſo.

E

Oculorũ procax aſpectus damnoſus.

CAPVT VII.

Curioſitas.

NAm cum nihilo maiorem vtilitatem is percipiat, qui ea, quæ ex animi ſentẽtia ſibi in vita euẽtura ſunt, perſpecta habet, (ſi ogamos id enim), tamen hoc quoque hominum curioſitas cõminiſcitur, vt ea etiam, quæ poſt mortẽ alicuius futura ſunt, anxiè inquirere, ac ſcire videantur. Porrò ſama bona ſuauior eſt animæ, quam oleum corpori: & vitæ exitus, melior natiuitate: atque optabilius & præſtabilius, lugere quam commeſſari: ac morientibus adeſſe, quam vino ſe obruentibus. Sic enim ſe res habet, quod ſi quis hîc vitæ finem nactos fuerit, de his quæ circa ſe ſunt, nec timore nec ſollicitudine afficiatur. Conſimili modo prudens ira riſui præferenda eſt. Seuera enim vultus habitudine, anima ad rectum honeſtumque componitur. Ac ſa[illegible]ntum quidem animæ, triſtitia contrahuntur. Stultorum autem animæ, lætitia elatæ diffunduntur. Atqui multo magis optãdum, ſapientis viri obiurgationem excipere: quam totius chori improborum & miſerorum hominum cantantium auditorem fieri. Stolidorum etenim hominum riſus, ſpinarum multarum vehementi igne ardentium ſonitui, haud abſimilis eſt. Sed profectò grauiſſimum malũ eſt calumnia: hæc enim ſapientum animabus inſidias ſtruit, ac generoſam bonorum virorum conſtantiam, oblectationemq; labefactare molitur. Porrò autem hunc laudibus efferre conuenit, non qui initium, ſed qui dicendi finem facit. Morum enim moderatio laudibus complectenda, non elatio & arrogantia. Inſuper animi furorem ſummo ſtudio frænare & coercere neceſſe eſt, nec promptè & temerè in iram ruere, cui ſtulti ſeruiunt. Erant autem, qui meliorem vitam maioribus noſtris datam eſſe affirmant: nec intelligunt, ſapientiam opum copia longè præſtantiorem eſſe: tantoque clariorem, quanto argentum vmbra ſua ſplendidius apparet. Vita enim hominis, non ex caducarum & fragilium opum collectione & poſſeſſione: verum ex ſapientia prouenit. Quis enim, oro te, tantam tamque benignam Dei prouidentiam verbis conſequi poterit? aut quis ea, quæ ſumma cum ratione à Deo neglecta eſſe videntur, reuocare? Ego verò, minus rectè id quidem faciens, omnia conſideraui: & iuſtum in iuſtitia conſtanter perſtantem, nec ab ea toto vitæ curriculo deſciſcentem, imò etiam propter eam inſidiis pereuntem: & iniuſtum ſimul cum ſcelere ſuo morientem. Illud tamen homini iuſtitia prædito videndum eſt, ne admodum talis eſſe videatur, nec ſupra modum ſapiens: ne ſi qua in te offenderit, multis partibus copioſius peccet. Illud etiam tibi cauendum, ne audax & temerarius ſis: ne alioqui te intempeſtiua & præmatura mors abripiat. Maximum autem bonum, Deum complecti & apprehendere: atq; in eo manẽtem, ab omni peccato abſtinere. Res etenim maculæ omnis expertes, impura manu contrectare, nefarium & execrabile eſt. Qui autem cum Dei timore cedit, ſeq; ſubmittit, aduerſa omnia effugit. Sapientia auxilii in ciuitate plus poteſt, quam potentiſſimorum hominum acies: quæ etiam plerumq; iis, qui ab officio aberrarunt, iuſtè ignoſcit. Nemo enim eſt, qui non interdum labatur. Eſt autem tibi prouidendum, ne ad impiorum ſermones vllo modo accedas: ne maledicta in te iacta tuiſmet auribus hauriens, quemadmodum improbi ſerui † loquacitatem: atq; ex ea te animo † cõmurſus, in multis poſtea actionibus ad regerenda conuitia ipſe quoq; abducaris. Hæc omnia ego noram, ſapientiam à Deo conſecutus: qua deinde admiſſa, iam mei ſimilis eſſe nequibam. Sapientia enim à me in infinitam longitudinem fugit, & in immenſam profunditatem: vt mihi eam arripere vltra

Fama bona. *Prou. 22.* — F

Sapientis obiurgatio.

Calumniæ detrimentum.

Modeſtia.

G

Vita hominis vnde conſtet.

Non plus ſapere, — H — quam oportet ſapere.

† al. nugas. — † commotus.

A

non liceret. Quare ab ea quoque inquirenda omnino abſtinui: iamq; nec in animo habebam, impiorum amentias & vana conſilia, vitamque miſerè palantem conſiderare. Sic autem animo conſtitutus, in hæc deuolutus ſum, ac mortifera cupiditate correptus, mulierem cognoui, hoc eſt, terram quandam, aut ſi quid aliud eſt huiuſmodi. Cor etenim eius, pertranſeuntes mentes, ac ſi vel manum tantum manui connexuerit, non minus ſtrictè retinet, quam ſi vinculis cõſtrictos traheret. Nec verò ab ea aliter liberari queas, quam Deum propitium, ac benigno oculo tuentem, nactus: Nam qui peccati ſeruitute premitur, haud quaquam effugerit. Porro cum per omnes mulieres pudicitiam earum quæſiuiſſem, in nulla reperi. Ac virum quidem pudicitia ornatum, inter mille, fortaſſe perſpexeris, mulierem autem minimè. Illud verò maximè animaduerti, quod homines animis ſimplices à Deo creati, varias cogitationes rationiſque diſcurſus ſibiipſis attrahunt, atque infinitas quæſtiones, ſapientiæque inquiſitionem profitentes, circa dictiunculas tempus terunt.

Mulieris laqueus, & irretitamenta. Eccleſ. 7. Pudicitia. Ibi. Eccl. 7. Hominũ curioſitas.

B

CAPVT VIII.

Sapientia.

SApientia, cum in homine exploratur, domini quoque vultum ſplendore perfundere cernitur: quemadmodũ contra, impudentia, eum in quo domicilium habet, ſtatim vt viſus eſt, odio dignum eſſe coarguit. Regis ſermonibus diligenter aduertere conuenit, ac iuſiurandum omni ratione fugere, idque præſertim, quod in Dei nomen concipitur: interim tamen non æquum fuerit ſermoni malo imminere, verum cauere, ne blaſphemiam vllam in Dominum effundamus. Non enim de eo, pœnam aliquam infligente, queri licebit, nec vnius illius Domini & Regis placitis obſiſtere. Melius autem & conducibilius fuerit, ſacroſanctis mãdatis acquieſcentem, ab improbis ſermonibus remoueri. Cordatus enim vir tempeſtiuum illud iudicium iuſtum fore ſcit atque pernoſcit. Omnes enim vitę humanæ res ſupernum in pœnam manent, verum ſceleratus haud admodum ſcire videtur, quod, cum multa ſuper ſe Dei prouidentia ſit, nihil prorſus in poſterum † latebit. Non enim ſcit, quæ poſtea futura ſunt. Neq; quiſquã eſt, qui aliquid eorum pro dignitate exponere queat: quoniã nemo tantis viribus futurus eſt, vt angelum, animam ipſius extorquentẽ, arcere ac prohibere poſſit, nec ars omnino vlla & aſtutia inuenietur, quę mortis tempus repellat, ac velut exceptione ſubmoueat: verum quemadmodum in medio bello captis, fuga omnis vndique præcluſa perſpicitur, atque omnis hominis impietas ſimul perit. Enimuerò quoties cõtemplor, quæ & quanta mortales in proximorum perniciem ſtudioſè excogitarunt, totus obſtupeſco. Illud quidem compertum habeo, prius quoque ex hac vita abripi impios, ac de medio tolli, eo quod vanitati ſeipſos dediderunt. Quoniam enim Dei prouidentia propter ſummam æquanimitatem & clementiam, haudquaquam omnes confeſtim perſequitur: nec malus ſtatim poſt admiſſa flagitia pœnis afficitur, ob eam cauſam ſibi fas eſſe putat vir ſceleſtus diutius peccare, quaſi innoxius diſceſſurus: illud videlicet non intelligens, quod etiam poſt longum à perpetrato ſcelere tẽpus, Dei ſcientiam non effugiet. Illud verò præſtantiſſimum bonum, pio Dei timore præditum eſſe, à quo, cum impius exciderit, haud diu ſtultitia ſua abutetur. Peſſima autem & falſa opinio per homines plerumque graſſatur, tum de iuſtis, tum de ſceleratis. De vtriſque enim contraria exiſtimant. Nam & qui iuſtitia præditus eſt, non talis habitus eſt, & rurſus impius, cordati viri opinionem tulit: quem quidem errorem, in primis grauem & pernicioſum eſſe ſtatuo. Quin etiam aliquando ſummum bonum in cibo & potu ſitum eſſe iudicaui: eumque Deo chariſſimum, qui toto vitæ ſpatio, his, quam maximè fieri poteſt, frueretur: atque huiuſmodi † cupiditatem, vnicum vitæ ſolatium arbitratus ſum. Ac proinde in nullam aliam rem, quam in hanc opinionem incumbebam, vt nec noctu nec interdiu quidquam eorum, quę ad luxum à mortalibus inuenta ſunt mihi interdicerem, ab eoque me abducerem. Cæterum hoc cognoui, quod quiſquis ſe his rebus inquinauerit, ne quantulibet quidem longo labore, verum bonum vnquam reperiet.

Iuſiurandum fugiendum. C † al. obſcurum erit. al. eripientem. Mors, nulla arte repellitur. Diuina prouidentia atque clementia. D Iudicia hominum præpoſtera. † al. hilaritatem. Deliciarũ pernicies.

E

CAPVT IX.

TVm enim homines omnes iiſdem rebus dignos habitos eſſe putabam. Ac ſi quis ſapiens iuſtitiam ſtudioſè coluiſſet, atque ab iniuſtitia receſſiſſet: animiq; dexteritate & facilitate, omnium odium fugiſſet, (quod quidem Deo gratũ eſt) hic mihi inanem labore † haurire videbatur. Denique vnum eundemque finem eſſe arbitrabar iuſti & iniuſti, boni & mali, puri & impuri, Deo ſupplicantis, minimeque ſupplicantis. Nam cum iniuſtus, & probus, peierator, & iuſiurandum omne fugiens, ad eundem finem ſpe atque opinione mea contenderent, ſubibat ſiniſtra quædam cogitatio, omnes in eadem deſinere. Nunc verò perſpectum habeo, ſtultorum eſſe has cogitationes, ac fraudes & impoſturas. Ac multis verbis illud occinunt, eum qui mortem obiit, penitus interire: ac viuentem, etiamſi tenebris obſitus iaceat, mortuo præferendum eſſe. Etenim eos, qui vita fruuntur, hoc ſaltem ſcire, quod morituri ſint: eos autem, qui vita functi ſunt, nihil prorſus cognoſcere. Præmia porrò pœnasque nullas poſt expletum vitæ curſum proponi. Odium inſuper & beneuolentiam erga eos, qui vitam cum morte cõmutarunt, finem habere. Eorum enim tum inuidiam, atq; æmulationem defeciſſe, tum vitam obſcuratam atque extinctam eſſe. Poſtremò nullius rei eum participem eſſe, qui ſemel ex hac vita migrarit. Hæc, error accinens, huiuſmodi quoque conſilium porrigit: Heus tu, quid facis, ac non delicijs indulges? nec omnis generis edulijs ingurgitaris; vinoque te immodice exples? An non intelligis, tibi hæc diuino munere concedi, vt arbitrio tuo ac ſine impedimento fruaris? Quin in veſtem recens ſordibus deterſam induis, capiteque delibuto hanc atque illam mulierem cernis, vanamq; vitam vane tranſigis? Nihil enim præter hæc tibi reliquum eſt, nec in hac vita, neque poſt mortem. Facito igitur, quæ temere & vltrò occurrunt. Neque enim rationem horum quiſquam à te exiget: nec hominum facta, niſi apud homines, vllo modo cognoſcuntur. Orcus autem, quicunq; tandem ille eſt, ad quem abire dicimur, ſapientiæ & ſenſus eſt expers. Atque hæc vani homines loquuntur. Ego verò certũ habeo, nec eos qui pedum leuitate præſtare videntur, magnum illum curſum peracturos: nec eos, qui potentes & formidabiles apud homines habiti fuerint, bellum illud formidabile confecturos. Nec verò prudentia in ciborum copia exploratur, nec ſagacitas quidquam commune habere cum opibus conſueuit. Nec iis gratulandum puto, qui omnes ad eadem peruenturos eſſe arbitrantur. Graui enim ſopore oppreſſi mihi videntur, qui res huiuſmodi cogitant, nec ſecum reputant fore, vt piſcium inſtar atque auium abrepti in malis verſentur, ac ſubitò pro ſcelerum merito pœnas luant. At enimuero ſapientiam tanti facio atque æſtimo, vt paruam etiam ciuitatem à paucis habitatam, atque adeò à magno Rege cum exercitu circumſeſſam, magnam & frequentem exiſtimem: ſi vel pauperem vnum ſapientem virum ciuem habeat. Hic enim, tum ab hoſtium impetu, tum à circumuallationibus & oppugnationibus ciuitatem ſuam incolumem † tueri poterit. Et quamuis alii pauperem illum ſapientem non agnoſcant, ego tamen ſapientiæ vires, populari huic potentiæ longè antepono. Verum hîc quidem iacet & contemnitur ſapientia, quæ cum paupertate coniuncta eſt: cæterum poſtea audietur, altiorem vocem edens, quam principes & tyranni, malorum cupiditate flagrantes. Sapientia enim ferro etiam ipſo fortior eſt: ſtultitia autem vnius, multis periculum accerſit, etiamſi multis leuis & contemptibilis ſit.

† al. ſuſcipere. Atheorũ & impiorum errores. F Sic impii hæretici ſentiunt, qui impiè ſublatas pro defunctis preces volunt. Infernus. G Prudentia. Sapientiæ vis atque effectus. † Sicut fecit Archimedes Syracuſanus. H Sapientiæ robur.

CAPVT X.

NAm muſcæ in vnguentum prolapſæ & ſuffocatæ, indecorum ſuauiſsimi liquoris aſpectum & vnctionem reddunt: ſapientiæ autem & ſtultitiæ ſimul meminiſſe, nihil conuenit. Sapiens quippe ad res dextras & honeſtas ſibi ipſi dux eſt: ſtultus autem ad læuas propendet, nec vnquam ad res præclaras duce ſtultitia vtetur. Quin ipſius quoque cogitationes vanæ ſunt, ſtultitia oppletę. Quod ſi te ô amice,

Sapientis & ſtulti comparatio.

ſpiritus

A

† al. adorsus fuerit.

ſpiritus hoſtilis aliquando † odoratus fuerit, forti animo tolle, ſciens Deum vel ingentem peccatorum multitudinem benignitate ſua condonare poſſe. Tyranni autem, patriſque omnis malitiæ, hæc opera fuerint, ſtultum quidem in ſublime attolli; prudentiæ autem opibus affluentem, deprimi: & peccatorum quidem ſeruos, equis vectos, ſacroſanctos

al. modeſte.

vero homines, pedibus iter honeſte facientes, conſpici, improbis exultantibus. Quod ſi quis alteri inſidias moliatur, imprudens ſibi ipſi primo & ſoli inſidias ſtruit. Qui autem alterius ſecuritatem euertit, in ſerpentis morſum prolabetur. Quin is etiam, qui lapides euehit, laborem haud paruum ſuſferet, & qui ligna conſcindit, in † ſuimet armis periculum feret. Quod ſi forte ſecuris è manubrio exilierit, conturbabitur qui huic operi incumbit, * † haud quaquam fauſte comportans, ſuáſque iniuſtas & breui perituras opes ipſi adaugens. Eſt vero morſus ſerpentis furtiuus ac clandeſtinus, & nihil ſolatij afferent incantatores, vani enim ſunt. Enimuero bonus vir, tum ſibi, tum proximis bona operatur: contra, ſtultus inepta ſua loquacitate in perniciem ruet. Cum ſemel os aperuerit, ſtulte orditur, & ſtatim dicendi finem facit, ſtoliditatem ſuam vbius oſtendens. Fieri autem minime poteſt, vt homo, ea, quæ à principio fuerunt, aut poſtea futura ſunt, cognoſcat, & ab homine diſcat. Quis enim erit, qui aperiat t Humo, qui in bonam ciuitatem proficiſci neſcit, & oculis & toto vultu affligatur. Huic autem ciuitati mala prænuncia, cuius & rex adoleſcens eſt, & principes helluones. Contra, bonam illam terram beatam prædico, cuius filius liberi regnum tenet: vbi tempeſtiue bonis fruuntur, qui illic præfecturis & dignitatibus ornati ſunt. Piger & ignauus domum minuunt, deſſores & ſcurræ facti, atque ad ingloriem ſuam rebus omnibus abutentes, argento ductiles, exigui precij cauſa turpiter & abiecte quiduis facere ſuſtinentes. Regi autem & præfectis, aut principibus audientem eſſe conuenit, ac non ipſis in offenſam venire, nec moleſtum vllum verbum in eos proijcere. Periculum enim eſt, ne id etiam quod per ſolitudinem atque occulte dictum fuerit, in lucem forte veniat. Etenim ſoli & diuiti & magno Regi nuncij celeres & pennati omnia proferunt, ſpirituali ſimul & rationali miniſterio fungentes.

† al. in ſuimet inſtrumentis.

† al. & non ſapientia eſt viro, quæ non ad bonū colligit. & ſuas

B

ipſe iniuſtas ac cito perituras opes adauget.

† al. prænuncio.

Eccleſ. 10.

Regibus, & præfectis obediendum, & nō detrahendum.

C

C A P V T XI.

Eleemoſynæ commendatio, ac fructus.

IVſtum eſt autem egenti panem, & ea, quæ ad vitam tuendam neceſſaria ſunt, impertiri. Quamuis enim id ſtatim perdidiſſe quibuſdam videaris, quemadmodum ſi panem in aquam coniecilles: tamen progreſſu temporis nequaquam infrugifera tibi apparebit beneficentia. Quin liberaliter quoque elargire, pluribuſque tuas facultates diuide: non enim tibi notum eſt, quid tandem poſtera dies efficiet. Nam neque nubes copioſam ſuam pluuiam retinent, ſed imbrem in terram fundunt: nec arbor perpetuo ſtat, verum etiam ſi homines ei pepercerint, à vento certe conuelletur. Iam multi, quæ à cœlo euentura ſint, præſcire geſtiunt; nec deeſt, qui in nubes intuens ventumque expectans, à meſſe aut ventilatione abſtinuerit, te inani conſilio & perſuaſus; nec eorum, quæ diuitoribus futura ſunt, quidquam cognoſcens; quemadmodum nec quid mulier prægnans paritura ſit. Cum autem ſementem tempeſtiue feceris, fructus collige, atque comporta, cum huius rei tempus aduenerit. Incertum eſt enim, quænam ex his quæ conſita ſunt, meliora futura ſint. Vnoam autem omnia † bona ſuccedant. Atenimuero cum quiſpiam animo reputat, quod & Sol pulcher, & ſuauis hæc vita, & bonum, longa tempora in perpetuis voluptatibus explere; & res formidoloſa mors, malumque ſempiternum, atque in nihilum ducens: faciendum ſibi cenſet, vt præſentibus vitæ commodis, ſpeciemque iucunditatis habentibus perfruatur. Atque etiam iuuenes admonet, vt ætatis flore abutantur, animas ſuas in omnem voluptatem laxantes, cupiditatibuſque obſequantur; atque & quæ ipſis viſa fuerint, faciant; & quæ oblectationem afferunt, ſpectent, & quæ aliter ſe habent, auerſentur. Ad quem hoc tantum dixerim: Parum ſanæ mentis es, ô homo, qui Dei iudicium hæc

Prou. 27.

In Aſtrologos.

D

† al. bene ſuccedant.

Diuinum iudicium.

omnia vindicaturum non expectas. Sed & flagitioſa eſt comeſſatio, & impura corporum noſtrorum contumelia pernicioſa: Iuuentutis enim aſſecla eſt ſtultitia: ſtultitia autem ad exitium ducit.

E

Eccl. 21.

C A P V T XII.

OPeræpretium autem eſt, dum iuuenili adhuc ætate flores, Dei amore affici, priuſquam malitiæ ipſum tradas, priuſquam veniat dies Domini magnus & formidoloſum, cum iam nec ſol ſplendorem edet, nec Luna, nec reliqua ſidera: verum ſupernæ virtutes in illa rerum omnium tempeſtate atque tumultu mouebuntur, hoc eſt, angeli orbis cuſtodes, vt & viri præpotentes conquieſcant, & mulieres operandi finem faciant, in obſcuras & caliginoſas ædium partes fugientes, ianuis omnibus clauſis; ac mulier quædam, molæ operam dare ob metum deſinens, perexili voce, inſtar tenuiſſimæ auiculæ, vtetur; atque omnes nefariæ molieres in terram corruent, & vrbes, & earum magiſtratus immanes, & ſanguinarij ſupernum ſupplicium expectantes, ingruente acerbiſſimo & cruento tempore, quaſi florente amygdala, continuiſque pœnis incumbentibus, velut numeroſo quodam volantium locuſtarum agmine, ac de medio eiectis & ſublatis flagitioſis hominibus, haud ſecus ac nigra quadam & † diſplicabili capparide. Ac vir quidem probitate clarus, in domum ſuam ſempiternam lætus proficiſcetur: improbi autem ſua omnia planctibus implebunt, nec iam argentum reconditum, nec aurum probum vtilitatis quidquam habiturum eſt. Magna etiam plaga omnia occupabit, ad hydriam etiam vſque ad fontem aliquem ſtantem, & rotam vehiculi, quam in ciſternæ concauitate relictam eſſe contigerit, hoc † nimirum ablutionem ferente ſæculo, & circumuolutionis & eius vitæ, quæ per aquam comparatur, tempus prætergreſſo. Hominibus porro in terra iacentibus hæc vna ſalutis ratio eſt, vt eorum animæ eum agnoſcant, atque ad eum conuolent, à quo creatæ ſunt. Itaque vt ea, quæ prius dixi, repetam, admodum vane mortales affecti ſunt; tantaque eſt rerum, quæ ab illis excogitantur, vanitas, vt ad earum magnitudinem accedere nihil omnino poſſit. Ac mihi quoque Inanis & ſuperuacaneus labor ſuſcipitur, ſapientes & erudite concionanti: quippe qui populum hunc docere aggrediar, ita miſere perditeque affectum, vt nec doctrinam nec curationem admittat. Opus eſt autem viro forti & generoſo, ad hoc vt ſapientiæ ſermones intellectu aſſequi queat. Ego vero iam grandis natu, longumque vitæ ſpatium emenſus, in ijs, quæ Deo grata & accepta ſunt, per veritatis myſteria, exquirendis, animum defatigaui. Illud autem exploratum habeo, animos non minus extimulari ſapientum præceptis, quam ſolent corpora, ſtimulo aut clauo confixa & perforata. Nonnulli autem ſapientiſſima illa documenta à bono vno paſtore & magiſtro accepta, quaſi ex vno ore omnes atque inter ſe concordes dabunt, creditam ſibi doctrinam copioſius & ornatius exponentes. Cæterum verborum multorum nulla eſt vtilitas: nec tibi, vir amice, auctor fuero, vt ea, quæ minus conuenit, inutili opera conſcribas, ex quibus præter inanem laborem nihil commodi percipiatur. Reliquum iam eſt, vt huiuſmodi quodam Epilogo vtar: O homines, en vobis aperte breuiterque denuncio, vt Deum omnium Dominum & inſpectorem timeatis, eiuſque præcepta ſeruetis; vobiſque perſuadetis, omnia poſtea iudicium ſubitura; atque vnumquemque operum ſuorum, iam bonorum quam malorum, mercedem pro meritis accepturum.

Dies iudicij extremi formidoloſus.

† al. impudicæ.

F

† al. deſpicabili.

† τῆς ἀνακυκλώσεως.

G

Sapientum præcepta, loco ſtimuli habēda.

H

Epilogus Eccleſiaſtis.

A

CENSVRA GERARDI VOSSII CIRCA HANC METAPHRASIM, ET

aſſertio eiuſdem, quod ſit S. Gregorii Epiſcopi Neocæſarienſis, cognomento Thaumaturgi, & nullius alterius.

QVin Metaphraſticum hoc opus vere γνήσιον atque germanum ſit huius Auctoris noſtri S. Gregorij Epiſcopi Neocæſarienſis Ponti cognomento (à variorum miraculorum editione) Thaumaturgi, inficias ibit nemo, qui veterum ſuper hoc ſanctorum Patrum teſtimonia legerit atque examinauerit, conformiter aſſerentium, Metaphraſim ab hoc Auctore noſtro in Eccleſiaſten conſcriptam eſſe. Teſtis in primis eſt Euſebius Cæſarienſis in Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 25. vbi inter alia de eo ſic ſcribit: Sed & ingenij ſui nobis in paruo maxima monumenta reliquit. In Eccleſiaſten namq; Metaphraſim idem Gregorius magnificentiſſime ſcripſit, & catholicæ fidei expoſitionem breuiter editam reliquit, &c.] *agit autem de S. Gregorio Neocæſarienſi. De quo & S. Hier. in Catalogo ſcriptorum Eccl. ſic affirmat, dicens:* Scripſit & μετάφρασιν in Eccleſiaſten, breuem quidem, ſed valde vtilem, &c.] *Sed ad rem noſtram multo accommodatius atq; efficacius de hoc alibi idem Hier. teſtatum reliquit, omnemq; dubitationis anſam nobis exemit, atq; hoc opus vere ſuo Auctori aſſeruit, vbi hunc locum Eccleſiaſtæ, cap. 4.* Melior eſt puer pauper, &c. *explicans, de eo ſic ſcribit:* Vir ſanctus (*inquiens*) Gregorius Ponti Epiſcopus, in Metaphraſi Eccleſiaſtæ ita hunc locum intellexit: Ego vero intelligo adoleſcentulum pauperem & ſapientem, Rege ſene meliorem & ſtulto; cui nunquam venit in mentem, quod poſſibile ſit, quemquam de his, quos vinxerat, ad regnum exire de carcere, & ſeipſum de iniqua deinceps poteſtate ſua corruere. Euenit enim interdum, vt hi qui ſub adoleſcentulo ſapiente fuerint, abſque mœrore ſint: ita tamen vt ſub ſene rege ante verſati ſint. Qui enim poſtea nati ſunt, quia mala præterita neſcierunt, nec adoleſcentulum laudare poſſunt, qui poſtea conſurrexit, abductus opinione peruerſa, & impetu ſpiritus aduerſantis, &c.]

B

C

Quæ ille ex hoc noſtro Gregorio Thaumaturgo tranſtulit. Et habentur hæc ipſa quarto capite huius Metaphraſis. Vnde liquido conſtat, verum illius Auctorem Gregorium Neocæſarienſem eſſe, & non alium: ſicut etiam recte affirmat cum alijs, Haymo Epiſcopus Halberſtatenſis lib. 7. c. 8. de Chriſtianarum rerum memoria agens. Quod porro eruditus Billius Abbas (qui hanc è græco latinam Metaphraſim reddidit) eam Gregorij Nazianzeni operibus, tanquam illius propriam attexuerit, partim communi nomine in cauſa fuit, & partim quod ſub Nazianzeni nomine inter eius opera, in Regia Galliæ Bibliotheca reperta ſit: tametſi nec ipſe diſſimulatur, tempus tum conſiderans, & rationibus acquieſcens, hanc Gregorio Neocæſarienſi plane, & non Nazianzeno tribuendam Metaphraſim eſſe. In veterum autem monumentis idem quandoq; opus pluribus attribui, partim temporum quæ poſtea ſecuta ſunt, infelicitati, & partim librariorum ac Notariorum incuriæ atq; inſcitiæ adſcribendum id videtur. Cuius rei plura in alijs diligenti Lectori exempla facile occurrent. Quemadmodum & græca S. Baſilij in pſalmos præfatio, cum latina Auguſtini præfatione prorſus eadem reperitur, forte Notariorum errore, à quibus ille Auguſtinus in Pſalmos tractatus exceptus dicitur. Eſt quoque alia eiuſdem Baſilij, ſiue, vt alijs magis placet, Euſtathij Sebaſtienſis, in Aſceticis, homilia de ſpirituali militia, quæ & in Chryſoſtomi operib., Tomo 5. habetur. Quin & ſermones nonnulli, qui S. Leonis magni nomine editi circumferuntur, totidem verbis etiam apud S. Auguſtinum extant, cuiuſmodi ſunt: ſermo S. Leonis Octauus de Epiphania Domini, qui eſt inter ſermones S. Auguſtini de tempore, nu. 33. & ſermo quintus de Quadrageſima S. Leonis qui etiam habetur inter ſermones S. Auguſtini de tempore, num. 63. cum tamen ſolius ſint Leonis, & nequaquam Auguſtini, cuius operibus ab imperitis librarijs inſerti ſunt. Quibus accedit & de Abſalone ſermo, qui in aliquibus manuſcriptis tam Romanis, Vatican. ac Bibliot. S. Petri, quam Mediceis Florentinis, inter Leonis opera ſub illius quoq; nomine latine inuenitur, cum tamen germanus S. Ioannis Chryſoſtomi ſit fœtus, inter cuius opera græce & latine etiam reperitur, ſicut & in Leonina noſtra recognitione plenius & accuratius demonſtrauimus. Plura eiuſmodi in alijs deprehendet, qui antiquorum monumenta diligentius peruoluerit.

D

E

EIVSDEM SANCTI GREGORII THAVMATVRGI IN ORIGENEM PROSphonetica ac panegyrica oratio: quam Cæſareæ Palæſtinæ poſt multorum annorum apud illum diſciplinam, dixit, cum in patriam reditum pararet.

ARGVMENTVM G. VOSSII.

F

HVius Orationis S. Hieronymus meminit in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum in Theodoro, vbi de illo, & hac eius Oratione ſic ſcribit: Theodorus, qui poſtea Gregorius appellatus eſt, Neocæſareæ Ponti Epiſcopus, admodum adoleſcens, ob ſtudia Græcarum & Latinarum litterarum, de Cappadocia Berytum, & inde Cæſaream Palæſtinæ tranſijt, iuncto ſibi fratre Athenodoro: quorum cum egregiam indolem vidiſſet Origenes, eos ad philoſophiam cohortatus eſt, in qua paulatim Chriſti fidem ſubintroducens, ſui quoque Sectatores reddidit. Quinquennio itaque eruditi ab eo, remittuntur ad matrem: è quibus Theodorus proficiſcens, [illegible] ſcripſit Origeni, & conuocata grandi frequentia, ipſo quoque Origene præſente recitauit, qui vſque hodie extat, &c.] *Et hæc ibi de illo S. Hieronymus. Eſt vero hæc Oratio eximiæ ac ſingularis gratitudinis ſymbolum, docta & perelegans, non modo adoleſcente ac iuuene, ſed & viro prouecto digniſſima, omnique ſcientiarum genere pleniſſima, ſicut legentibus patebit.*

G

PRæclara quædam res eſt ſilentium, tum alijs plerumq; permultis, tum mihi nunc vel maxime, qui volens noleníq; clauſum os habeo, & tacere cogor. Inexercitatus enim ſum ac plane rudis ſermonum illorum elegantium atque oratorum; qui ſelectis, probatiſque nominibus ac verbis, perpetuo quodam & inoffenſo ductu pronunciantur aut componuntur, fortaſſe à natura ipſa ad venuſtũ hoc, & vere Græcanicum opus elaborandum minus comparatus. Sed & octauus iam annus eſt, ex quo nec breuem, longamve orationem vllam habui ipſe, aut ſcripſi; nec alium audiui quenquam vel priuatim ſcribentem, dicentemve, vel publice panegyricos ſermones, controuerſiaſq; declamantem, præter hoſce admirabiles viros, qui pulchram philoſophiam amplexi ſunt: quibus ſcilicet elocutionis elegantiæque verborum cura minor eſt; poſtpoſitis autem vocibus, res ipſas, vt ſe habent, accurate ſingulas inueſtigare & enuntiare volunt: non quod alterum illud nolint, opinor, quin volunt quam maxime præclaras, & accuratas cogitationes ſuas præclaro & omnis mendacij experte ſermone exprimere: ſed quod fortaſſe non poſſint, nec adeo ſit in promptu, hinc ſacram ac diuinam facultatem proprijs explicare ſententijs, hinc orationem verbis comptã atq; concinnam adferre; & quæ duorum hominum propria cuiuſq; eſt prærogatiua, vna & eadẽ, eaq; parua & humana mente cõplecti: præſertim cum vtriuſq; diſpar ac penitus contraria ſit ratio. Cogitationi ſiquidem, inuentioniq; rerum amicũ quodammodo, & conſors operis eſt ſilentium: dicendi vero facultatem, & pronunciationis dignitatem haud alibi reperias, quam in verbis, verborumq; aſſidua meditatione ac vſu. Quin etiã & alia quædam mentẽ diſciplina vehementer occupat, & os linguam plane conſtringit, ſi vel exiguum quippiam Græca voce eloqui velim: mirificæ nimirum leges noſtræ, quibus omnium nunc, qui Romanorũ imperio parent, res gubernantur: quæ quidẽ neq; condũtur, neq; percipiuntur ſine labore ac moleſtia. & ſapientes quidem illæ, piæq; ſunt & variæ, & ſuſpiciendæ, atq; vt vno verbo dicã, Græciſſimæ: cæterum Romano expoſitæ, traditæque ſermone, admirabili ſane atq; magnifico, & ad imperij maieſtatẽ conformato, ſed mihi graui nihilo

H

Ab octo annis facultatem oratoriam intermiſit.

Philoſophi ornatum orationis non curãt.

A minus ſed facili. non enim aliter ſentire aut poſſe aut velle me vnquam dixerim. Cum autem aliud nihil ſint voces noſtræ, quam imagines quædam animi noſtri conceptuum ac notionum, ijs quidem, qui dicendi facultate valent, tanquam pictoribus quibuſdam & arte peritiſſimis, & colorum copia inſtructiſſimis, non ſimiles modo, ſed varias etiam, & ad ſpeciem crebra florum admiſtione pulcherrimas pingere licere ſine vllo impedimento, confitendum eſt.

Nos vero, quaſi pauperes quidam, varijs huiuſmodi fucis carentes, & qui vel nunquam eos in poteſtate noſtra habuerimus, vel eos fortaſſe abiecerimus, tanquam ſolis carbonibus aut teſtulis vſitatorum, communiumque nominum ac verborum, prima animi noſtri ſenſa, ijs, quæ ſuppetunt, vocibus depingentes effingimus, typorum animi characteres, ſi non claros, nec ad ſpeciem ornatos, at quemadmodum in carbonum pictura fieri ſolet, quoquo modo repræſentare conantes, ſi quid vſpiam venuſtum ac diſertum ſe offerat, ſponte noſtra, vt qui hæc aſpernemur, reijcientes.

ἐν σκιαγραφίᾳ.

B Verum & tertium quiddam rurſum aliud eſt, quod impedit, & auocat, & multo magis, quam cætera, nos retinet, ſilentioque vti iubet, argumentum nempe ipſum, de quo dicere audebam quidem, ſed cunctari nunc cogor, & hæreo. De viro enim dicere inſtitui, qui homo quidem eſſe videtur, & talis apparet, ijs vero, qui magnitudinem eius habitus, moreſque intueri poſſunt, maioribus quibuſdam ornamentis inſtructus ac prope diuinis videatur. Nec vero genus, aut corporis educationem laudaturus venio, atque horum cauſa cunctari ac moras nectere præ metu incipio: nec robur itidem, aut pulchritudinem. hæc enim poetarum ſunt encomia, quæ vtrum pro dignitate dicantur, an ſecus, minime laborandum. Rerum quippe non ſtabilium, nec permanentium, ſed corruptibilium, varijſq; modis & cito pereuntium rationem ducere, tanquã in re graui, ac digna, pertimeſcendo aut ſubterfugiendo, frigidum ſcilicet ac futile videretur: mihique ſi quid horum ad dicendum propoſitum eſſet, inutilium & inanium, & qualia ouinquam dicere inſtituerem,

C ſed ſi quid tamen propoſitum eſſet eiuſmodi, nec formidinem vllam haberet oratio, neq; vererer, ne quid vſpiam dicens infra dignitatem eloquij viderer. Nunc vero quod in eo eſt vel prope diuinum, vel Deo quam ſimillimum, incluſum quidem hoc aſpectabili ac mortali, ſed ad Dei ſimilitudinem ſtudioſiſſime contendens: huius ego mentionem facere, & res maiores attingere parans, Deoq; propterea gratias agere, quod hunc mihi virum nanciſci conceſſum ſit, ſupra omnem eſt hominum cogitationem atq; expectationẽ, tum aliorum, tum meam certe, qui nec talia vnquam mihi propoſui, nec ſane ſperaui. Quare cum hæc paruus, & nullo ingenio præditus aggrediar, non immerito cunctor ac timeo, & ſilere potius malo. Et vero ſilere mihi tutiſſimum videbatur, ne gratiarum actionis prætextu, præcipiti forſan facilitate de grauibus, ſacrisque minime grauia, ſed humilia atq; protrita dicendo, non ſolum veritatem non aſſequar, ſed aliquid etiam, quod in me eſt, detraham apud eos, qui rem ſic ſe habere credent, cum infirma oratio contumeliam potius inferens, quam opera facultate adæquans, effingeret.

Apoſtrophe ad Origenem.

D At tua quidem omnia nec minui poſſunt, nec contumeliam pati, ò carum caput; vel diuina potius, quæ in ſeipſis, qualia ſunt, immota permanent, nihilq; ab humili & indigna oratione noſtra labefactantur. Nos vero, neſcio quo pacto audaciæ, temeritatiſque notam declinare poſſumus, qui præ amentia, tenui & ingenio & apparatu res magnas, ac captum noſtrum exce dentes adoriamur. Quod ſi alibi fortaſſe, & apud alios, ſimile quidpiam iuuenili iactantia cœpiſſemus, audaces vtique ac petulantes videremur; ſed tamen impudentiæ tribuenda temeritas non eſſet, quod non coram te talia auderemus. Nunc autem omnem amentiæ modum implebimus, aut iam etiam impleuimus, qui illotis, quod aiunt, pedibus ad aures introire auſi ſimus, in quibus † diuinum ipſum verbum, non tectis, vt apud vulg. hominum aures, pedibus tanquam ſub craſſis quibuſdam ænigmaticarum, tectarumque vocum pellibus, ſed nudis, vt dicat quiſpiam, manifeſtum & perſpicuum incedens obambulat: & nos, velut ſordes ac cœnum quoddam, mortalia hæc verba noſtra inferre, atque in aures diuinas, puriſque vocibus audiendis aſſuetas infundere audemus. Satis ergo

Quo præſente habita eſt oratio.

Prouerb.
† αὐτὸς ὁ θεῖος λόγος

ſit, hucuſque peccaſſe, vel nunc tandem ſapere incipiendum eſt, nec oratione longius producta, hic deſinendum, vellem equidem: verum pudoris fines ſemel egreſſo liceat cauſam prius dicere, qua ductus in certamen huc veni; ſi qua mihi forſan temeritatis huius venia concedatur. Dura mihi grauiſque res, ingratitudo videtur, grauis inquam, & grauis vſquequaque. Eum enim qui beneficio affectus ſit, ſi aliter non poteſt agendis ſaltem verbo gratijs rependere non conari, aut mente capti, & ſenſum beneficiorum non habentis eſt hominis, aut immemoris: cui vero & ſenſus, & cognitio eſt beneficiorum, niſi in memoriam conſeruet in poſterum niſi gratiam etiam aliquo modo referat bonorum auctori, iners ille eſt, & ingratus, ac impius, eius criminis reus, quod nec magnus, nec paruus ignoſcat: quippe qui, ſiquidem magnus eſt, & magnificus, magna eius beneficia in ore, cum omni gratiarum actione atque honore non gerat: ſin paruus, & deſpicabilis, non omni tamen ſtudio laudet ac celebret, non magnorum tantum, ſed paruorum etiam munerum largitorem.

E

Grati animi ſtudio ad dicendum incitatur.

contra ingratos.

F Et à magnis quidem, animique facultate præſtantibus, tanquam ex maiore opum copia, magniſque diuitijs, maiores atque illuſtriores benefactoribus laudes pro viribus reddi neceſſe eſt: paruos autem, & in anguſto conſtitutos, nec ipſos negligere, aut ſegniores eſſe conuenit, nec animis cadere, quaſi nihil dignum perfectumque afferre poſſint: ſed velut pauperes quidem, at tamen gratos, non eius, quem honorant, ſed ſuam facultatem metientes, ex præſenti commoditate honores deferre; gratos illos fortaſſe, & iucundos ei qui honoratur, nec inferiore apud eum loco, quam ſi magna quæque ac multa offerrentur, futuros; ſi maiore cum alacritate, ſynceroque & integro animo deferantur. Sic enim in ſacris litteris legere eſt, priuatam quandam & pauperem fœminam, vna cum diuitibus & potentibus, qui ex facultatib. ſuis magna & opima offerebant, ſolam quidem parua & minima, ſed omnia tamen, quæ habebat, contuliſſe, & maioris muneris teſtimonium laudemque retuliſſe.

Luc. 21.

G Non enim externæ, opinor, rei quæ data eſt, quantitate, ſed ipſo offerentis animo ac propoſito æſtimandam muneris dignitatem, magnificentiamque diuinæ litteræ cenſuerunt. Non igitur omnino refugere nos oportet, inani metu, ne gratiæ cum beneficijs non adæquentur: ſed contra potius audere, atque omnia conari, vt ſi non pares, quos ſaltem poſſumus honores rependamus, quod ſi forte non omnino rem aſſequatur, partem certe aliquam pertingat oratio, atque omnimodam ingrati animi labem deuitet. Improbum enim reuera eſt pertinax ſilentium, plauſibili quodam velo tectum, quaſi nequeat quicquam pro dignitate pronunciari: ingenui autem, probique ſemper eſt animi, referendæ gratiæ conatus, quamuis infra merita ſit facultas eius, qui gratiam refert. Neque enim ſi pro dignitate dicere non poſſim, propterea ſilebo: ſed vbi omnia quæ poſſum præſtitero, iure gloriabor. Eſto itaque mea hæc oratio chariſteria, hoc eſt, gratiarum actionis: erga Deum ſane vniuerſorum, dicere non auſim. Etenim ab illo quidem omnia nobis bonorum initia ſunt; ab eo nos agendarum gratiarum, & hymnorum, ac laudum primordia docere oportet.

Deo par gratia reddi non poteſt.

H Sed ne ſi quidem me totum, non qualis nunc ſum, profanus & impurus, & tetro atque immundo malo conſperſus & permiſtus; ſed nudum ac puriſſimum, clariſſimumque & ſynceriſſimum, & ab omni labe alienum: nec ſi totum, inquam, nudum me velut recens natum offeram, dignum à me tamen vllum in precium & compenſationem, omnium principi & auctori munus attulerim: quem nec priuatim ſinguli, nec ſimul vniuerſi, non ſi in vnum, idemque pura omnia coaleſcant, & à ſe ipſis diſcedentia, ad eum tota conuertantur, vno ſpiritu, vnoque & conſono ſenſu coniuncta, digne vnquam venerari ac laudare queant. Quod enim de Deo homo quiſpiam recte cogitare, ac perfecte (ſi dici fas ſit) loqui pro dignitate poſſit, pro hac ipſa facultate, qua ornatus eſt, quam non ab alio vllo, ſed ab ipſomet accepit; nihil vtique aliunde habere poteſt maius, quod ad gratiarum actionem retribuat.

Probatio eius quod ante dixit, Deo gratias referri non poſſe.

Sed nos laudationes quidem & hymnos in omnium Regem & moderatorem, perennem fontem omnium bonorum, ei, qui & in hoc ipſo infirmitatem noſtram ſanat, &

Deum digne landa-

quod

A

vtique affini, ſed multo magis ſorori; ne aut minus decenter, aut minus libenter viam iniret: domeſticis ipſis & cognatis hortantibus, & non exiguum aliud quoddam operæprecium fore contendentibus, ſi ad Berytiorum vrbem, legum illic ſtudia peracturi veniremus. Omnia ergo nos inuitabant, tum erga ſororem officium; tum noſtra ipſorum diſciplina: adhæc, miles ipſe, quando huius quoque facienda eſt mentio, facultatem ferens plurium, quam opus erat, publicorum vehiculorum, & maioris numeri ſymbola, quam pro ſola ſorore. Atque hæc quidem in aperto, arcana autem, ſed veriora: communicatio cum hoc viro, vera verbi per ipſum cognitio & doctrina, animarum noſtrarum vtilitas; ad ſalutem nos cæcutientes quidem & ignaros, ſed tamen ſaluari conſilio ducebat. Quare non miles, ſed diuinus quidam viæ comes & deductor bonus atque cuſtos, qui per totam hanc vitam, tanquam per longam peregrinationem nos cuſtodit, cum alia præteriens, tum Berytum, quam optare maxime putabamus, hunc nos recta perductos hic collocauit: omnia faciens, mouenſque, quoad omni nos ope cum hoc multorum nobis bonorum auctore colligaret. Et ille quidem, qui horum modo cauſa venerat, curam huic tradens diuinus Angelus, hic fortaſſe conquieuit; non labore vllo vel moleſtia fractus: (infatigabile eſt enim diuinorum miniſtrorum genus:) ſed quia tradidit nos homini, qui omnem, quæ adhiberi poterat, prouidentiam, curamque eſſet expleturus. Ille vero ſuſceptos à prima die, quæ vere mihi prima illuxit, omnium, ſi dici licet, dierum mihi honeſtiſſima, quando mihi primum verus exoriri ſol cœpit, principio ceu feras quaſdam agreſtes, aut piſces, aut aues, in retia, vel ſagenam illapſos, & recedere ab ipſo, Berytum verſus, aut in patriam cogitantes, conſtringere omnino ac retinere ſtuduit: omnia verborum genera voluens, omnem funem (quod eſt in Prouerbio) mouens, vires ſuas omnes eo conuertens: hinc philoſophiam, eiuſque amatores multis, aptiſq; laudibus proſequens, eos ſolos bene viuere, vitamque rationis vſu præditis congruentem agere dicens, qui eam recte inſtituere conentur, & ſeipſos primum noſſe, quinam ſint: deinde vera bona, quæ perſequi hominem decet, & vere mala, à quibus refugere oportet. illinc ignorantiam, ignoranteſque omnes, quorum maxima eſt turba, vituperans: quotquot pecodum ritu, mente cæci, ne hoc quidem quod ſunt intelligunt, & quaſi ratione carerent, aberrantes: bonum, malumve quid ſit, nec ſcientes ipſi prorſus, nec diſcere ſatagentes. qui tanquam ad bonum, ad pecunias & gloriam, ac vulgi honores, corporiſque valetudinem proſiliunt, ſtolidique rapiuntur, hæc videlicet, magni, aut omnium potius inſtar habentes; arteſque eas, quibus parari hæc poſſunt, & ex vitæ generibus illa, quæ talia ſuppeditant, militarem, forenſem, legum ſtudium, ac diſciplinam, hæc ſunt, aiebat, idque aptiſſime, quæ nos inertes atque ignauos maxime reddunt, rationem quæ dominari in nobis debet, aſpernantes. Dicere non poſſim, quam multas huiuſmodi voces ederet, ad philoſophandum nos exhortans: neque id vno die duntaxat, ſed multis quoties ad illum principio veniebamus, eius quidem ſermone tanquam iaculo quodam à prima ipſa ætate confixi. erat enim ſuaui gratia & ſuadela ſimul ac neceſſitate quadam conditus. Cæterum fluctuantes adhuc, & ancipiti animo, philoſophari quidem ambientes, nondum tamẽ omnino permoti atq; perſuaſi, diſcedere porro neſcio quomodo non valentes, vt qui ſemper, tanquam maioris alicuiuſpiam neceſſitatis impulſo, ad ipſum eius ſermonibus rapiebamur. Omnino enim nec pium erga cõmunem omniũ dominum eſſe abſq; philoſophia quemquam cẽſebat: quo munere ſolus ex omnibus terræ animantibus homo decoratus eſt, idq; merito ſapiens æque atq; imperitus quiſq; amplectitur, qui modo ſenſum omnem intelligentiæ præ quadam amentia non amiſerit. Nec piũ igitur omnino eſſe poſſe affirmabat, qui philoſopharus non eſſet. quoad tãdem multos id genus ex alijs alios ſermones inſtillans, nos velut faſcino quodam, artibus ſuis perdomitos, ſermonibus ſuis, neſcio quo pacto, diuina vi quadam conſtabiliuit, & iuxta ſe immobiles tenuit. Enimuero amoris quoque aculeus nobis infixus eſt, non leuis ille & expugnabilis; ſed acer prorſus, & efficaciſſimus, ſolertiæ & benignitatis, beneuolentiæque, quæ in ipſis nobis alloquentis & conuerſantis vocibus effulgebat, non circumuenire nos aliter ſermonibus conantis, ſed prudenti, humana, benignaque mente ſeruare nos, & participes tum horum philoſophiæ bonorum reddere, tum aliorum, tum eorum maxime, quæ Deus illi ſupra omnes fortaſſe, qui nunc ſunt, homines, viri largitus eſt: pietatis dico magiſtrum, ſermonem ſalutarem, ad multos quidem commeantem, omnes autem, in quos inciderit, ſibi ſubiugantem. neque enim eſt quidquam, quod reſiſtere illi poſſit, qui rex omnium & eſt, & futurus eſt, ſed occultum, & qui nec facile, nec difficile à multis vulgo cognoſcatur, ita vt de illo interrogati, manifeſte eloqui poſſint. velut ergo ſcintilla quædam mediam animam noſtram inuadens, accendebatur & inflammabatur, tum erga ipſum, ineffabili pulchritudine omnes allicientem, ſacrum ſermonem amabiliſſimum, tum erga virum hunc, eius amicum & interpretem, Amor: quo vehementiſſime ictus, res omnes ac diſciplinas, quæ congruere nobis videbantur, tum cæteras, tum ipſas egregias leges meas, vt ſpernerem, mihi perſuaſi: quin & patriam, & propinquos, tum præſentes, qui aderant, tum eos, à quibus diſceſſeram. vnumque mihi optabile & amandum videbatur, philoſophia, eiuſque magiſter vir hic diuinus. *Et conglutinata eſt anima Ionathæ, animæ Dauid.* Hoc equidem in ſacris litteris poſtea legi: prius autem ſenſi ipſe non minus liquido, quam dictum eſt, clariſſimo ſcilicet oraculo prænunciatum. Non enim ſimpliciter conglutinatus eſt Ionathas Dauid: ſed illæ ipſæ, quæ principem locum tenent, animæ: quæ nec ſeiunctis ijs, quæ apparent & conſpiciuntur in homine, ſeparari tamen ipſæ, vi vlla cogantur, inuitæ quidem, certe nullo modo. Libera ſiquidem res eſt Anima, & quæ coerceri nulla ratione poſſit, ne ſi in penetrale quidem abditam cuſtodias. Etenim ibi eſſe prima ratione ac natura ſua conſueuit, vbi mens fuerit. quod ſi in ergaſtulo ibi eſſe videatur, ſecunda quadam ratione illic à te fingitur, nulloque modo propterea ibi eſſe prohibetur, vbi eſſe voluerit: quin illic ſolum prorſus eſſe poteſt, & iure creditur, vbi, quibuſque in rebus propria eius vnius opera cernuntur. Quare clariſſime hoc ipſum, quod mihi contigit pauciſſimis verbis declarauit, animam Ionathæ conglutinatam fuiſſe animæ Dauid. hæc, inquam, quæ inuita quidem nullo modo ſeiungi queant; ſponte vero, non facile aſſentiantur. Non enim in deteriore, opinor, qui moribus varius erat, & ad mutandum procliuior, ſacrorum amoris huius vinculorum ſolutionis poteſtas; in quo ſolo nec colligandi vis initio fuerat: ſed in meliore, qui conſtans erat, ac minime mutabilis: per quem & vincula, ſacerque hic nexus confici, copularique rectius poterat. Conglutinata eſt igitur à diuino ſermone non anima Dauid animæ Ionathæ; ſed contra, deterioris anima, ſic affecta, conglutinata dicitur animæ Dauid. Nec enim pars potior, cum ſibi per ſe ipſa ſufficiat, deteriori ſe agglutinari cuperet; ſed deteriorem, quæ ope indiget melioris, à potiore conglutinatam dependere oportuit: vt hæc quidem in ſe ipſa manens, damnum nullum ex deterioris communione caperet: quæ autem ex ſe incompoſita erat, colligata & coniuncta cum potiore, nihil ipſa officiens, vinculorum cum ea nexu & neceſſitate vinciretur. Vnde & vincula inferre, præſtantioris erat, non inferioris, agglutinari autem, deterioris, ita quidem, vt vinculis expedire ſe quodammodo non poſſet. Tali quodam neceſſitatis nexu Dauid hic nos adſtringens, ex eo tempore captos tenet, nec ſi velimus eius vinculis eximere nos valentes. Nec igitur ſi abeamus, relaxabit animas noſtras, quas iuxta diuinam Scripturam conglutinatas ſic tenet. Cæterum cum ita nos ab initio cepiſſet, omniqne ex parte circumuallaſſet, quandoquidem quod ponus erat, iam perfectum erat, & nobis manere collibebat; deinceps, tanquam ſi bonus quiſpiam agricola terram vacuam atque otioſam, eamque nec fertilem prorſus, ſed ſalſuginoſam & adustam, ſaxiſque & arena obſitam, aut non plane quidem ſterilem, nec inertem, ſed natura præſtanti, verum incultam atq; neglectam,

ſpinis

Gregorius legũ cauſa Berytum miſſus, Origenem Cæſareę offendit eique adhæret.

B

Gregorius Philoſophico ſtudio inflammatur.

Prouerb.

Laus Philoſophiæ, ex verbis Origenis.

C

D

Philoſophus, pietatis fundamentum.

Gregorius Origenis amore captus

E

F

Legum ſtudium aſpernatur.

1. Reg. 18.

Ionathæ erga Dauidem amor

G

Adluſio ad 1. Reg. 18.

H

A

ſpinis hærentem, ſylueſtribuſque dumetis ac minime tractabilem: aut quemadmodum, ſi ſator aliquis plantam, ſiue arborem agreſtem, ac fructus ſcilicet ſuaues non proferentem; nec tamen prorſus inutilem nactus; ſatiuæ ramum arte ſua inſerat, mediam illam diffindens, ac deinde committens, & colligans, quoad humore coaleſcente ambæ ſimul adoleſcant. Sic enim miſtam arborem ſæpe videas, aut ſpuriam quidem, at fertilem ex infructuoſa factam, pulchræ oleæ fructus in agreſtibus radicibus alentem; aut agreſtem quoque, non inutilem redditam induſtrio colono; aut ſatiuam denique, & fertilem alias, ſed quæ artis defectu non putata, exſucca ac ſquallida præ multis in ea ſuperfluis adnatis ſurculis præfocetur; deacuminatione ac germinatione mox perfici, & fructus dare, qui à redundanti copia impediebantur. Tales ille nos aſſumens, & quaſi ruſtica quadam arte ſua, luſtrans ac penitus introſpiciens, non ea ſolum, quæ omnium oculis patent, atque in ſuperficie cernuntur; ſed altius effodiens, & intima pertentans; interrogans & proponens, reſpondenteſque audiens; vt cognouit

B

aliquid non infrugiferum nec inutile, aut irritum, in nobis eſſe; tum ſubigere, inuertere, irrigare, omnia mouere, omnem admouere artem ſuam ac curam, ſeduloque exercere nos cœpit. ſpinas quidem ac tribulos, & genus omne agreſtium herbarum atque ſtirpium, quotquot luxurians & ſylueſcens, vtpote incompoſita & præceps, anima noſtra turbida profundebat, penitus reſecans ac detrahens, reprehendendo, prohibendoque: nunc Socratico more, ſciteque admodum nos perſtringens: nunc etiam oratione ſua proſternens, ſicubi nos fræno reluctantes, tanquam feros quoſdam equos, extra viam exilientes ac temere circumcurſantes videbat; quoad perſuaſione quadam atque neceſſitate, velut fræno, ſuo nos ſermone quietos, ſibique obſequentes reddidit. Ac moleſtum id quidem nobis, nec ſine dolore principio accidit, cum inſuetis nimirum, rationique parere nondum edoctis, ſermones ſuos admoueret, & expurgaret. Vt vero idoneos nos reddidit, riteque ad excipiendos veritatis ſermones præparauit, tum vero tan-

C

quam bene ſubactæ, mollique terræ, iniecta ſemina reddere, paratæ, opportunam ſeminum iniectionem affatim inferebat; tempeſtiuam ſimul reliquam culturam omnem, aptis ſingula modis, exercens: quidquid obtuſum ac ſpurium in anima erat, ſiue ſic nata, ſiue ſuperfluis corporis alimentis condenſata, exacuens, attenuanſque ſubtilibus rationi congruentium affectionum ſermonibus, ac modis, qui ea primis ſimpliciſſimis euoluti alij ex alijs, varieque conuerſi, in admirabilem quendam inexplicabilemq; progrediebantur contextum, nos velut è ſomno excitantes, atque in propoſito ſemper inſiſtere, & nullatenus nec ob longitudinem, nec ob ſubtilitatem labi docentes. Quidquid porro iudicij expers ac præceps in nobis erat, vel aſſentiendo ijs, quæ obuia fiunt, qualiacunque ſint, etiamſi falſa ſe offerant; vel repugnando perſæpe, quamuis vera quædam dicantur; hoc rurſum caſtigabat, corrigebatque,

Logica.

tum ijs quos diximus, tum alijs diuerſis ſermonibus. Multiplex enim eſt ac varium hoc philoſophiæ genus: aſſuefaciens non temere, nec vt caſus tulerit, aſſenſum proijcere,

D

nec item abnuere; ſed diligenter examinando, non aperta ſolum, ſed & abdita: multa ſiquidem, ceu illuſtria per ſe & honeſta, ſub ſpecioſis vocibus in aures noſtras tanquam vera ſe inſinuarunt; quæ praua & falſa cum eſſent, ſuffragium tamen à nobis expreſſerunt, tuleruntque veritatis; quæ poſtmodum vitioſa, & nulla fide digna deprehenſa ſunt, veritatem incaſſum aſſimulantia; noſque facile ac ridicule deceptos prodiderunt, & fruſtra ea confirmantes, quæ minime oportebat: alia contra, honeſta prorſus ac minime fallentia; ſed probabilibus verbis non expreſſa, paradoxa & omnino incredibilia per ſe viſa, & reiecta pro falſis, immeritoque per contumeliam exploſa; poſtea conſiderantibus atq; inueſtigantibus accuratius, omnium veriſſima, omniq; exceptione maiora cognita ſunt, quæ paulo ante reijcienda & improbanda putabamus. non aperta ſolum, inquam, & eminentia, quæ fallacia interdum & fucata ſunt; ſed interiora ſingula explorando ac pertentando, ne quid maridum ſonet: ac de his primum fidem nobis ipſis faciendo, ita demum exterioribus aſſentiri, & de ſingulis pronuntiare docebat. Hunc igitur in modum pars ani-

E

mæ noſtræ, quæ circa voces, ſermonemque iudicium exercet, ſecundum rationem erudiebatur: non iuxta egregiorum Rhetorum iudicia, ſi quid græcanicum, aut barbarum voci inſit, exilem illam, & non neceſſariam diſciplinam, ſed hanc omnibus & Græcis & barbaris, & ſapientibus, & idiotis; & ne artes ſingulas ac ſtudia enumerando ſim longior, omnibus hominibus, quodcunque vitæ genus delegerint, apprime neceſſariam: ſiquidem omnibus, de quacunque re ſermo inſtituatur, curæ eſt ac ſtudio, non decipi. Neque hanc ſolum partem, quam Dialectica corrigendam ſola ſortita eſt: ſed humilem ſane viciſſim animæ

Phyſica.

partem, qua ad magnificentiam, & mirabilem ſtructuram, ad varium, ſapientiſſimumque mundi opificium obſtupeſcimus, admiramurque ſine ratione, ac præ timore conſternamur, vt qui belluarum more, quæ ratione carent, ratiocinari nihil nouimus, excitabat, erigebatque naturali-

F

bus alijs diſciplinis; ſingula, quæ in rerum ſunt natura declarans ac diſtinguens, & perſpicua oratione in prima ſua elementa reuoluens, naturamque tum communem vniuerſorum, tum propriam cuiuſque; conuerſiones quoque rerum multiformes, atque mutationes ediſſerens; quoad doctrinæ ſuæ, rationumque, quas partim didicit, partim ipſe excogitauit, perſpicuitate pro irrationali rationalem animis noſtris factæ totius vniuerſi diſpenſationis, abſolutiſſimæque naturæ admirationem iniecit. Hæc nimirum illa eſt ſublimis ac diuina diſciplina, quam omnibus amabiliſſima docet Phyſiologia. Quid nunc opus eſt ſacras

Mathematicæ diſciplinæ.

mathematicas commemorare? Geometriam omnibus certam, atque indubitatam; & Aſtronomiam ſuperna peruagantem: quas ſingulas animis noſtris, docens, inſculpebat; aut in memoriam reuocans, aut neſcio quid dici potius debeat: illam quidem, velut omnium plane fundamentum ſtatuens, & quaſi baſin tutiſſimam, inconcuſſam Geometriam: per Aſtronomiam autem ad ſumma perducens, tanquam per ſcalam quandam ad cœlos pertingentem, peruium nobis cœlum vtriuſque diſciplinæ opera efficiens.

G

Ethica.

Quod vero omnium eſt multo maximum, cuiuſque gratia laborat gens tota Philoſophorum, quaſi ex varia reliquarum omnium diſciplinarum conſitione, diuturnæque Philoſophiæ ſtudio, bonos fructus colligens, diuinas morum virtutes, ex quibus tranquillus & conſtans animi motionum ſtatus exiſtit. Et mœroris quidem expertes, atque vt nullis malis vehementius commoueremur, ſed moderati, ac ſedati, Deiq; ſimiles vere ac beati, eius opera redderemur, adnitebatur. Atque hæc curabat, & agebat ille, tum ſermonibus proprijs, manſuefacientibus ac doctis, nec minus neceſſarijs, quos de moribus, vitæque noſtræ modis habebat; tum vero non verbis ſolum, ſed iam etiam factis quodammodo regebat impetus noſtros, ipſa ſcilicet motionum animi, perturbationumque contemplatione atque cognitione; ex qua potiſſimum componi mens noſtra ſolet, & ad rectum, moderatumque ſtatum ex confuſo tranſferri: vt tanquam in ſpeculo ſeipſam intuens, initia ipſa, fibraſque malorum; & quod à ratione alienum in ea eſt,

H

vnde abſurdæ in nobis affectiones ac perturbationes exſurgunt; & rurſum, quæ rationis compos pars eius eſt optima, qua dominante, illæſa & perturbationis expers ipſa permanet: deinde hæc in ſe accurate conſiderans, omnia quidem illa, quæ ex deteriore naſcuntur, & nos vel offendunt per intemperantiam, vel contrahunt & coarctant per animi deiectionem; vt voluptates, & cupiditates, aut mœrores ac timores, & quæ ab his generibus malorum turba ſuboritur, hæc inquam, reijciat ac profliget, incipientibus adhuc, naſcentibuſque occurrens, ac ne minimum quidem creſcere ſinens; ſed perimens ac delens è veſtigio: quæ vero ex meliore, bona nobis exoriuntur, hæc alat ac foueat, incipientia

Virtutes morum.

lactans, conſeruanſque, quoad perficiantur. Sic enim animæ tandem innaſci diuinas virtutes: prudentiam, quæ hos ipſos animi motus diſcernere prima poteſt, ex ipſis, & ex bonorum externorum, malorumque, ſi qua in nobis ſunt, ſcientia: & temperantiam, quæ in corundem initijs recte eligendi vim habet: & iuſtitiam, quæ apta & congrua cuique tribuit: & horum omnium conſeruatricem, fortitu-

dinem,

A

Non verbis ſolum de virtutibus diſſerebat, ſed operibus confirmabat.

dinem. Non verbis igitur aſſuefaciebat, quæ denunciarent atque profiterentur, ſcientiam bonorum & malorum, vel faciendorum & non faciendorum, eſſe prudentiam: inanis vtique atque inutilis hæc diſciplina, ſi verba factis careant; vanaque ea prudentia, quæ non ea faciat, quæ facienda ſint, nec ab ijs quæ non ſunt agenda, deterreat; ſed ſolum cognitionem horum ſuppeditet ijs, qui eam poſſident; quales cernimus permultos. nec temperantiam rurſum, eligendorum, fugiendorumque ſcientiam quandam eſſe; quam videlicet non admodum doceant cæteri philoſophi, ac precipue Neoterici: qui verbis quidem ſtrenui forteſque ſunt, quales ego perſæpe miratus ſum, cum eandem virtutem Dei & hominum, & Deo inprimis ſimilem in terra eſſe ſapientem demonſtrarent: cæterum nec prudentiam, vt faciat quiſpiam quæ ſunt prudentiæ, nec temperantiam, vt ea eligat, quæ didicit, tribuere valent: de iuſtitia itidem ac fortitudine inaniter diſputant.

† Iſte, ſcilicet Origenes.

B

Contra inanes Philoſophos.

Non ſic † iſte nobis de virtutibus, verbis ſolum diſſerebat, ſed ad opera potius incitabat: & incitabat operibus magis, factiſque, quam verbis.

Rogo autem Philoſophos, qui nunc ſunt, quotquot noui ipſe & quos alijs narrantibus audiui; homines item cæteros, vt quæ à nobis nunc dicuntur, æquo animo accipiant. Nec vero me quiſquam hæc dicere arbitretur aut amore erga virum, aut reliquorum philoſophorum odio: quos, ſi quis alius, & amare propter ſermones, & laudare ipſe volo, & alius pulcherrima de ipſis dicentes audire: verum hæc illorum talia ſunt, vt ſumma inde contumelia ab omnibus propemodum afficiatur nomen ipſum Philoſophiæ, & ego malim, pæne dicam, imperitus plane eſſe, quam aliquid eorum diſcere, quæ ipſi profitentur: ad quos ipſe reliqua in vita accedere, indignum ducebam, perperam fortaſſe id ſentiens. Nec vero me quiſquam vel ſtudio aliquo laudandi viri, vel vllo in extraneos philoſophos odio, hæc dicere ſuſpicetur: ſed minora etiam illius factis, ne adulari videar, dicere credat, non verba & nomina, artificioſaſque laudum occaſiones exquirentem: qui

Gregorius adoleſcens in ſtudia

C

Rhetoricæ incumbens, à fuco verborum figmentiſque fuit alienus.

ne adoleſcentulus quidem, cum popularem eloquentiam à Rhetore diſcerem, laudes cuiuſpiam ſponte perſequi poteram, quæ veræ non eſſent. Quare neque nunc laudare inſtituens, aliorum vituperationibus extolli hunc oportere arbitror. Et viro ſane iniurius eſſem, ſi aliorum vitijs, vt maius aliquid de ipſo dicere habeam, beatam eius vitam conferre velim. non adeo ſum amens: ſed quod mihi accidit, ſine vlla contentione, nulloque orationis fuco confitebor. Hic me primus ac ſolus, vt Græcorum Philoſophiæ operam darem, hortatus eſt, ſuis ipſius moribus vt morum doctrinam & diſcerem & amplecterer perſuadens, haudquaquam adhuc, ab alijs Philoſophis perſuaſo. rurſus confiteor: non recte id quidem, ſed pæne infeliciter, non inquam. Nec in multos principio incidi, ſed in paucos quoſdam, docere promittentes, ſed omnes verborum tenus philoſophiam conſtituentes. Hic vero me primus etiam verbis philoſophari hortatus eſt, cum factis verborum cohortationem præuertiſſet, non verba tantummodo præmeditata pronuntians, quin ne eloqui quidem dignum putans, niſi puro atque ſyncero & dicta ipſa exequi ſtudente animo id faceret, talemque ſeipſum præbere conaretur,

D

Origenes pene exemplum ſapientis.

qualem verbis eum, qui recte victurus ſit, deſcribebat, exemplum ſane, dicere volui, proponens ſapientis: ſed quia veritatem nobis, non pompam & ornatum promiſit Oratio, exemplum quidem illum ſapientis nondum dico, quamuis ſi dicere velim, à vero non abſit: verum hæc nunc omitto. Non exemplum ergo abſolutum; ſed qui illud ipſum imitari atque exprimere valde cuperet, omnique ſtudio, & alacritate, ac ſi dici fas ſit, ſupra hominum vires contenderet: ac nos porro & tales alios effingere ſtudens, non ſermonum compotes & gnaros eorum, qui de animi motibus fiunt, ſed à motibus ipſis ad opera etiam ſermones traducens, & cuiuſque virtutis partem non exiguam, quin potius vniuerſam, ſi capere poſſemus, in ipſa nobis ſpecu-

Iuſtitia vera in quo ſita.

latione inſerens: iuſta quidem agere, ſuæ ipſius priuatæ actionis exemplo (ſi dicere fas ſit) quodammodo cogens: cui vt adhæreremus, nobis perſuaſit: à multis nos vitæ curis, forenſique ſtrepitu penitus abducens, & nos ipſos circumſpiciendos, ac vere ad res noſtras agendas attollens.

E

Hoc nimirum eſſe iuſte agere, & hanc veram eſſe Iuſtitiam, priſcorum etiam philoſophorum nonnulli affirmarunt; vitam priuatam, vt mihi videtur, ad beatitudinem & ſibiipſis, & alijs commodiorem atque vtiliorem eſſe ſignificantes: ſiquidem huius eſt virtutis, pro meritis, & ſuum cuique tribuere. Quid enim aliud animæ proprium ſit, aut quid tam congruum, dignumque quam ſeipſam curare: non extra circumſpectantem, nec aliena tractantem, neque (vt paucis dicam) maximam ſibiipſi iniuriam facientem: ſed intro ad ſe ſe conuerſam, ſua ſibi reddentem, ac iuſte omni ex parte præſtantem. Sic igitur ille iuſta facere vel coactos, ſi

Prudentia vera.

dici fas eſt, nos docebat. Prudentiam vero nihilo ſecius: ſecum eſſe, & ſeipſos noſſe velle, & conari, hoc videlicet præclariſſimum philoſophiæ munus & officium, quod præſtantiſſimo dæmonum vati vt ſapientiſſimum præceptum

Noſce teipſum.

tribuitur, Noſce teipſum. Hoc reuera munus eſſe prudentiæ, & hanc eſſe diuinam prudentiam, recte ab Antiquis dictum eſt, cum eadem Dei atque hominum reuera ſit virtus, anima ipſa, tanquam in ſpeculo ſeipſam videre satagente, & diuinam mentem, ſi tali ſocietate atque coniunctione digna ſit, in ſe repræſentante, & viam quandam

F

verbis inexplicabilem, vt ad hoc diuinæ naturæ conſortium peruenire poſſit, inueſtigante. Pari autem modo & temperanter viuere, & fortiter: temperanter quidem, hanc i-

Temperantia & fortitudo.

pſam animæ ſeipſam cognoſcentis, ſi quando id ei contingat, prudentiam conſeruando: eam enim rurſum eſſe temperantiam, quæ quaſi conſeruatrix quædam eſt prudentiæ. Fortiter vero in prædictis omnibus muneribus perſiſtendo, nec ab illis vel ſponte, vel vi vlla decidendo aut deflectendo, ſed omnia, vt dicta ſunt, mordicus obſeruando: hanc quippe conſeruatricem & cuſtodem virtutem eſſe docens. Et ſane iuſtos quidem, & prudentes, aut temperantes, forteſque nos præ ignauia ac tarditate noſtra, quamuis omnem

Gregorius virtutes ſe adeptum negat.

adhiberet operam, reddere nondum potuit, qui nec habemus, nec prope adhuc attigimus vllam virtutem hominum, aut diuinam; longiſſimeque abſumus. nam maximæ ſunt illæ, & excelſæ; & neutra comparari poteſt, nulli que fas eſt conſequi, niſi certe cui Deus adſpirauerit. Et nos ne-

G

que natura adeo præſtanti ſumus, nec dignos eſſe, qui conſequamur, nos adhuc confitemur: vt qui per ſocordiam & imbecillitatem necdum omnia fecimus, quæ ab ijs qui optima cupiunt, & ad perfecta contendunt, fieri oportet. Iuſti ergo & temperantes, aut alia quapiam virtute prædi-

Amorem in ſe virtutũ fatetur.

ti nondum ſumus: amatores autem nos quam vehementiſſimo amantes amore, quod vnum fortaſſe præſtari ab eo poterat, iam dudum fecit admirandus hic virtutum amicus & præſes: amorem nobis ſuæ ipſius virtute ingenerans, tum pulchritudinis iuſtitiæ cuius auream reuerſa nobis faciem oſtendit: tum prudentiæ omnibus expetendæ, & amabiliſſimæ veræ ſapientiæ: tum temperantiæ præſtantiſſimæ, quæ eſt animæ conſtantia, & pax omnibus poſſidentibus eam: tum fortitudinis, admirabiliſſimæ patientiæ, & in rebus omnibus, pietatis, quam parentem virtutum merito appellant. Hæc ſiquidem eſt initium, finiſque omnium

Pietas, parens virtutum.

virtutum. Ab hac ſi incipiamus, faciliime nobis reliquæ etiam virtutes accreſcent: ſi quod hominem vnumquemque,

H

qui modo impius & voluptarius non ſit, parare ſibi oportet, vt amicus familiariſque ſit cum Deo, nobis ipſis expetentes & aſſequi ſtudentes, reliquarum ſimul virtutum curam amplectamur, vt non indigni, nec ſqualidi, ſed omni virtute ac ſapientia, tanquam bono quodam ductore, ſapientiſſimoque ſacerdote ſepti, ad Deum accedamos: finem ſane omnium non alium exiſtimo, quam pura mente ad ſimilitudinem conformatum, accedere ad Deum, & in ipſo manere. Præter cæteram vero induſtriam ac ſtudium,

Qua methodo in Theologicis, ac Metaphyſicis vſus ſit Origenes.

illud, quo in Theologiæ doctrina & reuerentia nobis inſtituendis eſt vſus, quibus verbis eloqui poſſim, aut ipſos viri ſenſos penetrare, quo conſilio & apparatu omnes de Deo ſermones atque ſententias ediſcere nos vellet, ſedulo cauens, ne vſpiam in re omnium maxime neceſſaria, hoc eſt, in primæ omnium cauſæ cognitione, periclitaremur? Philoſophari ergo nos ita iubebat, vt omnia, quotquot extant, veterum tum Philoſophorum, tum Poëtarum ſcripta colligentes, nihil omnino reijceremus, nihilque repudiare-

A

mus, (necdum enim vim habere iudicandi poteramus,) præter ea quæ atheorum eſſent, qui à communi hominum ſenſu diſcedentes, Deum aut prouidentiã eſſe negant: hæc enim ne digna quidem eſſe, quæ legantur, ne qua forte ie inquinaretur nobis animus, qui quum pietatem colere debeat, ſermones audiat diuino cultui repugnantes. Neque enim ij qui templa adeunt, religioſum putant, quidquam omnino profanum contrectare. Horum itaque libros ijs, qui pietatem profiteantur, nullo in numero eſſe debere: cæteros omnes euolui, legique ſic oportere; vt nec genus vllum, nec librum ſermonemve eruditum præferant, neque contra reijciant, ſiue Græcum, ſiue barbarum, ſed omnes audiant. Sapienter id prorſus, & appoſite! ne ſcilicet vna quæpiam horum, illorumve ſententia audita & in pretio habita, quamuis vera non ſit, tanquam vera ſola eſſet, ſi ſemel in animum noſtrum irrepſerit, decipiat, ſibique nos vendicans ſic afficiat, vt nec ab ea diſcedere, nec illam, quaſi lanam colore quopiam infectam eluere poſſimus.

Atheorum libri, vt vitandi.

B

Vehemens enim & volubilis quædam res eſt hominum oratio, varia ſophiſmatibus atque fallacijs, vt cum aures ſubierit, menti, quo, quæ velit ingerat atque inſculpat; & quos ſemel occuparit, his vt ipſam pro vera colant, omnino perſuadeat. Itaque hæret intus, quamuis falſa, fallaxque ſit, & inſtar præſtigiatoris alicuius regnum obtinet, ipſius quem decepérit defenſa protectaque præſidio. Prona rurſus ad orationis fraudem recipiendam, præcepſque ad aſſenſum humana mens, & prompta, priuſquam diiudicet, omneſque in partes exploret, vel propter hebetudinem, imbecillitatemque ſuam, vel ob orationis ipſius ſubtilitatem, ad exactum examen deficiens, temere ſeipſam falſis plerumque rationibus atque ſententijs dedere, quæ & errent ipſæ, & in errorem, quos inuaſerint, impellant. neque hoc tantum: ſed ſi corrigere ipſam alia quæpiam oratio velit, haud eam iam admittat, neque aliud ſibi perſuaderi ſinat, opinione hac obſeſſam tenente, & tyranni implacabilis inſtar in ea dominante.

Orationis mira vis ad perſuadendum.

Mens facilis ad aſſenſum.

Quid enim, an aliud eſt, quod pugnantes inter ſe aduerſaſque ſententias, & philoſophorum contentiones inuexit, dum alij aliorum placitis repugnant, alij alia multis vs retinent, alij alia potius conſectantur? Ac philoſophari quidem omnes volunt, & hoc præſeferunt, ex quo tempore aggreſſi ſunt, dicentes non minus id velle ſe, dum in ipſis diſputationibus verſantur, quam cum eas inierunt: immo vero acrius nunc philoſophiæ ſtudio teneri, poſtquam guſtum eius aliquem ceperunt, in eaque operam poſuerunt, quam cum rudes adhuc & inexperti, ad philoſophandum impetu quodam delati ſunt. Hæc illi dicant, nec iam quemquam audiunt eorum, qui aliter ſentiunt.

Vnde ſint ortæ Philoſophorum contentiones.

C

Neque igitur quiſquam ex veteribus vllum ex recentioribus, aut ex Peripateticis ad ſe ſequendum, ſuamque philoſophiam amplectendam allicere conatus eſt. nec è contrario: nec denique vllus vllum. Nemo enim facile adducitur, vt ſententia mutata, alienis aſſentiatur, atque adeo ijs ipſis, quibus ſi ei perſuaſum fuiſſet ſtudere, antequam inciperet philoſophari, tum primum certe libenter aſſenſus eſſet, quippe nondum animo alijs occupato: neque alia iam admiſſurus erat: imo vero neque in ijs acquieſceret, ac propter illa, his ipſis aduerſaretur, quæ iam ſentit ac tenet.

D

Talem nobis egregij & diſertiſſimi, ſolertiſſimique Græci philoſophiam exhibuerunt; quæ primum quiſque nactus eſt, impetu quodam ductus, hæc ſola vera eſſe dicens, reliqua omnia aliorum philoſophorum, nugas cenſet, atque fallaciam. cum ipſe nihilo melius ſua confirmet, quam cæteri omnes ſua quiſque defendunt; ne de grado exire, ſententiamque aut vi, aut perſuaſione mutare cogatur: nullam aliam, ſi verum fateri libet, habens præter ineptum à philoſophia † ad hæc dogmata ac placita, quæ vera credit, impetum atque delectum: & ne incredibile quod dico videatur; nullam aliam, præter cæcam iudicij expertem fortunam, hæc vnuſquiſque amans, in quæ primum inciderit. A quibus quodammodo irretitus, alijs rebus dare operam nequit, ſi quid forte habeat quod de ſingulis rebus cum veritatis demonſtratione diſſerat, & quo falſas aduerſariorum rationes eſſe doceat: quippe qui etiam ſine probatione ſeipſum temere, tanquam inopinatum atque inexpectatum quoddam lucrum ſperans, anticipatis rationibus addixit.

In eas, obuia quæque ſine iudicio arripiunt, in illis hærent.

† fortè ad philoſophiam, atq; ad hæc placita &c.

E

Porro † hæ, quum in cæteris rebus ſectatores fallunt, tum vero in re omnium maxima ac neceſſaria, in Dei cognitione atque pietate. Et manent nihilominus ſic illis irretiti, vt eos iam nemo facile eripere poſſit, tanquam ex paluſtri & innadoſo patentiſſimi campi lacu, qui ſemel ingreſſos, nec gradum reuocare, nec traijcere, & euadere ſinit, ſed ad mortem vſque ſic conſtrictos tenet: aut tanquam ex alta, denſaque ac profunda ſylua; in quam viator quis, quaſi inde rurſus exiturus, & puro ſe campo redditurus, ingreſſus eſt, præ longitudine autem ac denſitate non poteſt: omnes enim in partes ſeipſum verſans, viaſque intus continuas offendens, has, illaſque, tanquam exitum per aliquam earum reperturus, perambulat; illæ vero ad intima tantummodo ducunt, nuſquam extra ferunt, vt quæ ipſius ſyluæ ſolum viæ ſint. Quare feſſus tandem ac deſperans viator, quaſi ſylua eſſent omnia, & nullum in terris domicilium ſupereſſet, ibi manere, ac domicilium collocare ſtatuit, ſpatiumque agri, quantum poteſt, in ſylua occupare:

† hæ, ſcil. λόγοι, id eſt, rationes.

Simile à paluſtri via ductum. Alterum ex ſylua.

F

aut tanquam denique ex labyrintho, ad quem cum vnicus appareat aditus, nihil ſubdolum, ex iis quæ ſunt extra, intus latere ſuſpicans, quiſpiam, qua patet ianua, ingreditur: deinde ad intima vſque progreſſus, poſtquam artificioſum, ſolerſque opificium, quaqua verſus peruium, ac perpetuis ingreſſibus & egreſſibus intextum atque elaboratum contemplatus eſt, egredi cupiens, minime poteſt, ſtructura illa, quam artificioſam iudicabat, intercepta. Nullus porro eſt neque labyrinthus adeo ad explicandum difficilis, & varius, neque ſylua, quamuis denſa & varia, neque campus, aut palus, quæ illapſos atque ingreſſos ſic retineat, vt oratio, ſi qua eos occupet aliquorum iſtiuſmodi philoſophorum.

Aliud ſimile ex labyrintho.

Nobis ergo ne idipſum quod imperitæ multitudini eueniret, ad vnicum nos philoſophicarum opinionum genus non admonebat, nec in eo conſiſtere ſinebat; ſed per omnia ducebat, nullius nos Græcanici dogmatis rudes aut ignaros eſſe permittens. Ipſe autem ſimul incedens præibat, manuque ducens, tanquam in via, ſi quid vſquam flexuoſum occurreret, aut inſidum, & ad fraudem compoſitum, velut peritus artifex, cui ex longo vſu atque exercitatione philoſophandi nihil inſolens ſit, nec inexpertum, & ſublimis ipſe in tuto manet, ac manum alijs porrigens, veluti qui demerguntur extrahens, ſeruat: ita quidquid apud ſingulos philoſophos vtile ac verum erat, deligens, nobiſque apponens, quæ vero falſa, ſecernens, tum alia, tum maxime, quæ hominum propria ſunt ad pietatem.

Gentilium libros ſummo cum iudicio prælegebat.

G

¶ Et horum quidem vt nihil attenderemus, ſuadens, ne ſi vt ſapientiſſimus quidem quiſpiam ab omnibus celebretur, ſed vt vni Deo operam daremus, eiuſque prophetis, ipſe prophetarum interpretem agens, & explanans, quidquid vſquam obſcurum & ænigmaticum erat, qualia ſunt in ſacris litteris permulta: ſiue ita Deo libeat cum hominibus agere, ne indignam animam, cuiuſmodi multæ ſunt, nudus & intectus diuinus ſermo ſubeat: ſiue quod apertiſſimum quidem natura ac ſimpliciſſimum ſit omne oraculum diuinum, ſed nobis quia Deo receſſimus, & audire propter tempus & antiquitatem deſueuimus, obſcurum, ac tenebroſum videatur, dicere non habeo.

In diuinis Deus vnus eiuſque prophetæ vt audiendi.

H

Vtut ſit, declarans & in lucem, proferens, ſiue ænigmata ſint, tanquam idoneus & intelligentiſſimus Dei auditor: ſiue obſcurum ac flexuoſum natura nihil habeant, nec intellectu arduum ipſi; qui vnus omnium, qui nunc viuunt hominum, quos vel nouerim ipſe vel alijs narrantibus audiuerim, pura atque perſpicua oracula meditando, & mente ipſe percipere poteſt, & reliquos docere: quoniam ille omnium princeps, qui Deo caris prophetis ſuggerit atque inſpirat omnem prophetiam, ſermonemque myſticum ac diuinum, eo illum honore afficiens, velut dilectum interpretem conſtituit: quæ alijs indicauit duntaxat, eorum per hunc inſtruens diſciplinam, omnium, quæ digniſſimus fide eum ſit, vel regio more miſſi, vel cenſuit rationes inueſtigare & inuenire, huic concedens: vt ſi quis animo durus & incredulus, aut diſcendi etiam cupidus exiſtat, ab hoc diſcens, & intelligere & credere quodammodo cogatur, & Deum ſequi. Hæc vero ille non aliter, opinor, enuntiat, quam ex diuini ſpiritus communicatione. Eadem enim vis prophetis, & prophetarum auditoribus eſt opus: nec prophetam capere quis poſſit, cui ſpiritus idem,

Eadẽ aſſertis ſequentur Prophetæ.

A

& eorum auditores. Eſai. 22 & Apoc. 3. Origenis donum, in interpretandis ſcripturis.

qui prophetauit, ſermonum eius intelligentiam non dederit. Taliſque in ſacris etiam litteris ſententia extat, eum ſolum, qui clauſit, aperire affirmans; alium vero neminem. Clauſa autem aperit, dum ænigmata declarat, ſermo diuinus. Donum hoc ille maximum diuinitus conceſſum, ſortemque de cœlo optimam habet, vt Dei ſermonum interpres ſit apud homines, Deique verba, quaſi Deo loquente intelligat; & hominibus, vt homines percipiant, enarret. Quare nihil nobis arcanum, nihil abditum & inacceſſum erat: quin omnia perdiſcere dogmata licebat, & barbarum, & Græcum, & myſticum, & ciuile, & diuinum, & humanum, cum omni libertate cuncta indagantibus atque ſcrutantibus, vt omnibus expleremur, & animi bonis affatim perfrueremur: ſiue priſcum quodpiam veritatis documentum, ſiue alio quis nomine appellare malit, mirabilem in illo, plenumque pulcherrimarum rerum apparatum ac copiam habebamus. Atque (vt paucis dicam) hortus quidam

B

Alluſio ad Gen. 2 & 3.

reuera nobis erat, magni illius paradiſi Dei ſimilitudinem referens: in quo, non terram quidem colere hanc inferiorem, nec corporis alimentis pingueſcere, ſed ſolas animi opes, quaſi ſpecioſas quaſdam arbores, vel à nobis ipſis plantatas, vel ab omnium auctore nobis inſitas, augere cum lætitia & voluptate conceſſum eſt. Hîc vere paradiſus voluptatis: hæc vera lætitia, atque delitiæ, quibus elapſo hoc tempore oblectati ſumus, & quidem non exiguo, at exiguo prorſus, ſi nobis hinc migrantibus & abeuntibus finis hic erit. Neſcio enim quo meo infortunio aut peccato iterum diſcedo, vel expellor. quid dicam, neſcio, niſi quod ſicut alter Adam extra Paradiſum loqui cœpi. Quam recte viuebam, loquentem audiens magiſtrum, ac ſilens: quam debui etiam nunc ſilere! diſcebam tacens; ſed non nouum hoc ſpectaculum, in quo Magiſtrum ipſum facerem auditorem. Quid enim mihi hac opus erat oratione! quid his affari verbis! quum non abire, ſed perſiſtere oportuerit. At enim antiquæ fraudis ſimilia videntur hæc delicta, & veterum pœnæ iſtæ me adhuc manent. An non ruſſus refragari atque obſiſtere videor, Dei vocem tranſgredi audens, cum ei inſiſtere, & in ea manere deberem? Quod

Diſceſſum ſuum deplorat, triplici cōparatione: ſc. Adami extra paradiſum, 2. filij prodigi patris domū deſerētis, 3. Iudæorum in Babylonē abductorum.

C

Geneſ. 3.

autem diſcedo, fugiens ab hac beata vita, non minus quam à facie Dei vetus ille homo, & in terram reuertens ex qua ſumptus ſum: terram proinde comedam omnibus diebus vitæ meæ, & terram colam, eamque ſpinas mihi ac tribulos producentem, moleſtias ſcilicet meas, & curas haſce probroſas, honeſtis hoiſque curis deſtitutus. & ad ea rediens quæ reliqueram, ad terram vnde exiueram, & ad cognationem meam inferiorem, & ad domum patris mei: terram deſerens bonam, vbi veram mihi eſſe patriam ignorabam, & cognatos, quos animæ meæ proprios ac familiares, poſtea noſſe cœpi: & veri patris mei domum, in qua manens, ab iis qui manere in ea volunt, veris filiis pie honoratur & colitur pater. At ego pietatis ac grauitatis expers, indignuſque inde recedo, oculos retro, gradumque conuertens. Filium quendam ferunt, accepta à patre ſorte legitima, quæ ipſi cum altero fratre competebat, ſponte

Luc. 15.

D

Ab Exemplo Filij prodigi.

ſua à patris conſortio abſceſſiſſe in regionem longinquam, vitaque illic intemperanter acta abliguriſſe paternas facultates, penituſque diſſipaſſe, tandem vero inopia preſſum, pacta mercede paſcendis porcis operam locaſſe, fameque vrgente, communes cum porcis eſcas expetiiſſe, nec conſequi potuiſſe. pœnas ergo intemperantis vitæ luit, qui pro paterna menſa, regia illa ac ſplendida, porcinas quas non † proſpexerat, ſeruiles eſcas commutarat. Tale quiddam nobis euenturum diſcedentibus videtur, nec tamen cum integra competente ſorte. neque enim iis acceptis, quæ congruebant, diſcedimus tamen, bona quidem ac cara tecum & apud te relinquentes, peiora autem omnia permutantes. Excipient nos ſiquidem triſtia vniuerſa, turbæ tumultuſque pro pace, & inquieta ac turbulenta vita pro tranquilla & compoſita, pro libertate hac, ſeruitus grauis: fora, & lites, & contentiones. Ac delitiæ, otiumque deinceps nobis ad meliora nullum erit. nec diuina eloquia loquemur: ſed loquemur opera hominum; (quod ſane etiam dirum quidpiam omnino viſum eſt prophetæ:) nos vero, malorum etiam hominum. Nos vere pro die, pro clara luce tenebræ, pro feſta celebritate luctus, pro patria, hoſtile

† hoc ideo dicit, quia non putarat id ſibi euenturū, cum paternam peteret hæreditatem.

Pſalm. 16.

nos ſolum excipiet, in quo ſacrum mihi canticum canere non liceat. quomodo enim in terra animæ meæ aliena? vbi qui degunt, appropinquare Deo non poſſunt, ſed flere tantum, & ſuſpirare, horum quæ hic ſuppetunt, recordatione, ſi tamen hoc etiam mihi quiſquam concedat. Hoſtes quondam ferunt, magnam & ſacram ciuitatem, in qua Deus colebatur, aggreſſos, eiuſque incolas, tum cantores, tum Theologos in Babyloniam patriam ſuam captiuos pertraxiſſe: hos vero, dum ibi detinerentur, ne rogatos quidem à dominantibus, Dei laudes cantare voluiſſe, nec pſallere in terra profana, ſed organa muſica in ſalicibus ſuſpendiſſe, & ad flumina Babylonis collacrymaſſe. Vnus ego ex eorum numero eſſe mihi videor, ab hac ſacra vrbe ac patria mea vi pulſus: vbi noctes, dieſque diuinæ leges denuntiantur, hymnique, & cantica, & myſtici ſermones, vbi lux ſolis, dieique luce clarior, nobis diuina myſteria tractantibus, & noctu, quæ mens interdiu vidit egitque, per viſum repetentibus: vbi denique, vt paucis complectar, diuinus perpetuo viget afflatus, ab hac pellor, & captiuus in terram alienam rapior: in qua mihi nec tibiis canere, organo, vt illis, ex ſalicibus ſuſpenſo, licebit: ſed in fluminibus verſabor, luteaque opera tractabo, & hymnos dicere, etiamſi meminero, renuam. Sed fortaſſe præ diuturna aliarum rerum occupatione, etiam obliuiſcar, memoria ipſa ſpoliatus.

E

Pſalm. 136

Ab Exemplo Iudæorum in Babyloniam abductorum.

4. Re. 24. 25

Pſalm 136 vulg. aiūt na.

F

Pſalm. 136.

Quod ſi abiens, inuitus abirem, vt captiui ſolent: at volens abeo: nec ab alio, quam à meipſo expugnatus, cum manere fortaſſe liceret. abiens vero, non ſine periculo hinc proficiſcar, tanquam à tuta & pacata quadam ciuitate digreſſus: ſed veriſimile eſt ſummum, vt iter faciens, in latrones incidam, ac comprehendar, & nudatus plagis multis vulnerer, & ſemiuiuus in via, proiectuſque relinquar. Sed quorſum hæc lamentor? Eſt vtique ſaluator omnium, ſemiuiuorum, & à prædonibus vexatorum curator ac medicus, vigilans verbum, omnium hominum cuſtos. Sunt & nobis ſemina, quæ habere nos docuiſti, & quæcunque à te accepimus, præclara monita atque præcepta, quibuſcum diſcedimus, lugentes quidem, vt qui iter faciunt; ſed nobiſcum tamen hæc ſemina deferentes. Fortaſſe ergo conſeruabit nos præſes cuſtos, fortaſſe iterum ad te reuertemur adferentes ex ſeminibus hiſce fructus & manipulos, perfectos quidem haud quaquam: qui enim? ſed quales nobis ex ciuilis vitæ actionibus liceat: corruptos quidem facultate vel infrugifera, vel malæ alicuius frugis, ſed non amplius apud nos corrumpenda, ſi Deus annuerit. Mihi ergo hoc in loco deſinat oratio, audacius quidem fortaſſe, de quo minime decuit, elocuta, ſed gratias (ni fallor) pro viribus noſtris & ex animo reddere conata: qui dignum ſane nihil diximus, nec tamen omnino conticuimus. quæ † præterea etiam deplorauit, ſicut qui ab amicis digrediuntur, facere ſolent. An puerile nihil, vel adulatorium: nihil ve obſoletum, vel ſuperfluum habeat, neſcio, confictum certe nihil ei ineſt, hoc plane ſcio: veritas enim vbiq; recto ſenſu, & ſyncera ac integra mente atq; conſilio.

Alludit ad verba Luc. 10.

Cōſolatur ſeipſum

G

Alluſio ad Pſalm. 125.

Peroratio

† quæ, ſcil. oratio.

H

Apoſtrophe ad Origenem.

¶ Tu vero exſurge, ô carum caput, & bene precatus iam nos dimitte, qui præſentes ſacris tuis diſciplinis ſeruaſti, ſerua etiam precibus abeuntes. continuo redde ac trade; ſed redde potius ei, qui ad te nos perduxit, Deo: gratias in primis agens pro iis quæ nobis obtigerunt: orans deinde, vt etiam in poſterum vbique præſens nos dirigat, menti noſtræ ſua mandata ſuggerens, diuinumque nobis timorem ſuum, optimum pædagogum, immittens. non enim eadem qua apud te libertate, etiam digreſſi, obediemus illi. Ora, vt & conſolationem aliquam ab eo capiamus, quando à te deſtituimur: ductoremque bonum mittat, comitem Angelum. Pete autem, vt & redire nos faciens, iterum ad te ducat: quod vnum omnium maxime nos conſolabitur.

Finis operum Gregorij Thaumaturgi.

XYSTI, VEL SEXTI PYTHAGORICI

PHILOSOPHI ETHNICI SENTENTIÆ, interprete Rufino presbytero Aquileienſi.

VT cernas lector fraudem Rufini, qui librum ſententiarum Xyſti Philoſophi gentilis, & Pythagorici, ementito titulo ſplendido S. Sixti ſecundi Romani Pontificis & martyris nomine euulgauerat, audi S. Hieronymum epiſt. ad Cteſiphontem aduerſus Pelagianos tom. 2. iſta conquerentem: Illam autem temeritatem, imo inſaniam eius, nempe Rufini, quis digne poſſit explicare ſermone? quod librum Xyſti Pythagorei hominis abſque Chriſto atque ethnici, immutato nomine Sixti martyris & Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi prænotauit. In quo iuxta dogma Pythagoricum, qui hominem exæquant Deo, & de eius eſſe dicunt ſubſtantia, multa de perfectione dicuntur, vt qui volumen Philoſophi neſciunt, ſub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipſo volumine nulla Prophetarum, nulla Apoſtolorum, nulla Chriſti fit mentio, vt Epiſcopum & martyrem ſine fide fuiſſe contendat. Vnde & vos Pelagiani, plurima contra Eccleſiam vſurpatis teſtimonia. Hæc S. Hieronymus: qui etiam in cap. 22. Ieremiæ inquit: Miſerabilis Grunnius, Rufinum intelligit, qui ad calumniandos viros ſanctos aperuit os ſuum, linguamque ſuam docuit mendacium, Sexti Pythagorei hominis gentiliſſimi vnum librum interpretatus eſt in latinum, diuiſitque eum in duo volumina, & ſub nomine S. Martyris Xyſti vrbis Romæ Epiſcopi, auſus eſt edere: in quibus nulla Chriſti, nulla Spiritus ſancti, nulla Dei patris, nulla Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum fit mentio: & hunc librum ſolita temeritate & inſania Annulum nominauit, qui per multas prouincias legitur, & maxime ab his qui ἀπάθειαν & impeccantiam prædicant. Tantum ille. Qui rurſus in 18 cap. Ezech. in Rufinum inuectus hæc ait: Pulchre in Xyſti Pythagorici ſententiolis dicitur: Adulter eſt vxoris propriæ amator ardentior. Quem librum quidam in latinam linguam transferens, martyris Xyſti nomine voluit illuſtrare, non conſiderans in toto volumine, quod in duas partes fruſtra diuiſit, Chriſti nomen & Apoſtolorum omnino reticeri. Nec mirum ſi gentilem Philoſophum in Martyrem & Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum tranſtulerit, cum Euſebij quoque, Cæſarienſis primum pro Origene librum Pamphili martyris vocabulo commutarit. Hactenus S. Hieronymus. Sed & S. Auguſtinus lib. 2. retractationum cap. 42. ita ſcribit: In libro de natura & gratia verba quædam quæ velut Sixti Romani Pontificis & martyris Pelagius poſuit, ita defendi tanquam reuera eiuſdem Sixti eſſent, id enim putaueram, ſed poſtea legi Xyſti Philoſophi eſſe non Sixti Chriſtiani. Videtur quidem id legiſſe S. Auguſtinus in locis S. Hieronymi, quæ nuper deſcripſimus. Sanctus quoque Gelaſius primus in Concilio Romano ſeptuaginta Epiſcoporum hoc cenſuit de libro iſto: Liber prouerbiorum qui ab hæreticis conſcriptus, & S. Xyſti nomine prænotatus eſt, apocryphus. Quod vero S. Gelaſius ab hæreticis, & non à gentili philoſopho librum conſcriptum affirmat, ideirco hoc videtur aſſerere, quod Rufinus hæretica manu, in tranſlatione, quædam ex ſcripturis ſacris immiſcens librum Chriſtiani hominis potius, quam ethnici oſtentare voluerit. Hæc tantorum patrum de libro iſto iudicia latuiſſe videntur S. Iſidorum, vel quicunque ille ſit auctor, cum libro de viris illuſtribus ca. 1. hoc ſcribit: Sixtus Epiſcopus Romanæ vrbis & martyr compoſuit ad inſtar Salomonis librum prouerbiorum tam breui eloquio, vt in ſingulis verſiculis ſingulæ explicentur ſententiæ. Qui quidem opuſculo hæretici quædam contra Eccleſiaſticam fidem inſeruerunt, quo facilius ſub nomine tanti martyris peruerſorum dogmatum reciperetur aſſertio. Sed is, qui Catholicum ſe meminit, probando legat, & ea, quæ veritati contraria non ſunt, recipiat. Quidam autem putant eundem librum ab hæreticis, non à Sixto fuiſſe dictatum. Refellit autem hanc opinionem beatiſſimus Auguſtinus, qui in quodam opere ſuo ab eodem martyre hoc opus compoſitum eſſe fatetur. Hæc ille. Putauerat quidem hoc S. Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 64. ſed retractauit poſtea lib. 2. retract. cap. 42. vt dudum vidimus. Conſule notas ad lib. S. Iſidori de viris illuſtribus, cap. 1. Annalium Eccleſ. tom. 2. anno, & tomo 5. anno 410. cap. 60. & Apparatum Poſſeuini verbo Rufinus. Ex his igitur omnibus facile intelliges lector, quo in loco habendus ſit liber iſte, & eius auctoris. Errores quos S. Hieronymus annotauit ſunt hi. Quod hominem Deo exæquat. De Dei ſubſtantia hominem eſſe dicat, Apathiam Stoicam, & impeccantiam cum Origeniſtis introducat. Pelagianiſmos complures contineat. At nos monemus in hoc libro cauendas omnes infra poſitas ſententias, nempe 7. 120. 124. 125. 184. 194. 200. 248. 252. 263. 265. 287. 299. 306. 336. 342. 343. 393. 396. 409. vel enim hæretico, vel erronea, vel male ſonantes ſunt.

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBUS Eccleſiaſticis.

Sixtus II. Pontifex & martyr dicitur ſcripſiſſe librum ſententiarum ſiue prouerbiorum, *qui citatur à S. Auguſt. lib. de natura & gratia cap. 64. Cæterum liber ille falſo tribuitur S. Sixto martyri, cum ſit Sixti Philoſophi ethnici, vt S. Hieronym. demonſtrat in epiſt. ad Cteſiphontem, & in cap. 22. Hieremiæ, & in cap. 18. Ezechiel. & S. Auguſt. lib. 2. Retractat. cap. 42. retractat locum citatum ex lib. de natura & gratia. Denique Gelaſius in Concilio 70. Epiſcoporum reprobat librum prouerbiorum ſub nomine S. Sixti ab hæreticis conſcriptum: dicit autem ab hæreticis conſcriptum, quia Ruffinus eum librum plenum erroribus conuertit ex Græco, & S. Sixto attribuit.*

FIdelis homo, electus homo eſt. 2. Electus homo, homo Dei eſt. 3. Homo Dei eſt, qui Deo dignus eſt. 4. Deo dignus eſt, qui nihil indigne agit. 5. Dubius in fide, infidelis eſt. 6. Infidelis homo, mortuus eſt corpore viuente. 7. Vere fidelis eſt, qui non peccat, atque etiam in minimis caute agit. 8. Non eſt minimum in humana vita, negligere minima. 9. Omne peccatum impietatem puta. Non enim manus, vel oculus peccat, vel aliquod huiuſmodi membrum: ſed male vti manu vel oculo, peccatum eſt. 10. Omne membrum corporis, quod inuitat te contra pudicitiam agere, abijciendum eſt. Melius eſt vno membro viuere, quam cum duobus puniri. 11. Immortales crede te manere in iudicio honores & pœnas. 12. Si quæcunque in hoc mundo habes aliquis auferat tibi, ne indigneris. 13. Inculpatus eſto. 14. Omnia auferenti à te cede, præter libertatem. 15. Sapiens vir, & pecuniæ contemptor, ſimilis eſt Deo. 16. Rebus mundanis in cauſis tantum neceſſariis vtere. 17. Quæ mundi ſunt, mundo: & quæ Dei ſunt, reddantur Deo. 18. Certus eſto, quod animam tuam fidele depoſitum acceperis à Deo. 19. Cum loqueris Deo, ſcito quod iudiceris à Deo. 20. Optimam purificationem putato, nocere nemini. 21. Anima purificatur Dei verbo per ſapientiam. 22. Non putes Dei ſapientiam inſenſibilem eſſe. 23. Deus ſicut mens eſt, quæ mouetur. Sponte ſecundum hæc & ſubſiſtit. 24. Magnitudinem Dei non inuenies, etiam ſi pennis volare poſſis. 25. Nomen Dei ne quæras, quia non inuenies: nam omne quod nomine appellatur, à digniore nomen accipit, vt alius quidem vocet, alius autem audiat. Quis ergo eſt, qui nomen impoſuit Deo? Deus autē nō nomen eſt Deo, ſed iudicium quod ſentimus de Deo. 26. Nihil ergo de Deo, quod non licet quæras. 27. Deus ſapiens lux eſt, non capax contrarij. 28. Quæcunque fecit Deus, pro hominibus ea fecit. 29. Angelus miniſter eſt Dei ad hominem. 30. Tam pretioſus eſt homo apud Deum, quam Angelus. 31. Primus beneficus eſt Deus: Secundus eſt is, qui beneficij eius fit particeps homo. Viue igitur ita, tanquam qui ſis ſecundus poſt Deum, & electus ab eo. 32. Habes, inquam, in te aliquid ſimile Dei, & ideo vtere teipſo velut templo Dei, propter illud quod in te ſimile eſt Dei. 33. Reuereatur vitam tuam mundus. Nihil admittas quod tibi inuehat notam. 34. Male viuentes cum è corpore exceſſerint, cruciabit malus dæmon: vſquequo etiam nouiſſimum quadrantem exigat ab eis. 35. Beatus vir cuius animam nemo reprehendit ad Deum euntem. 36. Deum ergo honora ſuper omnia vt ipſe dominetur tibi. 37. Quicquid ſuper omnia honoraueris, hoc tibi dominabitur. Si autem dominatum tui geris Deus, ita tu demum dominaberis omnibus. 38. Honor ſummus Deo, ſcire eum & imitari. 39. Simile quidem Deo per omnia nihil eſt, grata tamen ei eſt inferioris quantum poſſibile eſt imitatio. 40. Templum Sanctum eſt Deo, mens pij, & altare eſt optimum ei, cor mundum, & ſine peccato. 41. Hoſtia ſoli Deo acce-

A ptabilis, benefacere hominibus pro Deo. 42. Deo gratiam præſtat homo, qui quantum poſſibile eſt viuit ſecundum Deum. 43. Deus quidem nullius eget, fidelis autem Dei ſolius: æmulatur ergo illum qui nullius eget, is qui paucis in rebus neceſſarijs indiget. 44. Satage magnus quidem eſſe apud Deum, apud homines vero inuidiam fuge. 45. Si benignus ſis erga indigentes, magnus eris apud Deum. 46. Sapiens vir, cuius viuentis quidem parua eſt apud homines opinio, defuncti vero gloria prædicatur. 47. Omne tempus, quo de Deo non cogitas, hoc puta te perdidiſſe. 48. Corpus quidem tuum incedat in terra, anima autem ſemper ſit apud Deum. 49. Intellige quæ ſint bona, vt bene agas. 50. Bona cogitatio hominis Deum non latet, & ideo cogitatio tua pura ſit ab omni malo. 51. Dignus eſto eo, qui te dignatus eſt filiũ dicere, & age omnia vt filius Dei. 52. Quod Deum patrem vocas, huius in actionibus tuis memor eſto. 53. Vir caſtus & ſine peccato, poteſtatem accepit à Deo eſſe filius Dei. 54. Bona mens, chorus eſt Dei. 55. Mala mens, chorus eſt dæmonũ malorum. 56. Iniuſtum ſi inbibeas agere iniuſte, hoc eſt ſecundum Deum punire. 57. Satage non videri, ſed eſſe iuſtus: certum eſt enim, non eſſe eum, qui videri vult eſſe. 58. Honora quod iuſtum eſt propter hoc ipſum quod iuſtum eſt. 59. Nequaquam latebis Deum agens iniuſte, ſed nec cogitans quidem. 60. Vir ſapiens caſtus erit Deo. 61. Omnem impudicitiam fuge. 62. Semper de bonis loqui ſtude. 63. Libidinem vince, continens corpus in omnibus, quia ex delitijs & voluptatibus non effugies ſpurcitiẽ. 64. Voluptuoſum Deus non exaudit. 65. Delitiarum finis corruptio. 66. Non verbum, ſed ratio præcedat actus tuos. 67. Perniciosum eſt ſeruire vitijs, quia quot vitia habet anima, tot & dominos. 68. Amor pecuniæ amorem carnalium indicat. 69. Acquire poſſeſſionẽ animæ firmam, virtutem. Quid eſt firma poſſeſſio, niſi virtus aut vis animæ? 70. Renuncia rebus corporis, dum adhuc potes, & quantum potes. 71. Hoc ſolum tuum ducito quod bonũ eſt. 72. Qualis vis eſſe dum Deum oras, talis ſemper eſto. 73. Dum optima quæque abieceris prædia, tunc pontificatus pete quod vis à Deo. 74. Lingua maliloqua indiciũ eſt mentis malæ. 75. Inſueſce linguam tuã bene proloqui, & maxime

C cum de Deo ſit ſermo. 76. Nocere Deo nemo poteſt. 77. Impius, in Deum maledicus, & infeſtus, & cõtumelioſus eſt. 78. Fundamentum pietatis eſt continentia: culmen autem pietatis amor Dei. 79. Pium hominem habeto tanquã teipſum. 80. Opta tibi euenire non quod vis, ſed quod expedit. 81. Qualem vis eſſe proximũ tuum tibi, talis eſto & tu tuis proximis. 82. Quæ culpes, facere noli. 83. Nulli ſuadenti acquieſcas petere quod non eſt bonũ. 84. Quod Deus tibi dat nullus auferre poteſt. 85. Delibera priuſquam agas, & antequam agas, prouide quale ſit quod facturus es. 86. Si quid non vis ſcire Deum, iſtud nec agas, nec cogites. 87. Priuſquam agas quodcunque agis, cogita Deum, vt lux eius præcedat actus tuos. 88. Grandis impietas in Deum, affligere hominem. 89. Anima illuſtratur recordatione Dei. 90. Contentus eſſe mediocribus ſtude. 91. Noli omnia concupiſcere. 92. Occaſiones donorum perquire etiam cum labore. 93. Noli diligere ea quæ corporis ſunt. 94. Immundum hominem facit actus turpis. 95. Purgatur anima inſipientis, cum arguitur

D intrinſecus latens ſenſus eius. 96. Deus in bonis actibus hominibus dux eſt. 97. Neminem inimicum deputes. 98. Dilige omne quod eiuſdem tecum naturæ eſt, Deum vero plus quam animam dilige. 99. Peſſimum eſt peccatoribus, in vnum conuenire cum peccant. 100. Multi cibi impediunt caſtitatem, & incontinentia ciborum immundum facit hominem. 101. Animantium omnium vſus quidẽ in cibis indifferens, abſtinere vero rationabilius eſt. 102. Nõ cibi qui per os inferuntur polluunt hominem, ſed ea quæ ex malis actibus proferuntur. 103. Quicquid cupiditate victus acceperis polluit. 104. Multitudini placere ne ſatagas. 105. In omni quod bene agis, autorem eſſe deputa Deum. 106. Mali nullius autor eſt Deus. 107. Non amplius poſſideas quam vſus corporis poſcit. 108. Aurum non eripit animam è malis. 109. In delitijs corporis poſitus, certum eſt quod ignores illa, quæ præparata ſint tibi à Deo. 110. Ea poſſide quæ nullus poſſit auferre à te. 111. Fer quod neceſſe eſt, ſicut neceſſe eſt. 112. Magnanimus eſſe ſtude. 113. Ea quæ contemnes ſi recte laudatis, ne retineas. In quibus probabiliter magnificus eris, hæc obtine. 114. Hæc poſce à Deo

E quæ dignum eſt præſtare Deum. 115. Ratio quæ in te eſt, vitæ tuæ lux eſt. 116. Ea pete à Deo, quæ accipere ab homine non potes. 117. In quibus præcedere debet labor, hæc tibi opta euenire poſt laborem. 118. Oratio vel vota pigri ſermo vanus. 119. Non oportet contemnere ea, quibus etiam poſt diſpoſitionem corporis egemus. 120. Non petas à Deo, id quod cum habueris non perpetuo obtinebis. 121. Inſueſce animam tuam aliquid magnum de ſe ſentire poſt Deum. 122. Nil pretioſum ducas, quod auferre à te poſſit homo malus. 123. Hoc ſolum bonum putato, quod Deo dignũ eſt. 124. Quod Deo dignum eſt, hoc & viro bono. 125. Quicquid non conuenit ad beatitudinem Dei, nõ conueniat homini Dei. 126. Ea debes velle, quæ & Deus vult. 127. Filius Dei eſt, qui hæc ſola pretioſa ducit, quæ & Deus. 128. Donec in deſiderijs eſt caro, anima ignorat Deum. 129. Cupiditas poſſidendi origo auaritiæ eſt. 130. Ea ſui ipſius amore iniuſtitia naſcitur. 131. Corpus animæ moleſtum non natura, ſed peccatum fecit. 132. Omne quod homini plus eſt quam neceſſe ſit, inimicum ei

F eſt. 133. Qui amat quod non expedit, non amabit quod expedit. 134. Sapiens verbis innoteſcit paucis. 135. Qui ſtudet eis quæ non bona, latebunt quæ ſunt bona. 136. Semper apud Deum mens eſt Sapientis. 137. Sapientis mentem Deus inhabitat. 138. Inexplebilis eſt omnis cupiditas, propterea & ſemper indiget. 139. Sapiens ſemper ſimilis eſt ſibi. 140. Sufficit ad beatitudinẽ agnitio Dei ſolius, & imitatio. 141. Malis qui adulatur, peiores eos facit. 142. Intolerabilis fit malitia cum laudatur. 143. Lingua tua ſenſum tuum ſequatur. 144. Melius eſt lapidem fruſtra iactare, quam verbum. Delibera antequã dicas, ne quę non expedit dicas. Verba ſine ſenſu opprobria. 145. Verboſitas non effugiet peccatum. 146. Breuis eſt in ſermonibus ſapiens. 147. Indicium imperitiæ longa narratio. 148. Veritatem dilige. 149. Mẽdacium tanquam veneno vtere. 150. Ante omnia tempus verbis tuis requirito. 151. Tum loquere, quando tacere non expedit. 152. De quibus ignoras tace, de quibus autem certus es, loquere opportune. 153. Sermo extra tempus indicium malitioſę mentis eſt. 154. In cõuentu ne ſatagas primum dicere. 155. Melius eſt vinci vera dicentẽ,

G quam vincere mentientem. 156. Fides actus tuos omnes præcedat. 157. Sapientia animam perducit ad Deum. 158. Nihil tam vernaculum ſapientiæ, quam veritas. 159. Nunquam poteſt anima bona mendacium diligere. 160. Prauo & peſſimo ingenio fides aliena eſt. 161. Fidelis homo audire quæ oportet amat magis, quam dicere quæ non oportet. 162. Vir libidinoſus ad omnia inutilis eſt. 163. Irreprehenſibilis in verbis vtitur Deo. 164. Peccata diſcentium opprobria ſunt doctorum. 165. Mortui ſunt apud Deum, per quos nomen Dei maledicitur. 166. Sapiens homo beneficus poſt Deum. 167. Sermones tui vitam tuam commẽdent auditoribus. 168. Quod fieri non decet, neq; in ſuſpicionem veniat, quaſi id feceris. 169. Quod pati non vis ab alio, neq; id facias. 170. Quæ tibi facere eſt turpe, hæc & alijs imperare facienda turpiſſimũ eſt. 171. Etiam in cogitationibus tuis mundus eſto à peccato. 172. Cum præes hominibus, memento quod & tibi præeſt Deus. 173. Vindictã exercens, ſcito quia & iudiceris à Deo. 174. Maius eſt periculum iudicãtis, quam eius qui iudicatur. 175. Le-

H nius eſt omne vulnus, quam verbum. 176. Poſſibile eſt verbo fallere homines, non autem Deum. 177. Non putes malum, ſi tu cum veritatem ſcias culparis in verbo. 178. Male ſentire de fide, amor iactantiæ facit. 179. Fidelis eſſe magis quam videri ſtude. 180. Cole ſapientem virum tanquam imaginem Dei viuentis. 181. Sapiens vir etiamſi nudus ſit, ſapiens apud te habeatur. 182. Neminem propterea magni æſtimes, quod pecunia diuitijſque abundet. 183. Difficile eſt diuitem ſaluari. 184. Derogare viro ſapienti ac Deo æquale ducito peccatum. 185. Verbum de Deo loquens depoſitum te putato accepiſſe animas. 186. Quod bonum eſt, hoc ſolum te decere puta. 187. Age magna, non magna pollicens. 188. Non eris ſapiens, ſi te reputaueris ſapientẽ. 189. Non poteſt bene viuere qui non integre credit. 190. In tribulationibus quis ſit fidelis agnoſcitur. 191. Finem vitæ exiſtima viuere ſecundum Deum. 192. Nihil putes malum, quod nõ ſit turpe. 193. Mali finis iniuria, iniuriæ autem perditio. 194. Non dominatur mala affectio in mente fidelis. 195. Omnis mala affectio animi rationi eſt inimica. 196. Quicquid feceris animo male affecto pœnitebis.

tebis. 197. Affectiones prauæ ægritudinũ initia. 198. Malitia eſt ægritudo animę. 199. Animæ autẽ mors iniuſtitia & impietas. 200. Tunc te putato fidelẽ, cum paſſionibus animæ carueris. 201. Omnibus hominibus ita vtere, quaſi communis omnium poſt Deum curator. 202. Qui hominibus male vtitur, ſeipſo male vtitur. 203. Qui nihil mali vult, fidelis eſt. 204. Opta vt bene poſſis facere inimicis. 205. Sine Deo non poteris viuere Deo. 206. Malis ineptus videtur vir ſapiens. 207. Omnia ſufferto pro eo, vt ſecundum Deum viuas. 208. Orationem Deus non exaudit hominis, qui egenũ non exaudit. 209. Sapientia ſapientis donum à Deo. 210. Honorans ſapiẽtem teipſum honorabis. 211. Fidelem te eſſe noſce. 212. Cum filium te quis Dei dicit, memento cuius te filium dicat. 213. Deum patrem inuocans in actibus hoc te cordare. 214. Verba tua pietate ſemper plena ſint. 215. In actibus tuis ante oculos pone Deum. 216. Nefas eſt Deum patrem inuocare, & aliquid inhoneſtum agere. 217. Qui non diligit ſapientem, nec ſeipſum diligit. 218. Nulla propria poſſeſſio putetur ſapiẽtis. 219. Quorum cõmunis eſt Deus idemq; pater, hi niſi auxilia & opem in cõmune conferant, impij ſunt. 220. Deo ingratus eſt qui non magni ducit ſapientem. 221. Coniugiũ tibi refutare conceſſum eſt, idcirco vt viuas indeſinenter adhærens Deo. Si autem tanquam prælium ſciens tamen pugnare vir, & vxorem duc, & filios procrea. 222. Adulter eſt in ſuam vxorem omnis impudicus amator ardentior. 223. Nihil propter ſolam libidinem facias. 224. Scito te adulterum eſſe, etiam ſi cogites de adulterio. Sed & de omni peccato eadem ſit tibi ratio. 225. Fidelem te eſſe profeſſus, ſpopondiſti pariter non peccare Deo. 226. Fideli mulieri ornatus ducatur pudicitia. 227. Vir qui vxorem dimittit, profitetur ſe nec mulierem gerere. 228. Mulier pudica gloria viri eſt. 229. Reuerentiam habens vxori, habebis eam reuerẽtem. 230. Fidelium coniugiũ certamen habeat continentiæ. 231. Vt continueris ventrem, ita & venereos motus. 232. Deorta infideliũ laudes. 233. Quæ gratis accepiſti à Deo, præſta gratis. 234. Multitudinem fideliũ non inuenies. Rarum eſt enim omne quod bonum eſt. 235. Sapientem honora poſt Deum. 236. Cum argueris ſapientẽ, diligit te. 237. Qui ſapienti non obtẽperauerit, nec Deo obtemperabit. 238. Fidelis volẽs eſſe, præcipue quidem hoc niteſe, ne pecces: quod etiam ſi forte acciderit, ſaltem caue ne iteres idipſum. 239. Doctrinam quæ non eſt Deo digna ne dicas. 240. Multa velle ſcire, curioſitas animi putanda eſt. 241. Qui cognoſcit quæ Deo digna ſunt, ille ſapiens eſt. 242. Doctrinam ex qua proficere potes in amore Dei, illam neceſſario expete. 243. Sapiens vir parcit ne perdat tempus. 244. Fiduciam cũ verecundia habeto. 245. Excrucient te liberi male viuentes, magis quam morientes. 246. Filij infideles nec filij. 247. Fidelis vir non ægre fert abiectionẽ liberorum. 248. Viuere quidem non eſt in nobis, recte autem viuere in nobis eſt. 249. Non iudices eſſe ſapientiæ ſtudioſum, cui non de omnibus credis. 250. Criminationes aduerſus ſapientiæ ſtudioſum noli admittere. 251. Stude communiter omnibus benefacere. 252. Execrabile tibi ſit, etiã iuſte aliquid punire. 253. Si vis cum lætitia animi viuere, noli multa agere. In multis enim actionibus minor eris. 254. Quod non poſuiſti ne tollas, ſed ſufficiant tibi quæ tua ſunt. 255. Relinquens quæ poſſides, ſequere verbum Dei. Liber enim eris ab omnibus cum Deo ſecutus eris. 256. Ceſſa à cibo. 257. Ede citra ſatietatem. 258. Omni homini imparito. 259. Pro reficiendo paupere etiam ieiunare bonum eſt. 260. Omne poculũ tibi ſuaue ſit, quod ſitim extinguit. 261. Ebrietatẽ quaſi inſaniam fuge. 262. Homo qui à ventre vincitur, belue ſimilis eſt. 263. Ex carne nihil oritur bonum. 264. Turpiſſimæ libidinis ea quidẽ, quæ ſuauia ſunt cito tranſeunt, probra vero perpetuo manent. 265. Solẽt homines abſcindere aliqua membrorum ſuorum pro ſanitate reliquorum, quãto id præſtantius pro pudicitia fiet? 266. Grandem pœnam putato cum in deſiderijs obtinueris, nunquam enim ſedat deſiderium adeptio deſideratorum. 267. Non eſt ſapienter factum, in quo libertas aufertur. 268. Beata habere omnes quidem optant, obtinent autem qui ſemetipſos integre verbo Dei mancipauerint. 269. Sapientiæ amator, & honeſtus eſto, & non obtrectator. 270. Rara ſit obiurgatio tua, & opportuna. 271. Nimius riſus indicium eſt animi negligentis, ne ergo tantum tibi indulgeas vt riſu diffluas. 272. Caſtorũ vita ſit tibi honeſtatis exẽplum. 273. Optimum quidẽ eſt non peccare, peccantem vero agnoſcere quã ignorare, melius eſt. 274. Iactans non eſt ſapiens. 275. Magnũ ſcito eſſe ſapientiam, per quam ferre potes ineruditorum inſipientiam. 276. Turpe diuitem proprio ore laudari. 277. Sapientum animæ inſatiabiles ſunt in amore Dei. 278. Exordium in agendo à Deo ſume quæ agis. 279. Ore autem prius Deum habeto & mente quam reſpues. 280. Ea quæ oportet dicere & ita facere, ne coneris facere antequam diſcas. 281. Carnem noli amare. 282. Animam bonam poſt Deum dilige. 283. Domeſticorum indignationes ferre ſapientis eſt. 284. Sapiẽtum diuitiæ continentia. 285. Si quod proprium alij tradideris, at ipſe non habebis, non iudices bonum. 286. Iuſta communio ſeruanda. 287. Non dicas aliquod alio peccato leuius. 288. Sicut in benefactis laudari vis, ita in delictis patienter recipe ſi culperis. 289. Quorum laudes contemnis, eorum neq; derogationes magni pendas. 290. Theſaurum quidem defodere inhumanum eſt, inuentum auferre non eſt ſapientis. 291. Quantum laboras pro corpore, ſi tantum labores pro anima ſapiens eris. 292. Sapiens nõ eſt qui nocet. 293. Ad omnia quę agis, Deum inuoca teſtẽ. 294. Deus bonos actus hominum confirmat. 295. Malorum actuum malus dęmon dux eſt. 296. Sapiens vir Deum hominibus commendat. 297. Deus ſuper omnia opera ſua plus ſuper ſapientem gloriatur. 298. Nihil tale poſt Deum verum ſicut ſapiens. 299. Quæcunq; Deus poſſidet, hæc & ſapiens. 300. Malus vir non putat eſſe prouidentiam. 301. Anima mala Deum fugit. 302. Omne quod malum eſt, Deo inimicum eſt. 303. Qui ſapit in te, hunc dicito eſſe hominem. 304. Particeps Dei eſt vir ſapiens. 305. Vbi eſt quod ſapit in te, ibi eſt & bonum tuum. 306. Bonum in carne non quæras. 307. Quod animæ non nocet, nec homini. 308. Sapientem hominem tanquam Dei miniſtrum honora poſt Deum. 309. Tabernaculum quidem corporis grauiter ferre ſuperbum eſt. 310. Deponere autem poſſe cum oportuerit, in pace beatum eſt. 311. Mortis quidẽ ipſe tibi cauſa non fias. 312. Si quis autem vult te corpore exuere: ne indigneris. 313. Sapientem ſi quis de corpore extrudat iniuſte, in iniquitate ſua beneficium ei præſtat, abſoluitur enim tanquam è vinculis. 314. Hominem metus mortis contriſtat pro imperitia animæ. 315. Ferrum quo homines interimuntur optimũ fuerat non fieri, factum tamen apud te non ſit. 316. Nulla ſimulatio multo tempore latebit, maxime in fine. 317. Vt ſunt mores tui, talis & vita tua, mors enim religioſi facit vitam beatã. 318. Qui cogitat aduerſus aliũ mala, ipſa prę ceteris ipſe perfert mala. 319. Ne te impediat à benefaciẽdo homo ingratus. 320. Optime facultatibus vtitur is, qui indigentibus libenter tribuit. 321. Fratrem volentem à fide recedere, hortare ne faciat, etſi inſanabilis ſit magis obſerua. 322. In fide conare omnes homines vincere. 323. Intellectũ nõ prius habebis quã intellexeris te habere. 324. Stude tua ſorte contentus eſſe. 325. Membra corporis ſarcina ſunt ijs qui eis non vtuntur. 326. Miniſtrare alijs melius eſt, quam ab alijs miniſtrari. 327. Quẽ Deus non emittit è corpore, ne grauiter ferat. 328. Sententiã quæ miſericordiam vetat, non ſolum non tenere ſed audire refuge. 329. Qui dat aliquid & imputat, contumeliam magis quam beneficium dedit. 330. Qui tuetur pupillos, erit multorum filiorum ſecundum Deum pater. 331. Quicquid egeris cauſa gloriæ, merces facti tui erit. 332. Si quid dederis vt hominibus innoteſcas, non homini, ſed propriæ libidini pręſtitiſti. 333. Iracũdiam multitudinis ne prouoces in te. 334. Diſce quod oportet fieri vt beatus fias. 335. Melius eſt fame mori, quam per incontinentiam ventris maculare animam. 336. Veſtimentum eſſe putato animæ corpus tuum, mũdum igitur id conſerua. 337. Qualia ſtudia geſſerit anima corpus inhabitans, tales habebit teſtes in iudicio. 338. Immũdam animam ſibi dęmones immundi vendicant. 339. Fidelem animã & bonam in via Dei mali dæmones non impediunt. 340. Verbum de Deo non omni homini committas. 341. Non eſt tutum audire de Deo homines vanæ gloriæ iactantia corruptos. 342. De Deo etiam quæ vera ſunt, loqui periculum eſt, & non paruum. 343. De Deo nihil dicas quod non didiceris à Deo, vel ei qui non credit, de Deo nihil loquaris. 344. Verbum verum vt Deum honora. 345. Si immunis non es à flagitioſis operibus, de Deo nihil diſceptes. 346. Sermo verus de Deo, ſermo Dei eſt. 347. Si ſcis quod acceptum habent de te, quod diligis Deum, hi qui

A te audiunt, tunc eis loquere de Deo. 348. Opera charitatis
Dei procedant abste, & tunc ſermonem facito de Deo.349
In multitudine dicere de Deo non audeas.350 Verbû de Deo
parcius proferto quam de anima. Melius eſt animam perde-
re, quam verbû vanû de Deo proferre.351. Vitiamantis Deû,
corporis poteſtatem habet leo, & tyrannus ſimiliter.352. Cû
tibi minatur tyrannus, cuius ſis, tunc memor maximè eſto.
353. Verbû de Deo reticere præſtat magis quam temere pro-
ferre.354. Qui dicit de Deo quæ non ſunt, contra eû falſum
loquitur.355. Deum non cognouit, qui non colit.356. Nô eſt
verum quod Deum colat qui hominê lædit.357. Fundameo-
tû,& initiû eſt cultus Dei, amare Dei homines.358. Qui ho-
minû curam gerit, & orat Deû pro eis, iſte verè à Deo eſſe
putâdus eſt.359. Dei propriû eſt ſaluare, quos dignos iudicat.
360. Cultoris aût Dei eſt orare Deû pro ſalute hominû. 361.
Cum oranti tibi præſtitû fuerit quod popoſciſti à Deo, tunc
tibi poteſtatem permiſſam à Deo intellige 363. Dignus Deo
homo, Deus eſt & in hominibus. 364. Melius eſt nihil
B habere, quâ multa habentê nemini impertiri. 365. Si non
das egenti cum poſcit, non accipies à Deo cû popoſceris 366
Qui ex animo dat cibû indigenti, parû quidê eſt quod dat,
ſed magna fiet et bonæ voluntatis retributio.367. Deum qui
putat eſſe, & nihil ab eo curari, nihil differt ab eo, qui non
credit eſſe Deum,368. Optimè honorat Deû ille, qui mentê
ſuâ quantû fieri poteſt ſimilê Deo facit.369. Deus quidê ne-
quaquâ eget, lætatur tamen ſuper his qui indigentib. tribu-
unt.370. Fidelium pauca ſint verba, opera aût multa.371. Fi-
delis qui libenter vult docere, operarius efficietur veritatis.
372. Præpara & apta te ad tribulationes, & lætus eris.373.
Neminê lædens nullum timebis.374. Tyrannus beatitudi-
nê non aufert.375. Quod fieri neceſſe eſt voluntariè ſacrifi-
cato.376. Quod non oportet fieri, nullo modo facias. 377.
Omnê magis cauſam refer ad Deû.378. Nemo ſapiens eſt qui
deorſum reſpicit in terrâ.379. Immenſa amatoris ſapientiæ
libertas non ſit in homine, ſed in anima.380. Mentiri in vita
decipere eſt, & decipi.381. Quid ſit Deus agnoſce, & quid in
te quod agnoſcit Deû.382. Dei opus bonû, homo bonus.383
Sine Deo ſunt hi, pro quibus verbum Dei maledicitur.384.
C Animam mors non perdit, ſed mala vita.385. Si ſcis à quo fa-
ctus es teipſum agnoſcis.386. Non eſt ſecundum Deû viue-
re, niſi pudicè, & bene, & iuſtè quis agat.387. Hominû infi-
delîû vita opprobrium eſt.388. Animam de terra fides ele-
uat ad Deû.389. Animæ ſapientis magnitudinem non inue-
nies, ſicut nec Dei quidem. 390. Quæcunque dat mundus,
nemo firmiter tenet. 391. Quæcunque dat Deus nemo au-
ferre poteſt.392. Diuina ſapientia vera eſt ſcientia. 393. Im-
mundæ animæ ne audeas loqui de Deo. 394. Viri periculû
in operibus primo ſicut in verbis facito.395. Aures tuas non
omnibus committas. 396. Operari quidem Deo omnibus
facile eſt, dicere autem de Deo ſoli tuto permittendum.
397. Non cruciet anima tua corpus tuum, neque animam
tuam libido corporis.398. Inſueſce teipſum quidem corpo-
ri præbere quæ ſua ſunt caſtè, & animæ quæ ſua ſunt piè.399
Paſce animam tuam verbo Dei, & corpus ſimplicibus cibis.
D 400. Illis inſueſce animam tuam gaudens, in quibus rectè
gaudeat. Anima quæ iniquis rebus gaudet, indigna eſt apud
Deum. 401. Sapientis anima audit Deum, ſapientis anima
aptatur à Deo, ſapientis anima ſemper eſt cum Deo. 402.
Cor diligentis Deum in manu Dei ſtabilitum eſt. 403. Ani-
mæ aſcenſus ad Deum per Dei verbum eſt. 404. Sapiens ſe-
quitur Deum, & Deus animam ſapientis. 405. Gaudet rex
ſuper his quos regit, gaudet ergo Deus ſuper ſapiente. Inſe-
parabilis eſt & ab his quos regit ille, qui regit, ita ergo &
Deus ab anima ſapientis quam tuetur & regit. 406. Regitur
à Deo vir ſapiens, & idcirco beatus eſt. 407. Anima ſapien-
tis ac mens Deo probatur. 408. Sapiens vir & cum tacet ho-
norat Deû. 409. Venerem & ea quæ ſub aluo ſunt non con-
tinens, nec fidelis. Homo incontinens polluit Deum. 410.
Hominê ſcientia Dei paucis verbis vti facit. 411. Multis ver-
bis vti de Deo ignorantia Dei facit. 412. Homo qui Dei co-
gnitionem habet non multa ambitione vtitur. 413. Qui ele-
ctus Dei eſt, facit quidem omnia ſecundû Deum, eſſe autem
ſeipſum non iactat. 414. Fidelis homo ſemper in metu eſt vſ-
quequo eat ad Deum. 415. Homo qui ſecundo ſatiatur cibo
non dormit noctu nec concubitum effugit, ſed nec dignus
E eſt apud Deû. 416. Alioqsin & Deus grauiter fert libidines
corporis. 417. Fidelis vir continentia paſcitur. 418. Sapien-
tem fatum non facit, gratia enim Dei fato non ſubiacet. 419
Agnoſce qui ſunt filij Dei in creaturis eius, & honora vnum-
quenq; pro merito poſt Deum. 420. Nil proprium Dei di-
cas quod malum eſt. 421. Fidelis anima & caſta & ſapiens,
Propheta veritatis Dei eſt. 422. Non amabis Dominû Deum
niſi habueris in te aliquid ſimile Dei. 423. Amicum deputa
ſimilem ſimili tantummodo. 424 Si non diligis Deum, nô
ibis ad Deum. 425. Conſueſce teipſum ſemper reſpicere ad
Deum. 426. Intuendo Deum videbis Deum. 427. Videns
Deû facies mentê tuam qualis eſt Deus. 428. Excole quod
intra te eſt, nec ei ex libidine corporis côtumeliâ facias. 429.
Incôtaminatum cuſtodi corpus tuum, tâquam ſi indumê-
tû acceperis à Deo, & ſicut veſtimentû corporis immaculatû
ſeruare ſtude. 430. Sapiens mens ſpeculum eſt Dei.

BEATI DIONYSII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI, F

Epiſtola aduerſus Paulum Samoſatenſem Epiſcopum Antiochiæ.

Franciſco Turriano Societatis Ieſu Interprete.

Romæ primum edita, Anno 1608.

SANCTVS HIERONYMVS IN LIBRO DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

DIONYSIUS *Alexandrina vrbis Epiſcopus, ſub Heracla ſcholam* [Greek] *presbyter tenuit, & Origenis valde inſignis auditor fuit. Hic in Cypriani & Africanæ ſynodi dogma conſentiens, de hereticis rebaptizandis, ad diuerſos plurimas miſit Epiſtolas quæ vſq; hodie extant: & ad Flauianum Antiochenæ vrbis Epiſcopû ſcripſit de pœnitentia, & ad Romanos per Hippolytum alteram: ad Xyſtû, qui Stephano ſucceſſerat, duas Epiſtolas: & ad Philemonem, & ad Dionyſium, Romanæ Eccleſiæ presbyteros, duas epiſtolas: & ad eundê Dionyſium poſtea Romæ Epiſcopum: & ad Nouatianum cauſantem quod inuitus Romæ Epiſcopus ordinatus eſſet, cuius epiſtola hoc exordiû eſt: Dionyſius Nouatiano fratri ſalutem. Si inuitus, vt dicis, ordinatus es, probabis cum volens receſſeris. Eſt enim ad Dionyſium & ad Didymum altera epiſtola: &* [Greek] *de Paſcha plurimæ declamatorio ſermone conſcriptæ, & ad Alexandrinam Eccleſiam de exilio, & ad Heraclam in AEgypto Epiſcopum, & alia de mortalitate, & de Sabbato,* [Greek]*, & ad Hermammonê, & alia de perſecutione Decij: & duo libri aduerſum Nepotem Epiſcopum, qui mille annorum corporale regnum ſuis ſcriptis aſſeuerat, in quibus & de Apocalypſi Ioannis diligentiſſime diſputat: & aduerſum Sabellium, & ad Ammonê Beronices Epiſcopum, & ad Teleſphorum, & ad Euphran, & quatuor libri ad Dionyſium Romanæ vrbis Epiſcopum, & ad Laoditenſes de pœnitentia, item ad Cononem de pœnitentia, & ad Origenem de martyrio, ad Armenos de pœnitentia, & de ordine delictorum, de natura ad Timotheum, de tentationibus ad Euphranorem. Ad Baſilidem quoq; multæ epiſtolæ, in quarum vna ſe aſſerit etiam in Eccleſiaſten cœpiſſe ſcribere cômentarios. Sed aduerſus Paulû Samoſatenû ante paucos dies quâ moreretur, inſignis eius fertur epiſtola. Moritur 12. Gallieni anno.* Bonſuc. G H

DE SCRIPTIS DIONYSII EPISCOPI ALEXANDRINI.

Euſebius l. vi & vij. Hiſt. Eccl. Dionyſium multa ſcripſiſſe commemorat, quorum hodie fragmenta illa ſolum extant quæ ipſe hiſtoria ſua inſeruit. Ea verò quæ recenſet, hæc ſunt.

De pœnitêtia, & de Martyrib. Alexandriæ ſub Decio, ad Fabiû (*Flauianû*) Epiſcopum Antioch. *Lib.6.c.34 & 36.*

Ad Nouatum [*Nouatianum vocat Hieron.*] presbyterum, Eccleſiam Romanam perturbantem. *Ibid. c.37.*

De pœnitentia ad Ægyptios, in qua de lapſis ſententiam ſuam ponit, & ordines delictorum. *Eod. lib. c.38.*

De pœnitêtia ad Cononê Hermopolitanû Epiſcopû. *Ibid.*

Ad Eccleſiam Alexandrinam hortatoria. *Ibid.*

De martyrio ad Origenem. *Ibid.*

De pœnitentia ad Laodicenos, quorû Epiſcopus erat Thelymidres. *Ibi.*

A De pœnitentia ad Armenios, quorum Epiſcopus erat Meruſanes. *Ibid.*

Ad Cornelium Epiſcopum Romanum, accepta eius contra Nouatum epiſtola: vbi meminit ſynodi Antiochenæ contra Nouatianos, & Fabij Antiocheni obitus. *Ibid.*

Ad Romanos διακονική, per Hippolytum miſſa. *Ibid.*

De pace ad eoſdem alia. *Ibid.*

De pœnitentia ad eoſdem alia. *Ibid.*

Ad Confeſſores Romæ exiſtentes, qui Nouato adhærebant. *Ibid.*

Ad eoſdem Confeſſores, ad Eccleſiam iam conuerſos duæ: & aliæ ad alios complures. *Ibid.*

De Baptiſmo prima, ad Stephanum Papam. *lib. 7. c. 2. & 4.*

De Baptiſmo ſecunda, ad Xyſtum Papam, in qua meminit Sabellianæ hæreſis in Pentapoli exortæ, & epiſtolarum ad Dionyſium & Philemonem Presbyteros Rom. *Ibid. cap. 4. & 5.*

B De Baptiſmo tertia, ad Philemonem Presbyterum Romanum, vbi meminit ſynodi Iconienſis & Synadicenſis. *Ibid. cap. 6.*

De Baptiſmo quarta, ad Dionyſium tunc Presbyterum Ro. in qua etiam ſcribit contra Nouatum. *Ibid. cap. 7.*

De Baptiſmo quinta, ad Xyſtum Papam, in qua de quodam qui ab hæreticis olim baptizatus, petebat rebaptizari. *Ibid. c. 8.*

De Baptiſmo ſexta, à Dionyſio & Eccleſia Alexandrina ad Xyſtum & Eccleſiam Romanam. *Ibid.*

De Luciano ad Dionyſium Epiſcopum Romanum. *Ibid.*

De exilio & perſecutione ſua, & de ijs quæ ſub Decio & Valeriano paſſus eſt, ad Germanum Epiſcopum ſcripta, prouinciam adhuc regente Æmiliano. *Li. 6. c. 33. & l. 7. c. 10.*

Paſchalis, ἑορταστική, ad Flauium, per hæc tempora ſcripta. *Lib. 7 cap. 15.*

Paſchalis altera ad Domitium & Didymum, in qua canonem octennij tradit, & Paſcha non niſi poſt æquinoctium vernum celebrandum eſſe docet, & de Confeſſoribus ſub Æmiliano. *Ibid. c. 10. & 15.*

C Paſchalis tertia ad Presbyteros Alexandrinos. *Ibid. c. 15.*

Paſchalis quarta ad Alexandrinos, poſt reditũ eius ab exilio, cum ſeditio orta eſſet Alexandriæ, ſcripta ex ipſa vrbe. *Ibi.*

Paſchalis quinta ad Hieracem Epiſcopum Ægyptium, in qua meminit ſeditionis vrbis Alexandrinæ. *Ibid. c. 16.*

Paſchalis ſexta ad Alexandrinos, graſſante peſtilentia poſt ſeditionem. *Ibid. c. 17.*

Paſchalis ſeptima ad Ægyptios, reddita pace ciuitati: & alijs aliæ. *Ibid. c. 18.*

De Sabbato. *Ibid.*

De gymnaſio, ſiue de exercitio. *Ibid.*

De perſecutione Decij & aliorum qui eum ſubſecuti ſunt: & de pace ſub Gallieno, anno eius nono ſcripta, ad Hermammonem & fratres in Ægypto. *Lib. 7. c. 1. 9. & 18.*

De promiſſionibus, aduerſus Nepotem Epiſcopum Ægypti, Chiliaſtarum auctorem, libri duo, in quorum poſtremo diſſerit de Apocalypſi B. Ioannis *Ibid. c. 19.*

D Contra Sabellium, ad Ammonem Epiſcopum Berenicenſem plures epiſtolæ. *Ibid. c. 21.*

Contra eumdem, ad Teleſphorum. *Ibid.*

Hanc & ſequentem citat S. Athan. in Epiſt. de ſententia Dionyſii Alexand.

Contra eumdem, ad Euphranorem. *Ibid.*

Contra eumdem, ad Ammonem & Euporum. *Ibid.*

De eodem argumento libri quatuor, ad Dionyſium Papam. *Ibid. Ex ijs aliqua referuntur ab Athanaſio in lib. de decretis Nicænæ Synodi ſuper hæreſi Ariana.*

De natura, ad Timotheum filium. *Ibid.*

De tentationibus, ad Euphranorem. *Ibid.*

Ad Baſilidem Epiſcopum Pentapolis plures epiſtolæ, *quarum vna tantum nunc extat, in qua reſpondet quatuor eius interrogationibus. Eam ex Theodoro Balſamone hic adiecimus. In alia ſe in principium Eccleſiaſtis ſcripſiſſe ait.*

Et fere hæc eadem reperiuntur à Niceph. lib. 5. & 6. hiſt. Eccleſ. qui addit c. 4. Dionyſium ſcripſiſſe Epiſtolam de lapſis in Eccleſiam recipiendis. quæ fortaſſe illa eſt, quam Euſebius ad Ægyptios ſcriptam eſſe dicit de pœnitentia.

S. Athanaſius in Epiſtola de ſententia Dionyſii Alexand. aduerſus Arianos, ſcribit Dionyſium compoſuiſſe volumen contra Sabellii ſectatores & Arij dogmata: *in cuius explicationem, & criminis ſibi obiecti defenſionem opus edidit ſub nomine* Elenchi & Apologiæ: *Et in eo ipſemet teſtatur ſe aliam ſcripſiſſe epiſtolam, vt ſe de crimine purgaret: quam idem Athanaſius in tract. de decretis Nicænæ Synodi ſuper hæreſi Ariana, ad Dionyſium Epiſcopum Rom. miſſam fuiſſe dicit. Plura, ex eo potiſſimum libro qui* Elenchus & Apologia, *inſcribitur, atque ex alijs etiam eius operibus adducit teſtimonia idem Athanaſius locis citatis, ad oſtendendam Dionyſii rectam fidem, illumq; cum Arianis non ſenſiſſe, vt ijdem falſa calumnia contendebant.* E

Photius in Bibliotheca, cap. ccxxxij. ex Stephano Tritheita cognomento Gobaro.

Origenem & Theognoſtum magnus ille Athanaſius Alexandrinis in multis libris admittit: & Titus Boſtrorum & Gregorius Theologus in epiſtolis eumdem Philocalum nominat: & Nyſſenus laudabiliter eius mentionem facit, & Dionyſius Alexandrinus ad hunc eumdem ſcribit: & poſt mortem illius ſcribens ad Theotecnum Cæſarienſem Epiſcopum, laudat Origenem, &c. F

Anaſtaſius Nicænus quæſt. xxiij. in Geneſim, quæ Græcè habetur, citat fragmentum Dionyſii Alexand. ex ſermone contra Origenem: quis fortaſſe eſt alterius Dionyſii, cum hic noſter Origenis fautor fuerit, vt ſcribit Hieronymus, illumq; laudauerit, vt ait Photius.

Ioannes etiam Cypariſſiota Decad. 1. c. 1. & Decad. 2. cap. 2. adducit verba Dionyſii Alexand. ex annotationibus in Dionyſium Areopag. Sed hic Dionyſius qui ſcripſit ſcholia in Dionyſium Areopag. à Niceta Choniate l. 2. Theſauri c. 15. appellatur Rhetor, & idem fortaſſe erit apud vtrumq; auctorem, & hoc noſtro poſteriorem.

Euthymius in panoplia, tit. xij. c. 29. citat epiſtolam Dionyſii ad Dionyſium Epiſcopum Rom. de qua Euſebius & Athanaſius: citat etiam orationem ſecundam aduerſus Sabellianos.

De ſcriptis eius contra Paulum Samoſatenum hæc habet Euſeb. Libr. 7. cap. 22.

Demetriano Antiochiæ mortuo, Epiſcopatum illius Paulus Samoſatenus ſuſcepit. Quoniam vero humiliter ille & abiecte, contraq; doctrinam Eccleſiaſticam de Chriſto ſentiebat, nempe quod natura communis homo perinde atque nos ſit, Alexandrinus Dionyſius ad Synodum vocatus: ſenectutem pariter & corporis imbecillitatem cauſatus, aduentum ſuum diſtulit, & interim per epiſtolam ſententiam ſuam de quæſtione illa expoſuit. Reliqui autem Eccleſiarum Paſtores Antiochiam cuncti accurrerunt. G

Et Nicephorus l. 6. c. 24. Scripſit itidem Dionyſius contra Paulum Samoſatenum & Manetem, qui eo tempore extiterũt. *Et cap.* 27. Dionyſius Paulum litteris eſt cohortatus, & ad eos qui illi adhærebant, ſententiam ſuam de propoſita quæſtione miſit.

Synodus Antiochena ſecunda, quæ Samoſatenum damnauit, in epiſtola ad Dionyſium Epiſcopum Romanum & Maximum Alexandrinum, apud Euſeb. lib. 7. c. 24.

Multos quidem etiam ex remotiorib. Epiſcopis ad medendum lenſerę doctrinæ litteris noſtris huc vocauimus, ſicut & Dionyſium Alexandrinæ & Firmilianum Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopos, viros in Domino beatos, quorum alter eum huc Antiochiam ſcriberet, ducem erroris ne ſalutare quidẽ dignatus eſt, neq; ad illius perſonam, ſed ad totam parœciam ſcripſit, cuius etiam exemplum ſubijcimus: Firmilianus vero bis venit, &c. *Tertio veniens ad ſecundam Synodum Tarſi obijt.* H

Theodoretus lib. 2. hæretic. fabul. cap. de Paulo Samoſateno.

Et Dionyſius quidem Alexandrinus Epiſcopus, qui fuit doctrina inſignis, peregrinationem non ſuſcepit propter ſenectutis imbecillitatem, litteris autem eis ſuaſit quę conueniebant, & Epiſcopos qui ſimul congregati erant, ad zelum pro pietate ſuſcipiendum excitauit.

Nicetas Choniates lib. 4. Theſauri, de hæreſi Pauli Samoſateni.

Magnus autem ille Dionyſius Alexandrinus prę ſenio intereſſe non potuit Concilio, litteris tamen eos qui conuenerant, ad veritatis propugnationem excitauit.

S. Athanaſius in epiſt. quod Nicæna Synodus congruis & pijs verbis expoſuit quæ decreuit, & in epiſt. de ſententia Dionyſii Alex. contra Arianos, teſtatur, vocem illã ὁμοούσιον, non fuiſſe primum adinuentam à Patribus Concilij Nicæni, ſed acceptam ab antiquioribus,

& no-

A *& nominatim à Dionyſio Alexandrino: qui Dionyſius in hac epiſt. contra Paulum Samoſaten. ait:* Et quem ſancti patres homouſion Patri vocauerunt.

EX BELLARMINO DE SCRIptorib. Eccleſiaſticis.

S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, æqualis fuit S. Cypriani, ſed paulo prior in Epiſcopatu, & paulo poſterior in morte: & ſcripſit libros & epiſtolas multas, teſte S. Hieron. de ſcript. Eccleſ. Extat nunc epiſtola vna ſatis breuis inter canones Eccleſiaſticos Græcorum cum annotationibus Balſamonis. Extant etiam multa & magna fragmenta operum huius Dionyſii apud Euſeb. lib. 6. hiſt. ca. 33. & ſequentib. vſq; ad finem libri, & l. 7. ca. 1. & ſequentib. vſq; ad 28. Extant deniq; alia fragmenta apud Athanaſium in libro de ſententia Dionyſ. Alexandrini, & lib. de ſententia Nicænæ Synodi. Neq; de his vlla controuerſia eſt. B

DIONYSIVS ET COMPRESBYTERI ECCLESIÆ ALEXANDRINÆ IN DOMINO SALVtem.

Reſcripſimos ad ea quæ prius ſcripſiſti, vt eliceremus te ad dicendum aperte quod vis dicere: & nunc pro viribus ſcribimus, de quibus iterum dixiſti; oſtendentes ſingula verbaque à te turſus collecta ſunt, friuola ac vitioſa eſſe, nullamq; certæ ac veræ rationis concluſioné habentia. Satis vero refelli puſſe quæ tibi viſum eſt temere ac præcipitãter enuntiare, C cum dicis duas hypoſtaſes eſſe, & duas perſonas vnius & ſolius Chriſti, & duos Chriſtos, ac duos filios, vnũ natura filium Dei, qui fuit ante ſæcula, & vnũ homonyme Chriſtum, & filium Dauid, qui non fuit ante, & fuit in tempore, & ſecundum beneplacitum Dei accepit nomen filij, ſicut ciuitas accipit nomen domini, & domus nomen eius qui eam ædificauit. Volens ignoras, ô amice, vnum & vnigenitum filium Dei prædicatum eſſe, vt ſcripturæ diuinitus afflatæ de eo teſtantur, 1. Cor. 2 & Chriſtum Ieſum vocatum Dominum gloriæ, ſicut de eo dictum eſt, qui propria paſſione ſaluos facit credentes in eum, ſecundum diuinitatem, inquam, ſaluos facit, & non ſecundum humanitatem. *Ipſe* Matt. 1. *enim*, inquit, *ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Solus enim Deus poteſt ſaluos facere à peccatis, ſicut is, cui debetur, ſolus poteſt remittere & condonare debitum. *Quis enim* Mich. 7. *Deus ſicut tu, auferens iniquitates, & præteriens peccata?* Audi igitur & intellige contra ea quæ à te dicta ſunt, & aduerte quæ à te dicuntur. D Homo maioribus à Deo gratiis eius beneplacito honoratus, præſertim cum magis Deo probaretur vitam ducendo ſtudioſam. In Chriſto Ieſo nihil horum ſpectatum eſt. Non fuit in eo propter prudentiam ſtudium laboris, neque propter temperantiam ciborum abſtinentia, (1) vtpote qui modum humanum ſuperaret. At Ioannes quidem in admiratione erat, cum neque pane veſceretur, Matt. 11. Matt. 3. neque vinum biberet: Chriſtus vero (vt ſcriptura teſtatur) edebat & bibebat, atque ille quidem in ſolitudine viuens, aſceticam vitam degebat, vt Deo placeret: Dominus verò Ieſus verſabatur cum Apoſtolis & reliquis, non ſeparatus ab eis quibuſcum erat, & ob id planè apparebat quod Chriſtus magna puritate & iuſtitia incomparabili, Ioanni antecelleret, quia in Ioanne quidem erat opus & labor iuſtitiæ, (2) in Ieſu vero natura. Abſurdum igitur eſt dicere, hominem Chriſtũ magis Deo placuiſſe, quam omnes homines ad habitandum in eo, idque ſine dura & laborioſa exercitatione iuſtitiæ. Chriſtus enim non ſolo nomine, ſed veritate eſt Chriſtus Ieſus, qui eſt ante ſæcula Verbum, ipſe factus eſt homo ex Maria incarnatus. Non enim ſortitus eſt vnctionem externam, ſicut nos ſortiti ſumus, qui ante nõ vocabamur Chriſti: ipſe vero ſemper prædicatur Chriſtus Dominus, vt qui eſt. Niſi enim eſſet Chriſtus † ipſa per ſe res, an

† id eſt, iſſa per ſe vnctio Chriſtus

non ſuperuacanee ſcriberet Paulus, quod Iſrael bibebat ex E petra ſpirituali, conſequente eos petra, & quod petra erat Chriſtus? Si igitur Chriſtus non erat, (quod abſit) neque Verbum erat. tu vero dicis, quod (3) ante Mariam non erat: at (4) Hieremias dicit, atteſtante ſimul ſacro docto e, quod petra erat Chriſtus, ſicut ait Ioannes Euangeliſta: *In principio erat Verbum.* ipſe, ait, qui eſt ſemper Chriſtus Verbum. *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.* Et bene ſcriptum eſt illud, quod non capiet mundus eos qui ſcribendi eſſent libri Chriſti Verbi. Tu es vnus non capientium, ſed potius ſerpis ſuper pectus & ventrem, terram comedens omnibus diebus vitæ tuæ, ſecundum opera tua & actiones cogitans contra Dominum, qui eſt Pater Chriſti, & contra Chriſtum eius, qui eſt Chriſtus Dei virtus, ſapientia Patris, qui eſt Verbum ſempiternum. Cum enim eſſet æternus, factus eſt puer, genitus nobis filius. Sicut enim prædictum eſt, quod diuiſa ſunt veſtimenta eius, & factum eſt, perductaq; ad exitum quæ fuot prænunciata: ſic intelligimus quæ nobis extremis temporibus reuelata ſunt, cum eſſent antequam à nobis cognita eſſent: F cuiuſmodi eſt quod Luc. 22. erat Spiritus ſanctus. Sunt autem etiam nunc homines qui neſciunt an ſit Spiritus ſanctus: an propter eorum ignorantiam non erat Spiritus ſanctus? Similiter non propter tuam ignorantiam cunctos tenet ignorantia, ſicut ait: Rom. 3. (5) *Incredulitas noſtra non commendat iuſtitiam Dei.* Non enim propter tuam incredulitatem ſcrutamur ſcripturas. nam iam ante quam tu ſedem Antiochenam occupares, litteræ noſtræ omnibus presbyteris hæc declarant. Eſa. 9. Neq; enim nos eo conſilio iſta dicimus, vt ad ea quæ excitantur, reſpondeamus: Eſa. 7. ſed ante Eſaias ſpiritu Dei afflatus Deum fortẽ, Deum puerum prædicat, & virginem in vtero accipientem. 1 Cor. 8. Quid igitur contra diuinum præconium venis? *Vnus enim Dominus* Ieſus Chriſtus: quare non duo, ſed vnus eſt. (6) ſiquidem ciuitas cum domino non numeratur in vnum numerum, neque domus cum domino domus qui eam fabricatus eſt. G nec vnquam ciuitas cum rege ſimul operatur, neq; domus cum eo qui eam fabricauit. nec rex vnquam vocabitur ciuitas, neq; ciuitas condet leges ſicut rex: neque domus ædificabit & docebit alios artem. In vnum autem numerantur quæ ſunt eiuſdem generis, vt homo cum homine, & cũ Deo Deus, ſicut operari etiam poſſunt. Extruſus reuera es, quãdo potes neque duos Chriſtos, neq; duos filios Dei dicere: neq; duos vnum eſſe tanquam vnam perſonam. Forma autem Dei, Verbum eius, & ſapientia filius Dei, & Deus ipſe, ſemper exiſtens vna perſona, & vna hypoſtaſis perſonæ. Nõ enim poſſunt hæc eſſe in hominib. nam ratio hominis, & ſapientia, & poteſtas, ac forma, partes ſunt vnius hominis, quæ non per ſe ſubſiſtunt, ſed vnaquæq; harum non eſt homo, neq; filius hominis. Sic igitur & forma Dei, & verbum eius eſſe non poteſt homo perfectus, id eſt perſona: forma autem Dei & verbum cum ipſo Deus & filius Dei, Verbum Patris eſt quod per ſe eſt. & ſic confeſſi ſunt eum ſancti Patres, & vt confiteremur ac crederemus, nobis tradiderunt. H Demonſtratum itaq; eſt manifeſtum eſſe ſophiſma, quod (7) formam hominis, hominem appellas, & formã ac habitum ſerui, ſeruum: quia forma Dei eſt Deus. Rom. 14. *Chriſtum autem* qui à mortuis ſurrexit, *mortuus eſt & vixit, vt in mortuis & viuis dominetur.* Deus enim eſt natura, qui in omnibus dominatur: & excitatus à mortuis, atq; agnitus ex vulnerib. verus Deus eſſe, qui fuerat crucifixus & ſurrexerat, & æquali honore Ioan. 20. Deus Dominus à Thoma prædicatus. Dominus enim & Deus habens in manibus cicatrices ſurrexit, qui fuerat propter nos vulneratus. Deus enim Apoſtolorũ erat, qui attrectatus eſt, (8) non natura homo, ſed natura Deus, qui hereditatem genetiũ eſt, & omnẽ iudicat terram, ſicut ſcriptũ eſt: Pſal. 81. *Surge*, inquit, *Deus qui iudicas terram, quoniã tu eris heres in cunctis gentibus.* Filius Dei, qui eſt verbũ Chriſtus heres, mortuus eſt poſtea Matt. 23. poſt ſeruos ſuos prophetas, ſicut ipſe in Euangeliis dixit ad eos qui occiderũt Prophetas. Quomodo ais tu hominẽ eſſe eximium Chriſtum, & non reuera Deũ, & ab omni creatura cũ Patre & Spiritu ſancto adoratum, incarnatum ex ſancta virgine & Deipara Maria? Propter nos enim voluit naſci Philip. 2. ex muliere, vnde & paſſionem pro nobis ſuſcepit, qui ſe *exinaniuit & humiliauit vſque ad mortem, mortem autem crucis*, cum Gal. 4. eſſet alioqui æqualis Deo, ſicut ſcriptum eſt: *factus eſt ſub lege,*

qui

Margin, column 2: enim vnctũ ſignificat ipſe autẽ filius & Verbum factus eſt ipſa per ſe vnctio humanitatis per vnionẽ hypoſtaticam. — 1. Cor. 10. Ioan. 1. Ioan. 8. Ioan. 21. Geneſ. 3. 2 Cor. 1 1. Cor. 1. Pſal. 21. & Ioan. 19

A qui ſecundum diuinitatem legiſlator eſt, *vt eos qui ſub lege e-*
rant redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus, ſicut ait ſcri-
ptura. Vnus eſt Chriſtus qui eſt in Patre, coæternum Ver-
bum, vna eius perſona, Deus inuiſibilis, & viſibilis factus.
Deus enim apparuit in carne natus ex muliere, qui erat ex
Pſal. 109. Deo patre genitus ex vtero ante luciferum, tanquã ex corde
Verbum ea Patre editum: & ſimplex atq; expers partium
Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*, ſecundum ſcripturas, non diuiſum in
carnem & Verbum, (9) quaſi in homine habitet Verbum.
Ibidem. hæc enim fuga (10) generationis eſt: ſiquidem iam inde ha-
bitat, in quibus multæ reperiuntur (11) matres; vna autem &
ſola virgo filia vitæ genuit Verbũ viuens, & per ſe ſubſiſtens,
increatum, & creatorem, qui venit in mundum, *& mundus*
eum non cognouit, Deum, & Deum ſupracœleſtem, cœli fabri-
Hebr. 2. catorem, conditorem mundi, ſanctificantem & ſanctifica-
tum. non eſt qui (12) ſanctificat ſeipſum, alius à ſanctificato,
Ioan. 17. ſed tanquam ex vno. ſolius enim Dei eſt dicere: *Ego pro ipſis*
ſanctifico me ipſum. quod quidem ab homine fieri non poteſt,
B vt ſeipſum, vel alium ſanctificet. Cum autem hæc ita dicta
ſint, euerſa ſunt omnia quæ à te pronuntiata ſunt, cum ais,
alium virum eſſe Chriſtum præter Deum Verbum, ab alte-
rius Chriſti ſubſtantia & dignitate differentem, & vnum
Chriſtum inhabitantem, & opera diuinæ iuſtitiæ operantē.
Quamobrem pudeat te, dum Chriſtum exponis eſſe ſpiri-
tum rationis expertem, & materiam inanimatam, terram in
qua ſol operationes exercet. terra quippe genus rei eſt mom
voluntatis carens. ſic enim dixiſti cum ais, infirmitates filij
ſublatas eſſe tanquam humorem terræ àſicco. Vides in quã-
tum abſurdi te præcipitas, cum dicis virum ſumptum à Deo
Verbo? vt neq; homo poſſit eſſe, cum eius liberam volun-
tatem confundis, nec eſſe ſuæ poteſtatis. hoc enim eſt homi-
num tantum & angelorum. Saluatorem autem Chriſtum di-
cis fuiſſe deſertum, non illi parcens quod in cruce dixerit:
Math. 27. *Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* Deſertum dicis eum qui
erat natura Dominus, & Verbum patris, per quem omnia
Ioann. 1. pater fecit, & quem ſancti patres † homouſion Patri voca-
C uerunt. de Deo enim nos docuerunt. tu vero dicis quod
† En, verbum homouſii apud Patres ante Cõcilium Nicænum Chriſtus filius hominis non eſt hoc Verbum Patris. Nec Pe-
trum teneritus es, qui ſuperne afflatus à Deo Patre, Chriſtũ
qui erat filius hominis, filium Dei viuentis eſſe confitetur:
& Thomam, qui Dominum ſuum & Deum ea vulneribus
agnouit, eumq; coram omnibus confeſſus eſt. Scriptũ enim
eſt, quod pro nobis dolet. ſiquidem triſtitia dolorem efficit
Math. 16 in hominibus naturæ noſtræ, in Deo autem nequaquam.
Ioan. 21 Incarnatus eſt pro nobis, vt pateretur pro nobis, ſicut ten-
Eſa. 53 tatus eſt pro nobis. Ipſe enim factus eſt, vt ipſe nouit. Quo-
modo autem factus eſt, vt nouit? In ſpecie noſtra: vt quod
homo non perfecit, hoc Verbum Patris incarnatum perfi-
ceret. Qui enim ex Deo eſt ante ſæcula genitus, ipſe extre-
1. Cor. 2. mis temporibus ex matre natus eſt. Idcirco Deicidæ ſunt
Iudæi, quia Dominũ gloriæ crucifixerunt. Niſi enim fuiſſet
Chriſtus idē qui erat Deus Verbũ, nõ poterat eſſe alienus à
poteſtate peccãdi. Nemo. n. eſt qui peccare nõ poſſit, niſi v-
Ioan 17 nus Chriſtus, ſicut & Pater Chriſti, & Spiritus ſanctus. Vn-
de & volēt mortuus eſt, & volēs excitatus à mortuis operatus
miracula, qui erat filius Dei vnigenitus. Ipſe eſt qui petebat
diuinã gloriam, quam habebat antequã mundus fieret. nõ
D quod hac eſſet priuatus: abſit: ſed petebat vt ipſe nobis
Eccleſ 7. manifeſtaretur, vt glorificaremus eum fideles, qui glorifica-
tus eſt in potentia, iuſtus natura vt Deus, non exercitatione
& laboribus ſicut omnis homo ex numero piorum, quos
neceſſario ſequuntur defectus. *Non enim*, inquit, *eſt homo iu-*
ſtus ſuper terram, qui faciet bonum, & non peccabit. Quamob-
rem piorum ſunt certamina & labores & precationes pro
delinquentibus: & omne genus hominum à paruo vſq; ad
magnum, charitate Dei erga homines & miſericordia indi-
genius. Chriſtus verò non exercitatione iuſtus eſt per fi-
dem & pietatem in Deum, vt iam dictum eſt. naturalis enim
iuſtitia & diuina virtus eſt: & ipſe ſolus eſt creditus verus
Deus, & qui requirit ab hominibus confeſſionem fidei in
Ioan. 6. & 11. eum. *Qui enim*, inquit, *credit in me, viuet in ſæculum.* & *Qui di-*
Ioan. 14 *ligit me, mandata mea ſeruabit*: & quæ ſequuntur. Quid igi-
tur confiteberis Chriſtum? ediſſere, qui nec vnum, neque
duos confiteri potes, neque Deum, neque hominem. Hoc
enim euadunt quæ à te dicta ſunt: ſiquidem neque natura

iuſtum eum dicis, vtpote Deum Chriſtum. Deus enim eſt E
natura id omne, quodcunque bonum de ipſo dicatur. Tu *Marc 10.*
verò iuſtum eum dicis ſicut hominem qui ſe in iuſtitia ex-
ercet. ſic enim homo iuſtificatur. Videris eo inopiæ deci-
diſſe, vt neſcias quo te vertas, qui nihil de Chriſto potes di-
cere. Deinde dicis, communicatione iuſtificari Chriſtum,
non natura iuſtum, qui non potes intelligere modum com-
municationis ſignificantis communicationem quæ ver-
ſatur in dando & accipiendo, ſicut ait ſapientia Dei: *Fili,*
præbe mihi cor tuum, vt fias ſapiens in extremis diebus tuis. *Prou. 23*
Sicut & alius Propheta dicit, quod idem valet: *Voluntatem*
timentium eum faciet. Voluntas igitur Dei pro voluntate ſan- *Pſal. 144*
ctorum rependitur & qui cõfitentur eum coram hominib.
confitebitur eos Dominus coram Angelis ſuis, ſicut ipſe ait: *Luc. 12.*
& qui compatiũtur cum Chriſto, ad conformationem glo- *Rom 8.*
riæ eius venient. Hæc eſt vera communicatio hominis cum
Deo: ſic poteſt per fidem & opera digna recipi.

PAVLI SAMOSATENSIS HAERETICI DE-cem quæſtiones, quas Dionyſio Alexandro propoſuit. F

HOnoro vos tanquam honore dignus propter mul-
tam ætatem, & quia ſtigmata Chriſti fertis in cor- *Gal. 6.*
pore veſtro. Etenim apud omnes admirationi eſtis pro-
pter ſapientiam & prudentiam: contumelias vero in me
veſtras nihil curo, quod me anguem ſerpentem vocas, de-
inde terra veſcentem, & abiectionem. Prologus ergo à no-
bis nunc ſcriptus ſic ait, vt dicam quod volo, non obſcu-
re, ſed aperte: quare nihil proprium dicam, ſed de diuina
ſcriptura.

Quomodo ais & ſcribis quod natura Chriſtus Deus A- *Quæſt. 1.*
poſtolorum eſt, & non homo ſicut nos Chriſtus? Videmus
enim ire ad paſſionem, & dicere: *Nunc anima mea turbata eſt.*
Age, eſtne hæc natura Dei?

Dei vox eſt, & non hominis qualis nos ſumus. Neq; rur- *Ioan. 12*
ſus ſancti hominis eſt dicere: *Nunc anima mea turbata eſt.* ait G
enim Deus per Oſeam Prophetam dicentem: *Quid faciam* *Reſponſ.*
tibi Ephraim Ephraim? Iſrael ſcilicet dicitur: Adama autem &
Seboim, ciuitates ſunt Sodomorum. Protegam te Iſrael? *Oſea 11.*
quid tibi faciam? Sicut Adama ponam te, & ſicut Seboim.
conuerſum eſt cor meum in ipſo: conturbata eſt pœniten-
tia mea: non faciam iuxta iram furoris mei: non deſeram vt
deleatur Ephraim, quoniam Deus ego ſum, & non homo,
in te ſanctus. An qui hæc per Oſeam locutus eſt, non ma-
nifeſte idem rurſus dicit in paſſione, *Nunc anima mea turba-*
ta eſt? Quare nec in paſſione vox Prophetæ ſancti eſt illud: *Ioan. 12*
Turbata eſt anima mea, nec in Oſeæ: *Conturbata eſt pœnitentia*
mea. & in hoc demonſtra, quod (13) non eſt homo qui cru-
cifixus eſt, ſed vnus ſanctus, vnus vnigenitus Chriſtus filius
Dei & Verbum.

Quod ſcriptum eſt: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem,* *Quæſt. 2.*
de quo vis vt confiteamur? An non eſt natura homo, cuius *Math 26*
anima triſtis eſt?

Secundum affectionem ineſt hominibus, vt odio habe-
ant, vel rurſus diligant quempiam, præterea etiam triſtari.
(14) Non eſt igitur homo qui dixit: Triſtis eſt anima mea vſ- H
que ad mortem. alioqui & ſpiritum ſanctum intelliget Sa-
moſatenſis paſſibilem eſſe. ſcribit enim Paulus: *Nolite con-* *Epheſ. 4*
triſtari Spiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.
Et ſcribit Eſaias dicere Deum: *Sabbata veſtra & neomenias odit* *Eſa. 1.*
anima mea. Quare Deus nec vt homo odio habuit ſabbata
Iudæorum, neque Spiritus ſanctus vt homo triſtatur: ſicut
nec vnigenitus iturus ad paſſionem: ſed ſicut qui prauè a-
gunt, triſtitia afficiunt Spiritum ſanctum, ſimiliter vnigeni-
tus triſtatur. Addam etiam quod in Eſaia dictum eſt: *Quis* *Rom 9.*
eſt qui eſt dicit: Filios genui & exaltaui, ipſi autem me reiecerunt?
Dicat igitur Samoſatenſis: Quis reiectus & repudiatus eſt?
quem dereliquerunt Iſraelitæ, & ad iram prouocauerunt
ſanctum Iſrael? Et alter: Nunquid iniquus Deus qui infert
iram? ſecundum hominem loquor. Igitur triſtatus infert
iram Deus non obedientibus. ſi autem non infert iram tri-
ſtatus, non erit gaudium & quomodo ait qui mentiri non
poteſt Ieſus Deus: *Amen amen dico vobis, gaudium eſt in cœlo ſu-* *Luc. 15.*
per vno peccatore pœnitentiam agente? & rurſus ſcriptum eſt:

A Rom.1. *Reuelatur ira Dei è cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.* Hæc eſt ira Dei in eos qui triſtitia affecerunt filium Dei Deum verum, quod & Patrem increatum ſicut filium & ſanctum ſpiritum triſtitia affecerunt.

Quæſt.3. Ioan.2. Cum Iudæi ſignum à Chriſto peterent, dixit eis: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, & ſubiungit Euangeliſta: *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Quia igitur literæ tuæ continent, quod forma ſerui non eſt per ſe, ſicut neque ratio hominis & ſapientia: vnam autem hypoſtaſim dicis crucifixi, & vnam perſonam, quam dicis Verbum & ſapientiam Patris, & Deum coæternum Patri, non pateris dare formam, nec habitum, nec hypoſtaſim corpori, quod eſt templum Dei, nec enim Verbum ſolutum à Iudæis, abiit: ſed templum Verbi, ſicut ipſe Ieſus dixit.

Reſpon. Sicut ignorat Samoſatenſis omnia quæ diuinarum ſcri-
B pturarum ſunt, ſic etiam ignorat quam vim habeat hæc quæſtio propoſita: cum rurſus ait, formam ſerui eſſe ſeruum, qui per ſe ſit, & rationem ac ſapientiam hominis, hominem qui per ſe eſt, eſſe definiuit: & nunc labefactaris illis ſuis, quæ non ſunt hypoſtaſes, forma ſcilicet ſerui, vel ratione, ſiue ſapientia hominis, ignorat & templum Dei ſolutum, & Deū qui ipſum templum corporis ſui ſolutum excitauit. Primo igitur oſtendam quod eſt templum ſolutum. Primum templum corporis eius, ſancti eius Apoſtoli fuerunt, in quibus habitauit corpus Dei & ſanguis. Primum itaq; templū corporis eius, vt modo dixi, ſancti diſcipuli ſunt. Propoſuit Samoſatenſis quæſtionem circunciſa clauſula Euangelij. ſcri-
Ioan.2 bit enim Euangeliſta, quod non intellexerunt diſcipuli eius, niſi quando ſurrexit à mortuis, & crediderunt ſcripturæ. & verbo quod dixit Ieſus. Quod autem non intellexerunt diſcipuli, niſi quando ſurrexit Dominus à mortuis, illud: *Soluite templum hoc*, in Euangelio legimus. Cui igitur ſcripturæ crediderunt diſcipuli eius? quæ ſcriptura eſt quæ dicit: *Soluite templum hoc*? Solus Dominus ſua propria voce dixit: *Sol-*
C *uite templum hoc.* Scriptum vero eſt, quod diſcipuli crediderunt ſcripturæ, & rurſus adiungit Euangeliſta: *Et verbo quod*
Pſal.146. *dixit Ieſus.* Scriptura continet, quod ædificans Dominus Ieruſalem, diſperſiones Iſrael congregabit. Ædificauit ter-
Zach.9. tia die ſanctos lapides, qui à fundamento fuerant reuoluti. Sancti enim lapides fundamentum dimiſerunt, & diſperſi
Zach.13. ſunt alius alio. Ideirco ait Zacharias Propheta: *Gladium, exurge ſuper paſtorem, & ſuper virum ciuem eius: percute paſtorem, &*
Iudic.7 *diſpergentur oues gregis.* Neceſſitas vocat me vt dicam ſuper quem paſtorem gladius exurgit, & quis eſt vir ciuis eius. Et ſicut gladius Gedeō in Madianitas, eodem modo ſupplicium Dei in Iudam. *Gladius Gedeon ſuper Madian: gladius vero Dei ſuper Iudam, qui vexit viros ſuæ ciuitatis.* Aduerte quod vir ciuis, Iudam ſignificat paſtorem, id eſt, ducem in proditione Domini: viros ciuitatis eius, quaſi diceret nequitiæ ipſius, vocat Iudæos ab eo ductos: & mercedem dignam operibus ſuis recepit gladio percuſſus Dei, quod quidem cum
Act.1. Propheta præcognoſceret per ſpiritum, elocutus eſt. Ac vide quod inuiſibiliter percuſſit eum gladius Dei: *Et effuſa*, inquit, *ſunt viſcera eius, diſſecta Dei gladio*, quandoquidem ipſe fecit vt paſtor Iſrael à Iudæis percuteretur, qui digni fuerunt ciuitate ipſius proditoris. *Percuſſus eſt paſtor, & diſperſa ſunt o-*
D *ues gregis:* ſed à mortuis tertia die ſuſcitatus Deus Iſrael, Do-
Matt.3 minus noſter, diſperſos ædificauit in ſe templum ſanctum, lapides pretioſos: paleas autem igni inextinguibili tradidit.
2.Cor.6 Templū enim Dei quod Iudæi diſſoluerunt, Apoſtoli ſunt,
Leuit.26. ſcriptum eſt enim: *Et habitabo in eis, & inambulabo, & ero eorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.*

Deerant aliqua in m. ſ. cod.

Quæſt. 4 Luc.22. Scriptum eſt in Euangelio: *Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite. & diuidite inter vos: Hic calix eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur.* Quomodo igitur eſt ſanguis incorruptibilis, ſi diuiditur & funditur?

Reſponſ. Tit.1. 1.Cor.15. Act.17 Num.24. Scimus Paulum ad concludendam rationē auctoritate ſapientum externorum vſum, & Moyſen omni ſapientia præditum auctoritates non paucas Balaam hominis alienigenæ poſuiſſe. vnde Apoſtolus: *Factus ſum*, inquit, *inſipiens*, vos me coegiſtis. Cum igitur proponas quæ nun ſunt in cæteris, cogis me res, vt in hac quæſtione quam ponis, non à ſapientia externa cōcluſionem propoſitionis petam. Quis enim E 2.Cor.12. vnquam ſapientium externorum, ex quo cœperunt loqui fabulas, nominauit Spiritum ſanctum, aut ſanguinem effuſum aut diuiſum dixit ſanctum, vel incorruptibilem, vel viuificum, niſi ſola ſcriptura diuinitus afflata? Vnde apparet nihil te ſcire, neque humanæ diſciplinæ, à ſcriptura enim diuina tantum diſtas, quātum cœlum à terra, vt Dominus per Eſaiam Prophetam dixit: *Sicut diſtat cœlum à terra, ſic viæ meæ* Eſa. 55. *à vijs veſtris: & cogitationes veſtræ à cogitatione mea.* Nos fideles, & qui veritatem agnouimus, potauit Deus torrente voluptatis. ſcriptum enim eſt: *Domine in cælo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes: iuſtitia tua ſicut montes Dei, & iudicia* Pſal.35. *tua abyſſus multa: homines & iumenta ſaluabis Domine, quam multiplicata eſt miſericordia tua Deus? Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt: inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen. Extende miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam rectis corde. In tegmine alarum tuarum* F *ſperans non commouebitur.* Non mouebunt me quæ manu Samoſatenſis ſcripta ſunt. ſcriptum enim eſt: *Non veniat mihi pes* Ibidem. *ſuperbiæ, & manus peccatoris non commouebit me: illic ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, & non poterunt ſtare. Non obliuiſcar torrētis voluptatis, fons enim vitæ eſt, & in lumine videbo lumen ex lumine.* Spem habeo in aliis eius, quæ corrumpi non poſſunt, quæ ſunt manus diuinæ, & hominum creatri- Pſal.98. ces, & quæ vitam ſuppeditant: quæ oculos formauerunt: tetigerunt mortuos & reuixerunt: arcem plantauerunt manus Dei Iſrael, qui eſt Ieſus χειμάῤῥους, id eſt, torrens voluptatis, fons vitæ, qui eſt apud Patrem, qui eſt Chriſtus Ieſus tor- Pſal.125. rens in Auſtro, qui conuertit captiuitatem noſtram. Reſpōdent enim partes ad Auſtrum Palæſtinæ in eadem ſerie & Gal.4 ordine ex aduerſo, ſicut ſcribit Apoſtolus reſpondere Ægyptum ei quæ nunc eſt Ieruſalem in eadem ſerie & ordine. nomine enim Agar Ægyptum intellexit cum Arabia. Venit χίμαρος, id eſt, hircus digito Dei ante delineatus, ſic enim G figura per Moyſen ante delineat veritatē ſignificatam. Duo hirci ſimili forma pro remiſſione adducebantur ad altare: χίμαρος hircum, & χειμάῤῥους torrentem ſignificat. coniiciuntur duo hirci in ſortem vnam. (τς) erant enim per omnia ſimiles ſecundum hypoſtaſes & ſecundum formas: ſic enim iuſſerat Deus Moyſi imponebantur capitibus hircorum manus ſacerdotum (erant enim duo hirci ſimul ad altare alligati) accipiebatq; ſacerdos alterum duorū, & ma- Leuit.16 ctabat: & poſtquam vnus ex duobus mactatus erat, dimittebatur alter viuus in montes, vnus ille qui factus fuerat particeps ſanguinis & ſortis mactati, aderat enim ſimul cum hirco ſibi ſimili quouſq; feciſſent quæ ſcripta erant: & immolabat quem volebat, qui erat olim tunc temporis ſacerdos. Hæc prædelineatio figura erat patris & filij. ducendus enim Deus Iſrael Ieſus Chriſtus ad ſanctā ſuam & viuificam crucē, ad altare Dei non ducebatur ſolus, ſed pater cum eo, ante enim quam iret ad crucem, dixit ſanctis Apoſtolis: *Venit hora, quando omnes relinquetis me ſolum, ſed non ſum ſolus: Pater enim* Ioan.16. *qui miſit me, mecum eſt. & non reliquit me ſolum.* Itaq; perducta eſt ad veritatem figura, quod non rapinam arbitratus eſt eſ- Philipp.2. ſe ſe æqualem Deo, qui crucem ſuſtinuit, qui eſt ipſius quidem patris verbum & filius, noſter vero Deus & Dominus, H in cruce exaltatus, Dominus ſabaoth, qui conuertit captiui- Pſal.125. tatem noſtram non pretio aut muneribus, ſicut dixit Domi- Eſa.55 nus omnipotens olim quidem per Eſaiam, nunc vero per beatum Petrū dicit idem: *Non corruptibilibus auro vel argento re-* 1.Petr.1. *dempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati & incontaminati Chriſti.* Etenim ſi in veritate prædelineata ſic Moyſes ab Spiritu ſancto iubebatur, vt hircos ſine macula eligeret, quomodo nō magis ſimiliter ipſe rationalis hircus, & torrens voluptatis, eiuſdē cum patre formæ, coæternum Verbum, immaculatus ſit, cum ſit Chriſtus, ex æternitate vnà cum generante? Regenerati ſumus ex aqua incorruptibili & ſpiritu. ſcriptū eſt.n. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili*, ſicut ante 1.Pet.1. dixi, per aquā & Spiritū ſanctū. & hi tres vnū ſunt, aqua, & ſanguis, & ſpiritus. Sed dicet mihi aliquis: Hircis aſſimilaſti 1.Ioan.5 patrē & filiū? Sic edoctus ſum: *Sicut exaltauit Moyſes ſerpentē* Ioan.3. *in eremo, ſic oportebat exaltari filiū hominis.* & ſicut Moyſes duos hircos eiuſdē formæ & ſine macula adduxit ad altare figurā Leuit.16.

A veritatis: ſic pater, cum agnus immaculatus tanquam ouis
ad mactationem ducebatur, non erat ſeparatus à Verbo ſuo
Eſa. 53. vnius & eiuſdẽ formæ: duæ hypoſtaſes inſeparabiles: & ſpi-
ritus ille patris ſua hypoſtaſi ſubſiſtens, qui erat in filio, om-
Luc. 3. nib. enim factum fuit manifeſtum quod in eo erat: & venit
Leuit. 14. ſuper eum in ſpecie columbæ, (16) & ipſe paſſioni commu-
nicauit paraclitus Spiritus. Sicut enim duo hirci ſimilis for-
mæ, ſic & duæ auiculæ prædelineatæ fuerunt pro emunda-
tione; & vna ſacrificabatur: & quæ non ſacrificabatur, laua-
batur in aqua mixta cum ſanguine auiculæ ſacrificatæ. Et
adhuc amplius volente Deo, rationem huius quæſtionis ex
diuina ſcriptura tum vetere, tum noua concludemus. San-
cti enim diſcipuli ab Spiritu ſancto edocti ſunt, & veterem
Ibidem. ſcripturam interpretantes, viderunt figuram vere eſſe
prædelineatam, & quod aqua in peluim fundebatur, dein-
de altera ex duabus auiculis mundis ſacrificabatur, & ſan-
guis ſacrificatæ cum aqua viuente miſcebatur, atque ita aui-
cula viua & non mactata lauabatur in aqua munda & ſan-
B guine mundo, fiebatque hoc modo ſacrificium pro emun-
1. Ioan. 5. datione. Idcirco Apoſtolus dixit: *Sicut eſt in ſacrificio emun-
dationis, aqua & ſanguis, & ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ vnum
ſunt.* Chriſtum enim beatus Hieremias ſpiritum appellauit,
cum lamentationes prope complens, & Iudaicum populũ
Thren. 4 deplorans, ſic ait: *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus
captus eſt in conſultationibus eorum.* Vna ex editionibus habet,
in corruptionibus eorum. Eiuſdem formæ eſt cum ſpiritu ſan-
cto in ſpecie columbæ oſtenſo Chriſtus Verbum: eiuſdem
Hier 18 formæ cum patre ſpiritus Chriſtus Dominus ductus vt ſa-
crificaretur. ſic enim ait Hieremias de eo: *Ego ſicut agnus inno-
cens qui ducitur ad ſacrificium faciendum, non cognoui.* Ego inquã
qui ſemper ſum perſona Chriſtus æqualis patri, nulla diſſi-
militudine ſubſtantiæ coæternus Domino ſpiritui: cui quia
Act. 5. Ananias & Sapphira mentiti ſunt, non homini, ſed Deo,
expirauerunt. Paraclitus enim Deus eſt, ſicut & pater Chri-
Num. 11. ſti, coæternus Chriſto. Quando tempore Moyſis ſurrexe-
runt duo ex populo prophetantes Elda & Medas, dixit Ieſus
filius Naue Moyſi: *Mi Domine, prohibe ne prophetent.* *Reſpondit
Moyſes: Quid æmularis pro me?* Quis tribuat vt omnis populus
C prophetet? Quando dederit Deus ſpiritum ſuum ſanctum
Act. 20. ſuper populum, fiunt prophetæ. Vera eſt prophetia Pauli
Mileti: *Surgent quidam loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos
poſt ſe.* Surrexit itaq; primum Samoſatenſis loquens iniqua,
qui diceret eſſe corruptibilem ſanguinem Ieſu, qui eſt Deus
Rom. 8. Iſrael, Ieſus, & qui omnem corruptionem & paſſionem &
mortem ſoluit, qui redemit nos à ſeruitute corruptionis.
Sanguinem mortalis & paſſibilis hominis dicit, quia dixit
Luc. 22. Dominus gloriæ diſcipulis: *Accipite & diuidite, nouum teſta-
mentum eſt in meo ſanguine: hoc facite in meam commemorationem.*
& quia dixit idem: *Qui pro vobis effundetur.* Hæc cum audiſ-
ſet Samoſatenus, videtur in hac voce Domini niti contra
veritatem, qui ignorat quod ab Apoſtolo dictũ eſt: Quan-
Heb. 10. to magis putatis deteriora mereri ſupplicia, quam qui legẽ
Moyſis à Deo datam reiicit, eum qui filium Dei conculca-
uerit, ac ſanguinem teſtamẽti pollutum duxerit, in quo ſan-
ctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ cõtumeliam fecerit? Sic enim
Ibidem ait Apoſtolus: *Irritam quis faciens legem Moyſis, ſine vlla miſerati-
D one duobus aut tribus teſtibus moritur.* Conculcauit eum Iudas &
prodidit, & Iudas Galilæus periit prius, & poſt eum qui ei
Act. 1. conſenſerant. Nunc verò Samoſatenſis, vt placeat ſatanæ
qui eum delegit, ſurrexit contra ſanguinem viuificũ, & con-
tra ſpiritum ſanctum, conculcans ea. Si enim ſanguis ſanctus
corruptibilis eſt quia diuiditur & effunditur, ſic erit ſpiritus
ſanctus ſicut ſanguis vitæ. Scribit enim Lucas in actis Apo-
Act. 2. ſtolorum: *Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter
in eodem loco: & factus eſt derepente è cælo ſonus magnus tanquam
aduenientis ſpiritus vehementis, ita vt concuſſa ſit tota domus vbi erãt
ſedentes.* & ſubiungit: *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tan-
quam ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum. Cum autem cœpiſſent lo-
qui, & omnes audirent ex omni natione loquentes lingua propria
res magnas Dei, ſtupebant,* Iudæi verò perfidi cœperunt cõtu-
Ibidem. melias in Apoſtolos iacere, & ſpiritum ſanctum ſpiritũ muſti
appellantes: *Tanquam muſto pleni,* inquiunt, *ſunt Apoſtoli ſancti.
Beatus vero Petrus reſpondens dixit: Viri Iudæi, non ſicut vos puta-
tis, hi ebrij ſunt, eſt enim hora diei tertia: ſed hoc eſt quod dictum eſt per
Ioel. 2. Ioelem Prophetam: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem,
& prophetabunt filij eorum & filiæ:* & quæ ſequuntur. Ecce di- E
uiditur ſuper ſingulos Apoſtolos ſpiritus ſanctus, & effun-
ditur ſuper omnem carnem: & prophetant filij gratiæ & fi-
liæ, erant enim filiæ prophetantes, ſicut ſcriptum eſt quod Act. 21.
filiæ Philippi prophetabãt. Non igitur quia ſpiritus ſanctus
effuſus eſt, dicetur corruptibilis, apage, neque quia diuidi-
tur. Idem dicendum eſt in ſanguine viuifico, ſicut ſcriptum
eſt: *Aqua, & ſanguis, & ſpiritus tres vnum ſunt,* à Moyſe præde- 1. Ioan. 5
lineante baptiſterium, tanquam peluim habentem aquam
viuam, & ſanguinem auis ſacrificatæ, & viuentem † ſpiritum
in aqua viua & ſanguine deſcendentem, & baptizantem.
Vnus fons peluis, in qua baptiſmus ſalutaris perficitur in a- † auiculã
qua viua, & ſanguine viuifico, & ſpiritu ſancto, qui in ſpe- in aquam
cie columbæ manſit ſuper Verbum Chriſtum, deſcendens viuam &
in baptiſterio tanquam in peluim in Iordanem. Cur verò in ſanguinẽ
ſpecie columbæ Spiritus ſanctus deſcendit? Scilicet vt nos deſcendẽ
doceret qui miſit illum, quiq; eum quem miſit, accepit. Sic- tem, vbi
ut enim Noe dimiſit ex arca columbam, & ipſe illam rece- lauabatur,
pit, ad eam ſimilitudinem intelligendum nobis eſt, ipſius F
Chriſti eſſe Spiritum ſanctum, coæternum, & quod erat i- Luc. 3.
pſius, hoc dediſſe nobis. diuidens & effundens ſuper omnẽ Geneſ. 8.
carnem credentium, quia Deus eſt & Dominus qui diuiſit
nobis ſuum ſanguinem, & Spiritum: verumtamen ſicut ſcri-
ptum eſt: *Filioli mei, ſicut audiſtis quod Antichriſtus venit: & nunc
Antichriſti multi facti ſunt.* Sicut Antichriſtus venit, ſic anti- 1. Ioan. 2.
torrens. Scriptum enim eſt: *Torrentes iniquitatis conturbauerunt
me, & aqua ſancta, & aquæ intolerabiles.* ſcriptum namque eſt: Pſal. 17.
Torrentẽ pertranſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima no- Ezech. 4.
ſtra aquam intolerabilem. En, in omnibus oſtendimus torren- Pſal. 123.
ti iniquitatis, non eſſe corruptibilem, ſanguinem ſanctum Prolum
Dei noſtri Ieſu Chriſti, nec eſſe hominis mortalis, ſicut nos, Samoſatẽ-
ſed Dei veri, qui eſt torrens voluptatis iis qui eũ participant. ſem appel-
Scriptum eſt in Euangelio, quod puer creſcebat & conforta- lat torren-
batur: quaſi diceret, Creſcebat Ieſus ex Spiritu ſancto & Ma- tem ini-
ria virgine natus, quomodo igitur qui creſcebat & confor- quitatis.
tabatur, hũc dicis ante ſecula eſſe, & ſimul cum patre inge- Quæſt. 5.
nito non habentem initium, & coæternum? Ingenitum (17) Luc. 2.
Patrem nulla ſcriptura tradidit: diuina autem ſcriptura per
Spiritum ſanctum tradidit nobis, & ait: Ecce enim *Euangelizo* G
vobis gaudium magnum [quod erit omni populo, quia natus Reſpon.
eſt vobis hodie Saluator mundi, qui eſt Chriſtus Dominus.] Luc. 2.
*Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius
Emmanuel.* Sic autem habet principium prophetiæ: *Ecce Do-* Eſai. 7
minus ipſe dabit vobis ſignum. & ſubiungit: *Ecce virgo in vtero ac-
cipiet:* & demonſtrat quod Deipara quemdam concepit: vir-
go ſcilicet concepit quem nos cognouimus Deum noſtrum,
coæternum patri, filium Verbum. Et in lumine eius vidi- Pſal. 35.
mus lumen, ipſe enim ait: *Qui videt me, videt & patrem meum.* Ioan. 14.
Repetam pauca. Ipſe enim Dominus per Eſaiam dicit: *Ecce
Dominus ipſe dabit vobis ſignum.* Audiamus Angelum dicentẽ Eſa. 7.
paſtoribus; *Euangelizo vobis gaudium magnum*, quod erit vni- Luc 2.
uerſo populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt
Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid, & hoc vobis ſignum:
Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitũ in præſepio. Ecce per
Eſaiam manifeſtauit nobis ſignũ, & per Angelũ paſtoribus.
Quæ verò vis & poteſtas pueri infantis in præſepio poſiti? Eſa. 9.
Deus fortis, potẽs, princeps pacis, pater futuri ſeculi. Quod H
ſi Euangeliſtã reprehendis quia dixit: *Creſcebat & confortaba-* Luc 2.
tur: & nos interrogas, quare & quomodo? interroga Danie-
lẽ cum dicit: *Lapis ſciſſus eſt ex monte ſine manib.* & ſubiũgit: *Poſt-* Dan. 2.
quam fregit ſtatuã, factus eſt lapis mons magnus. Dic ipſe quomo-
do hoc fieri potuit, vt creuiſſet lapis, & factus eſſet mons? In
hominibus quidẽ non eſt hoc poſitũ, vt aliquis creſcat, ſed
potius vir qui creuit, † nõ quidẽ poſt trigeſimũ annũ, adhuc † Cæterũ
ſub ætate creſcente deficit. Vide quid Ioannes Baptiſta di- poſt tri-
cat: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. & paulo poſt ſubiungit gesimum an-
de Deo creſcente, ſic inquiens: *Illum oportet creſcere, me autem* nũ incre-
minui. Vſque in hodiernum diem verbum Dei currit, & glo- mentum
rificatur, & creſcit, ac multiplicatur in Eccleſia ſanctorum. ampliũs
Poſtquam enim venit homo in mũdum, ſi vita eius eſt (ver- ætatis
bi gratia) vnus dies qui ex duodecim horis cõſtat, fluxerint dicit.
verò duæ horæ illius diei, deficit qui natus eſt. non enim ac- Ioan 3.
ceſſio horarum aut annorum eſt accretio vllius hominis, ſed Ibidem.
potius quotidie deficit. Puer autem Ieſus Deus Iſrael, Deus Pſal 101.
eſt idem ipſe, & anni eius non deficient. Habet enim ſacer- Hebr. 7.

A dotium ſempiternum. Sin autem non ſempiternum dicit
Samoſatenſis, dicat an aliquando habuerit ſucceſſorem in
ſacerdotio. Ex quo enim voluit rex pacis fieri ſacerdos pa-
cis, nequaquam cernitur qui ſacerdotium eius ſuſceperit.
Nec in tabernaculum eius verum alius introiuit, nec exi-
Ezech. 40. uit, niſi ſolus Dominus. Et ſignata eſt porta tabernaculi in-
tegra & incorrupta & inuiolata: manu enim Dei clauſa eſt,
& digito eius ſignata eſt. Neque manu hominis ſacerdos
noſter electus eſt, neque tabernaculum eius ab hominibus
fabricatum, ſed Spiritu ſancto firmatum eſt, & virtute Al-
tiſſimi protegitur illud ſemper laudatiſſimum Dei taber-
naculum, Maria Deipara & virgo. Cùm igitur callide ait
Ioan. 1. Samoſatenſis: Ex Spiritu ſancto & Maria; decipere vult: vt
ſicut ſcriptum eſt: *Non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt*; ſic
dicat de nato ex Deipara. Quòd autem dicit ingenitum Pa-
trem, dicit, vt doceat Chriſtum recentem eſſe, & creatu-
ram: non enim patitur dicere Chriſtum figuram coæter-
Hebr. 1. nam ſubſtantię Dei Patris. Ceterum puluis è terra ſumptus
Gene. 2. à Deo eſt, & factus Adam à Deo, & ex coſta Adæ ædificata
B mulier, ex quibus ſecundum legem mandati carnalis miſ-
cente Adam corpus cum Eua, conceptus & natus eſt Seth,
& alij ante Seth. Nihil igitur differentes & varian fuerunt
ab Adam filij & filiæ, ſicut videmus vſque in hodiernum
diem, quatenus fuerunt eiuſdem formæ, & per ſe exiſten-
tes: neque differebat Seth ab Adam, quod eſſet ex ſubſtan-
tia lumborum eius. Hæc in hominibus vno ingenito, & al-
Rom. 1. tero genito: &, ſicut ſcriptum eſt: *Ex creaturis proportione qua-
dam contemplamur creatorem.* Sicut igitur intelligimus, quòd
ſi quis ex igne corporeo quo vtimur, ſumat, neque paſſio-
nem neque ſectionem infert ei, lumen accendens ex lu-
mine; ſic generatio Chriſti ex Patre ex æternitate non po-
teſt intelligentia comprehendi: & ſolam ſcripturam diui-
Pſal. 35. nitus afflatam ſequimur, ſicut enarrat nobis Pater: *In lumi-
ne eius videmus lumen*, vt ſuperius diximus, & quod Verbum
Patris eſt, quod nouiſſimis diebus genitum eſt; & auxit &
Act. 9. auget in nobis illuminationem ſuam. Accretio igitur Dei
ad Eccleſiam pertinet. Scriptum enim eſt, quod Eccleſia
quidem per totam Iudæam & Galilæam & Samariam ha-
C bebat pacem, & ædificabatur, & ambulans in verbo Do-
mini, & conſolatione Spiritus ſancti multiplicabatur. Cre-
Luc. 2. ſcit igitur verbum Domini quotidie, & multiplicatur Spi-
Eſai. 2. ritus ſanctus in Eccleſia Dei: non igitur homo, ſicut nos, e-
Pſal. 101. rat, qui creſcebat ætate & ſapientia; ſed Deus genitus puer,
& datus nobis filius æternus, qui erat ante ſæcula: & vere
nobis creuit, & creſcit quotidie, *& anni eius non deficient*. Im-
Exod. 20. mutabilis enim eſt Chriſtus, vtpote Deus Verbum. Pudeat
Pſal. 143. igitur eum qui accipit nomẽ Domini in vano. Homo nam-
Eccl. 1. que vanitati aſſimilatus eſt, ſicut ait Eccleſiaſtes: vanitatem
appellauit laborem hominum, quem ſub cœlo laborant.
Pſal. 38. Et Dauid ait, quòd vanitas eſt omnis homo viuens, & quòd
Pſal. 143. dies eius tanquam vmbra prætereunt. Deus noſter Ieſus
Pſal. 101. idem eſt, & anni eius non deficient.

Quæſt. 6. Scriptum eſt: *Angelus Domini apparuit Ioſeph in ſomnis, di-
Matt. 2. cens: Surgens accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum,
futurum eſt enim vt Herodes quærat animam pueri ad perdendum eũ.*
An dices hunc puerum cum matre fugientem eſſe ex æter-
nitate cũ Deo Patre? & quomodo quod ex loco in locum
mutatur, & natum eſt in Bethleem, dicis eſſe ex æternitate
D cum ingenito?

Reſponſ. Reſpondebo primum obijcientibus mihi quòd probro
affecerim Patrem. Si illud, Ex loco in locum, definit filium
Ioan. 3. Patris non eſſe in cœlo (ipſe enim ait: *Amen dico vobis, nemo
aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit*, filius hominis qui eſt
in cœlo,) reperimus autem ſcriptum (18) in libro primo,
Gen. 18. quòd Deus deſcendit & locutus eſt Abrahæ; & poſtea ſub-
iungis ſcriptura ſacra: quòd aſcendit Deus ab Abrahã. Quid
igitur? dicet aliquis. Illic enim Deus dicitur aſcendere ab
Abraham. Vera hæc quæ dicuntur, & non eſt in eis menda-
cium: ſed oportebat impleri quæ ſcripta erãt in lege & Pro-
phetis; deſcenſurum eſſe Deum in nube leui, & venturũ in
Ægyptum; & quòd ſimulacra Ægypti commouẽda eſſent;
Eſai. 19. & quòd Dominus futurus eſſet notus Ægyptijs; & quòd
Pſal. 67. Æthiopia præueniet manus eius Deo: & rurſus reditutum
Matt. 2. ex eum ex Ægypto, vt impleretur quod ſcriptum eſt: *Quoniam
Oſee 11. ex Ægypto vocaui filium meum.* Filium dicit, quem adorat

E multitudo cœleſtium ſpirituum, vnum & impartibilem
Chriſtum, coæternum Patri, ſimul cum Patre non factum,
& concreatorem. Deus enim Iſraël Ieſus, qui eſt ante ſæcu-
la Verbum, ſicut & Spiritus ſanctus. Quod ſi quia fugit in
Ægyptum Ioſeph ſimul cum Deipara Maria ferẽte in vlnis
noſtrum perfugium & Deum vides, hunc etiam tanquam
vnum è numero noſtrum definis fugientem ſicuti Dauid à *1. Reg. 19.*
Saul; tempus eſt vt dicas etiam Spiritum ſanctum eſſe ſimi-
lem Agar, cum fugit à domina ſua; aut Eliæ Prophetæ cum
fugit à Iezabel. Scriptum eſt enim: *Spiritus ſanctus ſapientiæ
fugiet doloſum, & recedet à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, &* *Gen. 16.*
corripietur à ſuperueniente iniquitate. Benignus enim eſt ſpiritus *3. Reg. 19.*
ſapientiæ, & non liberabit maledicum à labijs eius; quo- *Sap. 1.*
niam renum illius teſtis, & ſcrutator cordis eſt Deus. Quia
profunda Dei tanquam Deus ſcit Spiritus: ſicut quæ ſunt
hominis nemo nouit, niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo.
Aperte docet hic Paulus, quòd ſolus Spiritus ſanctus no-
uit Patrem Verbi incarnati, & Chriſtum factum hominem *1. Cor. 2.*
Verbum Ieſum nouit Spiritus ſanctus, quoniam in Chriſto F
eſt. ait enim: *Pater qui manet in Chriſto verbo, ipſe facit opera, ſicut* *Ioan. 14.*
& Chriſtus qui eſt in Patre ſuo. Spiritus ſanctus nouit quomo- *& 15.*
do Pater eſt in filio, & quomodo filius in patre. Spiritus ſan-
ctus benignus fugiet fictum, & recedet à cogitationibus
ſtultis, ſicut receſſit filius fugiens in Ægyptum, docet enim
nos fuga perfugij noſtri, quod quemadmodum vidiſtis, ec-
ce oſtendi vobis, vt & vos faciatis. Si quis enim te perſequi- *Matt. 10.*
tur, fuge in aliam ciuitatem. ſic enim fecerunt & Prophetis. *Luc. 6.*
Quòd autem qui eſt ſuper omnia Deus noſtrum perfugiũ,
non in alienis, ſed in ſuis erat cum fugeret, (19) Euange-
liſta docet nos. Ac rurſus Cleopam docens vt hoſpitalita-
tem amarent, ſimulauit ſe longius ire. Profecto igitur in *Luc. 24.*
Ægyptum, & reuerſio ex Ægypto, & omnis eius itio, & cum
Cleopa, & in cœlos: Cumque intuerentur, inquit, Apoſto- *Act. 1.*
li euntem illum in cœlum; omnes huiuſmodi itiones à Da-
uid comprehenſæ ſunt, cùm clamauit dicens: *Viderunt in-
greſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, regis mei qui eſt in ſancto.* Deum *Pſal. 67.*
dicit regem ſuum Dauid, cùm ait: *Ingreſſus Dei mei, regis mei
qui eſt in ſancto.* In Spiritu ſancto dicit Dauid eſſe filium Dei
Deum ſuum in ſancto. Sanctus Pater Chriſti, in ipſo ſancto
dicit eſſe Deum & regem. Chriſtus Deus in Patre per Spi- G
ritum ſanctum à Dauid prędicatur, qui eſt ſemper Chriſtus,
qui propter nos voluit fieri caro, qui erat Verbum, & man-
ſit Chriſtus Verbum IESVS Deus, de quo canit Dauid: *In* *Pſal. 76.*
*mari via tua, & ſemita tua in aquis multis, & veſtigia tua non co-
gnoſcentur.* Hoc eſt igitur quod ſcriptum eſt, quòd blaſphe-
mum & maledicum non liberabit à labijs eius, quia renum
eius teſtis Deus. Non dimiſit impunitos Ananiam & Sap- *Sap. 1.*
phiram mentitos Spiritus benignus; ſed dederunt pœnas *Act. 5.*
mentiti Spiritui ſancto. Præparet Samoſatenſis opera ſua *Prou. 24.*
in exitum; quia non abibit impune qui blaſphemus eſt in
Spiritum ſanctum. Spiritus autem eſt Deus, ſicut nos do- *Ioan. 4.*
cuit veritas Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus: qui in nu-
be leui venit in Ægyptum Dominus Deus Iſraël IESVS *Eſai. 19.*
Chriſtus.

Quia in ſcriptura diuina non reperi quòd forma & ſa-
pientia ſiue hypoſtaſi ſunt partes hominis, vellem ſcire ex Quæſt. 7.
vobis quod ſcriptum eſt in Apoſtolo cum ait, quòd in for-
ma Dei cum eſſet Chriſtus, *exinaniuit ſeipſum, formam ſerui* *Phil. 2.*
accipiens. Si accepit formam ſine hypoſtaſi, quomodo po- H
teſt dici quòd formam & habitum accepit? & quod Deus *Rom. 4. &*
ipſum ſuſcitauit? Si autem Eccleſia duos Deos non dicit, *alibi.*
nec traditum accepit, vt tu ſcis, volumus vt ſuadeas nobis
ex ſcripturis formam ſine hypoſtaſi. Si enim non eſt per ſe,
quid eſt? quomodo dici poteſt forma, quod non per ſe exi-
ſtit? Oportebat igitur vt diceret Apoſtolus, quòd exinani-
uit ſeipſum, formam ſerui ſine hypoſtaſi accipiens: ſi erat ſi-
ne hypoſtaſi.

Ait Samoſatenſis: Si forma ſerui quam Chriſtus aſſum- Reſponſ.
pſit, nõ per ſe exiſtit, oportebat vt diceret Apoſtolus: Chri-
ſtus exinaniuit ſeipſum, aſſumens formam ſerui non per ſe
exiſtentem. & mihi dicit: Suade ex diuina ſcriptura. Cæte-
rum reſpondebo ad hoc. Etſi neſciens (10) non iubet, vel
non committit mihi vt ad ea quæ ipſe dicit, reſpondeam:
ſic enim cum ſcriberet, ſentiebat; quaſi quæ à me ſcripta
ſunt, conſiſtere non poſſent; & quod Samoſatenſis ait, à ne-

A

mine refelli poſſit. veruntamen breuiter quæſtionem tuam extrudam, & ex ore tuo redargueris. Etenim ſi Chriſtus formam ſerui, quæ per ſe eſſet, accepit, ita vt eſſet ſeruus qui acceptus eſt (hic enim eſt actus tuæ fabulæ) oportebat, ſicut tu ais, vt diceret Apoſtolus: Exinaniuit ſe, ſeruum hominē accipiens. Sed cuius ſeruum? & à quo eum emit? & quanti? & vbi facta ſuit emptio ſerui? & quare vendidit Dominus? aut quare donauit? cur ve donauit accipienti illum ad ſuos vſus, quaſi ipſe non indigens? Si vis normam præſcribere quomodo ſcriptura ſcribi debeat, ne petas à me vt tibi loquar ex ſcriptura. ſcriptum enim eſt: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum electo electus eris:* (21) *& cum peruerſo peruerteris.* Sed vides quomodo fugiſti quod ſcriptum eſt: Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu; qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Noui fallacias tuas. Quoniam imago Dei dicimur, & ipſe Chriſtus tanquam vnus ex nobis; quia ſcriptum eſt: *Ecce Adam factus eſt tanquam vnus ex nobis*; hæc ſentis & loqueris blaſpheme, iniquitatem contra Deum denuntians; quòd qui Verbum Patris Ieſum vnigenitum dicit Deum, duos deos dicit; vt te auctore nemo dicat Chriſtum Deum ante ſæcula. & tu nō dicens Deum ante ſæcula, ſed te Eccleſiam vocans, Eccleſia, inquis, duos deos non dicit, neque traditum accepit. Tu vero duos tibi tradidiſti, vnum ante ſæcula ingenitum, & vnum electum Deum in extremis temporibus, qui eſt Chriſtus. Sic enim non mihi ſcripſiſti, ſed qui audierunt, mihi ſcripſerunt ſic te docere. Sed ne in illis occuper, ad ea quæ à te nunc ſcripta ſunt, me verto. Si, vt tu dicis, forma ſerui quam accepit, eſt per ſe, qui eſt in forma & æqualitate Dei Chriſtus, qui hoc quod eſt, non rapuit, ſed cum eſſet Deus, in forma Patris erat, (22) & hinc duæ formæ per ſe, Patris & filij; non tamen Chriſtus eſt duæ per ſe formæ; dic nobis, quando transfiguratus eſt coram Apoſtolis, transfigurationem illam quid eſſe dicis? Ait enim ſcriptura, quòd transfiguratus eſt. Hic enim ſunt quinque teſtimonia quòd transfiguratus eſt, & alia ſpecies eius viſa. Dic igitur an forma ſerui transfigurata fuerit in monte ſancto? Hic enim non potes dicere formam ſerui transfiguratam eſſe, ſiquidem ſcriptum eſt: *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet*, ipſum Ieſum Chriſtum dicit in forma Dei eſſe; & de ipſo dicit: *Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem, & aſcendit in montem, & transfiguratus eſt ante eos.* Reſponde iam: dicisne formam qua transfiguratus eſt, eſſe per ſe, an non per ſe? quòd ſi non potes dare hypoſtaſim transfigurationi, neque formæ dare poteris, neque veſtimentis: & ipſa enim facta ſunt alba ſicut nix. Verum tu, Samoſatenſis, extra quæſtionem eiectus es procul. Ais enim, quòd Verbum erat ante Mariam, Chriſtus vero non erat ante Mariam: & quòd Maria non genuit Verbum (non enim ſenior Verbo eſt) ſed genuit Chriſtum eximie honoratum in filium Dei. Paulus vero doctor gentium omnibus ſcribit: *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu*, non dixit: Quod & Chriſtus Ieſus ſentit: ſed, Hoc in Chriſto Ieſu ſentite. *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus:* & in ipſo credimus, quod ſi accepimus, quòd cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Quomodo igitur tu Samoſatenſis non dicens Chriſtum eſſe ante ſæcula, dicis accepiſſe formam ſerui? Si enim Chriſtus non eſt ante ſæcula, ſed ex Maria, igitur vt tu ſentis, ſeruus ſeruum accepit, omnia enim ſunt ſerua Dei. Igitur duæ deinceps formæ ſeruorum reperientur. Explica igitur nobis, vnde Chriſtus ex Maria natus accepit formam ſerui quæ per ſe eſſet. Vana enim cogitatio Samoſatenſis plagiarium facit Chriſtum, niſi probatum ſit vnde ſeruus, quem Chriſtus ex Maria accepit, vt impoſtor dicit. Sed nos illo procul profecto & ſcriptis eius, veniamus ad enarrationem diuinæ ſcripturæ, & attendamus lectionem in fide & veritate, ſicut Paulus Timotheo filio probo commendat. Igitur quandoquidem totum myſterium ſanctus Apoſtolus in hoc argumento iubet nobis ſapere in Chriſto; cum ſic in Spiritu ſancto ſcribit: *Hoc*, inquit, *ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu.* Eſt in CHRISTO Pater Chriſti, & Spiritus ſanctus. in hoc iubemur ſapere, ne quid amplius ſapiamus præter id quod accepimus. ſemper enim Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia eſt in Patre: & in eo ſapimus in Chriſto Ieſu eſſe Patrem, ſicut nouit Spiritus ſanctus, qui ſcrutatur profunda Dei, quomodo eſt Pater in Chriſto filio ſuo Verbo, & Chriſtus in Patre, tanquam qui eſt in forma Dei. Hoc eſt quod ait ſanctus Apoſtolus eſſe in forma Dei Ieſum Chriſtum, eſſe ſicut ante dixi, in Deo Patre filium patris, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo. hoc dicit, quia non ſicut qui per virtutem & labores & fatigationes ac certamina rapiſſet regnum Dei, (ſcriptum enim eſt, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*) ſic Chriſtus Ieſus conſummatis laboribus virtutis comparauit eſſe ſe æqualem Deo; quin potius operuit cœlos virtus eius, & laudis eius plena eſt terra; ſplendor eius vt lux erit. teſtaturque ipſe qui vere eſt ſemper in Patre, cùm ait: *Ego ſum lux mundi*; qui eſt Dominus mundi, qui habet in ſeipſo Patrem, & viuificum ac Dominum Spiritum: verum ſeipſum exinaniuit. Quamobrem & myſterium illud inenarrabile ſic ab ipſo vocatur nouum teſtamentum Dei, dare ſe ipſum nobis in myſtica cœna: non ſicut olim ſecundum legem ſacerdotij Aaronis carnes animantium ratione carentium ſuper altare imponebant; & ſcribit Moyſes inquiens: *Carnes ſancta erunt ſuper altare, & comedet populus; & omnis quicunque tetigerit ex eis immundus, peribit.* Nunc autem non ſic, ſed ipſe Dominus & Deus Iſraël ſaluator noſter ait: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Deus igitur qui habitat in nobis ſecundum teſtamentum quod diſpoſuit nobiſcum, dicens: *Accipite & diuidite inter vos. hoc nouum teſtamentum eſt, hoc facite*, &c. Hæc eſt exinanitio Dei facta ad vſum noſtrum, vt poſſimus capere eū. Hoc enim myſterium pertimeſcendum dicit ſanctus Apoſtolus, quòd ſeipſum exinaniuit. non relicto Patre in nobis habitauit, apage. immo ipſius verba afferam cum dicit: *Ego & Pater veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus*, credentem in me; ſicut ipſe ait. Videte quanta diligentia vtitur doctor veritatis, vas electionis: *Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus.* Exinaniri vocat Apoſtolus, vt ante dixi, capi à nobis myſterium vitæ per manus eius incontaminatas & incorruptibiles, & diuinas, vt poſſimus qui ſumus fideles eius, capere eum, & fieri manſio eius, accipientes eum totum. Atque hoc quidem erat quod olim à Moyſe prædelineatum fuit in agno ſine macula, & anniculo, quem mactatum vniuerſa ſynagoga filiorum Iſraël comedebat, quando paſcha celebrabant. Iubebantur agni carnes aſſas igni, & caput cum pedibus & inteſtinis feſtinanter comedere. Verùm illi non poterant caput cum pedibus edere. Quomodo enim caput agni cum pedibus in paſcha edi poterat, cùm lex Iudæis iuberet non frangere os ex eo? Illis quidem prohibebatur hoc propter crudelitatem & duritiam cordis, ſiquidem non permittebatur illis vel totum animal comedere. Veruntamen qui ſe exinaniuit Chriſtus Ieſus habens in ſeipſo caput patrem (caput enim Chriſti eſt Deus) *fecit potentiam in brachio ſuo, & exaltauit humiles*; vt ipſi capiant altiſſimum, & habitet in nobis propter ſuam in homines charitatem & bonitatem, qua dilexit nos. Hæc eſt exinanitio dexteræ excelſi. Itaque exinanitio non mutationem ipſius ſignificat; abſit hoc; ſed per exinanitionem eius quam nobis donauit qui ſeipſum exinaniuit, Spiritus ſanctus ſuper omnem carnem ſe effundens, manet plenus: & ſanguis ſanctus ac viuificus effuſus ex profundo latere diuino manet item plenus; qui ſe ipſum exinaniuit Ieſus Chriſtus, qui incorruptibilem & viuum ac vitæ datorem ſanguinem ſuum in nos effudit. Pergamus deinceps ad ea quę ſequuntur. Sicut prius ſcriptum eſt: *Formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus:* ſicut ſæpenumero dixi, forma ſerui non eſt ſeruus. Si enim velit Dominus induere ſeruum pellem ouis, vel facere vt diſcumbat in primo accubitu, & non velit donare eum libertate ne ſeruus; non quia pellem ouis geſtet, ouem accepit; neque quia in primo accubitu diſcubuit, idcirco libertatem accepit, quia in primo loco ſedit. Ieſus Chriſtus igitur Dominus & Deus Apoſtolorum, cum accepiſſet formam ſerui, cœna myſtica facta, ſurgit à cœna Deus Apoſtolorum Ieſus, & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum præcinxit ſe. hæc eſt forma ſerui: & habitu inuentus vt homo. illic inuentus eſt ſeruus ab iis qui eum non quærebant. non enim ſeruum

ſecūdi

Marginal notes, left column: B; C; D; Pſal. 17.; Phil. 2.; 2. Cor. 11.; Gene. 3.; Matt. 17.; Matt. 17.; Ibid.; Phil. 2.; Act. 17.; 1. Tim. 4.

Marginal notes, right column: E; F; G; H; 1. Cor. 2.; 1. Cor. 2.; Matt. 11.; Habac. 3.; Ioan. 8.; Leu. 18.; Leui. 7. ſec. LXX.; Ioan. 6.; Luc. 22.; Ioan. 14.; Phil. 2.; Exod. 12.; Ibid.; 1. Cor. 11.; Luc. 1.; Phil. 2.; Ioan. 13.

A *Matt. 13.* ſecuti erant diſcipuli relictis omnibus (magna namque ſtultitia fuiſſet, homines liberos reliquiſſe omnia ſua, & ſecutos eſſe ſeruum non habentem in manibus argentum vel aurum) Ieſum, qui voluit linteo ſe præcingere, & mittere aquam in peluim, & lauare pedes ſeruorum, qui natura Dominus, & non natura ſeruus erat; qui habitum ſerui acceperat, (23) in ſimilitudinem hominum factus. Hoc dicit, quoniam non eſt vnus ſolus ſeruus in mundo qui pedes Domini lauat, ſed multi. ne igitur putaretur accepiſſe ſeruum aliquem, ſubiungit multos, inquiens: In ſimilitudinem hominum factus. *Ioan. 13.* Et poſtquam lauit pedes Apoſtolorum, ponit linteum, formam & habitum ſerui; & accepit veſtimenta ſua, & (24) erudit eos myſtice, inquiens: *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magiſter & Domine, laui pedes veſtros, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quod ego feci vobis, & vos faciatis.* Quomodo igitur quod eſt exemplum, vocetur ſeruus, qui per ſe ſit, formam enim ſerui & habitum oſtendit. & hoc dicit: *Dedi vobis.* Si autem exemplum quod dedit, eſt ſeruus per ſe ſubſiſtens, requirat igitur Samoſatenſis ab Apoſtolis, vt acceperint formam quam dicit per ſe ſubſiſtentem. B Deinde ſubiungit Apoſtolus, inquiens: *Phil. 2.* *Humiliauit ſemetipſum.* Vides quid dicit, quòd humiliauit ſemetipſum? at ſeruus non humiliat ſemetipſum, ſed potius dominatio humiliat, quæ poſtulat vt ſeruiat, ſicut Pharao populum Iſraël ſeruitute *Exod 3.* oppreſſit. Hic dicit: *Humiliauit ſemetipſum.* Non eſt igitur datus locus blaſphemis reijciendi hoc quod dicit Scriptura. Occludit enim & obſtruit eos qui humiliauit ſemetipſum, *Phil 2.* *factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Se *Pſal 1.* namque vtpote Deus flexit; & exaudiuit preces ſupplicum ſuorum; & inclinauit cœlos, & deſcendit vt liberaret nos, qui erat liber, vtpotè Deus & Dominus gloriæ, Ieſus Chriſtus. Cùm igitur dicit, *Factus obediens*, quia vt dixi, exaudiuit ſanctos ſuos, & vſque ad mortem venit, vt ſeruaret nos à morte, venit inquam ad mortem, mortem autem crucis: propter quod Deus exaltauit illum. Ita ſane. Deus enim ait Deo meo Ieſu Chriſto per Dauid: *Pſal. 56 & 107.* *Exaltare ſuper cœlos Deus; & ſuper omnem terram gloria tua.* Hoc eſt quod ait Apoſtolus: *Phil 2.* *Propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Et ſubiungit: *Vt in nomine eius omne genu flectatur*, & quæ ſequuntur. Glorificauit eum C Pater; ſed & Filius Patrem glorificauit, inquiens: *Ioan. 17.* *Ego te glorificaui ſuper terram, manifeſtaui nomen tuum hominibus.* Similiter & Pater manifeſtauit nobis Chriſtum, qui cum eo erat ſemper, in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. *Coloſſ. 2.* Audite quomodo dicit ſanctus Apoſtolus Paulus myſterium. Habitare enim ait corporaliter Patrem & Spiritum ſanctum in Chriſto, quia Verbum Chriſtus caro factum eſt. Non igitur quia Chriſtus factus eſt corpus, diſ- *Ioan. 1.* ceſſit Pater, ita vt non eſſet in eo qui factus eſt caro. *Verbum caro factum eſt.* Et demonſtrat quòd Chriſtus eſt immu- *Coloſſ 2.* tabilis factus caro, ſemper cum eo qui genuit coæternus, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. *1. Ioan. 2.* Si quis igitur non confitetur Chriſtum in carne veniſſe, hic eſt antichriſtus. Non in ſeruo inhabitauit, ſed in ſancto ſuo tabernaculo non manufacto, quod eſt Deipara Maria. Illic enim in ipſa rex noſter, rex gloriæ factus eſt pontifex, & manet in perpetuum, ſemel ingreſſus in ſancta, & *Heb 7. & 8* æterna redemptione inuenta. Ex ipſa exiuit Verbum factũ D pontifex non ſecundum legem carnalis mandati, ſed ſecundum virtutem vitæ indiſſolubilis. *Ioan. 1.* *Factum eſt Verbum caro, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* Hanc gloriam indigni ſunt vt videant ſerui dæmonum, qui ſe præcipitauerunt; qui dicunt Dominum gloriæ eſſe ſeruum, aut vnum eorum qui præcipue & eximie iuſtificati ſunt. non enim ſic nos docet Scriptura, vt formæ ſerui flectamus genua, & iuremus in ipſo. non enim edocti ſumus habere Deum alium præter Deum noſtrum. Non homo ſanctus, neq; ſeruus fecit cœlum & terram: dij autem qui non fecerunt cœlum & terram, pereant ſub omni cœlo, & qui adorant eos.

Quæſt. 8 Reperimus in Euangelijs, quòd in feſto, cum eſſet Ieſus duodecim annorum, aſcendit Ioſeph & Maria mater Ieſu *Luc. 2.* à Galilæa in Hieruſalem: conſummatiſque diebus cum E redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt parentes eius, exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. & non inuenientes eum, reuerſi ſunt Hieruſalem, & inuenerunt illum in templo ſedentem. Deinde ſubiungit Euangeliſta, inquiens: *Ibid.* *Et dixit mater eius ad illum: Quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Si quærebatur à parentibus inter notos & in comitatu, explica hoc nobis, quomodo eum opinatis duodecim annos natum & quæſitum, propter quem parentes dolebant quouſque inuenerunt; ſi hic eſt non factus, & ex æternitate cum Patre? Scio enim non poſſe philoſophice concludi; quomodo † forma ſerui ſit, quam conclusiſti cum ais, quòd ciuitas non fert leges, ſicut rex; neque domus cum eo qui eam ædificauit; operatur. Hic duodecimum annum agentem neque ſine hypoſtaſi dicis eſſe, neque potes: quandoquidem res & videtur & ambulat, & quæritur, & inuenta eſt.

† id eſt, quomodo forma ſerui ſit, & ſeruus.

Reſponſ. Num de re quæſita contendit Samoſatenſis, (25) an de verbo? & ſi vnum ex duobus quæris, quid miſces quæ non F poſſunt miſceri, confundens notionem rei, de qua interrogas, & alia in alijs admiſcens? Sed ſiue Samoſatenſis de verbo interrogas, ſiue de re, poſuiſti quæſtionem vt reſpondeam: reſpondeo Deo duce. Scriptum eſt: *Pſal. 76.* *In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis, nocte coram eo, & non ſum deceptus.* Deipara quidem reuerſa eſt vt quæreret Dominum ſuum, & Deum factum filium ſuum. Ipſa quidem pedibus circuibat quærens non abſentem, ſicut ipſe Dominus docet, cum ait: (26) *Luc 2.* *In ijs quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* *Ioan. 20.* Thomas autem qui dicitur Didymus, manibus ſuis exquiſiuit eum, & non eſt deceptus, carnem Verbum attrectans, profunda Dei in profundo intra diuinum latus manibus Deum quærens. Tu vero Samoſatenſis deceptus es cum audiſti formam ſerui, & ſeruum intellexiſti hominem per ſe exiſtentem. Quicumque igitur ipſum Dominum quærunt, cum inueniunt, eum inuocant: tu vero quia audiſti formam ſerui, formam per ſe exiſtentem quæris: cuius inuia & præcipitia, ſeruum propter formam ſerui quærens. Rurſus prædictum fuit per Prophetam, quærendum eſſe Dominum cum clamore. *Luc. 2.* ait enim mater Domini mei Deo meo: *Dolebamus quærentes te.* Scriptum eſt enim in Oſee G propheta: *Oſee 12.* *In Spiritu ſancto clamauerunt*, inquit, *& rogauerunt me, in domo mea inuenerunt me, & illic locutus ſum eis.* Dominus autem ac Deus omnipotens erit memoriale ipſorum. Vides vbi inuentus eſt qui quærebatur cum clamore? Illic locutus eſt eis Dominus Deus, dicens: Quærebatis me: *Luc 2.* *neſciebatis quòd in ijs quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? In domo mea reperierunt me*; ait per Prophetam. In Euangelio autem dicit: *In ijs quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Omnia enim quæ Patris ſunt, ipſius ſunt. Siue igitur Samoſatenſis de verbis contendit non oportere quærere Dominum, quia homo eſt, ſicut ipſe dicit; ecce Scriptura demonſtrat ei quòd Deus eſt, qui quæſitus & exquiſitus eſt, & inuentus ab ijs qui eum quærebant: à Samoſatenſi autem & ab ijs qui eum ſequuntur, diſceſſit. Nos autem quærimus, vt habeamur etiam nos digni qui eum inueniamus, ſicut Philippus dixit Nathanaëli: *Ioan 1.* Quem ſcripſit Moyſes & Prophetæ, inuenimus Ieſum à Nazareth.

H *Quæſt. 9.* Scriptum eſt in Eſaia: *Eſai. 40.* *Deus magnus æternus non eſuriet, neque fatigabitur: nec eſt inuentio prudentiæ eius.* Scriptum verò eſt de IESV quòd eſuriuit, & fatigatus eſt, ſiue laborauit: *Matt. 4.* *Ioan. 4.* Deus autem æternus, vt prius dixi, non eſuriet, neque laborabit.

Reſponſ. Scribit Apoſtolus: *1. Cor. 15.* *Non ego laboraui, ſed gratia Dei mecum.* Gratia vero Dei non eſt ἀνυπόστατος, id eſt, quæ non ſubſiſtat, apage: quoniam quod non habet hypoſtaſim, neque laborat, neque laborem ſentit. Etſi millies quis operam det vt reperiat aliquid non ſubſiſtens, ſiue non habens hypoſtaſim, quòd moueatur & laboret: non poterit oſtendere: inanimata è ſe ac nutu ſuo non mouentur, ſiue tibia ſit, ſiue cithara, neque laborem ſentiunt. Sanctus vero Paulus vas electionis ſcribit: *Ibid.* *Plus omnibus laboraui.* Et ſubiungit: *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* *Sap. 9.* Scribit etiam vnus ex ſapientibus, deprecans Deum vt mittatur ſibi ſapientia à ſanctis ſedibus, & ab excelſo gloriæ, vt ſecum ſit, & ſecum laboret.

A Gratia autem quæ cum Apoſtolo Paulo laborauit, Dominus Spiritus ſanctus eſt. Quomodo autem Deus eſuriat aut non eſuriat, comedat aut non comedat, nemo poteſt expromere. Scio autem ſcriptum eſſe, quòd dicit Deus deorum: *Si eſuriero, non dicam tibi.* [Pſal. 49.] Reperimus autem eundem eſſe Deum Ieſum Chriſtum, qui cum eſuriſſet, non dixit, *Eſurio*; [Matt. 4.] ſed accedentes Angeli poſt tentationem, miniſtrabant. Scriptum autem eſt: *Nunquid carnes taurorum manducabo, aut ſanguinem hircorum potabo?* [Pſal. 49.] Sic inquit Deus: at non dixit: Non manducaui. Deus enim mentiri non poteſt. Eſt enim veritas. Appoſuit Abraham Deo vitulum quem fecit, [Gen. 18.] & azymos quos Sarra coxerat, & comedit (27) Deus: & non celauit eum quod facturus erat. *Reuertar*, inquit, *ad te in horas, & habebit filium Sarra vxor tua.* Audite Deum. *Reuertar*, inquit, *ad te in horas.* An non liquet eundem eſſe qui dicit diſcipulis: *Vado & venio ad vos, & aſſumam vos mecum?* [Ioan. 14.] Hic eſt Deus qui dixit: *Si eſuriero, non dicam tibi.* [Pſal. 49.] Idem eſt, & non eſt mutatus, factus caro, qui eſt Verbum Deus; & eſuriuit volens, & non dixit, *Eſurio*: ſed & famem pauperum & nuditatem & hoſpitalitatem ad ſe refert, cum ait: Quamdiu [B] [Matt. 25.] feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Cæterum ſcriptum eſt de hominibus, quòd non eſurient neque laborabunt, ſicut ait Eſaias: *Qui expectant Deum, mutabunt vires; ambulabunt, & non eſurient; current, & non laborabunt.* [Eſai. 40.] Tempus eſt vt dicat Samoſatenſis, quòd Apoſtolus non expectauit Deum, quia ſcribit: *In fame & ſiti.* [2. Cor. 11.] Vides quemadmodum hic Apoſtolus nec aqua ſitim explebat? *Qui autem expectant Deum, non eſurient*, inquit, *ambulantes, neque laborabunt currentes.* Quare igitur, inquit, non ſunt hæc in Apoſtolo facta? Quin potius ſicut ſcribit, ter naufragium fecit? Hoc (28) perfidiam tuam conuincit, quòd Chriſtus non erat homo ſanctus, ſed Deus ſanctus. [Ibid.] Paulo enim cibum homines præbuerunt, ex quibus eſt Oneſimus ſtudioſus in miniſtrando Apoſtolo. [Col. 4. ad Philem.] Nihil horum in Chriſto reperimus: ſed reperimus quæcumq; in veteri ſcriptura ſcripta ſunt. Deus ipſe reuerſus eſt ad nos, qui reuerſus eſt ad Abraham in horas: qui pranſus eſt apud Abraham, cum venit ad nos, eſuriuit, qui dixit: *Si eſuriero non dicam tibi.* [Gen. 18.] [Pſal. 49.] Verbum caro factum eſuriuit, qui dat cibum omni carni IESVS Chriſtus. [Pſal. 135.] Extruſæ ergo ſunt machinationes doloſæ Samoſatenſis.

[C] [Quæſt. 10.] Exiſtimo, presbyter, Petrum Apoſtolum, vtpotè diſcipulum Chriſti, plus quàm omnes gloriam Chriſti noviſſe: hoc verò non te latet; immò magis quàm omnes alij ſcis. Quod Lucas in Actis Apoſtolorum confirmat, cùm ſcribit: *Stans autem Petrus cum omnibus Apoſtolis: Certiſſime*, inquit, [Act. 2.] *ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.* Dic igitur nobis presbyter, quomodo hic accuſabis nos eſſe ſtultos, cùm ſic tradat nobis Apoſtolus, vt ſcienter & firme teneamus factum Chriſtum & Dominum à Deo, quem Iudæi crucifixerunt? Quæ enim à vobis ſcripta ſunt, Deum habent crucifixum, & coæternum Patri. Ipſe vero crucifixus dicit Mariæ: *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* [Ioan. 20.] Sed vos dicere non patimini quòd nondum aſcendit, ſed vbiq; ſcribitis, coæternum eſſe Patri illum, qui dicit: *Nondum aſcendi ad Patrem meum.*

[Reſponſ.] [D] Scripſi & ſcribo, & confiteor & credo, & prædico coæternum Patri Chriſtum vnigenitum filium & Verbum Patris. Veruntamen nulli hæreticorum ſcripſi, ſicut neque nunc ſcribo tibi, Patrem ingenitum. Quid igitur quod non ſcripſi, accuſas? Quæ autem ſcripſi, agnoſco, & apud me ſunt. Ecce in te impletur, & in ijs qui te ſequuntur: Contra me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum. [Pſal. 68.] Non in me dico, ſed in Deum. Neſcio quis tibi hunc actum turbatum impietatis tamquã poculum porrexit, & tenebras offudit vt non intelligeres quæ dicis. Scripſi enim tibi in epiſtola, ad quam hæc reſcripſiſti, quòd volens teipſum decipis, ô amice. Non dixi amicum tamquam compresbyterum, ſed tamquam alterum amicum, cui dictum eſt à Domino: *Amice, ad quid veniſti?* [Matt. 26.] Accedam igitur duce Deo ad reſponendum quid ſit quod dictum eſt: Et Chriſtum & Dominum fecit eum Deus. Scriptum eſt: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* [Act. 2.] [Ioan. 3.] Factus eſt nobis in Deum Chriſtus Ieſus, qui eſt ſemper Chriſtus Dominus; & nos facti ſumus eius populus, qui aliquando eramus ſicut oues errantes: [E] [1. Pet. 2.] nunc autem conuerſi ſumus ad paſtorem & epiſcopum animarum noſtrarum; conuerſi ſumus ad ſemper Chriſtum & Dominum, nobis enim factus eſt Chriſtus Dominus. Sicut enim nobis natus eſt puer qui erat filius; ſic qui erat æternus, factus eſt nobis in ſalutem. Non eramus nos olim populus eius, quare nos eum ignorabamus. Verbum Patris non Verbo productum eſt, ſicut multitudo ſupernorum ſpirituum ſanctorum: ſed cum ſit Verbum, ex ſubſtantia Patris genitum eſt. Non enim creatum eſt Verbum Ieſus Chriſtus. Quamobrem tamquam vero Chriſto ſeruimus. An accuſamur quòd creaturæ ſeruimus præter creatorem? Et ſi, vt ſentit Samoſatenſis, non aſcendit ad Patrem, vnde erat qui dixit: *Pater meus in me manet?* [Ioan. 14.] Si enim non aſcendit, quid eſt quod ait: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo?* [Ioan. 3.] Nunquid Samoſatenſis tamquam amicus iniquorum, mendacem vult facere eum qui dixit, *Ego ſum veritas?* [Ioan. 14.] Nos autem (29) per duas res immobiles veritatem defendemus. [Heb. 6.] Nam pro bono forſitan quis audeat mori. [Rom. 5.] Quemadmodum dicit: Nondum erat Spiritus, quoniam IESVS nondum erat glorificatus. [Ioan. 7.] [F] Quod vero ait Samoſatenſis: Ante Mariam quidem erat Spiritus ſanctus, Chriſtus vero non erat; quomodo affirmat ſcriptu quòd erat Spiritus ſanctus ante Chriſtum & Mariam, cùm tamen Euangeliſta dicat: Nondum erat Spiritus, quia Ieſus nondum erat glorificatus? [Ibid.] Quid hic dicit Samoſatenſis? quoniam hæ duæ voces ipſius Domini ſunt & impoſſibile eſt ipſum mentiri, apage. Ipſe enim Dominus dicit: *Qui loquitur mendacium, ex malo eſt.* [Heb. 6.] [Matt. 5.] Videte, fratres, quanta ſit cæcitas. Tota die & nocte acuit tela contra Dominum, & aggreditur bellare, homo neque bellare ſciens, neque in arte bellandi inſtitutus. [Baruch 3.] [1. Reg. 17.] Quamquam homines docti & proceri, in tempore certaminis perierunt, & propriis armis, quibus confidebant, eorum capita amputata ſunt, cum ore iniqua & ſcelerata reſonante. Nondum erat datus Spiritus ſanctus; nondum venerat Dominus Spiritus paracletus, vt ſederet ſupra ſingulos ſanctorum Apoſtolorum, vbi erant ſedentes. Scriptum eſt enim: *Videbitur Deus deorum in Sion.* [Act. 2.] [Pſal. 83.] Viſus eſt eis poſtquam exierunt ex monte qui vocatur Oliueti. [Act. 1.] Inde venerunt in Sion; & impletum eſt quod ait Scriptura: *Illic ſederunt ſedes in iudicium, ſedes ſuper domum Dauid.* [G] [Pſal. 121.] Erat enim cum eis etiam domus magna Dei, manifeſtus mons Dei Deipara Maria. [Act. 2.] Sedes autem vocauit Dauid per Spiritum ſanctum, Apoſtolos, quia ſedit ſupra ſingulos eorum Spiritus ſanctus, qui apparuit ſedens ſupra ipſos in ſpecie ignearum linguarum. De eo autem quod dixit: *Nondum aſcendi ad Patrem meum*; [Ioan. 20.] nondum viderant eum redeuntem eò vbi prius erat. Ipſius enim Verbi quod factum eſt homo, vox illa eſt: *Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius.* [Ioan. 6.] Et rurſus: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.* [Ioan. 3.] Ipſe factus eſt mihi in Deum & Dominum & CHRISTVM, qui eſt vnus Verbum, vna eius hypoſtaſis, vna perſona. [Epheſ. 4.] Ipſe eſt cui omnia ſubiecta ſunt à Patre: qui cum non eſſet minor Patre, pro nobis precabatur, dicens: *Pater ſancte ſanctifica illos, ſerua eos in nomine tuo.* [1. Cor. 15.] [Ioan. 17.] Nunc autem nondum videmus omnia ſubiecta ei; cuiuſmodi ſunt cultores idolorum, & ſynagoga Iudæorum, quæ non vult credere, quæ ſe à vero ſponſo abſtraxit, & ſe cum Barabba circumplicauit. [H] Samoſatenſis vero vas iræ ſeipſum aptauit ad interitum, blaſphemijs Artemæ, illiuſque laqueis ſe irretiens. Nec enim Iudæi confitentur quòd ipſe eſt Chriſtus, qui eſt Verbum ante ſæcula, neque Samoſatenſis: ſed potius illi etiam hominem eſſe dicunt, tamquam vnum ex Prophetis; ſimiliter Samoſatenſis. Vt paulo ante ſcripſi: Cùm dixit Deus Abrahæ, *Non celabo Abrahæ omnia quæ facturus ſum*: non dixit, quæ mihi commiſſa ſunt: rurſus dicit: *Reuertar ad te in horas, & erit Sarra filius.* [Gen. 18.] Quid igitur hic dicit ineruditus? Aſcendit Deus ad Abraham; an locum ex loco mutans aſcendit Deus ab Abraham? [Col. 2.] Idem eſt, & eædem ſunt voces, quæ ſignificant eſſe in cœlo. Maius vero omnibus eſt eſſe eum in Patre, & Patrem in eo ipſo corporaliter, & Spiritum ſanctum. De Patre incorporeo & Spiritu ſancto loquitur ſanctus diſcipulus, & tamen dicit corporaliter habitare eum in filio.

Et cum tot teſtimonia ſint in diuinis ſcripturis, manet tamen cæcus, & manu tentans, qui à nobis alienus eſt: *1. Pet. 1.* impletumque eſt in eo quod ait Apoſtolus: *Excæcauit Deus* *2. Cor. 4.* *ſæculi huius mentes infidelium, ne fulgeat in eis illuminatio Euangelij.* vt conſideret quod Apoſtolus dicit: *Qui propoſito ſibi* *Heb. 12.* *gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera Dei ſedet.*

Primum dicam quid eſt quod ait: *Suſtinuit crucem confuſione contempta.* Vt ſæpe ſcripſi, dixit Deus: *Ego viſiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum aſſimilatus ſum.* *Oſea 12.* Aſſimilatus eſt Ionæ ingreſſus in monumentum, & (30) cum Patre *Iona 2.* adoratus ſublatus eſt in crucem nudus, & nudis pedibus, ſicut Eſaias prophetauit contra ſynagogam Iudæorum. *Eſaia 20.* Alia autem dicta ſunt à me diuerſis locis ſicut hæc: prætermiſſum vero eſt, vbinam præfiguratum eſt illud: *Confuſione contempta.* *Geneſ. 38.* Cum Iudas adulterauit nurum ſuam neſciens, ſtatim vt patefactum eſt quòd eſſet prægnans Thamar, ſuſpicatus Iudas ex fornicatione concepiſſe condemnauit eam, iuſſitque vt interfi eretur. cum autem duceretur ad ſupplicium Thamar: *Cognoſce,* inquit, *has, virgam & armillam: ex eo enim cuius hæc ſunt, concepi.* Tunc Iudas confuſione contempta confeſſus eſt quod iuſtior ſe eſſet Thamar; atque ita liberata eſt à morte. Niſi enim Iudas confuſionem contempſiſſet, interfecta eſſet acerbe Thamar. Verum Iudas non eſt mortuus pro Thamar: Chriſtus vero pro omnibus mortuus eſt.

Recogitemus igitur eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus *Heb. 12.* aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemur animis noſtris deficientes. Ipſe eſt qui deſcendit ad A*Geneſ. 18.* braham; ipſe qui deſcendit ad Moyſen, vt liberaret populũ; *Exod. 3.* & qui nunc nouiſſimis diebus propter nos venit, non in figura ignis, ſed conceptus in ventre virginis Mariæ, ſuperue*Luc. 1.* niente Spiritu ſancto in eam; & matrem incorruptam à pedibus vſque ad caput benedictam ſeruauit, ſicut ipſe ſolus nouit modum concepens & natus ſui. Hæc eſt quam *Geneſ. 28.* Iſaac prævidens dicebat Iacob: *Det tibi Dominus benedictio-* *Geneſ. 49.* *nem cœli deſuper, & benedictionem terræ habentis omnia.* Qui enim è cœlo deſcendit vnigenitus Deus Verbum, geſtatum eſt in vtero, & genitum ex paradiſo virginali habente omnia. hæc ſunt Spiritus ſanctus qui ſuperuenit in eam, & virtus Altiſſimi qui obumbrauit ei: & quod natum eſt ſan*Luc. 1.* ctum, puer IESVS, qui eſt Deus fortis, potens, ſuſtinuit *Heb. 12.* crucem confuſione contempta, vt ſaluos faceret eos, qui ex Adam propter abiectam obedientiam mortui erant. ipſe ſedit in dextera ſedis Dei. Si vero dixerit Samoſatenſis, quod crucifixus non erat ſemper in cœlo, quia dictum eſt quòd in dextera ſedis Dei ſedit; colligit ibi ſpinas & tribulos. dicit enim Deus ei tunc: An quia dixit filius meus vnigenitus, *Nondum aſcendi ad Patrem;* & cum dicit, *Deſcendi* *Ioan. 20.* *de cælo,* & Moyſi dicit, *Deſcendi vt liberarem eos:* dicis me *Geneſ. 12.* orbatum eſſe filio in cœlo? Si vero de Patre dicit: *Aſcendit* *Exod. 3.* *Deus ab Abraham;* rurſus opinione Samoſatenſis pater erat in terra orbatus filio; quod quidem abſit vt dicamus: quin *Heb. 4.* potius illa dicamus, quæ oportet confiteri de Patre & Filio vero & Spiritu ſancto. Sic enim laudes eius celebrantes gratiam inueniemus in auxilium opportunam. Qui autem *Matth. 10.* confitebitur ei Patrem, confitebitur eum & ipſe Filius coram Patre ſuo, & nunc, & cum venerit ad remunerandum. Ipſi gloria in Eccleſia in omnes generationes ſæculi, Amen.

EXEMPLVM EPISTOLAE MISSÆ

PAVLO SAMOSATENSI AB ORthodoxis Epiſcopis Synodi Antiochenæ priuſquam deponeretur.

HYMENAEVS, THEOPHILVS, THEOtecnus, Maximus, Proclus, Bolanus, Paulo in Chriſto Salutem.

Iam quidem in congreſſum & colloquium inter nos venimus, ac fidem noſtram oſtendimus, vt vero manifeſtius fiat quid quiſq; ſentiat, & ea quæ in quæſtionem ac dubitationem vocantur, certiorem exitum accipiant, decreuimus fidem ſcripto edere & exponere, quam à principio accepimus, & habemus traditam & ſeruatam in Catholica & ſancta Eccleſia vſque in hodiernum diem, à beatis Apoſtolis, qui viderunt ipſi, & miniſtri fuerunt verbi, *Luc. 1.* prædicatam ea Lege & Prophetis, ac nouo Teſtamento: Eſſe vnum Deum ingenitum, ſine principio, inuiſibilem, immutabilem, quem nullus hominum vidit, neque vide*1. Tim. 6.* re poteſt; cuius gloriam vel amplitudinem intelligere aut enarrare pro dignitate, vt in re & veritate eſt, humana natura non poteſt: notionem vero eius vtcunque mediocrem ſi habemus (reuelante Filio eius, ſicut ait: *Nemo nouit Pa-* *Matth. 11.* *trem, niſi Filius, & cui Filius reuelauerit*) contenti eſſe debemus. Hunc autem Filium genitum, vnigenitum, imaginem *Coloſſ. 1.* Dei inuiſibilis, primogenitum omnis creaturæ, ſapien*1. Cor. 1.* tiam, & verbum, ac virtutem Dei ante ſæcula, non præcognitione, ſed ſubſtantia & hypoſtaſi Deum, Dei filium, cum in veteri & nouo Teſtamento cognouerimus, confitemur & prædicamus. Qui autem contra dicit, filium Dei non eſſe Deum ante conſtitutionem mundi, dicitque credere & confiteri duos prædicari deos, ſi filius Dei prædicetur Deus; hunc alienum eſſe ab eccleſiaſtica regula arbitramur; & omnes Eccleſiæ Catholicæ nobiſcum conſentiunt.

De hoc enim ſcriptum eſt: *Thronus tuus Deus in ſæculum* *Heb. 1. ex* *ſæculi; virga rectitudinis virga regni tui. dilexiſti iuſtitiam, &* *Pſal. 44.* *odiſti iniquitatem; propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Et rurſus Eſaias: *Deus noſter iudicium re-* *Eſa. 35.* *tribuit, & retribuet: ipſe veniet, & ſaluabit nos, tunc aperientur* *Eſa. 45.* *oculi cæcorum, & aures ſurdorum audient. tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus; & expedita erit lingua mutorum.* & rurſus: *In te orabunt, quoniam in te eſt Deus; & non eſt alius præter te. tu enim es Deus, & neſciuimus, Deus Iſrael ſaluator.* & apud Apoſtolum: *Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus be-* *Rom. 9.* *nedictus in ſæcula, Amen.* In quibus illud, *Qui eſt ſuper omnia;* & illud, *Præter te,* de omnibus creaturis, intelligendum eſt. Et in Oſea: *Quoniam Deus ego ſum, & non homo in te ſan-* *Oſea 11.* *ctus; & non ingrediar in ciuitatem: poſt Dominum ambulabo.* Et omnes ſcripturæ diuinæ Deum filium Dei declarant. quas ſingulatim proponere in aliud tempus differimus. Hunc Filium, qui ſemper cum Patre eſt, credimus impleuiſſe voluntatem paternam in creatione vniuerſi. *Ipſe enim dixit,* *Pſal. 148.* *& facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.* Qui autem mandat, alteri mandat, quem non alium eſſe perſuaſum habemus, quàm vnigenitum filium Dei Deum, cui dixit: *Fa-* *Geneſ. 1.* *ciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* & vt in ſumma dictum ſit ſecundum Euangelium: *Omnia per ipſum* *Ioan. 1.* *facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* & ſecundum Apoſtolum: *In ipſo condita ſunt omnia quæ in cælo & quæ in terra, ſiue* *Coloſſ. 1.* *viſibilia, ſiue inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Principatus, ſiue Dominationes, ſiue Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt;* quippe qui verè eſt, & operatur vt pote Verbum ſimul & Deus, per quem omnia fecit Pater, non tamquam per inſtrumentum, neque tamquam per ſcientiam non per ſe exiſtentem. Generauit quidem Filium Pater tamquam actum viuentem, & per ſe exiſtentem, omnia in omnibus

operantem minime autem ſolum vidit filius, neque ſolum præſens fuit filius, ſed etiam operatus eſt ad creationem vniuerſi, ſicut ſcriptum eſt, *Cum eo eram cuncta componens.* Hunc dicit Scriptura deſcendiſſe, & apparuiſſe Abrahæ ad quercum Mambræ, vnum ex tribus: cum quo Patriarcha tamquam cum Domino & iudice colloquebatur; vt qui omne iudicium à Patre accepiſſet, de quo ſcriptum eſt: *Dominus pluit ſuper Sodoma & Gomorrha ignem & ſulphur à Domino de cælo.* Qui implens voluntatem paternam Patriarchis apparet, & cum eis loquitur in eiſdem clauſulis, & eiſdem capitibus, aliquando quidem tanquam angelus, quandoque vero tamquam Dominus, quandoque autem Deus eſſe affirmatur. Deum enim vniuerſi impium eſt exiſtimare vocari angelum: Filius vero angelus Patris eſt, qui eſt ipſe Dominus & Deus. Scriptum enim eſt, *Angelus magni conſilij*, ſicut & aliàs in Abrahā, *Et vocauit eum angelus Domini de cælo*, & quæ deinceps ſequūtur. nunc enim cognoui quòd times Deum, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Et vocauit nomen loci, *Dominus vidit*; vt dicant vſque in hodiernum diem, In monte Dominus apparuit. Et in Iacob: *Dixit*, inquit; *mihi angelus Dei per ſomnium: Iacob, ego dixi, Quid eſt? & dixit: Reſpice oculis tuis*, & quæ ſequuntur: *ego ſum Deus, qui apparui tibi in loco Dei*, vbi vnxiſti mihi illic titulum, & vouiſti mihi illic votum. Et poſt luctam, eamque (31) hominis præfiguratam, ſubiungitur: Et appellauit Iacob nomen loci illius, *Facies Dei*, vidi enim Deum facie ad faciē, & ſalua facta eſt anima mea. Hominem autē præfiguratum dicimus eſſe Filium Dei, quem ipſa ſcriptura Deum eſſe declarauit. Quin etiam legem ſimiliter datam eſſe Moyſi dicimus miniſtrante Filio Dei, ſicut Apoſtolus docet, cum ait: *Quid igitur lex? propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediatorem autem alium Dei & hominum neſcimus præter hunc.* Hæc etiam docet nos Moyſes, cui apparuit angelus in flamma ignis ex rubo, & quæ ſequuntur. Poſtquam autem vidit Dominus quod pergit ad videndum, vocauit eum ex rubo. & rurſus *Ingrediens congrega ſenatum filiorum Iſrael, & dices eis: Dominus Deus patrum noſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob*, & quæ ſequuntur. Si igitur nō crediderint mihi, nec audierint vocem meam (dicent enim quod non apparuit mihi Dominus Deus) quid eis dicam? Et in benedictionibus: Et quæ fuerint accepta ei qui apparuit in rubo, veniant ſuper caput Ioſeph. & alias: *Et dixit Dominus ad Moyſem: Et hunc ſermonem, quem dixiſti, faciam tibi.* & dixit: *Oſtende mihi gloriam tuam.* & dixit. Ego tranſibo prius te in gloria mea, & vocabo in nomine Domini coram te; & miſerebor cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor. Quod quidem ſic perficitur. Et deſcendit Dominus in nube, & ſtetit coram eo illic, & vocauit in nomine Domini. Et tranſiuit Dominus ante faciem eius, & vocauit Dominus Deus. Qui enim ſupra promiſerat ſe tranſiturum Filius Dei Dominus, & vocauit in nomine Domini, qui eſt Pater, hic eſt qui vere ait: *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi qui eſt à Deo; hic vidit Patrē.* & in eodem Euangelio: *Neque vocem eius vmquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis.* &: *Deum nemo vidit vmquam:* vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Et Apoſtolus in alio loco: *Regi autem ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli ſapienti Deo.* Filium vero qui eſt apud Patrem, Deum quidem & Dominum omnium creaturarum dicit, à Patre autem miſſum de cælis, & carne aſſumpta factum eſſe hominem. Quamobrem corpus eius ex Virgine ſumptum, in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitauit, diuinitati immutabiliter vnitum & deificatum eſt. Qua de cauſa idem Deus homo Ieſus Chriſtus prophetabatur in Lege & Prophetis, & ab omnib. in Eccleſia quæ ſub cælo eſt, creditus eſt Deus quidem, qui ſeipſum exinaniuit, cum eſſet æqualis Deo: homo vero ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Signa quidem & prodigia, quæ in Euangelijs deſcripta ſunt, Deus operabatur: participatione vero carnis & ſanguinis tentatus eſt per omnia pro ſimilitudine abſque peccato Sic & Chriſtus ante incarnationem in diuinis ſcripturis tamquam vnus nominatus eſt: in Hieremia quidem, Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus. Dominus autem ſpiritus eſt, ſecundum Apoſtolum. & ſecundum eundem Apoſtolum: *Bibebant autem ex ſpirituali petra petra autem erat Chriſtus.* & rurſus: *Neque tentemus Dominum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt.* & de Moyſe: *Maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* & Petrus: *De qua ſalute exquiſierunt Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes id quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti.* Si autem Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia, ante ſæcula eſt, ſic & quatenus Chriſtus, vnum & idem eſt ſubſtantia, quamuis multis notionibus cogitetur. Hæc ex plurimis pauca notauimus. Scire volumus, an eadem nobiſcum ſentias & doceas: & vt nobis ſignifices, an ijs quæ ſuperius ſcripſimus, aſſentiaris, an non.

Prou. 8. Geneſ. 18. Ioan. 5. Geneſ. 19. Eſa. 9. Geneſ. 22. Geneſ. 31. Geneſ. 32. Galat. 3. 1. Tim. 2. Exod 3.

FRANCISCI TVRRIANI SOCIETATIS IESV SCHOLIA IN

præcedentem Epiſtolam beati Dionyſij.

(1) Vtpote qui modum humanum ſuperaret] *Modus humanus comparandi virtutes eſt, ἐξ ἀγῶνος καὶ ἀσκήσεως, id eſt, certando cum carne, vt declinemus malum, adhibendo curam laborioſam & ſtudium ad ſuſcipiendam virtutem. Non ſic Chriſtus Dei filius, qui cum carne operabatur quæ ſolum natura non poterat non eſſe bona & ſancta: in nobis vero ſi biu hominum & in peccato concepta vtrumque neceſſarium eſt in Virgine autem Dei matre alterum tantum, id eſt, ſtudium virtutis ſine certamine, ex gratia Dei, & non ex natura.*

(2) In Ieſu vero natura.) *Hoc dicit paulo poſt explanatius. Chriſtus natura iuſtus, vtpote Deus, non exercitatione & laboribus, ſicut omnis homo ex numero piorum.*

(3) ante Mariam) *Chriſtus erat ante Mariam, quatenus Verbum, quare ſi Chriſtus non erat ante Mariam, neque Verbum erat ante Mariam.*

(4) Hieremias) *Thren cap. 4. Chriſtus Dominus comprehenſus eſt in corruptionibus eorum ſicut legit infra Dionyſius Alex. Græce, ἐν ταῖς διαφθοραῖς αὐτῶν. ſecundum LXX.*

(5) Incredulitas] *Incredulitatem, quam Paulus dixit Rom. cap. 3. interpretatur Dionyſius incredulitatem, de qua idem Apoſt. ibidem dixerat: Numquid incredulitas noſtra fidem Dei euacuauit? incredulitas enim eſt non credere cui credendum eſt*

(6) ſiquidem ciuitas cum Domino non numeratur in vnum numerū nec vmquam ciuitas cum rege ſimul operatur.) *Sicut Ariſt. in 4. libro Phyſic diſtinguit modos varios, quibus aliquid dicitur eſſe in alio, regnum autem eſſe in rege tamquam in primo mouente ſimiliter dicipoteſt de ciuitate & de domo ſic Dionyſius quia natura humana à Chriſto aſſumpta non erat ſubſiſtens per ſe ſed quæ eſſe cœpit in hypoſtaſi Chriſti vere regis, aſſimilat eam ciuitati quæ à rege ſuſtentatur, tamquam in ipſo habeat ſuam hypoſtaſim. Sicut igitur rex & ciuitas non numerantur in vnum numerum, id eſt, non reddunt duos, ſic Verbum Dei, & caro quam aſſumpſit, non reddunt duos Chriſtos, vt Paulus Samoſatenus fingebat, quia caro eſſe cœpit non per ſe, & ſeparatim ſed in hypoſtaſi Verbi ſuſtentantis & vnientis eam ſibi. Et quamuis ſubſtantia corporis humani à Verbo aſſumpti propriam operationem in vno Chriſto habeat (diuerſarum enim ſubſtantiarum diuerſæ ſunt proprietates & operationes) tamē quia nō erat per ſe, non per ſe operabatur, ſed vt Verbum per ſe ſimul cum humanitate per ſe operante operaretur. Declarat hoc magis Euſtathius Epiſcopus Beryti in apologia, ſiue defenſione epiſtolæ S. Leonis ad Flauianum de incarnatione. Cum enim, inquit, dixiſſet S. Leo. Operatur enim vtraque forma, cum alterius communione, quod habuit proprium. ſubiungit, Verbo quidē operante hoc quod eſt Verbi, corpore vero perficiente quæcumque erant corporis Cum dixit, Verbo operante auctoritatem & poteſtatem & libertatem diuinitatis ſignificauit, quæcumque enim ſunt Verbi, hæc ſunt principalia & regia. non ſubiungit autem, Corpore operante, ſed perficiente quæcumque ſunt corporis. vt tibi ſignificaret, quod corpus ad voluntatem Verbi vniti, tunc quod ſuum proprium mouebatur ſecundum ordinem naturæ, quando hoc placeret Verbo non enim ex ſe ipſo ad naturales paſſiones ciebatur, aut ad ea quæ extrinſecus accidebant, ſed Verbo permittente œconomice. hactenus Euſtathius.*

(7) formam hominis.) *Paulus Samoſat. formam hominis appellabat hominem per ſe exiſtentem hoc errore poſito, aiebat ſimiliter formam ſerui in Paulo ad Philipp cap 2. ſeruum intelligi.*

(8) non natura homo, ſed natura Deus.) *Non negat differentiam naturarum in Chriſto, neque negat Chriſtum eſſe dum vnum verum, eundemque verum Deum & verum hominem. ſed negat diuiſionem naturarum, quam Paulus Samoſat faciebat qui naturam hominis à Chriſto aſſumptam ponebat per ſe propria in hypoſtaſi humana quod hæreticum eſt. Chriſtus enim, vt ait S. Athanaſius in libello ſupra citato. Quod vnus eſt Chriſtus non accepit naturam Adæ ſcilicet per ſe, nulla enim natura ſine commixtione viri & feminæ reperiri non poteſt quæ eſſentia ſine ea ut & filiorū feminarū Deus in patrib. ſicut ſcriptura dixit ac Leui, eſſe in lumbis Abrahæ patris) ſed aſſumpſiſſe in Adā habitū, id eſt carne, animam intelligentē præditum. hactenus Athanaſius qui loco citato Pauli 22, ſtabat [illegible]*

hypoſtaſi

hypoſtaſi verbi Dei ſuſtentatã vocauit habitũ humanitatis. Valde bene Cyrillus in epiſt. ad Succenſum, ſecutus Dionyſium Alex. & epiſtolã Iulij Pont. Rom. de vnione corporis cum diuinitate, quam idem Cyrillus in Synodo Epheſina citauit, ſi vt Leontius Byzantius teſtatur, vt oſtenderet hanc diuiſionem naturarum, quam Paulus Samoſat. ponebat, dixit vere eſſe vnam naturam Verbi incarnatam, id eſt, cum carne. Sic enim intellexit & expoſuit idem Cyrillus.

(9) tanquam habitans Verbum in homine.) *Habitationem Verbi in nobis negat Dionyſius qualem ponebat Paul. Samoſat. σχετικὴν, id eſt, ſecundum habitudinem, ſicut habitat in ſanctis per gratiam, non autem veram & hypoſtaticam, quam hæreticus negabat. Cyrillus autem Alexand. in primo tomo Pentabibli contra Neſtorium, nos explicaſſe Paulum locum Euangelij Ioannis: Et habitauit in nobis, cum ait in epiſt. ad Coloſſ. 2. habitaſſe in Chriſto plenitudinem diuinitatis corporaliter, ne quis ſuſpicaretur fuiſſe ſimplicem habitationem σχετικὴν, id eſt, ſecundum habitudinem, ſed veram & ſecundum hypoſtaſim.*

(10) ſuga generationis eſt.) *quia vnus eſt Deus natus ex vna virgine matre, niſi vna perſona Verbi in terra facta caro habitauit in ea, id eſt, in natura noſtra, fuit enim conſubſtantialis matri & nobis propter eandem noſtram naturam.*

(11) multæ repererunt matres.) *Ipſe enim dixit in Euangelio Matth. cap. 12. Quicumq; fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt.*

(12) qui ſanctificat & qui ſanctificantur.) *Sic videtur legiſſe Dionyſius Areop. Eccleſ. Hierar. cap. 4. prope ſin. vt aduertauit ſanctus Maximus in ſcholiis ſuis, licet, vt idem ait, etiam tempore ſuo legeretur (vt nunc legimus) ſanctificantur. Cyrillus quoq; Alexandr. lib. 3. contra Neſtorium, ſanctificatur legit, ſicut vterq; Dionyſius. Eſt autem inſignis interpretatio loci Pauli Hebr. 2. vnum eſſe & non alium, & alium qui vt Deus ſanctificat, & vt homo ſanctificatur a ſeipſo, vt ab vno omnes ſanctificentur, ſicut ipſe dixit Ioan. 17. Ego ſanctifico me ipſum pro eis, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.*

(13) non eſt homo.) *id eſt, non erat perſona hominis, ſed perſona Dei, qui vnus & ſolus eſt ſanctum Dei Verbum Chriſtus.*

(14) non eſt igitur homo qui dixit.) *Ratio conſequentiæ eſt, quia qui hoc dixit, Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem, Matth. 26. ſemper dilexit iuſtitiam & ſemper odio habuit iniquitatem, quod eſt proprium Dei, qui non poteſt iniquitatem, quam odio habet, aliquando diligere, ſicut homines propter iniquitatem autem quam odio habebat non vt habet homo, ſed vt Deus. ſimiliter triſtabatur vſq; ad mortem, non vt homo triſtatur, ſed vt Deus licet triſtaretur in humanitate.*

(15) erant enim per omnia ſimiles ſecundum hypoſtaſes.) *Erant hirci ſimiles ſecundum hypoſtaſes, quia vterq; per ſe ſubſiſtebat, etiam alioqui alter ab altero hypoſtaſi differret, natura vna ſeparata. Sic Pater & Filius, quorum figura erant iſti duo hirci, vt idem Dionyſius paulo poſt ait, proprietatibus hypoſtaſeon differunt proprietate enim, quæ eſt hypoſtaſis, alius eſt Filius à Patre, & alius Pater à Filio: ſed ſimiliter per ſe ſubſiſtunt & ſunt vna & eadem natura communis totius Trinitatis per ſe ſubſiſtens in tribus perſonis. Quod autem beatus Cyrillus in allegorie Lauitici, quæ Glaphyra vocat, duos iſtos hircos ad vnum Chriſtum retulit, ſicut etiam duas illas auiculas, non retulit exemplum ad hypoſtaſes hircorum (ait Leontius Byzantius in quæſtionibus hypotheticis & definitionis contra eos qui negant eſſe in Chriſto poſt vnionem duas naturas) ſed retulit, inquit, ad differentiam viui & immolati. vnus enim Chriſtus in carne eſt paſſus & immolatus, non autem in diuinitate, quæ eſt ipſa per ſe vita.*

De hoc loco admonui, tum ne putaretur contradictio in allegoria duorũ hircorum relata à Dionyſio Alexandrino ad duas perſonas Patris & Filii, & relata à Cyrillo ad vnam perſonam Chriſti, quia vtrumq; alia & alia ratione conuenit, tum etiam vt ſi Neſtoriani hoc exemplum Cyrilli de duobus hircis ad Chriſtum relatis noſtris obiecerint ad probandum auctoritate Cyrilli duas hypoſtaſes in Chriſto, parati ſimus ad reſpondendum, ſicut nos Leontius Byzantius reſpondere docuit.

(16) & ipſe paſſionis communicans pater cum Spiritu.) *Communicauit paſſionem non patiendo, ſed vnà cooperabiliter operando. vna enim forma diuinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti operabantur communione alterius formæ humanitatis, quæ erat propria Filii, diuinitate operante quod proprium erat diuinitatis, & carne exequente quod proprium carnis, vt Leo primus in epiſt. ad Flau. tanquam diuinus docuit.*

(17) ſingenitum Patrem auſu eſt ingenitum tradidit.) *Non negat ingenitũ eſſe, ſed quia Paulus Samoſat. capitoſe vocauit ingenitum, vt ſignificaret & non Deum tanquam genitum, ſed creatum eſſe & creaturam, ideirco ait non ſumpſiſſe ex ſcriptura vlla hoc verbum, vt quidem non eſt in ſcriptura, ſed ex dolo & praua ſententia ſua.*

(18) Librum primum vocat librum Geneſis, quia eſt primus liber Legis.) *ſimiliter ſcriptura vocat caput libri primum ipſum librum primum, id eſt*

Pſal. 39. *Geneſis, cum ait: In capite libri ſcriptum eſt de me: vt faciam voluntatem tuam, Deus volui. Hunc locum ſic ſanctus Maximus in dialogo cum Pyrrho Monothelita interpretatur. Hæc, inquit, verba Pſalmi Apoſtolus*

Geneſ. 1. *de Chriſto accepit & interpretatus eſt, & Moyſes Deum introducit dicentem: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Si igitur homo eſt imago diuinæ naturæ, diuina autem natura libera poteſtatis eſt, conſequens neceſſario eſt vt imago natura ſit liberæ poteſtatis, ſiquidem ſimilitudinem archetypi ſeruat, quod ſic eſt. erat autem Chriſtus natura archetypum, & natura imago. igitur idem ſecundum ambas naturas poterat natura velle. demonſtratum vero per omnes eſt auctoritate patrum, eſſe voluntatem poteſtatem naturæ liberam. Eſt autem aduertendum, homonyme ſiue æquiuoce dici liberam poteſtatem ſicut naturã, aliter enim dicitur in Deo, aliter in angelis, aliter in hominibus. hactenus ſanctus Maximus. Opportune ait locus Dionyſii de primo libro quem vocat, & Geneſim intellexit, adduxit me ad interpretandum obiter locũ Pſal. 39. de capite libri, qui à multis & magnis auctoribus variè expoſitus eſt, ſed primus & ſolus, quod ego obſeruauerim, ſanctus Maximus ſenſum attigiſſe videtur. Valet etiam hic locus Pſalmi ab Apoſtolo de Chriſto Deo & homine acceptus contra Paulum Samoſatenſem.*

(19) Euangeliſta docet nos.) *Docet ſcilicet, cum ait Matth. 2. Et erat ibi vſq; ad obitum Herodis regis. & ſubiungit: Vt impleretur quod dictũ eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meũ. Si ergo erat filius Dei qui in Ægyptum fugit & ibi fuit vſq; ad obitum Herodis regis, ergo in ſua & non in aliena fuit. ſicut ait Ioannes Euangeliſta cap. 1. de eodem Filio Dei: In propria venit, &c. Sic etiam ad propria profectus eſt fugiens, & non ad aliena.*

(20) ſciens non iubet.) *Cum dicat Samoſatenſis, Suade ex Scriptura, videtur iubere & committere Dionyſio vt reſpondeat ex ſcriptura: non tamen iubet neq; committit vt ex ſcriptura reſpondeat & ſuadeat, quia ipſe quomodo ſcriptura ſcribi debeat, praſcribit.*

(21) & cum paruerit permittetis.) *Hoc dicit Dionyſius Alexandrin. contra Paulum Samoſ. quia ſicut ipſe præſcribit normam quomodo debeat ſcribi ſcriptura, ſimiliter Dionyſius præſcribit normam quomodo debeat ſcribi ſcriptura melliore Samoſatenſe non ſcribi, et, vt diceret, Exinaniuit ſemetipſum, formam hominem accipiens.*

(22) & non ac duas homines per ſe.) *Vna forma eſt Patris & Filij, quia vna diuinitas. opinione tamen Pauli Samoſat. duæ, quia duos faciebat, vnum ante ſæcula ingenitum, id eſt, Patrem, & vnum alienum Deum nouiſſimis diebus Chriſtum filium Dei habitudine.*

(23) in ſimilitudinem hominum factus.) *Non eſt intelligendum ſimpliciter, in ſimilitudinem hominum factum, neq; ſic intellexit Paulus, interprete Dionyſio. prius enim dixit, Formam ſerui accipiens) ſed ſic. Factus in ſimilitudinem hominum, ſcilicet ſeruorum. ſtatim enim ſequitur: Habitu, ſcilicet ſerui, inuentus vt homo. Factus itaque in ſimilitudinem hominum ſeruorum, vere ac natura homo erat, præterquod quod non erat vere & natura ſeruus, ſed tanquam miniſtrator, ſicut ipſe de ſe dixit in Euangelio Luc. 22. & tanquam ſeruiens, iuxta prophetiam Eſaiæ c. 53. cum ait de eo: Et vult Dominus iuſtificare iuſtum bene ſeruientem multis. Similiter cum ait idem Apoſtol. in epiſt. ad Rom. cap. 8. Mittens Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, non ait, in ſimilitudinem carnis ſimpliciter, ſed carnis peccati. hæc enim ſimilitudo carnis peccati vera caro eſt, hoc excepto, quod non eſt caro peccati, id eſt, ex commixtione viri & fœminæ, cuiuſmodi eſt omnis caro, excepta carne Chriſti ex virgine matre concepti & nati, & excepto Adam protoplaſto. Sic Didymus in libro contra Manichæos interpretatus eſt.*

(24) & erudit eos myſtice.) *Quia Dionyſius Alexandrin. dicit myſticam fuiſſe lauationem illam pedum, quam Chriſtus exemplo ſuo diſcipulos ſuos, & nos in eis facere docuit & præcepit & ipſo quod myſtice, id eſt, in arcano & occulto ſenſu ſignificaret, nõ explicauit, quia non ad id quod agebat opus erat, explicemus nos ſi forte poſſumus, veſtigia Scripturæ ſanctæ, & alterius Dionyſii Areopagitæ, & aliorum antiquorum ſequentes, vt vndecumq; opportunitate oblata lectorem iuuemus. Dionyſius igitur in Eccleſ. hierar. cap. de Communione, explicaturus quid myſtica ſignificaret lauatio manuum ſacerdotis ad altare, recitat verba Scripturæ in lauatione pedum, & ita recitat, vt ſimul explicet quid myſtice ſignificent pedes, qui ſunt extremæ partes corporis, ſicut manus etiam, vt perſpici poteſt, ſi quis eas ſurſum erigat, & in ſublime tollat. ſic enim ait. Qui lotus eſt, inquit Scriptura, non indiget niſi vt extrema ſua lauet, non obſcure ſignificauit etiam pertinere myſtice illam pedum lauationem, & hanc manuum. Ait igitur Dionyſius Areopagita ſignificare in ænigmate lauationem hanc manuum, oportet ſacerdotes ad operationem mundiſſimam myſterii Euchariſtiæ, oportere extremas etiam animæ phantaſias repurgare. Extremas phantaſias animæ vocat ſolas cogitationes cupiditatis malæ, à paſſione nudas. quibus nos etiam quoad fieri poteſt, ipſo adiuuante, carere vult & præcepit Dominus, qui vere vult eſſe cogitationes noſtras, quas Paulus in ſpiritu Dei docet ipſe in epiſt. ad Philipp. cap. 4. De cætero, inquit, fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumq; pudica, quæcumq; iuſta, quæcumq; ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate. Idem quoque Paulus docet & præcipit repurgationem animæ vſque ad extremas iſtas cogitationes à paſſione nudas proferre & porrigere. Sic enim ait in epiſt. ad Coloſſen. cap. 3. Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, &c. Quem locum explicans ſanctus Maximus in centuriis cap. 83. Fornicationem, inquit, vocat ipſam operationem peccati, immunditiam τὴν συγκατάθεσιν, id eſt, ipſum conſenſum, paſſionem, quam vetus interpres vertit libidinem, vocat cogitationem ἐμπαθῆ, id eſt, paſſione affectam. concupiſcentiam malam vocat nudam, ſiue ſolam cogitationem malæ cupiditatis. Primum enim, inquit, iſta nuda cogitatio à memoria in mentem ducens, in mente concipitur, quæ cum moram facit, excitatur paſſio, qua paſſione non ſublata, flectitur mens ad aſſentiendum: hoc aſſenſione facta, ad conſummationem peccati venitur. deinde ſubiungit idem ſanctus Maximus: Apoſtolus ergo cum ſcriberet ad Chriſtianos ex gentibus, primum præcepit tollere ipſum opus peccati conſummati, deinde ordine retrocedentes regredi ad cauſam. hactenus ſanctus Maximus.*

Videmus in hoc ordine ab Apoſtolo deſcripto, & à ſancto Maximo explicato, nudam cogitationem malæ concupiſcentiæ eſſe extremam radicem peccati.

Huiuſmodi ergo extremas phantaſias, vt Dionyſ. Areopagita vocat, ſiue cogitationes quas ex memoria, quæ eſt in parte animæ phantaſtica, oriuntur, licet à paſſione nudas, docuit Dominus in illa myſtica lauatione pedum debere repurgare corporis ſui participatores, quos ſic ad perfectionem vitæ hortabatur & inſtruebat. Hucuſq; progreſſa eſt interpretatio myſtica Dionyſii Areopagitæ tum ad lauationem illam pedum pertinens quæ facta eſt ante communionẽ corporis Domini, tum ad hanc manuum, quæ ante conſecrationẽ fit ad altare, atq; hanc quidem lauationem myſticã ſiue pedum, ſiue manuum (vtraq; enim ſunt extrema corporis,

vt dictum eſt) id eſt, ſatore huiuſmodi commendationem extremam eius ſententiæ ſuprà dictam mala. Veterum Chriſtiano præcipit Dominum, omnib. enim dixit: Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Quis enim credat præcepiſſe Dominum diſcipulis in illo loco Euangelij inuicem, vt alter alterius lauarent pedes, & ſi ita non lauarent? Sic igitur hoc lauationis myſterium vniuſcuiuſque propria, quam Dionyſium apoſtolicum nuſquam, ſi ut dictum eſt cap. 2. vnde ita vero lauatio pedum mutuo alterius in alterum, quam Dominus expreſſit, prætermiſſa eſt a Dionyſio Areopagita, id eſt ad explicandum quod myſticè ſignificaret, ſ[illegible] ea eſſe prætermiſſa eſt hac explicatio, quia videbat factam eſſe ab Apoſtolo tum in epiſtol. ad Galatas cap. vi. tum in epiſt. ad Coloſſ. cap. iij. Tunc igitur alter alterius pedes lauamus, ſicut Dominus præcepit, cum ſi quis habet querelam aduerſus alterum, oſtendit tunc enim velut ſordes, in quib. ambulabat, detrahit illi & velut emundamus. Huiuſmodi mutua autem nos querelarum condonatio ad pacem & humilitatem, tenendam, quam Dominus in illo loco docere voluit, perneceſſaria eſt. Hinc nata eſt Apoſtolica traditio, vt in Miſſa Liturgiarum Diaconus antequam ad ſeuſecrationem & communionem ventum ſit, ſic moneat voce clara: Μή τις κατά τινος, id eſt, Ne quis aduerſus aliquem, ſiue liceat habeat querelam, ſed condonet. Eſt hæc admonitio Diaconi in libro viij. Clementis de conſt. Apoſt. cap. xij. Ad hunc igitur locum, in quo iubet Dominus vt alter alterius pedes lauemus, quod in mutua condonatione querelarum & offenſionum perficitur, pertinet locus ille Pauli ad Galatas cap. vi. immo eum explicat, Alter alterius onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti: qui enim remittit alteri, quod in eum deliquit, eum exonerat & ſic commendabat idem Apoſtolus in epiſt. ad Coloſſ. cap. iij. Supportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Hæc eſt lex Chriſti, quam dicit Apoſtolus in epiſt. ad Gal. cap. vj. vt ſicut ipſe donauit nobis, ita & nos condonemus fratribus. Hanc ſententiam de remittendis querelis in iſta myſtica lauatione pedum interpretanda contentis ſecutus eſt ſiue Cyprianus ſiue alius quis antiquus & Eccleſiaſticus auctor in ſermone de ablutione pedum, & ſanctus Nilus in quadam epiſtola ſua, cum interpretationem huius loci Euangelij Ioannis attingeret. Simile, inquit, eſt illud, Alter alterius onera portate & quia is qui alterum pedes lauat, eiuſdem ſordes toleranter ferre debet, ideirco inquit, labrum, quod mare æneum dicebatur in quo lauabant ſacerdotes in templo, quod huius myſticæ lauationis in Euangelio typus erat, bobus æneis erat impoſitum vt in ij. libro Paralip. cap. iiij. ſcriptum eſt. boues enim quia in opere ruſtico laborioſe vtuntur ſymbolum ſunt operariorum & laborantium, vtrumque autem laborioſum eſt, nudum cogitationes mala cupiditatum extirpare, & querelas aduerſus alterum condonare: ad quod perficiendum humilitate in primis opus eſt. Meminit etiam Dionyſ. huius labri veteris, & typum fuiſſe myſticæ lauationis in Euangelio affirmat. Et certe cum euangelii ſermo ſit profundior, non puto dubitandum eſſe, quin illud de labro vetere in templo ad lauandum in vſum ſacerdotum poſito, ad lauationem quam in hoc Euangelij loco Chriſtianos, qui ſunt gens ſancta & regale ſacerdotium, facere præcipiebat, tamquam vmbram ad veritatem pertinere voluerit Dominus, & ſignificauerit, licet obſcure quia ſcriptura difficilis & obſcura eſt. Hactenus de loco myſtice difficili.

(25) An de Verbo?) Quia Samoſatenſis Chriſtum faciebat hominem tantum, oportet autem ſecundum ſcripturam Deum quærere & nō creaturam (ſi propriè enim loquendum eſt, non eſt quærendum in quo non eſt ſalus) hæc erat quæſtio Samoſatenſis de Verbo. Verū hæc quæſtio, vt paulo poſt ait Dionyſius ſublata eſt, quia demonſtratum, inquit, eſt per Scripturam, Chriſtum eſſe Deum, ex quo fit, vt quærere eum oporteat. Sed rurſus obijcit Samoſatenſis ex loco Euangelij quomodo quæſitus, & quidem cum dolore, & inuentus eſt ſi erat non ſolum, ſed ex æternitate cum Patre quæritur enim res quæ videtur, & alijs ſenſibus deprehenditur: quod non conuenit in Deum inuiſibilem & æternum. Iam hæc quæſtio de re eſt, & non de Verbo, vt prior. Sic Samoſatenſis quæſtionem de Verbo cum quæſtione de re confundebat.

(26) In ijs quæ Patris mei ſunt: oportet me eſſe.) Perinde eſt ac ſi diceret: In omnibus ſunt Dei, & in omnibus & vbique eſt Deus Pater; quid me quærebatis tamquam abſentem? an neſciebatis me eſſe oportere vbiq; & in omnibus quæ Patris mei ſunt? Deinde ipſo de templo dixit prius per prophetam Eſaiam cap. lvi. Domus mea, domus orationis vocabitur &

poſtea in Euangelio Matth. [illegible] & aliis per [illegible] cap. xj. In domo mea conuenerunt me. omnia autem quæ Patris ſunt, Filij ſunt.

(27) Secundum Deus, & præ[illegible] ante. Apparuit Abraham Deo viuo [illegible] lum.) Sic legit Dionyſ. Alexandr. apud LXX. Viderint qui Hebraice ſciunt, an mutati ne puncti erant, aut alicuius litteræ ſimilis ſit, legem noſtris libris poſſit: quod ex eruditiſſ. Hebræis Chriſtianis audiui eſſe.

(28) [illegible] is ſuam ſuam continuo.) Sicut enim Paulus eſuriuit & non ex eo efficitur quin eſſet ſanctus, & apparuit Deū ſimiliter ex eo quod Chriſtus eſuriuit, non efficitur quin eſſet Deus idem qui in veteri Teſtamento dixit, Pſalm. xlix. Si eſuriero, non dicam tibi. deinde Paulo homines cibum miniſtrabant, Chriſto autem noſtro cum eſuriſſet, angeli accedentes miniſtrabant.

(29) P[illegible] duæ res immobiles.) Duæ res immobiles ſunt, verbum, & iuſiurandum Dei enim vt Apoſtolus Hebr. vi. ait quoniam neminem habuit maiorem per quem iuraret, iurauit per ſemetipſum, dicens: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te, & promiſſio eſt hic ſa[illegible] in gentibus benedictio Abrahæ in Chriſto Ieſu ex ſemine Abrahæ. Deus autem eſt qui hæc ſe promiſit facturum. Deus igitur eſt qui deſcendit de cælo, id eſt qui factus eſt homo vt in eo impleretur hæc promiſſio Dei: quod Samoſatenſis immanis Dei negabat.

(30) & cum Patre adoratus.) Hoc dixit, quia [illegible] 2. procce adhibent Chriſto prophetiæ, qui aſſimilatus eſt Ionæ, quatenus fuit ſecundum corpus in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. in quibus procebant, vt ait Cyrillus Alexandrinus in commentarijs Prophetæ Ionæ, gloriam Saluatoris confitetur. Hoc ergo fuit adorare Chriſtum tamquam verum Deum cum Patre quod Paulum Samoſatenſem redarguit & conuincit.

(31) hominis præfiguratæ.) Significatio huius vocis προγεγραμμένος id eſt præfiguratus, qua voce vſi ſunt hi Patres in hac epiſtola in loco Scripturæ de luctatione Iacob interpretanda, inuitat me ad admonendum de loco epiſt. ad Galatas 3. vbi vſus eſt Paulus eadem voce, & in eadem ſignificatione, qua hi Patres vſi ſunt, Paulum imitati & interpretati. hi enim acceperunt vocem προγεγραμμένος, vt ſi dicerent, προγεγραμμένος, id eſt præfiguratum, ſiue prædelineatum: γραφὴ enim picturam etiam ſignificant apud veteres auctores, & γράφειν picturam, vt Nicephorum Patriarcha Conſtantinopolitanum obſeruauimus in [illegible] qua de imaginibus & Cherubinis à Moyſe iuſſu Dei factis, [illegible] & valde [illegible] ſcripſit. Paulus igitur tam diluce ait ſe docuiſſe Galatas ea quæ Propheta & Moyſes de Chriſto futura eſſe locuti fuerant, ſicut ipſe teſtatur in actis Apoſtol. cap. 26 ſe facere ſolitum apud Iudæos vt quaſi oculis ſuis Chriſtum, quem Iudæi crucifixerunt, Galatæ prius in veteri Teſtamento pictum & figuratum vidiſſent, vt exempli cauſa, in Filio Dei Angelo magni conſilij, vt Eſaias cap 9 vocat, luctante cum Iacob προγεγραμμένος, id eſt præfiguratus fuit Chriſtus Deus & homo tentatus ſicut Apoſtolus ad Hebr. cap. 4. ait per omnia pro ſimilitudine carnis abſque peccato, qui cum tentatore & ſupplantatore iuxta interpretationem nominis luctabatur. Et in Iona egreſſo ex ventre ceti, à quo fuerat deuoratus, & prædicante poſtea Niniuitis præfiguratus fuit, & quaſi ante depictus Chriſtus qui primus ex reſurrectione mortuorum, ſicut Paulus in actis Apoſtolorum cap. 26 ait, erat lumen annunciaturus gentibus, & populo. Huiuſmodi προγραφὴν, id eſt, præfigurationem, vocauit Paulus in eadem epiſtola paulo poſt allegoriam in Sara enim libera & in Agar ancilla erat præfiguratum eſſe duo teſtamenta. Fuit itaque Chriſtus in lege & in Prophetis non ſolum prædictus, ſed etiam præfiguratus, prædictio, hiſtorica eſt & prophetica, præfiguratio vero prophetica & allegorica. Beatus Hieronymus ita interpretatus eſt locum Apoſtoli ad Galatas cap. 3. quaſi προγεγραμμένος tantum ſignificaret prius ſcriptum, quia de Chriſto lex & Prophetæ ante ſcripſerunt: tametſi hunc ſenſum & interpretationem aliquam veriſſimam, obſcuriorem reddidit vox, proſcriptus, quæ in ſua eſt Hieronymus, & quæ in interpretatione Latina, quam Hieronymi eſſe credimus, remanſit. At non hoc ſolum ſignificat vox προγεγραμμένος, id eſt, prius ſcriptum, ſed prius figuratum, ſiue præfiguratum, immo hoc magis propriè ſignificare arbitror: & ſic Apoſtolum accepiſſe, vt credam, monet me horum Patrum auctoritas, quæ grauiſſima eſt, qui locum Pauli, vt dixi, ſecuti & interpretati videntur.

A

B. DIONYSII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI, EPISTOLA I.

DIONYSIVS, BASILIDÆ DILECTO mihi filio & fratri in ſacris comminiſtro, Deoque fideli & morigero in Domino, ſalutem.

Ieiunium Paſchæ

MIſiſti ad me, fideliſſime & ſapientiſſime fili mi, interrogans qua hora dies Paſchæ ſit ieiunandus. Dicis enim aliquos fratres dicere, quod oportet hoc in galli cantu facere; alios vero, quòd id ſit faciendum veſpere. Quicunque enim Romæ ſunt fratres, vt aiunt, gallum expectant: De iis autem qui hic ſunt, dixiſti, quod citius. Horam autem exactã & valde demẽſam quæris imponere; quod quidem eſt difficile, & lubricum. Quod enim poſt Reſurrectionis Domini tempus oportet eos feſtum lætitiamq; inchoare, qui ad illud vſq; animas ieiunus humiliant, erit apud omnes ſimiliter in confeſſo. Per ea autẽ quæ ſcripſiſti, probaſti (ſane admodũ diuinorũ Euãgeliorũ ſenſu percepto) quòd nihil ab eis accurate perfecteq; traditũ de hora qua reſurrexit appareat.

B

Reſurrectionis Chriſti hora nondũ accurate conſtat.

Diuerſe enim Euangeliſtæ ad monumentum veniſſe ſcripſerunt, mutatis temporibus; & omnes, ſurrexiſſe iã Dominum dixerunt inueniſſe: Et *veſpere Sabbatorum*, vt dixit Matthæus: Et *cum mane adhuc eſſet obſcurum*, vt ſcribit Ioannes: Et *ſummo diluculo*, vt Lucas: Et *valde mane, orto iã ſole*, vt Marcus: & quando ſurrexit quidem, nemo aperte reſpondit. Quod autem veſpere Sabbati, lucescente vna ſabbatorum, qui ad monumentum venerunt, eum non amplius iacentem inuenerunt, hoc in confeſſo eſt. Ac neq; diſſentire, nec ſibi aduerſari inter ſe Euangeliſtas, exiſtimemus: Et quãquam parua quædam circa id quod quæritur controuerſia eſſe videbitur, ſi omnes in vna nocte, Mundi lucem Dominum noſtrum exortũ eſſe conſentientes, in hora diſſentiunt, nos tamen quæ ab eis dicta ſunt, piè & fideliter conciliare ſtudeamus. Quod à Matthæo quidem dictum eſt, ſic habet:

Matt. 28. a. Iohan. 20. Luc. 24. a. Marc. 16. a.

Veſpere Sabbatorum, luceſcente vna Sabbatorum, venit Maria Magdalene & alia Maria ad ſpectandum ſepulchrum, & ecce fuit magnus terræmotus: Angelus enim Domini cum de cælo deſcendiſſet, accedens deuoluit lapidem, & ſedit ſupra ipſum, erat autẽ ſpecies eius vt fulgur, & indumentum eius album vt nix, à timore autem eius concuſſi ſunt qui ſeruabant, & facti ſunt vt mortui. Reſpondens autem Angelus, dixit mulieribus: Ne timete vos, ſcio enim quod Ieſum crucifixum quæritis, non eſt hic, Reſurrexit enim ſicut dixit.

C

Veſpere quid ſit.

Id aũt quod dictum eſt, *veſpere*, alij quidem exiſtimabũt ſecundum verbi cõmunitatem, ſignificare veſperam Sabbati: ſapientiores aũt id exaudientes, non hoc, ſed profundã noctem eſſe dicent, tarditatem & longum tempus, veſpere ſignificante. Et quod noctem dicit & non veſperã, ſubiunxit: *Illuceſcente in vna Sabbatorum, & venerunt*, nondũ, vt reliqui dicunt, aromata ferentes, ſed ad ſpectandum ſepulchrum. Inuenerunt autem factum eſſe terræmotum, & Angelum ſuper lapidem ſedentem, & audierunt ab ipſo, *non eſt hic, ſurrexit*. Similiter Ioannes; *In vna Sabbatorum*, inquit, *Maria Magdalene venit mane cùm eſſẽt tenebræ, ad monumẽtum, & videt lapidem ſublatum à monumento*. Sed iuxta eum, cũ adhuc eſſent tenebræ, præceſſerat. Lucas autem dicit; *Sabbato quidem quieuerunt ſecundum præceptum: Vna aũt Sabbatorum ſummo mane, ad monumentum venerunt ferentes quæ parauerant aromata, inuenerunt autem lapidem à monumento deuolutũ*. Summum mane, fortaſſe matutinum ſplendorem qui prius ſub apparet, ſignificat, vnius Sabbatorũ. Et ideo iam perfecte præterito cũ tota conſequente nocte Sabbato, & alio die incipiente, venerunt, aromata & vnguenta ferentes, quãdo iã videlicet diu ante, ſurrexerat. Hoc Marcus quoq; ſequitur, dicens: *Emerunt aromata, vt venientes Ieſum vngerẽt: & valde mane vnius Sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam ſole*. *Valde* enim *mane* hic quoq; dixit, quidem eſt ac *ſummo diluculo*, & ſubiunxit, *Orto iã ſole*. Profectio quidẽ & iter earũ, ſummo diluculo & valde mane incœpit, in itinere aũt, & circa monumentum moram traxerunt vſq; ad ortum ſolis, & eis quidem tunc dicit adoleſcens candidatus: *Reſurrexit, non eſt hic*. Hæc autẽ cum ita ſe habeant, hoc iis qui accurate ſubtiliuſque conſiderant, enunciamus quota hora vel etiam ſemihorula vel quarta horæ oporteat incipere lætitiam ob Domini noſtri à mortuis Reſurrectionem: & eos quidem qui nimium feſtinant, & ante mediam noctem ſurgunt, vt contemptores & intemperantes reprehendimus, vt qui propemodum antequam par ſit, curſum abruperint, dicẽte viro ſapiente; Non paruum eſt in vita* quod parum abeſt. Eos autem qui differunt, & plurimum perferunt, & ad quartam vſque vigiliam fortiter abſtinent, in qua etiam pluribus Seruator noſter in mari ambulãs apparuit, vt generoſos & laborum tolerantes ſuſcipimus: iis autem qui interea vt moti ſunt, vel vt potuerũt quieſcunt, non valde moleſti ſumus; quandoquidem nec ſex ieiuniorum dies æqualiter, nec ſimiliter omnes expectant. Sed alij quidem, vel omnes tranſmittunt ieiuni permanentes, alij duos, alij tres, alij quatuor, alij nullum. Et iis quidẽ qui in illis tranſmittendis valde laborauerunt: deinde defeſſi ſunt, & propemodum deficiunt, ignoſcendum eſt quod celerius guſtent. Si qui autem non modo non tranſmiſſis, ſed ne ieiunatis quidem, vel etiam in delicatis opiparisque conuiuiis conſumptis præcedentibus quatuor diebus, ad duos, eoſq; ſolos extremos dies cùm venerint; illi, à ſe, cibo non guſtato tranſmiſſis Paraſceue & Sabbato, magnum quid & egregium ſe facere exiſtimant ſi ad auroram vſque permanſerint, non exiſtimo eos ex æquo certamen ſubiiſſe cum iis qui ſe pluribus diebus prius exercuerunt. Hæc quidem, vt ſentio, conſulens ſcripſi.

D

Summum mane.

Can. 1.

E

Hora lætitiæ Paſchalis.

* ὅτι τὸ παρ' ὀλίγον.

Ieiunium inæquale ante Paſcha.

F

BALS. *Cum Epiſcopus quiſpiam magnum hunc Antiſtitem interrogaſſet qua hora ſurrexit Chriſtus, vt vſque ad horam qua illam præceſſit ieiunaret: propoſuit Antiſtes quòd feſtum Paſchæ, poſtquam Dominum ſurrexerit, incipit, & eò vſque debemus ieiunare. Quia autem non poterat dicere horam qua Chriſtus reſurrexit, reſpondit ex diuerſis verbis Euangeliſtarũ, quod etſi ex iis horam qua debemus ieiunare cognoſcere non liceat, eos tamẽ qui ante mediam noctem ſoluunt ieiunium, vt contemptores, & intemperantes vituperamus: eos autem qui ad quartam vſque vigiliam ſeu ad diluculum vſque fortiter perdurant, amplectimur: eos verò qui interquieuerunt non reprehendimus, quia nec ſex paſſionis Domini Hebdomadæ dies, omnes ſimiliter peragunt. Alij enim omnes ieiunant, alij vero duos vel tres, alij aũt plures, alij nullum. Iis ergo qui pluribus dieb. ieiunarunt & laborarunt, ſi alimentũ citius guſtauerint venia danda eſt. eos autem qui quatuor dies non ieiunarunt, ſed delicate opipareque vixerint, in Paraſceue aũt & Sabbato, ieiunanere, exiſtimare non oportet magnum quid facere, ſi vſque ad matutinum Reſurrectionis ſine cibo ieiuni permanſerint, neque enim ſimile certamen adeunt. Atque hæc quidem eſt Patris reſponſio. Tu autem Lege lxxxix. Canon. ſynodi in Trullo, ſtatuentem ieiunari ad medias vſque noctes magni Sabbati, aliis autem diebus ſalutiferæ Paſſionis, in ieiunio & oratione & compunctione verſari oportere. Quoniam autem extrinſecus ab eodem Canone declarata eſt hora Chriſti Reſurrectionis ex diuerſis ſcripturis, quoad eius fieri potuit, verum cum ſolus nouit qui reſurrexit Deus, debemus dicere quod vſque ad horam ſextam, & ipſum nocturnum Sabbatum debemus ieiunare. Ab hora autem ſeptima, quoniam incipit Dominicus quo reſurrexit Chriſtus (eſt autem veriſimile vel ſeptima, vel octaua fuiſſe Reſurrectionem) eis ieiunare non debemus nec abſtinere, ne videamur repugnare Canonibus qui ſtatuunt nos diebus Dominicis non debere ieiunare. Etſi enim dies tertius reputetur Dominicus, ſolum tamen propterea quod trium dierum reſurrectio eum attingat, tertius dicitur, eſt enim primus, & lxxxix. Canon ſynodi in Trullo conuenienter, dixit ante horam ſeptimam Nocturni Sabbati debere nos abſtinere in quacunque hora voluerit quiſpiam in ſex primis horis, atque omnino ex libera vniuſcuiuſque poteſtate & arbitrio.*

G

H

De mulieribus quæ ſunt in abſceſſu, an eas ſic affectas oporteat domum Dei ingredi, ſuperuacaneum vel interrogare exiſtimo. Neque enim eas exiſtimo ſi ſint piæ & fideles, ſic affectas, auſuras vel ad ſanctam menſam accedere, vel corpus & ſanguinem Domini attingere. Neq; enim, quæ xij. annorum fluxum habebat, ipſum ad medicinam tetigit, ſed ſolummodo eius fimbriam. Orare enim quomodocunque ſe habeat aliquis, & vtcunque ſit affectus Domini meminiſſe, & auxilium implorare, non eſt reprehendendum. Ad Sancta autem Sanctorum, qui anima & corpore purus non eſt, accedere prohibebitur.

Can. 2.

Mat. 9. c.

Menſtruæ non accedant ad communionem.

BALS. *Hebrææ mulieres, quando fuerit in profluuium men-*

A

ſtruum, in loco ſolitario ſedentes quieſcunt donec ſeptem dies prætereierint & menſtruorum fluxus expurgatus fuerit. Vnde acceptum eſt illud; In abſceſſu, *pro eo quod eſt, ſeparatas eſſe ipſas à reliquorum ſede, vt immundas. Interrogatus ergo Sanctus, de fidelibus mulieribus, an eas oporteat, quando à menſtruis vexantur, Eccleſiam ingredi, reſpondit non oportere hoc fieri, & Mulierem quæ ſanguinis profluuio in Euangelio laborabat, aptè in exemplum adduxit non auſam Dominum tangere, ſed ſolam ipſius fimbriam. Orare enim, & Domini meminiſſe, inquit, ne in hoc quidem tempore prohibebitur. Templum autem ingredi vel Sanctorum ipſas eſſe participes, non conuenit. Hæc cum Antiſtes definierit, videmus hodie, & maximè in mulierum Monaſteriis, mulieres ſecurè ſtare in Templorum veſtibulis, quæ ſanctis omnis generis Imaginibus exornata, & ad Dei laudem deputata ſunt, & cum interrogamus quomodo hoc fiat, audimus eas non eſſe in Eccleſia, quod mihi quidem non ita eſſe videtur. Non ſunt enim veſtibula communia vt Eccleſiarum atria, ſed pars ſunt ipſarum, mulieribus attributa quam Eccleſia verſari non prohibeneno. Quod quidem veſtibulum, eſt locus pœnitentia, qui dicitur Audientium, & in ipſo, ne viri quidem ſtare permittitur quibus impoſita eſt pœna ne in Eccleſia verſentur, ſed extra ipſum deflere. Oportet ergo eiuſmodi loca in quibus ſtabunt eiuſmodi immundæ mulieres, Eccleſiaeum locum directò non implere, vt etiam Sacerdotes, cum diuinum in Cherubico Hymno tranſeant, & ſepulchra, quæ illic forte ſunt, ſuffiant, & ſanctos, & ſacrarum precū myſteria peragant, vel etiam cū Epiſcopali permiſſione eiuſmodi loca ſeparare vt immundæ mulieres in eis ſine præiudicio ſtare poſſint. Ego autem vidi etiam eiuſmodi mulierem in veſtibulo ſtantem, & * ante orationem ab Antiſtite accipientem, quod quidem ſum admiratus. Olim autem, vt eſt veriſimile, mulieres ad Altare accedebant, & è ſancta Menſa participabant: Propterea enim Altaris quoque meminit Canon. Lege xxxxiij. Canonem Synodi Laodicæ, & lxix. vi. Synodi, ſimiliter lege & xiij. Nouellam Regis Domini Leonis Sapientis, hæc in ſui parte tractantem.*

Imagines in Eccleſiarum veſtibulis.

Eccleſiarū veſtibula & atria differunt.

B

Menſtruatis ne in veſtibulo quidem Eccleſiarū orare licet.

* ὀπισθάμβωνος. Ante orationem.

Statuimus de mulieribus quæ pepererunt, & de iis quæ naturali purgatione detinentur; ſiquidem earum vita, à nulla alia morboſa affectione perturbetur, vt quæ non ſunt quidem initiatæ, non ſint Illuminationis participes: quæ autem ſunt diuinis Myſteriis initiatæ, impolluta Myſteria non participent víque ad xxxx. dierū terminum. Quòd ſi morbus inuaſerit, & ſeuitiam abruptarum minetur; vt ſint omnino ſacramenti participes. *Et poſt nonnulla, ipſa rurſus iubet, de infantibus, Nouella, vt morbo quidem non vrgente, poſt octauum diem baptizentur: Quod ſi mors immineat, etiam ante viij. baptizētur. Sed quia audiui quendam dicentē non debere ſegregatos Laicos extra veſtibulum ſtantes, diuinas Pſalmodias audire, ſed neque pſallere: ei reſpondeo, quod quæ in præſenti Canone ſcripta ſunt, tibi ò homo qui hæc dicis, os occludunt. Quemadmodum enim quæ in Eccleſia verſari non ſinuntur mulieres, orare non vetantur, ita nec qui ſunt ſegregati, per ſe orare prohibebuntur, ſed nec extra Eccleſiæ Veſtibulum ſtare, & diuinas Pſalmodias audire: hoc enim fit ad maiorem eorum exercitationem.*

Myſteria impolluta.

C

Infantes baptizandi.

Mulierib. morituris non negāda Communio.

Laico extra Eccleſiæ Veſtibulū ſtent.

Porrò & qui conſenuerunt, debent eſſe ſui idonei Iudices. Quod enim à ſe inuicem, ex conſenſu, ad tempus abſtinere conueniat vt vacent orationi; & rurſus conueniant; Paulum dicentem audierunt.

Can. iij. Continentia coniugatorum ad tempus. 1. Cor. 7. a.

BALS. Vt eſt veriſimile, fuerat Sanctus interrogatus, an admittat Coniuges qui conſenuerunt, quo tempore debent orare, à communicatione abſtinere: & dicit quòd qui tales ſunt, debent eſſe ſui Iudices, & aliquando, à ſe inuicem, ex conſenſu, ſeu ex communi voluntate abſtinere, quo ſcilicet tempore orare ſtatuerunt, cum omni continentia verſentur, & rurſus ſimul conueniant. Nam & magnus Paulus hoc ſtatuit. Et Canon quidam dicit de iis qui conſenuerunt, eſt autem etiā intelligendus de omnibus Coniugibus. Rectè autem dixit illud; Ex cōſenſu: *Neque enim vir habet ſui corporis poteſtatem, nec mulier, ſecundum magnum Apoſtolum. Propterea ergo eos oportet inter ſe, continendo, conſentire vt vacent orationi & ieiunio, niſi enim ex conſenſu abſtineant, pars quæ non vult omnino coniunctionem, fruſtratur eam quæ poſtulat. & quomodo videbitur habere poteſtatem partis corporis eius qui non permittit, ea quæ quærit coniunctionem & eis non permittitur: Accidit enim vt alterius continentia, partis alterius damno cedat. Si enim à cupiditate vincetur & non ſit ei poteſtas, in coitum illegitimum incidet. Dicit autem quiſpiam, cum Canon dicat ſeparandos eſſe Coniuges vt orationi vacent, definit autem Apoſtolus, nos debere* ſine intermiſſione orare: *ſemper ne oportet eos qui cohabitant, inter ſe abſtinere: Sed non de quauis Oratione agitur; ſed de meliore, ac præſtantiore: ſanctorum ſcilicet ieiuniorum Nam & per*

D

1. Cor. 7. a.

1. Theſ. 5. a. Oratio ſan-

Moſem Deus Iudæis diuinas voces in Monte audituris, præcepit vt à propriis vxoribus abſtinerent. Et propheta Ioel; Sanctificate, *inquit,* ieiunium, & exeat ſponſos ex cubili ſuo, & ſponſa ex ſuo thalamo. *Cùm hæc autem ita ſe habeant, non videò quibuſnam pœnis ſubiiciantur qui hæc non ſeruant. Exiſtimo autem quod pro iudicio eius qui audit Confeſſionem, medicina adhibebitur perſonis & neceſſitati naturæ. Lege cij. Can. ſyn. in Trullo.*

E

Chorum ieiuniorum. Ioel. 2. d.

Qui autem in non voluntario nocturno Fluxu fuerint, ij quoque propriam conſcientiam ſequantur; & ſeipſos, an de eo diſcernant an non, conſiderent. Quemadmodum in cibis, qui diſcernit, inquit, ſi comederit condemnatus eſt; in his quoque bonæ ſit conſcientiæ, & libere loquatur ſecundùm propriam cogitationē qui ad Deum accedit. Has tu quidem, nos honorans (non enim ignorans, ò dilecte) nobis quæſtiones propoſuiſti; nos vt eiuſdem ſentētiæ, ſicut & ſumus, eiuſdemque animi ſimul præparans. Ego autem non vt doctor, ſed vt cum omni ſimplicitate conuenit nos inuicem diſſerere, meam ſententiam in commune edidi: quam cum tu examinaueris, fili mi ſapiētiſſime, quod tibi melius meliuſque apparuerit, vel an ſic etiam de his habere exiſtimas, reſcribes. Valere te, dilecte fili mi, in pace, Domino miniſtrantem opto.

Can. iiij. Pollutio nocturna diſcernenda. Rom. 14. d.

F

BALS. Interrogatus Pater, an Sacramentorum debeant eſſe participes, qui inuoluntarium ſeminis fluxum paſſi ſunt, dixit, quod qui hoc paſſi ſunt, iudicem habeant propriam conſcientiam, et ſi nulla præcedente animi perturbatione hoc eis acciderit, natura, ſua ſponte, hanc fluxionem tanquam excrementum excernente, non impediantur eſſe Sacramentorum participes. Si quibus autem ex rationis perturbatione præextitit cupiditas, eamque effluxio conſecuta ſit, vel ex cibi potuſque intemperantia hoc euenerit, ij puri non ſunt, nō propter fluxum ſeminis (non eſt enim hoc immundum, ſicut nec cæterum eſt excrementum) ſed propter malam cogitationem quæ mentem polluit. Qui eſt eiuſmodi, non habet bonam conſcientiam, & non habet ideo poteſtatem ad Deum accedendi; Subiungit autem & ex magno Paulo ſententiam, qui ſcripſit de Idolothytis, quod qui diſcernit ſi comederit condemnatus eſt. De fluxu autem ſeminis, quære magni quoque Athanaſii Epiſtolam ad Ammum monachum.

Pollutio ex multiplex.

EPITOME VITÆ S. ZENONIS VERONENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS,

Ad formam Breuiarij Romani reformati ex antiquis deſumpta lectionibus.

G

EX LIBRO DE SS. EPISCOPIS VERONENSIBVS.

ZENO *Veronæ Epiſcopus, in quo iam tum ab infantia certa apparebant ſanctitatis indicia, dum iuuenis in ſecretiore parte orbis, continuis ieiuniis corpus ſuum caſtigaret, & aſſiduis orationibus vacaret, magna animi demiſſione à Deo petebat, vt prædicandi verbi Dei oſtium ſibi in populos aperiret. Vir fuit præſtanti ingenio, acri iudicio, & in rebus gerendis admodum vehemens. Eloquentia autem ita excelluit, vt Epiſcopus quàmplurimos ad veram Chriſti pietatem conuerterit, atque inflammarit. Tam mite habuit ingenium, tanta in eius ſermone inerat ſuauitas, vt omnes qui illum adibant, diuinum quiddam in eo ſuſpicerent, & quodammodo in homine Deum venerarentur. Edidit inter cætera hoc miraculum, cum egreſſus oratorio, in Athesi piſcaretur, hominem qui dæmonis impulſu vna cum plauſtro cui inſidebat, bobuſque iunctis, in flumen præcipitauerat, & ſemiuiuus aquarum vi iam fermè erat ſuffocatus, ſigno ſanctiſſimæ crucis facto, confeſtim fugato dæmone extraxit, & à morte eripuit. Galieni Imperatoris vnicam filiam à dæmone diris modis vexatam mirabiliter vir Dei liberauit: placuit enim Domino ſeruum ſuum multis & inſignibus virtutibus ornare, hac in primis poteſtate expellendorum dæmonū. Coronam auream, quam capite geſtabat Galienus, & ipſi dono dederat, illico comminutam in pauperes diſtribuit. Narratur etiam inter eius miracula: cum Epiſcopum acceſſerent Galieni ſatellites, & ab eo piſcante humaniter fuiſſent excepti, illis tres, quos ceperat, lectiſſimos piſces donaſſe: ſed cum illi numero contempto, vt quartum dolo ſurreptum adiecissent, ac domum reuerſi omnes ſimul in feruentem aquam coniecissent, tribus à ſancto viro acceptis ſuo tempore coctis, quartum illum ſubreptitium tamdiu viuum in aqua feruenti ludibundum nataſſe, quoad illi miraculo attoniti vnanimes ad viri*

H

A *ſanctum reduxerunt, ſeque furti reos confeſſi, ab eo vt ſibi ignoſceret, impetrarunt. Cum autem vir ſanctus falſorum deorum ſimulachra Veronæ confringeret, conceſſa ſibi prius Romæ ab Imperatore Galieno eius rei facultate, quàm plurimis iniquiſſimo animo id ferentibus, & religionem, cui aſſueti erant, nefariè violari vociferantibus, vt planum omnibus faceret diuina virtute illa ſe agere, cadauer hominis quod tunc ſecundo flumine ferebatur, ad ſe vocauit, & magna cum omnium admiratione, ac ſtupore ei animam reſtituit. Quo miraculo vniuerſa penè ciuitas ſanctam Chriſti fidem recepit, eiectis omnibus qui vſque in illum diem populum contaminauerat, ſimulacrorum cultu. Quo factum eſt, vt pater etiam patriæ ſit nominatus. Rebus, quæ ad veram pietatem pertinent, Veronæ rectè conſtitutis, elegantiſſimos, qui extant, ſcripſit Sermones in vetus, & nouum teſtamentum: in quibus mirabilis pietas, & magna viri Sancti eruditio conſpicitur. Poſtremo obiit pridie idus Aprilis, & vt teſtatum reliquit ſanctiſſimus Pontifex Gregorius, & Ioannes Diaconus, vir in ſacris literis admodum verſatus, Ioannis VII. ſummi Pontificis teſtimonio approbatus, ac etiam venerabilis doctor Beda, Vſuardus monachus, cuius in Eccleſia non minima eſt auctoritas, & complures præterea, qui martyrologia, & hiſtorias conſcripſerunt, martyrio coronatus eſt.*

B
DE TRANSLATIONE EIVSDEM.

Poſt obitum ſanctiſſimi viri Zenonis, eius corpus primùm in loco, vbi viuens ipſe ad ripam Atheſis oratorium conſtruxerat ſepultum fuit, de quo ſanctus Gregorius Pontifex in Dialogis. Hinc deinde in baſilicam, quæ eius nomini Pipini Caroli Magni filij, Rotbaldique Epiſcopi Veronæ ſumptibus extructa fuerat, eſt translatum: vbi adhuc ob multa quæ edita ſunt miracula, pia populi veneratione colitur. Sanctum autem beati Zenonis corpus Rotbaldus, & Pipinus Rex vnà cum ſacerdotibus ſanctitate inſignibus transferre tentarunt: ſed nemo eorum oſſa ſancta attingere eſt auſus, quod diuinum quiddam ex loco, vbi prius ſacrum corpus erat conditum, timorem, atque etiam horrorem incuteret, & eos, qui aderant, propemodum exanimaret. Verum cum omnino eſſe transferendum Sancti viri indicarent, per 40. dies ab vniuerſo Clero, & populo ter in hebdomada ad reuerendum corpus ſolennes habitæ ſunt ſupplicationes. Translatum autem eſt opera & præſentia ſancti viri eremitæ Benigni nomine: qui cùm in C *ſummo monte prope Benacum cum diſcipulo, cuius nomen erat Charus, ſolitariam vitam degeret, ab Epiſcopo, & Rege ad beatiſſimi viri corpus transferendum diuino monitu Veronam reuocatus fuerat. In ea translatione Pipinus à Rotbaldo Epiſcopo impetrare minime potuit, vt aliqua beati corporis particula ipſi donaretur: membra potius ille integra circumſepſit, & Pontificali annulo obſignauit. Quare cum id, quod maximè optaret, conſequi Rex non potuiſſet, cinerum, ac veſtimentorum particula contentus fuit, quam magna cum veneratione ſibi traditam accepit. Translatum vero fuit corpus duodecimo Calendas Iunij.*

Vide S. Gregorij Papæ Dialogorum, lib. 3. cap. 19.

IN VETVSTO CODICE MANVSCRIPTO MONASTERII S. ZENONIS, VERONÆ, HÆC LEGVNTVR.

D
IN COENOBIO ARIMINI CÆLEſtinorum in libro antiquiſſimo de laudibus Veronæ.

OCTAVVS paſtor, confeſſor Zeno, Martyr inclytus: qui prædicationibus ſuis Veronam perduxit ad fidei baptiſmum: & à malo ſpiritu Galieni Cæſaris filiam ſanauit. Bubulcum hominem mergentem ex Atheſi flumine reduxit: ſiquidem multos ab hoſte peſtifero liberauit. Mortuum è flumio exemptum ſuſcitauit. Per crebra ieiunia idola multa deſtruxit. Nam quo tanta huius Sancti opera narrare, quæ veniendo è Syria vſque in Italiam, mirabilia per ipſum omnipotens Deus oſtendit. O felix Verona, & inclyta, &c.

E
DE S. ZENONE EPISCOPO ET MARTYRE, ex Bellarm. De ſcriptorib. Eccleſ.

ECcleſia Veronenſis ſanctum Zenonem Epiſcopum veneratur, quem ſub Gallieno Imperatore paſſum eſſe prædicat, & eius ſermones permultos nuper edidit. Huius Zenonis Epiſcopi, & Martyris nulla fit mentio apud Euſebium in hiſtor. neque apud ſanctum Hieronymum in lib. de Script. Eccleſ.

Primus eſt ſanctus Gregorius, qui ſanctum Zenonem Epiſcopum Veronæ Martyrem nominat, lib. 3. Dialogorum, cap. 19. ſed de operibus eius mentionem nullam facit. Extant ſub nomine eius ſermones editi Veronæ anno 1586.

F

De Geneſi ſermones.	4	*De Exodo.*	15
De Abraham.	3	*De Præcepto, Attende tibi.*	1
De Somnio Iacob.	1	*De Iob.*	1
De Iuda Patriarcha.	1	*De Fidei veritate.*	1
De Pſalmis.	9	*De Paſcha.*	9
De Iſaia.	6	*Inuitatio ad Fontem.*	8
De Martyrio Iſaiæ.	1	*Ad Neophytos.*	7
De Daniele.	9	*De Spirituali ædificatione.*	1
De Iona.	1	*De Patientia.*	1
De Euangelio ſecundum Lucã.	3	*De Pudicitia.*	1
De Euangelio ſecundum Ioannem.	1	*De Continentia.*	1
		De Iuſtitia.	1
De Epiſtola ad Corinthios.	1	*De Ieiunio.*	1
De Æterna filij generatione.	3	*De Timore.*	1
De Aduentu Chriſti.	1	*De Spiritu & corpore.*	1
De Natiuitate Chriſti.	3	*De Auaritia.*	3
De Circumciſione.	1	*De Liuore, & Inuidia.*	1
De Fide.	1	*De S. Archadio.*	1
De Fide, Spe, & Charitate.	1	*De Reſurrectione.*	1

Ex his ſermo ille, Attende tibi; & ſermo in Euãgeliũ Lucæ, & ſermo de ieiunio, & ſermo de liuore, & inuidia, non ſunt S. Zenonis, ſed S. Baſilij Magni, vt notum eſt, tum ex G ſtylo, tum ex communi ſententia. Item ſermones in Pſalmos, ſi non omnes, certè maiore ex parte apud Hilarium inueniuntur.

De alijs non habeo, quod dicam, niſi aliquos eſſe breuiſſimos, vt ſermones dici non mereantur, aliquos eſſe repetitiones aliorum; aliquos ita obſcuros, vt intelligi nequeãt; &, quod me male habet, de his ſermonibus nullam extare apud veteres mentionem. Primus enim, qui eos inuenit, Guarinus fuit Veronenſis Orator, ante annos circiter centum: editi ſunt autem Venetijs anno 1508. & poſtea emendatius, & pulchrioribus characteribus Veronæ anno 1586. conſulat Lector Card. Baronium in notis Martyrologij.

SANCTI ZENONIS VERONENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS, SERMONES. H

De Geneſi Sermo I.

NIſi quis hoſtem, à quo impugnatur, expugnet, nunquam bonis ſuis poterit eſſe ſecurus: ſunt enim multi, qui aſſerere conantur chaos in principio fuiſſe, id eſt informem indigeſtamq; latentis naturę cõgeriem, æterno quodam magnitudinis ſuæ per ſe in ſe manentem: poſtea vero Deum hanc diremiſſe, ex eaque conſtituiſſe mundum pariter, & ornaſſe. Igitur ſi, vt volunt, Deus materiam, qua vſus eſt, non fecit, ſed æterna ſit, vt ipſe eſt, duo ſunt ergo principia, & quidem repugnantia: ac per hoc neceſſario requirendum nobis erit, quid ſit fortius de duobus: illud, quod ſenſibile eſt, an quod caret ſenſu.

A Verum quis dubitet illud fortius eſſe quod ſentit, quod ſapit, quod cogitat, quod mouet, quod mouetur, quod mira prouidentia chaos ipſum, vt chaos non eſſet, effecit, quod eius membra diſcreuit, ratione diſpoſuit, coloribus decorauit, determinauit menſura, officiiſque competentibus ſeruire præcepit? Vnde non eſt principium, quod ſe neſcit: quod opus factum eſt alienum: quod non eſt in ſua poſitum poteſtate: quod à ſua ſubſtantia tollitur: quod mutatur: quod alieno mouetur pulſu: quod quid ſit, quid fuerit, quid futurum ſit, non poteſt aliquando ſentire. Solus Deus eſt itaque principium, qui ea ſeipſo dedit ſibi ipſe principium. Solus ante omnia, & poſt omnia, quoniam in eius manu incluſa ſunt omnia, ea ſe eſt quod eſt. Solus ſui conſcius, quantus & qualis eſt. Solus perfectus: quia non poteſt illi aliquid nec addi, nec minui. Solus omnipotens: quia ex nihilo vniuerſa conſtituit, virtute regit, maieſtate cuſtodit. Solus indemutabilis, ac ſemper æqualis: quia in B ſe non admittit ætatem. Solus ſempiternus: quia immortalis eſt Dominus. Hic eſt Deus noſter, qui ſe digeſſit in Deú. Hic pater, qui ſuo manente integro ſtatu, totum ſe reciprocauit in filium, ne quid ſibimet derogaret. Denique alter in altero exultat, cum Spiritus ſancti plenitudine vna originali coæternitate renitens. Quemadmodum (ſi dicere dignum eſt) duo maria, quæ in ſemet recumbunt, ficto æſtus alternos in vnum conferente, conneaa, quæ licet ſui proprietate, locis, vocabuliſque diſcreta ſint: tamen trini profundi vaporis vna virtus, vna ſubſtantia, vna eſt fluendi natura: nec poteſt incomprehenſibilis, communiſque vndæ diuidi magnitudo, & tamen vtrunque commeando largiflua, vtriſque propria, nulli priuata: etenim damnum patientur vbertatis, & gratiæ, ſi adimatur, quod vno eodemque æſtu alterum ex altero decoratur.

De Geneſi Sermo II.

Nihil eſt, fratres dilectiſſimi, ante omnia homini timenti Deum C tam neceſſarium atque conueniens, quàm vt ſeipſum nouerit: etenim genus inſaniæ eſt eum rationem ſecreti naturæ diſquirere, qui vitæ ſuæ non poſſit reddere: non enim vllo pacto poteſt humanis opinionibus ſubſtantia naturæ comprehendi, quam nemo nouit, niſi ipſe ſolus, qui fecit. Itaque, quod ſpecialiter ad noſtras pertinet partes, videamus quid ſit, quod Deus ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* *Et fecit*, inquit, *Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei.* Et alio loco dicat. *Ego ſum qui ſum, & non demutor.* Cum hoc ita ſit, homo quemadmodũ Dei imaginẽ portat? cuius vultus paſſibilis, omni conuerſioni ſubiectus, momentis omnib. demutatur labore, ætate, languore, ira, gaudio, triſtitudine, totque induit vultus, quot animi fuerint motus: nulluſque prorſus dies, quo iugiter ſibi ſimilis eſſe videatur? Cum hæc aliter non ſint: ergone Dei imaginem non habemus? Habemus plane: & quidem manifeſtam ex eo ipſo, quod non eſt nobis portantibus nota. Incomprehenſibilis enim Dei imago inuiſibilis fit neceſſe eſt. Denique oculis non eſt ſubiecta carnalibus. Nam neque cum ingreditur corpus noſtrũ D neque cum de corpore egreditur, à quoquam deprehendi poteſt: tantumque poteſtatis habet, vt, cum ſui domicilij ſepto teneatur, tamen quicquid voluerit, omnibus momentis illuſtret. Non ergo carnale hoc domicilium imaginem Dei debemus accipere: ſed cœleſtis hominis ſpiritalem: quam in ſe credentibus Dominus ætherea natiuitate renocatis plenitudinis ſuæ pio de fonte largitur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

De Geneſi Sermo III.

Carnalis mentis homines, fratres dilectiſſimi, ſcandalum patiuntur non ſtudio noſcendæ, ſed fruſtrandæ veritatis, quoties Deus Dei filius, qui patris maxima eſt gloria, æqualis patri à Catholicis prædicatur. Denique inde eſt, quod legis fundamenta tenentes verſuta diſputatione, prætermiſſo Deo de Deo exeunte, ad communia humanitatis nomina, quæ poſſunt argumentis attingi patris, & filij feſtinant: nec intelligunt, quia in exordio carminis E facti Deus Deo ſua ſibi & diuinitate, & nomine comparatus omnes humani ſenſus opinationes excludit: quippè cum dicit, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Non inquit, fac ad tuam, ſed ait, faciamus ad noſtrã: ne quam filios hominem induturus pati videretur iniuriam. videtiſne fratres dilectiſſimi, quia nullus eorum hic alteri iubet: in opere nullus ocioſus eſt? ô ſancta æqualitas, ac ſibi ſoli digniſſima indiuiduæ deitatis! Vnus homo ad duorum imaginem, & ſimilitudinem fingitur, nec tamen in eo quid cuius ſit, inuenitur. Si igitur in opere extraneo paritas ſacra diſtingui non poteſt, Deus in alio ſe inferior eſſe quemadmodum poteſt? quicquid enim vni ex duobus indiſcrete in omnibus ſibimet ſimilantibus detraxeris, cui detraxeris, neſcio. At ille cui iubetur, eſt, inquis, inferior, quid? quod inde non approbatur eſſe inferior: quia vnde proceſſit, paterni cordis eſt excultor: non enim minus eſt facere magna, quam dicere: quamuis & quod dictũ eſt à patre, vel dici poteſt, quia verbum eſt filius, ſine filio non eſt: & quod factum eſt à filio, vel fieri poteſt, ſine dignatione paterna non eſt: quia filius ſine patre non eſt, ipſo dicente: Si non facio facta patris, nolite mihi credere. ſed F ſi mihi credere non velitis, factis credite: & cognoſcite, quoniam in me eſt pater, & ego in illo: Conſtat ergo æqualem eſſe, quod inuicem ſe capit cum Spiritu ſancto.

De Geneſi Sermo IIII.

IN QVO PAVCIS ADDITIS, QVIBVSDAM mutatis continentur ea quæ in ſecundo.

Nihil eſt fratres dilectiſſimi, ante omnia homini tam tam neceſſarium atque conueniens, quam vt ſeipſum nouerit: etenim genus inſaniæ eſt eum rationem ſecreti naturæ diſquirere, qui vitæ ſuæ non poſſit reddere: non enim elementa pulchrius aut verius verbis humanis aſſeri poſſunt, quam à Deo facta ſunt, vel videntur. Itaque quod ad nos pertinet, videamus, quid ſit, quod Deus ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* *Et, fecit*, inquit, *Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei*: & alio loco dicat, *Ego ſum qui ſum: & non demutor.* Cum hoc ita ſit, homo quemadmodum Dei imaginem portat? cuius vultus omni conuerſioni ſubiectus momentis omnibus im- G mutatur labore, ætate, languore, gaudio, triſtitudine: nunc macie deformis, nunc enormi pinguedine, vſque adeò incertus, vt idem in duobus per orbem totum non poſſit inueniri terrarum. Igitur in Deum cum hæc non incidant, Dei imaginem non habemus? Abſit fratres. Habemus planè, & quidem manifeſtam ex eo ipſo, quod non eſt portantibus nota: Incomprehenſibilis enim Dei imago, inuiſibilis fit neceſſe eſt. Denique oculis non eſt ſubiecta mortalibus. nam neque cum ingreditur corpus, neque cum de corpore egreditur, à quoquam conſpicari poteſt: tantumque poteſtatis habet, vt cum ſui domicilij ſepto teneatur, tamen quicquid voluerit, omnibus momentis illuſtret. Non ergo carnale hoc indumentum imaginem Dei debemus accipere, ſed cœleſtis hominis ſpiritalem: quam nobis plenitudinis ſuæ pio de fonte largitur. Quam rationem Paulus euidenter prodidit dicens: *Quemadmodum portauimus imaginem eius, qui de limo eſt, portemus & eius imaginem, qui de cœlo eſt:* H quam qui ſanctè portauerint, ſicut Apoſtoli, omneſque iuſti; non tantum imaginem, ſed ipſum Deum quoque portabunt: ſicut & ſcriptum eſt: *Vos eſtis templum Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis.*

De Abraham Sermo I.

Abrahã, fratres dilectiſſimi, quale diuinæ pietatis munus acceperit vetuſtæ legis geſta teſtantur. Sarra vxor eius non inferior, vitæ longæ tranſactis curſibus, qualem filium ediderit, partus effuſione percepit. Sed quia vtriſq; ætas ademerat ſpem ſobolis, pignus ſuccidaneum meruerunt. Sic meruit fides, quod ademerat tempus: extorſit credulitas, quod natura denegauerat. Abraham patriarcha noſter exploratus à Deo in ſenectute ſuſcepit vnicum filium, nihil tamen ſolicitum patri, cuius ætas in annis ver-

A gentibus in occaſus ſui terminum verſabatur, & educationis tempus anguſtum, & ſenectuti exitus iam vicinus. Ecce prima deuotio, libenter excipere, quod ſerò datur: & in triſtiſſima ſenectute ſuſcepta ſolicitudinis mole gaudere: nã & riſit Sarra munus iuuentutis ſubiens in ſenecta: vnde nomen accepit infans: qui poſt hæc Abraham ſacratam Deo approbat mentem. Vnicus ille filius ſolliciti ſenis, adhuc paruulus, cui pietas, & miſeratio maior debetur, poſtulatur ad victimam: cui ſi per humanam fragilitatem aliqua in corpore infirmitas naſceretur, aut humanus exitus contingeret, vix in eius caſibus pater viuere potuiſſet, ſi annis teneris moreretur. Hic igitur infans è cuius vita paternus affectus, & maternus pendebat, ad explorationem fidei ſuæ diuina voce poſtulatur ad victimam. *Volo*, dixit Deus, *mihi fieri ſacrificium Abraham tuis manibus in monte de filio tuo*: hæc mihi victima placet: hoc me ſanguine deplacabis: iſte meis ſacris debetur, vnde immolari iam iubeo. Non B contriſtat frontem deuotiſſimus Abraham: nec dolor patri lachrymas perſuaſit: ſed exultat, & gaudet. Nec timuit, ne parricidium ei imputaretur: ſed magis, vt deuotioni pareret, lætabatur hoc iuſſiſſe Deum. De filio hoſtia parabatur feſtina. Denique implere ſacrificium, ne mora faciat peccatum, neceſſariis ſacramentis protinus præparatur. Aſcenditur in montem. Omni myſterio, ſacrificioque diſpoſito, ductus filius gaudens, gaudente patre, patris dextera feriendus. Qui antequam veniret in mortem, cum de patre quæreret, vbi eſſet victima, quam diſponeret, & immolaret, ſecurus de fide generis ſui, pater filio, de quo non dubitabat, patefecit, quia ſe Dominus poſtulaſſet: & quid ipſe Domino promiſiſſet, oſtendit. Lætatus eſt puer, patre fideli ipſe quoque fidelior: nec recuſabat mortem, quam Deus qui vitam dederat imperabat. Lætatur pater filio quoque gaudente: & cum gaudio vnici pignoris alligat manus: quas ille vinciendas libentius offert. Pedes quoque conſtringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret: ſecurus enim pater, optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem. C O fratres, ſecura deuotio! O pater ſpiritum captans: corpus vero, mortemque contemnens! O, qui ſeruum Domini ita ſe eſſe meminerat, vt patrem ſe eſſe neſciret. Quid eſt pater? Ecce ſub occulis iacet filius vinculis aſtrictus. Vbi ſunt lachrymæ? vbi dolor, qui in humanis ſenſibus verſari conſueuit? In tantis filij caſibus lætatur, & gaudet: & ſe Dominum promeruiſſe triumphat. Accepit iam præmia, quæ meretur, diuina etenim explorationis tentamina porriguntur: exerit quidem ferrum, & armata dextera ſubleuat manum: ſed vox eius, qui victimam poſtulauerat, contradicit. *Reſpice retro, dixit Deus, & antequam reſpicias, parce.* Ecce & meritum principale diuinam indulgentiam meruiſſe ſub caſibus: nam retro reſpiciens Abraham inuenit victimam, quam innocens immolaret. Et ferro mactauit arietem, quo filium percutere iam parabat. A filio ad agnum tranſtulit dexteram ſemper lætatus, & gaudens. Nec mutatus eſt vultus eius, cum eſſet victima commutata. Cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium: vbi enim fides fuit, non erat dolor. In illo ſacrificio ſolus Deus doluit: quia aliam D victimam procurauit: nam Abraham cum filio ſic probatus à Deo eſt, vt non poſtulans miſericordiam meretur. Videamus fratres dilectiſſimi, legis arcana: & intellectum altius proferamus. Abraham ſub lege non erat, ſed legem ſolus impleuit. Et qui nullo iure legis tenebatur, omne ius diuinum præcipuè cuſtodiuit: cuius immolatione ille quoque gauderet, qui ad victimam parabatur. Aries hærebat in eruo implicitus ſpinis, capite obligatus. Hic eſt, qui pro Iſaac immolatus eſt Deo. Hunc obtulit Abraham: hunc iuſſus eſt immolare.

De Abraham Sermo II.

NO enim præcepta virginitas prouocatur, ſed nec continentia relicta repellitur. Ad cuius fidem cariſſimi, auctorem habemus ſanctum videlicet Abraham: qui filiũ quidem Iſaac habuit. Simplex quidem vocabulum: ſed multiplex pronunciatio. Hic namque cariſſimi, deſperatus parentibus, ſed Deo promittente ſuſceptus in tranſactæ ætatis, & generantis genitalis flore conſumitur: non tamen parentibus quam diuina præceptione meruit procreari: E atque ex intimis vitæ curriculis Sarræ vterum filius aperto primo vocabulo, cui iam auiæ reuerentiam ſenectus verecunda detulerat. Sub hac igitur cariſſimi, ſpectationis natiuitate, & admiratione progenitus in primis infantiæ rudimentis iubente, ac depoſcente Deo innocens martyr offertur immaculata hoſtia: nec victima imparatus: qui teſtis diuini timoris ad fidem à Domino poſcitur, à parente perducitur: ſed hoſtia non ſanguinis, ſed ſalutis. Ad hanc igitur gloriam tardi partus vbertas, & fœcunditas deſperata profertur. Vxor Abrahæ fœtus neſcia cum viſceribus frigente ſenio, nec ſperare ſobolem poſſet, nec portare conſideret, matris ſuſcepit officia, quæ vxoria munera neſciebat. Atque eo tempore partus profertur, quo calor genitalia iam relinquebat. Mira prorſus cariſſimi, & ſperanda ſeculis poſt futuris diuinæ ordinationis propago, formata ad principium, ætas peracta reuocatur: accingitur de ſterilitate fœcunditas, vt impleretur quod ſcriptum eſt per Prophetam: *Exulta ſterilis, quæ non pariebas, Erumpe, & clama, quæ non parturis, quoniam multi filij deſerta.* Ecce enim cariſſimi, in Sarra attractis ætate neruis, & deficiente ſanguinis ſucco, areſcentibus venis dura cum viſceribus cutis, deformis, ac F luridus pallor iam pene vultus perdit humanos: nec vllus in membris voluptati motus: nihil in ſubſtantia re ſederat corporis: ſed nihil tamen in vtero negabatur infanti: & cuius ætatis auiam teſtaretur, matrẽ partus ornauit, cum ſub incerto affectionis vocabulo pietas nutaret: & cum filium proferret vterus, nepotem ſenectus optaret. Ita denique diſſenſione temporis, & naturæ contra opinionem nato angelus Iſaac nomen impoſuit: vt firmaret lætitia, quod ætatis imbecillitas deſperauit. Nouus ſanè parentum circa filium creſcit affectus: qui ex promiſſione certior, ex tarditate dulcior, ex deſperatione felicior putabatur. Vnicus numero, & in amoris ſoliditate iam primus totum maternæ pietatis occupauerat pectus: Feſtinata educatione nutritus, Deo victimam, parentibus pium parricidium præbiturus. Ecce cariſſimi, vt ait Apoſtolus, contra ſpem natum Abraham ad aram filium immolaturus Domino auctore perducit: nec deeſt ad miniſterium gladius: vt pariter, & ſacerdos. Conſimilis filij quoque eſt ex diuina voluntate ſecuritas: qui cum hoſtiam prouidet, cuius loco electus fuerat, requirebat, ſed traduntur teneræ adhuc vinculis manus: & ne quid minus ab hoſtia videretur, pedem ligatura G deſtringit: ne incitata victima diſpliceret. Ceſſet itaque hic cariſſimi, impietatis abominanda ſuſpicio. Abraham Dominum filio: ſacerdotem prætulit patri: nec pium ſe credidit, niſi probaſſet fidelem. Denique cariſſimi, intrepidus ad miniſterium immolationis armatur, rimatur adictum vulneris ſecurus animus: ſed ſecurior manus: elatus in immolandum gladius libratur: nec puerum mors vicina contriſtat: ne trepidatio fidem prodat infirmam. Sub hac denique immolantis immolandiq; conſtantia abſolui meruit, dum humanum ex ſe deponit timorem: & quantum ad fidem pertinet, pater promiſſa compleuit: Dominus parricidium probata voluntate prohibuit. Ad huius ergo perſonam Chriſti refertur verecunda natiuitas: ſed virginalis vteri aula ſecretior, diuini ſermonis arte formata in ſe tabeſcentis corporis vulua portauit. Sed in cœleſti prole, nõ ſemine progenitum certiſſimum Dominum impia Iudæorum exarſere conſilia: quem tacentem, tanquam obnoxiũ, H & pro ipſorum tantummodo cæcitate mœrentem, vt Iſaac non periturum ad aram, ita ad Crucem Chriſtum ſublimandum nefarij perduxerunt, ſed quia neſcit æternitas mori, aut Dominus poſt ſepulchrum; & ad Iudæos remanſit ſola damnatæ voluntatis inuidia, quia Dominum nec agnoſcere voluerunt: & ſola crediderunt cogitatione puniri, cum nefarium fuerit etiam tardius adorari. Ad cuius immanis auſi ſæuitiam metuenda elementorum forma mutatur: & Dei iniuriam prius prodit natura quam intelligat populus Iudæorum. Ab auctore itaque cœpit furoris horror. Accingitur turba feralis: & ad inuiſibilem ſuſpenſum gladiorum mucro connectitur. Nec inde, vt dixi, ſceleris crudelitas fructum ſortita eſt: quia ſicut in Iſaac aliud offertur, & aliud immolatur, ita & in paſſione CHRISTI, quod per Adam deliquerat, per CHRISTVM liberatur.

De Abraham Sermo III.

ABraham, vt pater eſſet multarum gentium, hic iuſtitiam non didicit, ſed genuit. Non illum acceſſus infecerat vrbium, cuius conuerſatio lex fuit. Audit imperatũ ſibi à Deo exilium, vt cognationem ſuam ſimul dimiſiſſet, & terram. Et tunc Abraham reſpiciens oculis vidit tres: occurrit, adorat, proſtratus in faciem offert hoſtiam. Refrigerate, vos, inquit, ſub iſta arbore magna, ſimilaginem cõſpargit: vitulum laniat. Poſt hæc promittitur ei de legitimo matrimonio filius de fide, non de ætate. Concipit Sarra: portat ſine labore veteri ſarcinam quæ iam ambulare non poterat, tunc diſcit mater eſſe, cum deſinit. Marcidæ mammæ lactis vbertatem oſtendunt: & de ieiuna ætate puer robuſtior ſaginatur. Nihil difficile eſt fidei: quæ tantum habet, quantum credit. Igitur Iſaac vnicus filius, ſpes populorum, & genitum origo tot rerum cari genitoris amplexib. inhærebat. Strinxerat in ſe patris pietatem, quod vnicus, quod ſero, quod promiſſus, quod ſola vnica ſpes totius præteritæ ſterilitatis damna ſarciret. Inuenta eſt cauſa, vbi Abrahæ fides tentatione fortior militaret. Chariſſimi mẽbra, quæ oſculis premere cõſueuerant, armatus gladio iubetur occidere. Quid faceret pietas? Præceptum differri non poteſt, præſtiterat mater cum ſterilis eſſet, ad gladium naſcitur puer. Talem caſum nemo doluit, niſi quę genuerat mater. Nemo plangit viuas exequias: & innocentis hominis obſequium nemo ante fletibus rigat: ne pater dubitaſſe videretur, ſi fleſſet. Deuotus ſic ſtricto vultu puerum ducit ad aram, reptimit gladium medium, pectus fidei militabat, non palleſcit vultus: non contremuit manus. Quęritur puer, vbi ſit victima: * quæ, mox ita ne percuteret, tenera ætas oſtendit, quod nec pater ferire poſſet: quia nec Dominus humanum ſanguinem poſtularet. Religioſus carnifex ſtringit gladium, patris erat quod leuauit. Dei fuit quod pepercit. Nec qui feriebatur timuit: nec qui feriebat, expauit. Sacrificium Domini non dimittitur, ſed mutatur. Melius ſeruauit filium, dum non pepercit: Sola enim fides deambulat inter gladios tuta, inter eſurientes feras amica, in ignibus frigida, ſola fides præferenda, id eſt operibus ornata, qualis fuit Abrahæ. Hac nos, qui per fidem filij Abrahæ facti ſumus, in ipſius gremium peruenire credamus.

Sermo de ſomnio Iacob.

VEre fratres chariſſimi cor eius non dormit, qui huius ſomnium ſecretaque cognoſcit: prophetia etenim ſemper figuris variantibus loquitur: ſed res vna in omnibus inuenitur. Igitur Iacob habet imaginem Chriſti: ſed & lapis ipſe: quem ad caput ſuum poſuiſſe cognoſcitur: quoniam caput viri Chriſtus: quia aliquoties lapis eſt nuncupatus. Scala autem duo teſtamenta ſignificat: quæ & euangelicis innexta præceptis credentes homines, voluntatemque Dei facientes quaſi per quoſdam obſeruantiæ gradus in cœlum leuare conſueuerunt. Hanc in Apocalypſi Ioannis bis acutum gladium cum vno capulo nuncupauit: quẽ ex ore Domini prodire deſcribit. Gladius enim Spiritus ſanctus eſt, vnum capulum habens, id eſt, vnam ſubſtantiam, virtutem, deitatem, maieſtatem, voluntatemq́ue patris, & filij: conteſtans duas acies: id eſt, duo teſtamenta gerens: quorum regalibus monitis & creduli deuotique ſeruantur: & increduli deſertoreſque puniuntur. Hanc Iſaias in modum forcipis vidit: quibus ad conſtanda labia inquinata ab vno de Seraphim ex ara Dei ſublatum carbonem vaticinando perlinibus: Etenim labia inquinata duos populos Iudæorum, gentiumq́ue debemus accipere: qui cum eſſent anterioris vitæ facinoribus inquinati; vnus Chriſtum blaſphemando, atque perſequendo, alius Deos aſſerendo, atque abominanda figmenta colendo, tactu carbonis in vnum populum per confeſſionem nominis Chriſti noſcũtur eſſe conflati. Etenim conflatio & puritatem deſignat, & vnitatem: Carbo enim verbum Dei eſt: ara lex: forceps duo teſtamenta: quæ credentes tenent, non credentes incidunt. Sed & Dauid hunc calamum nuncupauit dicens, *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Calamus fiſſus eſt, fratres: duoſque vertices gerit in vnius acuminis tenuitate digeſtos, vnam literam vtroque conficiens: cui ſi vnum adimas, alterius inanis eſt vſus. Vnde rectè teſtamenta ſunt duo; quæ ſimiliter duobus capitibus vnam literam fingũt, id eſt, ſacræ legis duobus edictis vnum Chriſtum Dei filiũ ſpiritali temperamento conſcribunt. Quę ſine ſe vtilia eſſe non poſſunt: quia veteri ſicut nouum preſtat fidem, ita nouo vetus perhibet teſtimonium: ſicut ſcriptum eſt, *Semel locutus eſt Dominus*: & hæc duo audiuimus. Sed & Dominus ipſe in euangelio hanc exprimit rationem, dicens ad Petrum, mitte hamum in mare: & piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius inueniens duos denarios, da pro me, & te. Piſcem primum à mortuis aſcendentẽ, Chriſtum debemus accipere: cuius ex ore duo denarij, id eſt, duo teſtamenta prolata ſunt: quæ ſaluti cum Domini gloria, & Petri felicitate, vtpote ſuper quem ædificauit Eccleſiam, duobus populis profecerunt. Mare autem mundum ſignificaſſe non dubium eſt. Hamum vero prædicationem quia ſicut hamus miſſus in mare mortem piſcis oſtendit, ita euangelica prædicatio miſſa per mundum, mortem Domini, aduentumque reſtatur: ſicut ad Corinthios ſcriptũ eſt: *Annunciabitis mortem Domini, donec veniat.* Aperies os piſcis, hoc eſt, ſacramentum: vel, quæ in prouerbiis locutus ſum, non intelligentibus explanabis. Denique hoc alibi manifeſtius ad omnes diſcipulos ait, *Ite*, ergo, *& docete omnes gentes, tingentes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque præcepi vobis.* Dabis autem pro me, & pro te, hoc eſt meam prædicabis crucem, ſed & tu crucis tuæ ſimiliter dignitate gaudebis. Igitur hęc ſcala cuius eſſet materiæ, in qua Dominus incumbebat, ex Dauid dicto cognoſcimus: qui ait, *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Virga, & baculus duo ſunt vtraque teſtamenta: quæ ideò materiæ ligni ſunt cõparata, ſiue quod in eius vſu, & perpetuo, & totius maneat teſtatoris voluntas inſcripta: ſeu quod quaſi ex tranſuerſo in vnam fidem concurrentia crucifigi habuiſſe Dei filium nunciabat: quẽ confirmat in ſcala rectiſſime poſitum: quia hiſtoria totius ſcripturæ & propter ipſum, & auctorem per ipſum impleta eſt. Denique ſic ad diſcipulos ait: *Omnis ſcriba doctus de regno cœlorum ſimilis eſt patrifamilias proferenti de theſauris ſuis noua & vetera.* Scriba, fratres, eſt prædicator: paterfamilias Chriſtus: theſauri eius indeminutæ deitatis paterna ſubſtantia, paternaque voluntas: noua & vetera duo teſtamenta: quæ videtis rectè eadem ſine ambiguitate à Domino hic quoque duorum denariorum eſſe figura veſtita, hac videlicet ratione, quia in theſauris ſuis duos denarios intelligi voluit nouitate, & vetuſtate duo teſtamenta. Hos duos denarios à Samaritano ſtabulario pro eo, qui à latronibus aggreſſuram paſſus fuerat, Dominus datus eſſe commemorat, quæ parabola ſublata dubitatione ſcalæ ſacramentum ſpiritaliter intuentibus patefecit: homo enim aggreſſuram paſſus Adam eſſe cognoſcitur: latrones diabolus: Eua concupiſcentia: Samaritanus Dominus, cui Iudæi dicebant: *Hic Samaritanus eſt, & dæmonium habet*; ſtabularius doctor eſt legis, qui acceptis duobus denariis, id eſt, duorum teſtamentorum ſalutaribus monitis aggreſſuram hominem paſſum latrocinio diaboli, angelorumque eius, & huius mundi, in ſtabulo, id eſt in Eccleſia, quo pecora diuina ſuccedunt, venerabili ſacramento ſuſceptum quotidianis prædicationum medicaminibus curat. Quod autem ait, Angelos aſcendentes, & deſcendentes, aliqui putant aſcẽdentes eſſe angelos lucis, deſcendentes vero angelos tenebrarum. Sed hoc ſatis abſurdum eſſe, & inconueniens, fratres chariſſimi, aduerto: quia neque refugæ deſcendunt: qui poſt peccatum in cœlum nunquam recepti noſcuntur: neque lucis aſcendunt: quia nunquam in terris, ſed ſemper in cœlo manſerunt. Vnde angelos puto rectè homines appellatos: quibus Dominus ſanctum per Spiritum dicit: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes, vos autem ſicut homines moriemini.* Sed & de Ioanne Baptiſta ſic dictum eſſe meminimus. *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam.* Ergo manifeſtum eſt, prophetiæ more angelos homines iuſtos, & iniuſtos generaliter dictos. Sed aſcendentes, & deſcendentes, qui ſint, in exemplis agnoſcimus.

Deſcen-

A Deſcendentes ſunt: qui ſeculo renunciantes rurſus reuertuntur ad ſeculum: de quibus Dominus ait; *Nemo retro attendens, & ſupponens manum ſuam ſuper aratrum, aptus eſt regno Dei*. Et iterum, *Mementote vxoris Lot*. Sed & Apoſtolus hic, quemadmodum reuertimini rurſus ad ea, quæ infirma & egena ſunt elementa. Aſcendentes vero ſunt iuſti: qui probis motibus per gradus diuinorum obſeruantiæ præceptorum quotidie ſpiritalis itineris gloria feruntur in cœlum: Quos Apoſtolus Paulus exhortatur, & monſtrat dicens, *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite*: vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens. Poſſumus & ſic fratres intelligere, hoc de miniſteriis, & de angelis dictum quos Domino, cum eſſet in terris, feciſſe inuenimus officium, ipſo dicente, *Amen amen dico vobis, videbitis cœlum apertū, & angelos Dei aſcendentes, & deſcendētes ſuper filium hominis*, ſicut & factum eſt, Euangeliſta dicēte; *Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei*. Vnde dubium non eſt, vnum eſſe iter æterni culminis angelis lucis, & hominibus iuſtis. Hæc igitur omnia combinata vnius fructus rediguntur in ſummam: quoniam vniuerſa quamuis gemina eſſe noſcantur, tamen vna radice fundantur. B Teſtamēta ſunt duo, ſed teſtator eſt vnus. Et ſcribens canna diuiſa eſt, ſed vnus calamus. Et forfex in duos producitur cultros, ſed eorum vnus eſt morſus. Et gladius duas acies gerit, ſed ſunt vnius corporis latera. Et denarij ſunt duo, ſed vna moneta ſignati. Et ſcala duos ſcapos habet, & gradus plurimos, ſed eius aſcenſus eſt vnus. Gradus autem eius, fratres dilectiſſimi, ſi vultis ſcire, quid vocentur, audite. Conuerſio, audientia, intellectus, credulitas, timor, ſapientia, ſobrietas, manſuetudo, temperantia, caſtitas, pietas, charitas, fides, veritas, humilitas, gratia, honeſtas, verecundia, patientia, perſeuerantia, conſummatio. Scaporum nomina duo teſtamenta. Scala autem proprio nomine crux vocatur: quia per ipſam Dominus IESVS CHRISTVS *myſteria vniuerſa conficiens, & concludens, patri & Adam reportauit, & iter ad cœlum omnibus ſe ſequentibus patefecit.

al. miniſteria

Sermo de Iuda.

IVdas tres liberos habuit, Her, Onan, Sela. Hic mulierem, cuius nomen eſt Thamar, accepit vxorem maiori filio ſuo. Qui filius cum malignè Domini ante faciem verC ſaretur, ſcriptura teſte, à Deo perhibetur occiſus. Secundo imperat, vt intret ad fratris vxorem, ac ſemen excitet fratris: qui ingreſſus ſemen ſuum fudit in terram. Quod cum Deo malignum quoque videretur, pariter eum morte damnauit. Coniunctionem autem tertij filij apud nurum per ætatem excuſat, deterretur, ne etiam ipſe ſimiliter moreretur: præcepitque mulieri, vt in domo patris ſui vidua permanens nuptias maturas expectet. Cum res ſic ſe haberet, eius vxor moritur. Qui conſolatus cum ad oues tondendas pergeret ſuas, atque hoc Thamari nunciatum, quæ Selam viderat maturum, ei nec tamen nupſerat, veſtem viduitatis expuit: æſtiualia induit, ſemet decore compoſuit: locoque conſtituit, Iudas qua fuerat tranſiturus. At ille viſam mulierem fornicariam putat: quæ pudoris integritatem, faciem velando monſtrabat. Interpellat eam, poſcit ingreſſum, miſſurum ſe promittit hædum. At illa promiſſi expetit pignus, magis illo contenta, quàm pretio. AcceD pitque ab eo eius monile anulum, virgam. Cumque negotio confecto, conceptu ſignata, quem veræ fornicariæ habent peroſum, ac ſemper vitant, viduitatis veſtem rurſus accepit. Interea ſecundum condictum hædus mittitur, fornicaria quæritur: nullaque ibidem vnquam fuiſſe ab incolis renunciatur. At Thamaris noſtræ cum proceſſu temporis procedit & vterus. Mirum profecto videte myſteriū, quæ celauerat faciem, non celat ventrem. defertur fornicationis rea ſine labore accuſatoris vidua prægnans. Iraſcitur ſocer, eam produci iubet: atque incendio concremari. At illa conſtanter adeſt: ſibi quæ non impudicitiæ, ſed futori ſcilicet iudicij negotium procurauerat: dicitque ei ſe debere conceptum, cuius monile, anulum teneret, & virgam. Qua re cognita Iudas non tantum ab ea ſe teſt, gnauit: ſed inſuper eam & iuſtificauit. Iudas quantum intelligi datur, ex parte prophetarū, ex parte patriarcharum, patrūque typus erat: qui ob iuſtitiam Dei omnes homines filios E computabant. Igitur Her primitiuus filius eſt populus, id eſt ἐπιθυμίᾳ omnes potentiſſimi, & reges: qui ferocitate virtutis, ac libidinis rabie digladiantes omnem orbem corrumperant terrarum: inſuper decernentes ſibimet ipſis pro dominibus templa, erigentes aras nomini ſuo: qui quæ eſſent habitori ſepulchra, neſcirent: cœlum promittētes ſibi, pro quorum actibus, ſi poſſet, ipſa quoque erubeſceret terra: poſtremo deos eſſe aduerſus Deum aſſerentes: qui ſanæ mentis hominibus ne hominum quidem vocabulo digni iudicarentur. Pro quibus cauſis à Deo non tantum ſunt diſperditi, ſed etiam perpetuo pœnali ſupplicio deſtinati. Onam autem ſecundus frater Iudaicus eſt populus: cui præcipitur, vt ſemen excitet fratris, non vtique illud, quod à F Deo damnatum iure videbatur, ſed vt reliquas nationes, quas idololatriæ, de qua diximus, diſſeminatæ venena cōfecerant, ad Dei cultum bonæ vitæ exemplis, ſacræque legis religioſis exhortationibus excitaret. At ille ſemen ſuum fudit in terram. Semen ſignificat non creaturæ, ſed cordis. Etenim ſemen cordis verbum eſt Dei, κατὰ Lucam Domino ſic dicente. Eſt autem hæc parabola. *Semen eſt verbum Dei*. Qui autem iuxta viam ſunt, hi ſunt, qui audiunt verbum: & venit diabolus, & tollit de corde verbum illorum, ne credentes ſalui fiant. Terra vero hominem, idolumque ſignificat: quia & hominem Deus de terra finxit, & homo idolum de terra compoſuit. Semen ergo ſuum fudit in terram, hoc eſt, Dei mandata neglexit, & idolis profudit: propter quod à Deo ſimiliter etiam ipſe præſentem ſententiā damnationis excepit: quia ſicut eſt deteſtabilis, qui cum ſit homo, Deum ſe fingit, ita deteſtabilior, qui Deum colit, quem ipſe diſpoſuit. Sela autem prædictorum tertius frater minor ex gentibus venientis nouelli populi imaginem depingebat: Thamar Eccleſiæ: quæ ei recte nupta non eſt: quia Chriſto veniente baptiſmatis ſpiritali vnda in gremio renatus Eccleſiæ filius eius futurus fuerat, nunc maritus IuG das amittit vxorem, id eſt, ſynagogæ fides moritur. Quod autem inquit, conſolatus eſt, vtique intelligitur ſpe Chriſti venientis: qui non tantum prophetis ſynagogæ lapſu deſolatis ſolatium præbuit, ſed etiam nos omnes in aliqua conſtitutos anguſtia recreare conſueuit. Ad oues ſuas tondendas pergit, id eſt, ab hominibus iuſtis bonorum operū fructus expoſcit. Quo audito, Thamar cum eſſet in domo patris ſui, id eſt in templis, inſanibuſque ſpectaculorum omnium locis: pater enim omnium corrupte viuentium diabolus deſignatur, Domino Iudæos ſic increpante: *Vos de diabolo patre eſtis, & concupiſcentias patris veſtri facere vultis*: veſtem viduitatis depuliſ, id eſt ſordidæ religionis ſordidos ritus abiecit. Æſtiualia induit. Æſtiua veſtis fratres, & munda eſt, & expedita: cum qua facile & opus fieri poſſit, & tolerari ardor æſtatis; id eſt tentationis: quam eſſe vtique credulitatem non poteſt dubitari: quia hanc, qui habuerit, neceſſe eſt, vt expeditè viuat, & mundè. Igitur ne cognoſcatur, faciem velamine obſcurat neceſſario, quia aſtē. ſoi pudoris eius nondum venerat Chriſtus. Non cognoſcitur a ſocero: ad Iudæos enim, non ad gentes prophetæ fuerant deſtinati. Fornicariam putat: rectè, quia deorum populo H ſeruiebat. Cum ea conuenire cupit: quia prophetiæ magis gentes, quam Iudæi fuerant credituri, Domino dicente: *Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regno Dei*. Hædum ei promittit, id eſt, quæ ſit peccatori peccati merces, oſtendit. Quam accipere deuitauit: quia inter agnos venturi tempore, non inter hædos deputatur, qui pignus Trinitatis acceperit. Denique expetiſſe, atque accepiſſe deſcribitur monile, anulum, virgam: quibus iſta ſignificatio coaptatur. Monile fratres dilectiſſimi lex eſt: quæ ſalutaribus monitis, diuerſis virtutibus, diuerſoque charismate omnium credentium non colla, ſed corda decorare conſueuit. Virga per lignum ſacramentum paſſionis Domini annunciabat: ſicut euidēs declarat exemplum: quod pſalmorum in libro ſic habetur, *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Parasti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum: & poculū tuum inebrians quam præclarum*. Vtique fratres caro ſanguinem, mentem corpus, oleum donum Spiritus ſancti ſignificat: virga

A cum baculo crucem, in qua Deus pro homine pendere dignatus eſt: vt in Deum hominem, quem induerat, cómutaret. Anulus quoque ſignaculum fidei eſt: quod eſt Chriſtus, cuius illuſtratione maieſtatis impreſſi, atque ſignati, qua ſincerè viuentes in cuſtodiam noſtræ ſalutis per Spiritum ſanctum imaginem referimus, quam tenemus. Quod cum ea conuenit, communionis ſanctæ ſignificat ſacramentum. Thamar concepit in vtero: Eccleſia corde concepit. Illa ſemine: hæc verbo. Hædus ei mittitur, tentationis videlicet ſignum: etenim iuſtitiam, qui ſequitur, neceſſe eſt, vt probetur. Denique fornicatrix requiſita non eſt inuenta: quia renatus per aquam, & Spiritum ſanctum deſinit eſſe, quod fuerat: & incipit eſſe, quod non erat. Sequitur, quod viduitatis veſtem rurſus accepit, non vtique vt, quæ fecerat, faceret, ſed vt defleret ſe feciſſe, quod fecerat: aliter enim quis ſaluus eſſe non poterit, quamuis ſit iuſtus, niſi [illegible] faciens & pœnitentia ſua peccata extinguat, & futura repellat. Thamar arguitur, quod de fornicatione conceperit. Et Eccleſia quaſi legis adultera Iudæorum eſt à ſenioribus accuſata, quod ſabbatum ruperit: quod eorũ traditiones abiecerit. Thamar protulit monile, anulum,
B virgam: ſeque liberauit ſacramento numeri ab imminenti ſupplicio. Eccleſia ipſa veritate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti non tantum diaboli præſentes ignes extinguit, ſed etiam futuri diei iudicij incendia ſuperabit. Illa iuſtificata diſceſſit: hæc glorificata veri numeri incrementis, ac fidei cum Chriſto in æterna ſecula permanebit, per Dominum, & conſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum: qui eſt benedictus cum Patre & Spiritu ſancto ante ſęcula, & in ſęculis, & in omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

De Exodo Sermo I.

SAcram legem qui ſpiritaliter accipit, fratres, iſte eſt qui eius fructu lactatur: Iudæi etenim cum carnaliter ſentiunt, in gregibuſque pecuniis agnum biſaria natura commiſtum, qui inueniri non poteſt, quærunt, ſic agnum verum Chriſtum, quem inuenerant, perdiderunt: non enim intellexere, quia ex hædis humana deſignabatur caro ſuis onuſta peccatis: ex ouibus ſpiritus maieſtatis: quæ vtraque in Chriſto concreta agnum legitimum præſtiterunt. Hic eſt agnus, fratres, de quo † legitur Paſcha eſt Domini. Apo-
al. litaro.
C ſtolus quoq; Paulus: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Cur autem dignatus fuerit immolari, Ioannes Baptiſta ante prædicauit his verbis, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Hic itaque dictus eſt primitiuus, quia paternæ antiquitatis ſolus eſt conſcius. Hic maturus, quia poſt ipſum eſt nullus. Hic ſempiternus, quia occiſus eſt, & inuentus eſt viuus. Hic immaculatus à peccato, quia ſolus eſt mundus. Hic ſalutaris, quia per ipſum vincimus mortem. Hic maſculus, quia Dei eſt virtus. Hic, inquam, agnus perfectus, quia in ipſo magnus ille ſacerdos pro myſterio ſua victima incluſus hodie Deum reddidit hominem, quem litauit.

De Exodo Sermo II.

TEmpus non ſinit, fratres, imagini reddere veritatem. Veruntamen Iudæe quid monumentis tui criminis
D gratularis? In Ægypto ſeruiſti diu non ſorte peregrini, ſed merito. Ereptus es inde: non tua euaſiſti virtute. Columna nubis te perduxit per diem, vt oſtenderet cæcum: Ignis columna per noctem, vt admoneret arſurum. Angelus prænuius tua caſtra promouit, vt etiam præſenti Deo probareris ingratus. Per mare pedibus ambulaſti, vt patereris in terra naufragium. Ad hoc ſanè in eremo aquam de petra bibiſti: manna de cœlo guſtaſti, vt cum eſſes ad egeſtatem poſtmodum deuolutus, præteritorum bonorum recordatione acrius torquereris.

De Exodo Sermo III.

MIra, fratres cariſſimi, hiſtoriæ ſacræ ſic eſt prælecta narratio. Cum Iſraelis populus in ortu captiuitatis iugo depreſſus, à rege Pharaone duris conditionibus in Ægypto necaretur, miſeratione Dei, duce Moyſe, iuſſus
E eſt proficiſci. Huic non circulus ſolis per diem, ſed columna nubis: non candida luna: ſed ignis columna per noctem iter pandebat ignotum: qui vt inter duo elementa peruenit, ibidem præſentaneæ exitum mortis expauit: hinc enim perſequentium Ægyptiorum infeſtis mucronibus premebatur: inde maris vodis magno clauſis obice premebatur. Etenim illi nullæ inerãt naues, nulla trãsfretandi præſidia, cum ſubito diuina prouidentia ſcinditur mare: aquæ dextera, læuaque gelido ſtupore frænatæ vitreos diriguntur in muros, præſtolantes tranſitum Dei populi, vt perſequentibus mare ſint. Inducitur in viam Iſrael ingratus: in qua nec gladios poſſit timere, nec fluctus. Mira res: medio pulueruleutus exultat in profundo: quia circa ſe videret feliciter triumphum ſuum perire naufragio. Hæc Iudæus prędicat fratres: & tamen Deo clemens adhuc vſque non credit: qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE EXODO SERMO IIII.

In quo paucis additis, quibuſdam mutatis, continentur ea, quæ in ſecundo.

TEmpus non ſinit imagini reddere veritatem. Veruntamen, Iudæe, deſignatione tui criminis gratularis? In
F Ægypto ſeruiſti diu non neceſſitate, ſed merito. Ereptus es inde, non tua euaſiſti virtute. Columna nubis te deduxit per diem: vt oſtenderet cæcum: Ignis columna per noctẽ: vt ſignificaret arſurum. Angelus tua caſtra præcedit: necubi crimen excuſes. Per mare ambulas: veloces pedes tuos ad effundendum ſanguinem dextra læuaque in te refugiẽs vnda teſtatur. Denique eremo exciperis: quò te nunc perueniſſe cognoſcis. Vbi ſanè ad hoc aquam de petra bibiſti: manna de cœlo guſtaſti, vt ſcires miſer, quid fueras perditurus.

De Exodo Sermo V.

SIcut lectio diuina teſtatur, in ægyptò à Pharaone, populoque eius, Iſrael Dei populus captiuatus ingenti iugo acerrimè premebatur. Hunc Deus præcipit proficiſci
G duce Moyſe videlicet & Aaron, iter demonſtrante nubis columna per diem, eadem ignis quoque per noctem. Finditur mare: & dextera, læuaq; in abruptũ digeſta aggerib. ſtupens vnda ſolidatur. Dei populus nauigat plantis. Mira res. Itereius barbaris vehementer vrgentibus nec eques poteſt ſequi, nec nauis. Maria cum mulieribus tympanum quatit. Hymnus canitur. Dei populus liberatur: reſolutiſq; vndis via cum perſecutore deletur. Quantum ſpiritaliter intelligi datur, Ægyptus mundus eſt iſte. Pharao cum populo ſuo diabolus, & ſpiritus omnis iniquitatis. Iſrael populus Chriſtianus: qui proficiſci iubetur, vt ad futura contendat. Moyſes, & Aaron per id, quod erant, ſacerdotum: per ſuum numerum, demonſtrabant duorum teſtamentorum ſacramentum. Columna viam demonſtrans Chriſtus eſt Dominus. Quod duplicem nubis, & ignis imaginẽ gerit, iudicia duo deſignat, vnum aquæ, quod geſtum eſt, ignis alterum, quod futurum. Mare autem ſacrum debemus accipere in quo quibus aquis Dei ſerui liberantur, iiſdem, qui non fugiunt, ſed portant peccata, delentur. Ma-
H ria quæ cum mulieribus tympanum quatit, typus Eccleſiæ fuit: quæ cum omnibus Eccleſiis, quas peperit, hymnum canens, & pectoris verum tympanum quatiens populum Chriſtianum ducit non in eremum, ſed ad cœlum.

DE EXODO SERMO VI.

De Iudæis.

IVdæi, vnde ſe beatos putant, infelices inde eſſe noſcuntur: etenim cõmodius puto miſero in ſtatu ſuo manenti, quàm beato in vltimas miſerias deuoluto: nam prædicat patres ſuos Ægyptium populum fugiendo deleſſe: Deum ſuis præſuiſſe maioribus, eorumque iter præceſſiſſe: non

intel-

A

intelligentes, quia exinde eos à facie ſua remotos poſt ſuū dorſum cum poſtfuturis abiecerat: Erythræum quoq; in geminas ripas medium ſciſſum mare, ductiſque dextera, læuaque aggeribus, in aciem ſtipatis vndarum ſaluo liquore, areſactam profundi in ſemet contra ſe obnixam, ſtupidam pependiſſe naturam: viam inter fluctus miſcuiſſe terrenam: quæ vtique non cœleſtis populi meritum, ſed terreni per orbem totum diſperſionis futuræ denunciabat exitum. Ideo eos in eremum inde perduxit: vulneraque deteſtabilis mentis curanda lacte cum melle prouidendo commonuit: Nam infirmis, ac languidis mannæ teneritudinem irrorauit: Non enim erant idonei, aut digni, qui cœleſtis panis perpetua ſoliditate fruerentur. Petra illis ſcaturiuit in fontem: vt biberent de tritis lacunis, vt merebantur, cœnulentum poſtmodum laticem Domino dicente; *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ: & foderunt ſibi lacus detritos, qui non poſſunt aquam portare.* Poſtremo infelices quid ſperant de imagine, cuius noſſe non ſunt meriti veritatem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum?

B

DE EXODO SERMO VII.

De Iudæis.

PHariſæus quemadmodum legitimum Paſcha poſſit celebrare, non video: cuius eminens, famoſumque illud templum miſerabili vaſtatione campis æquatum ſuo puluere iacet ſepultum. Sacerdotalis cathedra peſtilentiæ cultorum ſuorum ſacrilegio iure deleta eſt. Exinanitum cornu iam non ſpirat vnguenta. Dies feſtos in luctum, & cantica eius in lamentationem conuerſa prophetæ teſtantur. Tauros, arietes, hircos, & agnos à Domino ſæpe reprobatos acceperunt. Quid vltra? Non poteſt, fratres, vllum celebrare myſterium, cuius ſacrificium diuina ſententia ad ueritis eſſe damnatum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: qui eſt benedictus cum Patre, & Spiritu ſancto in omnia ſæcula ſæculorum.

DE EXODO SERMO VIII.

C

In quo pauca addita de Iudæis, quibuſdam mutatis, continentur ea, quæ in præcedenti, & in primo.

IVdæus legitimum gerere ſe paſcha contendit: cui nihil aliud de veteri ſacramento, quàm inanibus intexta ſuſpirus fabula remanſit. Denique regium illud templum campis æquatum iacet. Altaria Dei eius ſubuerſa manu cum ſuis ibi ſacrificiis ſparſa in puluerem vanuerunt. Sacerdotalis cathedra peſtilentiæ ſuo nomine deleta eſt. Agnus ſalutaris, qui deſignatus ex ouibus, & ex hædis, inter pecora non poteſt inueniri. Dies feſti eius, & cantica ſecundum Dei vocem in planctum, & luctum proceſſerunt. Superba illa ciuitas ſeruit. Sanè ouium greges infinitos interficit: quos in amaritudine abſumit. Quis non intelligat, fratres illud paſcha nō eſſe, ſed bramoſum latronis cruenti conuiuium?

D

DE EXODO SERMO IX.

De Iudæis.

In quo pauca addita, quibuſdam mutatis continentur ea, quæ in præcedenti, & in primo.

PHariſæi agere ſe legitimum paſcha contendunt: qui cum templo ſummo, vt putabatur, ſummum ſacerdotium perdiderunt: regalis vnguenti cornu priuati ſunt. Circumciſio teſtimonium mentis impuræ iam tamque illis imminere ſupplium denotati vulneris inflictu minatur. Omne genus pecudum ſuo ibi ſacrificio reprobatur. Ieiunia eorum, dies feſti, omniſque ſolennitas abominatio eſt apud Deum. Cum hæc ita ſint, à quibus, quomodo, vnde paſcha celebratur? Adde, quod agnum legitimum ſuo vitio, quem inuenerant, perdiderunt: quem ſcriptura deſignabat ex ouibus, & hædis. Ex hædis vtique propter peccatricis indumentum carnis: Ex ouibus, propter ſpiritum

E

maieſtatis. Qui primiuus eſt dictus, quia præter patrem, cui etiam coæternus eſt diuinitate cum Spiritu ſancto ante ipſum nullus eſt primus. Maturus, quia æternus eſt. Perfectus, quia Dei virtus, Deique ſapientia eſt. Immaculatus, quia peccatum non habet ſolus. Salutaris, quia mortem mutauit in vitam: propter nos qui eſt occiſus, & viuit: ſepultus, & reſurrexit: homo æſtimatus eſt, & inuentus eſt Deus glorioſus in ſæcula ſæculorum.

DE EXODO SERMO X.

De Iudæis.

SI Iudæi vacuatæ imaginis recordatione gloriātur, quanto magis Chriſtianus: in quo non eſt figura, ſed veritas? Quem ex rebus ipſis agnoſcere pariter, & probare. Iudæi maiores ſuos Pharaonis, exercituſque eius graui ſeruitutis iugo depreſſos de Ægypto prædicant liberatos. A diaboli rabie, idolorumque turba violenta non tantum noſtri maiores, ſed omnis Chriſtiana progenies de vera Ægypto, id

F

eſt, de iſto mundo ſemper momentis omnibus liberatur. Illis ducatum Moyſes præbuit: dux noſter Chriſtus eſt Dominus. Illis columna nubis, atque ignis viam demonſtrauit: nobis teſtamenti veteris, ac noui clariſſima oracula viam, & verum Chriſtum Dominum prodiderunt: qui ait, Ego ſum via, & veritas. Illorum profugus populus per mare rubrum dextera, læuaque vndarum ſtupentibus rupibus pede ſicco tranſiuit: at noſtrum mare, quos voluntarios ſuſcipit feliciter naufragos facit: interimenſque vniuerſa peccata genitali vnda ſubmergit: vt cœleſtes effecti terram deſiderare non norint. Denique illi poſt mare ad eremum peruenerunt: nos poſt baptiſmum ad paradiſum peruenimus. Illis irrorata eſt eſurientibus manna: nos autem eſurire non poſſumus ſempiternam, qui cœleſtis panis nobiſcum portamus annonam. Illis ſitientibus petra fluxit in poculum: at Chriſti fontem qui biberit, in æternum ſitire non nouit. Illis in deſerto ſuauitas lactis, & mellis exhibita eſt: nobis verò, quod plus eſt melle dulcior, ac lacte candidior, æternæ vitæ beatitudo Dei tribuetur in regno.

G

DE EXODO SERMO XI.

De Iudæis.

QVid tumet Phariſæus inanis, quem momenti prætérita delectat vmbra? Exultat, quod in Ægypto creuerit: at in originali decreuit ſolo. Quod captiuitatis ſit nexibus exolutus: ſed eſt nunc vſque barbarici furoris moribus alligatus. Deus illi ducatum præbuit: idem à ſua eum facie poſtmodum abiecit. Cōſecutus eſt regnum: vt poſt regiam dignitatem maiore dedecore Imperio Romano ſeruiret. Sanè vultis ſcire quantæ ſit ſanctitatis? Quem mare ſuſtinuit adunatum, non poteſt terra baiulare diſperſum.

DE EXODO SERMO XII.

De Iudæis.

H

QVamdiu Iudæe bruti cordis nec dū diſcutis tenebras ſacræque legis oracula iam in Chriſto completa nec probando cognoſcis? Veruntamen pro tuo ſenſu ſi vis paſcha legitimum celebrare, agnus requirendus eſt ubi, ſicut præceptum eſt, ex agnis, & hædis diſcordi natiua commiſſus, quem in gregibus pecuinis ipſi tui non inuenere maiores. Atque vtinam tu inuenias: dignus es enim immolatione tali, qui ſalutem tuam in inceſti pecoris ſitam viſceribus opinaris. Sanè quòd paſſim multos occidis, edacitatis eſt tuæ. Quod diuerſis locis, vanitatis. Quod cum amaritudine comedis, infelicitatis. Taceo, quod commemoratio eſt ingrati, non remedium, ſacrificium, quod ipſe reprobat fieri, qui præcepit. Hoc ſolum dico: Imple vel in cæteris legem, ſicut ſcriptum eſt: *Præcinge lumbos tuos. Indue pedibus calciamenta. Arripe baculum manu.* In eremum proficiſcere, ſi tuos vis imitari maiores.

DE EXODO SERMO XIII.

De Iudæis.

In quo paucis additis, quibuſdam mutatis continentur ea quæ in ſeptimo.

IVdæos legitimum paſcha celebrare non poſſe paucis accipe Chriſtiane. Salomonis tẽplum hoſtili vaſtatione ſubuerſum cum ruina ſua iaceat ſepultum, vbi ſacrificant? Sacerdotes iam non habent, qui eorum pro ſalute ſacrificent. Tauros, hircos, arietes, & agnos abhorret Dominus: vnde ſacrificant? Deum dereliquerunt: altaria eius euerterunt: cui ſacrificant? Sanè hoc ſolum proprium retinent, quod, vt vilem libidinem magis augeant, viliotibus ſe lauacris omni momento baptizant, Deo ſemper ingrati.

DE EXODO SERMO XIV.

De Iudæis, ſuperiori ferè ſimilis.

IVdæos non tantum legitimum paſcha celebrare non poſſe, ſe religionis diuinæ prorſus nihil retinere paucis accipite. Salomonis templum, de quo præſumebant, cecidit. Altaria Dei ipſi euerterunt. Lex & prophetæ vſque ad Ioannem. Sacerdotibus eorum luctus indicitur. Immolatio aufertur. Ceſſat vnguentum. Circumciſio vacuatur. Sabbatum denotatur. Neomeniæ, & dies feſti odio habẽtur. Potiuntur eorum Romani regno. Nihil, vt arbitror, reſtitit illis proprium, niſi quod agno ſalutari neglecto, ingrati viles agnos cum amaritudine, homines amari mãducant.

DE EXODO SERMO XV.

De Iudæis.

IVdæos legitimum paſcha celebrare non poſſe, periti legis Deo ipſo loquente cognoſcite: à quo appellatur ſynagoga ſpelunca latronum: ſacerdotalis cathedra peſtilentiæ: ſacrificium canina mactatio: ieiunia odium: populus progenies viperarum. Poſt hæc quid præſumant, æſtimare non poſſum, homines, qui ſalutem ſuam in pecorũ morte conſtituunt, cum Deus, poſteaquam de Ægypto egreſſi ſint, vbi imaginarium paſcha geſſerunt, dicat: Plenus ſum holocauſtomatis arietum, & pinguamine agnorum: quis enim hæc exquiſiuit de manibus veſtris? Vtique fratres, incunctanter eis ademit paſcha, qui id, per quod ab eis paſcha geritur, reprobauit. At imaginem colunt. Nec ipſam quidem: quia falſò colit imaginem, qui eius non diligit veritatem. Sanè hoc ſolum competenter gerunt innocentes: quod agnos paſſim, quaſi lupi rapaces, occidunt.

De præcepto, Attende tibi.

SErmonis vſum Deus nobis, qui nos creauit, indulſit pro eo, vt cordis occulta conſilia inuicem nobis verbi miniſterio panderemus, & pro communis in alterutrum affectione naturæ vnuſquiſque noſtrum proximo ſuo, velut ex arcanis quibuſdam domiciliis ſecreta depromeret. Si enim nuda tantummodo, atque intecta anima viueremus, ex ipſis tantum mentis motibus, atque intentionibus cogitationum ad alterutrum noſceremur. Verum quoniam vigor animæ velamine carnis operitur, ad indicanda atque in publicam faciem proferenda ea, quæ in profundo cordis cogitationibus, vel ſenſibus commouemus, verbis, & nominibus, ac vocabulis indigemus. Cum igitur motus hic mentis nactus fuerit vocis ſignificantiam, tunc, velut vehiculo quodam ſermonis, aëris iter euectus ad audientem à loquente transfertur. Et ſi quidem inuenerit tranquillam quietamque audientiam, ſicut in portu fidiſſimo, in auribus auditorum ſermo reconditur. Si verò, velut fluctus quidam, & ſaxoſa vada auditorum tumultus & murmur docentibus refragetur, in medio aëris ſpatio ſermo transfretans naufragabit. Quamobrem præbete tranquillitatem per ſilentium verbo: fortaſſis enim aliquid poterit vtilitatis afferre ſermo veritatis, ſi tamen non auditoris ignauia, dum minus intentus eſt animus, facile dilabatur. Talis namq; natura ipſa verbi ſpiritu compaginante formata eſt, vt velox breuiſque ſit, & tranſcurſu concito multa deſignet in paucis: vt per ipſam ſui breuitatem tenacius à memoria reſeruetur. hæc namque eſt emendata natura ſermonis, vt neque obſcuritate, quæ dicuntur, offuſcet, neque abundans ineptiis vim rerum, quæ indicantur, faciat euaneſcere. Talis enimuero etiam hic eſt, qui nunc nobis ex Moyſi voluminibus recitatus eſt ſermo: ſi tamen meminiſtis vos, quibus verbi diuini attentior cura eſt. niſi fortè pro breuitate ſui, paulo tardiores quoſque transfugit, auditus eſt. Eſt autem ſermo hic, ATTENDE TIBI, ne forte fiat in te ſermo abſconſus in corde tuo iniquitas. Faciles ſumus ad cogitationum delicta nos homines, propter quod, & qui finxit ſingillatim corda noſtra: ſciens, quod non parum delictorum in his motibus admittitur, qui fuerint ex propoſito mentis voluntatiſq; concepti, ante omnia nobis puritatem, & munditiam cordis iniungit ac præcipit: in qua enim procliuius vergimus ad peccatum, hanc nobis partem maiore cautela, diligentiaque communit: ſicut enim infirmiora quæque corporum mẽbra peritior, ac bene prouidus medicus ante, quam ipſe morbus immineat, ſtudio præcurrentiæ, & diligentia cuiuſdam procurationis anteuenit: ita & communis omniũ prouiſor, & animarum medicus Deus hoc, quod maximè in nobis ad culpam lubricum prouidebat, circumdare tutionibus ſeptis ſtudet, & circumuallare cautioribus munimentis: nam hi actus, qui miniſterio corporis adimplentur opus habent & tempore, & opportunitate, & labore, & adiutoriis, cæteriſque huiuſcemodi inſtrumentis: mentis verò motus, & cogitationis lapſus abſque tempore cõſummantur, ſine labore complentur, omneq; tempus habẽt opportunum. Intuere namque mihi ambitioſum quempiam & ingenti ſupercilio honeſtatis elatum, imaginem quandam ſobrietatis habitu exteriore geſtantem, in medijs quoque virorum laudabilium, & ſapientium reſidentem. Hic inhibitu cogitatione mentis percurrit, & euolat ad loca peccati: maligna deſideria mente concipit: colloquia quoq; intra ſe inhoneſta finxit, & turpia: & totus in occulta mentis ſuæ officina vniuerſam ſibimet libidinis imaginem deformauit, geſtuſque deſcripſit. Hic ignotum quidem omnibus peccatum: & ſine vllo teſte commiſit: ſed arguetur ac reuelabitur ſine dubio per aduentum eius, qui reſerat occulta tenebrarum, & manifeſtat conſilia cordium. Obſerua ergo, ne fortè fiat in corde tuo verbum occultum iniquitas: qui enim aſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Propter quod corporis quidem actus poſſunt nonnullis obſtaculis interuenientibus impediri: vbi autem mente delinquitur, quam facile eſt puncto * cogitationibus euagari, tam perennia adhærebit noxa delicti. Vbi ergo velox occaſio peccati, ibi etiam celeris prouidetur cura remedij, & ideò proteſtatus dicens: Ne forte fiat in corde tuo verbum occultum iniquitas. Sed ad ipſum iam potius verbi initium recurramus. ATTENDE, inquit, TIBI. Singula quæque animalium à conditore omnium Deo ad defenſionem ac tutelam ſui occaſiones quaſdam proprias acceperunt: quibus ſaluti ſuæ, cum neceſſe fuerit, auxilium ferant: & inuenias, ſi diligenter intendas, plurima quoque nullo docente aduerſum eos, qui perniciem moliuntur, vel obniti vehemẽtius vel declinare callidius: & rurſum naturali quodam impulſu ad ea, quæ expediunt, ferri, atque compelli. Propterea ergo nobis etiam eruditioris cauſa magnificum iſtud mandatum præcepit Deus: vt quod illis adeſt per naturã, id nobis ope verbi, ac rationis addatur: & quod in mutis animalibus abſque imperio efficitur, hoc nobis per præcepti diligentiam conquiratur: vt maiore prouidentia conſeruemus ea, quæ nobis diuinitus indulta ſentimus; fugiẽtes quidem peccatum, ſicut multa animalia ſponte ſua fugiunt noxios, & mortiferos cibos, ſectemur vero iuſtitiam, ſicut illa fœcundos, & vtiles paſtus nullo cogente ſectantur. ATTENDE ergo TIBI, vt poſſis diſcernere ab vtilibus noxia. Sed quoniam dupliciter eſt attendere, aliud

* al. cogitationum.

qui-

A quidē corporeis oculis intueri corporea, aliud verò intellectualis animæ virtutibus incorporea, & ſpiritalia conſpicari, in hoc loco ſi quidem de oculis carnalibus dictū eſſe ſentiamus, continuo verbi ſentētia arguetur abſurda: quomodo enim quis ſemetipſum totum corporali oculo attendere poterit, vel comprehendere? quia primo neque ſemetipſum oculis conſiderare, & intueri poteſt: neque vicina ſibi imminentia conſpicari ſupercilia: ſed neque in verticem capitis diriget aciem ſuam, aut aliquo pacto propria terga conſpiciet: nec aliquid omnino proprio videbit ea vultu, non latentia viſcerum, non occulta venarum. Quod ſi ita eſt, impium videbitur dicere, impoſſibilia eſſe Spiritus ſancti mandata. Supereſt ergo vt ad mentis intuitum præcepti vigor, atque intelligentia transferatur. Attende ergo tibi, id eſt, vndique teipſum circumſpice: peruigiles gere ad cuſtodiam tui oculos animæ. In medio laqueorum ingrederis. Occultæ tibi ab inimico tenduntur inſidiæ. Doli, machinæ, pedicæ vbique defoſſæ. Circumſpice igitur omnia: & cauta intentione conſidera, vt effugias, ſicut damu- B la ea laqueis: & ſicut auis ea retibus: nam damula non inenirit in laqueum pro eo, quod dicitur viſum acutiſſimum gerere. Vnde & nominis ſui etymologia ſeruatur in Græcis. Auis verò auxilio vſa pennarum, cùm voluerit effugere dolos retis, altiora aëris itinera ſecat. Vide ergo tu, ne fortè deterior mutis animalibus ad cautelam tuæ ſalutis exiſtas: ne forte laqueis irretitus venatio, & captura diaboli fias, captus ab eo ſecundum illius voluntatem. Attende ergo tibi, id eſt, neque tuis, neque his, quæ circa te ſunt, ſed tibi ſoli attende. Aliud enim ſumus nos ipſi, aliud, quæ noſtra ſunt: aliud, quę circa nos ſunt: nos namque ſumus anima, & mens, ſecundum quam ad imaginem eius, qui nos creauit, facti ſumus. Noſtra verò ſunt corpus & corporalis ſenſus. Circa nos autem ſunt mundana ſubſtantia, viuendi artes, & cætera vſus inſtrumenta mortalium. Quid igitur præcepit ſermo? ne attendas, inquit, carni: neque ea, quæ carnis bona videntur, ſtudio impenſiore ſecteris, id eſt ſanitatem corporis, decorem, cultum vultus, voluptatem carnis, atq; delitias, neq; vitæ longinquitatis vota ſuſpires: nō diuitias ſecu- C li: non ambitionis gloriam: non potentiam caducæ fragilitatis mireris: & nihil omnino, quod ad præſentis vitę miniſterium pertinet, magnum æſtimes ad petendum: ne dum in hac ſollicitudinis tuæ intentione captaris, illa, quæ verè magna ſunt, & in quibus vera vita eſt, negligas. Sed Attende tibi, id eſt animæ tuæ: hanc excole: huic omnibus curis, omnibuſque ſtudijs conſule ita, vt omnem maculam, quæ in eam fortè nequitiæ vitijs obrepſit, abluas, & expurges intentione meliorum. Exornes verò eam, & excolas omnibus virtutis, pietatiſque monilibus, quoniam quidem opus tuum mortale eſt: anima verò immortalis. Et duplex quædam eſt vita noſtra: vna quidem carnis familiaris, & citò cum ea deficiens: alia verò animæ cognata, nec vllo fine, aut circumſcriptione claudenda. Attende ergo tibi, ne mortalibus, ac caducis, velut perpetuis incubes & æternis: ne verò rurſum quæ æterna ſunt, tanquam caduca & tranſeuntia negligas, atque contemnas. Contemne potius, & deſpice carnem tuam: pertranſit enim. Adhibe diligentiam & ſtudium animæ: immortalis eſt enim. Intuere igitur, & attende eum omni cautela tibi ipſi: vt ſcias diſtribuere vni- D cuique parti, quæ conuenit: carni quidem victum, & veſtitum, animę verò doctrinam pietatis, conuerſationem ſeueram, & grauem, exercitium virtutis, emendationemq; vitiorum. Non pinguedini corporis deſeruire, neq; circa carnis lætitiam curſitare: quoniam quidem concupiſcit caro aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem: & hæc ſibi inuicem aduerſantur. Vide, ne fortè tu in huius belli congreſſione manus accommodans carni, & auxilia ei quamplurima ſubminiſtrans, potentiam eius aduerſus ſpiritum erigas, & meliorem tui partem deteriori facias eſſe ſubiectam. Sicut enim ſtateræ momentum ſi in vnam partem depreſſeris, leuiorem ſine dubio alteram facies, ita in hoc animæ, & corporis iugo, cum in vnam partem propenſior extiterit, clara erit alterius & manifeſta diminutio. Quis enim dubitat cum corpus luxuria fluitat, carnibuſq; diſtenditur, ignauum & obtuſum effici mentis vigorem. Si verò anima florentioribus virtutis exercitijs imbuatur, &

meditatione meliorum ad culmen propriæ magnitudinis erigatur; fatiſcentem corporis ſtatum commoda in infirmitate marceſcere. E Et hoc indicans beatus Apoſtolus Paulus dicebat: *Nam & ſi is qui foris eſt, homo noſter corrumpitur, ſed qui intus eſt renouatur de die in diem.* Hoc ergo idem præceptum & infirmioribus vtile eſt, & robuſtioribus commodū: nam & infirmitatibus medici ægris præcipere ſolent, vt attendant ſibi, & nihil omnino contemnant, quod ad medelam poſſit adhiberi. Similiter ergo & medicus animarum noſtrarum ſermo Dei animæ ex peccatorum acerbitate lāguenti magnificè breuiſſimi huius præcepti ſuccurrit adiutorio dicens, Attende tibi, id eſt, vt ſi quando fortè deliqueris, ſecundum magnitudinem delicti etiam remedij & emendationis cura penſetur. Grande alicui peccatum, & graue commiſſum eſt: grandi ſine dubio confeſſione indiget, pœnitentiæ multis & amaris lachrymis interius, pernoctatis vigilijs, iugibus continuatiſque ieiunijs. Leuius eſt delictum: par commiſſi ſit & ſimilis pœnitentia. Tantum Attende tibi, vt intelligas, & agnoſcas & ſanitatem ani- F mæ, & languorem: multi enim dum ſibi non attendunt, ægritudines graues & inſanabiles pati ſe neſciunt: & nec hoc quidem ſentiunt, quod ægrotant. Propter quod magna eſt præcepti huius vtilitas: per quod ægris cura ſuggeritur, ſanitatis, & perfectionis demōſtratur integritas. Vnuſquiſque autem noſtrum in diſcipulatū nos verbi Dei mancipauimus, vnius alicuius operis miniſterium gerit eorum, quæ in euangelijs præcepta ſunt. In magna autem domo, in hac Eccleſia dico, non ſunt tantummodo vaſa diuerſa, aurea, & argentea, vel lignea, & fictilia: ſed & artificia quamplurima & diuerſa. Habet namque domos Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, venatores, vel captores, habet viatores, architectonas, ſtructores, agricolas, paſtores, athletas, milites; quibus omnibus commodè ſatis aptabitur breuiſſimi huius mandati vigor: vt vnicuique & operis diligentiam tribuat, & propoſiti ac mentis deſideria, atque incitamenta commoueat. Venator es, & ad capturam à Domino deſtinatus, qui dixit, Ecce ego mittam multos venatores: & capient eos ſupra omnem montem. Attende ergo tibi G diligenter, necubi te venatio Domini effugiat, quominus verbo veritatis capias, & offeras Domino ad ſalutem eos, qui erroribus decepti nequitiæ, feri, ac palabundi per aſpera quæque peccatorum, & deuia peruagantur. Viator es talis, qualis ille, qui orat ad Dominum, Dirige greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. Attende tibi, ne fortè erres à via: ne declines in dexteram, neque in ſiniſtram: ſed via recta, via regali incede. Architectus es: Attende tibi: vt fundamentum fidei, qui eſt Christus Iesus, cum omni diligentia iacias, & cautela. Structor es: vide, quomodo ædifices: ne ligna & fœnum: ne ſtipulam vel paleas, ſed argentum & aurum, & lapides exornas pretioſos. Paſtor es: Attende tibi, ne quid te prætereat eorum, quæ ad paſtoris ſtudium ac diligentiam pertinent. Si autem, quæ ſint iſta perquiris, auſculta. Quod errauit conuerte, & reuoca: quod attritum eſt colliga: quod ęgrum, ſana. Agricola es: Attende tibi, vt diligenter circunfodias infructuoſam ficum, & adhibeas ſtercoris qualos, & totum facias, quicquid ad fructuoſum ſpectat euentum. Miles es: Attende tibi, vt non militans Deo implices te H negotijs ſecularibus, vt placeas ei, qui te probauit: ſed collabora euangelio, vt milites in illis bonam militiam, dimicans aduerſus ſpiritus nequitiæ, aduerſum principatus, & poteſtates, & aduerſum mundi huius rectores tenebrarum: tum deinde etiam aduerſum vitia carnis. Aſſume ſcutum fidei, & omnia arma ſpiritus, quibus indutus poſſis reſiſtere aduerſus ignita diaboli iacula. Athleta es: Attende tibi, ne quid aduerſum leges athleticas geras: quia nemo coronatur, niſi legitimè certauerit. Imitare Paulum, qui ſic currit, vt comprehendat: & ſic luctatur non quaſi aëra verberans, ſed macerat corpus ſuum, & ſeruituti ſubijcit: ne fortè alijs prædicans ipſe reprobus efficiatur. Vigila ergo & tu, & indeſinenter oculum ad conſiderandas aduerſarij aſtutias geras. Si curris; ſic curre, vt comprehendas: & ea quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea te, quæ ante ſunt, extendas. Si colluctaris: aduerſum inuiſibiles aduerſarios pugna. Talem te eſſe vult huius præcepti ſententia,

A nihil remiſſum, nihil ſomno, & ignauia præpeditum, ſed ſolicitè, & vigilanter cuncta circumſpectantem, prudentem te vult eſſe in conſilijs, in actibus ſtrenuum. ATTENDE ergo TIBI. Deficiet me tempus enarrantem de ſingulis quibuſque, quæ in opus euangelij procuranda edocemur huius præcepti virtute. ATTENDE TIBI, vt vigiles ad omnia: vt nihil te in conſilijs prætereat, obſeruare præſentia: futura proſpicere: quæ in manibus ſunt commodè diſpenſare: quæ ſperantur, fideliter expectare, ne fortè præſentibus iactanter te & inaniter debere perfrui putes, ſicut nonnulli leues, & inſtabiles iuuenes vana cogitatione mentis inflari, ſi quando forte per ſilentium temporis, & nocturnam quietem falſis imaginibus per cogitationem mente conceptis deſcribunt ſibimetipſis excelſas dignitates, præclara coniugia, liberorum felicitatem, prolixam ſenectutem, obſequia ſubiectorum, clientum famulatus: & cum in re nihil ſit, vano cogitationis tumore ſupra omnes homines efferuntur. Ingentes domos intra momentum extruunt, eaſque ſubitis, & ſola mente conceptis facultatibus replent.

B Immenſa terrarum ſpatia, & agros vberes occupant: & tanta poſſeſſionum iura defendunt, quanta nutu vagæ mentis incluſerint. Sed & fructum earum extructis latius horreis vanitatis recondunt. Addunt nihilominus greges, armenta, ſeruitia, magiſtratus: regna etiam ipſa, & imperij faſtigia ſumma præſumunt: gerunt bella, mouent claſſica: trophæa ſtatuunt: ducunt triumphos, & per totius regni curas inani ſolicitudine debacchantur, ita vt in manibus tenere omnia, & nuſquam comparentibus, tanquam præſentibus ſe perfrui arbitrantur. Proprius eſt languor totius otioſæ & deſidis animæ videre ſomnia vigilantem. Quam diſſolutionem mentis & inflammationem cogitationum reſecans, & reſtinguens ſermo diuinus, ſaluberrimi præcepti huius auctoritate ſuccurrit dicens, ATTENDE TIBI, id eſt ne ea, quæ nuſquam ſunt, cogites: ſed, vt præſentia, & quæ palam ſunt, diligenter expedias. Arbitror autem etiam illud vitium reſecare volens legiſlator, mandati huius adiutorium prætulit: quoniam facile

C eſt vnicuique noſtrum curioſius aliena perquirere, quàm propria, & domeſtica procurare. Ne ergo hoc accidat, Deſine, inquit, mala aliena diſcutere: deſine aliorū actibus tua perſtrepere & concelebrare conuiuia: deſine poculis tuis aliena probra miſcere, & inter epulas, ac fercula tua alterius vitæ innocentiam lacerare. Noli ergo attendere alienis languoribus, ſed ATTENDE TIBI ipſi. Ad perſcrutationem tui conuerte oculos animæ tuæ: quia multi ſecundum verbum Domini feſtucam in oculo fratris ſui vident, trabem verò, quæ in oculis eorum eſt, non conſiderant. Tu ergo nunquam ceſſes temetipſum perſcrutari, ſi vita tua ſecundum formam dirigitur mandatorum: ſi cōuerſatio tua omni culpa vacat. ATTENDE ergo, & circunſpice teipſum: non eorum, qui extra te ſunt culpas & peccata dinumeres: nec ſolicite diſquiras, ſicubi maculę aliquid in proximo tuo reperias, ſecundum Phariſæum illum tumidum, & iactantē, qui ſtabat ſeipſum iuſtificans, & exprobrans, ac deſpiciens Publicanum: ſed teipſum diſcutere non ceſſes: ne quid in cogitatione deliqueris, ne quid ſis prolapſus in lingua, dum incauta loquacitate præuenit & præcurrit ſermo cōſilium:

D ne quid etiam in actibus tuis, & manuum opere commiſeris, quod vel auaritiæ, vel iræ, vel libidini miniſtratum ſit. Si hęc intra temetipſum diſcutias ſemper, & inquiras, multa inuenies, quæ intra te debeas emendare, & pro quibus debeas pœnitudinem gerere, & tanquam homo, ſi quid tale repereris, dic ſicut Publicanus ille dicebat, Deus propitius eſto mihi peccatori. ATTENDE ergo TIBI ipſi. Hic tibi ſermo etiam ſi in rebus proſperis degas, & omnis tibi vita ſecunda felicitate ſuccedat, vtilis ſemper, & neceſſarius apparebit, tanquam bonus, & fidelis conſiliarius commonitiones vitæ ſuggerens melioris. Si vero & aduerſis, & triſtibus vrgearis, & hæc tibi in tempore neceſſitatis commonitio ſuggeratur, maximum illico remedium, & ſolatiū dabit: vt neq; in proſperis arrogantius extollaris, neque in aduerſis mollius, & remiſſius reſoluaris. Diuitijs flores, & polles, & illuſtrium proauorum conſulatibus intumeſcis, patriæ, parentumq; nobilitate te iactas, pulchritudine corporis erigeris, & decore, honoribus extolleris, & aſſeclarū

E fulcitis officijs, tum maximè ATTENDE TIBI ipſi: & memento, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis: & quia poteſt & ad te dici, *Stulte hac nocte auferent abs te animam tuam: & quæ præparaſti, cuius erunt?* Intuere eos, qui ante te ſimilis potentię dignitatibus effulſerunt. Vbi ſunt? Quid agunt? Vbi faſces eorum? Vbi magiſtratus? Vbi diuerſarum inſulæ dignitatum? Vbi denique eloquentiſſimi rhetores, & vehementiſſimi oratores? Vbi hi, qui crebros conuentus orationum ſuarum fauoribus celebrabant? Vbi popularis? Vbi largitio muneralis? Vbi exquiſita equorum præparata certamina? Vbi denique ſatrapæ? Vbi reges? Vbi tyranni? Nonne omnia puluis, & cinis eſt? Nonne omnia antiquæ fabulæ, ſuperfluaq; narratio eſt? Nonne perexiguis oſſibus anguſtæ vaſculo vrnæ concluſis omnis eorū memoria continetur? Denique intuere, & inſpice eorum ſepulcra, ſi potueris diſcernere, quis ibi ſeruus, quiſve ſit Dominus: quis pauper, quiſve ſit diues. Diſcerne ibi, ſi potes, plebeium à

F rege: virum fortem ab imbecilli: decorum ab informi. Si ergo horum omnium memor fueris, nulla tibi orietur elationis occaſio: ſed ſemper memor eris tui, ſi præcepti memor attenderis tibi. Qui ſi ignobilis es, obſcuro loco natus: pauper ex pauperibus procreatus, non domo gaudens, non patria, inualidus viribus, quotidiano quoque indigens ſumptu, viuens ſub potentium [illegible] cum tremore, ac timore ſubiectus, cunctiſq; humilitate paupertatis expoſitus, ſicut ait ille; Pauper non ſuſtinet minas: nō in his temetipſum deſpicias, & deſperes: neque, quia nihil tibi in præſenti vita magnificum præſto eſt, omnem tibi abſcindas, & amputes ſpem bonorum, ſed reuoca animos tuos ad ea, quæ iam tibi bona indulgentia diuina conceſſit: & ad ea nihilominus erige mentem tuam, quæ futura in poſterum repromiſit. Conſidera ergo primo omnium, quod homo es in terris: & ipſis Dei manibus formatus. Nōne ſufficeret hoc ſolum rectè & integrè ſapienti ad magnum, ſummumque ſolatiū, quod ipſis Dei manibus, qui omnia reliqua præcepti ſolius fecit auctoritate ſubſiſtere, humo factus es, & formatus? tum deinde quod cum ad imaginem, & ſimilitudinē creatoris ſis, potes ad Angelorum dignitatem, culmenque re-

G meare? Animam namque accepiſti intellectualem, & rationabilem: per quam Deum poſſis agnoſcere, & naturam rerum conſpicabilis rationis intelligentia contemplari, & ſapientiæ dulciſſimis fructibus tibi perfrui præſto eſt. Omne tibi cedit animantium genus: quod per conuexa montium, vel prærupta rupium, aut opaca ſyluarum, omne vel quod aquis tegitur; vel præpetibus pennis in aëra ſuſpenditur, omne inquam, quod huius mundi eſt, ſeruitio & ſubiectioni tuæ liberalitas munificæ conditoris indulſit. Nonne tu tibi ſenſu rationabili ſuggerente diuerſitates artiū reperiſti? Nonne tu vrbes condere, omnemque earum reliquum vſum perneceſſarium viuentibus inueniſti? Nonne tibi per rationem, quæ in te eſt, mare peruium fit, terra, flumina, fonteſque tuis vel vſibus, vel voluptatibus famulantur? Nonne aër hic, & cœlum ipſum, atque omnes ſtellarum chori vitæ mortalium miniſterio curſus ſuos atque ordines ſeruant? Quid ergo deficis animo, & deeſſe tibi aliquid putas? Si non tibi equus producitur phaleris exornatus, & ſpumanti ore mandit argentea frena: ſed ſol ti-

H bi producitur, veloci rapidoque curſu ardentes tibi faces caloris ſimul, ac luminis portans. Non habes aureos, & argenteos diſcos: ſed habes lunæ diſcum puriſſimo & blandiſſimo ſplendore radiantem. Non aſcendis currum, nec rotarum lapſibus veheris: ſed habes pedum tuorum vehiculum tecum natum. Quid ergo beatos cenſes eos, qui aurum quidem poſſident, alienis autem pedibus indigent ad neceſſarios commeatus? Non recubas eburneis lectis: ſed adiacent tibi fœcundæ ceſpitis viridantes, & herbidi thori, florum varietate melius, quàm fucatis coloribus Tyrij muricis picti: in quibus dulces, & ſalubres ſomni nullis curarum morſibus effugantur. Non te contegunt aurata laquearia: ſed cœlum te contegit ineffabili ſtellarum fulgore depictum. Hæc quidem quantum ad communis vtilitatis pertinet vitam. Accipe vero maiora. Propter te Deus in hominibus: Spiritus ſancti diſtributio: mortis ablatio: reſurrectio ois ſpes. Propter te diuina præcepta hominibus delata: quæ te perfectam doceant

vitam,

A
vitam, & iter tuum ad Deum per mandatorum ſemitam diriget. Tibi panduntur regna cœlorum: tibi coronæ iuſtitiæ præparantur, ſi tamen labores, & ærumnas pro iuſtitia ferre non refugis. Et ſi attendis tibi, horum plura inuenies & maiora: nec deficies animo ad ærumnarum præſentium toleranam, dum ad futura præcepti huius eruditione ſuſtulleris. Sed neque illa quidem parte te incommonitum præteribo. Si quando te, id eſt mentem tuam iracundia exaſperat, & ſtimulis immorantis ægritudinis irtumeſcis, cum rabidus dentium ſtridor, genarum pallor, tremor labiorum, cum totus denique ſermo ex agis motus, ſi attendas tibi, id eſt recorderis præcepti, iracundiam quidem, velut equum indomitum, & ferocem diuini ſermonis ictum verberibus continuo coërcebis: linguam verò protinus ab inſolentia refrænabis: & manus nequaquam ad vltionem irritantis extendes. Si quando verò obſcœnæ concupiſcentiæ illecebroſis animam ſuggeſtionibus vrgeant, & præcipitem eam in luxurio libidinis rapiunt, ſi attendas

B
tibi, & recorderis huius præcepti, inuenies quia præſens iſta dulcedo libidinis ad finem amariſſimum vergit: & iſte qui nunc carni noſtræ incubat luxus, generabit ea ſe peruigilem ſuppliciorum vermem perpetuæ vltionis, conſcientiam fodientem, ſed & calor iſte deſiderij carnalis, feruorque libidinis temporalis æternum gehennę ignem, & vltricium flammarum perpetua promulgabit incendia. His cogitationibus inente conceptis, libido quidem penitus effugata diſcedet: admiranda verò quædam quies, & tranquillitas animæ reparabitur, velut ſi inuerecundarum proteruarumq; tumultus, ac ſtrepitus famularum per aduentum, & præſentiam grauis, ac ſeueræ dominæ comprimatur. Attende igitur tibi: & intellige, quod animæ tuæ pars quidem melior rationabilis eſt: pars verò irrationabilis & paſſibilis illi quidem parti meliori naturaliter præſto eſt. Imperare huic, illi verò ineſt famulari, & obedire rationi. Attende ergo tibi, ne fortè patiaris victam, & deditiam tradi irrationabilibus paſſionibus rationabilem mentem, neque indulgeas aduerſum virtutem rationis vitia inſoleſcere, & ſummam regnio ſua iura, ditionemque con-

C
uertere. Si ergo horum ſingula quæque diligenti examinatione conſideres, ſatis ſuperque ſufficient itineris vitæ tuæ rectum tibi tramitem demonſtrare: qui te abſque errore vllo vſque ad ipſa cœli regna perducat. Denique ſi attendas tibi, non requires vt ex vniuerſæ creaturæ contemplatione conditorem eius agnoſcas, ſed in temetipſo, velut quodam paruo ac minori mundo deprehendes magnificam creatoris tui ſapientiam. Incorporeum namque, & incomprehenſibilem intelligis Deum ex ipſa anima, quæ in te immortalis eſt: quoniam quidem neque tua mens principaliter in loco aliquo continetur: ſed tantum ea conſortio corporis inuenitur in loco. Inuiſibilem eſſe Deum credis animæ tuę ſubſtantia contemplata: quia ne ipſam quidem potes carnalibus oculis intueri: neque enim color ei vllus, aut habitus eſt, vel forma ei aliqua corporeæ deſcriptionis expreſſitus, ſed ex virtutibus tantum, atque operationibus innoteſcit. Et ideo neque in Deo requiras oculorum viſum: ſed ſola mente, ac fide ad eum conuerſus, intellectualem ſenſum atque intelligentiam concipe. Admirare quoq; opi-

D
ficis ſapientiam; quomodo animæ tuæ virtutem conſortio corporis modulatam effecit, vt per omnes eius partes infuſa doceretur, & quamplurimum inter ſe membra diſtantia ad vnam conſonantiam concordiamq; conſtringeret. Intuere ergo, & attende, quę ſit iſta virtus animæ, quę ab ea traditur corpori, membriſque diffunditur. Quid vetrurſum ſit, quia carnis ad animam ſedit ac redundat affectus, atque compaſſio, vel quomodo vitam quidem ſuſcipit corpus ab anima: recipit verò anima dolores, mœroreſque de corpore. Require, quæ ſint eius receptacula memoriæ: qui eruditionum literarumque theſauri, quomodo non obliterentur ea, quæ prima didicimus additamentis nouorum, argumentiſque recentium: ſed manet vniuſcuiuſque diſciplinæ inconfuſa diſtinctio, velut ęreæ quibuſdam tabulis cordis & libris mentis inciſa. Quomodo anima, cum ad carnis vitia declinauit, & labitur, propriæ virtutis perdit decorem: & quomodo ruſum de decore abiecto nequitiæ, & virtutis inſtitutionibus expurgata ad creatoris imaginem

E
ac ſimilitudinem reformatur. Attende, ſi videtur per hanc animæ conſiderationem, quid etiam ratio in te naturæ corporeæ gerat: & admirare, quàm dignum rationabili animæ admirandus opifex conſtruxit hoſpitium. Rectum inter omnes animantes finxit ſolum corpus humanum, vt ea ipſo habitu videas & cognoſcas, quia ſupernum tibi eſt cœleſtiumque cognatio. Omnia namque quadrupedia prona, & ventri obedientia ficta ſunt: homini verò erectus ad cœlum intuitus datus eſt: vt non ventrem ſpectet, neque infra ventrem poſitis vitijs vacet, ſed omnem habeat impetum, vel conatum, ſuperioris vitæ curſum. Nam idcirco etiam caput in ſummo culmine totius humanæ fabricę ſitum eſt: & in ipſo, quod præclarius eſt, in homine ſenſus iſti corporei inſtituti ſunt, id eſt viſus, auditus, guſtus, & odoratus: qui omnes vicini, & penè ſibi mutuò cohærentes, breuibus tamen diremptis ſpatijs in nullo ſuis vſibus inuicem, officijſque præpediunt, vel obſiſtunt. Oculi quidem excelſioris ſpeculæ ſortiti ſunt locum: vt parua ſuperciliorum

F
prominentia ſuperaddita in directum tenderetur obtutus, & vniuerſorum conſideratio facilior eis & moderatior fieret. Aures verò inæqualibus quibuſdam anfractibus adapertæ ictu aëris ſonum diſtincta modulatione ſuſcipiunt: opus etiam hoc miræ, & inæſtimabilis ſapientiæ Dei, vt vocem quidem extrinſecus nullo vetante ſuſcipiant, quinimo, & dum per inflexos anfractus ducitur, magis ſonora reddatur: nihil tamen aliud extrinſecus incidere inflexionum ipſa obiectacula patiantur, quod impedire poſſit auditum. Iam verò ſi linguæ intuearis naturam, quomodo quidem mollis eſt, & motus perfacilis, ita, vt ad omnem verbi vſum quamlibet varijs, & diuerſis motibus abſque vllius rigoris difficultate deſeruiat, ſed & dentium motus ſimul & vocis organo miniſterium præbens, dum linguæ ipſi validiſſima exhibet circumuallationis obſtacula, ſimul & cibis miniſtret molendo per alios, per alios incidendo. Et ita per hæc omnia cogitationem tuam trahens, compe-

G
tenter conſiderans illud quoque, quod aëris ſpiritum pulmone reuocamus, calorem corde ſeruamus, & digeſtionum membra perpendens, ſanguinis per venas meatus, ex his omnibus inueſtigabilem Dei ſapientiam cernens, tu quoque cum propheta ſtupens, & admirans exclama: Admirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Attende ergo tibi, vt poſſis attendere Deo.

Sermo de Iob.

Sacræ hiſtoriæ, fratres dilectiſſimi, ad hoc nobis eſt tradita legenda narratio, vt maiorum, & ſi fieri poteſt, ſaltem aliqua ex parte mores imitemur, ſi non poſſumus imitari virtutes: tanta enim probitate vixerunt, vt pars felicitatis ſit noſſe quid fecerint. Igitur Iob vir fuit iuſtus, & verax, ab vniuerſis concupiſcentijs huius mundi ſecretus, conuerſatione limpidus, mente limpidior, vſque adeo circumſpectus, atque irreprehenſibilis, vt Dei ſit teſtimonio collaudatus. Vnde non immerito beatus beata vita fruebatur. Namque erat illi ſplendidiſſima domus, diues cenſus, diues quoque numerus liberorum, & (quod eſt parentibus gratum) vtriuſque ſexus, & inuicem ſe amantium: quorum pro numero Deo diurnas hoſtias offerebat.

H
Tanto autem puritatis, ac fidei erat muro munitus, vt non auderet eum attentare diabolus, niſi à Deo miſſus. Iam hic conſiderate fratres, quemadmodum ſæuierit incitatus, qui ſeruiri non poteſt blandus. Igitur famigerabile committitur prælium. Illico diabolus horrendum totis intonans armis, miniſtriſque ſuper ſuis in auxilium concitatis, terribili increpans tuba, prædonum corda face furiali ſuccenſa; impetibus crebris paſſim totas hominis Dei facultates inuadit. ſubito rapina, igne, ferroque, vniuerſa vno momento diſperdit. Hinc Iob alta fidei radice robuſtus tot nuntijs lugubribus tunditur, nec mouetur: ſed tantum benedicit Deum, facultateſque ſuas contemnendo cuſtodit. At vbi diabolus aggreſſionis tantæ nihil ſe profeciſſe cognoſcit, omnem impietatis ſuæ rabiem in filios eius effudit: nam cum ſolito more vnanimes vnà epularentur in domo, ſubito concuſſis toto nixu quatuor angulis eius, in confuſam molem parietibus, tectiſque labentibus illam

ſanctiſ-

A ſanctiſſimam fratrum cohortē ſepelit ante, quàm iugulet. Taleque commentus impietatis excidium, vt in illa vnius funeris turba paternus dolor non ſufficeret orbitati, cùm neſcit, quem primum plangat, quem priorem inueniat, cui primum iuſta crudi funeris ſoluat. Quo nuncio accepto Dei ſeruus ſcidit veſtimenta ſua, non vt Deo inuidiam faceret, ſed vt expeditus cum hoſte pugnaret. Contempſit denique in perditis facultatibus diuitem: diſſimulauit in amiſſis liberis patrem, in pœna ſui corporis iuſtum. Namque ſummo capitis à vertice vſque ad imos vngues pedum plaga inimici percuſſus, populoſis vlceribus non * diſtinctum eſt, ſed totus vnum vulnus * ei factus. Veruntamen in his omnibus nihil aduerſus Deum improbe loquitur. Non vxori illicita ſuadenti ſuccumbit. Non amicis inſultantibus cedit, ſed victor crudelitatis, & impietatis in ſterquilinio fœtido ſcaturiente vermibus ſedet, quaſi nihil paſſus, ſed ſolo Dei timore contentus. O felix vir: qui mira patientia Deum

†al. diſtinctus
†al. eſt.

B promeruit: diabolum vicit: ſanitatem recepit: facultates, liberoſque ſuos non perdidit, ſed mutauit. Iob, quantum intelligi datur fratres cariſſimi, Chriſti imaginem præferebat. Denique comparatio indocat veritatem. Iob iuſtus dictus à Deo eſt. Ipſe iuſtitia: de cuius fonte omnes, qui beati ſunt, guſtant: ecce enim de ipſo dictum eſt, *Orietur vobis ſol iuſtitiæ.* Iob verax eſt appellatus. At eſt vera veritas Dominus, qui ait in euangelio, *Ego ſum via & veritas.* Iob diues fuit. Et quid diuitius Domino? cuius ſunt omnes diuites ſerui: cuius eſt orbis totus, omniſque natura, beatiſſimo Dauid dicente, *Domini eſt terra & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.* Iob diabolus ter tentauit. Similiter Euangeliſta perhibente, & Dominum ter eſt tentare conatus. Iob facultates quas habuit, amiſit. Et Dominus cœleſtia ſua bona amore noſtro neglexit, pauperemque ſe fecit, vt nos diuites faceret. Iob filios furens diabolus interemit. Et Domini filios Prophetas inſanus populus Phariſæus occidit. Iob vlceribus maculatus eſt. Et Dominus ſumendo carnem totius humani generis peccatorum eſt ſordibus obſoleratus. Iob vxor ſua hortatur, vt peccet. Et Dominum, vt corruptelam ſeniorum ſequatur,

C Synagoga compellit. Iob amici ſui inſultaſſe perhibentur. Et Domino ſui ſacerdotes, ſui inſultauere cultores. Iob in ſterquilinio pleno vermibus ſedet. Dominus quoque in vero ſterquilinio, id eſt, in huius mundi cœno verſatus eſt inter ebullientes diuerſis ſceleribus ac libidinibus homines: qui veri ſunt vermes. Iob & ſanitatem recepit, & facultatem. At Dominus reſurgens non ſanitatem tantum, ſed immortalitatem in ſe credentibus præſtitit, dominiumque totius naturæ recuperauit, ſicut eſt ipſe teſtatus dicens, *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo.* Iob vicarios filios genuit. Dominus quoque poſt Prophetas filios ſanctos Apoſtolos procreauit. Iob beatus quieuit in pace. Dominus autem manet benedictus in æternum ante ſæcula, & à ſæculis, & in cuncta ſæcula ſæculorum.

SERMO DE PSALMO XLIX.

De triplici genere ſacrificiorum.

D IN omni negotio fratres dilectiſſimi, niſi quis ante perſonam noſcat, & rationem, eius nō poteſt noſſe veritatem: hæc enim res & fecit, & facit, vt Iudæus, & Iudæo deterior Chriſtianus Dei filium Deum eſſe non credant: quos vellem adeſſe paulıſper, auremque præſenti commodare lectioni, vt edicerent nobis, quinam ſit Deus iſte, qui dicit, *Audi populus meus, & loquar, Iſraël, & teſtificabor tibi: quoniam Deus Deus tuus ego ſum.* Et infrà, *Meus eſt orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis: & redde altiſſimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me.* Si pater loquitur, fratres, quis eſt iſte, cui tantum defert? Quis eſt, quem altiſſimum dicis, cum ipſe ſit ſolus, à quo altus altior non ſit? Sin vero omni honorificentia deferentis patri verba ſunt filij, debetis agnoſcere, quantis catenis vincta tenebratum mens laboret incredulorum.

E *Immola* inquit, *Deo ſacrificium laudis.* Primo omnium, ſacrificiorum tria eſſe genera nonelle diſce Chriſtiane, ne quo ſeducaris errore. Vnum eſt enim deteſtabile: alterum reprobum: tertium mundum. Deteſtabile eſt gentium: reprobum Iudæorum: populi Chriſtiani mundum. Igitur gentium ſacrificium quam execrabile eſt, tam inane eſt: colunt enim vani vana figmenta in quaslibet formas, vultus, ſexus, ætates, auri, argentique detrimento matris limæ moderato dente figurata. Quæ eſt ergo iſta dementia? ſacrificium neſcientibus procurare, lumen cæcis inferre, thura non ſpirantibus concremare, allegare preces ſurdis: ab his cuſtodiam petere, quos fur non timet inuolare? Quibus rectè Deus iraſcitur, dicens, *Nolite ambulare poſt Deos alienos, vt ſeruiatis eis: & ne adoraueritis eos: ne quando incitetis me in operibus manuum veſtrarum, & diſperdam vos.* Quæ autem ſint iſta opera manus humanæ, Spiritus ſanctus in Pſalmo nonageſimo quinto declarat dicens, *Omnes dij gentium dæmonia. Dominus autem cælos fecit.* Et in Deuteronomio, *ſacrificauerunt dæmoniis, & non Deo.* Ac ne quis ſacrilegium exiſtimaret ſibi impune eſſe ceſſurum, ſcriptura iterum ibidem dicit, *Sacrificans dijs eradicabitur, niſi Domino ſoli.* Hæ gentes,

F niſi conuertantur, manet diuina ſententia: quæ nec Deum nec ſacrificium etiam ipſæ cognoſcunt ſe habere legitimum. Nunc Iudæorum quoque ſacrificia à Deo repudiata cognoſcite: quid dicit ad eos in Iſaiæ libro, *Quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? plenus ſum holocauſtomatis arietum, & pinguamine agnorum, ſanguinem taurorum & hircorum nolo: quis enim exquiſiuit iſta de manibus veſtris?* Per alium æque Prophetam Spiritus ſanctus clamat, & dicit, *Præcingite vos, & plangite ſacerdotes, fugite omnes qui deſeruitis altari: quoniam ablata eſt de domo Domini veſtri hoſtia & immolatio.* Multa ſunt, quæ dici poſſunt, ſed ſatis onoſum eſt in his demorari: quæ in toto iam non ſunt. Vnum ſanè neceſſario proferemus exemplum, quod & Iudæi odioſum, & Chriſtiani ſacrificium approbet Deo gratum. Apud Malachiam Prophetam: *Non eſt mihi voluntas circa vos, dicit Dominus: & ſacrificium acceptum non habeo ex manibus veſtris: quoniam à ſolis ortu vſque in occaſum clarificatum nomen meum apud gentes: &*

G *in omni loco odores incenſi offeruntur nomini meo, & ſacrificium mundum: quoniam magnum eſt nomen meum apud gentes, dicit Dominus. Immola Deo ſacrificium laudis.* Immola inquit, *Deo*, & non dæmonijs, ſacrificium laudis, non vituperationis: & redde altiſſimo vota tua. Honorem totum refundit in patrem, ex quo omnia. Et inuoca me in tribulatione tua, & eripiam te, dicendo, oſtendit, quoniam per ſe omnia proſecutus eſt Et magnificabis me. Quod dictum fratres non ſic debetis accipere, vt operis ſui laudem ſibimet ſoli deberi teſtatus ſit, qui in Euangelio dicit, Si non facio facta patris mei, nolite mihi credere: ſed ſi mihi credere non vultis, factis credite: & cognoſcite, quoniam in me eſt pater, & ego in illo, Dictum ſignificatione vnica maieſtatis, & affectu indiuiduo pietatis: quia laus filij eſt patris, & laus patris amborum. Nunc ſacrificij noſtri proprietatem nos conuenit noſſe: quæ facile ex aduerſo cognoſcitur: nam ſi dijs corporalibus ſacrificium conuenit corporale, vtique & ſpiritali Deo ſacrificium eſt neceſſarium ſpiritale: quod non ex ſacculo, ſed ex corde profertur: quod non

H bramoſis pecudibus, ſed ſuauiſſimis moribus comparatur: quod non cruentis manibus, ſed ſenſibus mundis offertur: quod non iugulatur, vt pereat, ſed, ſicut Iſaac, immolatur, vt viuat, Apoſtolo hortante nos Paolo, cuius iſta ſunt verba: *Exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, placentem Deo*: hoc enim placitum eſt Domino, vbi ſeipſum candidos animus immolauerit Domino: cætera autem nihil proderunt, ſi colentis pura mens non ſit, in Eccleſiaſtico Salomone clamante, *Dona iniquorum non probat altiſſimus.* Hic quærite Chriſtiani ſacrificium veſtrum, an eſſe poſſit acceptum, qui vicinarum poſſeſſionum omnes glebulas, lapillos, & ſurculos noſtis: in prædijs autem veſtris fumantia vndique ſola fana non noſtis. Quæ ſi vera dicenda ſunt, diſſimulando ſubtiliter cuſtoditis. Probatio longè non eſt. Ius templorum ne quis vobis eripiat, quotidie litigaris. Non hi ſolum, qui tales ſunt, diſplicent Deo, ſed & illi, qui per ſepulchra diſcurrunt: qui fœtoroſis prandijs cadaueribus ſacrificant mortuorum:

qui

A qui amore luxuriandi, atque bibendi infamibus locis, lagenis, & calicibus ſubito ſibi martyres pepererunt: qui dies obſeruant: qui Ægyptia corde candidus faciunt: qui auguria captant, ſalutemque pecudum violenter ſciſſis in ventribus quærunt: qui coniugale exaſperant iugum, affectuque calcato ſubdititijs perſonis, vt obumbrant furta turpiſſimæ vtilitatis, rem familiarem tuendam committunt non amore fidei, ſed libidinis: qui publicanas mulieres cum vi ſubijciunt ſibi, viliores ſe eſſe, quàm illæ ſunt, produnt: qui iracundia tument: qui litibus fremunt: qui calumnias pariunt: qui pauperes, qui viduas, qui pupillos expoliant: qui profanis fabulis, neglecta Dei ſecta alios non bene auocantes diuina ſacramenta contaminant. Iam videat vnuſquiſque, quemadmodum ſacrificium aut ſumat, aut offerat: ſicut enim indigne offerre ſacrilegium eſt, ita indignè manducare mortiferum in Leuitico ſcriptura dicente; *Omnis mundus manducabit carnem: anima autem, quæcumque manducauerit de carne ſacrificij ſalutaris, quod eſt Domini, & immunditia eius ſuper ipſam eſt, peribit anima illa de populo ſuo.*
B Hęc fratres ſicut cauenda ſunt nobis, ita quæ bona, quæ puta, quæ ſimplicia, quæ pia, quæ ſancta ſunt, ſicut facitis, amplectenda: vt videntes homines opera veſtra bona magnificent patrem veſtrum qui eſt in cœlis. Itaque dulciſſimi flores mei ſalia ſacrificia procurate, quæ ſanctus Spiritus libenter offerat, Pater probet, Filius, qui magiſter eſt noſter, probata glorietur per eundem, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum.

SERMO DE PSALMO LXXIX.

Comparatio vineæ.

PRophera, quod pro veteri vinea, quæ à Domino in Ægypto fuerat inſtituta, poſtulabat ad tempus nouellæ profeciſſe, inſcriptio ipſa tituli pſalmi lecti declarat: ſic enim ſe habet. In finem pro his, qui immutabuntur. Iu-
C daicus etenim populus, qui prior vinea Domini dictus eſt, floruit quidem, ſed infœliciter flore diſcuſſo nullos potuit fructus afferre. Denique pro fructibus ſpinas generauit, pro vua labruſcam. Cuius abhorrens infœlicitatem Dominus rei aliam ſibi, id eſt populi noſtri iua pro voluntate plantauit: in quam omnis fructua propheticus decucurrit. Hic mihi ruſtico veſtro beatiſſimi ignoſcite agricultores, ſi quid veſtræ ſolertiæ vineæ in ratione reddenda ignauia noſtra detraxerit. Igitur, vt optime ſæpe recolitis, menſura ſeruata amputatur in ſurculum, palmes in ſcrobem dimittitur, vt animatus ibidem genitalis humor manente ſemper ſecum ſubſtantia nutriatur, auxiliare illi neceſſario iungitur lignum: cuius tutela defenſus ſeſe ſuſtollat. At vbi adoleuerit in vitem perfectam, ad iugumque peruenerit, eius omnes crines luxurioſi tunduntur: pura materia tabulatis infertur, nobis adſtringitur, ne à ligno, quo portatur; vel cuius adminiculo vel ducatu in vberes fructus longius inuitata producitur, vi aliqua ſeparetur. Tum ſolenniter plorans clementer imbre ſuo rorat: conceptaque muſti felicibus lacbrymis fluenta denuntiat. Statim
D oculis apertis folia radiata procedunt: quibus ſubiecti, uc ſe commendantes ſequaces fructus arrident: quos ſolis ardores, pluuiæ, ventique exercendo prouehunt, ad maturitatemque perducunt. At vbi vindemiæ venerit tempus, decore diſſipato paſſim vua detrahitur: in torcularique operariorum pedibus ſubiecta calcatur: prælo premitur: duabuſque tabulis vehementer vrgetur, donec omnis dulcedo medullitus exigatur. Sicque pretioſum fluentum à ſuis taleatoribus & bibitur, & patrisfamilias cellis vinarijs infertur: vt melius veteraſcendo reddatur. Quantum ſpiritaliter mediocritas noſtra conijcere poteſt, computatus ad menſuram palmes competens intelligitur, legitimo examinis numero examinatus. Scrobem fontem ſacrum debemus accipere: qui vero ſacramento homines ſuſcipit mortuos, & inſpiratos aqua cœleſti mox efficit viuos. Lignum auxiliare, quo tenditur, vel portatur, crucis aſt dominicæ ſignum: ſine quo viuere, immortalitatemque ap-
E prehendere in toto non poteſt Chriſtianus. Quod tabulatis infertur, cœleſtis viæ vitæque altitudo monſtratur. Ligaturis aſtringitur: cum renuncians ſeculo ſponſione facta ſpiritaliter ſacris interrogationibus obligatur. Luxurioſi crines falce * tunduntur, id eſt omnia omnino peccata baptiſmate, Spirituſque ſancti vigore amputantur. Plorat feliciter vitis purgata materia: de homine loto felicius manant doctrinæ cœleſtis diuina fluenta. Ruptis oculis, id eſt ſpiritaliter patefactis, præcedentibus folijs fructus ſequela ſeſe commendat, ſimiliter Chriſtianis monitis diuinis præcinentibus obſecundãdo, in quibus æternæ fructus eſt vitæ, & defenditur pariter, & nutritur. Ad iugum peruenit, cùm prærogata omni facultate pauperibus, crucem ſuã portans, conſummata omni iuſtitia expeditior ſequitur Chriſtum. Vi tempeſtatis, ſolis, atque imbris ad maturitatem cogitur. Et iuſtus tentationibus crebris, magnus, ac varijs perducitur ad coronam. At vbi vindemiæ venerit tem-
F pus, id eſt perſecutionis dies, paſſim vuæ diripiuntur, id eſt inconſiderate ſanctis omnibus violentia infertur manus: Ad torcular comportantur, id eſt ad ſupplicij locum deducuntur. Ab operarijs ibidem conculcantur, hoc eſt ſumma cum contumelia à perſecutoribus illuſi iugulantur. Succus earum in vltimo præli pondere, duabuſque tabulis exiccatur: Similiter iudicij die à Chriſto ſecundum tabulas legis confeſſorum ſanguinis vindicta vſque ad vltimũ quadrantem exigitur. Calcantes de eodem muſto bibunt: Et perſecutores ſępe credentes in CHRISTVM, Calicem pretioſum, quem paulo ante calcando fuderant, guſtant, aliqui etiam bibunt. Muſtum patrisfamilias cellæ reconditur, vt pretioſius transfretatione reddatur: Et martyr Dominicæ habitationis in recondita aſſumitur: vt ibidem ex homine in Angelum transfuſus æternæ vitæ beatitudine glorietur.

Sermo de Pſalmo C.

G NEgligentes legis ſacræ cultores ſæpe magno implicantur errore, cum aut dicta non pro locis intelligunt, aut dictorum minime rationes inquirunt. Igitur in præſenti pſalmo Propheta cum dicat, *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*, quomodo Dominus in Euangelio dicit: *Qui credit in me, non iudicabitur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt.* Hoc dicendo eximit iudiciu fideles: non admiſit ad iudicium infideles. At ſi vtræque partes iudicio vacant, quomodo vnicuique merces pro ſuo actu reddetur? ſine cauſa etenim laborare videbitur iuſtus, niſi recipiat ſecundum facta ſua, quæ geſſit iniuſtus. Non ergo ſic accipiendum eſt, quemadmodum ab imprudentibus æſtimatur. Cæterum Domini dictum quo ſit pondere, quave ratione prolatum, explanat proprietas ipſa verborum: *Qui credit* inquit, *in me, non iudicabitur.* Recte: Quid enim neceſſe eſt iudicare credentem? iudicium enim ex ambiguis rebus exiſtit: adempta ambiguitate iudicij non deſideratur examen. Ex quo nec infideles neceſſe eſt iudicare: quia iam ſua ſunt incredulitate damnati: ex hac enim vita quis ſecũ aut coronam portat, aut pœnam. Quam rationem Dauid in pſalmo primo his verbis expreſſit: *Non reſurgunt* inquit, *impij in iudicio: neque peccatores in conſilio iuſtorum.* Gradatim
H pro meritis, quaſi cum quibuſdam elogijs pauciſſimis verbis totius humani generis iudicium deſignauit: etenim quantum intereſt inter impium, & peccatorem, tantum intereſt inter peccatorem, & iuſtum. Denique etiam ipſe impijs iudicium, quia iam ſua impietate præiudicati ſunt, non derelinquit, neque peccatores, qui iudicandi ſunt, iuſtorum, qui non iudicabuntur, dignos eſſe conſilio exiſtimauit. Nunc ſcire debemus, quoniam iuſti vitæ perpetuæ, impij æterno ſunt deſtinati ſupplicio: nullaque eos cognitio expectat vlterius. Quinam ſint iſti, quibus eſt iudicium præparatum, & à quo ſcire debemus, niſi ab ipſo Domino, qui ſuum dictum proſequitur, dicens, *Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in hunc mundum: & dilexerunt homines tenebras magis, quàm lucem.* Ambiguos vtique Chriſtianos deſignauit, ac lubricos: qui inter pios, impioſque ſint medij, nullam partem tenentes ad plenum, cum vtramq; tenere non deſinunt. Fideles non ſunt,

† al. tondentur.

A quia habent aliquid infidelitatis inſertum. Infideles non ſunt, quia habent imaginem fidei, profeſſione Deo, factis ſeculo ſeruientes. Volunt noſſe legem: nolunt eius præcepta ſeruare. Signum ſalutare venerantur, & tamen à miniſterijs dæmonum non recedunt. Multos namque Dei metus in Eccleſia continet: ſed tamen eos mundana voluptas ad ſe trahit. Impij non manent: quia his Dei nomen in honore eſt. Pij non ſunt, quia patrem venerandum prauis moribus lædunt. Orant, quia timent: peccant, quia volunt. Vnde non eſt abſolutus reatus, vbi de amoris comparatione duarum contrariarum ſibimet partium iudicium flagitatur. Ambiguitas enim niſi fuerit diſcuſſa, iure non poteſt mereri ſententiam. Et qui ſunt iſti, quos ambiguitas iudicio reſeruauit? Vtique illi, ſicut Apoſtolus quoque ait, qui cognitum Deum non quaſi Dominum honorauerunt: neque ei gratias egerunt, ſed vanis perſuaſionibus cogitationes eorum abductæ ſunt: & tenebris opertum cor eorum, vt diligerent magis tenebras, quàm lucem, creaturam potius,
B quàm creatorem. Itaque tria conuenit eſſe iudicia. Vnum iuſtorum, qui non tantum, vt dictum eſt, non iudicabuntur, Apoſtolo dicente, *An neſcitis, quia ſancti de hoc mundo iudicabunt?* Alterum impiorum, qui non ſunt iudicandi, qui iam iudicati ſunt, ſed perituri, ſcriptura dicente, *Iter impiorum peribit*. Tertium peccatorum, quorum obliquæ, ancipitiſque vitæ ſunt neceſſario diſcutienda ſecreta, Apoſtolo vtrumque proſequente: *nam qui ſine lege*, inquit, *peccauerint, ſine lege peribunt*. At qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Videtiſne fratres multum intereſſe inter damnatum, & iudicandum? Quam iudicij formam etiam ipſa humanitas, quamuis iniuſta ſit, ſeruat: nemo namque paterfamilias honeſta fidelitatis ſuæ lucra offerentem ſibi ſuum ſeruum iudicat, ſed honorat, vt filium. Alterum verò, quem venena conterentem, in adulterio, in homicidio, in falſo maleficio deprehenderit, carnifici deſtinat ſtatim non audiendum, ſed competentib. pœnis excruciandum. Tertium quoque, quem aduerterit fraudulentum, coloratis ratiocinijs ſua furta excuſantem, reſeruat examini, vt ponderatis damnis, rebuſque ſeruatis, ſententia in eum, prout
C debitor extiterit, iure poſſit expromi. Ita erit, vt iuſtis corona, peccatoribus, aut excuſatis, aut emendatis indulgentia, impijs autem æterna pœna tribuatur, Per Dominum Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus cum Spiritu ſancto in æterna ſæcula ſæculorum.

Sermo de Pſalmo CXXVI.

N*iſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui cuſtodiunt eam. In vanum eſt vobis diluculo ſurgere.* Volunt plures ſanctum Salomonem ædificationi ciuitatis, & templi ſtudentem in eo ipſo molitionis ſuæ tempore euerſionem ciuitatis, ac templi, quod cõdiderit, propheraſſe: quia & titulus antelatus auctorem eum huius pſalmi eſſe demonſtrat: magnis enim viribus, & totis regni ſui opibus magnificum aliquid & Deo dignum efficere tẽtabat: nam centum quinquaginta millia virorum, ſicut ſcriptum eſt, in diuerſos ædificationis vſus, ac miniſteria occupabantur. Et quanquam ſtatuta à ſe conſuetudine perfe-
D ctis omnibus, maxima cuſtodia ciuitatis, & templis ſolicitudo eſſet adhibenda, tamen cum non ignoraret inanem tanti laboris operationem futuram, & ciuitatem à Babylonijs ob peccata populi diruendam, dixiſſe, *Niſi Dominus ædificauerit ſibi domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam.* Putant autem prophetiam hanc conſummatam eo tempore fuiſſe, quo poſt captiuitatem populi Dario rege reditum impartiente, ædificata rurſum per Zorobabel, & Ieſue filium Ioſedec ciuitas fuit: quorum inopem ſenſum illa ipſa poſſet conſummatio ædificationis arguere: nam per Aggæum prophetam ita hos eoſdẽ reſtauraturos eſſe Hieruſalem Dominus eſt locutus, *Adhuc ſemel ego commoueo cælum, & terram, & mare, & aridam: & ſubuertam ſedes regum.* Pſalmi ergo virtus non in tempore tantum Salomonis, ſed etiam in Aggæi intelligenda eſt cõuenire: ædificationis enim vtriuſque labor vanus eſt: ædificata namque à Zorobabel ciuitas ſolum hodie ex ſe conflagrationis cinerem, & deformium ruinarum præbet fœditatem.
E Et has ſedes regum, quas ſe ædificatores regni æterni gloria reſtaurare arbitrantur, vaſtatio iterata ſubuertit, ſedẽ adhuc etiam cæterorum ſubuertenda regnorũ. Bene autem inania humani operis propheta eſſe opera prophetauit. Scit inutiles eſſe humanarum cuſtodiarum vigilias, ſcit incaſſum eſſe conſurgentium matutinas ſolicitudines. Ciuitas & à ſe inſtituta, & ab alijs reſtituta iam nulla eſt, non proficit ædificatio vel prima, vel conſequens. Et rectè ipſe ille euertendæ ciuitatis propheta eſt, qui auctor fuerat extruendæ. A Deo ergo domus eſt ædificanda quæ maneat: quia niſi, quæ à Domino ædificata ſit, non manebit. A Deo ciuitas eſt cuſtodienda, ne pereat: quia niſi à Deo cuſtodita ſit ciuitas, diruetur. Et primum, quæ domus Dei ſit, intelligamus: vt per id cognoſci poſſit, quatenus ab eo ædificanda manſura ſit. Domus eſt habitantis habitatio: ſermo enim diuinus ſecundum intelligentiæ noſtræ conſuetudinem, naturamque, ſe temperat
F communibus rerum vocabulis ad ſignificationem doctrinæ ſuæ, & inſtitutionis aptatis: nobis enim non ſibi eloquitur: atque ideo noſtris vtitur in loquendo. Conuentus quidem Eccleſiarum, ſiue templi, quos ad ſecretam ſacramentorum religionem ædificiorum ſepta concludunt, conſuetudo noſtra vel domum Dei ſolita eſt nuncupare, vel templum. Scriptura quoque vel prophetica vel apoſtolica ad demonſtrationem locorum his eſt vſa nominibus, verum non hanc, quæ à nobis ita nuncupata eſt, domum Dei eſſe ex ipſius dictis docemur: ait enim, *cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Quam domum mihi ædificabitis, aut quis locus requietionis meæ? Nónne hæc omnia fecit manus mea?* Non concluditur ergo ædificiorũ domibus infinitus Deus: non locis in aliquo continetur virtus immenſa, quæ omnia eſt operata, Apoſtolo ipſo ita teſtante, *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo:* Et cum ſit cœli, & terræ Dominus, non in manufactis templis inhabitat. Nulla ergo Dei requies eſt, & nulla habitatio. Et fortè nequaquam crederetur eſſe, qui nuſquam eſt. audiamus ergo ipſum de requie ſua, & habitatione teſtatum: ait enim, *vſque in ſæculum ſæculi hic habitabo, quoniam elegi eam.* Elegit autem Sion. Sed num-
G quid eam, de qua præſens prophetæ huius querela eſt? *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Sion, in qua templum fuerat euerſa eſt. Et vbi ſedes Domini æterna? vbi requies ſempiterna? quod habitabile ei templum? Nempe illud, de quo dictum eſt, *Vos eſtis templum Dei: & Spiritus Dei habitat in vobis.* Hæc domus, & hoc Dei templum eſt doctrinis, & virtutibus Dei plenum, & ſanctitate cordis diuini capax incolatus: de quo idem hic propheta ita teſtatus eſt, Sanctum templum tuum mirabile in æquitate. Sanctitas, æquitas, continentia humana Dei templum eſt. Domus ergo ædificanda per Dominum eſt: humanis enim operibus ſtructa non permanet: non doctrinis ſeculi inſtituta conſiſtit: nec inani labore ſolicitudinis noſtræ cuſtodietur. Extruenda aliter eſt: cuſtodienda aliter eſt. Non ſuper fluxam & dilabentem arenam initianda, ſed fundamentum ſuper Prophetas & Apoſtolos locandum eſt: lapidibus viuis augenda eſt: angulari lapide continenda eſt, & mutuæ connexionis augmentis in virum conſummatum, & in menſuram Chriſti corporis extruenda eſt: ſpecie quoque, ac decore gratiarum ſpiritua-
H lium adornanda eſt. Hæc ita à Deo, id eſt doctrinis eius ædificanda, non concidet. Huius domus ædificationẽ nunc Iſraël captiuus poſt plenitudinem gentium conſequetur. Hæc domus in domos plures diuerſis fidelium ædificationibus in vnoquoque noſtrum adornatum, & amplitudinem beatæ illius ciuitatis excreſcet: cuius ciuitatis iam dio Dominus vigil cuſtos eſt, cùm Abraham peregrinum tuetur, cum immolandum Iſaac reſeruat, cum Iacob ſeruientẽ ditat, cum Ægypto Ioſeph venditum præficit, cùm Moyſen aduerſus Pharaonem confirmat, cum ducem bellis Ioſue† deligit, cum Dauid de omnibus periculis liberat, cum Salomonem dono ſapientiæ munerat, cum Prophetis adeſt, cum Eliam rapit, cum Eliſæum eligit, cum Danielem paſcit, cum in camino pueros irrorat, cum tribus quartus aſſiſtit, cum gignendo ſe ex virgine Ioſeph per Angelum inſtruit, Mariam confirmat, Ioannem præmittit, Apoſtolos eligit, patrem precatur, dicens, Pater ſancte ſerua eos: cum

A eſſem, cum eis cuſtodiebam eos in nomine tuo: cum deni-
que ipſe ille poſt paſſionem æternæ in nos cuſtodiæ ſuæ vi-
gilias pollicetur dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*
vſque ad conſummationem ſæculi. Hæc ciuitatis illius beatæ,
atque ſanctæ æterna cuſtodia eſt: quæ ex multis in vnum
conuenientibus, & vnoquoque noſtrum Deo ciuitas eſt.
Eſt enim hæc ſancti corporis, & fidelis animæ ei placita
poſſeſſio. Quod autem per Dominum ædificanda ſit, ipſe
in Euangelijs teſtatur dicens, *Amen dico vobis, non conſumma-*
bitis ciuitates Iſrael, donec veniat filius hominis. Et huius quidem
temporis, & ædificationis beatus Apoſtolus meminit di-
cens: *Cum autem intrauerit plenitudo gentium, tunc quod reli-*
quum eſt, Iſrael ſaluabitur. Hæ igitur ciuitates, id eſt ſancti
cuiuſque corporis, atque animæ Deo placitus incolatus,
& cœtus hunc vnum habent perfectæ huius ædificationis
artificem. Ædificanda ergo per Dominum hæc ciuitas eſt:
vt in augmentorum conſummationis ſuæ creſcat: non enim
iam ædificatio cœpta perfecta eſt, ſed per ædificationem
perfectionis conſummatio comparatur. Cæterum in æ-
B dificandis his domibus corporum, & animarum ciuitati-
bus humanæ artes vacant: inanes enim ſunt philoſopho-
rum vigiliæ, & otioſæ ſolicitudines, & * fruſtratum in in-
ueſtigandis naturæ ſecretis, & perſcrutandis mundi labo-
ribus ſtudium: ſed lapſuram cito domum operatio tales
ædificat. Inanis quoque erit matutina eorum reſurrectio:
quæ quanquam omnibus, quæ in lucem venerint, ſit con-
ſtituta corporibus; tamen ea, quæ nô fuerint ędificata per
Dominum, nequaquam eam, quæ in Domino ex mortuis
reſurgente iam cœpta eſt, matutinæ reſurrectionis glo-
riam conſequentur. Ac ne aliquam pſalmus opinionem
intelligentiæ in ſe terrenæ & corporalis admitteret, per-
fectionis iſtius tempus, & ædificandorum ſignificationem
ipſo dictorum ſuorum ordine docet: nam humanis ædifi-
cationibus, & terrenis cuſtodijs, & matutinis eorum ſuſ-
rectionibus improbatis, ait, *Surgite poſtquam ſederitis, qui*
manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce
hæreditas Domini filij, merces fructus ventris. Nullus eſt relictus
in his dictis ambigendi locus: nam propheticæ veritatem
geſta deinceps conſummant: cognitionem vero geſto-
C rum doctrina euangelica, atque apoſtolica ſubminiſtrat.
Ciuitas ergo à Deo eſt ædificanda, quæ maneat: quia hu-
mana ædificatio infirma ſit, & caduca. Ac ne lapides, cæ-
menta, ligna ciuitatem hanc eſſe exiſtimaremus, quæ hæc
eſſet, & quando eſſet perfecta ciuitas, docet dicens, *Surgi-*
te, poſtquam ſederitis. Seſſio quieſcentium requies eſt, ea qua
ſurgere iubentur, qui ad perfectam hanc ciuitatem ſunt
comparandi. Et qui tandem ſunt illi, qui ſurgere, poſtquā
ſederint, iubentur? Nempe qui manducant panem dolo-
ris. Panem doloris manducat, quiſquis ſe hominem in vi-
tiis natum, ac viuere meminit. Cum enim voluntas noſtra
per Dei metum, & ſpem æternorum ad perfecta innocen-
tiæ opera contendat, & è contra naturalis quædam con-
ſuetudo vitiorum in ipſis illis, ex quibus emergere nititur,
demoretur, vitæ dolorem per infirmitatem deſtitutæ vo-
luntatis accipimus, ſecundum dictum Prophetæ: Qui ap-
ponit ſcientiam, apponit dolorem. Cum enim veritatis
D cognitio voluntatem noſtram ad profectum conſequen-
dæ vtilitatis inſtiget, & naturæ conſuetudo voluntatem
ſcientem ſe proficere oportere detineat, profectus ſcientię
profectus doloris eſt: cum tantum ſe per naturam doleat
detineri, quantum ſibi naturam per cognitionem intelli-
gat relinquendam. Hinc ergo dolor vitæ eſt: hinc panis do-
loris eſt: cuius vitæ, & doloris hic idem Propheta memi-
nit dicens: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis*
in lachrymis in menſuram. Tendendum eſt autem ſemper,
non etiam deſinendum, neque idcirco ad perfectum non
contendendum, quia doleamus, quo tenditur, non poſſe
contingere: ſed in ipſa contendendi pertinacia dolendum
eſt, nos contingere non poſſe, quo tendimus. Doloris hu-
[illegible] Dominus meminit dicens: *Beati lugentes, quoniam ipſi*
[illegible]*labuntur*, beatitudinem conſolationis ob luctum, &
dolorem non adeptæ conſummationis impertiens. Pro-
pheticam autem virtutem ipſe ille diſpoſitus in tempora
verborum ordo ſeruauit dicens: *Surgite, poſtquam ſederitis.*
Quorum alterum in præſens eſt, id eſt ſurgite: ne ſide tan-

*al. fruſtraneum.

E quam de incertis, & dubijs ambigeretur, cum veluti præ-
ſentem efficientiam veritas propheticæ admonitionis af-
ferret, & in nobis fiduciam ſpei non cunctanter infereret.
Tempus autem huius, quod præſens eſt, mandati diſtulit
in futurum in eo, quod ait: *Cum ſederitis.* In non ambigen-
dis ergo mandatis, præſentis temporis eſt veritas: in con-
ſequendis autem, expectandi temporis diſpenſatio reſer-
uatur. Vt autem nouerint quando ſibi ſurgendum eſſet,
cum ſederint, vnà temporis ipſius demonſtrata eſt pleni-
tudo. *Cum dederit*, inquit, *dilectis ſuis ſomnum.* Mortem ſan-
ctorum Deus frequentiſſimè ſomnum nuncupat: vt ad
prophetam Dauid: *Cum obdormieris, & requieueris cum patri-*
bus tuis, tunc excitabo de ſemine tuo, qui mihi erit in filium, & ego
ero ei in patrem. Et Dominus de Lazaro: *Lazarus dormit.* Et
Apoſtolus de reſurrecturis ait: *Quoniam nos, qui viuimus, non*
præueniemus eos qui dormiunt. Plenitudine itaque gentium
poſt ſomnum mortis recepta: & Iſrael reliquo ſaluo, tunc
poſt hanc ſeſſionem atq; ſomnum reſurrectionis eſt tem-
pus. Et quia dum temporum plenitudo concluditur, gen-
F tium quoque crediturarum ſecundum Apoſtolum con-
ſummabitur plenitudo, idcirco ait: *Cum dederit dilectis ſuis*
ſomnum, hoc ſurgendi ſedentium, quod & dandi dilectis
ſuis ſomni tempus eſſe demonſtrans, id eſt omni plenitu-
dine iam recepta. Qui autem ſint dormientes dilecti, &
ſeſſuri reſurgentes, continuo cum quadam ſignificatione
rei præſentis oſtendit dicens, *Ecce hæreditas Domini*, ſancti
ſcilicet dormientes, & reſurrecturi ſedêtes, hæreditas Do-
mini eſt. Non illa carnalis Iacob, neque terrenus Iſrael fa-
ctus ex diuiſione gentium portio, & funiculus hæredita-
tis ſecundum Moyſen dicentem; *Cum diuiſſet excelſus gentes*
ſecundum numerum Angelorum Dei, & facta eſt portio Domini
Iacob funiculus hæreditatis eius Iſrael. Et quia iam Iſrael ob im-
pietatem ſuam eſſe non meretur hæreditas, quæ hæreditas
eſſet, oſtenditur: *Ecce hæreditas filij, merces fructus ventris.* Ea
ergo in filijs hæreditas Domini eſt, quam ex mercede fru-
ctus ventris acceperit: non enim inanis hic fructus eſt, quo
cum ex virginali ventre manens antea Deus naſcitur: nam
merces eius hæreditas eſt: & hæreditas filij ſunt. *Quotquot*,
inquit, *eum receperunt, dedit illis poteſtatem filios Dei fieri.* Et rur-
G ſum, *Filioli adhuc puſillum ſum vobiſcum.* Hic ergo hæreditas
eſt: & hæc hæreditas merces fructus eſt ventris. Eſt ergo
Dominus fructus ventris: quem ex ſe vitæ noſtræ fructum
pariens virgo progenuit. Et hæc eius merces eſt, qui ex vir-
gine naſcendo fructum ventris eſſe ſe voluit: vt ei gen-
tes, quas in filios per fidem generaret, hæreditas ſint.
Quod autem, quia fructus ventris effectus ſit, hanc merce-
dem hæreditatis acceperit, Pſalmus alius teſtatur dicens,
Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem
tuam terminos terræ. Teſtatur & Apoſtolus: *Qui cum in for-*
ma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſe
exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum fa-
ctus, & habitu repertus vt homo, humiliauit ſe, factus obediens vſ-
que ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod exaltauit illum
Deus, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in no-
mine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & inferno-
H *rum: & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Ieſus in glo-*
ria eſt Dei patris. Hæc ergo merces fructus ventris eſt: quæ
donatur ex nomine: quæ defertur in honore: quæ præ-
ſtatur in gloria. Et hanc habet retributionem immortalem
eius naturam humanæ infirmitatis ſuſcepta natiuitas, [illegible]
quia fructus ventris factus eſt, merces quoque eius gen-
tium fiat hæreditas: & hæreditas ipſa fiat filij. De hinc ſe-
quitur: *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.* Sagit-
tarum hic vſus eſt, vt emiſſæ celeri volatu ferantur, & ad
deſtinata quæque indeflexa linea dirigantur. Eſſe autem
ſagittas, quibus Dominus vtatur, ita legimus, cum ait, *Mi-*
ſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos. In Iſaia quoque ita ſcriptum
eſt, quod etiam de ipſo dictum eſſe poſſit intelligi. *Et poſuit*
me, tanquam ſagittam electam, in pharetra ſua abſcondit me, & ait
mihi: Magnum eſt tibi hoc vocari puerum meum. Ergo iſtiuſmo-
di Dei ſagittæ, volatu citæ, ictu fideles: quas quantum ſpi-
ritalis ratio demonſtrat, ſignificare doctrinas propheticas
atque Apoſtolicas, in quibus Dei verbum eſt, oportet in-
telligi, vbique miſſas, compungentes, arguentes, volan-
tes: quanquam in plurimis locis meminerimus eſſe &

mortiferas, & lethales ſagittas, de quibus ſcribitur: *Sagittas ſuas ardentibus operatus eſt.* Verum hic non de vltricibus ſagittis dici aliquid, vel intelligi poteſt, quia nunc, *ſicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.* Pharao in mari rubro in interitum ob crimen impietatis excuſſus eſt: Excuſſum quoque Apoſtolicis pedibus puluerem ſcimus ſententiam eſſe maledicti. Et quia prophetæ ipſius, qui excuſſorum, id eſt peccatorum, & maledictorum filij tanquam volantes, & fideles ſagittæ doctrinæ cœleſtis emiſſi ſunt; vel Apoſtoli, Eccleſiarumque doctores de excuſſis per impietatem ſuam in maledictum gentibus crediderunt, idcirco ait: *Tanquam ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum,* orbem terræ volatu peragentes, infidelia corda doctrinę telo vulnerantes, & peccatorum omnium incentiua ſalutari iaculo pugnantes. Atque vt ex his dictum intelligi poſſit, quos Deus excuſſorum filios ad doctrinam ſalutis modo mitteret ſagittarum, ait, *Beatus vir, qui implebit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.* Beatus ergo ille eſt, qui ex ipſis deſiderium ſuum potuerit implere, id eſt, vel de ſagittis, vel de filijs excuſſorum, deſiderabilibus ſe ſcilicet doctrinæ verbis implere, & de prædicatis fructibus futurorum bonorum, expectatiſque ſatiare. Atque vt hos ex Dei doctrina ædificatores eſſe illius, quam ſuperius memorauit ciuitatis, oſtenderet, idcirco ait, *Ex ipſis non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta:* Quod, ex ipſis, ſiue ad beatum virum pertinet, qui deſiderium ſuum impleuit ex ipſis, vel ipſis filijs excuſſorum erit proprium: *quia ex ipſis non confundentur, cum in porta inimicis ſuis loquentur.* Neque ambiguum eſt, qui in porta loquentur ædificatæ per prædicationem ſuam a Domino ciuitatis. Meminimus autem in pſalmo dictum: *Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes eius laudes in portis filiæ Sion.* Hic quidem plures portæ ſunt, in quibus Propheta à portis mortis exaltatus omnes laudes Dei prędicat. Sed ſcimus eſſe portam vnam regiam, dominicam, cœleſtem, de qua dictum eſt, *Hæc eſt porta Domini, iuſti introibunt in eam.* Et cum non confundantur hic excuſſorum filij in porta inimicis ſuis loquentes, neceſſe eſt, vt his inimicis ſuis loquentes non confundantur, qui cum iuſtis non merebuntur intrare, exprobrantes illis impietatem in Deum, inobedientiam in prædicantes, infidelitatem in æterna promiſſa, odia in innocentes, & in ipſa Eccleſiæ membra ſæuitiam: ipſi confidentes, & nulla fidei ſuæ, ac religionis ambiguitate trepidantes, ſed hos inimicos ſuos ab eius aditu, ingreſſuque prohibentes, qui ait: *Nemo vadit ad patrem, niſi per me,* id eſt per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus in ſęcula ſæculorum, Amen.

Sermo de Pſalmo CXXVII.

QVotiens de timore Domini in ſcripturis eſt ſermo, animaduertendum eſt, nunquam eum ſolitarium relinqui, tanquam ſufficientem nobis ad conſummationem fidei, ſed ſubijci, aut anteferri, ex quibus timoris Domini ratio, & perfectio intelligatur: vt cognoſcimus ex eo, quod per Salomonem in prouerbijs dictum eſt: *Si enim ſapientiam inuoces: & intellectui des vocem tuam, & exquiras eam, tanquam argentum, & tanquam theſauros inueſtiges eam, tunc intelliges timorem Domini.* Videmus enim quanuiſque ad timorem Domini gradibus peruentum ſit: ante enim inuocanda ſapientia eſt, & omne legendi officium intellectui eſt deputandum: & exquirenda, ac peruestiganda eſt ſapientia: & tunc timor Domini intelligendus. Sed quantum ad communem humanæ imbecillitatis trepidationem, metuentis id eſt perpeti, quod ſibi nolit accidere. Exiſtit autem, & commouetur in nobis de reatus conſcientia, de iure potioris, de impetu fortioris, de ægritudinis caſu, de feræ occurſu, de omnis mali paſſione. Hic ergo timor non docetur, ſed ex naturæ infirmitate occurrit. Neque quid timendum ſit, diſcimus, ſed terrorem ſuum ipſa illa nobis iniiciunt, quæ timentur. At vero de timore Domini ſcriptum eſt: *Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos.* Diſcendus ergo timor eſt, quia docetur: non enim in terrore, ſed in ratione doctrinę eſt. Neque ex trepidatione naturæ, ſed præceptorum obſeruantia, & operibus vitæ innocentis, & cognitione veritatis ineundus eſt. Nam ſi idcirco Deus timendus eſt, quia plura fulminibus arſerunt, tonitru proſtrata ſint, terræ nunc motu conciderint, nunc hiatu recepta ſint, nullum fidei meritum in timore eſt: qui ex terrore accidentium commouetur. Nobis autem timor Domini omnis in amore eſt, non in metu. Dilectionis autem noſtræ in eum hoc proprium officium eſt, parere monitis, ſtatutis obtemperare, pollicitis confidere. Audiamus ergo ſcripturam dicentem: *Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus poſtulat à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in omnibus vijs eius, & diligas eum, & cuſtodias præcepta eius ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, vt bene ſit tibi:* Quibus dictis conuenientia, & congrua propheta in exordio pſalmi locutus eſt dicens: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius,* oſtendens non ex trepidatione noſtra, quia nec timoris eſt auctor in cæteris, neque ex terrore eius, qui terribilis ſit, beatos eſſe qui timeant, ſed ex eo, quod in vijs Dei incedant: timor enim, vt diximus, non in metu, ſed in obedientia eſt, & timoris teſtimonium eſt obſequela. Cæterum ſi quis timeat, neque pareat, erit quidem timens ex trepidatione naturę; ſed nō erit beatus ex timoris officio. Multæ ſunt autem viæ Domini, cū ipſe tamen via ſit. Sed cum de ſe loquitur, viam ſeipſe nuncupat, & rationem, cur ſe viam nuncupaſſet, oſtendit dicens: *Nemo enim poteſt ad patrem venire, niſi per me.* Verum cum de prophetis, ac ſcriptis eorum, quibus ad Chriſtum pergitur, ſermo eſt, tunc viæ plures ſunt in vnam viam vndique congruentes, quod vtrumque eodem per Hieremiam prophetam loco ſignificatum eſt dicentem: *State in vijs Domini, & interrogate ſemitas Dei æternales, & videte, quæ eſt via bona, & ambulate in ea.* Multæ itaque viæ interrogandæ ſunt, & in multis inſiſtendum eſt, vt vnam, quæ bona eſt, inueniamus, per multorum ſcilicet doctrinam vnam viam vitæ æternæ reperturi. Viæ enim in lege, viæ in prophetis, viæ in Euangelijs, viæ in Apoſtolis ſunt: viæ quoque in diuerſis præceptorum operibus ſunt, in quibus per Dei timorem ambulantes, beati ſunt, quibus dicitur: *Labores fructuum tuorum manducabis.* Sermo ad plures cœtus ad vnum refertur docens nos omnes, qui in Chriſtum crediderint, vnum eſſe, Apoſtolo ita confirmante: *Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu.* Siue enim ad vnum, ſiue ad plures loquatur in vno, id erit ſignificantiæ, quod in pluribus. Eſt autem contuendum propheticum hunc ſermonem ab vſu communis opinionis diſcrepare: in hac enim vitæ conuerſatione, qui manducant laborum ſuorum fructus, manducant ex prouentibus elaborati operis ſumentes. At vero propheta ait: *Labores fructuum manducabis.* Non conſequitur ſenſus humanus dicti huius intelligentiam: ex laboribus enim fructus eſt, non ex fructibus labor. Deinde labor miniſterium corporis eſt, fructus vero merces laboris. Miniſterium autem corporis incorporale eſt, licet corpore fit. Nihil edere, niſi quod corporale eſt, poſſumus. Sed propheta nihil de terrenis, & præſentibus tractat: de beatitudine enim timentium Dominum & in vijs eius ambulantium ei ſermo eſt: qui enim in vijs Domini ambulabunt, illi labores fructuum ſuorum manducabunt. non enim hic manducatio corporalis eſt, quia neque id quod manducandum eſt, corporale eſt: ſed habemus hic cibum ſpiritualem, animā noſtram in vita alentem, bona ſcilicet opera, bonitatis, caſtitatis, miſericordiæ, patientiæ, tranquillitatis: in quibus nobis contra corporum noſtrorum vitia laborandum eſt. Horum laborum fructus in æternitate eſt, ſed labor hic æternorum fructuum ante comedendus eſt: eo quod in vita hac corporali anima noſtra alenda eſt per cibum bonorum laborum, obtinens panem viuum, panem cœleſtem, ab eo, qui dixit. *Ego ſum panis viuus de cœlo.* Quem cum indigne ſecundum mandatum Apoſtoli quis acceperit, iudicium ſibi acquiret. Hi ſunt ergo labores fructuum manducandi, eorum ſcilicet fructuum, qui in cœlis metentur. Nunc dum in terra ſumus opera ſumenda ſunt: hæc enim noſtrum animum ſaturant: hæc in cœlū ſuis fructibus proſequuntur. Denique ſequenti verſu vtriuſq; huius temporis beatitudinem propheta demonſtrat, dicens: *Beatus es, & bene tibi erit.* Quorum alterū in præſens obtineas, quod beatus

es, quod

A es, quod vero bene tibi erit, repoſitum eſt in futurum, quia interim labor futurorũ fructuum manducetur. *Vxor tua, ſicut vitis abũdans in lateribus domus tua. Filij tui, ſicut nouella oliuarum in circuitu menſa tua. Ecce ſic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum.* Multis fortè ſermo iſte in præſens benedictionis gaudio aptus videbitur, vt ex miſericordia Dei pacifica, & vtilis in domo coniuna, ſaluus & dulciſſimus circa conuiuium cœtus filiorum. Sed ſi hæc perfecta bona fuiſſent, quæ cũ ſint bona, non tamen cœleſtia bona ſunt: tum ſi in his beatitudo timoris Dei conſtitiſſet, obtinuiſſet vtique princeps fidei & timoris Dei Abraham, cui vxor diu ſterilis bis abrepta eſt: filius ex promiſſione monus offerri in hoſtiam iuſſus, & ſacrificium ad motus intulit orbitatis dolorem. Ipſi deinde Iſaac duo filij diſſidentes, & vſque ad odium mortis inimici: Iacob autem ignoratæ vxoris inopinatus maritus, & ad nuptias alias falſo coactus, & viuentis funus parricidali fratrum mendacio plangens
B caruit timentium Dominum benedictionibus. Et apud quos, & à quibus fides eſt, apud eos fidei ſanctificatio non reperietur. Quantos autẽ peccatores videmus florere domo, coniuge, liberis? Iam vero benedictionibus Dei priuabitur felix illa, & beata virginitas cauſam ſibi beatitudinis non requirens. Et vbi erit illud Pauli: *Vellem autem omnes homines eſſe ſicut me?* Et neſcio, quomodo propheta perfectam eam beatitudinẽ conſtituerit, quæ negata ſanctis eſt, peccatoribus vſitata eſt, non ſperanda virginibus ſit. Ergo quia ſecundum humanam intelligentiam propriam, & perfectam beatitudinẽm dicti huius ſermo non explicat, erigendæ ſunt ad ſpiritalem doctrinam mentes atque aures. Lex enim omnis ſecundum Apoſtolum ſpiritualis eſt, & ipſe non humilem nec terrenam beatitudinis ſpem ſecutus eſt dicens: *Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus.* Cũ itaque in ſpiritualibus, & cœleſtibus benedici ſe oſtendat, perfecta illa ſanctorum beatitudo non in his terrenis & corporeis, eſſe ſperanda eſt, ſed potius intelligendum eſt per corporalium, & terrenorum nuncupationem cœleſtiũ
C bonorum intelligentiam conſequendam. Nunquid cum Dominus ſecundum Euangelium ſponſus eſt, & ſecundũ Ioannem habet ſponſam, de ſponſis terrenis, & corporalibus ſignificari æſtimandum eſt? Non vtique, ſed per hanc ſermonis conſuetudinem docemur eum eſſe, qui promiſſus ſit gentibus, cuique à Patre Eccleſiæ hæreditas per adoptionem corporis, quod ex virgine præſumpturus eſſet, deſponſata ſit. Vt antè nunc cognoſcamus, quid ſub vxoris nuncupatione intelligi oporteat, contuendum eſt, quid & alibi ſub hoc eodem vxoris nomine tractetur. Salomon ait: *Quia quaſiui ſapientiam ſponſam adducere mihi ipſi.* Et quia, qui ſponſam requirit, dotem quærit, huius ſponſæ ſuæ opes memorat, dicens. *Honeſtatem glorificat conuictum Dei habens: & omnium Dominus dilexit eam. Et ſi multam cognitionem quis deſiderat, nouit, & quæ à principio ſint, & quæ futura ſint, conſpicit.* Et item: *Vxorem virilem quis inueniet? Precioſior eſt autem lapidibus multis pretij.* Et hæc iſtiuſmodi in prouerbijs dicta ſunt: quia prouerbia non hoc, quod verbis ſonant, explicant, ſed dictorum virtutem ex vſu verborum communium nuntiant. Docet autem Dominus in Euangelijs, quid
D prouerbia intelligenda ſint, dicens: *Veniet hora, vt iam non in prouerbijs loquar vobis, ſed palam de patre annuntiẽ vobis.* Ergo ſecundum prouerbiorum rationem vxorem virilem noſſe debemus, eam nempe, quam ſibi Salomon ſponſam optauit aſſumere: de qua rurſus ait: *Indicaui igitur hanc adducere ad conuiuandum mecum, & amator factus ſum pulchritudinis eius. Tanquam vxor aſſumpta ſapientia.* Hæc igitur virilis eſt, perficiens omnia, & ſibi ſubdens, & in labore vtilium operum valida, ipſi Deo placita, & per doctri-
* al. digna. nam eius * dignam, & præteritorum ſcientiam, & futuro-
* al. perfecta. rum cognitionem * perfectam. Hæc timentis Deum vxor totis domus ſuæ lateribus diffuſa fœcundæ vitis modo ſe per omnia operum noſtrorum latera extendit. Domus autem non ambigitur hoc animæ noſtræ eſſe domicilium: quod ſibi vnuſquiſq; per timorem Dei, & vias eius ineundo, & habitationem ſapientiæ eius mundat. Ex hac igitur filij, qui erunt tanquam nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ noſtræ erunt, non in conuiuijs. In circuitu [illegible] E
cibum ſumim [illegible] viui cum [illegible] vt
ipſe viuens co [illegible] Se [illegible]
menſa lecto [illegible]
cibo aluntur; [illegible]
ſatorum coram [illegible]
uem, & in [illegible]
lum omnibus intellecta ipſius prophetæ [illegible] o. Sed [illegible] doctrinam Dei conſectantur, niſi in operum bonorũ miniſterio verſentur, menſæ illius cibo non proficient: nam ſicut ex coniuge liberi, ita ex ſapientia bonæ voluntatis opera procreantur. Hæc igitur tanquam nouellæ oliuarum, menſam noſtram circuibunt, id eſt doctrinę noſtrę cogni- † al. operum.
tionem † optimorum quaſi * laborum fructibus obum- * al. ramorum.
brabunt. Seruauit etiam hanc propheta rationem, vt neophytam oliuam diceret, id eſt nuper plantatam, quia per ſapientiam, tanquam coniugẽ aſſumptam, cuius filij ſunt opera fidelia, hæc eadem in hac terra noſtri corporis plantatur. Hæc igitur vxor modo vitis abundantis in domus F
noſtræ lateribus diffuſa: hi filij, id eſt ex tali coniuge opera procreatã, tanquam plantatæ oliuæ in menſæ noſtræ † al. aſſiſtunt.
circuitu † aſſiſtentes. Et quia hæc timentiom beatitudo eſt, propheta ſubijcit: *Ecce ſic benedicetur omnis homo.* Iungitur & timentis merito etiam votum prophetæ dicentis: *Benedicat te Dominus ex Sion, & videas, quæ bona ſunt Hieruſalem.* De Hieruſalẽ, & Sion in ſuperioribus pſalmis frequenter ſumus locuti, ex quibus vel in quibus bonorum omnium conſummatio ſperanda eſt. Nunc enim quamvis bonis cœleſtibus perfruamur, maiora nobis in Sion & Hieruſalem temporibus reſeruantur: hoc enim ſeculum promiſſorum bonorum capax non eſt. *Væ* enim nunc *mundo ab ſcandalis:* in quo & zizania diabolus ſuperſerit: in quo regio eſt corruptionis, & locus iniquitatis, & cõuallis plorationis: in quo mundi potentes ſunt harum tenebrarum. Sed habemus interim promiſſorum nobis lumen: in quo tanquam per ſpeculum & in ænigmate felicium rerum imaginem contuemur, tunc facie ad faciem viſuri non interpoſita obſcuritatis nube aut ſpeculi æmulante ſplendo- G
re, ſed vera & conſpicabili beatitudinis noſtræ contemplatione lętabimur operũ noſtrorũ fructus contuentes, & mercedem vitæ innocentis videntes: nam vt opera ex ſapientia gignuntur, ita ex operibus retributio naſcitur. Eſt ergo ſapientia innocentiæ mater: & rurſum innocentia fructus retributionis parit. Hos ergo conſequemur diabolo contrito, aculeo mortis retuſo, & omni principe ac poteſtate huius ſeculi exempto: cum iam pax nobis ſit hoſte victo, & perempto: quod propheta pſalmi ipſius concluſione teſtatur dicens: *Benedicat te Dominus ex Sion: & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum: & videas pacem ſuper Iſrael.* Speremus ergo hæc bona Hieruſalem cœleſtis, & Sion montis, & pacis Iſrael: quæ in pace eſt in Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Sermo de Pſalmo CXXVIII.

SAEPE *impugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrael. Sepè impugnauerunt me à iuuentute mea: etenim nõ potuerunt mihi. Supra dorſum meum fabricabant peccatores: prolongauerunt iniquitatem ſuam. Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum, confundantur, & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion. Fiant ſicut fœnum ædificiorum, quod priuſquam euellatur, areſcit. De quo non impleuit manum ſuam qui metit, & ſinum ſuum qui manipulos colligit. Et nõ dixerunt qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos: benedicamus vos in nomine Domini.* H

Inſtituimur dictis prophetieis ad tolerantiam præſentium paſſionum: & naturæ noſtræ infirmitas aduerſus ſeculi iniurias ſemper impatiens ſuſcipit * ſapientiæ doctri- * al. patientiæ.
nam ab eo, qui in præſenti pſalmo ait: *Sepè impugnauerunt me à iuuentute mea.* Nõ ocioſa † virtus religioſi viri eſt: neq; † al. anima.
quietam exigit vitam. Impugnatur iam ab ipſis iuuentutis ſuæ initiis, & impugnatur ſæpè. Non nouella itaque, neque rara impugnantium odia ſunt, ſed ea ſæpè etiam ab ipſis initiis ætatis infeſta ſunt. Et idcirco hæc ſunt quæ fidem probant: quæ patientiam teſtantur: quæ inuictæ virtutis coronam merentur. Nouit beatus Apoſtolus Paulus

hanc longi prælij coronam dicens: *Nemo coronatur, niſi qui*
A *legitime certauerit.* Certamen tantum non ſufficit ad coro-
nam. Legitimè certandum eſt, id eſt omnia paſſionū bella
peragenda ſunt. Non ſufficit ſemel, neque vnius certami-
nis bello militaſſe. Et audiamus hoc ipſum legitimum cer-
tamen, cum dicit de ſe: *In laboribus copioſius, in plagis abundan-*
tius, in cuſtodiis eminentius, in mortibus frequenter. A Iudæis quin-
quies quadragenas vna minus accepi. Ter virgis cæſus ſum: ſemel la-
pidatus ſum, ter naufragium: noctem & diem in profundo maris feci.
Merito iſte cor & tãtis prælijs perfunctus dicere auſus eſt. *De*
cætero iam ſupereſt mihi corona iuſtitiæ: quia nemo, niſi qui legitime
certauerit, coronatur. Huic etiā vox hæc prophetica cõpetit,
Sæpe impugnauerunt me à iuuentute mea. Cõfidentiæ maxima
gratulatio eſt, tantorum & tam numeroſorum bellorum
recordari. Sed nunc tacito impugnantium nomine impu-
gnatio ſola memoratur. Et cauſa noſcenda eſt, cur aucto-
res impugnationis ſileantur. Omnes humanæ iniuriæ, quæ
religioſis viris inferuntur non eoſdem habent auctores,
quos habent miniſtros. Executio quidem hominū eſt, ſed
B diaboli inſtinctus eſt. Et huius nobis intelligentiæ Apo-
ſtolus auctor eſt dicens: *Non enim nobis certamen eſt aduerſus*
carnē & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates mundi, poteſtates harum
tenebrarum ſpiritalis nequitiæ in cæleſtibus. Et rurſum: *Secundū*
principem aeris huius ſpiritus, & ſpiritus qui nunc operatur in filiis
inobedientiæ. Operantur ergo hæ ſpiritales nequitiæ in his,
qui inobedientes Dei legi ſunt, quos voluntatis ſuæ tan-
quā operarios eligunt in res ſuas alienæ interceſſionis mi-
niſterio viuri. Neque ſolum id ex Apoſtoli dictis intelli-
gimus, ſed etiam ex libro Iob docemur: Cum enim diabo-
lus poteſtatem Iob tentandi poſtulaſſet, per direptionem
ſubſtantiæ eius primum deſtructuros homines ad paſtorū
cædem, & ad direptionem pecudum excitauit: eiſque in
hanc voluntatem latrocinij accendit. Egit ergo, quod vo-
lebat per humanæ operationis officium. Iudas quoque in
paſſione Domini miniſterium diaboli fuit: & per eum ef-
fectū voluntatis eſt proprię executus, Euangeliſta teſtante
ita: *Intrauit,* inquit, *ſatanas in Iudam, qui cognominatur Iſcario-*
tes. In omni igitur, quam perpetimur, iniuria alterius opus,
alterius inſtinctus eſt. Et nō ſibi efficit quiſquis aliquid per
turbulentę voluntatis impetum gerit. Nū ergo his iraſcen-
C dū eſt, à quibus aliqua perpetimur: ſed quotiens per con-
tumelias ad iracundiam prouocamur, quotienſq; per con-
uitia ad lites excitamur, quotienſq; ad dolorem, & impiam
damni querelam per rapinas, & furta compellimur, aut in
corporis voluptates alendas adhortationis ſubcitamur in-
ſtinctu, agnoſcendus eſt hoſtis ille, per quem hæc operum
ac dictorum incentiua præbentur. Neque iraſcendum eſt
hominibus alienæ inſtigationis operatis: ſed potius in his
deteſtandi officij interceſſio fœda miſeranda eſt, quod ſint
vaſa diaboli, ſatanæ miniſterium, & latrocinantium tela,
& alienæ malitiæ, ac nequitiæ paritores. Ob hanc ergo co-
gnitionem propheta ſine diſtinctione nominis tantū im-
pugnantium meminit de his, atq; illis indiſcretè locutus:
quia per homines in ſe id, quod ſpiritualium nequitiarum
eſt, gerebatur. Cœpit itaque tanquam ex perſona ſua pro-
pheta, ſed quid a nobis dici oporteret, quodā ipſe confeſ-
ſionis exemplo antè præloquitur. Talis enim ordo dicto-
D rū eſt: *Sæpè impugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrael.*
Antè ergo docetur Iſrael, quid dicere debeat. Tum deinde
tanquā doctus, & exemplo propheticæ confeſſionis Iſrael
ipſe iam loquitur. *Sæpè impugnauerunt me à iuuentute mea: et-*
enim non potuerunt mihi. Talis religioſorū debet eſſe confeſ-
ſio. Et hæc vera fidei probatio eſt, vt qui ſæpè à iuuentute
impugnant, nunquam tamen eorum, quos & ſæpè, & pri-
dē à iuuentute impugnauerint, præpotentes ſint. Aduer-
ſus autem validiores & longum & frequens eſt prælium.
Et idcirco inimicæ ſpiritaleſque virtutes firmos fide & ti-
more Dei viros & diu & ſæpe pertentant: quia iterari ne-
ceſſe eſt, quod & diu geritur, & nunquam obtinetur. Ma-
neamus ergo, vt ſæpe impugnemur, & ſæpe impugnati ha-
beamus hanc gloriam, nec aliquando cedamus: & hinc
ſit impugnationis noſtrę aſſiduitas, quod nō ſit impugnan-
tium præpotens fortitudo. Mos autem eſt eorum qui ne-
quaquam longis atque aſſiduis prælijs præualent, vt victo-
rem exercitum, & firmis agminibus incedentem à tergo
adeant, & dorſo, ſicubi iam præterierat, inſidias machinen- E
tur. Illic dolos fabricant: illic omnia inſidiarum artificia
exercent. Ita & peccatores tentatos incaſſum fideles viros
euntes iam in veritatis via dorſo adeunt: inſidiantur dor-
ſo: dolos concinnant. Et idcirco ait, *Supra dorſum meum fa-*
bricabāt peccatores. Currit Apoſtolus, ea quæ retro ſunt, ob-
liuiſcens, ſeq; in ea, quæ anteriora ſunt, extendens. Ita ad
fideles ita locuta eſt: *Perſequentur te inimici tui, & non compre-*
hendent. Non comprehendiſſe autem eos docet, cum ait:
Fabricabant: Indefiniti enim temporis ſignificatio eſt. Fa-
bricabant enim ſemper, nunquam fabricationis ſuæ effe-
ctum conſequentes, inde cœlo fidei curſu, cui quotidie ſu-
pra dorſum fabricabantur bella, currentium. Atque hanc
pertinacem infeſtantium iniquitatem ſequens verſus ab-
ſoluit: *Prolongauerunt iniquitatem ipſorum.* Hæc prophetia eſt
dicentis: *Væ, qui trahunt peccata ſua tanquam funem longum:* nō
deſinunt enim peccatis peccata connectere, & tanquam
funem longum implexa ea ſemper extendere. Sancto nāq;
currente, & peccatoribus in dorſum fabricantibus, cum F
huic ad deſtinatum currendi, illis ſemper fabricandi mo-
dus nullus ſit, fit peccatorum prolixa ſeries, & multiplex
longitudo. Sed, quid tandem hanc iniquitatum longitu-
dinem maneat, noſcendum eſt. Sequitur enim: *Dominus iu-*
ſtus concidet ceruices peccatorum. Iuſtus Dominus, patiens ſci-
licet in viſionem, diſſimulator ad pœnitentiæ tempus, nō
inter exordia humanæ iniquitatis promptus ad pœnā, ſed
deſinendi à criminibus ſeram licet voluntatem peccatoris
expectans. Tunc ceruices concidit, cum ſine aliquo deſi-
nendi modo fabricatur: cum in longum peccata tendun-
tur: cum iam omne patientis miſericordiæ tempus exclu-
ſum eſt. Exprobrari autem ſemper cõtumacibus legis me-
minimus, quod dura ceruice ſint, cum ceruicoſum popu-
lum eſſe Moyſes ad Dominum arguit, cum propheta filia-
bus Sion exprobrat, quod alta ceruice incedant, ceruice
ſcilicet iugum dedignante, ac operibus fidei inſolenti, pa-
tientia Dei ad producendam peccatorum longitudinem
abutente. Submittenda autem eſt ceruix iugo ſuaui, ad
quod Dominus inuitat dicens: *Tollite iugum meum ſuper vos,*
& diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Non conciden-
da ceruix ex huic ſe iugo ſubdens. Eſt enim hoc humilita- G
tis & manſuetudinis iugum non ſemper impugnans, non
dorſū fabricans, nō peccata prolongans, ſed humilitate, &
patientia ceruicem ſubditam fouens ſuperba illa, inſolen-
tiq; ceruice iudicij concidenda decreto. Dehinc ſequitur:
Confundantur, & reuertantur retrorſum omnes, qui oderunt Sion.
Frequenter admonuimus Sion montem eſſe Hieruſalem
proximum. Sed cum rex Sion, cum filia Sion, cum portæ
Sion à prophetis nuncupantur, primo in ipſo nomine in-
telligi oportet aliud ſub Sion ſignificatione monſtrari.
Sion enim ſpeculationis interpretatio eſt, quod enim no-
biſcum ſpeculatio, id Hebraice Sion dicitur. Tum deinde
dicti apoſtolici meminiſſe nos conuenit, ad montem Sion,
Hieruſalem cœleſtem acceſſiſſe nos in Dominum noſtrū
Ieſum Chriſtum credentes: cuius in * glorifico corpore, ** al. glorificato.*
quod in cœleſtem gloriam transformatum eſt, ſpei noſtræ
honorem ſpeculamur, humilitatis noſtræ corporem glo-
riam corporis ſui conformando. Eccleſiam autē eſſe cor- H
pus Chriſti, cuius inuicem membra ſumus, apoſtolus te-
ſtis eſt: quia ipſa Sion, mons Domini, regis filia, ciuitas
ſancta viuis lapidibus in fundamento prophetarū & Apo-
ſtolorum ædificata. Hanc ergo Sion quiſquis odit, odit
eum, cuius & corpus eſt, eſt enim ſpeciale aduerſus fideles
infidelium omnium odium. Confundendi ergo erunt, qui
Sion oderunt, & retrorſum reuertentur non in cœleſtia
currentes, neque ad futura tendentes, ſed ad terrena ſua,
& originalia reuertentes, pudorem iniquitatis, & infideli-
tatis ſuæ iudicij tempore ſentientes, & in pœnalem corpo-
rum ſenſum amiſſa reſurrectionis demutatione redeun-
tes. Hoc ipſum autem pſalmi conſequentia docent: *Fiant*
ſicut fœnum ædificiorum, quod priuſquam euellatur, aruit. De quo
non impleuit manum ſuam, qui metet, & ſinum ſuum qui manipu-
los colliget. Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini ſu-
per vos. Nullum, vt arbitror, ſecundum corporalem intelli-
gentiam ædificiorum fœnum eſt, ſed agri, eiuſdemq; fru-
ctuoſiſſimi. Ergo nihil hic ſecundum auitum ſenſum ita-

ctandum,

A ctandum, & opinandum eſt. Sunt autem ſecundū ſcripturæ auctoritatem ædificia firma quæ fundamentis fidelibus ſupra petram iactis, fluuiis, ventis, inundationibus nō mouentur. Sunt & infirma, quæ arenoſo ædificata fundamine, cum tempeſtates ortæ fuerint, efficiunt ingentem ruinam. Sunt & ſationes duæ ſecundum Apoſtolum, ſpiritus, atque carnis. Et qui ſpiritalia ſeuerit, ſpiritalia metet: & qui carnalia ſeuerit, carnalia metet. Ergo qui ſæpe, & pridem impugnant, qui ſuper dorſum fabricabant, qui prolongauerunt iniquitates, quorum concidentur ceruices, qui oderunt Sion, hi ſicut fœnū ædificiorū erunt inutiles, & corporeæ huius præſentiſq; vitæ fructū caſſum manemque referentes. Ædificia enim, atque recta ſecundum Euangelicam comparationem, humana ſunt corpora, aut firma, aut infidelitate ruitura. Ab hoc etiam ædificij tecto inſtante perſecutione Dominus vnumquemque deſcendere inhibuit dicens: *Et qui ſuper tectum eſt, non deſcendat tollere de domo aliquid.* Certè in perſecutione fugiendum eſt, & quomodo de tecto inhibuit deſcendere, niſi cura corporis B derelicta? quia ſuper tectum inſiſtens, id eſt ſuper terrenā naturam manens, humilia repetere, & deſcendere ad inferiora prohibetur. Verum impij ædificiorum fœnum ſunt: inania enim ſeuerunt. Fœnum etiam antequam euellatur, areſcit: *de quo nec manum ſuam meſſor impleuit: neque ſinum ſuum manipulos collecturus onerauit*: non præteriens fructum gratulatione benedixit: Inanes ſunt: vacui ſunt: inutiles ſunt: inania enim & inutilia * ſequuntur. O infelices labores, & infructuoſa carnis opera ædificiorum fœno comparata, & antè quam euellantur, arida, id eſt ante ipſum inutilis ipſius meſſis tempus emortua! Quia horum ædificiorum fœnum carnalium operum fructus eſſe tractauimus, conſiderandum eſt, quæ differentia ſit in eo, qui implet manum, & qui manipulos ſinu colligit: non enim idem eſt: neque ſcriptura res eaſdem iterare geminis elocutionibus ſolita eſt: plus eſt enim ſinu colligere, quàm manum replere. Et quidem, qui manum replent, fructum recipere rectè geſturum videntur: quia in manibus ſermo diuinus opera ſignificat. In ſinu vero conſcientiæ, & fidei, C & perfectæ voluntatis demonſtratur affectus: plus enim metit conſcientia, quam geſtat, hæc enim manū replent, manipulos vero illa colligit. Duos denarios viduæ inopis acceptiores Dominus habet copioſis diuitum nummis, tanto præſtat operibus voluntas: & opera manu implentur, ſed ſinus manipulis ſunt capaces. Ergo hoc ædificij fœnum neque metentis manum, neque manipulos colligentis ſinum repleuit, ſed neque prætereuntes dicent, benedictio Domini ſuper vos. Sed qui ſunt prætereuntes, niſi, qui peregrinantes corporalis vitæ ſeculum tranſeunt, non manentes in his, quæ nulla ſunt, ſed ad æterna tendentes, neque in his, quæ conſpectui ſubiacent immorantes, ſed ad inuiſibilia pergentes? Vt autem penitus, qui ſint tranſeuntes, intelligamus, audiamus Moyſen loquentem, cū in rubo ignem conſpexit ſine damno rubi, in quo flagrabat, ardentem; ait enim: tranſibo, & videbo viſionē hanc. Quid eſt iſtud tranſibo? nulla enim locorum interualla diſcreuerant: eodem in loco & loquitur, & videt. Quid ergo tranſit? Tranſit planè corporales, carnaleſq; curas, & D ſoceri ſui oues paſcens in cœleſtem cognitionem relictis terrenis operibus excedit. Verum & ipſe pertranſiit, qui in ſuperiore pſalmo ait: *vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros libani: & tranſiui, & ecce non erat.* Quem admiratus in ſeculi rebus eſt: quem in corporeis operibus manens excelſum, eleuatumq; conſpexit, hunc tranſiens, id eſt peregrinus ſæculo factus, & in cœleſtem, ac ſpiritalem cognitionem de terrenis, & caducis rebus excedens pro nihilo habuit, etiam non eſſe duxit, & mortuum deputauit. Negant ergo ædificiorū fœno prætereuntes Dei benedictionem, fructibus aridis & caducis ſcientes gratiam diuini muneris denegandam. Sed prophetæ vota dura, atque aſpera eſſe credentur: totus enim eius ſermo tanquam optantis fuit, cum ait: *Fiat ſicut fœnum ædificiorum.* Sed abſit, vt iſtud propheta precatus eſſe credatur, talia autem ſcientia elocutus eſt, cognitionis fuit ſermo iſte, non voti, ſimul vt peccatoribus horror irrueret inanitatem fructuum ſuorum ac eſcentium cognitatis. Porrò autem votorum ſuorum oſtendit affectum dicens: *Benedicimus vos in nomine Domini.* Prompta benedictio eſt, ſibi, qui ſerebant ædificiorum fœnum, ſerere incipiant, quod meſſoris manum & E colligentis manipulos ſinū repleat. Aridis ergo operibus emortuos fructus ſuos in fœnum ædificiorum propheta monſtrauit benedictiones negando, vota autē ſua erga pœnitentium ſalutem pro reditu bonæ operationis oſtendit benedictiones rurſum, quas negauit, optando. Seramus ergo vtiliter, & labores noſtros implendis manibus, ac ſinibus præparemus, vt benedictionum Dei participes eſſe mereamur in Domino Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſæcula.

SERMO PRIMVS DE PSALMO CXXVIII.

INTER multa præclara, quæ ad Romanos Apoſtolus ſcribit, cum de fide gentium, & infidelitate Iudæorum locutus eſſet, & multa ſuper iudiciis Dei, decretiſque tractaſſet, ait: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam ſunt inenarrabilia iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis ante dedit ei, & retribuetur illi? quia ex ipſo & per ipſum ſunt omnia; F ipſi claritas in ſæcula ſæculorum Amen.* Humanæ infirmitatis religioſa confeſſio eſt ex Deo, hoc ſolū noſſe, quod eſt Deus eſt. Cæterum ſecreta illa & profunda imperſpicabilis iudicij decreta mens terrena non penetrat: inueſtigare quidē ea, perſcrutariq; piumeſt: ſed in eo ſcrutabilia ea eſſe voluntatis, alterum imperſpicabilis naturæ eſt, quis enim cauſas, naturaſq; cœli huius, & ſuperiorum, & cæterorū ſciet? quis Angelorum, & poteſtatum, & dominationum, & thronorum, & principatuum officia rationeſq; perceperit? Quis Cherubim, & Seraphim perpetuas voces, æternaſq; intelliget? Quis ſolis, lunæ, & aſtrorum lumina cumperta eſſe ſibi gloriabitur? Quis hanc inanem, vt putamus, aeris plenitudinem inquiret? Quis vero aut diſpoſitionem orbis terrarum, aut elementorum virtutes, aut temporū mutationes, aut fluminum curſus, aut maris fines, aut ventorū flatus, aut naturas animalium, aut iras beſtiarum, aut genera arborum, aut virtutes radicum, & origines animatum, & G incrementa corporum, & infantium mores, & ſenum vitā, & labores ſæculi: & ſanctorum glorioſas calamitatès, & irreligioſorum infœlices beatitudines, & legis, & prophetarum, & Euangeliorum & Apoſtolorum arcana cœleſti libro conſecrata, plenæ cognitionis ſcientia conſequetur? His igitur omnibus hærens, ac detentus propheta ex interno cordis ſui ſecreto ſecundum Apoſtoli vocē & ipſe proclamat dicens: *De profundis clamaui ad te Domine.* Pone illum ſecundum Apoſtolum in profundo diuitiarum Dei, & inſcrutabilium & inueſtigabilium demorantem: ſtatue illum de profundo humanarum calamitatum mœſtè precantem, ſecundum eam Domini, quæ in anteriori pſalmo eſt, vocē. Veni in profundum maris: & tempeſtas demerſit me. Exiſtima illum non labiis, ſed ſecreto, vt iuſſum eſt, cordis orare. Apta aut ignorationi, aut paſſioni, aut orationi vox iſta dicentis eſt: *De profundis clamaui ad te Domine,* dum aut neſcit, aut patitur, aut precatur, aut quia de profundis clamat; & confidenter ait, *Domine exaudi vocē meam;* H *Fiant aures tuæ intendentes in vocem orationis meæ.* Sed quærendum eſt, an ipſum ſit, *exaudi vocem meam: & fiant aures tuæ intendentes in vocem orationis meæ*: De profundis enim orat, & primo intelligendum eſt, profundum eſſe quicquid orat, Deum incorporalem eſſe, neque ex partibus quibuſdam, atque officiis membrorum, ex quibus vnum corpus efficitur, conſiſtere? legimus enim in Euangelio, quoniam Deus ſpiritus eſt, & inuiſibilis ſcilicet, & immenſa, atque intra ſe manens, & æterna. Scriptum quoque eſt, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet: ex his enim corporis membra conſiſtunt, quibus ſubſtantia Dei non eget. Deus autē, qui & vbique, & in omnibus eſt, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit: Et hoc ex ſcripturis docemur, cum dicitur: *Ego ſum Deus appropians, & non de longe.* Et rurſum: *quoniam in ipſo & viuimus, & mouemur, & ſumus.* Virtus ergo Dei, quæ æquabilis, & indiſcreta eſt, officiorum, & membrorum habet nomina, vt virtus qua videt, oculi ſint: virtus qua audit, auris ſit: virtus qua efficit, manus ſit:

A vitius qua adeſt, officiorum diuerſitates virtutis huius poteſtate peragente. Deus ergo vbique eſt, & vbique adeſt, audit, & videt, & efficit. Eſt orandus à nobis, vt ſecundum precem noſtram adſit, audiat, videat, efficiat. Naturæ ſuæ eſt, vt audiat: ſed fidei noſtræ eſt vt precemur audiri. Audit conuiciantes: audit maledicentes: audit etiam intra ſecreta cordis loquentes. Sed fides officium ſuum exequitur, vt Dei auditioné toget: vt, qui per naturam ſuam audit, per orantis precem dignetur audire. Quod ſi quis fortè corporeum Deum, & conformabilē, & membris diuerſum, quia nō idem oculus, quod manus eſt, ob id eſſe exiſtimabit, quod dictum eſt: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, primū meminiſſe debet, hominum inſtitutiones naturis duabus conneсti, animæ ſcilicet, & corporis: quarum alia ſpiritalis, alia terrena eſt, & inferiorem hanc materiam in efficientiam, atque operationé naturæ illius fuiſſe potioris aptatam. Ergo quiſquis ita volet credere, vt corporalis Deus ſit, quia ad imaginem eius homo factus eſt, compoſitum eſſe Deum ſtatuet, ex potiore

B ſcilicet, inferioreq; natura: quia de talibus homo cōſtat. Quidquid autem compoſitum eſt, neceſſe eſt, non fuerit æternū: quia compoſitio debet initium, quo † comparatur, vt maneat. Sed hæc infidelitatis deliramenta ſunt, dū per cœleſtis naturæ ignorationē intra has opinionis anguſtias vino ingenij degeneris euarctatur. Deus autem ſemper, & in omnibus manens: vbicumque idem: & nunquam ipſe non totus, cum pulcherrimum opus perfecto iam mundo inchoaret, hominē ſcilicet ad imaginem ſui faciens, eūm ex humili natura, cœleſtiq; compoſuit, anima videlicet, & corpore. Ideo ſcit ſe beatus Apoſtolus Paulus per interiorem & exteriorem hominem diuidere. Per interiorē quidem hominem delectatur: per exteriorem vero, quod nō vult agit, cum interior homo ſpiritus opera deſiderat, exterior voluptates corporis concupiſcit: Ergo ad imaginē Dei homo interior effectus eſt rationabilis, mobilis, mouens, citus, incorporeus, ſubtilis, æternus: quantum in ſe eſt, ſpeciem naturæ principalis imitatur, dum tranſcurrit, dum circumuolat, & dicto citius nunc vltra Oceanum eſt,

† al. comparatur.

C nunc in cœlos euolat, nunc in abyſſis eſt, nunc Orientem, occidentemq; perluſtrat, dum nunquam, vt non ſit, aboletur. Natura quidem Dei in his omnibus eſt: neque, vt alibi adſit, decedit aliunde. Sed anima humana ſecundum hæc ad imaginem ſui facta eſt, dum naturam Dei mobilitas animæ perennis imitatur, nihil in ſe habet corporale, nihil graue, nihil caducum. Audiamus adhuc Paulum ita docentem: *Expoliantes veterem hominem cum geſtis eius, & induentes nouum, qui renouatur in cognitionem ſecundum imaginem creatoris.* Nunquid aliquid corporale induimus, cum in agnitionem renouamur? Nihil, vt opinor: induimus autem agnitionem Dei, fidem æternitatis, innocentiæ ſinceritatem, bonitatis mores: hæc enim animæ magis ſunt indumenta, quàm corporis: quæ omnia Deo propria ſunt. Hęc in agnitionem noui induimus, vt in omni miniſterio animæ noſtræ ſimus ſecundum imaginem creatoris, bonitatis, & ſanctitatis, & charitatis agnitione perfecti. Hæc propter aures Dei, ne corporalis exiſtimaretur, tractata breuibus ſunt. Et quanquam hæc ita ſe, vt dicta ſunt, habent, tamen meminimus eſſe plures ſpiritales virtutes, quibus

D Angelorū eſt nomen, vel Eccleſijs præſidentes: ſunt enim ſecundū Ioannem Aſianis Eccleſijs Angeli: ſunt & Moyſe teſtāte, ſecundum numerum Angelorum fines gentium Adæ conſtituti. Sunt & Domino docente, puſillorum Angeli quotidie Deum videntes. Sunt ſecundum Raphael ad Tobiam loquentem, Angeli aſſiſtentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Dominum offerentes. Hoc ideo commemoratum ſit, vt ſi fortè hos eſſe oculos, vel aures, manus, vel pedes Dei intelligere voluerimus, habemus Iob non improbabilis intelligentiæ auctoritatem, maxime cum ſcriptum ſit: ſunt enim efficientes ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditabunt ſalutem, Deo nihil ex his, quæ agimus ignorante, ſed infirmitate noſtra ad rogandum, & promerendum ſpiritalis intercesſionis miniſterio indigente. Deinde ſequitur: *Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Non negligenter dicti huius ratio tractanda eſt: non enim ait: Si peccata

E obſeruaueris, differt enim iniquitas à peccato. Nunquid Deus peccata non obſeruabit, & criminum memoria non erit? Certè erit, quia etiam de ocioſo verbo rationé vnuſquiſque præſtabit: & omnis in carcerem miſſus reddet nouiſſimum quadrantem. Differre autem iniquitatem, & peccatum docemur, cum dicitur, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Et rurſum, *Iniquitatem meam ego agnoui, & peccatum meum non abſcondi.* Quod ipſum Apoſtolus abſolutiſſimè diſtinxit dicens: *Qui enim iniquè peccauerunt, iniquè peribunt. qui autem per legem peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Ergo peccatum iniquitatis iam perijt: ceterum peccatum legis iudicabitur. Peccatum autem iniquitatis eſt, quicquid extra legem delinquitur, vt gentilium crimina ſunt, quæ iam cum ipſa legis ignoratione damnata ſunt. Legis autem peccata iudicanda ſunt, quia videlicet peccata ſunt. Ergo ſi Deus iniquitatum recordetur, quis ſuſtinebit furta, falſa teſtimonia, cædes, ſtupra, periuria? hæc enim crimina ſunt, quæ iniquè, id eſt extra legem Dei geruntur. Sed horum planè iam Deus non re-

F cordator, vt in ſequenti verſu propheta demōſtrat dicens: *Quia apud te propitiatio eſt*: eſt enim vnigenitus filius Dei Verbum redemptio noſtra, pax noſtra: in cuius ſanguine reconciliati Deo ſumus. Hic eſt, qui venit tollere peccata mundi, & cruci ſuæ chirographum legis affigens edictū damnationis veteris deleuit. Siue igitur ad patrem, ſiue ad filium oratio prophetæ eſſe exiſtimabitur (vnum enim ambo ſunt: & qui videt filium, videt & patrem, quia pater in filio, & filius in patre eſt, ex ſimilitudine gloriæ alter in altero glorioſus: glorioſus filius, quia dignus conſortio patris, glorioſus pater digni conſortio ſuo filij) rectè ad quem voles propheta dixiſſe credetur: *Quoniam apud te propitiatio eſt*, ſecundum ſimilitudinem gloriæ, quia in patre filius eſt, & filius ipſe pro peccatis noſtris & propitiatio, & redemptio, & deprecatio eſt iniquitatum noſtrarum, quia ipſe eorum propitiatio eſt. Scit autem propheta ingentis periculi rem eſſe iniquè, id eſt ſine lege peccare: nam per dilito eſt peccatum: peccatori autem in lege iudicium eſt, & ideo ait: *Propter legem tuam ſuſtinui te Domine.* Lex autē ſan-

G cta, & ſpiritalis eſt: & mea verba vitæ ſunt: & legis finis Chriſtus eſt. Et hoc ſequenti verſu oſtenditur, ait enim: *Suſtinuit anima mea in verbum tuum.* Corporalia quidem legis officia propheta exequitur, ſcilicet ſacrificiorum, & holocauſtomatum, & neomeniarum, & ſabbatorum: quæ omnia vmbra ſunt futurorum: ſed anima eius ſuſtinuit in verbum Dei. Propter legem ipſe ſuſtinet, ſcilicet filij Dei aduentum, qui & verbum Dei, & Deus verbum eſt, ſpiritali fide expectat. Qualiter autem expectet, demonſtrat dicens: *Sperauit anima mea in Domino à cuſtodia matutina vſque ad noctem.* Recordemur euangelicæ comparationis tenorem: & meminerimus quoſdam operarios vineæ omnem diem in labore tranſigere. A cuſtodia matutina vſque in noctem propheta ſperat: nullum tempus habet vacuum tonus diei: indefeſſus operarius eſt, ſed tandem quid erit ſpei? Non omnium vita diem ſuam in ſpe Domini exigit: Sunt enim operarij horæ tertiæ: ſunt ſextæ: ſunt nonæ: ſunt & vndecimæ: & videtur propheta, qui à cuſtodia matutina vſque in noctem ſperauit, ſpem nobis euangelicæ mercedis abſcindere. Non abſcindit pla-

H nè; ait enim: *Speret Iſrael in Domino.* Sine præfinitione temporis ſpei adhortatio eſt. Ille quidem perfectus operarius à cuſtodia matutina vſque in noctem ſperauit: ſed ad ſpem omne tempus eſt liberum, ſed mercedem non opere ſed miſericordia vndecimæ horæ operarij conſequuntur. Ita enim ait: *Speret Iſrael in Domino. quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio. Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eorum.* Bonus eſt, in quem ſperauit, & ſperandum in eo eſt, quia miſericors eſt, quia copioſa apud eum redemptio eſt, quia redimit ab iniquitatibus ſuis vniuerſos. Hora vndecima eſt, concluſa ſunt diei tempora. curramus omnes: feſtinemus, ne nox adſit: ne hora prætereat. Senes ſumus, ne nox mortis inſtat: & ad vndecimam ſaltem vitæ noſtræ horam procedamus. Beatus quidem, quia mane vſque in noctem laborans paratum denarium, tanquam debitum poſtulat. Sed quia bonus eſt Dominus, quia miſericors eſt, ſpere-

A musin eum, vt vndecimæ licet horæ operarij, diurni laboris denarium conſequamur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus in ſæcula.

SERMO PRIMVS DE PSALMO CXXX.

De Humilitate.

SApientes, vt videri volunt, Græciæ viri, præter cæteros curioſi, otioſo negotio cor ſuum vltra quàm licitum eſt, argumentis inſolentibus extulerunt. Hi, cum aſcendunt verbis in cœlum, cum Deum perſuadent hoc eſſe, quod volunt, cum aſſimulant ſe noſſe rerum naturæ ſecreta, cum ſtellis nomina, ſuis labores imponunt, cum errores ſuos ſuoarum circulo aſcribunt, cum ingenij ſui carmen colt vel maximè cupiunt, ſic ſe, & alios perdiderunt: nam mutato nomine, & cultu, quaſi promota ſit ſomnijs, illas B ſcholares calumnias, Dei vſque ad Eccleſiam tranſmiſerunt, vt in ipſa quoque, ſi inſanire cuiquam libeat, Deus illi non colendus ſit, ſed quærendus. Quod nunc faciunt infideles: de quibus ſcriptura diuina quid pronunciet, audiamus: cuius iſta ſunt verba: *Diminutæ ſunt veritates à filijs hominum. Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum: labia doloſa, in corde locuti ſunt mala. Diſperdat Deus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Qui dixerunt, linguam noſtram magnificabimus: labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt.* Hanc ſuperbiam propheta ruminandi cordis cuſtodias ſic inquit ad Dominum: *Domine non eſt exaltatum cor meum*, cum ſcriptum ſciat: *Homo videt in facie, Deus in corde*, nonne iniurioſum, vel ſuperuacaneum putabitur, Deo indicare, quod nouerit? Abſit, indicat ille, ſed nobis: quos cupit, quod facit, ac prædicat, imitari. Ergo inquit, *non eſt exaltatum cor meum*, docens optimum eſſe *ſacrificium Deo cor contribulatum.* Quapropter fratres, efferendum non eſt proſperis rebus, ſed timore Dei intra manſuetudinis metas verecundiæ freno cohibendum: vt poſſimus merito mereri, ſcriptura quod dicit, Proximus eſt Deus contribulatis corde: & hu-

C miles ſpiritu ſaluabit. Sed & Dominus ipſe nos pro promiſſo quid hortatur, accipite. *Venite, inquit, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. & inuenietis requiē animabus veſtris.* Deus noſter, fratres, humilis corde eſt: & ineffabilis eius illa ſapientiæ, ac virtutis poteſtas intra hominem ſuſceptum iacet magis admirabilior: quia tantus eſt & talis. Et homo cur inſolens cor ſuum extollit, conaturque eius comprehendere altitudinem, cuius non ſequitur humilitatem? Sequitur, ac dicit: *Neque elati ſunt oculi mei.* Oculorum peior eſt cauſa: quia exaltatio cordis ad paucos pertinet, oculorum elatio ad omnes: de quibus Ioannes diſcipulis quid prædicet, omnibus eſt in vſu. *Nolite, inquit, diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, non eſt charitas patris in eo: quoniam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi:* his enim auctoribus concipitur, his ducibus geritur, his miniſtris impletur, quicquid quotidie concupi-

D ſcentia, ambitione, auaritia ardet in ſæculo: Quare vtraque ſunt vana: quia & cordis exaltatio nullos fructus inuenit, & oculorum extollentia de alio in aliud elata, quicquid viderit, mobilitate fugaci ſtatim deperdit. Dehinc ſequitur. *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Magna eloquia Dei ſunt, ipſe mirabilis in excelſis: cum in periculis eſſet, ſi in his propheta non ambulet, quomodo bonum inſuper ſibi opus aſſignat ab illis recedendo, in quibus oportuerat ambulare? Prioribus, fratres, poſteriora reſpondent, de rebus enim loquitur ſecularibus. In magnis, & mirabilibus ſe dicit non ambulaſſe, vtique non Dei, ſed in illis, quæ magna ab hominibus hoc putantur in ſeculo. At cum addidit, *Super me*, oſtendit nunquam ſe elatum fuiſſe, cum poſſet: nulli enim facilius efferũtur, niſi quos inopinati honoris culmē extollit: Dauid quippe humilis, abiectus, ignobilis ſui iacebat in domo patris, oues ſemper paſcendo, propemodum peregrinus, innocens cum innocentibus deputatus. Hic placuit Deo. vnctus in regem, ſpiratus in vatem, non inſoleſcit in regno: obumbrat neminem prophetæ terrore: iniurias ſuas non E exequitur regia poteſtate: odientes ſe diligit: inimicis parcit: parricidalibus filijs ignoſcit: perſecutorem ſuum, & quod magis eſt, regem aliquoties à Deo in manus traditum ſibi mauult ſemper timere, quàm occidere: inuerſo gratus officio, Deo Dei munus retinendo placiturus, rex manſuetus, pater pius, propheta modeſtus: totum poteſt: à toto diſſimulat: magnis ac mirabilibus ſæculi non immutatur: mitem humilemque retinet vbique paſtorem. Poſt adiecit; *Si non humiliter ſentiebam: ſed exaltaui animam meam.* Videamus, ne fortè propheta ipſe ſe impugnet exaltando animam ſuam, qui cor ſuum ſe non exaltaſſe gloriatur. Nõ ſibi repugnat, ſed oſtendit animæ eſſe ſublimitatem, ſuperiora viciſſe: quia, qui ſe exaltauerit, humiliatur, & qui ſe humiliauerit, exaltatur. animæ enim depreſſio cor elatum eſt: cor inhibitum promotio eſt animæ. Huius rei teſtes ſunt nobis duo homines propheticum carmen ſuis acti- F bus exponentes, Phariſæus, & Publicanus, Dei ſtantes in templo. Phariſæus inſultè manus tendit in cœlum, quę cędis ſæpe, ſæpe miniſtræ ſunt rapinarum; oculos impudenter extollit, quorum lenocinio mundus in flore eſt, intonat lingua, caret quæ nunquam veneno ſerpentis, &, quod omni eſt maius inſania, Deo ſe laudat. Publicanus autem non membratim Deum: ſed totus exorat: quia timore totus eſt humilis, ſua peccata conteſtans, ſecundum Domini dictum, à quo procedunt vniuerſa genera peccatorum, pectus crebro percutiens, quodammodo cor ſuum manu verecundè caſtigat, poſtulatque tantum veniam delictorum taciturnitate, non voce. Quorum quis quid ſit conſecutus, accipite. Qui totum ſibi ipſe promiſerat, inanis: qui nihil præſumpſit, iuſtificatus de templo diſceſſit.

SERMO SECVNDVS DE PSALMO CXXX.

In quo paucis additis, quibuſdam mutatis, continentur ea quæ in primo.

BReuis pſalmus eſt, & diſtinctione magis, quàm tracta- G tu explicandus, ad humilitatem nos, & manſuetudinem docens. Et quia plurimis alijs locis nonnulla de humilitate tractauimus, tædioſum eſt eadem repetere. Certè meminiſſe debemus maximum fidei noſtræ opus eſſe humilitatem, cum hanc pro operis optimi conſcientia propheta commemoret dicens: *Domine non eſt exaltatum cor meum.* Optimum enim ſacrificium Deo cor contribulatum. Non cor ſecundis rebus efferendum eſt: ſed Dei metu intra manſuetudinis fines humilitate cohibendum. *Neque elati ſunt oculi mei*, id eſt non ex alio in aliud elati ſunt oculi mei. Eleuandi autem oculi, ſecundum dictum prophetæ, ſunt: *Eleuate, inquit, oculos veſtros, videte, quis oſtendit hæc omnia.* Et Dominus in Euangelio ait; *Eleuate oculos veſtros, & conſpicite regiones, quia albæ ſunt ad meſſem.* Eleuandi ergo ſunt oculi, ſed non rurſum in aliud eleuandi, vt ſemel in id quod elati ſunt, perſeuerent. Dehinc ſequitur: *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Neque ambulaui in eſt, ſi in modicis ambulamus, & ſi non in mirabilibus de- H moramur. Magna eloquia Dei ſunt, ipſe mirabilis in excelſis eſt. Et quomodo tanquam bonum opus de ſe propheta profert, quod in magnis, & in mirabilibus non ambulet? Sed cum addidit *ſuper me*, in his non ambulat, quæ hominum mirabilia, & magna credũtur. Dauid enim propheta, & rex erat, humilis ante, & abiectus, neq; conuiuio patris ſui dignus, ſed Deo complacuit. Vnctus in regem: aſpiratus eſt in prophetam: non inſoleſcit in regno: non odijs commouetur, perſequentem ſe amat: inimicorum mortes honorat. parricidalibus filijs parcit: Imperator contemnitur: pater læditur: propheta vexatur: vltionem, non vt pater ſumit: contumeliam, non vt imperator, exequitur. In his ergo quæ ſuper ſe magna, & mirabilia ſunt, non ambulat. Sed videamus, quę ſequuntur. *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam.* Quæ prophetæ iſta diuerſitas eſt? Non exaltat cor: exaltat animam. Non in magnis, & mirabilib. ſuper ſe ambulat, ſed non humiliter ſentit. Excelſus animo eſt, & corde ſummiſſus: humilis in ſuis, ſed non humilis in ſenſu eſt. Senſus eius in cœlo eſt:

A animæ eius eſt in excelſis. Corde autem ea quo, ſecundum Euangelium, exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemię, humilis eſt, ſuaui illo manſuetudinis iugo ſubditus eſt. Tenendus ergo humilitatis & altitudinis modus eſt, vt corde humiles, ſenſu vero & animo ſimus excelſi. Dehinc ſequitur; *Sicut ablactatus ſuper matrem ſuam, ita retribues in animam meam.* Ablactato Iſaac accepimus Abraham feciſſe cœnam, quod ablactatus iam puerili ætate proximum cibum lactis excederet. Et Apoſtolus omnes rudes fidei, & infantiles adhuc in Dei rebus ſcientiæ lacte potat. Ergo profectus maximus eſt iam lacte non indigere: ad fortiorem enim cibum tranſiſſe filium ſuum Abraham etiam conuiuij lætitia teſtatus eſt. Et Apoſtolus carnalibus & paruulis in Chriſto panem negat dicendo, *Lac vobis potum dedi, non eſcam.* Propheta itaq; orat, quia non exaltauerit cor ſuum, quia non in magnis, & mirabilibus ſuis ambulauerit, quia

B non humilia ſenſerit, ſed exaltauerit animam ſuam, vt tanquam ablactatio ſuper matrem ſuam retribuatur animæ eius, ſcilicet perfecti, & cœleſtis, & viuentis panis retributione ſit dignus, quia ſuperiora, quæ commemoraui, operaiam cibum lactis exceſſerunt. Sed neque ſibi tantum hunc viuum cæli panem precatur, ſed vniuerſos ad huius ſpem adhortatur dicens: *Speret Iſrael in Domino ex hoc nunc, & vſque in ſæculum ſæculi.* Spem noſtram nullo fine temporum claudit: in immenſum expectationis noſtræ finem tendit. In ſæculum ſæculi ſperandum eſt per ſpem præſentis ſæculi ſpem futuri ſæculi conſequendam in Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE ISAIA, SERMO I.

AVdi cælum, & percipe auribus terra, quoniam Dominus locutus eſt, Filios genui, & exaltaui, ipſi autem me ſpreuerunt. Grandem Iudaicæ gentis offenſam libri iſtius exordia proloquuntur: & iracundiam diuinæ indignationis oſtendunt, quæ alias perſonas, vt verbum Dei ab ipſis potius au-

C diatur, hortatur: non eſt enim parum criminis, vt ſemper apud ipſos diuinus ſit ſermo prolatus, nunc alteris videatur ingeſtus. Vnde reiectio Iudæorum eſt aliarum electio perſonarum, quia cum alteris, vt verbum Dei audire debeant, dicitur, Iſrael ſic reprobus inuenitur. Et dum clamat propheta; *Audi cælum, & terra;* ſignificat, quod illi audire contempſerint. *Audi* inquit, *cælum, & percipe auribus terra.* De cælo, & terra prophetam fuiſſe teſtatum quaſi de aliquare eſſe conqueſtum? Vel, cum dicitur, *Audi cælum & terra*, tanquam nunquam aut cœlum audierit, aut terra, cum iuſſui Dei & cœlum obſecundet, & terra: quia cœlum pluuias, & fruges terra non denegat? Sed quia hæc prophetia nouiſſimis erat complenda temporibus ſub Domini Saluatoris aduentum: qui non eſſet à Iudæorum populis audiendus, quod cum Apoſtoli eſſent, & homines ex gentibus audirent, ideo ait; *Audi cælum & terra.* Cœlos autem Apoſtolos eſſe claro teſtimonio veritatis affirmat: ſic enim ait: *Et videbo cælos opera digitorum tuorum.* Hic vtique non de cœlis iſtis loquitur, quos ſemper viderat, ſed de A-

D poſtolis, quos videre optabat. Et iterum: *Texit cælos virtus eius*: eo quod Apoſtolos ad mirabilia facienda Spiritus ſanctus obumbrauit, & texit. Et denuò: *Cæli*, inquit, *enarrant gloriam Dei.* Et hic vtique non iam cœlos loqui dicit, quos loquentes nullus audiuit; ſed Apoſtolos aſſeuerat, quorum prædicatione gloria Domini per tota terrarum ſpatia nuntiata eſt. Terram homines intelligendos frequens prophetarum aſſertio demonſtrauit. *Iubilate*, inquit, *omnis terra.* Et alibi; *Audi*, inquit, *terra ex ore meo*: quo vocabulo gentiles homines ſine dubio comprehendit, in quibus adhuc erant opera terrena. Hoc eſt ergo, quod ait; *Audi cælum & terra*: quod Iudæis non audientibus, Chriſtus Dominus eſſet ab Apoſtolis, & gentibus audiendus. *Filios* inquit, *genui, & exaltaui.* Hæc Domini vox eſt: quia iam tunc per prophetam Iudæos obiurgabat incredulos, & quæ eſſent futura, priuſquam fierent, admonebat. Proprium eſt enim Dei ſcire tranſacta, & noſſe ventura. *Filios* inquit, *genui, & exaltaui.* Infiniti Iudæi infidelitate ſua apud Dominum noſtrum odia meruerunt, quod iam quanta fuit de amore gratia,

tanta de eorum offenſione futura vindicta eſt: certum eſt E
enim in eum filium, poſteaquam deliquit, granditer vindicari, quem pater plurimo dilexit affectu: & quantam pietatem dilecto filio amatus pater exhibuit, tantam læſus exigit vltionem: quia cum vicem non reddidit patri dilectus filius, dignam ſententiam percipit abdicatus. cuius enim impietas paterno affectui parem gratiam non refert, quantum ſit criminis dici non poteſt, Deum patrem non dilexiſſe, cum peccatum ſit hominem non amaſſe. Vnde infœlices & miſeri ſunt Iudæi, qui Deum patrem, à quo ſunt geniti, reſpuerunt tanti immemores honoris, tantæ dignitatis ignari: quid enim beatius, quàm ſi homines Deus paterno honore dignetur attendere, & tanta illa ſublimitas humanam mediocritatem aut caram habeat, aut dilectam? *Filios* inquit, *genui.* Hoc Dominum de hominib. dixiſſe quàm dulce eſt? talem patrem læſiſſe quàm turpe? *Filios genui, & exaltaui.* Vtique filios Iſrael Dominus genuit, qui Abraham, vnde naſcerentur, elegit. Hos in Ægypto F
genuit, vbi ingreſſis paucis hominib. innumerabilis multitudo proceſſit: & ad eremum Dominus perduxit manu forti, & brachio excelſo. Exaltatus eſt Iſrael, quando per triduum tenebræ, & caligo totam Ægyptum circundedit. Exaltatus eſt Iſrael, quando tot, & tanta tormenta Ægyptiorum, ſolus ipſe nihil aut timuit, aut ſenſit. Quid illud, quod per mare mediterraneum duxit ingreſſum? Quid, quibus de cœlo quotidianum manna in eremo, & aquæ potus è ſaxo, quæ per lignum amara dulcis effecta, quam per lignum crucis amaritudine excluſa gentilitas bibiturũ eſſemus? Exaltati filij Iſrael, quando ad Iordanem ſecutus ab Horeb acceſſit. Quid quotidiana Dei colloquia? *Ipſi autem me ſpreuerunt*: ad crucem enim perduxerunt, per quam crucem euaſerunt Pharaonem. ſed iterum derelinquitur filia Sion.

DE ISAIA, SERMO II.

De Iudæis.

SIcut Iſaiæ beatiſſimi indicat carmen, Iudaico populo iraſcitur Deus: eumque, ne forte pœniteat, publica obiurgatione confutat. Humana ſententia nũdinari deterius G
eſt, quàm puniri. Deniq; filios vocat, vt abdicatio timeatur: exaltatos, vt ruina terrori ſit: Spretores, vt pœnam ſupplicij ſibimet impendere cognoſcant. Quod exemplum fratres, fortiter fugite: ſimulq; gaudete, quod alienis plagis Dei didiſcitis diſciplinam, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

DE ISAIA, SERMO III.

De Iudæis, idem ferè cum ſuperiore.

VEhemens commotio eſt, fratres, cum is de iniuria ſua queritur, qui ſe poteſt facillimè vindicare. Sed quia apud ſapientes, & honeſtos grauius eſt aliqua nota confundi, quàm mori, Deus Iudaicum populum luxuriæ æſtu exuberante corruptum publica increpatione confutat: cælum terramq; teſtes citat, vt exaggeret crimen: filios appellat, vt abdicatio: exaltatos, vt ruina timeatur: ſpretores ſui, vt impios monſtret. Infœlix culpa eſt fratres, in qua H
lotum qualiſcumque non inuenit excuſatio. Deteſtabilis certè filius, quem pater pius, quem pater damnat inuitus.

DE ISAIA, SERMO IV.

De Iudæis.

HVMANVS circa impietatem Iudaici populi deficit ſermo: qui Dei patientiam ſui obſtinati cordis impatientia ſuperauit: non enim leue crimen eſt, cum de eo ille queritur, qui mox eum poterat & punire. Sed quia mors apud incredulos futurorum putatur pœnæ compendium, ac penè pro infecto habetur, quod non diffamatur: cenſuit eos cœlo & terra teſtibus denotare, vt inexcuſati facinoris competenti iudicio ſubiacerent.

Denique

A Deniqoe res impleta eſt Domini paſſione, cœlum in medio die perdidit diem: terra tremore nimio firmitaté. Hinc æſtimare licet, quid eis ſit reſeruatum, quorum in cauſa funerei luctuſq; pœnæ pertulit natura ſupplicium.

DE ISAIA, SERMO V.

De Iudæis.

IVdaicum popolum vniuerſum ſalutis ſuæ omiſiſſe præſidium, diuini carminis textus oſtendit, in quo eum non ſæueritas apud omnes condemnat, fratres venerandi, ſed pietas: neq; enim poteſt de quoquam bene mereri, quem pater patientiſſimus, & clementiſſimos abdicauerit, & quidem non accuſatione, ſed probatione conuictum. Deniquc iniuriæ ſuæ teſtes citat cœlum terramque. Terram, in qua vniuerſa geruntur: Cœlum, ſub quo geruntur, filios appellat, vt exaggeret crimen: exaltatos, vt in-
B gratos oſtendat. Bouem illis, aſinumque præponit, vt grauius poſſint, ſi reſipiſcant, comparatione torqueri, quám pœna.

DE ISAIA.

SERMO VI.

QVantum ſonus lectionis indicat, fratres, Iudaicus quidem populus impietatis arguitur, ſed Chriſtianus, ne talis euadat, pariter commonetur. Denique; vt ille plus timeat, ille terretur: ille vapulat, vt iſte proficiat. Cõpẽdioſum fœlicitatis genus alterius periculo diſcere, quid debeas deuitare. Vnde, fratres, in tali re nõ loquela eſt exhibenda, ſed cura. Quam paucis accipite. Irant Dei generaliter comminantis qui vult effugere, debet illi inculpatè ſeruire. Memoratæ vineæ diſputatio, fratres dilectiſſimi
C longè latéque diffuſos limites habet: quos peragrare competenti ſermone vigentium ſacramentorum non ſinit põdus. Veruntamen, ne in toto ſolennitas ceſſet, paucis eius deguſtare ſermonem. Vinea Dei quidem prior ſynagoga fuit, ſyluoſis errantiom palmitum crinibus velis: quæ cum per voluptoοſa, ac profana loca laſciua paſſim ſe fronde diffundit, generauit pro fructibus ſpinas, pro vua labruſcam. Cuius rei indignitate commotus Dominus, illa deſerta, aliam ſibi, id eſt, Eccleſiam matrem ſua pro voluntate plantauit: quam ſacerdotalibus officijs excolens, piaque potatione fœcundans, fœlici ligno ſuſpenſam vberrimam docuit afferre vindemiam. Inde eſt, quod hodie veſtin de oomero nouellæ vites ad iugum perductæ, ſcaturientis muſti dulci fluctu feruentes vinariam Dominicam cellam communi gaudio repleuerunt. Quod vt vobis quoque ſide veſtra adoleſcente contingat, præſtabit Deus pater omnipotens, per Dominum Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus cum Spiritu ſancto in ſecula ſæculorum.

Sermo de martyrio Iſaia Propheta.

D ISaias com Chriſtum prædiceret, vel cum futuræ damnationis elogium Iſraelitico populo nuntiaſſet, atroci feritate blaſphemantium commota barbaries ſectum à capite duabus eum violento ſupplicio quaſi offulis biſſidauit: iuſſitque à capite per aures vſque ad ſcapulas ſecari ceruicem, quaſi parum fuerit, ſi immanitate lymphatica martyrem Dei acuto enſe transfoderet, aut ipſa latorna inſontis viri per iugerum fidiculæ ſenicoris per coſtas ſtridente ictu ſulcaret, niſi in vnum corpus duas offulas gemini penè cadaueris ſciſſæ carnis topiaria truculentus appareret, & duas de æqualitate iuncturæ quaſi formulas exſecaret. Sed in tanto cœleſtis palæſtrę miraculo nullu (vt arbitror) ſpectaculo reſultanti, ita videre eum poterit, niſi geſta numerare perteſeret: Idcirco ſolicitis vſibus veteris diſciplinæ nouam de paſſionibus celebritatem aduertite: qualiſque illic fuerit martyrij oobilitas: quàm præclara: quàm fortis. Cum in capite, hoc eſt collectæ ſenſualitatis vmbilico ſerra viam faceret, & ſtridore reciproco ſulcos deorum duceret, labebatur (credo) lamina, dum dentes in-

E figit: & per meſſem capillamenti, craſſumque tegminis velamentum, vel calloſæ glutinum cutis Hebræas capitis literas textum verticis meſſit. Mox ſe vt ad cubile cordis concinamenti niſu ſectos ſolicitos defixiſſet, fontis fluenta purpureis laxatis venarum lapſibus, ne venas vermiculatim pollice profanos intenderet, croceus ſe affatim imber infudit: vt tecta gurgite ſanguinis venarum pictura non tremeret, neque miraretur, quale eſſet illud, vnde victus erubeſcere cogeretur. Patuerunt quippe internorum viſcerum caſtidici iuuenis laqueata commercia, ſonus buccinæ ferientis, profunda vitiatas, & ſicca ieiunia voluptatum. Sed Belial filius Ezechiæ, vir cruentus & prodigus genealogiæ, mathematicus, caraboliсorum, fatidicorum, & pythonicorum antiſtes, intra loricam ſacri pectoris fidei comitium, prædicationis politicæ literarum curiam requirebat. Et licet iam eſſet membratim corporis diuiſa poſſeſſio, interna proderet, abdita reuelaret, obſcura porrigeret, & quale eſſet illud, vnde victus e-
F rubeſcere cogeretur, vt perſecutor infamis hominem Dei dentibus diſcerperet alienis, Propheta tamen egregius, & illuſtris inter ſolupinatos ſectores, & pendulos tamdiu immobili inconcuſſi corporis perdorauit ſtatu, quamdiu duo eſſe inciperent, qui figuras gentium cum ſuo perſecutore damnarent.

DE DANIELE, SERMO I.

De tribus pueris.

MArtyrij quodammodo pars eſt, fratres dilectiſſimi, martyres non horruiſſe ſupplicium: quantom etenim multiformis crudelitatis lugubris contemplatio retrahit à corona, tantom generoſa ac perfecta fides, quique illi fuerit cruciatus, ſua complicat vota. Denique tres pueri in illo ſacro certamine præ oculis Deum ſibi propoſuere, non flammas: præmium futurum, non pœnam. Sicque
G inter tetros vodantis incendij globos triumphantes barbarum regem, minas omnes, ipſum quoq; ſupplicium docuerunt, ignes ſanctis hominibus non eſſe fortiores, per Dominum Ieſum, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum.

DE DANIELE, SERMO II.

De tribus pueris.

TRiom puerorum martyriũ qui credit meritus, poteſt etiam ipſe adipiſci martyrium: tanta enim vis certaminis fuit, vt eam ipſe quoq; ignis horruerit: nam à barbaro rege omnia crudelitate tribus pueris conſulente fornacis vltra, quàm ſolet, ſeptenario pabulo ignis armatus eſt. Credo diuina prouidentia ſacramento Trinitatis ſpiritalem quoq; numerum conuenire. Deniq; nec irrorati camini eis baptiſmatis defuit gratia. O admirabile incendiũ. O verè ſpectaculum Deo dignum. Qui audiunt, timent:
H qui incenderant, ardent: qui incenſi ſunt, ſanctificati & incolumes de camino procedunt: per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

DE DANIELE, SERMO III.

De tribus pueris.

INgens ſupplicium aliquotiens ingentior proſequitur gloria, maximè diuinis in rebus: in quibus fœlices obnixa deuotione ſuam religionem cuſtodiunt potius, quàm ſalutem. Igitur cum audio tres pueros incenſos, prius vehementer horreſco, mox deinde eorum particeps optauerim fieri, cum cognoſco inter flammas rorulentos hymnum Deo cecinisse ſecuros: tanta eſt enim fides virtus tantaque poteſtas, vt cultoribus ſuis etiam ipſa elementa contra ſuam naturam famulari compellat. Vnde fratres, atrociſſimæ rei non vos terreat contemplatio: non enim vlla eſt metuenda iam pœna, cum incenſorum ſuperſtes inſultet ignibus vita.

A

DE DANIELE, SERMO IV.

De tribus pueris.

MIrum fratres chariſſimi, ac delectabile certamen Dei hiſtoria ſacra prodidit nobis ignis, ac fidei: etenim duo diſcordantia deuotione Dominica in vnam cócordiam conuenere: namque tribus in pueris fides puniri non timuit: immiſſis camino ignis exæſtuans detulit, vt eos vnius virtutis eſſe perſenſit. Denique arſit incendium incendentibus, non incenſis. O admirabilis ratio. O inæſtimabilis gratia Dei. Sacramento Trinitatis tàm potentis elementi ſubacta natura eſt. Qui putabantur incendio extingui, emicant beatiores incenſi.

DE DANIELE, SERMO V.

B

De tribus pueris.

CRedulo percipe corde rem miram Chriſtiane, omniúque virtutum exemplo famigerabilem. Hebræi vere tres pueri, ſenum conſtantia maiores, iuuenum virtute fortiores, ſibi pares, Trinitatis ſacramento præmuniti, vnitatis vna fide ſolidi, æqualitate pares, paſſionis victoria glorioſi. Hos barbarus rex, quod eius ſtatuam adorare contempſerunt, incendi præcepit. Qui vbi iactati ſunt in fornacem ignis ardentis, hos deuotè cupidus ignis excepit, lambunt roſcidos flammæ blandientes. Mira res, opacitas intus: incendium foris eſt, intus hymnus canitur: foris vlulatus auditur. O magna potentia Dei. Incenſores incendio concremati ſunt: &, qui incenſi ſunt, incendio ſuo ſuperſtites triumphantes de camino procedunt, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto.

DE DANIELE, SERMO VI.

De tribus pueris.

C

EXulta Chriſtiane, & Deum fortiter time, diaboli ſi vis incendia non timere. Ecce pueri ſacramento muniti tres numero, ſed vna virtute, anhelantibus flammis, camino rugiente non læduntur, incenſi hymnum canunt, barbarum regem fidei tenacitate confundunt. Vindicantur de incenſoribus ſuis, Deum vident: mors tranſit in vitam: metus in gloriam. Sic quis non optet ardere?

DE DANIELE, SERMO VII.

De tribus pueris.

TRes Hebræi venerabiles, numeri ſacramento muniti, ætate teneri, ſed fidei ſoliditate robuſti, ſupplicio ſuffragante glorioſi, amore diuinæ religionis regis adorare imaginem contempſerunt, vtpotè qui ipſum contempſerunt regem: qui ita ſufflatus ſolito ſepties amplius caminum iuſſit incendi: ac ne quid immanitati ſæuientis deeſſe

D

videretur, pice, & ſtupa armatum citatur incendium: æſtuantibus globis rubeſcit quoque ipſum alienis ignibus cœlum. Illò præcipitantur inſontes: ibidemque, propter quem præcipitantur, inueniunt. Denique excipiuntur non flamma, ſed rore Dei, dignitate, non pœna. O fœlix ſupplicium, quod incolumitate ſuperante immortalitas proſequitur, & corona.

DE DANIELE, SERMO VIII.

De tribus pueris.

EVigila Chriſtiane, omnique ſecularis ſomni torpore diſcuſſo, apertis auribus cordis à pueris diſce virtuté. Sed vide, ne æſtimes falſum, quod eis ceſſit incendium. Veritatem ratio proteſtatur. Qui nunc in ſe credentes baptizat Spiritu ſancto, & igni; ipſe tunc quoque numero ſuæ affuit Trinitatis. Denique rem ſacramento geſtam eſſe cognoſce. In caminum miſſi vt ſubmerſi ſunt flammis, ſtatim inuiſibili rore incendia temperantur: mors re-

E

fugiens mutat officium: incenſores cremantur: innocenſis hymnum canentibus flamma blanditur: Deus à creatura benedicitur vniuerſa. In tribus vna mens, vna virtus, vnus triumphus exultat. Melioratur vita ſupplicio. Rex non inuiderat pueris, ſi non eos præcepiſſet ardere.

DE DANIELE, SERMO IX.

De Suſanna.

QVotieſcumque in hoc peruerſo ſæculo contra laudabiles viros multiformes tenduntur inſidiæ, & diuerſis calumniarum generibus factioſæ emerſerint cauſæ, quid homo peſtilens excogitet, vel quid diabolus machinetur, non metuat iuſtus: quia cum illo eſt Deus. Inde Su-

F

ſanna illuſtris Hebræa veræ decus pudicitiæ docuit fœminas ſuæ caſtitatis exemplo. Stabat Suſanna in iudicio perditorum falſorum teſtium oppreſſa mendacijs, conſcientiæ tamen bonis contenta ſecretis, non tam rea ſuſceptura ſententiam, quàm dicata Deo pro caſtitate fortiter moritura: & quam iudicantium ſententia praua deiecerat, illuſtris conſcientiæ integritas erigebat. Sufficit ergo pudicitiæ conſcientia: teſtis eſt Deus. Non reſpexit caſtitas, quid falſi dicerent teſtes, aut qualiter iudices circumuentis damnarent: non denique qualiter diabolus infamaret, qui non potuit pudoris fundamenta ſubuertere. Ibat ad ſupplicium non adulterum corpus, in quo extrema libido ſenilis exarſerat, ſed quod infamauerat diabolus, & quod protexerat virtus, & ornabat pudor illæſus. Tunc in puero ſancto Daniele Spiritus ſanctus ingreſſus ait, cum illa ad ſupplicium duceretur: Reuertimini ad iudicium: falſum enim iſti conteſtati ſunt de ea. Stupet populus, quod à ſupplicio ad iudicium repetendum reuocaretur addicta. Falſos teſtes pauor inuadit, tremuit diabolus, quod ipſius commenta nudentur. Gaudent Angeli, quod oppreſſa veritas tandem defendatur in terris; Triumphat maritus,

G

quod caſtam inuenerit coniugem. Lætatur familia omnis, quod in ea nihil inueniat fama quod ferat. Cruciatur diabolus, quod nulla ex parte ſuam perfecerit voluntatem: nec adulterium enim, quod factum diffamabat, exercuit: nec homicidium, quod procurabat inuenit.

Sermo de Iona.

HVmanæ deuotionis religioſa confeſſio eſt, de Deo hoc noſſe, quòd licitum eſt: ſicut enim in ſimplici corde ſcrutanda ſunt teſtimonia eius, ita curioſitate non ſunt inquirenda ſecreta. Quis enim cauſas, naturaſque cœli huius & ſuperiorum ſciat? Quis corpoream aeris huius, vt quidam putant, inanitatem ſe diſſerere poſſe mentiatur? Quis terram aqua portari, an aquam terræ gremio contineri ſe noſſe præſumat? Quis ſpiritus aerios: quis figuras ventorum: quis inter marinos æſtus fluminum augmenta: quis denique opificium Domini, Dei-

H

que conſilium ſe deprehendiſſe gloriabitur? cum Apoſtolus dicat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inenarrabilia ſunt iudicia eius, & quam inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini?* Non enim in horum inquiſitione exæſtuans propheta dicit, *De profundis clamaui ad te Domine*: clamat namque de profundis, id eſt de imis præcordijs: clamat de profundis, ſed quibus ſeptus erat mœſtus, ac triſtis, calamitatibus humanis: & clamat non voce, ſed corde: non clamore, ſed fide, quam ſcit Deum libenter audire. Hoc igitur è profundo clamans ſimiliter Petrus impetrauit à Domino, vt profundi maris lubricos ſinus, inſubditaq; humanis greſſibus liquidi æquoris terga, quibus viator trepidus abſorbebatur, & perambularet pariter, & euaderet, Clamat de profundis & Paulus obrutus calamitatibus beatis, cum pro nomine Domini latrones in itineribus, latrones in ciuitatibus patitur: cùm à Iudæis virgis ter cæſus naufragio trino diluitur: cum inſani populi furibunda

tempe-

A tempeſtate lapideis imbribus fœ[illegible]ter grandinatur: cum in profundo maris die demoratus, ac nocte ad Deum clamans incolumis inde reſpuitur. Ionas adæque propheta ad Niniuitas miſſus à Deo eſt, eorum vt imminere ciuitati interitum nunciaret: ingentib. enim peccatorum ſarcinis premebantur. At ille alio deflexus itinere nauem Tharſos petiturus aſcendit, cum ſubitò compugnantium ventorũ flatu violento laceſſitum fremit mare: ſolicitique gurgitis præruptorum mõtium cautis voluminibus repugnantium litorum ſpumantia ora contundens minatur per momẽta naufragium: procellæ crebreſcentes inſaniunt: horrendum ſibilant funes: gemunt cedentibus velis antennæ: retunſa vndiq; iter non inuenit prora. Trepidant nautæ: feſtinant incaſſum iactura vaſorum nauem leuare ponderibus, quæ prophetæ pondere premebatur. Tum Ionas, quẽ ſolum * expetebat bona illa tempeſtas, ſorte ductus naufragus redditur, imò à ligneo ad nauigium vitale transfertur. qui, vt eſt demiſſus in altum, ſeuinæq; voraginis eſt re-
B ceptus hoſpitio, vigilat in ceto, qui ſtertebat in naui. Mira res! pòſt naufragium, poſt na[illegible]ile ſepulchrum incolumis tertio poſt die Niniuitas illuſtrat, terribilibus oraculis ſalutem ciuitati credulæ præſtiturus. Quantum datur intelligi, fratres, nauis typus eſt ſynagogæ: cuius proretam ſacerdotale corpus accipimus: nautas Scribas, & Phariſæos: iacturam vaſorum repudiationem Prophetarum, omniũque Sãctorum, quos ſynagoga pulſos Iudæi in damna ſalutis ſuæ indignis cædibus mactauerunt. Venti ſæuientes diuerſi ſunt reges: qui Iudęam lugubri clangore tubarum, armorumq; fragore terribili inſtantibus vndique præliorum procellis miſerabiliter per totum orbem diſpergere terrarum. Ionas in naui dormiens ſacramenti Dominici imaginem præferebat: etenim ſignificabat nauis materia crucẽ: ſomnus verò paſſionem. Mare autem mundus eſt iſte tumidus, fluctus eius Iudæorum populos, & gentes accipimus, quia aduerſus Deum inaniter fremuerunt. ſors Ionã præcipitandum prodidit: prophetia paſſurum Dominum
C prædicauit, vtroſq; volentes, illum conditione, Dominum pietate. Certum eſſe non dubitatur infernum; ſicut enim Ionas tribus diebus, & tribus noctibus fuit in ventre ceti, euomituſq; Niniue ſe intulit ciuitati, ita Dominus poſtridie ab inferno reſurgẽs ſe ciuitati Ieruſalem intulit ante quàm cœlo. At verò Niniue imaginem portat Eccleſiæ: in qua gentium iam inde noſter populus morabatur: quæ non incaſſum à Deo magna ciuitas dicta eſt: erat enim futurum, vt omnium nationum in Chriſto credentibus populis totius orbis Deo vna ciuitas redderetur. Deniq; comparationem ſalutaria geſta confirmant, quæ & in nobis manent. Vt eſt fratres, Niniuitis nunciatus interitus, credunt, & timent, & quantò ſciunt Dominum non eſſe inodacẽ, tantò propenſius eius de pietate præſumunt: ſtatimque actus veteris vitæ damnantes pro ſalute redimenda non ſolito more ad ſtupida ſimulachra concurrunt, non aris fœtentibus funeſtos excitant ignes, non thura cremant, non merum profundunt, nec pecudum inexpectata morte rapti iecoris ſpirantis conſulunt fibras, nec per varios auium volatus coniecturis inanibus ſtatim plumeæ ſalutis inquirũt,
D ſed à ſuo corde remedium ſalutare depoſcunt, ſpiritumq; ſuum tota humilitate contribulatum ambitiosè lætificãt. Sicq; legitimè celebrata pœnitentia Deum ſibi propitium reddiderunt. Quod & nos fecimus, & facere plerumq; debemus, vt & præſentis temporis tentationes, & futuri iudicij euadere mereamur per Chriſtum Dominum noſtrum.

SERMO DE EVANGELIO SEcundum Lucam.

De duplici tentationum ſpecie.

DVplex eſt tentationum ſpecies: aut enim tribulatio cor vexat humanum: & ſicut aurum in camino, per patientiam probatur vnuſquiſque, & agnoſcitur: aut interdum e[illegible] ipſa vitæ proſperitas ad tentationem cedit hominibu[illegible] inius namque eiuſdemque ignauiæ eſt in aduerſis humilem ac miſerabilem fieri, in proſperis inſolenter eſſe [illegible]. Exemplum ſanè, quod non debemus animo deijci in aduerſis, habemus magnificum, Iob inclinari in triſtibus penitus neſcientem: qui omnem diaboli violentiam, velut torrentis cuiuſdam aduerſum ſe turbinem venientem immobili corde, & inconcuſſa mentis viuacitate ſuſcipiens, tantò clarior ex tentationibus factus
E eſt, quantò difficiliora, & periculoſiora ei ſunt ab inimico intentata certamina. Exempla verò eorum, qui per ſecundos vitæ ſucceſſus, proſperitateſque tentantur, multa quidem habemus & alia: non minus tamen & eius, qui nunc de Euangelio recitatus eſt, diuitis: qui alias quidem reconditas premebat diuitias, alias vana ſpe inaniter præſumebat, dum benignitas Dei auiditatis eius intemperantiam non ſtatim ab initio nec continuo, vt pullulare cœperat, punit, quinimo & reconditas diuitias nouis nihilominus, & aduenitijs diuitijs cumulat, ſi fortè eum aliquando nimietate ipſa ſatiatum ad ſenſum, & intelligentiam humanitatis adduceret, † animamque eius per abundantiæ nimietatem ſuaderet aliquid de indigentibus † al animum
F cogitare. Sed videamus, quid de eo dicit ſermo diuinus. *Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat apud ſemetipſum, Quid faciam? Deſtruam horrea mea: & maiora ædificabo.* Dicis fortaſſe: Cur ager hominis, boni nihil operaturi vberes fructus attulit? Vt magis, magiſq; Dei patientia noſceretur, dum ad huiuſcemodi homines beneficia ſuæ benignitatis extendit: pluit enim ſuper iuſtos & iniuſtos: & ſolem ſuum oriri iubet ſuper bonos & malos. Verum talis iſta benignitas Dei ſicut per nimiam patientiam facultatem conuerſionis & emendationis indulget, ita maiora, & grauiora ſupplicia coaceruat, & concectat ingratis. Largitus ergo eſt Deus imbres vberes agris hominis auari: ſolem præſtitit ad nutriendas ſegetes, multiplicandaſq; fruges, vt aceruos diuitis augeret in omnibus moderata temperies. Igitur, quæ à Deo præbentur etiam ingratis, iſta ſunt: Terræ fœcunditas, aeris temperies, fructuum lætitia, boum ſubſidia, & omnia quibus anni prouentus ſecundis ſucceſſibus adimplentur. Quæ vero ab homine
G procedunt, qualia quæſo, ſint, videamus: Anguſtus animus, & parum putans omne quod naſcitur, cuius abundantiæ deeſſe aliquid computans: tum deinde inhumanũ propoſitum impartiendi cuiquam cauſam nullam idoneam putat. Vides beneficijs diuinis diues quàm ingratus exiſtit. Communis hominum naturæ non meminit: æquum non putat ſaltem ex ſuperfluis ſuis aliquid egentibus impertiri, mandati immemor: Nuſquam non ceſſes benefacere indigenti. Scriptum non legit, nec recordatur præceptum eſſe, vt fides & miſericordia non deſerant te, &; *Confrange eſurienti panem tuum*, & quæcumque vel à prophetis, vel a cæteris doctoribus hodie prædicantur, diues non audit, nec videt, nec intelligit: ſed horrea quidem diruit, & maiora reædificat, vt fructibus largioribus repleat: auari tamen diuitis cor & propoſitum non repletur: ſemper enim ſtudet cumulare noua veteribus, & augmentis præſentium ſuperare præterita: & dum cumulis ſemper creſcentibus † ſolitos cupit vincere † al. ſolumos.
numeros aceruorum, ad iſtos inextricabiles cogitationum exitus deuolutus eſt, vt nec veteribus cederet, nec
H ſufficeret nouellis. Propterea ergo cauſa quidem cogitationis eius, ſolicitudo inutilis, & inanis. Quid inquit, faciam? Quis non talem miſeretur? Quis non infœlicitatem eius doleat? anguſtiatur ex abundantia: conſtringitur, & coarctatur ex opulentia, infœlix in præſentibus bonis, infœlicior in futuris. Et, vt video, ager ei non iam reditus largiores, quàm gemitus attulit grauiores. Terra ei non fructuum copiam, ſed cruciatuũ moleſtiam † al germinauit.
geminauit, ita vt curis ac mœroribus ſtimulatus, egentibus, & eſurientibus ſimiles perferat cruciatus. Deni que & egeni vox iſta eſt: Quid faciam? vnde cibus? vnde veſtitus? eadem conqueritur & diues; Quid faciam? vbi recondam? iiſdem cruciatibus pro ſolicitudine facultatum, quibus pauper pro egeſtate torquetur. Vides diuitem nec opimis copijs poſſe lætari: ſed mentem eius abſorbet, ac ſolum affluentia, dum nullo intellectu humanitatis ſentire poteſt, id ſibi abundare, quod alijs deeſt: non enim apoſtolicis commonitionibus accommodat autem ſuam,

vt diſcat

vt diſcat ab eo abundantiæ ſuæ rationem, cum dicit, Vt
A veſtra abundantia fiat, id eſt proficiat ad aliorum inopiam.
Et quidem mihi videtur talis hæc paſſin animæ ſimilis eſſe
his, qui tantum gulæ indulgent, vt diſrumpi magis nimio
cibo eligant, quàm alicui indulgere reliquias. Sed recor-
dare ô homo, quis eſt, qui largitus eſt tibi teipſum? Quis ſis
in memoriam reuoca. Seruus es Dei: & diſpenſatio tibi
† al dominicæ. commiſſa eſt † domeſticæ facultatis. Recordare ergo,
quis eſt, qui tibi iniunxit officium diſpenſandi ſuper fami-
liam ſuam. Quid eſt, quod multis prælatus es? Non eſt v-
tique ſine cauſa; quod tibi à bono, & iuſto Deo officium
tribuitur largiendi, alijs neceſſitas imponitur indigendi.
Diſpenſatorem te igitur conſeruorum tuorum ex † do-
† al dominicis. meſticis facultatibus te eſſe cognoſce. Nec æſtimes, quod
omnia ventri, & delitijs tuis terra producat. Quæ in mani-
bus habes, commiſſa tibi magis, quàm conceſſa cognoſce.
Parum tempore aliquantulum ſuper his lætaris, & abuti eis
voluptuoſius delectaris: Cum verò hæc pariter cum vita
B noſtra defluxerint, rationem diſpenſationis noſtræ euoca-
mur Domino reddituri. Hic mihi te paulisper indulge,
quiſquis es, qui diuitiarum diſpenſationem in hoc mun-
do ſortitus es: & te in illo terribili Dei iudicio tribunali ad-
ſtantem paululum quid vacans, ſi tamen vacare potes à
diuitiarum ſolicitudinibus, intuere. Cum interrogari cœ-
peris, commiſſas tibi opes cum quibus egentibus diuiſiſti?
quibus neceſſitatem patientibus ſubueniſti? quos de
carceribus, de vinculis, de gladio profuſa pecunia libera-
ſti? quibus pupillis pater, cui viduæ vir caſtis prouiſionibus
extitiſti? pecunia mea fructus mei quid apud te operis, quid
vtilitatis habuerunt? Tu ad hæc ſine dubio reſpondebis:
Omnia ſimul repoſita, ac recondita clauſtris validiſſimis,
& ſignaculis tutiſſimis communiui, nulli quicquam tribui:
quinimò & ad cuſtodienda ea vigilias addidi: meas curas
impendi: ſolicitudines tribui. Sed ſtulto conſiliario vſus es
temetipſo: deliberans enim ais; Quid faciam? Conſequens
vtiq; erat te de talibus deliberantem dicere, Aperiam hor-
C rea mea, & replebo eſurientes animas pauperum. Patefa-
ciam, quę recondita ſunt: & inuitabo indigentes ac releua-
bo afflictos. Imitabor beatum Ioſeph: & humanitatis vo-
ce proclamabo; Si quis indiget panibus veniat ad me, vt
gratiam, quam Dominus indulgenti liberalitate largitus
eſt, communem cum omnibus faciam. Velut ex commu-
nibus ergo fontibus hauriat vnuſquiſq;, quod ſufficit. Sed
tu nihil tale non ſolum proloqueris, verum nec cogitas
quidem: quinimò communia omnibus hominibus diuina
munadis beneficia: tuam verò ipſius animam malignis con-
ſilijs crucias, & affligis.

SERMO DE EVANGELIO SECVN-
dum Ioannem.

De Lazaro ſuſcitato.

GRandi fratres ſtupore, grandique miraculo per am-
biguas curas hinc inde in cócauo vertiginis ſtuo pen-
D nis fluctibus torqueor. Lazarus mortuus eſt. Deo hic fa-
miliaris, teſte Euangelio apud Ioannem, cum quadrage-
nariæ voluntatis geſta carnis detrimenta penſaſſet: nam
ſub occaſu iam propero, quod terrenis artubus debeba-
tur, hoc eſt ipſi humo magis, quàm homini, vt nobis ipſis
iuxta librum Geneſis optimus Iuſtitquor in cauſa eſt, lon-
gè alibi Chriſto cenſore, dũ Iudææ finib. ſalutaria frænare-
tur, ſepultus eſt, & humatus: hoc eſt, vt inciperet eſſe, quod
fuerat, lutum ſcilicet, dum deſinit eſſe, quod erat, forma
vel fabula. Hic quippe per graues tenebrarum globos, &
nigri horroris vmbracula, hoc eſt per quatuor dierum cir-
culos, ſuccidua incrementi, & decrementi viciſſitudine re-
naſcentes, octo (vt ita dixerim) cum cærulis noctibus dies
pendulo mandibularum rictu, eluſis in ore dentibus, fœti-
to ore ſic iacuit. Verè quia de terrena labe confectus, pu-
tris gleba marceſceret: & neruorum traduces cum corporis
qualitate miſerabili tabo infœlia ſepultura damnaret. Cõ-
tractis igitur membris interiacunas, & numerabiles coſtas
pellis terra diſtẽditur: & humoris riuus, qui de gurgite vi-
ſcerũ relaxatur, fœtẽti iam ſentina per ſolum cadaueris te-
ter, & cæruleus labebatur. Heu quando non poterat cada-
E uer quatuor diebus, & quatuor noctibus per totum oris,
fellis, & phlegmatis flumina ſentinarum, corruptis artubus
fœtentia pulmonis ſpiramenta conflare? cum ipſa etiam
roſa pudoris, & venuſtatis fragranti ſolio in ſuo ſibimet pa-
rato balſamo (vt ita dixerim) pretioſior, contra ſi fuerit de
roſario falce pollicis vellicata, marcenti morte triſtis albe-
ſcat, ita vt colore floris careat, & odore? Aqua ipſa, ſi de flu-
mine rapta ſit, in quo viuit, perit, natura dum deſinit eſſe,
quod vixit. Mox ergo, quia elementi ſui dum rapitur, ſub-
ſtãtia caret, vbicumq; iacuerit, limum liquor abducit: mox
& fœtore ſordeſcit. Nemo ergo mirari debeat, ſi hominis
quem ſpiritus ſapientiæ ſale conditum redolenti aura ſer-
uauerat, & ex cœli ſuauitate anima viuacitate nectarea, &
balſami generoſitate melliflua rexerat, ne fieret diuortio
recedentis ſpiritus lutea moles, & pigra gleboſitas, caduca
linea defunctorum repugnantibus fabricæ qualitatibus
corpus omne ad fœtoris maculam ſui de putredine rela-
xetur. Inde eſt, quod per diſtantiam rerum in vnam glome-
F rationem compacta omnis membrorum natura torpeſcit.
Recedente igitur anima, quæ corporis floriarum recole-
bat, tota materies liuenti gena in putredinem relaxatur: &
pro voce cadaueris nigri fellis reter mortui fœtor hauritur.
Terra igitur, humore, frigore, & calore compoſita corporis
fabrica, quæ quatuor partes ſemper ſibimet repugnantes
corpus criminum in procella ſubuertunt (calor frigus non
amat: & frigus calore torquetur: contraria contrarijs man-
cipantur: terra nimio humore vinatur: & humor de terra
ſordeſcit) his quadriformibus elementis in vnum quadri-
partita mole conſtantibus, diſſociato per diuortium mor-
tis auriga, qui quatuor iſtis partibus loca dederat, ne quiſ-
quam nobilitatem ſui vehementius tolleret; & dominan-
te flagro dimiſſis in vnum concordante iunctura finibus a-
gitabat, hæ (inquam,) quatuor partes, recedente anima, in
globum corporis viduati, excuſſo ſocietatis auctore, mi-
G ſcentur. Sed quia iſtum iuuenem (Lazarum loquor) Do-
minus in ſæculo dilexerat, præſcius futurorum Apoſtolis
ſuis dormiſſe Lazarum dixit, quem promiſit, ſi ad illam ci-
uitatem accederet, protinus excitandum. Hunc ergo La-
zarum, cui liuenti errante connixu per cærulas venas mẽ-
bra tabuerant, quem loculatum in ſpecu inciſæ rupis, im-
mani obiectus ex pondere lapis perenni valua grauis libra
detruſerat, reſurgere poſſe, ſi iſta crederent, ſacratiſſima ve-
ra Dei pietas intonabat. Mox ſorores conſtipatæ turba, e-
iulatu, æſtu, ieiunijs, lachrymarum vbertatib. ebriatæ, Dei
genibus ſtratu totius corporis miſerandæ iactantur: & He-
bræas voces fractis in vnum ſingultibus mixtas ſaluatoris
in laudibus capiabant. Quantus illic, rogo vos, populi fe-
ſtinatus? Quæ ſpectantium turba? Qualis tanti miraculi
potuit eſſe concentus, vbi eſſent plangentes puellæ, mor-
tuus frater, & Chriſtus hominem promitteret excitandũ?
Conuenerunt (credo) ad hoc ſpectaculum ſeruandæ me-
moriæ ſempiternum milites, Iudęi, Gentiles, Proſelyti, cla-
riſſimi ſenatores, nobiles iudices, ſerui, & omnis penè ci-
H uitas certatim occurrit, vt viderent, an reſurgere poſſit La-
zarus, cuius fœtor iam longius de ſepulchro populos ferie-
bat. Quo viſo, tota ciuitas mirabatur. Qualis illic erat Chri-
ſte Ieſu? quàm croceus, quàm decorus, fonte purior, niue
candidior, ſole candẽtior, & luna ſepties clarior? Heu me,
quid interrogo, quem tunc videre non merui? Nunc tamẽ,
quis, quantuſve ſis pietate, cognoui. Ecce inter hæc Ieſus
Chriſtus Saluator humani generis fleuiſſe narratur. Flebat
Deus mortalium lachrymis excitatus: & cum Lazarum po-
teſtate ſua fretus mortis de vinculo reuocaret, præſtabat
pietatis officium ſolatio lachrymarum. Flebat Deus, non
quod ante ſe mortuum periiſſe cognoſceret, ſed quod ſo-
rorum fletus temperaret. Flebat Deus, quod eos, quib. o-
mnia donauerat, & in poteſtatem redegerat, paradiſo et-
iam, floribus, lilijs ſine vllo labore præpoſuerat, diabolus
docendo peccatum, de omnibus penè fecit extortes. Fle-
bat Deus, quod eos, quos fecerat innocentes, diabolus per
malitiam ſuam fecit inueniri nocentes. Harum ad lachry-
mas, & ſparſam crinis miſerandi cæſariem ſaluator pietate
cõmotus fletus fletibus recontrahebat. Et quia ipſe ſororũ
fletibus mouebatur, lachrymis filij ſui Saluatoris noſtri,

A inter ipſos cœlos pater flectebatur. Mox ergo Ieſus Chriſtus ad ſepulchrum Lazari acceſſit. Statim iuſſione eius reuoluuntur ſaxa: ſecretarium patefecit horroris. Curioſi affatim in ſpecum gementium populorum oculi mittebantur. Viſus eſt Lazarus tecta facie, manibus, pedibuſq; conſtrictus: & ad documenta virtutum ipſe, qui fuerat mortuus, & adhuc manibus, & pedibus vinctus, vt Chriſtus iuſſerat, reſoluebatur. Quæ, rogo vos fratres, illic voces? Quæ preſſura videntium? Quam curioſa mirantium lumina? Qualis in ceruicibus præuenientium multitudo pendebat? Qui fletus? quæ gaudia? quale murmur? quàm nouum, & cœleſte miraculum? Mors vincitur: homo redditur: infernorum catenæ franguntur: & poſt quatriduum Lazari lingua mouetur: manus officio præparantur: oculi ſuis in orbibus currunt: veſtigia greſſibus explicantur: auribus renouatur auditus: acies digitorum patentes: cognatio redituris obtutibus muneratur: frigida poſcitur: non reſpuitur panis: domus petitur: Chriſti miracula referuntur.

B

SERMO DE EPISTOLA BEATI PAVLI ad Corinthios prima.

De eo quod ſcriptum eſt, cum tradiderit regnum Deo & patri.

SCriptura diuina, cum de Dei loquitur filio, non ſibi repugnat, ſed inter Deum, hominemque, quem ſumpſit, neceſſaria moderatione diſtinguit: ſi enim Deum purum iugiter prædicaret, paſſionis, reſurrectioniſque vacaret locus, & nihil Chriſtus mundo præſtiterat: ſi hominem ſolum, ſicut quidam putãt, ab vtero virginis eum ſumpſiſſe principium, quæ ſpes futuræ beatitudinis credentibus cum ſcriptum ſit; *Maledictus homo, qui ſpem habet in homine.* Ergo vbi purum Deum ſignificat, ſic dicit in Geneſi. *Et fecit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei.* Et in Pſalmis, *Deus*
C *autem, rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ*: Et alio loco, *Parata ſedes tua Deus ex tunc, & à ſæculo tu es.* Vbi hominem mixtum, ſic proſequitur; *Dicite filia Sion: Ecce rex tuus venit tibi iuſtus, ſanctus, & ſaluans, mitis, ſedens ſuper aſinum nouellum.* Et iterum: *Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Et iterum Magi: *Vbi eſt*, inquiunt, *qui natus eſt rex Iudæorum?* Hic eſt, fratres, qui venturus denunciatus eſt per prophetas: qui ſecundum carnem natus in tempore eſt: qui eſt excelſus in excelſis, humilis in terris, ſæculorum genitor, filius virginis, immortalis ſibi, homini moriturus: mortem geſtat, vt mortem deuincat: inferus penetrat, vt mortuos viuos inde reducat. Vnigenitus prodiendo de patre ante originem rerum: primogenitus à mortuis; vt ait Apoſtolus, poſt multorum obitus populorum. Hic eſt, cui data eſt poteſtas in cœlo, & in terra, nomini eius noua à Deo ſub ipſo dicente; *Ego te clarificaui in terra: opus perfeci, quod dediſti mihi, vt facerem: Et nunc tu clarifica me apud temetipſum*, claritate qua habui apud te prius, quàm mundus fieret. Qui reſurgens ait; *Omnia mihi tradita*
D *ſunt à patre meo.* Hic, qui purus de cælo deſcendit, carnatus aſcendit in cælum. Hic, inquam, de quo Paulus ait, *Qui accipit regnum, regnat, & tradet Deo, & patri,* & cætera. Quid hic ſcandalum pateris, Chriſtiane, ex tua que natura opinaris prouiſionis piæ diuina myſteria? Si minus ſentis de filio, quia regnum traditur patri, maior patris iniuria eſt, ſi ell aliquando ſine regno. Accedit, quod oramus quotidie, vt adueniat regnum patris, ſperamus & filij. Vacat ergo præſentis temporis regimen vtroque ceſſante: actumq; eſt de mundo, mundiq; tota ſubſtantia, ſi vel vno momento diuinitatis ceſſat imperium. At ſi, vt ratio ipſa proclamat, ceſſare nullo pacto poteſt varietas iſta regni, à legis conditore homini à Deo aſſumpto, iuſtiſq; eius eſt deputata rebus diſpoſitis, non Deo, nunc ſempiterno rectori, maximè cùm in Euangelio ſic dicatur: *Dabit illi Dominus Deus thronum Dauid patris ſui: & regnabit ſuper domum Iacob in ſæcula: & regni eius non erit finis.* Salomon in Sapientia ſimiliter dicit, cum de eius loquitur ſeruis. *Et ſi coram hominibus tormenta paſſi fuerunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt? & in paucis vexati in multis bene diſponentur: quoniam Deus tentauit illos,*
E *& inuenit illos dignos,* ſed, *Tanquam aurum in fornace probauit illos: quaſi holocauſtomata accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Iudicabunt nationes & dominabuntur populis: & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Quid hoc eſt? ſi in perpetuum regnat, Paulus errauit: ſi traditurus eſt regnum, iſti mentiuntur. Abſit. Nullus hic error: diuerſitas nulla eſt: Paulus enim de hominis aſſumpti temporali locutus eſt regno: in quo venturus, & iudicaturus eſt viuos, & mortuos, ſicut lectio vniuerſa teſtatur: quæ prædicat Chriſtum oportere regnare cum ſanctis ſuis, donec vocatis, omni principatu, & poteſtate, & virtute, & dominatione ponantur omnes inimici eius ſub pedibus eius, inimicaque deſtruatur mors. Hi autem ad principalem vim retulerunt, in cuius perpetuitate commanens in æternum, à patre filius regnum nec accipit aliquando, nec poſuit: ſemper enim cum ipſo regnauit ꝁatá Ioannem ipſo dicente, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Apertius autem hoc Paulus expreſſit dicens: *Hoc enim ſcire debetis, quoniam omnis fornicarius, aut impudicus, aut fraudator, quod eſt, idolorum ſeruitus,*
F *non habet hæreditatem in regno Dei, & Chriſti*, oſtendens vnum eſſe regnum patris, & filij. Rectè igitur patri tradet regnum, qui dixit in moniis, regnum non ſtare diuiſum. Vnde non ſic ſentiendum eſt, fratres, vt pater accepturus ſit, quod non habuerit, aut filius tradendo, quod non habeat, perditurus: cum & pater, quod accepturus eſt, habeat, & filius non careat, quod daturus. Totum pater: totum poſſidet filius: vnius eſt, quod amborum eſt, quod vnus poſſidet, ſingulorum eſt, Domino ipſo dicente: *Omnia, quæcumque habet pater, mea ſunt.* Et iterum, *Pater, omnia mea tua ſunt; & tua omnia mea*: quia pater in filio, & filius manet in patre: cui affectu, non conditione, charitate, non neceſſitate deuotè ſubijcitur: per quem pater ſemper honoratur. Denique inquit, *Ego, & pater vnum ſumus.* Vnde non diminutiua, ſed religioſa, vt dixi, ſubiectione eſt filius patri ſubiectus: tam quo originalis, perpetuique regni vna poſſeſſio: coæternitatis, omnipotentiæque vna ſubſtantia: vna
G æqualitas: vna virtus maieſtatis auguſtæ: † vnito in lumine vna dignitas retinetur: ſi quid enim filio detraxeris, ad patris, cuius habet totum, iniuria pertinebit: nec eſt in illo aliquid, quod ſit inferius: quia ſicut pater nec plus poteſt habere, nec minus: alter enim in alterius plenitudine infuſus eſt: vt ſit omnia in omnibus Deus, benedictus pater in filio, filius in patre cum ſpiritu ſancto, Amen. † *al. vnito*

DE AETERNA FILII DEI GENERATIONE,

SERMO PRIMVS.

PRincipium, fratres dilectiſſimi, Dominus noſter † incunctanter eſt Chriſtus: quem ante omnia ſæcula pater in profundo ſuæ ſacræ mentis arcano inſuſpicabili, ac ſoli ſibi nota conſcientia, filij non ſine affectu, ſed ſine reuelamine amplectebatur. Igitur ineffabilis illa, incomprehenſibiliſque ſapientia ſapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. De Deo naſcitur Deus: de ingenito vnigenitus: de ſolo ſolus: de toto totus: de vero verus:
H de perfecto perfectus. Totum patris habens, nihil derogans patri. Procedit in natiuitatem, qui erãt ante, quàm naſceretur, in patre æqualis omnibus: quia pater in ipſum alium ſe genuit ex ſe, ex innaſcibili: ſcilicet ſua illa ſubſtantia, in qua beatus manens in ſempiternum omnibus, quæ habet, habentem filium paria procreauit: qui eſt Deus benedictus in ſæcula ſæculorum. † *al. inch- tanter.*

DE AETERNA FILII DEI GENERATIONE,

SERMO II.

SIcut ſacra ſcriptura teſtatur, erat ante omnia manens vnus & idem æternaliter ex ſemetipſo in ſemetipſum Deus, ſecreti ſui ſolus conſcius: cuius ex ore vt rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodiuit vnigenitus filius, cordis eius nobilis inquilinus: exinde viſibilis effectus, quia humanum genus viſitaturus erat, alias æqualis in omnibus patri: quicquid enim pater præcepit, vt fieret,

A filius, vtpotè Dei virtus Deiq; ſapientia, omnia illa opere mirifico eius dicto compleuit. Hunc curioſi opinationibus vanis violare conantur, nec intelligunt miſeri, quoniam curioſitas reum efficit, non peritum.

DE AETERNA FILII DEI GENERATIONE,

SERMO III.

In quo paucis additis, quibuſdam mutatis continentur ea quæ in primo.

† al. incunctanter.

PRincipium, fratres, Dominus noſter † incontanter eſt Chriſtus: quem ante omnia ſæcula pater adhuc vtrumq; in ſemetipſo Deus beatæ perpetuitatis indiſcreta ſpiritus plenitudine neſcio qua ſua conſcientia velatum, filij non ſine affectu, ſed ſine diſcrimine amplectebatur, ſed excogitatarum vt ordinem inſtrueret rerum, meſſabilis illa virtus, incomprehenſibiliſq; ſapientia è regione B cordis eructat verbum: omnipotentia ſe propagat. De Deo naſcitur Deus, totum patris habens, nihil derogans patri, alter tenet in altero: cuiuſius gloria communis eſt honor: quia quod eſt filij, patris eſt: quod patris, amborum. Lætatur pater in alio ſe, quem genuit ex ſe. Quomodo autem generatus ſit, qui proceſſit, dementis eſt opinari: namque temperat ſe propter rerum naturam filius, ne æternæ maieſtatis Dominum non poſſit mundi iſtius mediocritas ſuſtinere. Cum imperat pater orbem fieri, opus cum dicto completur à filio. Quomodo autem, quantus, aut qualis fieri debeat, nemo præcipit: interrogat nemo: neque enim ſine patris eſſe poſſit iniuria, ſi hac neceſſitate opus eſſet illi, qui in ſinu patris commanens voluntatis eius perfectionem non didicerat, ſed habebat. Igitur orbe perfecto, poſtremus digito Dei, manuque è limo terræ fingitur homo, conſtruitur mobile, totumque ſe neſciens ſimulacrum: &, vt imago ſit Dei, inſpiratur à Deo in animam viuentem. Concepit ſpiritum Adam, quem neſcit, intrantem non videt, exeuntem non poteſt prohibere, & æſtimat quiſquam C Dei ſe poſſe ſcire ſecretum, qui ſui corporis neſcit arcanũ? Quare, fratres, propter quod facti & nati ſumus, timeamus, amemus, & honorificemus, quem inuenimus, Deum. Sanè quærant illum, qui eum non habent ſecum.

Sermo de aduentu Chriſti in mundum.

CHriſtus mundum latenter intrauit, ne ſibi ſapiens diabolus videretur. Qui conſilio hominem deceperat, conſilio vincitur: vt quomodo homo in paradiſo non cognouerat diabolum, ſic & diabolus in ſæculo non facile cognoſceret Chriſtum.

DE NATIVITATE CHRISTI,

SERMO PRIMVS.

LIcet ſectæ ſint plures, quæ in iniuriam Chriſti fabulari nituntur, tamen tres ſunt quodammodo principales: è quibus duæ eius, quem cupiunt deprauatum, ſimulant ſe D eſſe cultores. Vna denique aſſerit Ieſum Chriſtum ab vtero virginis Mariæ ſumpſiſſe principium, Deumque exinde ob iuſtitiam factum eſſe, non natum. Alia modeſtius, ſed mordacius nocens, dicit quidem Dei filium Deum, ſed non ex patre nobilitatis perpetuitate progenitum: fuiſſeque tempus, quando non fuit. Tertia Iudæa eſt verè cæca: quæ cum in lege (vt dicere ſoleo) ſua legat, vbique duas patris, & filij deſignari perſonas, tamen nunc vſque contendit Deum filium non habere. Quibus omnibus exempla, vel ratio, quam proſequuturi ſumus argumentationis totius vno ictu omnes neruos abſcindet. Quapropter duas eſſe natiuitates Domini noſtri Ieſu Chriſti neceſſariò ſcire debet populus Chriſtianus, ne quem patiatur errorem: vnam, qua natus eſt, alteram, qua renatus. ſed ſicut eſt ſpiritalis prima ſine matre, ita ſine patre ſecunda carnalis. Hæc miranda: inenarrabilis illa, propheta dicente; *Natiuitatem eius quis enarrabit?* Cur autem ſit inenarrabilis, patre loquente noſcamus. E Dominus ipſe nos edocet; *Eructauit cor meum verbum bonum*, &c. Et apud Salomonem hactenus dicens, *Ego ex ore altiſſimi prodiui ante omnem creaturam.* Cum hæc ita ſint, humanitas te verſuta cognoſce, vel ſerò: & intemperati linguæ ſilentij frænos impone. Dementiæ genus eſt, inuiſibilis incomprehenſibiliſque velle opinari ſecretum, eiuſque interna diſcutere, cuius extraria nequeat ſuſpicari: quia Deus hoc eſt, quod eſt: quod vero homo definiendum putauerit, non eſt. nam & Ioannes Apoſtolus in Euangelio quid prædicet, fratres, accipite: *In principio* inquit, *erat verbum: & verbum erat apud Deum: & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum.* Admirabilis gratia, fratres dilectiſſimi, conſpicuæ veritatis, quæ dum ſecerni poteſt, tamen ſibimet externa eſſe non poteſt: ſi enim verbum in Deo eſt; & Deus eſt verbum, & hic eſt, in quo eſt, quod ille eſt, qui ineſt, duplex perſona, duplex vocabulũ: ſed originalis perpetuitatis, ac deitatis eſt vna ſubſtantia, Domino ipſo dicente; *Ego, & pater vnum ſumus*: quod non F vtique ſic ait, vt in vnum duos redigendo confunderet, ſed vt duorum, vnam diuinitatis, poteſtatiſque eſſe omnipotentiam nos doceret. Sequitur, ac dicit: *Omnia per ipſum facta ſunt: ac ſine ipſo factum eſt nihil.* Videamus nunc, optime Chriſtiane, quemadmodum inter patrem, filiumque tempus inſulciat: ſi enim tempori, non ſibi debent, quod eſt alter alteri obnoxius proculdubio, vt tu vis, maior eſt natura, quàm Deus. At cum naturam ex nihilo fecerit Chriſtus, ſit autem ex natura tempus, ineptum ſatis eſt, opus ſuo præponere artifici: ac per hoc ſolum intereſt, quod ſoli ſe ſciunt. Denique apud Iſaiam ad filium ſic dicit: *Domine Deus Sabaoth: Fatigata eſt Aegyptus, & mercatus Aethiopum, ex Saba viri excelſi ad te tranſibunt: & tui erunt ſerui: & ſequentur te alligati compedibus: & adorabunt te: & te precabuntur: quoniam in te Deus eſt: & non eſt Deus alius præter te.* Sed & Baruch eodem ſpiritu loquitur dicens: *Hic eſt Deus noſter: & non deputabitur Deus alienus abſque ipſo: qui adinuenit viam prudentiæ: & reuelauit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſibi.* Poſt hæc in terris viſus eſt; & cum hominibus conuerſatus eſt. Quam ſpeG cie, Spiritu ſancto loquente, noſcamus. *Et homo eſt*, inquit: *& quis cognoſcit eum?* Si ita eſt, quomodo ergo poſſet agnoſci, prodidit Iſaias his verbis: *Audite itaque domus Dauid: Non puſillum vobis certamen cum hominibus: quoniam Deus præſtat agonem. Propter hoc dabit Deus vobis ſignum. Ecce virgo in vtero accipiet: & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum, & mel manducabit priùs, quàm cognoſcat puer bonum, aut malum.* Quod ſignum ex prodromi quoque eius deſignatione dilucidauit alio loco his verbis, *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam.* Quis eſt iſte Angelus, fratres, niſi Ioannes Baptiſta: cuius eſt præparatio? *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Nunc videamus, quæ conſequuntur. Per idem tempus duæ cognatæ concipiunt, vna contra ſpem, altera verbo. Hæc miratur ſe habere, quod neſcit: lætatur illa, quia ſcit. Eliſabeth ſterilis fœcunditate tumet fœliciter venter, Mariæ maieſtate. Illa præconem portat: hæc iudicem. Exultate fœminæ, prnmotionemque veſtri ſexus agnoſcite. Culpa deleta veteri ecce per vos iungitur cœlo: anus enim peperit Angelum: & virgo Deum. Hic eſt Deus H noſter, qui dignitate interim ſepulta, non tamen poteſtate amore hominis ſui, cuius formam fuerat ſubiturus, & creaturam, vt Angelus, homo, puer, ſponſus, gigas, crucifixus, ſepultus, primogenitus à mortuis diceretur. Hic eſt, inquam, qui in omnibus omnia eſt: quoniam per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Nec vos moueat, fratres, ſecularis, ac vere puerilis inconſideratorum hominum diſputatio, ideo iuſtum patiuntur errorem, quia Chriſtum non ex Deo cõſiderant hominem factum, ſed ex homine. Cæterum ſi ſpiritaliter ſaperent, in ipſo, quod infirmiſſimum putant, hoc potiſſimum prædicarent. Etenim verè perfectus Deus non eſſet, ſi eſſet aliquid, quod eſſe volens, eſſe non poſſet. Denique vultis ſcire compendio veritatem? Factus eſt, quod non erat: nec tamen deſijt eſſe, ante quod fuerat.

A

DE NATIVITATE CHRISTI,

SERMO II.

INſpicabilis ſecreti, reuerendæque maieſtatis vera cognitio eſt, Deum non noſſe, niſi Deum: nihilq; ex eo amplius requirendum, quàm vt quis eius nouerit voluntaté, ſine qua ei nec legitimè ſeruire poterit, nec placere. Cæterum prouidentis Dei de Deo argumentationibus vaniſopinari velle diſpoſitum, non colentis eſt, ſed dementis: maximè ſi Deus, vt contentioſi putant, diſpoſitioni ſubiaceat: remotis enim paulìſper nominibus patris, & filij, non poteſt noſſe, vter patiatur iniuriam, niſi quod ambo patiũtur: quia amborum vnum nomen eſt Deus. Igitur duas natiuitates eſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti, rudis aut negligés diſce Chriſtiane, ne quo decipiaris errore. Vnam, quam tibi non licet quærere: alteram, quã legitimè, ſi poſſis, permitteris edocere. Prima itaque natiuitas Domini noſtri in patris, & filij tantum conſcientia manet: nec quicquam habet interiectum, neq; cõſcium, qui ex paterni oris affectu proceſſit vno conſenſu. Secunda vero carnalis, ſicut eſt frequentibus oraculis prodita, ita inuenimus eſſe completam: Etenim Deus Dei filius, tempore conſtituto diſſimulata interim maieſtate ab † æthera ſede profectus in prædeſtinatæ virginis templo ſibimet caſtra metatur, quibus latenter infunditur, in hominem gignitur, ibidemque ſaluo, quod erat, meditatur eſſe, quod non erat. Mixtus itaq; humanæ carni ſe fingit infantem. Matris ſuperbus emicat venter non munere coniugali, ſed fide: verbo, non ſemine: decem menſium faſtidia neſcit: vtpotè quæ in ſe creatorem mundi concipit, parturit non dolore, ſed gaudio. Mira res exultans exponit infantem totius naturæ antiquitate maiorem. Interea rudis non gemit fœta, mundum, non vt aſſolet, infans fuſis ingrediens ſponte vitæ repẽtantis præuijs lachrymis auſpicatur. Non mater eius tanti partus pondere exhauſta totis pallens iacuit reſoluta viſceribus, non filius matris, aut ſuis eſt vilis ſordibus delibutus: neq; enim reuera aliquid circa ſe habere poſſet immundum, qui humani generis peccata, ſordes, & maculas venerat mundaturus. Deniq; purgationes, quæ ſunt tarditate periculoſæ, nulla puerum maternorum viſcerum proſecuta ſunt damna. Nulla adhibita rudi fœtæ ſueto more fomenta, neq; enim, fratres, his poterat indigere, quæ accipere in vterum meruerat filium, animarum omnium Saluatorem. O magnum Sacramentum! Maria virgo incorrupta concepit: poſt cõceptum virgo peperit: poſt partum virgo permanſit. Ita Chriſtus in hominem ſe fecit naſci, quemadmodum homo non poteſt naſci. Totum denique ſua luce reſplendens corpus ſine vmbra geſtabat: humilis carne, ſed excelſus omnipotentiæ maieſtate. Qui ſane ideo carnem eſt dignatus induere, vt nemo ſe poſſit per carnem, cum iudicij dies venerit, excuſare.

† al. Latere.

B

C

DE NATIVITATE CHRISTI,

SERMO III.

D

SEcundum quod Deus ſuos promiſerat per prophetas, filium ſuum ſaluatorem generi humano ſe eſſe miſſurũ commodum tempore maturo, diuinitatis interim dignitate depoſita, non tamen poteſtate, cælo egreſſus metantia prædicta ſacrario templi virginalis hoſpes pudicus illabitur: ibidemq; qualis velit eſſe, diſponit, imò, quod tanto olim diſpoſuerat complendum, latẽter aſſumit: namque requieſcit libens florentiſſimo in domicilio caſtitatis & in viſceribus ſacræ virginis comparat ſibi corpus, ſuo iudicio naſciturus. In hominem coaptatus in tegumento carnis includitur Deus: humanamque vitam mutuatur de tempore, qui præſtat temporibus æternitatem. Mira res! concipit Maria de ipſo, quem parit, tumet vteros maieſtate, non ſemine: capitq; virgo, quem mundus, mundiq; non capit magnitudo. Interea promouẽt ſuum membra factorem: & opus ſui figura veſtit artificem. Parturit Maria, non dolore ſed gaudio. naſcitur ſine patre filius, non totus matris: ſibi debens, quod conceptus eſt: donans matri, quod natus, quæ principaliter ſtupet talem ſibi filium proueniſſe, qui ex ſe natus non crederetur, niſi quia ſicut fuit virgo incorrupta poſt conceptum, permaneret talis quoq; poſt partum. O noua ratio! Amore imaginis ſuæ coactus iri infantem, vagit Deus: patiturq; ſe pannis alligari: qui totius mundi debita venerat ſoluturus. In ſtabuli præſepe deponitur, populorum paſtorem, pabulumq; ſe eſſe conteſtans. Subijcit ſe gradibus ætatis, cuius æternitas in ſe non admittit ætaté. Totum contra cõſcientiam ſuam, vt homo infirmus patitur: vt homini mortis lege conſumpto immortalitas tribuatur. Hæc eſt enim poteſtas Dei, vt ſaluo, quod eſt, poſſit eſſe, quod non eſt. Hic eſt Deus noſter æterni Dei coæternus filius. Hic & homo, & Deus: quia inter patrem, hominesq; aſtitit medius probans infirmitatibus carnem, & virtutibus maieſtatem. Hic ſol noſter: ſol verus: qui clariſſimos ignes mundi germanos aſtrorum, candentiũq; polorum claritatis ſuæ de plenitudine accendit. Hic, qui ſemel occidit, & ortus eſt iterum, nũquam repetiturus occaſum. Hic, inquam, quem duodecim radiorum, id eſt, Apoſtolorum duodecim corona circundat: quem per ambitum totius orbis non muta quatuor animalia, ſed ſalutiferis prædicationib. quatuor circumferunt Euangelia. Cuius quam vim habeat amictus, & curſus, his verbis propheta teſtatur: Deus ſicut ignis veniet: & ſicut procella curſus eius, retribuere in ira vindictam.

E

F

SERMO DE CIRCVNCISIONE.

DIligẽtiſſime, fratres chariſſimi, de circũciſione, cuius non tantum in præſenti lectione, ſed & aliquot in locis fecit Paulus beatiſſimus mentionem, ratio videtur eſſe reddenda: vt & Chriſtianus veritatem, & Iudæus ſuum cognoſcat errorem. Solet enim magnis cum vociferationibus ſæpe iactare hanc eſſe generis ſuæ nobilitatem, hãc cœleſtis ſacramenti virtutem, hanc æternæ vitæ legitimam genitricem, hanc perpetuam futuri regni conſortem, ſine qua nemo poſſit omnino ad Dei notitiam peruenire. Vnde primo omnium definiendum puto, quid ſit circũciſio, vt tunc demum, qualis ſit, iure poſſis agnoſci. Circunciſio eſt, fratres, in damnum rotundi vulneris ferro circulata cicatrix. Quam ſi Iudæus æſtimat gloriam, vt de cæteris taceam, maior eſt eius, qui in honorem deæ ſuæ anus turpis, atq; amatricis non paruam cutem eiuſdem membri, ſed ipſum membrum radicitus abſciſſum myſterijs turpioribus immolauit: illa videlicet ratione, quia Iudæus poſt ſacramentum per hanc partem peccare poteſt, ille autem deinceps per hanc partem peccare iam non poteſt. Conſequẽs eſt, vt profiteatur vtrum hanc carnalem, an ſpiritalem eſſe defendat. Si ſpiritalem, cur de carne gloriatur? Si carnalem, animæ prodeſſe non poterit: quia caro, & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. Accedit, quod circunciſio aduerſus ſabbatum pugnat: quod violandum vllo opere in toto non eſſe præconat, etenim plerumq; contigit, vt ei naſcatur ſabbatis filius, quem octauo die, id eſt, veniente ſabbato ſi non ſecundum legem circundat, de populo ſuo infantis anima peritura eſt. Hic, fratres chariſſimi, eligat, vtrum velit, circuncidat, an differat. Si circuncidit, ſabbatũ corrumpit: ſi non circuncidit, cum innocentis animæ interitu præſtitutę circunciſionis iura vacuauit, quia ſolus octauus dies à Deo circunciſionis priuilegiũ, non ſeptimus, non nonus accepit, ac per hoc neceſſe eſt, vt vtrumq; inane ſit, ſi infirmari poteſt alterum de duobus. Quid: quod Abel iuſtus ſine hoc vulnere inuẽtus? Quid: quod Enoch à Deo integer legitur eſſe translatus? Quid: quod Noe incircunciſus ſæuiente diluuio diuina prouidentia humano generi hæres, & pater eſt conſtitutus? Quid: quod Melchiſedech ſummus ille ſacerdos Deo acceptiſſimus huius fuit cicatricis ignarus? Quid: quod cum præputio Niniuitarum populus Dei indulgentia eſt liberatus? Quo vtiq; omnes circuncidi præcepiſſet, ſi carnis circunciſionem eorundem ſaluti, quos amabat, neceſſariam præuideret. Certè Adã ipſum ſic ante feciſſet. At fortaſſe quiſpiam dicat: Peccator ergo fuit Abraham, vt circuncideretur, an iuſtus, & circuncidi non debuit? Abraham, fratres, & vir iuſtus fuit, & tamé

G

H

A neceſſario circumciſus. Quid enim ſcriptura dicit? Abraham credidit Deo, & deputatum eſt illi ad iuſtitiam. Nunquid nam dixit, Abraham circumciſus eſt, & deputatum eſt illi ad iuſtitiam? Cùm igitur Abrahã integer, ſicut Enoch, & cæteri, ſit iuſtificatus, & poſtea circumciſus, manifeſtum eſt circumciſionem non Abrahæ fuiſſe neceſſariam, ſed in deſignationem Iudaici populi, qui carnalis futurus fuerat procuratã. Deniq; nihil illi contulit: quia Deo ante, nõ poſtea quàm circumciſus eſt, placuit: præmiumq; non circumciſionis, ſed in hac tributa merita repromiſſionis accepit. Vnde manifeſtum eſt Abraham gemini populi typum in ſemetipſo portaſſe; vt circumciſionis nota exprimeret Iudæum, credulitatis iuſtitia Chriſtianum. Adde, quod circumciſio iſta non tam ſalutem pollicetur, quàm locum, capitiſq; criminis monſtrat. Adam etenim cum hoc membro illicitum pomum decerpſit, ſic in genus humanũ ius mortis induxit. Neceſſario ergo Iudæorum ſibi populo Deus hoc ſignum dedit: vt locum maternalis culpæ cum denotat, etiam alia crimina lugenda cognoſcat. Ore tuo te, inquit,
B Chriſtiane viciſti. Inde eſt, quod & ego æternam vitam me poſſidere contendo: quia ſpecialiter annexam curatu mortis mihi à Deo præſtitam recognoſco. Rectè Iudæus hoc diceret fratres, ſi iſta cura ſexui vtrique prodeſſe potuiſſet: Cùm enim grauior cauſa ſuperſit: periturum ſe, niſi veritatem requirat, agnoſcit: ſi enim Adam curat, certè io quo dilectionis eſt ſumma, iſto remedio curare non poteſt Euam. Quid? quòd nec ipſi viro aliquid eam prodeſſe perſpicio? quia huius circumſcriptio characteris poteſtati ſubiacet cordis: quod niſi veræ circumciſionis ſpiritali fuerit ſacramento purgatum, in æternum homo, de quo agitur, periturus eſt: caro enim damnum pati poteſt, animo autem imperare non poteſt: ipſe enim regalis poteſtatis imperio ſubiectum ſibi corpus ſeruilibus officijs ſuæ compellit implere deſideria voluntatis; qui ſi fuerit vitioſus, quot habet vnuſquiſque membra, poterit perpetrare tot crimina. Deniq; hoc genere Iudæos ſcriptura denotat ab auribus inci-
C piens. *Clamaui* inquit, *ad eos, & non audierunt, clamabunt ad me, & non erit, qui exaudiat eos.* ſimiliter & de manibus dicit: *Manus enim veſtræ inquinatæ ſunt ſanguine: & digiti veſtri in peccatis. Labia autem veſtra locuta ſunt facinus: & lingua veſtra iniuſtitiam meditatur.* Et iterum de cæteris membris; *Sepulchrum patens eſt, guttur eorum: linguis doloſè egerunt: venenum aſpidum ſub labijs eorum, quorum os maledicto, & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: contritio, & miſeria in vijs eorum: & iter pacis non cognouerunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Et de ipſa circumciſione in ſymbolis inquit: *Interrogabant: & in virgis ſuis annunciabant, ſpiritu meretricio ſeducti ſunt: & fornicati ſunt à Deo ſuo.* Agnoſce igitur Iudæe vel ſero erroris tui miſerum dolendumq; diſcrimen: & dic nobis, vtrum circumciſionem obſerues, an legem. Si circumciſionem, non eſt tibi lex neceſſaria: quia iuſtus Abraham, qui ea fide vixit, Deum credulitate, non lege promeruit. Si legem, contemne iam iſtam circumciſionem: quam euacuatam videmus à lege, Ieremia dicente: *Hæc dicit Dominus viris Iuda, & omnibus qui habitant in Ieruſalem: Re-*
D *nouate inter vos nouitatem: & ne ſeminaueritis in ſpinis. Circumcidite præputium cordis veſtri, ne exeat ſicut ignis ira mea: & exurat, & non ſit, qui extinguat.* Videtis ergo fratres, quod huiuſmodi circumciſis Deus non tantum ſalutem non pollicetur, ſed etiam, niſi legitimè corde circumcidantur, ignis inextinguibilis ſupplicium comminatur. Sed & Moyſes ipſe, cuius aſſerunt ſe ſæpe diſcipulos, eodem ſpiritu ad Iſrael loquitur dicens, *Nouiſſimis diebus circumcidet Deus cor tuum, & cor ſeminis tui ad Dominum Deum tuum amandum.* Hoc nunc vobis iterum dicam. Phariſæe reſponde, vbi cor habeas conſtitutum. Si in regione pectoris, quid deformi vulnere inferna metiris? Si quod quidem rectè æſtimas, in infernis, proculdubio omnes ſacrilegus antecedis, qui Moyſis reprobans dictum, per hanc iniurioſam corporis ſtipem Deo placere te poſſe præſumis. *Iam completa eſt,* inquit, *in me per Ieſum Naue, Domino iubente, ſecunda, quam Moyſes annunciauerat circumciſio: ſcriptum eſt enim, Et dixit Deus ad Ieſum, Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos: & abſcinde, circumcideq; ſecundo filios Iſrael.* Videamus nunc ergo, fratres chariſſimi, ſecunda illa circumciſio ab Ieſu Naue quo genere celebrata ſit

E petrinis illis cultris: cor, an præputium circumciderit. etenim ſi ſecundum ipſos nos quoque carnaliter ſentiamus, ambo prophetæ tenebuntur in crimine: vt aut Moyſes fallax ſit, ſi † circumciſio circumciditur rurſum, vt hoc idem faciat: aut vt, quod non habeat, perdat: aut certè Ieſus Naue parricida ſit, ſi cultris corda hominum deſecat. Sed abſit fratres, vt ſpiritales viros vllo tangamus errore, maximè cùm prophetia ad ſui dicti iam peruenerit veritatem: Ieſus autem Naue Chriſti imaginem præferebat, qui verus omnium ſaluator eſſe cognoſcitur & factis, & nomine: hic enim, quia ipſe dictus eſt etiam petra, rectè cultellos petrinos fecit (vnde non ſine ratione & Simoni, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, Petrus nomen diſpoſuit) id eſt ſua doctrina formatos, & Spiritus ſancti lima acuminatos conſtituit viros Apoſtolos, omneſq; diſcipulos: quorum ſalutaria monita canentibus linguis, quaſi quibuſdam ſpiritalibus cultris credentium populorum ſecundum Moyſis dictum, non in damnum hominis præputium carnis, ſed in augmentum hominis præputium facinoroſi cordis inci-
F dit. At fortaſſe adhuc quiſpiam dicat, cur ipſe quoq; ſignaculum carnis accepit, ſi ei neceſſarium nõ fuit. Huius propoſitionis quæ ſit ratio fratres accipite. Igitur qui venerat hominem viuificare, per hominem neceſſe habuit, ne phãtaſma putaretur, edicta legis vniuerſa complere: non enim aut finis legis, aut verus Chriſtus eſſe potuiſſet, ſi quid prætermiſiſſet, quod ab alio ſaluti hominum præſtari † potuiſſet. Eò accedit, quod ſecundum carnem Dauid filius futurus eſſe canebatur; qui niſi paterno generis ſignaculo reſponderet neq; Dauid filius eſſet, neq; niſi in filium Dauid Chriſtus venire promiſſet: qui ideo circumciſus eſt, quia Iudæis erat promiſſus. Ideo cum præputio natus: quia in cæterarum incircumciſis gentibus fuerat profuturus. Diximus de prima circumciſione carnali, quæ Iudæorum eſt: nunc breuiter de ſecunda ſpiritali, quæ noſtra eſt, edicamus: quę tantum poteſtatis gerit, vt à fœmina cœperit, quod priori impoſſibile fuit. Deniq; à muliere, quæ prior peccauerat,
G circumciſionis incipit cura. Et quia ſuaſionem per aurem irrepens diabolus, Euam vulnerãs interemerat, per aurem intrans Chriſtus in Mariam vniuerſa cordis deſecat vitia: vulnuſque mulieris, dum de virgine naſcitur, curat. Signũ ſalutis accipite, corruptelam integritas, partum eſt ſecuta virginitas. Adam ſimiliter dominica circumciditur cruce: & quia per mulierem, quæ ſola ligno lethale contigerat, exceperat vterque ſexus interitum, è diuerſo per virum ligno ſuſpenſum viuificatum eſt omne genus humanum. Ac ne non ex integro principiorum ſuo ſtatui redditum videretur, prior vir cõſummatus in cruce: atq; eo feliciter ſoporato ſimiliter de eius latere icta lanceæ non coſta diuellitur, ſed per aquam, & ſanguinem, quod eſt baptiſmum, atque martyrium, ſpiritale corpus ſpiritalis fœminæ effunditur. vt legitimè Adam per Chriſtum, Heua per Eccleſiam renouaretur. Hoc nos, fratres, ſacramento tam viri, quàm fœminæ circumcidimur, hoc ſpiritus ſancti nõ ſignaculo, ſed ſigno cenſemur. Hac circumciſione nõ aliquid perdimus,
H ſed creſcere nos augmentis cœleſtibus inuenimus. Nõ ſanguinem ſterili ſolennitate diminuimus, ſed pudoris ſanguinem retinemus, quem ambitioſè plerumque effundimus, cum in perſecutione pro nomine Domini diabolum monendo vaſtamus. Poſtremo abſcindimus, quod habuiſſe non deberemus, quod ab inimico hominibus ſuperadditum recognoſcimus, Domino ſic dicente, *Simile eſt regnum cælorum homini qui ſeminauit in ſuo agro bonum ſemen. dormientibus autem hominibus, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in triticum.* Quæ neceſſario radicitus circumciſione diuellimus: vt diri ſeminis contagione purgati integra in vbertate paterni ſeminis maneamus. Hæc, inquam, non die, non nocte, non hora, non ſexu, non ætate, non conditione, non loco, non genere ad tribuendam homini ſalutem depellitur, ſed glorioſa ſemper in omnibus inuenitur. Denique prior circumciſio deſecat carnem: ſecunda animi deſecat vitia: illa ferro, hæc ſpiritu: illa portionem, hæc hominem totum: illa maſculum ſolum, hæc vtrumque ſexum: illa præputium paruæ cutis, hæc præputium totius concupiſcentiæ ſecularis. Illa octauo adſcribit dies, huic deſeruiunt tempora, dies, horæ, vniuerſaque momenta,

† al. circumciſione.

† al. operari poſſet.

A illa ante octauum, vel poſt octauum diem nec ipſi morientipuero ſubuenit, hæc à cunis ipſis infantiæ vſque ad ſupremos exitus cuiuſuis ætatis vtriq; generi ſalutare munus impertit, illa ſanguine gaudet, hæc gratia, illa imagine, hæc veritate; illa damno, hæc lucro, illa agit captiua ſub lege, hæc omnibus præſtat in Chriſto bonæ fidei libertatem. Igitur vos, qui circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in ſpoliationem carnis, ſed circumciſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, elaborate, ne veſtra integritas maculetur: ne ingruentium peccatorum rurſum ſicut Adæ, & Heuæ ſpiritale præputium male repetita nuditas condemnetur: ne nouus homo quicquam Iudæi videatur habere, aut gentis. Ambo enim illi carnales ſunt: ambo ſine fructu. Vnde dubium non eſt, neque præputium aliquid eſſe, neq; circumciſionem: ſed ſolum obſeruationem voluntatis Dei eſſe fideliter viuentibus neceſſariam.

B

Sermo de Fide.

CHRISTIANÆ fidelitatis felicitas maxima eſt fidei noſſe naturam: quæ talis ac tanta eſt, vt vnicuique homini non ab alio, ſed eius ex voluntate, præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio naſcatur. Cæterum ſi, vt quidam putant, docentis pendet ex ore, proculdubio eodem ante ceſſante, aut aliter docente conſumitur. Huc accedit, quòd niſi inſinuationem legis omni deuotione ſuccincta præcedens amplectatur fides, quæ tam ſibi, quàm illi credendo præſtet effectum, inſinuatio inanis erit: quia incredulo credentis fructum præſtare non poterit. Denique Abraham placuit Deo credulitate ſine lege: & Iudaicus populus diſplicuit Deo incredulitate cum lege. Vnde dubium non eſt legem non poſſe ſine fide: fidem poſſe ſine lege; alioquin iſta innumerabilis ſimplicitate ſua felicior turba adhuc mortis imperio ſubiaceret, ſi legis periti tantum iuſtificari meruiſſent. At cum ſcriptum ſit, *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat*, quia non ſub lege, ſed ſub gratia ſumus, quæ nos diligere Deum, ac ſoli illi ſeruire in ſacramento ſemel creditæ

C vnicæ Trinitatis non argumento, non neceſſitate, ſed voluntate compellit, manifeſtiſſimum puto, nimis acuto eſſe ſimplicem meliorem: quia ſimplex omnibus Dei verbis ſimpliciter credit: aſtutus autem nimia ſapientia infatuatus inquiſitionibus vanis ſemetipſum confundit. Sed dicet aliquis, ſi ita eſt, nulli ergo lex prodeſt. Abſit. Prodeſt, & quidem plurimum: nam per ipſam Dei voluntas populis intimatur: per ipſam diſciplina cœleſtis colligitur, ac tenetur: per ipſam, inquam, genus omne peccati, ne quis imprudens intereat, diffamatur: ſemper monere non deſinit, ignorantia ne quis reatum excuſet: nunc ſeuera, nunc blanda præmium demonſtrat, & gladium vnicuiq; quod elegerit, tributura: vt iure poſſit implere, quod gerit. Qui ad ſe veniunt profeſſionem credulitatis ab eis ſolam ideo, quia eorum fidem videre non poteſt, exigit: quam ſi abeſſe ex moribus deprehenderit, confeſtim, vt perfidum, punit irata, quem docuit: nullamque aliam ob cauſam promulgatam ſe eſſe teſtatur, niſi vt fides de infidelibus

D vindicetur. Denique tolle peccatum: ceſſat legis imperium. *Lex enim*, ſicut ſcriptum eſt, *iuſto poſita non eſt, ſed peccatori*: quia iuſtus ex fide viuit: infidelis iniuſtè. Errat igitur quiſquis diſputationem legis æſtimat fidem: duo in vnum diuerſa confundit: diſputatio enim ſicut excolit legem, ita ſi verſuta ſit, eradicat fidem: quia fides profectò non eſt, vbi quæritur fides. Deinde quia lex communis eſt: fides vero priuata: quia lex ſemper manat ex libro generali: fides autem tenaciter inhæret ſuo ſoli propoſito. Lex ab alio tranſit in alium: fides interit, ſi à ſuo ſtatu aliquando vel aliquò declinauerit. Lex hominis conſcientiam alloqui tantum poteſt, videre autem non poteſt: Fides conſcientiam medullitus mundat, ne quid reatui, vel intrinſecus debeat: qui enim ſuam conſcientiam non timet, is eſt, qui Deum non timet. Adde, quod lex partibus & dilenitur, & docetur. Adde, quod tota nec intelligitur, nec † tenetur. Adde, quod à quolibet ingenij qualitate argumentis aſſeritur. Adde, quod ab omnibus appetitur, & à nullo † completur. Adde, quod inde ex Dei voluntatis eſt, non

† al. docetur.

† al. complectitur.

Dei originis, aut naturæ. Sequitur, vt ſcire debeamus,

E vtrum tractatum fidei, an fidem tractatus debeamus aſſerere. Si tractatum fidei dixerimus, vehementer errabimus: ſubijci enim ſe loquacitatis artificio fidei natura non patitur: à qua nihil aliud laboratur, niſi vt ſuis ſibi tantum virtutibus approbetur: non enim poteſt eſſe perfectum, quod aliunde expectat ſibi aliquid neceſſarium. Si vero fidem tractatus dicere cœperimus, erit profectò nec noſtra, nec ſua, ſed nec eius, cuius eſſe dicetur: quia tractatus fidem cum aſtruit, ex eo ipſo eam, quo aſtruit, deſtruit: nec vlli dabit, quod non habet: ſed potius, vt non habeat, adhuc ipſe diſquirit. Video præterea, ſicut aſſertorum indicant nomina, quæ ſi auferas, nulla fortaſſis eſt pugna, multos fuiſſe tractatus, multas fides, & quidem nouellas, & litis labore, ac fauore nutritas: quas, quia vera via poteſt inueniri, credo, ne populi penuria laborarent, venales eſſe propoſitas. Veruntamen ex his omnibus eligendum quid ſit, non poteſt noſci, aut comprehendi: quia

F non erit nec proprium, nec firmum, quod habet ſtatum ſemper incertum: quippe cum vnius electio ſit alterius reprobatio: vel ſi omnes omnino amplectendæ ſint, vt tot quot habeat fides, quot non habet verba, multò magis nihil habebit, quia tractatus, qui eas genuit, vel quotidie generat, adhuc poteſt generare: è diuerſo prouocatus rurſus eas pro ingeniorum, argumentorumq; viribus retractando, ac refellendo conſumit. Sin verò, ſicut neceſſe eſt, vna eſt illa nobilis, & antiqua, quæ non dicam tractatu, ſed ipſius natiuitate porrò maior eſt legis: quæ Deum Deo credendo promeruit, quæque credere non didicit, ſed præſumpſit, edicat mihi pernicioſa iſta adinuentio tractatus ſui, quo proficit pugna? Ne fides, inquit, intereat, cum male aut creditur, aut docetur. Quod malum eſt iſta ratio, mox videbimus. Nunc ſcire cupio, fides ex doctrina conſtet, an ex credulitate, an ex vtroque. Si ex doctrina conſtat: non habent ergo fidem, qui literas neſciunt, ſed nec ipſi, qui ſciunt: quia legis ſcientiam, obſeruantiamque ad perfectionem perducere nullis rationibus poſſunt. Si vero ex credulitate, non ei opus eſt vlla interpretatio: quia

G ſicut ſemel creditur, ita ſemel ex eo ipſo, quod creditum eſt, conſummata fides vltra nec minuitur, nec augetur. Sin vero ex vtroque, patriarcharum ſemenſa fides eſt: ac per hoc illis conſtitutionis noſtræ videlicet decernendi ſunt libri, vt poſſint eſſe perfecti. O quàm miſera eſt fides, quam verba concinnant. O quàm debilis, cuius quotidie diſſipantur varijs argumentationibus membra. O quàm indefenſa, quæ regum, iudicum, diuitum, aliquotiens etiam, quod peius eſt, & gentium deſiderat per momenta patrocinia. O quàm turpis, ac lubrica, de qua ludit aliena ſententia. O quam adultera, quæ non agnoſcit, quo auctore ſit nata. O quàm ridiculoſa, quæ duobus conflige ntibus Chriſtianis, ab altero eorum ſi non tranſducitur, perfida, cum tranſducta fuerit, fides vocatur. O quàm non vera, ſi factionibus pollet. O quàm publicana, cuius fabulantur etiam profani ſecreta. O quam præſumpta, quæ mauult magis nouellæ traditioni ſuæ credi, quàm antiquitati, quàm Deo Domino dicenti; Reijcitis manda-

H tum Dei, vt traditiones veſtras ſtatuatis. Sed non eò dico, vt ingratum faciam doctrinæ beneficium, ſed vt ſciat vnuſquiſque, aliud eſſe fidem, aliud eſſe tractatum: nec fidem per tractatum poſſe vel dari, vel noſci, vel deſtrui. Dari non poteſt: quia ſi verbis dari poteſt, poterit & verbis auferri. Noſci adæquè non poteſt: quia fieri poteſt, vt quis aliud geſtet in labijs, aliud in penetralibus cordis. Similiter nec deſtrui quidem: quia ſi vera fides eſt, aliud eſſe non poteſt, quàm quod eſt. Igitur cum poſſibilitatis humanæ non ſit, fidei videre ſecreta, nuſquam, fratres, tua curioſitas, nuſquam tua proficit pugna: quia quem putas vel de tuis ipſis ſtudioſis fideliſſimum, hic infidelis: & quem putaueris infidelem, hic fidelis eſt. Fortè in eo ſe quis æſtimat fideliorem, ſi loquatur argutè, cum magis verus ſit ille fidelis, qui ſacra in prædicatione non vltra quàm licitum eſt, aciem ſuæ retenderit mentis: eò enim res deducta eſt, vt fides noſtra per Dei requiratur iniuriam. Quod futurum Salomon enuntiauit: & cauendum quid ſit, his verbis edocuit: *Melior, qui deficit ſenſu in timore, quàm qui abundat*

aſtutia, & tranſgreditur legem. Et iterum, *Noli eſſe ſapiens multum:* A *& noli argumentari plus, quàm oporteat.* Similiter Paulus, *Noli altum ſapere, ſed time.* Cum hæc ita ſint, cur legem lege diſtringis? Cur ſub imagine fidei fidẽ deponis? Cur ipſum fontem diuinitatis philoſophicis argumẽtis exhaurire conaris? Si peritiam legis oſtendere cupis, lectionum nubila diſſerena. Doce eam ſibi non eſſe contrariam, doce omnia quæ canit, eſſe credenda. Cæterum ſi eius partem probes, reprobes partem, quomodo per hanc fidem quæris, quam etiam ipſam infidelitatis ream conſtituis, cum vniuerſa non credis? Sin vero fidem ſpiritus calles, aliquã demonſtra virtutem, impera montibus, vt transferant ſeſe, in admirationem tui rictu blandiente leonum rabies euaneſcat. Sub greſſibus tuis maris vnda pingueſcens marmoreo ſtupore ſolidetur. Cetyna cimba inter æſtuantis pelagi ſollicitos ſinus fidem tuam fideliter portet. Solis curſus ac lunæ ab occidui carceris receptaculo orationis freno retrena. Anhelantis camini ignis exæſtuans, victa natura, ſentiat B per te tecum & ipſe refrigerium. Mortuorum in poſtliminium vitæ animas reductas inſpira. Diſcute laborantibus morbos. Cura languores, in tentationibus gaude, & in tormentis pro nomine Domini. Si obuenerint dura, fidem tanquam granum ſinapis te habere demonſtra. Sin vero, quod magis eſt, ſub ſono legis, ac fidei ſecularisq; amore iactantiæ accenſus naſcentis Dei de Deo, Spiritusq; ſancti inæſtimabilem incomprehenſibilemque diuinitatis perpetuitatem, iure ipſo, quo ex ſeſe eſt, argumentis te cogere, examinare, metiri, ac diſcernere poſſe præſumis, hic tibi ego reſpondere non audeo: quippe cum ſit tutius imperitũ videri, quàm eſſe ſacrilegum: & tamen habeo, qui pro me tibi obſiſtat: nam lex, per quam me forte minus peritũ peccare compellis, ipſa te magnopere retundens, ac redarguẽs confutabit, Salomone dicente; *Altiora te ne quæſieris: & fortiora te non ſcrutatus ſis. Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper: & in plurimis operibus illorum non eris curioſus: multos enim ſeduxit ſuſpicio illorum.* Similiter Paulus curioſo reſcribit dicens, C *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inexquiſita ſunt iudicia illius, & quàm inueſtigabiles viæ illius! Quis enim cognouit cogitationem Dei: vt tu eius naturam quæras?* Sed & alio loco hoc, quod agitur, euidenter expreſſit, cum ad Timotheum loquitur inſtruendum his verbis; *Hortatus ſum,* inquit, *vt denunciares quibuſdam, ne peruerſa doctrina vterentur: neque attenderent fabulis, & genealogiis, quæ ſine fine ſunt:* quę magis quæſtiones præſtant, quàm veram rationem Dei: quæ eſt in fide. Definitio autem iuſſionis eſt charitas ex corde puro, & conſcientia bona, ex fide ſimplici. Igitur ſi Dei ſeruus es, ſtultas & ineruditas quæſtiones euita, ſciens, quia lites generant. Seruum autem Dei non oportet litigare: quia lis & charitatis eſt hoſtis, & fidei: quas ſi quis amiſerit, nec diuina ille profecto, nec humana cognoſcit. Hæc ſi religioſus es, ſerua: ſi vere timoratus, cuſtodi: de eo, quod modum humani ſenſus excedit, diſputare deuita. Negat quodammodo Deum, quiſquis rationibus humanis Deum metiri conatur: defenſio enim non niſi imbecilli præſtatur, nec poteſt eũ tenere, qui ingenij ſui putat eſſe, quod D ille fuerit æſtimatus. Cæterum illa eſt fidei generoſitas vera, vt Deo fideliter ſeruiat: in ſolo ipſo fiduciam gerat: à fidelitate, & fiducia fidelem ſe vocari cognoſcat: inculpans moribus viuat: conſcientia cum bona, non loquacitate, quæ mater profecto peccati eſt, noſſe præſumat: trinitatiſque vnam potentiæ plenitudinem, quæ vna mente, vna credulitate concipitur, non violet, ſed honoret.

Sermo de ſpe, fide, & charitate.

TRibus in rebus Chriſtiani culminis fundamenta conſiſtunt, id eſt in ſpe, in fide, & in charitate: quæ ita inuicem ſibi videntur eſſe connexa, vt ſint alij alia neceſſaria: ſpes enim præcedat, cui laborat fides? Fides ſi non ſit, quomodo ſpes ipſa naſcetur? quibus ſi denegeas charitatẽ, vtræque inutiles erunt: quia neque fides ſine charitate, neque ſpes poterit operari ſine fide. Itaque Chriſtianus tribus in rebus, ſi cupit eſſe perfectus, debet eſſe conſtructus: ſi quid enim ei ex his defuerit, perfectionem ſui operis non habebit. Vnde primo omnium ſpes nobis proponenda eſt futurorum, ſine qua nec præſentia quidem ipſa ſta- E re poſſe perſpicimus. Adeo tolle ſpem, torpet humanitas tota. Tolle ſpem, artes virtuteſque vniuerſæ ceſſabunt. Tolle ſpem, & interempta ſunt omnia. Quid facit ad literatorem puer ſi literarum non ſperat fructum? Quid rarem profundo gurgiti nauta committit, ſi ei nunquam lucrum, nunquam portus deſideratus occurrit? Quid miles, non dicam horridæ hyemis, aut torridæ æſtatis iniurias, ſed ſeipſum contemnit, ſi gloriæ ſpem futuræ non gerit? Quid agricola ſemina ſpargit, ſi ſudoris ſui præmium non colligit meſſem? Quid Chriſtianus credit in Chriſtum, ſi promiſſum ſibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non credit eſſe venturum? Sed ſpes ex fide eſt: quæ quamuis in futuro ſit polita, fidei tamen eſt iure ſubiecta: vbi enim fides nõ eſt, nec ſpes eſt: fides enim ſpei ſubſtantia eſt: & ſpes fidei gloria: quoniam præmium, quod ſpes habet, fides meretur: quæ quidem pro ſpe pugnat, ſed ſibi vincit. Amplectenda eſt igitur, fratres, tenaciter nobis, & omni genere F cuſtodienda virtutum: in hanc fortiter incumbendum: ipſa eſt enim vitæ noſtræ immobile fundamentum: inuictum aduerſus diaboli impetus propugnaculum pariter ac telũ: animæ noſtræ impenetrabilis lorica: legis compendioſa ac vera ſcientia: dæmonum terror: martyrum virtus: Eccleſiæ pulchritudo, vel murus: Dei miniſtra, Chriſti amica, Spiritus ſancti conuiua. Huic & præſentia ſubiacent, & futura: iſta, quia contemnit: illa, quia ſua eſſe præſumit. Nec ſpes timet, ne non veniãt: quia ea ſemper ſecum ſuis in virtutibus portat. Hoc eſt, quod Abraham contra ſpem in ſpem credidit Deo, vt fieret pater multarum gentiũ. Contra ſpem autem eſt, quod impoſſibile eſt, ac non videtur eſſe poſſibile. ſed poſſibile hac ſpe fit, cum Dei dicto indubitanter, ac fortiter creditur: dicit enim Dominus, omnia poſſibilia credenti. Vnde Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam: qui ideo iuſtus, quia fidelis: iuſtus enim ex fide viuit: ideo fidelis, quia credidit Deo: G Qui niſi crediſſet, neque iuſtus, neque pater gentium eſſe potuiſſet. Quapropter manifeſtum eſt, ſpei ac fidei vnam, inſeparabilemq; eſſe naturam: quia in homine ex his quæcunq; defecerit, ambæ moriuntur. Fides itaq; donum Dei, vel maximè res propria noſtra eſt, Domino ipſo dicente, Fides tua te ſaluum fecit. Igitur ſi noſtra eſt, ſeruemus vt noſtram: vt iure ſperemus aliena: nemo enim cenſum debitori committit: nec deſertorem præmijs triumphalibus honorabit: maximè cum ſcriptum ſit, qui habet, dabitur illi, & abundabit: qui autem non habet, etiam id, quod habet auferetur ab eo. Per hãc, fratres, à Deo Henoch meruit cum corpore contra legem naturæ transferri. Per hanc euadens Noe non inuenit, cum quo diluuium fuiſſe conferret. Per hanc Abraham ad Dei peruenit amicitiam. Per hanc Iſaac præter cæteros enituit. Per hanc Iacob Deo colluctans præualuit. Per hanc Ioſeph Ægyptum ſuæ ditioni ſubiecit. Hæc Moyſi in mari rubro terram vitream fecit. Hæc vt curſus ſolis contempta menſura Ieſu Naue deſiderio pareretur, ſoli lunæque ſuos frenos induxit. Hæc de H armato Golia Dauid inermi triumphos attulit. Hæc in Iob inter crebra & ingentia mala non deſperauit. Hæc in Tobiæ cæcitate medica fuit. Hæc in Daniele ora leonibus alligauit. Hæc in Iona cetum in cymbam conuertit. Hæc in Machabæicæ germanitatis exercitu ſola vicit. Hæc in tribus pueris ignes amœnos effecit. Hæc mare pedibus ambulari poſſe in Petro præſumpſit. Per hanc Apoſtoli multos in nitidam cutem lepræ deformis contagioſis, ſcabioſiſque graſſantium vlcerum ſpoliauere verticibus. Per hanc, inquam, cæcos videre: ſurdos audire: mutos loqui: claudos currere: paralyticos reformari: de obſeſſis dæmones fugere: mortuoſque ſæpe ipſos à ſepulchris cum ſuis ſibi exequijs reuerti iuſſerunt: vt omnes mirarentur fieri lachrymas gaudij, quæ nunc fuerant orbitatis. Sed longum eſt, fratres, ire per ſingula, maximè quia charitas ſua ingerit fortiſura: quæ eſt ita rebus vniuerſis prædita, vt ſit omnium iure ipſo regina. Triumphet licet, quibus vult virtutibus, fides ac ſpes, multa & magna proponat, tamen ſine hac vtræque non proderunt, fides primo omnium ſi ſeipſam non amet, ſpes ſi non ametur. Adde, quod fides ſibi ſoli prodeſt. charitas omnibus.

Adde,

A Adde, quod fides non gratis pugnat: charitas autem etiam ingratis conſerere conſueuit. Adde, quod fides non tranſit in alium: charitas, parū eſt dicere, tranſit in alium, quæ tranſit in populum. Adde, quod fides paucorum eſt, charitas omnium. Adde, quod ſpes ac fides tempus habent: charitas autem finem non habet, momentis omnibus creſcit: quantoq; ab ea diligentibus inuicē creditur, tanto inuicem plus debetur. Non quenquam pro perſona diligit, adulari quia neſcit. Non pro honore, quia ambitioſa non eſt. Non pro ſexu, quoniam illi vnus eſt ambo. Non pro tempore, quia varia non eſt. Non æmulatur, quia inuidia quid ſit, ignorat. Non inflatur, quia humilitatem colit. Non malum cogitat, quia ſimplex eſt. Non iraſcitur, quia etiam iniurias libenter amplectitur. Non fallit, quia fidē ipſa cuſtodit. Non vlla re indiget, quia ei præter quod eſt, nihil eſt neceſſarium. Hæc tuta, vrbes ac populos compoſita pace conſeruat. Hæc circa regum latera ſecuros gladios facit. Hæc bella premit: lites tollit: iura euacuat: ſo-

B ra compeſcit: odia eradicat: iras extinguit. Hæc mare penetrat: vrbem circuit: commercia nationibus neceſſaria ſubminiſtrat. Porcitiam, fratres, citu eius edicam. Quicquid locis natura negauerit, charitas reddit. Hæc coniugalis affectus duos homines ſacramento venerabili vnam cogit in carnem. Hæc humanitati præſtat eſſe, quod naſcitur. Huius eſt munus quod cara vxor: quod generoſi liberi: quod veri ſunt patres. Huius eſt munus quod alij, vt nos, aut pluſquam nos, proximi vel amici ſunt nobis. Huius eſt munus, quod diligimus ſeruos vt filios: ac nos illi colunt libenter vt dominos. Huius eſt munus, vt, non dicā notos aut amicos, ſed ſæpe etiam eos, quos nunquam vidimus, diligamus. Huius eſt munus, quod antiquorum aut virtutes ex libris, aut ex virtutibus libros agnoſcimus. Sed quid ego diutius demorer in humanis, quaſi ſola iſto affectu ſint prædita. Nōne videmus omne animantium genus congregatione, concordia teſtari charitatem? atque ita omnis motus quaſi vno ſenſu magiſtra dilectione conuerti, vt quiuis intelligat, hoc fieri non poſſe ſine naturalis ami-

C citiæ diſciplina? Quid autē pro ſe in neceſſitatibus gerant, omnibus nota porcorum quotidiana propemodum tam iocundi certaminis exempla declarant: quia aliquis eorū cum fortè de numero audacis lupi rabie rotatus in præſens periculum cœperit inſeſtationibus tyrannicis duci, omnes repentè concelerant: laboranti ſubueniunt: penè armis ipſis inimici certatim ſe crebro ſubijciunt: ingenti fragore confundunt: exertiſque mucronibus ſordidis, velut teſtudine quadam reſiſtunt: vincuntq; facilius charitate, quod ſigillatim nuda vix poſſunt ſuperare virtute. Elementa quoque ipſa fratres, ſatis diuerſa, ſatiſq; repugnantia olim deprehendiſſet interitus, niſi ea inuicē mutuis æqualibuſque temperantiæ dotata muneribus, perenni connubij fideli propagine benigna charitas illigaſſet. Nihil eſt prorſus, quod ſine hac gratum, ſine hac pacificū, ſine hac fidele, ſine hac ſecurum, ſine hac glorioſum, ſine hac Deo iunctū, ſine hac poſſit eſſe perfectum. Denique cum Dominus interrogaretur, quod eſſet ſummum legis ſacræ præceptum, ſic ait dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex*

D *tota anima tua, & ex tota virtute tua. Et ſecundum ſimile huic: diliges proximum tuum, tanquam teipſum: In his duobus mandatis pendet omnis lex, & prophetæ.* Vnde manifeſtum eſt, dilectionē virtutum omnium diuinarū eſſe ſubſtantiam, naturalemque magiſtram: quoniam ex legē diſcitur: ſed in mentibus naſcitur: lex enim pendet ex charitate, non charitas pendet ex lege, ſacra ſcriptura dicente: *Iuſto lex poſita non eſt, ſed peccatori.* Peccator autem ille eſt, qui charitatem nō habet Dei: ac per hoc operans iram rectè ſubiacet legi. Atqui fortè aliquis dicat, lex ſpernenda eſt, quia iuſto neceſſaria non eſt, peccatori vero moleſta eſt. Abſit fratres, immo potius veneranda eſt, quia veritatis ſpeculum, quia rigida quædam dilectionis eſt forma: quicquid enim a iuſto didicit, id facere iniuſtum quoque compellit: bifariè inclyta, vnum glorificando, alium corrigendo. Conſtat ergo omne Chriſtianitatis magis in charitate, quàm in ſpe, vel fide eſſe depoſitum: ſicut euidens teſtatur exemplum. Iudas Iſcariotes traditor Domini & ſpem, & fidem perdidit: quia charitas in ipſo non manſit. nam & hæreſes, & ſchiſ-

E mata ſic diſſeminantur, cum inflata fides, ac ſpes dilectionis a fundamento velluntur. Quid autem ſine charitate ſint non tantum iſtæ, ſed & aliæ quoque virtutes, indice Paulo cognoſcite. *Etſi habuero*, inquit, *omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem non habeam, nihil ſum. Et ſi in cibos pauperum diſtribuero omnia mea, & ſi tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio. charitas enim fratres, omnia diligit: omnia credit: omnia ſperat: omnia ſuſtinet, charitas nunquam excidit.* Igitur non immerito Dominus Deus proximi dilectionem commendat: quoniam ſolam præſumit ſeruare poſſe, quod præcipit. Primum eſt itaque dilectionis officium, Deo refundere, quod nati ſumus: ſoli que debere, quod viuimus: nihilque prorſus cordis noſtri in penetralibus retinere, quod alieno iure ſeruemus. At cum ab eodem huius deuotionis inuitatione inhabitari, ſeu nos in ipſo habitare cœperimus, ſicut Ioannes dicit: *Deus charitas eſt. & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo manet*, tunc demum, fratres, charitatem per ſemetipſum ei condignè reddemus, quia facta commutatione, quod eius eſt, fit pro partibus noſtris, ſequeos eſt,

F vt etiam proximos eos affectu, quo nos ipſos diligimus, diligamus: maximè cum cognationis ipſa hoc exigant iura. clamat enim propheta, Deus vnus creauit vos. Nonne pater vnus eſt omnium veſtrum? Quiſquis igitur nobilitatis ſuæ conſcientiam retinet, diligit fratrem: nec aliquid audire expectat ex lege, ne admonitione pietati aliquid derogetur: tantumque ſe in ipſo amat, vt oderit ſe ſine ipſo. Accedit ad cumulum, quod ideo Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fecit, vt contemplatione imaginis pateremur reuerentiam veritatis, in ea qua res conditione dimiſſa eſt, vt ſi quid mali, vel boni cuiquam fecerimus, Deo feciſſe videamur. propter quod non immerito Ioannes peculiaris arcanorum Domini cōſultor conſtanter edicit: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum odit, mendax eſt: qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, non poteſt diligere.*

G Decertemus igitur, fratres, inter nos mutui amoris æmulatione glorioſa: imaginemque Dei digniſſimè venerando, declaremus quid ipſi veritati debeamus, ſcientes, quoniam ſi quis imaginem læſerit, in exitium ſuæ animæ incitat veritatem. Nec eſt dicto longè probatio: ſi inclyti cuiuſquam regis, hominis tamen vultus quiuis vlla violauerit ratione: nonne continuo velut ſacrilegij commiſſi capitales pœnas luit? quanto magis in Dei cauſa fortius præcauendum eſt, quem ſolum veretur, quicquid in virtutibus naturæ à regibus ipſis quoque metuitur? Sed neceſſario vnicuique ſinceri amoris eſt noſcenda proprietas, ne ſub ſuo nominis committatur regula veritatis: eſt enim & alius amor ſanè ſaluti noſtræ contrarius: cui rectè hominis forma tribuitur, quia temporalis, ac fragilis eſſe cognoſcitur. Ideo lineamento puerili depingitur, quia eius laſciua lubricitas nec annis ſenilibus temperatur. Ideo nudus, quia voluntas eius eſt turpitudo. Ideo pennatus, quia in quæcunque conceperit, velociter ruit, ideo telis, facibusq; conſtructus, quia illicitis ardoribus ſemper iunctus

H eſt gladius. Ideo autem cæcus, quia cum exarſerit, non ætatem conſiderat, non formam, non ſexum, nō gradum, non ſacroſanctum illum ſaltem ſanæ pietatis affectum. Hic faſcibus ſuis Heuæ pectus incendit. Hic Adam ſuis telis occidit. Hic Suſannam conatus eſt duorum ſeniorum aut prodigioſis ignibus ſubijcere, aut parricidali gladio iugulare. Hic Ioſeph mulieri flagitat eſſe violentum: quem etiam, dum denudat, eſſe non inuenit impudicum. Hic ſynagogam expugnauit, cum ſua illi arma concedit. Hic vbique turbulentus: vbique fertur inſanus. Promittit, dat, tollit, nunc triſtis, nunc hilaris, nunc humilis, nunc elatus, nunc ebrius, nunc ieiunus, nunc accuſator, nunc reus. locatur, ludit, pallet, tabet, ſuſpirat, celat, obſequitur, aut tentat, aut decipit, peiuſq; blanditur, quā ſorit. Occaſionem vllam protſus nocendi non prætermit. Vultis ſcire, quod malum ſit? in ipſo fructu ſuo etiam ipſe ſe odit. venenis eius quotidie totus exæſtuat mundus: peſtiferiſque voluptatib᷒ ita corrupta ſunt omnia, vt quicquid in eo geritur, nō debere diligi à nobis ſacris vocibus dum iubetur, rectè ſapientibus execrabilis eſſe videatur, Ioanne dicēte;

A *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, non eſt charitas patris in illo: quoniam omne, quod in mundo eſt, concupiſcentia eſt carnis, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi:* quæ non eſt à patre, ſed ex concupiſcentia mundi: per hanc enim diabolus cum diuerſè hominum mentes capit ac decipit, ſic cupido vocitari à luxurioſis ſibi cultoribus cœpit. Nunc ergo videamus vnde vera charitas veniat: vbinam conſiſtat: cui vel maximè debeatur. Vtique illi, qui hominem fecit: qui ei munus perpetuæ charitatis ſimilitudinem ſuam tradidit: qui orbem terræ donauit: qui omnia elementa mundi cum animantibus ſuis eius poteſtati ſubiecit: qui ei annos, tempora, menſes, noctes, ac dies, clariſſimoſque duos regalium orbium curſus numerifero ſemper viciſſitudinis delectamento ſeruire præcepit: qui eum ſupradicti amoris malè dulcibus venenis occiſum, infernæque ſedi ſubmerſum, maieſtatis ſuæ ſacramento viuificatum inſuper regni cœleſtis participatione ditauit. O charitas, quàm pia, & quàm opulenta, ò quàm potens! nihil habet, qui te non habet.
B Tu Deum in hominem demutare valuiſti. Tu eum breuiatum pauliſper ab maieſtatis ſuæ immenſitate, peregrinari feciſti. Tu virginali carceri nouem menſibus religaſti. Tu Heuam in Mariam redintegraſti. Tu Adam in Chriſto renouaſti. Tu ſacram crucem in ſalutem perdito iam mundo prouidiſti. Tu mortem Deum mori docendo vacuaſti. Tuum eſt, quod cùm occiditur ab hominibus Deus omnipotentis Dei filius, nullus iraſcitur de duobus. Tu populi cœleſtis animam tenes, tum ornas pacem: fidem cuſtodis: amplecteris innocentiam: veritatem colis: patientiam diligis: ſpem repræſentas. Tu diuerſos homines moribus, ætatibus, diuiſione, ex vna natura vnum ſpiritum, vnum efficis corpus. Tu martyres glorioſos à confeſſione Chriſtiani nominis nullis tormentis, nulla nouitate mortis, nullis præmiis, nullis amicitiis, nullis affectibus omni ſanè tortore pietatis mordacitate peioribus ſeparari permittis. Tu, vt nudum veſtias, nuda eſſe contenta es. Tibi fames ſaginatio eſt. Si panem tuum inops eſuriens manducauerit, tuus cenſus eſt, tuum in miſericordiam habere, quod habes. Tu ſola rogari non noſti. Tu oppreſſos
C vel cum diſpendio tui incunctanter eripis in qualibet anguſtia conſtitutos. Tu cæcorum oculus. Tu pes claudorum. Tu ſcutum fideliſſimum viduarum. Tu melior pupillorum, plus quam vterque parens. Tibi oculos nunquam ſiccos eſſe aut miſericordia permittit, aut gaudium. Tu tuos ita diligis inimicos, vt inter eos, caroſq; tibi quid diſtet, nemo diſcernat. Tu, inquam, cœleſtia humanis, humana cœleſtibus iungis arcana. Tu diuina cuſtodis. Tu in patre imperas. Tu in filio obtemperas. Tu in Spiritu ſancto exultas. Tu cum in tribus vna ſis, nullo pacto diuideris: nulla humanæ curioſitatis calumnia commoueris. A paterno fonte in filio tota refunderis: & tamen tota vbi refunderis, nec recedis. Rectè Deus diceris: quia Trinitatis potentiam ſola conuertis.

Sermo pro fidei veritate.

NON hodie mihi ad vos ſermo eſt, fratres chariſſimi, de humanis geſtis, aut meritis. Nec Daniel inducitur
D inter frementium leonum rabidos rictus intrepidus, cœleſti prandio ſatur: nec Ionas inter æſtuantes procellas, ſolicitique maris fluctus inſanos, tutior piſcis aluo, quam alueo nauis: nec tres pueri, quo ardere putabantur, incendio de ſuis incenſoribus vindicati, ſed de Domino noſtro, quem (proh nefas) venerantur externi (ſi tamen dicendum eſt) ſui carpunt. Sanè nullis argumentis armatus, quibus illi libenter vtuntur, qui aduerſus veritatem falſa componunt, ſed cœleſtibus teſtimoniis, multis, manifeſtis, ac puris, vt docti probent: minus inſtructi ſeſe confirment: rudes diſcant, ipſique qui blaſphemare nituntur, ſalutis ſuæ bono vel ſero, ſi poteſt fieri, reſipiſcant.

De Paſcha Sermo I.

SECVLORVM hæres, & paterno curſu procurrens, atque reuertens ſolemni meta rotatus in ſe proferens ſibi de fine principium, natalitia in fine de occaſu dies ſempiternus eluxit: quo diſcuſſa conuolutæ hyemis triſtitudine, nouo vento fauonio blandiente diuerſis floribus, genere, colore pariter, & odore vna natiuitate diffuſis, germinantia vndique dulce prata reſpirant. Exultat æſtas noua: ſed diues in frumenti varias moles ſpicam feliciter conuoluens palma, quam conſequitur congruè muſtulentus autumnus, vt neceſſario gratiæ panis vini quoque iucunditas iungeretur. Quis non hæc cœleſtibus myſteriis coaptata cognoſcat? hyems namque pigra, ſordida, & triſtis ad eos pertinet, qui idololatriæ deſeruientes, mundanis voluptatibus compediti, libidini vacantes, & gutturi longè moliti, id eſt æternæ morti ſunt à Deo, quod opus tenebrarum dilexerunt, deſtinati. Ver ſacrum fontem debemus accipere: cuius diuite ex alueo fauonio nō vento, ſed Spiritu ſancto generante, odorem diuinum beata ſpirantes fide, diuerſa chariſmate, ſed vna natiuitate Eccleſiæ flores clariſſimi, ac dulces noſtri fundantur infantes. Æſtas autem fidelis eſt populus, Angelus, & mundus: qui ſponſionis ſuæ palmam fortiter retinens, peccatorum paleis limpidatus, ſemet pretioſum frumentum diuinis horreis inferre deſiderans, licet ſuo vberet fonte, tamen æſtuat ſemper iuſtæ operationis ardore. Autumnus quoque martyrii locus eſt: in quo non vitis, ſed foſſoris ſanguis effunditur: vt vita beata pretioſæ mortis vindemia comparetur. Dies verò ad ſacramentum pertinet reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui in omnibus omnia eſt. qui verè æternus eſt, ac ſine nocte dies: cui duodecim horæ in Apoſtolis, duodecim menſes ſeruiunt in prophetis, quem Euangeliorum ſalutaria quatuor prædicant tempora. Cui nō anniuerſarii, ſed quotidiani fructus reſpondent, hymnum canentes Deo credentibus populis: qui omni immortalitatis ſemine propagantur in ſecula. In huius diei luce gradientes exultemus fide: iocundemur bona conuerſatione: vt perpetuam vitam adipiſci mereamur, Per Dominum Ieſum Chriſtum.

De Paſcha Sermo II.

INSTABILI curſu, multiformi gratia redimitus, temporum ſolemni veſtigio dies ſalutaris aduenit, idem ſui ſucceſſor, idemque deceſſor, longæua ſemper ætate nouellus, anni parens, annique progenies antecedit, ſequiturque tempora & ſecula infinita, parit ſibi de fine principium: & tamen à cunis genitalibus non recedit, profectò ſacramenti dominici imaginem portat: nam occaſu paſſionem, reſurrectionemq; ortu rediuiuo concelebrat, per quem nobis munus futuræ beatitudinis pollicetur: hoc quoque noſtris competentibus præſtaturus, quos nunc inuitat felix occaſus: vt ſacri Oceani lacteo profundo demerſi, inde nouello, nouellique cum die reſurgentes nobiſcum poſtini ad immortalitatis gloriam peruenire.

De Paſcha Sermo III.

MORTE ſua viuens, ſepulchri ſinu vegetatus, innumerabiles temporum metas perenni † curru, vna † al. curſu. H eademque orbita luſtrans dies magnus aduenit: menſes in tempora, tempora in annos, annos in ſecula pandens, ſine paula creſcit in ſenium: & tamen à cunis genitalibus non recedit: profectò ſacramenti dominici imaginem portat: nam occaſu paſſionem, reſurrectionemq; ortu rediuiuo concelebrat: per quem nobis quoque reſurrectionem futuræ beatitudinis pollicetur.

De Paſcha Sermo IV.

In quo paucis additis, quibuſdam mutatis continentur ea, quæ in ſecundo, quod etiam in quinque ſequentibus factum eſt.

SEMPITERNI currus auriga teretis metæ ſua replicans complicando gyro ſolemni veſtigia, dies ſalutaris aduenit. Idem ſibi ſucceſſor; idemque deceſſor, longæua ſemper ætate nouellus, anni parens, annique progenies, antecedit quæ ſequitur tempora: & vt ſecula colligenda diſſeminet,

E F G

A diſſeminet, parit ſibi de fine principium. Hic eſt, quo ſimiliter, veruntamen ſemel amore hominis ſui eius artifex Deus, & Dominus noſter occidit: & exutus eſt nitium, nunquam ſanè repetiturus occaſum. Hic, inquam, quo ferales diruptæ ſunt tenebræ: quo mors ſubacta eſt: quo homines, quos ſuſceperant mortuos, refundere inſeri coacti ſunt viuos. Quem vt ſemper & vbique, aucta fide, numero, charitate noſtris cum fratribus celebremus, præſtabit Deus pater omnipotens.

De Paſcha Sermo V.

NEc ocioſo curſu reciprocis ambagibus operis mundani penſa perpetrans genitalia ſemper nouellus occaſu à te in ſemet ſua per veſtigia reuolutus dies ſalutaris aduenit; officiis ſacramenti Domini omnibus omni genere munerum largus: namque pius mercedem ſacerdotibus præſtat: conſequentibus miniſtris promotionis augmentum: immortalitatis fidelibus fructum: B pœnitentibus curam: catechumenis lucis viam, competentibus remiſſam omnium peccatorū. Sic que cunctos in vnam Christi corporis gratiam congregatos ad cœleſtia regna perducit per Dominum, & Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum: qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum.

De Paſcha Sermo VI.

PErpetis anni petnicem curſum in bis ſenæ mutationis augmentum vna, eademque, nec ipſa, ſed ipſa orbita circumducens, dies magnus aduenit, ſuo ſibi ſemper nouellus occaſu, quod præterit, ſequitur: quod futurum eſt, antecedit. In omnibus nuuus eſt: & tamen in omnibus vetus eſt. punctis omnibus commutatur, non natura, ſed numero, fit filius horarum, qui pater eſt omnium ſeculorum. Hic eſt dies, fratres, quo à Domino noſtro cunctus redemptus eſt orbis: quo æthereo ſemine nouellus, id eſt noſter viuificatus eſt populus. Hic inquam, qui nobis reſurrectionis monſtrat exemplum: cuius ſanè conditione nos beatiores ſumus: quia ille occidit, ſemper vt C viuat, fidelis autem poſt ſecundæ natiuitatis occaſum reſurgens horrore nunquam intercipitur tenebrarum.

De Paſcha Sermo VII.

SPecioſo circulo ſacer inflexus dies in mundani operis penſa quadriga temporum fertur, duodenis menſium perpeti nitu mutationibus diues, nulla ſtatione cōtentus: quia immortalitas eius eſt curſus. Verum currat, an recurrat, ambiguum eſt: cuius præteritum reſtat, vt redeat. Mira prorſus ratio, innumerabilium ſeculorum diuerſa menſura conterendo innouat ſpatia: & tamen eius ſemper orbita eſt vna: qui nos admonet, fratres, paſſionis, reſurrectioniſque dominicæ vnanimes atque concordes ſalutaria celebrare myſteria, per Dominum, & conſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum.

D *De Paſcha Sermo VIII.*

STabilis curſor, multiformi gratia redimitus, per temporum ambages pernicibus plantis ſua recalcans, officio ſolenni veſtigia dies ſalutaris aduenit. Idem ſibi ſucceſſor, idemque deceſſor, longæua ſemper ætate nouellus, anni parens, annique progenies, antecedit quæ ſequitur tempora, & ſecula infinita diſſeminat, parit ſibi de fine principium: hoc noſtris quoque hodie competentibus præſtaturus: quos iam nunc felix inuitat occaſus, vt ſacri Oceani lacteo profundo demerſi ſurgentes inde nouello nouelli cum die, ſua luce radiantes nobiſcum poſſint immortalitatis per aetium tramitem curſu ſeruato ad repromiſſionis tempus, vbi in perpetuum quis oritur, peruenire.

De Paſcha Sermo IX.

Pro baptizandis.

MAgnificus, fratres dilectiſſimi, ſeculorum paterna adeſt dies, omni genere fructuum fœtibus pollens, diuite ſinu, momentis quibus velis, quatuor temporum munera expungens. Denique competentibus noſtris finitur hyems. hodie peccatorum oleo confecto lætabuntur. Hodie eos etiam ver arridens diuerſos in flores diuerſo chariſmate rediturum eſt, cum ſalubri vnda perfuſi, limpidæ æſtatis meſſe gaudentes panem nouum corperint manducare: quos autumnale quoque non morabitur muſtum: quo repleti inebriatiq; feliciter Spiritus ſancti calore feruebunt: qui vt nunquam refrigeſcant, omnibus nobis præſtabit Deus pater omnipotens.

Inuitatio ad fontem I.

EIa fratres, quos beatæ ſitis exoptatus ardor incendit, quos nectarei fluenti dulce murmur inuitat, F lacteum genitalis fontis ad laticem conuolate: & incunctanter ac fortiter bibite, dum licet ſuperfluentis amnis vndæ ſubiecti toto impetu, totaque deuotione veſtra vaſa replete, vt ſemper vobis aqua ſufficiat: hoc ante omnia ſcientes, quia hanc nec effundere licet, nec rurſus haurire.

Inuitatio ad fontem II.

PRoperate, properate benè loturi, fratres. Aqua viua, Spiritu ſancto & igne dulciſſimo temperata; blando murmure iam vos inuitat. Iam balneator præcinctus expectat, quod vnctui, quod terſui opus eſt, præbiturus, ſed & denarium aureum triplicis numiſmatis vnione ſignatum. Gaudete itaque, in fontem quidem nudi demergitis, ſed ætherea veſte veſtiti, mox candidati inde G ſurgetis, quam qui non polluerit, regna cœleſtia poſſidebit, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Inuitatio ad fontem III.

EXultate, fratres, in Chriſto, omnique deſiderio conuolantes cœleſtia dona percipite. Iam vos ſempiterni fontis calor ſalutaris inuitat. Iam mater noſtra adoptat, vt pariat: ſed non ea lege, qua vos matres veſtræ pepererunt: quæ & ipſæ partus dolore gementes, & vos plorantes, ſordidos pannis ſordidis alligatos, huic mundo dedititios intulerunt, ſed læta gaudentes: cœleſtis, libera peccatis omnibus abſolutos, non fœtidis cunis, ſed ſuaue redolentibus, ſacri altaris feliciter enutrita cancellis, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Inuitatio ad fontem IV.

H IAm iamque dicto citius ad æthereas portas, fratres intrate, æternique gurgitis alueo genitali condentes vilem pro perſonis operari ne æſtimetis hic gratiam; iudicio veſtro naſcimini, ſcientes, quoniam qui plus crediderit, nobiliorem ſeipſe præſtabit. Conſtanter igitur, ac fidenter hominem illum veſtrum veterem fœtoroſis cum pannis abiicite, nouelli omnes, omnes candidati, omnes Spiritus ſancti munere mox diuites proceſſuri.

Inuitatio ad fontem V.

QVid ſtatis genere, ætate, ſexu, conditione diuerſi, mox vnum futuri? fontanum ſemper virginis matris dulce ad vterum conuolate: ibidemque vos veſtra nobilitate fide, ſcientes, quoniam quantum quis crediderit, & operatus fuerit, tantum beatitudinis & habebit: O admirabilis, & verè diuina ſacroſancta dignatio: in qua quę parturit, non gemit: qui renaſcitur, plorare nō nouit. Hæc renouatio: hæc reſurrectio: hæc vita æterna: hæc eſt mater omnium,

A omnium, quę nos adunatos ex omni gente, & natione collectos vnum poſtmodum efficit corpus.

Inuitatio ad fontem VI.

In qua perpaucis additis, quibuſdam' mutatis continentur ea, quæ in prima.

EIA fratres, quos beatæ ſitis exoptatus ardor incendit, cupiditate ac velocitate ceruina lacteum genitalis fontis ad laticem conuolate. Fortiter bibite, vt ſemper vobis aqua ſufficiat: hoc principaliter ſcientes, quia bis nec effundere licitum eſt, nec ruſus haurire.

Inuitatio ad fontem VII.

EXVLTATE fratres, quos ſua parturit fides: qui mundi huius fugientes inſidias, reatum, vulnera, ac mortem, paternæ implorastis auxilium maieſtatis: omnique B non pedum velocitate, ſed mentis, pij fontis ad gurgitem conuolate. Vos conſtanter immergite, ſaluo ſalutis ſtatu, veteris hominis veſtri felici morte victum.

Inuitatio ad fontem VIII.

EIA, quid ſtatis, fratres, veſtram quos per fidem genitalis vnda concepit, per ſacramenta iam parturit, ad deſiderata quantocyus feſtinate. Solemnis hymnus ecce iam canitur, ecce mox infantum dulcis vagitus auditur, ecce parientis vno de ventre clariſſima turba procedit. Nouitas, vt iure ſpiritali vniuſquiſque naſcatur, vltro currite ad matrem: quæ tunc non laborat, ſi quos pariter numerare non poſſit. Initiate ergo: intrate felices omnes, ſimul ſubito futuri lactentes.

Ad Neophytos poſt baptiſma, Sermo I.

C POST deuotiſſima completa expiationis ſacræ caſta ieiunia, poſt clariſſimæ noctis ſuo ſole dulces vigilias, poſt lactei fontis lauacro vitali in ſpé immortalitatis animas pullulantes, ex quo qui eratis ætate diuerſi, diuerſi natione ſubito germani fratres, ſubitò vnigeniti emerſiſtis infantes: hortor vos natiuitatis tantæ feſta læto celebrate cõuiuio: ſed non illo, in quo diuerſis epulis, nutrimentorum lenocinio, ſaporis de ſumma certantibus obrutum pectus ſæpe crudis, atque acidis vomitibus ingurgitetur: in quo muſti veſtri dulcedo ſecularis, vini pridiani exhalante fœtore corrumpitur; ſed cœleſti prandio, honeſto, puro, ſalubri, atque perpetuo: quod, vt ſaturi ſemper, ac felices eſſe poſſitis, eſurientes accipite. Paterfamilias panem, vinumq; pretioſum vobis ex vſibus ſuis ſua de menſa largitur. Tres pueri vnanimes legumina inferunt primi: quibus vt ſcitus ſit ſapor, ſalem ſapientiæ aſpergunt: oleum Chriſtus infundit: Moyſes primitiuam feſtinus maturamque procurauit agninam: Abraham pinguem, conditamq; fideliter vitulinam. Iſaac innocenter oleum portat, & ligna. Iacob patienter varia exhibet pecora. Ioſeph præmotus ad menſuram prærogata unctis annonam. D Sanè ſi quis aliquid deſiderauerit, qui recondidit Noe omnia, illi arcarius non negabit. Petrus piſcator recentes marinos affatim piſces apponit cum ſarda admirabili. Tobias peregrinus fluuialis piſcis interanea diligenter accurat, & aſſat. Ioannes camelarius deuotè præcurrens de ſylua mel attulit, & locuſtas. Ne alter alterum manducantem denotet, inuitator admonet Paulus. Dauid regius paſtor omnibus momentis lac argenteum ſubminiſtrat, & caſeum. Zachæus ſine mora quadruplicata expungit apophoreta. Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei filius, ſicut prior, qui hoc prandio paſtus eſt ante nos, dicit: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & fauum ori meo.* Hæc, fratres, ſi quis libenter crediderit, largiores adhuc eſcas inueniet: quibus ſi diligens fuerit, ſemper & ſe, & alios bonis omnibus ſatiabit. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Ad Neophytos poſt Baptiſma, Sermo II.

RECTE ſanctiſſimus Dauid ait: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata:* quia beatus eſſe non poteſt, fratres, in prima natiuitate perſiſtens: quem æſtuantium delictorum fex incenſa omnibus momentis exurit: qui pædorem ſui ſecum carceris portat: qui carnificem ſentit ante, quam videat: qui nomen iudicis pertimeſcit: qui ſicunde ſuſurrus ingruerit, ſe quæri, ſe æſtimas inueniri; cui ſecuritatis profectus eſt nullus, etiamſi contingat ei accuſatore carere, teſte conſcio: cum ſeipſo carere non poſſis: quia violentior omni tortore conſcientia nunquam ſuum deſerit peccatorem. In hoc reatu, fratres, vſque nunc fuiſtis: ſed fortiter examinati eſtis: ſed, vt indulgentiam perciperetis, pro vobis bene vigilaſtis, optimè eſtis auditi. Nouum iudicij genus: in quo reus ſi excuſauerit crimen, damnatur: abſoluitur, ſi fatetur. O magna poteſtas, magna peritia, magna pietas iudicis noſtri! à quo vniuerſi generis peccatores, vt poſſint beate viuere, puniri feſtinant, deſcendit quippe gladius pius in viſcera peccatoris, & vno eodemque ictu, incolumi corporis manente materia, interficit hominem veterem: creat nouum: & ſacri gurgitis clemenſo ſepelit. Et, cum omnium aquarum natura ſit talis, vt cum in profundum homines ſuſceperis viuos, euomat mortuos, aqua noſtra ſuſcipit mortuos, & euomit viuos, ex animalibus veros homines factos: ex hominibus in angelos tranſituros, ſi prouectus ætatis eorum infantiam non mutauerit.

Ad Neophytos poſt Baptiſma, Sermo III.

EXVLTEMVS, fratres in Chriſto: triumphatorique perpetuo hymnis, citharis, tympanis, canticis gratiam referamus: qui nobis promiſſa perpetuans pia ſanctione (vt aiunt) claues vere aureas mutit: & quidem non illas, quæ maligno beneficio crimina excipiunt: quæ corpori parcunt, animam liberare non poſſunt: quæ peccata cum diſſimulando prætereunt, non adimunt, ſed includunt: quæ reum qualem inuenerint, talem quoque dimittunt: quæ in pari cauſa ipſi præſtatori nihil prodeſſe poſſunt. At verò noſtræ aeternum abſoluunt, quicquid inuenerint: nec aliquid ſubſeciui eſſe patiuntur: ſed pectorum aperiunt cuncta penetralia: diligenter vniuerſa crimina expellunt: ac rurſus diligenter occludunt, ne quid illo vel friuolum, inde quod excluditur, reuertatur. Mira ratio: mira beatitudo. Saluo reo punitur reatus in eo, integroque ſtatu moritur in homine: propter quod homo fuerat moriturus. Iuſte eſt, quod noſtra non habes neceſſaria tormenta confeſſio: quòd ſine ſudore tortoris facinora ſua ſponte reus, vt fiat innocens, confitetur. Pretioſa indulgentia eſt, fratres, quæ & veniam præſtat, & medicinam. Cæterum, qui parcit veneficeo, homicidæ, adultero, inceſtatori, ſacrilego, niſi eius curauerit mentem, non videt, quid illi præſtiterit. O liberatoris noſtri profunda prouidentia. O præſtantia ſingularis. O dulcis ſententia. O damnatio neceſſaria. Homo iugulatur, vt viuat percuſſor, percuſſorique non cernitur gladius: percuſſique non hiat vulnus: non defluit ſanguis, non decolor color eſt. Ipſe eſt. & tamen ipſe non eſt. Vetus quidem videtur domicilium, ſed nouus eſt inquilinus, mutatione morum natiuitatis ſuæ nobilitatem incredulis varijs virtutibus monſtrans. Cuius ſanctionem veſtræ ætatis omni circulo manente in ſua ſemper infantia, cuſtodite, ac fortiter præcauete, ne primi hominis quondam veſtri vnquam memoriam recolatis.

Ad Neophytos poſt Baptiſma, Sermo IV.

SALVETE hodie nati fratres in Chriſto: acceptæque indulgentiæ regale beneficium diligenter, fortiter, ac fidelites cuſtodite: etenim veſtes contractus omnis ablatus eſt, ſecuri gaudete, nihil ſeculo iam debetis.

A Ecce nullum pondus: ſtridor nullus eſt mundanarum veſtris in ceruicibus catenarum. Vinculis nullis impeditæ ſunt manus: nullis pedes onerati compedibus. Non vos vllus terror exagitat: non vllæ ſordes offuſcant: qui conſcium timebatis, conſcientiam non timetis: vetus enim homo veſter feliciter condemnatus eſt, vt abſolueretur: ſacri gurgitis vnda ſepultus, vt ſepulchri nido viuificatus reſurrectionis iura guſtaret. O magna prouidentia Dei noſtri. O bonæ matris charitas pura, diuerſo genere, ſexu, ætate, conditione ſuſcipiens necat odio criminum, vt nouerca: pia ſeruat vt mater: necatoſque non ante viuificat, quàm omne virus vetuſtatis extinguat. Ne quid adulterũ pariat, ac ne quem plus amare videatur, aut minus: vnam natiuitatem, vnum lac, vnum ſtipendium, vnam Spiritus ſancti præſtat omnibus dignitatem. Quam ſpecioſum eſt, fratres, quamque ſalutare, quem paulo ante ridiculo habueris, admirari: cuius execratus ſis corruptelam, operis imitari virtutem: quem cupidũ ſemper horrueris, ſtupeas paſſim in pauperes, & egenos ſua bona vniuerſa fundentem: poſtremo quem noueris idololatriæ ſanum, gaudeas

B Dei templũ. Itaque beatus eſt ſemper, qui meminit, quòd renatus ſit: beatior, qui non meminerit fuiſſe ante, quàm renatus ſit: beatiſſimus, qui infantiam ſuam prouectu temporis non mutauerit.

Ad Neophytos poſt baptiſma, Sermo V.

AETHIOPES gentes exultate, nouella pignora in Chriſto, florentiſſimique hodiernæ ſpiritalis vitæ veſtræ candorem nequo pactu maculetis, perpeti diligentia cuſtodite, quia neſcit iterare, quod præſtat. Ecce pueri, adoleſcentes, iuuenes, ſenes vtriuſque ſexus, qui eratis rei, eratis & immundi mundana natiuitate, contra omni reatu iam liberi, mundi eſtis infantes: &, quod eſt admirabile, & gratum, ſubito vno momento facti ætatibus diuerſis æquæui, ſed curioſitatem veſtram bene noui veteris vitæ vſurpatione: quod quidem vobis vlterius non licebit. Fortaſſis requiratis & à nobis, qua genitura, quóve ſigno tam

C diuerſos, tam plures, tam diſpares vno partu veſtra vos peperit mater. Sicut paruulis morem geram: ſacrique horoſcopi pandam tota breuitate ſecreta. Igitur, fratres, geneſis talis eſt veſtra. Primus vos, qui in ſe credentem reprobat nullum, non Aries, ſed Agnus excepit: qui veſtram nuditatem velleris ſui niueo candore veſtiuit: qui ſuum lac beatum vagitu hiantibus veſtris labris indulgenter infudit. Idem non tumidus ceruice, non toruus fronte, nun minax cornu Taurus, ſed optimus, dulcis, blandus, ac mitis vos admonet Vitulus, vt nulla vllo in opere captantes auguria, eius ſine malitia ſuccedentes iugo, terramque veſtræ carnis domando fœcundantes, lætam diuinorum ſeminum meſſem cœleſtibus horreis inferatis. Et admonet proſequentibus Geminis, id eſt duobus ſalutare canentibus teſtamentis, vt principaliter idololatriam, impudicitiam, auaritiamque fugiatis, quæ eſt incurabilis Cancer. Leo autem noſter, ſicut Geneſis proteſtatur, leonis eſt catulus: cuius iſta pia ſacramenta celebramus, qui ad hoc recubans obdormiuit, vt vinceret mortem: ad hoc euigilauit, vt beatæ reſurrectionis ſuæ in nos munus immortali-

D tatis conferret. Quem competenter ſequitur Virgo prænuncians Libram, vt noſceremus Dei per filium, qui incarnatus proceſſit ex virgine, æquitatem, iuſtitiamque terris illatam: quam qui conſtanter tenuerit, ac fideliter miniſtrauerit, non dicam Scorpionem, ſed ſicut Dominus ait in Euangelio, omnes omnino ſerpentes illæſa planta calcabit. Sed nec ipſum quoque diabolum, qui verè eſt acerrimus Sagittarius, formidabit vnquam, varijs, atque igneis ſagittis armatus totius humani generis omni momento corda diſtringens: propter quod ſic Paulus Apoſtolus ait, *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis vos conſtare aduerſus nequitias diaboli, accepto ſcuto fidei, per quod poteritis omnes ſagittas illius mali, quæ ſunt igne plena, extinguere.* Is enim infelicibus nonnunquam immittit Capricornum vultu deformem, & per cornu exitioſis labia liuentia ſpumantibus venis ebulliens, palpitatore ruina captiui tota miſerabiliter per membra deſæuit. alios amentes, alios furioſos, alios homicidas, alios adulteros, alios ſacrilegos, alios auaritia

E efficit cæcos, longum eſt ire per ſingula, varias, atque innumerabiles nocendi artes habet, ſed has omnes ſalutari profluens amne non magnopere noſter Aquarius delere conſueuit, quem neceſſario vno ſequuntur duo Piſces in ſigno, id eſt duo ex Iudæis, & Gentibus populi, baptiſmatis aqua viuentes, in vnum populum Chriſti vno ſigno ſignati.

Ad Neophytos poſt baptiſma, Sermo VI.

EXVLTAMVS, fratres in Chriſto, tantique prouectus reditu ditati Deo patri omnipotenti laudes, & gratias referamus: qui zizania, lolium, lappas, tribulos in læta frumenta mutauit: quæ diligenti cultu purgata, molariſque lapidis pio pondere feliciter fracta, ordinabiliter creta, omni furfure abiecto, mirifico ſplendore in farinam candidam niuerunt: quæ nullo adulterata fermento eſt, conſperſa, ac ſubacta diligenter, ſal inditum eſt illi, leuigata eſt oleo germinali, officijs competentibus temperata, in panes azimos reddita. Hi, quos videtis, egregia co-

F ctura ſuaue redolentes, qui excocti ſunt non furno, ſed fonte non humano, ſed igni diuino: non illos aura corrupit: non fumus amarus infecit: non frigus eliſit: quod plus eſt, ſine fermento leuati ſunt. Certè cacabarij non ſunt: non veruſti: non vſti: non crudi: non mucidi, lacteus illis color eſt: lacteus ſapor eſt. Sed fortaſſis, quod nonnulli forma videntur minores, ſi ſecus aliquid de piſtore ſentiatur, mea nihil intereſt, fratres: quia etſi pauper ſum, tamen frontem meam tueor, & fidem meam noſti: certè ſi quid ſciunt, dicant operarij, qui mecum ſunt. Lucro gaudeo: ſed ſine furti conſcientia, ſanè confiteor. Denique & vos tenuetis pondus antiquum: habetis hædriam: exagium facite, quemadmodum vultis: ſingulos ponderate: inuenietis * nullam haberemnous. Tripondes ſunt homines, numiſmatis ſacri vna libra ſignati, qui menſæ deſeruiunt. *al. nullam.*

Ad Neophytos poſt baptiſma, Sermo VII.

In quo paucis additis, quibuſdam mutatis continentur ea, quæ in tertio.

G EXVLTATA, fratres in Chriſto, acceptaque indulgentia regale beneficium diligenter, fortiter, ac fideliter cuſtodite: etenim vnius actus veſter contractus ablatus eſt, ſecuri gaudete, nihil ſeculo iam debetis. Imago quidem reatus nunc vſque fuiſtis, ſed fortiter examinati eſtis: &, vt indulgentiam perciperetis, pro vobis benè vigilaſtis, optimè eſtis auditi. Nouum iudicij genus eſt: in quo reus, ſi excuſauerit crimen, damnatur: abſoluitur, ſi fatetur. Magna ratio, magna poteſtas, magna pietas iudicis noſtri: à quo vniuerſi generis peccatores, vt poſſint beatè viuere, puniri feſtinant. Mira ratio: mirum profectò myſterium. Saluo reo, punitur reatus in reo, integroque ſtatu moritur in homine propter quod homo fuerat mortuus. Inde eſt, quod noſtra non habet neceſſaria tormenta confeſſio: quæ ſine truculenti ſudore tortoris facinora ſua ſponte reus, vt fiat innocens, confitetur. Pretioſa

H res eſt, fratres, quæ & honorem præſtat, & præmium. O liberatoris noſtri profunda prouidentia. O præſtantia ſingularis. O dulcis ſententia. O damnatio neceſſaria. In ſemetipſo homo iugulatur, vt viuat, percuſſor non videtur: percuſſoris non cernitur gladius: percuſſi non hiat vulnus: non defluit ſanguis expirantis: non palpitat corpus: non decolor color eſt. Ipſe eſt: & tamen non eſt ipſe. Vetus quidem videtur domicilium: ſed nouus inquilinus exultat mutatione morum, natiuitatis ſuæ nobilitatem incredulis varus virtutibus probaturus.

Sermo de ſpirituali ædificatione domus Dei.

VELLEM, fratres dilectiſſimi, triumphali quodammodo vti ſermone, noſiq; operis arcem ſacram laudibus geminare. Sed quamuis ſit optimum laudare, quæ Dei ſunt, tamen præcipuum non eſt, quod cum gentibus, vel Iudæis poteſt eſſe commune: nam & illis ſi liceat,

vel ſi

vel ſi velint, fortaſſis cultius ſynagogas ædificent: cultius A erigant capitolia, ſed in his omnibus operibus vero iudicio ſtructores magis poſſunt placere, quam ſacerdotes. Quid? quod aut nullum, aut perrarum eſt per omnem Eccleſiam Dei orationis loci membrum, quod poſſit quamuis ruina in ſe mergentibus idololatriæ ædibus nunc vſque aliquatenus comparari? nam & Salomonis accepimus templum luculento opere fuiſſe conſtructum: atque ita elaboratum, vt neſciret inſpector, in eo quid potiſſimum miraretur, magnitudinem, opus ornatum, anne materiam? ita enim in vnum decorem vniuerſa conuenerant, vt legitima domus Dei caduca illa ambitio putaretur. Quòd ſi ita eſſet, inter memorata impar cultu ſemper Eccleſia inueniretur, ſed hæc ſecularia ſine legitimo, ac deuoto culture nec ſufficientia, nec neceſſaria honori ſuo proteſtatur Deus hactenus dicens: *Cælum mihi thronus: & terra ſuppedaneum pedum meorum, quam mihi ædificabitis domum: aut quis locus ad requiem mihi?* Omnia enim iſta fecit manus mea. In Euangelio quoque ſic dicit: *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ interficis* B *prophetas, & lapidas miſſos ad te, quoties volui colligere filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce remittetur vobis domus veſtra deſerta: Et iterum non relinquetur in templo lapis ſuper lapidē, qui non diſſoluatur.* Reprobat ergo tam immenſum, tam inſigne, tam opulens templum: quia in eo verum non erat templum: etenim hominum conciliabulū eſt contextio iſta parietum: fidelis autē populus Dei templum Apoſtolo dicente: *Vos eſtis templum Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis*, & verum eſt: nam ſicut idolis inſenſatis ſimilia templa conueniunt, ita viuenti Deo viua templa ſunt neceſſaria: in his enim ſolis ſacerdotum Dei ſtructura & propria eſt, & perennis: qua & Iudæos & Gentes, vel cæteros antecedimus. Incomparabilis autem gloria, ac verè Deo digna cum vno conſenſu, vna fide, alter alterum commendans, deuotione conſimili conuertuntur ad Deum, & ſacerdos & templum. Exultate igitur fratres: ædificationemq́ue veſtram æde iſta de nouella cognoſcite, cuius quoque capacitatem felici numero feciſtis anguſtā: ex eo enim ipſo, quod nos non capit locus exinde intelligitur, quia fides veſtra capit Deum. Igitur ne quis operationem à me fortè diſquirat, paucis inſinuabo. In totius C fabricæ fundamentis, non ſicut in Iudææ templo plurimi, ſed magnus, præclarus, pretioſus, ac ſpecioſus vnus eſt lapis: qui quadræ turris in tam ſolus ſuſtinet molem: cui nō innumerabilis variè famulatur acies validiſſima columnarum: quia illi ſeptem ſolæ ſufficiunt, non æneum inhæret mare: quia illi perennis fontis viuum ineſt mare: non quod naufragos faciat, ſed quod naufragos ad vitam ſuauem perducat. Non aurum, non argentum: quia in ſuis martyribus computat totum. Non feneſtrarum lumen implorat: quia ſol æternus in eo manet: Inæſtimabilia vnius plenitudinis tria illi ſunt membra. Vnum ſecretarium: & patentes ſemper duodecim portæ: quas ab hoſtili defendit impulſu, in modum Tau literæ prominens lignum. O res verè miranda! quotidie ædificatur, & quotidie dedicatur, floribus perpetuis, ac diuerſis gemmis, lapidibus, margaritis per momenta diſtinguitur. Et quia opus eſt viuum, tectum non habet, niſi cœlum. Dicam præ- D teria, quæ quotidie merces: quæ impendatur annona. Omnibus peræquè vnus panis cum ligno datur: aqua cum vino: ſal, ignis, & oleum: tunica rudis: & vnus denarius: quem qui libens acceperit, acceptumq́; non ſpreuerit, ſed in labore vſque ad vltimum perdurauerit, turri completa, inæſtimabiles diuitias in ea commanens poſſidebit. Memorandum quoque neceſſario eſt etiam illud, à quo quid agatur in templo. Sacerdos vocat: oſtium credulitas aperit: ſimplicitas introducit: intellectus inuitat: veritas perſuadet: timor excubat: diſciplina coercet: continentia ſe refrænat. Stat in anguſto fides: in ſecreto pudicitia: in primo innocentia: æquitas in medio: in fine patientia. Pax colligit: charitas ligat: ſolicitudo cuſtodit: iuſtitia diſtribuit: pietas miniſtrat: puritas ſupplicat: ſpiritus poſtulat: ſpes promittit: ſapientia domus dominā prærogat munera. Exultate ſeniores: vos eſtis lapidibus adamantinis meliores. Exultate pueri, ſacræ turris dulces, ac ſine pretio margaritæ. Felicia exultate coniugia: meliores ornatui gemmas ſculpitis, quàm vos eſtis. E Exultate viduæ: quadratura veſtræ virtutis angularis lapidis coniugio cohæretis. Exultate virgines: omnē iſtam celebritatem honore veſtri floris ornatis. Exultate diuites prærogationibus crebris, & iuſtis veri diuites facti: promotioni etenim cœleſtis veſtræ dignitatis debetur diuini operis perennis iſta laudatio. Exultate pauperes ſpiritu: per vos, & in vobis Dei maior eſt domus: nam & omnibus æquales eſtis, & prædaturas omnes veſtri corporis ambitu ſuperatis. Denique ſancti diuites pauci ſunt: vos plures eſtis. Hæc ſunt, dilectiſſimi fratres, chariſmata veſtra, hæ virtutes: quibus Ieruſalem ſpiritalis inſtruitur: quibus ſacræ orationis iſte locus nouus, & populus quotidie Chriſti Dei, & Domini noſtri prouidentia comparatur. Hic labor noſter illuſtris, hæc gloria omnium ſacerdotum, hoc myſterium Dei, hoc opus carum, hoc opus viuum carnaliter geritur: ſed ſpiritaliter promouetur. Præſtabit autem Deus pater omnipotens, vt quomodo iſto in terreſtri domicilio ei gratias agimus, ita in cœleſtibus regnis vberiores ſanctis cum omnibus referamus. F

Sermo de Patientia.

ET ſi beata diuerſis vita virtutibus quæritur, cuius cupidinem flagrans humanitas per momenta ſuſpirat, tamen omnes vno, eodemq́ue conſenſu quaſi quendam patientiæ deferuntur in portum: ſine qua nec audiri, nec concipi, nec diſci quicquam poterit, nec doceri: nam profectò ſola eſt, ad quam prorſus res omnis aſpectet: dubium quippe cum non ſit, ſpem, fidem, iuſtitiam, humilitatem, caſtitatem, probitatem, concordiam, charitatem, omnes artes, omneſque virtutes, ipſa quoque elementa eius conſtare non poſſe ſine erudimine, vel frœno: eſt enim matura ſemper, humilis, cauta, prudens, prouida, omni neceſſitate contenta, quauis turbationum tempeſtate tranquilla, ſerenitatem ſuam nebulis turbulentare non nouit. Pœnitentiam neſcit, † alteratio quid ſit, ignorat: omnes aut deuitat, aut portas iniurias. Incertum eſt, vtrum impaſſibilis iudicetur, cum aliquid G paſſa, quaſi nihil paſſa ſit, inuenitur. Poſtremò impoſſibile eſt, fratres, eius æſtimare virtutem, cuius vinci victoria eſt. Non illam loco vis vlla detorquet: non labor, non fames, non nuditas, non perſecutio, non metus, non periculum, non mors, non tormenta morte ipſa grauiora, non poteſtas, non ambitio, nō felicitas, ſemper immobilis manet, alta quadam ac diuina temperantia robuſtè librata, vniuerſas promotiones animorum placida moderatione cōpeſcens: & vt omnia non magnopere deuincat, ſe primò vincit. Non virtutes poſſunt eſſe virtutes, non perennes elementorum ſtatus, non tempora cognata connexione in ſolennes reditus commearent, niſi rerum diſciplinam, cōuerſionemq́; quaſi quędā ſolicita mater patientia cuſtodiret. Sol denique, quamuis mira celeritate alternas mundi metas illuſtret, tamen nunquam dilectam, verecundamq́; anteuertit auroram: qui, quod maius eſt, duodenis nō dicam ſpatijs, ſed momentis horarū, æquabiliter ſe patiens nō poſſet, ſi impatienti ia ſuos curſus vrgeret. Luna quoque, H quæ quibuſdam videtur errare curriculo menſtruali, ſolennes ſuæ ignes ætatis, quod nunquam prærogat importunè, nec derogat, quid aliud intelligi datur, quàm ſui opificis moderationi deſeruiens perutiliſſima inſignis patientiæ diſciplina? Sed & mare ventis laceſſitū, cum iraſcitur, quamuis reciproca viciſſitudine, nunc pulſantibus cœlū, nunc requirentibus terram æſtuantibus vndique vitreis armatum montibus, violentis vndarū ſæuientium cumulis, toto corpore inſaniat, tamen extremorum pallido ex recurſu voluminum, quaſi ius terræ cognoſcens, ac violare deuitans mira patientia in ſe frangitur, ijſdemq́; fluctibus, quibus cogitur, refrænatur. Hæc germinantibus pratis, meſſibus flauis, vitibus curuis, ſemipallidis oliuis felicitatem præſtat & gratiam, cum vniuſcuiuſque temporis fœtus partu crudo in alterius contumeliam impatientia non ſinit præcipitare. Quid autem diuerſarū decora commercia, littoreaque? Quid arduis volatibus aeriæ grues? Quid piſcium diſſimilium cū ſuis ſibi ductoribus gradatæ

† al. altercatio.

ætatis

A ætatis innumerabiles cuneï? Nonne cum imitatione tem-
porum parent, ſolennisque remigis ſpecioſo diſcurſu vel
aquas ſulcant, vel aëra diſtinguunt, & patiēter veniunt, &
patiēter excedunt? Solus homo præceps, ſolus impatiens:
prauis quotidie mobilitatibus gaudet, varietatibus ſtudet:
miſerum ſe putat, ſi ipſe ſit, nec intelligit tem dementiæ eſ-
ſe conſimilem in ſtatu ſuo non manere: impatientia enim
quid eſt, niſi mens lubrica, per motionibus crebris, & rapi-
dis ſe ſemper expugnans, animus infidelis: etiam ſibi factus
improuidus, inſtabilis, cæcus, incautus, inconſtans: totus
concitans in ruinam: res ſine ſubſtantia: negotium ſine
perſona: omnia citò tentat: omnia momento diſturbat:
mater criminum: curioſitatis magiſtra: acumen temerita-
tis: auctor deteſtabilium pariter, ac magiſtra malorum. ho-
minis namque ſalutem ab incunabulis mundi mors, vt iu-
gularet, ac iugulet, ab ipſa prorupit. Denique Adam in ar-
ce cum eſſet adhuc paradiſi conſtitutus, beatiſſimuſq. bea-
B ti orbis imperio poriretur, tandiu felix, tandiu interminabilis
nabilis vixit, quandiu imperata regalis edicti cōtinuit; at
vbi ſiniſtro conſenſu inuidi ex lubricitate ſerpentis eſt im-
patientiam mutuatus, ſacræque arboris pomum malè dul-
ce delibauit, lachrymas reperit, dolores, & gemitus, ſpinas,
& tribulos ſibimet comparauit: vltimoq́ue ſudore turba-
tus poſteris hæreditatem indigeſtæ mortis, quæ homici-
dium mox peperit, dereliquit. Denique nec mora eſt: im-
patienter fraterni inuidus muneris in fratris Cain anhelat
exitium: & Deo ſpectante negotium parricida eſt, nec e-
ius ſaltem coërcentis voce comprimitur, ſed eo magis ac
magis inſtat, donec effuſione ſanguinis conceptum piacu-
lum duplicetur. Miratur orbis vacuus ſe duobus angu-
ſtum, mirantur elementa hominem, qui factus ſit ad ima-
ginem, & ſimilitudinem Dei poſſe iugulari, & hoc à fratre.
Erubeſcit rudis terra pio ſanguine inpiata. Solus Cain
exultat infelix, quod teſte caret, putat ſe caruiſſe facinore,
quem Deus vidit, quem conſcientia redarguit, quem fra-
tris ſanguis accuſat. Quid impatientium Sodomorum? v-
bi illicite vim opprimebantur à viris, prodigioſæ libidinis
ignes ignis diuinitus incendit: inteſtiniq́ue facinoris fœ-
C dus, quo infeliciores ſubactis infami haſta perſequentes,
hoſpitium terga depopulabātur, è cœlo imber fuſus à Do-
mino, flammis, & ſulphure armatus pœnali procella dele-
uit. Iudæi concionibus tument: altaria diuina cum vene-
rantur, euertunt, varia cæde Prophetas elidunt. Moyſem
amore nimio lapidare conantur: aduerſus Dominum ſē-
per ingrati vanis molitionibus pugnant, multiſque dijs, ac
regibus ſeruire geſtiunt, qui vni Deo per impatientiam ſer-
uire minime potuerunt. Sed impatientiæ hactenus exem-
pla prolata ſint: neque enim eſt ſtudioſe, vt arbitror, me-
morandum, quod optaueris compeſcendum, maxime cū
eius natura ſit talis, vt nunquam moretur in proprijs, ſed
in publicum tota diffuſa ſit, diffamationibus vigeat: huc,
atque illuc æſtuans variè cæca prorumpat, victa ſit autem
ſi diſſimulatio celebritatem eius obſcuret. Nunc ad pati-
entiæ reuertamur virtutem: quæ maioribus noſtrum illu-
ſtri virtute perennem gloriam peperit, & ſalutem. Abel id-
eo martyr, quia iuſtus: ideo iuſtus, quia patiens: à quo pati
martyres didicerunt, patiendo libenter, quod non meren-
tur. Noe cataclyſmum, quo omnis caro funditus delere-
tur, denunciante Deo imminere per momenta & credit, &
D timet: arcamq́;, cum ſuis vt ſaluus foret quam iuſſus eſt fa-
cere, nō præcipiti feſtinatione compingit: nec tantum mu-
nus quaſi præſumptor, aut demens rapit, ſed patienter æ-
dificat, patienter exornat, patienter varijs animantibus re-
plet, quando ingredi iubeatur, quando ianuam claudere,
patienter expectat, dignus euadere, qui in tanto orbis me-
tu non feſtinauit euadere. Nunc mihi Abrahæ memoran-
da eſt mira illa tentatio, quæ eum aut ſacrilegum fecerat, ſi
contemneret Deum, aut crudelem, ſi occideret filium, niſi
quadam ſingulari, ac verè diuina patientia inter religionē,
pietatemque negotium temperaret, in ſpe non denegans
Deo, quod contra ſpem acceperat à Deo. Igitur Iſaac ſibi
dulciſſimum filium, Deo victimam dulciorem cōtemnit,
vt ſeruet. deſtinat iugulare, ne iugulet, ſecurus illo ſe non
poſſe diſplicere facinore, quod Deo gerebatur auctore. O
nouum ſpectaculum, ac verè Deo dignum: in quo defi-
nire difficile eſt, vtrum ſit patientior ſacerdos, an victima. E
Non percuſſoris, non percutiendi claudicat color, non
membra tremore vibrantur, non demiſſi, non torui ſunt
oculi. Nemo rogat: nemo trepidat: nemo ſe excuſat:
nemo turbatur, ne verè ſit parricidium. Ille exerit
gladium, ille ceruicem vno voto, vna deuotione: ne quid
profanum ſit, diligenter, ac patienter geritur, quod ab al-
tero celebratur. Ille lignum, quo mactatur, ſibi præportat:
ille aram ſtruit. Sub tanto, non dicam, humanitatis, ſed
potius ipſius naturæ metu læti ſunt. Soli cedit affectus pie-
tati: pietas religioni: fauet vtriſque religio. Medius ſtuper
gladius nullo impedimento ſuſpenſus, mactatione tenibi-
li gloriam ſe præſtitiſſe, non crimen. Quid hoc eſt? Ecce
immanitas in fidem, & ſcelus tranſit in ſacramentum: par-
ricida incruentus redit: &, qui immolatus eſt, viuit. Am-
bo ſibi gloria: ambo claritatis exemplum. ambo Dei cul-
tus admirabile ſeculis teſtimonium. Felix orbis fuerat, fra-
tres, ſi omnes ſic fierent parricidæ. Iacob per patientiam, F
& benedictionem luctatus eſt fratrem, dat iracundiæ lo-
cum ſecutus, vt redeat domum, patri commendat, ſenſim,
mitiſque diſcedit: vt probet ſe & meruiſſe & non ambiſſe,
quod meruit. Ac ne quis hanc patientiam timiditatis no-
mine obſcuret, in ducendis quoque vxoribus talis eſt con-
ditio. Libens excipit: prolixa tempora obſeruat: omnia
soceri libens tolerat imperata: qui ſi eſſet impatiens, aſtu
circumſcriptus pro Rachel poſtmodum tempore nūquam
reparato ſeruiret. Similiter Ioſeph patiens inuenitur, è
paſcuo cum à fratribus rapitur: patiens, cum in puteum di-
mittitur, patiens, dura cū haſta diſtrahitur, patiens in car-
cere, in regno patientior, patientiſſimus, deſideratos cum
fratres agnoſceret: & vbi iactanter ſe non poteſt contine-
re, poſitus in honore continuit. Cœleſtis profecto eſt iſta
patientia: quam à ſuo ſtatu non ærumna, non felicitas, non
affectus potuit commouere. Aduerſus Iob diabolus, qui
non ſertur blandus, æſtimare licet, quid moliri potuerit
incitatus, maximè cum à Deo acceperit facultatem, vt a-
trocitatis inueteratæ in examen iuſti, quibus poſſit armis,
quibus poſſit viribus, nitetetur. Igitur nouum, ac penè in- G
credibile committitur prælium, vltra morem diabolus pu-
gnat, ſed Iob diſſimulando plus pugnat. Ille eius magnū,
atque opulentiſſimum cenſum vno momento diſperdit:
cohortemque florentiſſimam dulcium liberorum atrociſ-
ſimo impulſu, tectis parietum cum ruina confuſis, nimia
crudelitate feſtinus ſepelit, antequam iugulet. Ipſum po-
ſtremo, quem diuitijs expoliauerat magnis, magnis veſtit
vlceribus: quib. inſuper vermes immittit edaces, vt in tor-
menta morientis cum homine aduentitium vulnus inqui-
lino vulnere finiretur. At Iob cunctis viribus aduerſæ par-
tis expectatione placida profligatis, in ſemet fortior nimis
omnibus, quæcunque deleuerat bellum, recuperatis in
melius, felicitatis priſtinæ ſtatum diſſimulando non perdi-
dit, ſed mutauit. Hic ego patientiam Domini memorare
non audeo, ne quam Deus inter homines deputatus pa-
tiatur iniuriam: idonea laus enim non eſt, cui principa-
tum adimit peræquatio. At cum omnes omnino memo-
rati, omneſque felices eius dono ſint tales, contumelia eſt
laudare Dominum, cuius cōdignè laudare non queas ſer-
uum. Sed ò quàm vellem te, ſi poſſim, rerum omnium re-
gina patientia magis moribus cōcelebrare! ſcio enim quia H
libentius in tuis moribus, tuis fundamentis, tuiſque conſi-
lijs, quàm in alienis, nudiſq. ſermonibus conquieſcis, neq;
tantam in multiplicandis virtutibus laudem ponis, quan-
tam in finiendis. Tu virginitati præſtas, ne flos eius vllo
morbo, vllo tempore defloreſcat. Tu variarum ſemper in
tempeſtatum crebris turbinibus conſtituta fideliſſimus mi-
ſerandæ viduitatis es portus. Tu ſanctiſſimo coniugali iu-
go rudi ceruice ſubeuntes in niſum laboris, vel amoris æ-
qualem, retinaculis blandis, quaſi quidam peritus auriga
componis. Tu amicitiam idem velle, atque idem nolle
docuiſti. Tu ſeruituti vnica ac fortiſſima conſolatio ſæpe
libertatem paris. Tu paupertati præſtas, vt habeat totum
ſui contenta, cum ſuſtinet totum. Tu prophetas prouecaſ-
ſti. Christo tu Apoſtolos glutinaſti. Tu quotidiana marty-
rum & mater es, & corona. Tu murus fidei, fructus ſpei,
amica charitatis. Tu ſpecialiter omnem populum, diui-

A naſque virtutes quaſi crines effuſos in vnius verticis nodum, honorem, decoremque conducis. Felix æternumq́; felix eſt, qui ſemper te habuerit in ſe.

Sermo de Pudicitia.

PVdicitiam qui colit, quantæ nobilitatis ſit, facillimè cognoſcit: eſt enim tantæ virtutis, vt ſit honorabilis etiam hoſtibus ſuis. Hæc tutius humani generis fundamenta confirmat: hæc nominum proprietates vniuerſis affectibus præſtat: hæc parentum, coniugum, liberorumque ſacra iura cuſtodit: hæc in vtroque ſexu conſpicua, in omni ætate miranda, in quauis conditione non dubia, ſoli ſibi deuota, ſemper benè conſcia, prorſus nulli rei ſubiecta, vnum tantummodo metuens, ne ſit amplius, quàm vocatur. Denique in ſollicitudine, quæ à metuentibus vocatur occaſio; ſe tanquam arbitrum timet: omneque ſecretum plus, quàm publicum reueretur. Peſtiferas odit blan- B ditias carnis inimicæ: & quicquid ingeſſerit mundus voluptatis, aut muneris, totum reſpuit, præſumens totum ſe habere, ſi pura ſit. Neminem fœde deſiderat: nec vlli ſimiliter ſe deſiderabilem præſtat. In ſuo ſtatu omni loco, omni tempore manet, plus honeſtati conſulens, quàm vtilitati. Vultis ſcire quantæ felicitatis ſit? Si te amet, qui habet, diligit: & qui non habet, diligit. Si ergo exultat gloria eius ſæpe in gentibus (quamuis illic fructuoſa, vel vera eſſe non poſſit, quia ſub impudico prædone verſatur) quanto magis debet eſſe glorioſior in populo Chriſtiano, qui eius ſanctificatori inuiolabili deſeruit Deo? nam ſi Eccleſia ideò Chriſti ſponſa eſt quia pudica: ideò iugo thalami cœleſtis honorata, quia etiam poſt nuptias manet poſtmodum virgo perpetua, nos, qui naſcimur de tanto coniugio, omnifariè adniti debemus, quemadmodum proſapiei noſtræ nobilitatem nõ relatione tantum, ſed etiam fide ſimilitudinis approbemus. Vnde tamen præ me fero, fratres dilectiſſimi, quod iſta, & nõ ambigua in vobis retinet aſſertio: C Deum enim patrem vos & habere, & poſſidere monſtratis, cum pudicitiam, in qua Deus habitat, nõ dicam, diligitis, ſed luculentis moribus adornatis. Magna igitur gloria eſt ornare, per quod orneris: ſeruare, per quod & ipſe ſerueris. Poſtremo æquiparatur laus veſtra laudi pudicitiæ: illa enim vobis ea hibet ſanctitatem: vos ei amorem. Per hãc attingitis Chriſtum: immò illa per vos vobiſcum cõplectitur Chriſtum. Per hãc à Deo Patre, quod petitis, impetratis: immò illa per vos impetrat, pro qua ſolicitè laboratis, ne, dum aliquid poſtulat, erubeſcat. Beata, cum alludit in pueris: beatior, cum adoleſcentibus lapſus feliciter timet: beatiſſima, cum in iuuenibus carnalia extinguere laborat incendia. Sanè in ſenibus vt eſt honoranda, ita miranda nõ eſt: quia licet ſit victrix, tamen triumphi ſui palmã ſenectutis cum vigore partitur: ceſſat enim concupiſcentiæ pugna, vbi ſubcrebreſcentibus morbis ipſa neceſſitate etiã impudicorum pudica ſunt membra. Age nunc eius æmulæ rabiẽ breuiter etiam ea comparatione * nominum publicemus: vt quid appetendum, quidve fugiẽdum ſit, facillimè poſſit cognoſci. Sub velamine Chriſti nominis, fratres, ſe aſſerere conatur Antichriſtus ſimiliter pudicum, vt fallat, pu- D dicitiæ nominis ſonum poſt ſe trahit: ſed quos fructus habeat eius auctor oſtendit. Diſcurrit quippe veſana per populos: hominumq́; lubricas mẽtes libidinum flagrantibus ſtimulis præcipitat in furorẽ, non ſexui parcens, non ætati, non pietati, non ſibi: quia pudorem alienũ qui appetit primo ſuum perdit. Purè non noa illi, dieſq́; ſuccedit: ſemper enim cœnoſi gurgitis ſui procella ſubmergitur, dum ſemper exæſtuãs libidinis turpitudo aut veritate, aut imagine perpetratur, præmia aut tradit, aut accipit: corrumpit, aut corrumpitur: iniicit amorem, paulo poſt odium de amore factura. Seminat illicitos hæredes: crimenque noſcens omnibus pietatis excuſat, proprios aut negat, aut denudat affectus. Nihil prorſus exiſtimat turpe nec pati, nec facere, dummodo in affectu conata ſuccedant, veruntamen in ipſo fructu ſuo, quo expugnati pudoris alieni labe gaudere conſueuit, ſemper infelix eſt. Denique poſt negotium perpetratum odit & ſeipſam cum illo, quem vicerit. Hæc ſæpe indixit quietis gentibus bellum, hæc aliquoties robuſta regna ſubuertit, hæc aut ſub tyrannis, aut ſub crudelibus factis ſubiugatos thalamos triumphauit alienos, hæc viros E ardore veſano fœmineo ſtipendio ipſis fœminis ſic incognito inopinatè diſpungens ſuam docuit expugnare naturam. Hæc libidinis mercedem vel maximè parentum, filiorum, maritorũ, vxorumq́; in mortibus poſuit. Hæc nomina pietatis nonnunquam concubitu prodigioſo deleuit, pudicos quidem perſequens, ſed impudicos tantum congruenter occidens. Hæc inquam, per momenta & parit omne, quod malum eſt, & peperit omne, quod peius: nam in idolis dea eſt: in cultoribus verò eorum miniſtra. Venerandam ſe procurat in templis, hilarem in theatris, importunam in publicis, opportunam in quibuſcunque ſecretis; Laſciua, non linguis, non oculis, non auribus parcens, iocatur, ſperat, ambit, obſequitur, zelatur, inſanit, armatus precibus, armatur & ira, ſimiliter nonnunquam vi extorquens, quod blandimentis impetrare non potuit. Libidinum commutatione varia gaudet ſemper, & pœnitet, ad F ſatietatem nunquam lubrica vtilitate perueniens. Deſiderat facere, quod timeat publicare, totum prorſus tẽtat, vbi ſibi vendicet totum. Nouum prodigij genus eſt, odit pudicitiam: & tamen hoc cupit videri, quod illa eſt. Interea mixtis excolit artibus ſeſe, faciemque ſuam in ſe, quam non habet, quærit. Pingit ſe in ſeipſam: & lenocinante vario magiſtri medicaminis fuco vultum ſuum vultibus veſtit alienis, hoc ſumpſa, non quod natura præſtitit, ſed quod ei ad examen ſpeculi arbitrium temporale dictauerit: nunc emendat, nunc delet, quas animauerat ſpecies: nunc ſubijcit aliat: nunc patrum nouat. Manibus ſuis facta hydra formarum procax ſemper incedit: quia erubeſcere alienis ſub coloribus neſcit: non domeſticis, non affinibus, non maritis nota, non ſibi: quia nõ poteſt eſſe notum, nec verum, quod eſt ſemper incertum. Præterea nunquam diligit Deum, quem ſcit operibus ſuis eſſe contrarium. Diaboli eſt ſanè mancipium. eius enim poſſidet regnum: nam deos ipſa genuit, ipſa intulit mundo, per quos, aut in quibus diabolus colitur: quorum in actibus origo monſtratur. Ipſa G Iouem innumerabilibus varijs, magniſq́; criminibus magnum fecit. Ipſa Herculem nouerca deterior facibus libidinis turpiter vicit: quem terribilis turba monſtrorum ſuperare non potuit. Ipſa Venerem membris omnibus denudatam, conneais manibus ſe tegere conantem, immò animi ſui vitium & corporis demonſtrantem, poſt multa adulteria ſpectaculo totius mundi quoque proſtituit. Nõ opus eſt ire per ſingula, quamuis & hæc non fuerint dictu digna, tamen ad exprimendam vim impudicitiæ viſa ſunt neceſſaria: vt ſciat vnuſquiſque ad idololatriam pertinere luxuriam. Ipſa, inquam, mortuorum ſepulchra conuertit in templa, tumulos in altaria, cadauera in ſimulacra, parentalia in ſacrificia, mores in ſacra. Sic ſic genus humanum à Dei cultura rapuit, dum blanda feſtiuitate facinoroſa facinoroſorum & colenda crimina, & imitanda perſuadet. Adeò viris contra Dei legem, Deique iuſtitiam euagandi extra legitimum thorum peregrinæ luxuriæ inſpirat infeliciter quaſi liberam facultatem, ac ſic eorum quoque fœminas à pudore diuellit: quæ deſertæ ardore, ſeu dolore compulſæ, ſi talia gerunt, putant ſe aut imitari, aut vindicari. Propter quod in præceptis Dominus ait; *Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa adulterij, facit eam mœchari.* H Quid hic reſpondere poſſint lubrici mariti, non video: qui humanarum legum iniqua impunitate decepti, iuſtitiam veram nec ex ſua ipſa voluntate noſcentes, quod pati nolunt, libenter efficiunt: qui profanæ libidinis deteſtabili furto diſtracti turpibus iam non contenti lanbulis aliquotiens (proh nefas) ſub ipſis obtutibus matronarum veſana congreſſione deſudant, non aduertentes miſeri, quoniam in tali negotio iudice Deo, quod non licet vxoribus, non licet maritis: ſicut præſcribens tabulis Paulus Apoſtolus dicit, *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vxor.* Si igitur, quoniam vna ſunt caro, vnum diuini operis ſacramẽtum, quoniam fœmina de viro ſuo facta eſt, alterq́; alteri tenetur obnoxius, ac per hoc iure legis quoque linea vna tanguntur, dubium nõ eſt, horrendi ſupplicij perennibus abſumptum iri tormentis eum, qui præuaricatus fuerit è duobus. Sed nec illis impunè ſuccedit, qui ſine vxoribus amore

peccan-

al. non ſanus.

A peccandi liberius inceſtas, atque inhoneſtas ſibimet redimunt libidinum merces, non aduertentes eſſe infelix, & impudicum, quicquid legitimum fuerit extra coniugium: Chriſtiano enim, fratres, vltra licere non puto, quàm vt ſit aut continens, aut maritus. Venio nunc ad exempla, quæ ſunt negotio vel maximè neceſſaria: quia plus eſt, quod geritur, quàm quod dicitur: vt & impudicitiæ malum, & bonum pudicitiæ vno eodemque ſuggeſtu facillimè poſſit agnoſci. Ioſeph Hebræus adoleſcens, clarus genere, clarior pulchritudine, morum quoque clariſſimus probitate, fuit inter filios Iacob ætate minor, ſed ſpiritu maior. hic inuidæ germanitatis impulſu in Ægyptum eſt delatus, atque diſtractus à fratribus: quem domini ſui vxor prius amare cœperat, quàm oderant fratres: nam cum medullitus mulier ardoris inſani conflagraret incendio, in ſuadelam ſacrilegam argumentis vehementer armata captat ſolitudinem: B ſecretum captat & locum, in quali etiam non irritata adoleſcentia inuitis fœminis ſæpe violenta eſſe conſueuit. At vbi in deſtinata prorumpens neque blandimenta, neque promiſſa ſibimet prodeſſe cognoſcit, collecta manu inuerſa vice adorta eſt in ſuum fomitem adoleſcentis ignem totis viribus denuare. At ille in repugnatione veſtem ſibi violenter extortam relinquens, ex impudicitiæ fouea nudus aufugit: ſed pudicitiæ ſplendore veſtitus poſt calumnioſam damnationem & liberatus à Deo eſt, & honoratus. Denique rex iure ſecundus factus eſt regni: qui inſignis rex erat iam ante pudoris. Suſannam quoque columen matronatus inaffectatæ formæ pulchrius ſuæ pulchritudinis ornamentum, inſigne pudicitiæ teſtimonium, è ſenioribus duo, ſed vno incenſi prodigio, ſecus quàm decuerat, deperire cœperant: quam cum aduerterent muro caſtitatis, quæ certè vera eſt, & æterna formoſitas, in paradiſi ſolitudine C circumſeptam, vbi Heuam ab auctore operis ſui meminerant eſſe deceptam, hac re ipſa nacto conſilio, capere dolo aggrediſturi ac, niſi vi culpæ ſuccumbat, veluti adulteræ deprehenſæ magnum minitantur exitium. At illa non Heuæ ancipiti quidem metu contemplatione præcluſa, cuius aut pudor eſſet iugulandus, aut anima, conſcientiæ ſuæ conſcium ſolum conteſtans Deum, honeſtam potius elegit mortem, quàm vitam turpem, melius credens hominibus ſe ream præbere debere, quàm Deo. Interea inſtant illi ea amatoribus accuſatores effecti, crimenque ſuum in ſimplicitatem circumuentæ transfuſum artificioſè dum exaggerant, exinde iam priores ſeipſi condemnant. Verum (proh nefas) creditur ætati: creditur auctoritati, exultant adulteri, damnatur integritas. Iam, iamque Suſanna ad ſupplicium imminentis trahebatur: iam totus populus in eius ſanguine tumeſcebat: iam ſui quoque familiares nouæ rei atrocitate perculſi miſerabiliter ingemiſcentes, dimiſſis capitibus omne ſtudium defenſionis abiecerant: Iam etiam ipſa pudoris compendio mortis oderat moras, omnibus diſplicens, ſed ſoli ſuæ conſcientiæ placens, cum ſubito, quauis verſutia qui fallitur nunquam, confeſtim adeſt in Daniele puero Deus. Omnem repente malitiæ ſcenam di- D ripuit: proſectitium cumeo propere reeluditur: ſcelus ſuos redit in auctores: purgaturq; per innocentiam pudor. Sicque Suſannam, quam impudicitia mentiente in publicum traxerant, probatam, & vindicatam ad mariti thalamum cum ingenti triumpho victrix pudicitia reportauit. Sed ô quantum es miranda pudicitia, quæ aliter laudari te non vis, quàm vt cuſtodiaris, ſolo bonæ conſcientiæ ornamento contenta. Tu in virginibus felix: in viduis fortis: in coniugijs fidelis: in ſacerdotibus pura: in martyribus glorioſa: in Angelis clara: in omnibus verò regina. Tu nunquam carni, nunquam vlli ſubiaces legi. De voluntate naſceris; ſed bono puritatis voluntatem ipſam paris: quia voluntas fit voluptas poſtmodum tua, cum per eam quotidie tricenos, ſexagenos, centenoſque colligis fructus. Tu in pauperibus diues, in diuitibus ditior, æqualis in omnibus conſummaris. Tu es honor corporum, tu theſaurus animarũ. Tu fundamentum, culmen, ac fructus omnium coæquarum. Tu tui propoſiti inſolubilis nodus æternus. Per te legitima ieiunia celebrantur: per te allegatæ priuſquam fundantur, acceptantur preces. Tu es ſacrificium Deo carum, tu legitimum Dei templum: ſacrarium pudoris. Te corE ruptio intrare non nouit. Per te ſeculum vincitur: concupiſcentia omnis eliditur: diabolus ſubiugatur: Antichriſtus non timetur: Spiritus ſanctus inducitur: glorificatur Chriſtus: Deus pater omnipotens propitiatur. Poſtremo ille felix in futurum regnabit, qui tecum illò peruenerit.

Sermo de Continentia.

SI cui fortè aſperum videtur, ac durum, quòd fiducialiter loquimur, fratres, rem penè contra naturam, iam iamque deſinat permoueri, intelligens Chriſtianæ virtutis hanc eſſe maximam gloriam ipſam calcare naturam. Sed quia virtus voluptates ſemper offuſcat, nihilque vnicuique, niſi quod amauerit, tectum eſt, maximè quod vno deſiderio omnes excolunt populi, dubium non eſt, quia aut hoſtis publicus, aut certè iudicetur inſanus, quiſquis nuptias diſſuaſerit. At ego non pertimeſcam, ſermonis publici quæ de me fabuletur inuidia: non enim nuptias condemno, ſed nuptijs meliora præpono: & quidem etiam Apoſtolo hortante ſic Paulo: *Dico autem innuptis, & viduis, bonum eſt illis ſi ſic perſeuerauerint ſicut ego. ſi autem non ſe continent, nubant. melius eſt enim nubere, quàm vri.* alio autem loco ait: *Hoc dico ſecundum veniam, non ſecundum iuſſum: volo autem omnes vos eſſe ſicut & me: at per hoc ideo nubere melius, quia vri deterius.* Omnia quidem licent, ſed non omnia expe- F diunt. Iam te hic Chriſtiane cognoſce: elige, quid velis, remedium, an ſanitatem. Denique ſi videtur, conferamus, quæ ſit inter virginem, nuptamque diſcretio. Nupta cogitat, quemadmodum placeat marito. virgo, quemadmodum Deo. Hæc extraneis ornamentis ornatur: longè illa ornatior, aliunde quia neſcit ornari. Hæc varijs vnguentis, & odoribus fragrat: illa vnici floris ſui quouis prato iocundior in cœlum ipſum honore læto inſpirat. Hæc liberis gaudet: at illa liberorum non timet orbitatem. Hæc eorundem blandirijs vernantibus paſcitur, & incrementis adoleſcentibus quotidie delectatur: at illa ægra faſtidio nouem menſium non baiulat pondus ſub incerto partu patientis, naſcentiſque de ſalute non gemit: nulliuſque momentis omnibus variæ ſolicitudinis cura torquetur. Sed dicet aliquis, Etiam Maria virgo & nupſit, & peperit. Sit aliqua talis: & cedo. Cæterùm illa fuit virgo poſt connu- G bium: virgo poſt conceptum: virgo poſt filium. Denique ſi eſſet aliquid virginitate melius, Dei filius hoc magis potuerat ſuæ matri præſtare, cui præſtiterat, vt diuinæ virginitatis honore polleret. Itaque in ſtatu, quo nata es, permanens virgo gloriare: ſanctiq; pudoris florem nulli legi ſubiecta fidei theſaurum cuſtodi, eſto ſancta & corpore, & ſpiritu, amore Chriſti ignem carnis extingue: vt de teſtis tectionis gloria, quam hic iam tibi vendicas, taceam: in qua vt Dominus ait, *Neque nubant, neque nubentur, ſed ſicut Angeli erũt.* Magnum conſequere beneficium, ſi Deo viuas puris moribus, libera, & hominis non ſis ancilla. At tu vidua ſecundas cur deſideras nuptias, cum temperare videas Apoſtolum primas? cuius iſta ſunt verba: *Tempus coarctatum eſt. ſupereſt, vt, qui habent vxores, ſic ſint, quaſi nõ habentes: præterit enim figura huius mundi.* At cum ante annos ferme ducentos, vel eò amplius Apoſtolicum hoc operetur edictum, quo & viuaciores fuere homines, & rariſſimi Chriſtiani, cur ego Chriſtiano orbe ipſo penè iam toto, hominumque viuaci- H tate mundi ſeneſcente detrita, obtundam verbis palpantibus aciem veritatis, ac non plenè denuntiem, obſeruantiæ qua perfectione Dei cultus debeat cuſtodiri? apud Salomonem maximè cum ſcriptum ſit, *Et ſi multiplicatur filij, nõ oblecteris in illis, ſi non eſt timor Domini cum illis, non confidens animæ illorum: melior eſt enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij.* Cum hæc ita ſint, age vidua, quæ ſicut innocens virgo, nubere ſæpè feſtinas, interroganti reſponde, bonumne amiſeris maritum, an malum? Si malum: & deſideras nubere, digna es, quam peior affligat. Si bonum, fidei ſeruâ ſignaculum, pati non meretur iniuriam ipſe, cui perhibes teſtimonium. Vbi eſt ille, qui inuicem deſiderantibus vobis tardior cæteris videbatur primus matrimonij dies? Vbi pretioſæ virginitatis feſta vtriſque dulcis occiſio? Vbi amor, qui in æquo, vnitoque coniugio è duobus altero ſuperante non moritur? Tune non illa es, quæ mariti corpus expoſitum lauaſti lachrymis: oſculis detersiſti: etiniium

A damno velaſti: ſciſſis genis: liuore fœdatis vberibus, ſordido plus puluere tecta, quàm veſte? Tu inquam, non es, quæ nunc cœlum ipſum vlulatibus rumpens, poſt talem maritum puncto temporis viuere te non poſſe clamabas? Nunc eluſis dolore gemitibus, ſæpè mortua ſpiritu, labentibus membris ad terram incertas reddebas exequias: cui magis lachrymas commodarent, mortuóne, an morienti? Poſt hæc, ſi libet nubere, omnia illa mentita es. Quid hoc eſt? Ecce rurſus ad lenocinia redis: colorem de pixide mutuatis paulo ante damnatum. Ecce indulgenter excolis crinem, odorato puluere luctus puluerem mutas: in ſtibio fletus includis: ornamento ligas, quod ſuſpendio voueras collum: ab ſpeculo oracula inquiris, quàm commodè poſſis circumſcribere petitorem. Quicquid feceris, virgo iam non eris: viuû tamen ſcio, quia nihil diſtat à prodigio; quiſquis alterius cauſa & formam mutat, & mores. Sed dicis, ardor me teneræ compellit ætatis. Credo. Ecce nupſiſti, vt

B de fragilitate humanitatis, caſibus vt de cęteris taceam: ecce maritum tuum poſtridie aliqua neceſſitas rapit, quæ à te longè diſtractum decennio, vel eo amplius, vt aſſolet fieri, detineat relegatum, quid facies? obſeruabiſne redeuntem, an ardori quæres aliunde remedium? ſi obſeruantiam pollicere: ſine dubio fallis, cuius impatientiæ profeſſio iam tenetur. Si es autem ſumptura remedium, dubium nó eſt, hoc eſſe ſolum, vt flammas tuas maritalis gladij contemplatione compeſcas. Mihi crede, non habet concupiſcentia locum, vbi patientia dominatur: vbi viuitur ſobriè: vbi mors timetur. Itaque hanc obſeruantiam: hunc timorem, quod eſt verius, atque iuſtius, transfer ad Deum: & quale velit illud ſit, repentè extinguetur incendium. Sed ſi ego in rebus demoror prope ſanis, quaſi quæ verè exectanda ſint, iam correcta ſint crimina. Pudet me dicere in populo graui, anus ſæpe videri nouas nuptas: quarum penè plures ſint nuptiæ, quàm natales: quæ non rogantur, vt nubant, ſed, vt dormiant inuitantur, propiores ſepulchro, quàm thalamo: quæ ipſæ cum pereunt, deteſtabili exemplo adoleſcentulas quoque perire compellunt. Quis has diligat filius? quis maritus? confundentes ſanguinis iura, delentes

C merita maritorum, adulantes viuis, mortuis ſuſpirantes, nunc odientes veteres, nunc nouos filios ſimuliter, & maritos. At è diuerſo ipſæ æſtiment, quid ſit, quòd in tam ſolennibus votis ſæpè contingit, vt nec filios habeant; nec maritos. Talis eſt etiam cauſa maritorum: ad quos aliquid loqui ſuperfluum eſt, quia ſi vxor & maritus in carne ſunt vna, dubium non eſt, quia quod alter audit, amborum eſt. Quid agam, quo me vertam, neſcio: non enim video, quid in ea hortationibus diuini, ac veri cultus gentibus prædicē: felicitatemne virginitatis? at habent ſuas virgines: & ſi non felices, habent tamen. Sin verò ad viduitatis ſudorem glorioſum, palmamq; prouocauero, nobis fortaſſis inſultent, quia noſtræ ſacræ virgines viduęque magno pro immortalitatis præmio, ſuæ autem gratis laborent. Verùm hoc eſt ſolum, nos in quo vincimus, quia pro ſua ſanctitate Chriſtianę plus nubunt, adde, quod Gentibus: quod ſine dolore magno, vel gemitu non poteſt dici: quæ enim vox, quæ increpatio has condignè poſſit arguere? quę dedecus ſuum ſacrilegio dotantes, membra Chriſti dæmoniorum ſeruis addicunt: Dei templum profanis patefaciunt: ſacraria viq; ipſa denudant: ſacra confundunt, amiſſa luce lætantes in

D tenebris, habentes fana nó domos, dignè ingulantur, quæ Chriſti ingrata beneficijs ſponte ad mortem, de qua euaſerant, reuertuntur. Cum igitur ſemper inſidietur ſe non quærentibus diabolus, æſtimate quid faciat inuitatus: cui omnes nocêdi aditus reſerati præſtant ſine pugna, ſine vllo labore victoriam: non enim conabitur in ditionem redigere ſuam, quæ eſſe eius ambiunt ancilla. In domo denique quæ geruntur, ſed & ipſis in fanis, Chriſtiana fidelis, ſine te eſſe non poterunt: quia vxor infelix es, ſi neſcis, quid agatur in domo: infelicior certè, ſi ſcieris. Proponamus itaque vt ſæpè contingit, in vnum ſibimet conuenire diuerſæ religionis diem, quo tibi Eccleſia, illi adeunda ſint templa, quo genere vnuſquiſque ſuum ſacrificium procurabitis? quo ſumptu? quibus vaſis? quibuſve miniſtris? At ſi diſcretè fiunt iſta, nihil prodeſt: ea vno enim proficiſcendo, & in vnum remeando, ſi non confuſione, vel errore fiunt vna.

E Quid quod illius ſacrificium publicum eſt, tuum ſecretû: illius à quouis liberè tractari poteſt: tuum etiam à Chriſtianis ipſis minimè conſectari, ſine ſacrilegio videri non poteſt. Poſtremò deteſtabilis eſt viuendi conditio, vbi non licet facere vxori, quod marito placet: vbi propotius, quia nihil te gerere ſinit, niſi quæ diſpoſuerit: priùs ipſe compleuerit: quod ſi factum nó fuerit, factumve diſplicuerit, tum tota mugiet litibus domus: blaſphemabitur Deus, arreptoque forſitan ipſo ſacrificio tuo tuum pectus obtundet: tuam faciem deformabit, præſtans aliquando & beneficiû, cum te iubet ad Eccleſiam nó venire. Sed multo peius eſt, ſi places marito: neque enim ſine ſacrilegio poſſis placere ſacrilego. Vt rem compendio tranſigam, vtique à templo regrediens neceſſario enarrabit tibi ſciſcitanti, tibi de vtriuſque ſalute, vel vnanimitate deorum quę fuere reſponſa.

F ſi terribilia, conſternata metu forſitan ipſo ceſſante, illicita eis vota donabis: quod maritis etiam ſub fidelibus multæ fecere, peiores Henę, non diſcipulæ, ſed magiſtræ: illa enim decepta, hę ſua ſponte ſe diabolo dediderunt. Sin verò pacifica, & ſalutaria, profectò lætaberis, eiq; tanto pro nuntio morigera coniunx pacem ſi non ingeris, nec negabis. Quid agis miſera? quid veſana lætaris? non eſt pax iſta, ſed bellum: non oſculum, ſed venenum. proh nefas: adhuc ſumantia buſto complectens membra: ſudoremq; ſordidatum vaporis ararum carne tua detergis: iocaris: blandiris: obſequeris: & ſi quod forrè acceptum, relatumve fuerit à fanatico ſolenne myſterium, ipſa ſuſcipis: ipſa reponis: ipſa cuſtodis, vnà cibum præterea capis: reliquias poculi propinati lambêdo labiis exhauris: futuriq; hauſtus quaſi quaſdam primitias auſpicaris; totum prorſus iniquitatis ſpiritum libens concipis per maritum: infelix iam plus in te eſt, quàm in templo remanſit. At ſi te ſerues, atque contineas, æſtimabit nó amore diuini cultus, ſed alterius alicuius deſiderio in ſuam hoc contumeliam procurari: caſtitatis, obſeruantiæque virtutem deuocabit in crimen. Quid enim ille mali non ſuſpicetur: non efflictat dijs crudelibus, dijs adulteris ſeruiens? Itaque deinceps fuge virgo, fuge vidua

G nuptias tales. Excuſatio prorſus nulla cumpetit tibi. ſi continens eſſe non poteris, ſaltem noli tuas nuptias fœnerari: ne in illo reſurrectionis die inter plurimos maritos non poſſis, cuius fueris vxor, agnoſcere. Noli eſſe ſacrilega, nolite eſſe proditrix legis. Profano cur nubas, cum poſſis nubere Chriſtiano?

Sermo de Iuſtitia.

FOrtaſſis de circunſtantibus doctis quiſpiam in cachinnos erumpat, quod homo imperitiſſimus, & elinguis aliquid audeam de iuſtitia diſputare, de cuius proprietate excellentes ingenio, & doctrina viri nihil certi libris ingentibus prodiderunt. Sed ego non curem, de me quemadmodum quis loquetur: non enim in Eccleſia Dei fucatus quæritur ſermo, & non veritas pura: à qua longè omnes illi non immerito aberrauerunt, qui iuſtitiam Dei manere in eloquentiæ viribus æſtimabant. Deniq; cum eam comprehendere non poſſent, neque enim poterant ſine magiſterio diuinæ ſapientiæ, cuius notitiam non habebant, duas aſſeruere iuſtitias, vnam ciuilem, alteram naturalem: quarum fecit apertiſſimè cum ad Romanos loqueretur

H Apoſtolus mentionem, dicens; *Nam iuſtitiam Dei ignorantes, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non obedierunt.* Sed cum de futuro nihil opinantes pręſentis tantum vitę commoda inſpiciunt, falſamque aduerſus veram pro vera defendunt, ſic vtramque medijs è manibus oculis patentibus perdiderunt: Dei, cum ſtultam putant, quod elaboret diſpendio ſuæ, non dicam facultatis, ſed etiam ſi opus ſit, & ſalutis, alij magis prodeſſe, quàm ſibi: ſuam, quia quamuis ſit ſapientiæ nomine falſo veſtita, tamen ſuis commodis conſulendo, quod ſine alienis incommodis omnino non poteſt procurari, à quouis verè ſtultiſſimo negari non poſſit iniuſta. Cæterum ſi ſcire potuiſſent veram iuſtitiam, cuius eſt immortalitas merces, propterea ſimulatæ ſtultitiæ velamine adopertam, vt res magna, magnis virtutibus, magniſque laboribus quæreretur, incunctanter optarent ſtulti iudicari ſe iuſti, quàm ſapientes iniuſti: maximè enim iam ſit eorum fraus omnis in medio: non enim rem value-

A ſunt transferre, ſed nomina, iuſtitiam ſtultitiæ, iniuſtitiam
ſapientiæ vocabulis infamantes: quæ ſi ad ſua corrigas,
proprijſque ſedibus reddas, inuenies iniuſtitiæ magis ſtul-
titiam, iuſtitię ſapientiam conuenire, quod etiam ſacræ le-
gis teſtimonijs probare non deſinam: cuius iſta ſunt ver-
ba: Nam quia ſapientiam Dei non cognouit ſæculum per
ſapientiam, Deus optimum exiſtimauit per ſtultitiam præ-
dicationis ſaluos facere credentes. Et iterum manifeſtius:
*Si quis inter vos videtur ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit
prudens: nam huius mundi ſapientia ſtultitia eſt apud Deum.* Ob
quam cauſam idem Deus per prophetam hactenus prote-
ſtatur: Non glorietur ſapiens in ſua ſapientia: neque glo-
rietur fortis in fortitudine ſua: neque diues in diuitijs ſuis,
ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere, & ſcire, quia
ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium,
& iuſtitiam ſuper terram. O quàm pauciſſimis verbis om-
ne hoc mũdi, entrè quod geritur negotium, perorauit! his
B enim tribus rebus, quæ fundamenta ſunt omnium vitio-
rum, violentis quaſi quibuſdam tempeſtatibus naufraga-
tum momentis vniuerſis interitionem cogitur omne ge-
nus humanum: namq; ſapientia denſis æſtuans argumen-
tis ſuaſorio, ac delectabili loeulentæ orationis cõpta men-
dacio, armata vocis tuba, & gladio linguæ omnes actus ad
ſe trahit: congregat turbas: concionatur: lites ſic diſcer-
nit, vt ſeminet: prauos, ac lubricos colligit mores: legibus
ſuis ſuas leges impugnat: ius iure diſtinguit. Quis nun vi-
deat nunquam recti aliquid illam facere, vel feciſſe, quod
fecerit? Vultis ſcire, quàm iuſta ſit? miſeram ſe putat, niſi
euerterit veritatem. Cæterum fortitudo, quæ huic omnibus
eſt cum feritate cõmunis, omne ius in viribus habet, quod
facere præualuerit, æſtimat rectum: adeò quod ſine vlla re-
uerentia diuinæ atque humanæ religionis delet abruptè
igni, ferroque cum ſua ſibi tota ſubſtantia incolas, ciuita-
tes, & rura, nihil omnino metuens amicæ mortis fiducia.
Denique quod ſapientia legibus per induſtriam colligit,
C vno impetu aliquotiens clauſis oculis illa tertiò diues eſt
auaritia: vtræque cuius exaggerare opulentiam velocitate
mira contendunt: cui totus militat mundus: ætas cui vni-
uerſa deſeruit. Proh nefas: quæ iſtæ ſunt tenebræ? ineſt o-
mnibus: & ab omnibus quaſi non ſit, arguitur. Accuſatur,
& tamen colitur: iugulat, & amatur. Inuincibile profectò
calamitatis eſt genus, cui ſubiugata ſapientia, ſeruiet vir-
tus. Videtis nec iam manifeſtè ſapientiam huius mundi, nõ
eſſe iuſtitiam: & quidem nec veram ſapientiam: quia fieri
non poteſt, vt verus ſapiens non ſit, & iuſtus: iuſtus adæque
verus non ſit, & ſapiens: quia iuſtus eſſe non poteſt ſtultus:
neque ſapiens iniuſtus ipſa ratione docente: qui enim ſtul-
tus eſt, quid ſit bonum, ac malum, neſcit, nec poteſt ſcire,
quid reprobet, quid teneat, & ideo ſemper peccat: quod
eſt iuſtitiæ contrarium, iuſtus autem ab omni peccato ſe
abſtinet: quod propterea facit, quia praui bonique noti-
tiam gerit: quod eſt vtique ſapientis. Vnde fit, vt nunquam
iuſtus poſſit eſſe, qui ſtultus eſt: neq; ſapiens, qui fuerit in-
iuſtus. Cæterum ſiue iſto, ſiue ſapienti ſi alterum deſuerit
ex duobus, quod illi putauerunt, nec ſapiens profectò erit
ille, nec iuſtus. Satis, vt opinor, præſtigiæ mundanæ patue-
D runt: in quibus cum penitus agât vniuerſi homines, quàm
dici poteſt, ſuperfluum eſt demorari. Vnde nunc ad veram
iuſtitiam veniamus, omnium ſuttem, matremque virtu-
tum: quæ præter cæteras tota ſe ad alienas vtilitates colli-
git, atque explicat, ſciens, quid Deo principaliter debea-
tur, nihil ſibi ipſa cõciliãs, nihil proprium derelinquens,
niſi quod fideliter ſine vlla iactantia eius fungitur volun-
tate. Eſt autem in publicum tota prominens, atque diffu-
ſa: ſic tamen, vt ſentiri ſe magis cupiat, quàm videri: planè
cauta, ne quam declinet in partem: ne in aliquo ſe ipſa re-
prehendat: ne opere cœpto vnquam deficiat. Hæc capti-
uorum iuga redemptionibus frangit: incarceratis meden-
do plus carcerem nouit blanda peruigil cura: ægritudinẽ
cum ægro patitur: abiecta cadauera iniecta inhumataque
eſſe non patitur: in pauperes miſeroſq; ſua neceſſitate ne-
glecta pietate a largitur: furtim femina ſpargit: nec rogari ſe
permittit, nec vicariæ laudis remunerari mercede, hoc da-
mnum graue: hoc æſtimat crimen: nam nihil relinquendo
ſibi, beata cupiditate antecedit auaritiam: homines enim
illa poſſidet: iſta Deum. Adhuc accipite, ad propriã ſedem E
palmamq; propoſitam quanto amore, qua deuotione fe-
ſtinet. Si quis eam prouocat in iudicium, vt eius auferat tu-
nicam, libens illi pallium quoque concedit: maledicitur,
& benedicit: cæditur, & gratias agit: iugulatur, & non
repugnat: pro percuſſoribus ſuis Deum inſuper exorat.
Vna illi ſola principalis ſolicitudo, ac maxima eſt cautio,
ne quid mũdo debeat: ne quid horũ dignè patiatur. Hanc,
qui diuinas literas aut non legerunt, aut lectas irritas puta-
uerunt, beneficio abiecti impolitiq; ſermonis, tamen dicẽ-
tis, Niſi credideritis, neq; intelligetis, ſtultam putant, itti-
demq; quaſi vanam, quod cum poſſit bonis frui mundi, ac
negligat, ſponte ſe faciat infelicem, nõ credentes, quia Dei
præcepta cuſtodiens, huiuſmodi officijs ſeculares obte-
rens voluptates, cum fuerit victor, carniſq; nexibus liber,
repromiſſæ immortalitatia inæſtimabili beatitudine per-
fruetur. Sed quid ad nos, quid illi dicant? Inſignis vir ſicut
ait pſalmiſta noſter: Nouit Deus cogitationes ſapientium, F
quia ſunt ſtultæ. Noſtram nobis ſtultitiam derelinquant:
habeant ſecum ſapientiam ſuam, cuius quidem ſectatores
penè omnes conſpicor Chriſtianos, qui perfectam putant
eſſe iuſtitiam, propria tueri, aliena non quærere, ſapientiæ
veræ negligentes imperium, quod verbis huiuſmodi con-
tinetur: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia tua, & da paupe-
ribus: & tolle crucem tuam, & veni ſequere me.* De hoc, neſcio,
quid poſſit quiſpiam prumouere: vnum tamen ſcio, quia
nullus eſt noſtrum, qui non momentis omnibus elaboret,
vt plus habeat, quàm habebat: quod cum nititur, auaritiæ
vtique partes agit: quæ eſt inimica iuſtitiæ. Adeo inde eſt,
quòd frumento paucorum horrea plena: eſuriantis plu-
rimorum venter. Inde populis deteriora menſuris pretia,
quàm inopia. Inde fraus, periurium, rapinæ, lites, ac bella:
quotidie nugitibus alienis quæritur lucrum: & præſcriptio
induſtria vocitatur: & appetitio rei alienæ ſub prætextu ꝓ-
priæ defenſionis, ac diligentiæ callidiſſimus argumentis va-
getur: vt quis indefenſus, aut innocens, quod habet, legi-
bus perdat: quod eſt omni violentia deterius: quia illud, G
quod vi eripitur, nonnunquam repeti poteſt: quod legum
circunſcriptionibus, non poteſt. Glorietur qui volet, iſta
iuſtitia: veruntamen ſciat, quia miſero eſt miſerior, qui mi-
ſerijs ditatur alienis. Quiſquamne iuſtum potet, qui vtili-
tatem rei familiaris pietati præponit? qui hominibus fame
laborãtibus, ac nuditate, paſcit tineas, curculiones, ac ver-
mes? qui, quod habet, infelici tenacitate non alijs tantum,
ſed etiam ſibi ipſi ſubducit? Sed inquies, iuſtum eſt, vt mea
ſeruem: aliena non quæram. Hoc etiam Gentes dicere cõ-
ſueuerunt. Cæterum apud Deum quàm ſit iniuſtum, mox
videbimus. Nunc primò omnium, optime Chriſtiane, ſci-
re cupio, quæ ſint tua, cum ſint viuentibus Deum vniuerſa
communia: ſicut ſcriptum eſt, Turba autem eorum, qui
crediderant, animo, ac mente vna agebant: nec fuit inter
illos diſcrimen vllum: nec quicquam ſuum ex bonis puta-
bant, quæ eis erant: ſed erant illis omnia communia, ſicut
dies, ſol, nox, pluuia, naſcendi atque moriendi conditio,
quæ humano generi ſine perſonarum aliqua exceptione
æquabiliter iuſtitia eſt diuina largita. Cùm hæc ita ſint, H
proculdubio non eſt à tyranno diſſimilis, qui ſolus habet,
quod poteſt prodeſſe cõmodis plurimorum. Quid? quòd
paupere quotidie moriente oppreſſione, fame, frigore, in-
iuria amicum tibi ex aliis aurum: cuſtodis argentum: veſtẽ
pretioſam; ornamentaque ſuperba, & ſuperuacanea pro
ſacroſancto habes, ſicut idulum: te per momenta compo-
nis diues in publico, diuior in ſecreto? nec intelligis, quia
hominum inopia morientis tantis opibus, qui cum poſſit ſub-
uenire, non ſubuenit, ipſe eum videtur occidere? O quan-
tarum neces animarum in phaleris pendent ornatę matro-
næ: ornamentorum cuius vnum ſi ſoluas in pretium, diſtri-
busſque neceſſitatibus ſingulorum, ex eorum reſpiratio-
ne cognoſces, quantorum malo ille conſtat ornatus. Fi-
lios, inquit, habeo, quos nudare non debeo. iſta eſt infide-
litatis excuſatio: quam Spiritus ſanctus per prophetam
retundit hactenus dicens; *Adoleſcentior fui, & ſenui: & nun-
quam vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Et ite-
rum; *Diuites eguerunt, & eſurierunt, requirentes autem Dominum
non minuentur omnibus bonis:* quod probare exemplo perfa-

A cile eſt. Meminimus in Regnorum proditum libris, famis tempore, quo totus paſſim populus moriebatur, Eliæ alimenta poſcenti memorabilem viduam vltimam victus ſui, filiorumque ſubſtantiam non partitam, ſed totam dediſſe: maluiſſeq́ ſe cum liberis ſuis emori, quàm iuſtitiam prætereire: pro quo tam illuſtri facinore cibos à Deo Immortales accepit, quos edacitas delibare nequiret: ſua enim deminutione creſcebant, integer horum denique vaſis ſemper in plenis manebat ſtatus: quantumque eis impenſę diuturnæ neceſſitas dempſerat, tantum rediuiua fœcunditas reponebat. Quapropter ſi pater bonus, ſi prouidus, ſi vtilis eſſe deſideras, ſicut ille Abraham, Deum plus debes amare, quàm filios, vt habere merearis integros, incolumes, ac beatos. Stulta autem res eſt, tibi te velle vitæ ſubſtantiam prouidere, quibus nec natiuitatem dederis, nec animas inſpirauerís, nec ſalutem præſtare poſſis. Vnde vel ſero ſacrilegam vocem comprime humanæ fragilitatis memor: qui in hoc ipſo, quod loquimur, quid poſſit contingere, ignoras: excuſationiſque vanæ depone fallaciam, ingratis auaritiam peccato condis, ſolius Dei poteſtas eſt futurorum commodis prouidere.

B *Sermo de Timore.*

TImoris quidem, fratres dilectiſſimi, vocabulum eſt vnum: ſed accedente ratione timor diſcernitur à timore. Sunt enim duo: vnus Dei, alter, qui naturæ ſit: naturæ in homine naſcitur: Dei autem & dicitur & docetur: quia nõ in trepidatione, ſed in doctrinæ ratione conſiſtit: ſicut ſcriptum eſt. *Venite filij, audite me: timorem Dei docebo vos.* Naturalis ergo non diſcitur, ſed impulſu nobis noſtræ infirmitatis occurrit: quia non artis eſt timere quod metuas: metuis autem, quod tibi nolis accidere. Exiſtit quippe diuerſis ea modis, cum aut exæſtuat aliquo reatu conſcientia: aut cum hoſtilis imminens manus gladio ſalutem premit: aut cum viantis itineri erectus in morſum ardentibus ſquammis, incenſus, tumidus ſeſe anguis opponit: aut dorſa fugientis

C affectans cædem vicino fremitu ferina rabies onerare tentauerit: vel cum amiſſis gubernaculis inter compugnantes fluctus, ac flatus gemens parturit carina naufragium. Inter hæc omnia deterior eſt cõſcientiæ timor: quia, quæ diximus & alia his ſimilia cum paſſibilitate ſui tranſeunt: timor cõſcientiæ non deletur. Nunc videamus, intelligendum quemadmodum nobis ſit, propheta quod ait: *Beati omnes qui timent Dominum.* Si omnes, qui timent Dominum, beati ſunt, non beatus eſt nullus, quia nulla gens eſt, nulla ſunt pecora, animantium denique nulla natura, quæ non timeat Deum. Cum grauantur rumpentibus ſonis, concuſſis vndique cardinibus, cum præter morem terrifico fragore reboans concrepat cœlum, cum inter cæcas, pinguibus conductas nubibus tenebras crebræ micantes curuis ignibus flammæ intercepti diei lumen tucunctantes aſſimilãt, cum ardent plura fulminibus, cum terra vel tremit, vel hiatu ſe recipit in ſe, nullus hic beatitudinis locus eſt, vbi non deuotionis, ſed neceſſitatis eſt, quod timetur. Itaque audiamus ſcripturam, quid dicat: cuius iſta ſunt monita. *Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus poſtulat à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum: & ambules in omnibus vijs eius & diligas eum & cuſtodias præcepta eius ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: & bene ſit*

D *tibi?* Videtiſne hunc timorem nobis neceſſarium: qui in Dei amore conſiſtit: qui voluptate ſua ſe parit: diuinæ legis agnitione conſtruit decorem: ad omnia genera virtutum intrepidus pergit, præceptis omnibus fideliter obtemperat: inchoatus innocenter viuit, iuſtitiam percolit: ſine fine ſtudet timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat. Denique huius ſuffragio Daniel populis terribilem inermis draconẽ necat: leonibus obiectus in periculo prandet, qui ſolet extra periculũ ieiunare. Et Ionas timẽs Dominũ, ſpontaneũ non timet adire naufragium: ceto inhiante miſerabilius ſepelitur, quam præcipitatur, & tamen litus, quo tẽdebat, inuenit ante, quàm videat. felix magis ſepulchro, quàm naui. In oratione mons tremit: monti, non Apoſtolis trepidatio eſt. Petrus æſtu marino fertur non naufragus, ſed viator, timet profundum intercipere non timentem: nec tamen in toto diſſimulat, ne per mare pedibus

E ſe ambulaſſe non credat. Aduerſus Teclam accuſator acerrimus linguæ exerit gladium: cum ſuis ſibi miniſtris publicæ leges inſaniunt: ſtimulis acuitur ſæuitas in ferocitatem, & tamen hominibus mitior inuenitur: ne quid ſcenæ tam diræ humanitatis deeſſe videatur, immittuntur etiam marina monſtra, lacinijs omnibus ſpoliatur puella: veſtitur incendio. Inter tot inſtrumenta mortis ſpectatore metuente ſecura calcat genera vniuerſa terrorum: incolumis, quaſi orbe ſubacto, de illo feralis caueæ iam non miſerabilis, ſed mirabilis funereo ambitu excedit, victi ſeculi triumphum reportans, quam tot ſupplicijs omnes crediderant perituram. O neceſſarius timor: qui nihil aliud agit, niſi vt beatos efficiat: qui timet arte, non caſu: voluntate, non neceſſitate: religione, non culpa: qui Deum meruit, non naturam. Vultis ſcire, cuius proprietatis ſit? omnes timores, quoſcunque inuaſerint, interemtto conficiunt: hic ſolus ad hoc creſcit, vt immortalem, quem poſſederit, faciat.

Sermo de Ieiunio. F

CAnite tuba in initio menſis, in die inſignis ſolennitatis veſtræ, propheta præcipiebat populo Iſrael. Nobis quoque ſuper omnem buccinæ ſonum, & ſuper omnem tubæ clangorem aduentum ieiunij, & medicinalis animæ dies adeſſe per propheticas, & euangelicas ſcripturas Spiritus ſanctus increpuit, per alium quidem prophetam: *Vocate ieiunium: prædicate curationem.* per alium verò ieiunij regulam, modumque definiens: & illud quidem ieiunium Iudaicum abijciens, de quo dicit; *Non ad iudicia, neque ad lites ieiunetis*, in his enim ieiuniorum diebus quamplurimi vacant, vt magis videantur idcirco corpori ſubtrahere cibum, vt noxijs calumniarum dapibus animam ſaginent: & ob hoc ſolum eſuriunt à cibis, vt litibus ſatientur. hanc ergo abijciens ieiuniorum formam Dominus per prophetam denuntiat; *Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus, cum humiliat homo animam ſuam: ſed ſolue omne vinculum iniquitatis: confringe eſurienti panem tuum ex animo: nudum, & ſine tecto introduc in domum tuam: & tunc ſubito*

orietur ſicut mane lumen tuum: & ſanitas tua, ſicut meridies, G
quod nihilominus Dominus quoque in Euangelijs perfectius, & diuinius reformans, ſicut & cætera quoque mandata, repetit, & dicit: *Vos autem, cum ieiunatis, nolite effici triſtes, ſicut hypocritæ faciunt, exterminantes facies ſuas: ſed tu, cum ieiunas vnge caput tuum: & laua faciem tuam.* Tale ergo affectu ſuſcipiamus ieiunij gratiam, ſicut Dominus docet: & non triſtes, & mœſto vultu, tanquam horreſcentes neceſſitatem dierum: ſed læti, & hilares, & cum exultatione rem gerere debemus, quæ nobis cauſa victoriæ, & ſalutis exiſtit. Et quis eſt, qui triſtis coronetur? quis mœſtus & demerſo vultu triumphet? præſto eſt enim per ieiunia carnem vincere: & de eius vitijs poſt victoriam triumphare. Quis vnquam triſtis eſt, quod ſanus efficitur? aut quomodo non probroſum eſt, maiorem de ciborum caſtigatione recipere mœrorẽ, quàm gaudium de animæ ſanitate? qualis illa mens eſt, quàm plus cõtriſtat interitus libidinis, quàm lætificet vita virtutum? quæ dolet ſubtrahi aliquid de

ventris ſtercore? (in hunc enim theſaurum omnes illæ ciborum copiæ recunduntur) & addi quantulumcunque cœleſtibus continentiæ theſauris, quos tineæ non conſumunt: & vbi fures non effodiunt, & furantur. Læti itaque & exultantes accedamus ad medicum noſtrum Deum, medicamentum ieiunij ſuſcipientes: quo per totum annum noxios humores peccatorum collectos depellere, atque exſiccare poſſimus: ſicut enim ſæpe videmus in pueris auſterioribus medicamentis, vel poculis collectas intrinſecus extingui beſtiolas, ita in interioribus animæ noſtræ viuificata peccata ieiunium extinguit & enecat: ſimul quoque euertit ac ſubruit illam legem, quæ eſt in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducere cupit in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Habet ſanè etiam ſacramenti plurimum modus ipſe, quo ad ieiunandum inſtituimur, & formamur: *Tu enim*, inquit, *cum ieiunas, vnge caput tuum, & laua faciem tuam*: per quod admonet nos, vt vnguentum regale, & vnguentum ſacerdotale, H

vel

A vel hi, qui nondum conſecuti ſunt, catechumeni deſiderent, ac requirant: vel hi, qui iam conſequi meruerunt, virtutem ea recordatione ſuſcipiant: qui enim vncti ſunt, oleo lætitiæ vncti eſſe dicuntur: vbi omnis triſtitia fugata eſt, & dolor abſceſſit, & gemitus, vel certè ita quis vngit caput ſuum. Si caput viri Chriſtus eſt, qui vngere caput ſuum iubetur, ſine dubio Chriſtum vngere iubetur. Quis eſt, qui vnxit Chriſtum? Euangelium nos docet beatam illam mulierem, quæ alabaſtrum vnguenti diffudit ſuper caput Ieſu, & perunxit eum: cum etiam dicit, quia repleta eſt odore domus tota. Quidnam verò ea diſcipulis, & præcipuè proditor Iudas dicebat? *Ad quid perditio hæc vnguenti? potuit enim venundari, & dari pauperibus.* Ieſus verò, qui ſciebat, quid ſacramenti factum mulieris contineret, *Nolite moleſti eſſe, ait, mulieri: opus enim bonum operata eſt in me.* Quod eſſet opus bonum deſignat dicens, quia ad ſepeliendum me fecit. B Oſtenditur ergo per hoc, quia vngere Chriſtum, ſepulturam eius eſt præparare. Sepulturam verò præparat Ieſu, qui ſecundum Apoſtolum mortificat membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, auaritiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & cætera: & qui iam non ſecundum carnem ambulat, qui actibus Spiritus ſancti carnis facta mortificat: &, vt planius dicam, cui mundus crucifixus eſt, & ipſe mundo: immo qui Chriſto concrucifixus eſt: & non ſolum concrucifixus eſt, ſed & conſepultus eſt ei. Hic ergo eſt qui vngit caput ſuum, ieiunans à vitijs, & in operibus bonis Chriſti odor bonus efficitur. Sed & lauare faciem etiam iubetur, qui ieiunat: quam faciem, niſi illam, qua Deus videri dicitur? *Beati enim mundo corde, quia ipſi Deum videbunt.* Illa facies, ſi habuerit aliquam maculam, aut rugam, intueri non poteſt Deú, in illis oculis ſi hæſerit feſtuca peccati, Deum videre iam C non poſſunt. De illa ergo facie, id eſt, de animi ſenſibus, & cordis arcano omnes vitiorú ſordes expurgare debemus, vt ſecundum Apoſtolum illuminata hac facie, & reuelata, & ſecundum hanc imaginem tráſformari gloriam Domini ſpeculari poſſimus. *Nolite ergo,* inquit, *exterminare faciem veſtram, ſicut hypocritæ faciunt.* Exterminatur hæc facies, de qua ſuperius diximus, cum religioſus habitus extrinſecus ſimulatur, & venenata intrinſecus nequitiæ amaritudo contegitur. Denique hypocrita ille dicitur, qui in theatro perſona vultui ſuperimpoſita, cum alius ſit, alius eſſe ſimulatur, verbi cauſa: interdum regis perſona vtitur, cum ſit ipſe plebeius, aut etiam domini, cum forte ipſe ſit ſeruus. Ita ergo in hac vita quàmplurimi hominum, tánquam in theatro ſimulatis perſonis vtuntur, & fictis: & cum ſint intrinſecus aliud, aliud ſe eſſe hominibus oſtendunt. *Tu ergo,* inquit, *noli exterminare faciem tuam,* qualis es, talis appare, noli te triſtem, & grauem ſimulare, intrinſecus verò flamma totius intemperantiæ, & rapacitatis agitari: aut oſtendere tanquam ſi abſtineas à cibis, & rapias alienas domos, vt ſemel & pro abſtinentia collaudaris, & pro rapacitatibus condemneris. Duo ergo Dominus ſimul præcepit, D neq; oſtentationis cauſa, & laudandi ſtudio ieiunium celebrari: neq; ſimulare religioné vultu, & habitu, & mente, atq; operibus agere ſubuerſioné: ſed abſtinere quidem à corporalibus cibis: bonum enim, & vtilitas eſt humiliare carné, refrænare libidinem, cohibere laſciuiam, luxuriam reſecare: multo verò clarius eſt inquietos, & inconditos motus animæ continere: nam & anima luxuriat, cum iniquè aliquid concipit: cum vltra menſuram erigitur & ſuperbit: cum inuidiæ ſtimulis agitatur: cum ſua negligens, quæ cœleſtia ſunt, terrena & caduca, quæ à ſe aliena ſunt, quærit: quibus ſingulis modum, ac terminos ieiuniorum ſobrietas ſtatuit competéter recipi. Sed fortaſſis videmur vobis nouellum aliquod obſeruationis genus inueniſſe ieiunij. Perantiquum eſt vnum iſtud, & ex paterna hæreditate deſcendens: ſupra auos, ac proauos originem tendit. A lege me fortaſſis arbitramini primá eius originé prolaturum; vbi præcipitur, in die propitiationis ſeptimo méſe decima die menſis ieiunium celebrari. Sequimini me per hiſtoriarum gradus: & ego oſtendam vobis omniú, qui in hoc mundo nati ſunt, antiquiora incunabula eſſe ieiunij: vt canitieſ eius, & antiquitas intima indubitatú fidei mereatur aſſenſum. Prima ieiunij lex non in hoc mundo,

E ſed ante mundum in paradiſo data eſt. Hoc primum mandatum primus à Deo homo factus accepit, vt de ligno ſcilicet ſciendi boni & malum non manducaret, non manducare autem ieiunare eſt: & legem continentiæ cuſtodire. Deniq; ſi ieiunaſſet Heua illud ieiunium, núquam nos indiguiſſemus iſto ieiunio: quia nec ſani indigent medico: ſed hi, qui malè habent. Malè habemus, & ægrotamus per cibum peccati: curemur, & ſanemur per ieiunium pœnitentiæ. per cibum offenſus eſt Deus: per ieiunium mitigetur. Sed ipſa ſententia qualis ſit, non conſideramus. *Maledicta,* inquit, *terra in operibus tuis: ſpinas, & tribulos proferet tibi.* Nunquid delicias nos patitur iſta ſententia? manducando in hoc, quod ſumus, ventum eſt: quid mala noſtra velut gloriam ducimus? quid pœnam delicias facimus? quid condemnationem ducimus voluptatem? Expulſi ſumus de paradiſo, quia non ieiunauimus: ieiunemus nunc, vt ad paradiſum reuertamur. Sed & ipſa omnis paradiſi vita ieiunium eſt, F nuſquam ibi carnes decoquuntur: nuſquá vini liquor premitur: nec alia, quib. voluptati corporis deſeruitur, ſed eſt ibi cum angelis vita communis: cum cœleſtib. virtutibus ſors æqualis, ille deniq; ipſe ſcientiæ cibus, qui quoquo modo ibi nominatur, ieiunijs alitur, & per abſtinentiá miniſtratur. Vide ieiunando Elias quo aſcenderit: Vide Heua quo deſcenderit manducando. Sed & vtriuſque operis auctores, & conſiliarios intuere. ibi ad manducandum auctor, & conſiliarius ſerpens eſt, immò diabolus in ſerpente: hic, vt ieiunans aſcendat ad cœlum, auctor eſt & monitor Deus. Vtamur ergo & nos hac via, qua rediri ad paradiſum poteſt: & ſuſpecta nobis ſit illa via, quæ expulit hominem de paradiſo. Hác teneamus, cuius aditum patefactum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſponſione agnouimus, dicentis ad latronem, cum & ipſe ſimul penderet in ligno, *Quia hodie mecum eris in paradiſo:* neque enim quis cognoſcere poſſet, niſi ipſe aditum credentibus patefeciſſet. Illuc præceſſit Lazarus; qui totius vitæ ſuæ iuge, cótinua-G tumque ieiunium ſolis micarum ſolatijs, quæ proijciebátur ex menſa diuitis, ſolabatur. Illuc nos quoque per ieiunia, & miſericordias contendamus intrare, vt mereamur poſt longa ieiunia percipere de ligno vitæ, quæ eſt ſapientia Dei, & vnigenitus filius eius Dominus noſter Ieſus Chriſtus: cui gloria, & poteſtas cum Spiritu ſancto in æterna ſecula ſeculorum.

Sermo de Spiritu, & Corpore.

SI quis ſtudio vel noſcendæ, vel impugnandæ ſacræ legis naturæ natiuitatis Moyſi librum lectitando ſæpius replicauit, forta ſſis, vt ſunt ingenia, quotidie quæ videmus verſutis eminentiunibus læta, de Apoſtoli dicto calumnioſam nobis inferat quæſtionem: qui ait: *Primus homo è limo terræ: ſecundus è cœlo,* dubium quoque non ſit, vnum hominem tantum è limo terræ à Deo fictum, eique eius ex latere mulierem coniugale ſolamen excuſſam: à H quibus omne genus manauit humanum, cœleſtem verò ibidem nec memoratum, nec factum poſſe doceri, nec natum. Huc accedit etiam ipſa præpoſtera memoratio: quoniam res eſt diſconueniens, & abſurda, vt ſecundus ſit immortalis: & qui mortalis eſt primus: cum immortalitas in ſe ordinem temporis non recipiat, mortalitas capiat: vel ſi cœleſtis eſt primus, quid opus erat, vt fieret quoque terrenus? Simile dictum Euangelicum illud conſentanea poteſt argumentatione pulſari: ſcriptum eſt enim, *Nemo aſcendit in cœlum, niſi, qui de cœlo deſcendit, filius hominis.* qui erat in cœlo, quomodo filius hominis, vel cuius hominis naſci poſſet in cœlo, vt de cœlo deſcenderet; cum humanitas à cœlo & poſſeſſio longè dimota ſit, & natura? Age exacta ſenſum lector, inuenies veritatem. Qui erat in cœlo, de cœlo deſcendit: qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit in cœlum filius hominis, qui erat in cœlo, filius hominis, vocabulo, non natura: nó enim bis carnem induit Dominus: ſed ſic oportuit prædicari, quia primo ante, quam eſſet, quá ſe fieri voluiſſet, tam figura, quàm oraculis frequétibus publicatur. Igitur Dei filius ad ineffabilem originem pertinet hominis ad ſacramentum, cuius ſacramenti arcanú euidenti ratione, quaſi quadam claui

A aperire conabor: vt prouidentiam Dei, & vim conſociationis carnis, & animæ, & hominis ſummum bonum vbinam ſit conſtitutum, quiuis facillimè poſſit agnoſcere. Poſteaquam Deus, fratres, hunc mundum, quaſi quandam futuri humani generis domum, multipliciter aptatum, diſtinctumq; elementis, opibus, animantibus, alimonijs, vtilitatibuſque diuerſis, magnis, & plurimis, habitatori vlla ne querela ſubeſſet, ſolerti arte perfecit, tunc ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fecit ſibi ipſe ſimulacrum ſenſibile, atq; intelligens: ſumpto quippe limo terræ hominem figurauit, eiq; animam, qua ſpiramus, infudit: cui ab humo homo nomen impoſuit: credo, ſicut res ipſa docet, vt contemplatione operis, ac materiæ ſemper ſuũ & vereretur, & veneraretur artificem. Poſt hæc ſubiecit ei omnia bona mundi, & quia erat iam ſapientia conditus, ſenſibus ſtipatus, eligendi mortem, vitamve, præcepti eruditione commonitus, eum propriæ voluntati commiſit. At

B liuidus ille criminator, qui, quod ſenſim ſerpat, ſerpentis nomen accepit, deteſtabili accenſus inuidia eum, quia per ſe non valebat, aliena forma blanditus per mulierẽ tranſgreſſionem præcepti Dei perſuadendo miſerabiliter iugulauit, & exinde hæreditaria conditione confectum vniuerſaliter interibat omne genus humanum, nec fuit vllus, vlliuſq; ſolatij locus: nam hominem viuum, vt adhuc vſque cõſumebat labor, gemitus, impietas, dolor, ægritudo, miſeria: mortui quippe corpus, figuramq; illam florentiſſimã edax in æternum terra delebat: animam quoque feralibus tenebris relegatam perpetui carceris pœna perpetua implacabilis affligebat infernus. Non ſuperni, nõ inferi parcebant ſimulacro Dei: etenim mortis imperium ſibimet vendicauerat totum. Hæc cum diu ſic haberentur, ſolertiſſimus ille artifex rerum filius Dei, cuius ſapientia non habet finem, nec fortitudo menſuram, amore imaginis ſuæ de cœlo deſcendit, vteri virginalis illuſtrat hoſpitium: ibidemq; in homine includit Deum, virtute & figura, & conditione mortali: iuſtitiam docet immortalitatis eſſe com-

C paratricem: factis præcepta conſummat, poſtremo ſuſcepit mortem, vt ea deuicta reſurgẽs homini per hominem, quem gerebat, & ſpem vincendæ mortis afferret, & eum ad præmia immortalitatis admitteret. Sic factum eſt, vt quomodo per vnius damnationem in omnes homines damnatio, ſic per vnius iuſtificationẽ in omnes homines iuſtificatio æternæ decurreret vitæ. Videtiſne iam manifeſtè, in homine ſuſcipiendo fuiſſe prouidentiam, in paſſione ſacramentum, in reſurrectione ſummum bonũ. Hic nunc primum omnium ſcire debemus, hominis fabricam ex duobus diuerſis ac repugnantib. comparatam, diſcordiq; concordia eſſe connexam, animamque lineamentis corporis circunſeptam, vnde duæ quoque vitæ à Deo attributæ ſunt nobis: vna, qua neſcientes communi cũ pecudibus lege fundimur à natura: & quia eſt corporalis, ac per hoc etiam breuis: alia vero animi, quã nos nobis ipſi, Deo mouente, & adiuuãte, hac in vita per fidem ſacri fon-

D tis viuo de gurgite comparamus, nobilis, & æterna: quia animus, qui vicerit mundum agnoſcendo, ac ſeruando religionem veram, veramq; iuſtitiam, immortalitatis neceſſe eſt pro laboris ſui munere immortali beatitudine perfruatur. Inde eſt, quod intra hominem clandeſtinum fremit momentis omnibus bellum, cum vnaquæque pars nititur alteram ſubiugare, Apoſtolo ſic dicente, *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*, hæc duo inuicem aduerſantur ſibi. Hinc caro tota delicijs fluens, varijs temporum redimita muneribus opes multimodas, ac profundas promittit, oſtentat, obijcit, donat. ſpeciem proponit ſuam: faciemque, in quas illi libuerit figuras ſpeculo conciliante ſemper incertam quotidie peregrinis coloribus mutat: gulæ labore culta, lauacro nitida, vnguentis oblita, veſtitu varia, monilibus tota diſtincta, conuiuiorũ celebritate iocunda, vino madida, gemmis, ſeu floribus redimita, oculorum, iocorumq; feſtiuitate laſciua, auaritia cæca, libidine percita, delicatè tumentis, ac reſtabilis thori plumeo ſepulchro ſuperba: iactat ſe ludibunda per nemora, fontes, prata, Baias, ciuitates, ac rura: vniuerſis voluptatibus ſepta in cupidinem ſui vtrumque ſexum, omnes animas, omnes ætates iſto carmine inuitat; Exiguum,

E & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ: & non eſt refrigerium in fine hominis: & non eſt, qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihil nati ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam qui non fuerimus: & non eſt reuerſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt, & nemo reuertitur. & infra: Venite ergo, fruamur bonis, quæ ſunt: & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis: coronemus nos roſis ante, quam marceſcant, nullum pratum ſit, quod non tranſeat luxuria noſtra, vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc ſors. Illinc ſpiritus, quaſi quidam dux peritiſſimus horum omnium prædicit fugam, in armis expeditiſſime ſtandum, vigilandum diligenter, vndique caſtra munienda, defenſanda regalia fortiter ac tenaciter ſigna: æſtus, frigus, famem, ſitim, vniuerſaque diſcrimina æquanimiter perferenda: mundum abdicatione calcandum, mortem-

F que ipſam, perennis cui beatitudo ſuccedat, præmium victoriæ magis eſſe, quàm mortem, luculenta oratione per Ioannem hactenus concionatur; *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. ſi quis dilexerit mundum, non eſt charitas patris in illo: quoniam omne, quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi, quæ non eſt a patre, ſed ex concupiſcentia ſeculi: & mundus tranſibit, & concupiſcentia eius, qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum.* Sed dicit aliquis, ſi ita eſt, cur in ſe ipſe potiſſimum ſuperatur? primò quia genus humanum magis voluptati, quàm virtuti conſentit: deinde quia delitias plus diligit, quàm laborem. Huc accedit, quia bona carnis inuenit, non requirit: mauultque potius vel paruis præſentibus bonis, quàm bonis ingentibus tardis. At verò ſpiritus bona non tantum ſunt inuiſibilia, tarda, & abſcondita, ſed etiam nimis in arduo conſtituta, vt ad ea, niſi cum ſumma difficultate, laboribus, ac periculis magnis non poſſit ab aliquo perueniri. Adde, quod illa in ſolo genitali verſatur: ille peregrinus eſt: illa ſine contem-

G platione meritorum quibuslibet paſſim ſua munera adfulcit, maximè indignis, vt ad ſe colligat turbas: ille nunquam remunerat quemquam, niſi primò quis victor mortis iura prætereat, quæ res efficit, vt ſiue metu, ſiue incredulitate præponantur præſentia futuris, mala bonis, fragilia ſolidis, falſa veris, terrena cœleſtibus, temporalia ſempiternis. O cæca mens hominum, quid præſentium carnalium rerum fugaci illuderis blandimento? quid deteriori meliorem ſubiacere compellis? ſcriptum quippe cũ noueris, *Omnis caro fœnum, & gloria eius ſicut flos fœni*: cuius ſi curam geris,* pecuniam te eſſe cognoſcis. An eius virtu- *al. pecudũ.* tem diligis? frangit, ac ſubigit illam quiuis dolor. An pulchritudinem eius? & commutabilis res eſt: & quæ febri, vel qualibet facillimè deleatur iniuria. Ecce procuratores, vel gubernatores eius oculi aliquo ictu extincti ſubſidunt, nonne cadauer eſt vnum? Ecce tabidus pulmo pinguibus ſputamentis exeſus deteſtabili omnia macie geſtatoris ſui oſſa denudat. Nonne horrebis etiam tibi quo-

H dammodo illa excarnata vmbra tractabilis? Longum eſt ire per ſingula. Ecce peremptorius aliquis morbus totam machinam lecto proſternit, ecce tempeſtas vndiq; mortis incumbit: nonne ſtatim illa, quæ erat domina voluptatum, fit præda morborum? poſtremò iacentes reliquias mors vendicat ſibi, inſuper et pœnas gehennæ paritura. Tunc carnalis mimus ille finitur, exanguiſq; nihil iam ſuffragantia tota illa ornamenta medentur, niſi quod à falsè plangentibus adhuc viuenti rapiuntur. Vnde, fratres, ſicut veri Chriſtiani, quaſi hoſpites, & peregrini abſtinete vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam: nec veſtrum frangat affectum, quod eius ſecretum, figuramq; neſcitis: quaſi ſi propterea contemnitis, quia non videtis, Deum quoq;, qui eſt inuiſibilis, contemnere ſimiliter poteritis: qui enim non diligit eius ſimilitudinẽ, ſequitur, vt oderit veritatem. Inde eſt, quòd ſtulti præponunt corpus animæ, idolum Deo. Sed nos, qui Adam abiecimus, Chriſtum induimus, qui, quæ vis, qui exitus, quæ merces carnis ſit, quæve animæ, Deo magiſtro didicimus, qui non ignoramus victoria carnis ambas extingui, animæ victoria vtramque ſeruari, meliora loquamur, ſaltẽ vel eo

A ſtudio, quo ſequimur mala. Nulla vlli competit excuſatio, maximè cum res noſtræ commiſſa ſit voluntati, propheta dicente, Ante hominem bonum, & nequam, mors, & vita: quod elegerit, hoc dabitur ei. Vnde dubium non eſt, voluntatem noſtram, cui ſe iunxerit parti, præbere iuſtitiam: eiuſque in reſurrectione aut præmio perfrui perenni, aut conſimili pœna puniri.

De Auaritia, Sermo I.

NEc ſingulare, nec friuolum crimen eſt, fratres, vel maximè Chriſtianum, cupiditatis compedibus alligari, profundæque noctis feralibus tenebris obcæcatum miſerabiliter ad ima deferri, ſed quia inextinguibilis peſtis incendio totus mundus exarſit, auaritia, vt putatur, crimen eſſe deſijt: quia neminem, qui id poſſit arguere, derelinquit: omnes enim paſſim furore inſatiabili turpes
B præcipitantur in quæſtus: nec quiſquam prorſus inueniri poteſt, qui ei ſaltem vel vno momento iuſtitiæ frænos imponat, inquieta ſemper exæſtuat: ſæuit: pugnat: rapit: congregat: ſeruat: ſui tenax: appetens alieni: non ſuo, non alieno, non ipſo orbe contenta totum poſſidet: & de inopia queritur ſemper. Denique ad ſua nunquam peruenit vota, quantum fuerit auctior, fit tanto miſerior: expers ocij: expers ſatietatis, per fas, atque nefas artibus, multis modis, ac verſutijs armata bacchatur, ſalutis ſuæ, alienæque contemptrix: ſolum metuens, ne deſit vlli, quod iadat. Inde eſt, quod vniuerſæ nationes mutuis cadunt per momenta vulneribus: concuſſæ gemunt vrbes: deleta rura reſpirare nõ poſſunt: maria plus prædonibus ſæua ſunt, quàm natura, obſeratæ gladijs viæ humano cruore pingueſcunt, teſtamenta hæredes incognitos ex ſeſe recitari mirantur, amica ſub fallacia manus innoxias animas ſecurè conficit, ebibita veneni tempeſtas ſepelitur noua odij rabie ante, quàm naſcatur, matris iam non in vtero, ſed
C ſepulchro incognitum pecus, quod legitimam nec mortem potuit ſentire, nec vitam. Rectè igitur Apoſtolus ait, *Radix omnium malorum eſt auaritia:* hac enim matre, eademque magiſtra vniuerſa, quæ diximus, ſed & alia multa, immò omnia vndique ſine pauſa, quæ ſcaturiunt, mala naſcuntur, atque concelebrantur: quæ condemnare falſo humanitas geſtit. Cameleum enim glutiens culicem liquat: reijcit ſtillas criminum, & auaritiæ, vnde criminum fluenta fonduntur, ebibit fontem. Huic non iura, non leges, non honor vllus obſiſtit: quia quicquid aut emitur, aut diſtrahitur, liberum non eſt: non nobilitas, quia per hanc credit: hanc excolit: per hanc hoc ſibi nomen inuenit: non ſanctitas, non munitio: quia nihil eſt tam ſanctũ, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expu-
D gnari pecunia poſſit: non neceſſitudo ſanguinis, non amicitia: quia non ſuo merito, ſed auri, argenti, facultatumq; beneficio quis aut amatur, aut odio eſt. Denique hæc eſt cauſa, quod fratrum pia nomina plerumq; magis gladijs amica videmus eſſe, quàm ſibi: quod parentes opulenti abolita ſui nominis ſanctitate, filios ſuos non ſine vtriuſq; dedecore patiuntur errare ſtipi triuiali ſubiectos: quod liberi parentum vitam ſua damna iudicantes, iniecta violenter manu ipſi naturæ, inuaſis hæreditatibus ante tempus parentes ſuos compellunt viuere miſeriæ, facultatib. mori. Proh nefas. Quid tibi tua tollis int... Qui dextra... facias, qui in te auarus es? O deteſtabilis deteſtabilius malum, ioucem dum expoliant, perſequuntur, falluntur, hoſtes probant, prædones laudant, latrones excuſant: nec iis vnquam venit in mentem, non eſſe humanæ poteſtatis craſtinum diem, ac ne ipſum, quo res agitur: quia quod voluitur ſemper, in momento quid afferat, dubium eſt: ſed oculis patentib. cæci dilatant horrea: terras anguſtant, iũgunt ſaltibus ſaltus: & ſi orbem totum poſſideant, fines oderunt: illicitum putant habere vicinum: conſtruunt piſcinas: ſepulchra defodiunt: timent omen, qui non timent mortem: illic interempti, plerumq; iacent canibus, alitibus, feniſq; donati, vbiq; diſperſi, vtrubique deperditi, ſemeſis oſſibus etiam ſuis carnibus nudi. Conſpicite rem auaro condignam. ille amplum qui habuit cenſum, exiguũ non habet tumulum, quos propheta egregius hactenus

E increpat dicens, Quid profuit nobis ſuperbia? aut quid diuitiarum ambitio contulit nobis? tranſierunt illa omnia tanquam vmbra. ſed & Dominus ipſe dicit, *Quid prodeſt vnicuiq; lucrari mundum, & animæ ſuæ pati detrimentum?* I nunc inſatiabilis homo: & in deteſtabilis congeſtionis lucra letifera etiam ipſa elementa nouis artibus coge. licet radiẽt tibi pretioſorum lapidum diſcoloribus formis referta penetralia, gemat terra ſub pondere argenti, auro ardens tota domus pugnet ſua flamma cum ſole, honorumq; exinanitus à te gradus non inueniat quod tibi præſtet, meminiſſe tamen debes, quia mors non timet nec diuitias, nec honores. O cæca mens hominum, quàm variè vnam tamen contendit in mortem pauper, cum opes infeliciter quærit, quas feliciter non habet: Diues cum diuitias putat ſe non habere, quas habet, in vno nititur auaritia: bacchatur in alio: in vtroq; creſcit: in vtroq; non deſinit. Veruntamen eos vno momento exigua humus & peræquat, &
F ſatiat, quod cum tota ambitione ſua non poteſt aurum. Hinc vnus pecuniam ſuam tanquam humum proponit, vt facultates ad ſe attrahat alienas: quam peregrinantem ferali ſupputatione nutrire non deſinit, vt ſummam quærat, non quam commodatio dedit, ſed quam ei pepererint armati numero dies, menſes, & digiti. At plerumq; cum ſua ſibi induſtria fœnerator etiam ipſe nudatur, ei cum caſu aliquo fraus, inopia, fuga, mors extorſerint debitorem: auaritiæ enim naturale eſt, vt auariorem faciat: plerumque plus tulit auaro, quam præſtat, ac ſic ſæpe contingit, vt merito perdat etiam ſua, qui deſiderat aliena. illic alius vias viantibus claudit: arcet ab herbis: arcet à ſyluis: arcet ab aquis. Et quidem copioſus vacantib. plurimis negat hominibus, quod auibus, ſerpentibus, feris non poteſt denegare. mera profectò veſania eſt, beneficijs inuidere naturæ. Alius inde rerum omnium captat annonam: aucupatur diſtrahendi tempus, minor in menſura, maior in pretio: negat ſe habere, quod diſtrahat, vt rogetur, vt iugulet. atq;
G vt iam incorrupta ſpecies venderetur, ingemiſcit præterea, ſi annus eſt ſterilis, multò magis, ſi fertilis fuerit: illic, quia parum diſtrahit: hic, quia non ſolus. Vultis ſcire, quantis ſit tenebris obuolutus? iraſcitur Deo, ſi non ſemper fiat publicis luctibus diues. Benè benè, cum quis quærit aurum, inuenit gladium. Inter hæc nemo conſiderat conditionem fragilitatis humanæ: nemo hoſtem: nemo ſicarium: nemo latronem: nemo domeſticũ, qui cognitione ſecreti eſt omnium peior: nemo imminentes diei iudicij flãmas, per quas omnes nudi tranſituri ſumus. Solum colitur, de quo dictum eſt, Idola gentium argentum, & aurum: pro quo quis aut iugulatur, aut iugulat. Vellem ſcire tamen, tanta eius rabies quid voluptatis habeat: ſuo cultori quid præſtet? Febrem non extinguit: morbos non diſcutit: vulneribus non medetur: dolores non tollit: mortem non
H repellit: niſi quod ſanos occidit, nec manducatur aliquãdo certè, nec bibitur: nec in inferno cum ſuo prædone deſcendet, ſolum quod oculos infelices, inanemq; cõſcientiam ad hoc in maligni fulgoris cupidinem diram ſpe potiundi præcipitat, ne gratis homo videatur occiſus. Sed nos nõ ad auaros, ſed de auaris ſermonem fecimus, fratres, alioquin ſolis diuinis exemplis oportuerat perorare, eſſet ſi quis hic talis, ſed quia in vobis fides, & pietas, quæ eſt idonea expultrix auaritiæ, manet, atq; gloriatur, digni eſtis vniuerſi aurum, argentumq; non tam habere, quã eſſe: nã vos eſtis aurum viuum Dei: Chriſti vos argentũ: vos Spiritus ſancti diuitiæ: vos, ſi terrena metalla contempſeritis, longè his vitæ veſtræ theſaurus: vobis auro conſtructa ætheria illa ciuitas deſtinata eſt. nulla intrare volentib. mora. patent duodecim portæ: habitacula præparata ſunt infinita, nemo ſit de manſione ſolicitus, certè gloriæ noſtræ inſignis res erit, ſi Dei ciuitatẽ felicitate noſtri numeri fecerimus anguſtã. Itaq; eſtote ſecuri, nihil in illa deeſt vnquam: nihil ab ſuo ſtatu aut tollitur, aut declinat, omnia bona, atq; perpetua exuberant paſſim. certè quod primũ eſt, nemo eget: nemo inuidet: nemo furatur, nemo rapit: nemo proſcribit: nemo iugulat: moritur nemo: omnes felices: omnes vnanimes: omnes immortales: omnes ſunt ſemper æquales, quod vnius eſt, omniũ eſt: quod omniũ, ſingulorum. Vultis ſcire, quæ illic beatitudo verſetur.

nemo

A nemo ſuam veſtem, nemo ſuas margaritas abſcondit: nemo lapides pretioſos: nemo aurum: nemo argentum: & tamen nullus timet furtum.

De auaritia Sermo II.

AVaritia quàm facilè arguitur ab omnibus, vtinam poſſit tam facilè non amari! eſt enim artifex, ac dulce malum, & hominibus vniuerſis ſemper infeſtum. Denique non habentibus diuitias habendi inijcit cupiditatem: habentibus adimit ſatietatem, ita omnes in rabiem vna tempeſtate præcipitat, vt vbinam ſit maior, ignores. Eſt autem ſimilis igni arida pabula depaſcenti: quæ niſi finiant, non finitur. Hanc mediocres fraudibus excoluot: diuites in potentia: iudices gratia: diſerti mercenaria ac duplici lingua: reges ſuperbia: negotiatores aſtutia: inani pauperes voto: cultores Dei odio ſimulato: totæ autem B gentes, vniuerſæque nationes gladio, per orbem totum veſana bacchatus noua, ac varijs artibus feruens: nunquã quieta, non die, non nocte, non bello, non pace: nunquam ſatur: lucrorum enormitate miſerior. nouum calamitatis eſt genus, quod tantummodo creſcit: ſeneſcere ignorat. Non illam parentum pietas frangit: non dulcedo liberorum: non coniugalis affectus: non cara germanitas: non ius amicitiæ: non tener pupillus, non dura viduitas: non miſeranda paupertas: non Dei contemplatio: ecce enim his omnibus, prout poteſt, varijs artibus aut adulatur, aut nocet, ſi quid habuerint, tantum vt tollat. Cui autem parcat, quæ & mori momentis omnibus, etiã friuolo, ac turpi lucro feſtinat? Quid igitur miſer homo auri, argentique metalli ſucenſus vana cupiditate, vana cura torqueris? Quid talentorum magnas ſtruis congeries? Quid hic C remanſura peruigil ſolicitudine caſſa, nec tibi ipſi inde aliquid concedendo illibata cuſtodis? Inſuper de inopia quereris, qui, quod habes, neſcis. quicquid feceris, nihil horum tecum ad inferna portabis: quod enim naturæ eſt, de loco ad locum transferri poteſt: et autem ſubtrahi non poteſt. Denique aurum, argentumq́; penitus quod eruitur magno opere terræ viſceribus, iterum celandum terræ mandatur: etenim res eſt, quam habere falſum eſt gaudiũ: certiſſimum periculum, publicare. Sed non opus eſt ire per ſingula, cum vno exemplo noſcantur vniuerſa eius mala, propheta dicente: *Idola gentium argentum, & aurum.* Vnde apparet eum, qui diligit aurum, & argentum, non tantum deos colere, ſed eorum mores, & actus imitari, cuius rei facilis probatio eſt illa, cum interim † quàm noſtra ſunt, videmus. Aurum, argentumq́; Chriſtiane, ſi vera dicenda ſunt, exceratis in ſimulacris ſolis, non in penetralib. tuis: nã & illic aureis, argenteiſque innumerabilibus veluti templis tereti moneta percuſſis ineſſe ſimiliter regum vultus, ſignaque cognoſcis: nihilque aliud diſtat, niſi quod in tua domo minuta ſunt, in templo maiora: quæ ſi interrogaueris, pecunia eſt: ſi ſeruaueris, ſimulacra. Ancilla Chriſti falſum idolum reſpuis: mihi crede, in te colis, cuius ornatum, cultus D imaginem non deponis, ad Eccleſiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metallo procedis onuſta, vbique delicata, ſub mollib. fotus. Denique ipſo cultus rigore in oratione non flecteris: non manus tendis: tumidum monilibus pectus proſternere dedignaris, ſanè ceruicem curuas non religione, ſed pondere, quando ἰξομολόγησιν facies, quæ plus pro ornatu es, quàm pro ſalute ſolicita? Quid autem à Deo impetrare te poſſe credis, quæ eum per id, per quod iraſcitur, deprecaris? Aperi tandem oculos cordis, inuenies te inſultare potius, quàm rogare. Poſtremò, fratres, non poteſt timere maritum, quæ non timet Chriſtum. Inde eſt, quod coniuges nuptiali ſanctiſſimo repugnantes iugo, pro ſe quiſque intentes, amore videlicet nimio hæreditatem captat alter alterius: quòd parentes filios, filij parentes oderunt: quòd amicitia magis in facie alludit, quàm in cordibus commoratur: quod omne genus humanum ſuo interitu, ſuiſque calamitatibus delectatur, viliorem habens animam, quã pecuniam. Inde eſt, quòd iuſtitia, honeſtas, pietas fides, veritas perit: quòd Deus ipſe momentis omnibus patitur cõtumeliam, cuius præcepta contemnuntur: cui cultus, cui amor mundi præ- E ponitur: quoduis etenim piaculum, ſcelus, dedecus, nefas libenter admittit, cuius præcordia implacabilis cupiditas peſtifera flamma repleuerit. Sed hæc non ad vos, fratres, quorum largitas prouincijs omnibus nota eſt, quorum pia ſemina totius quodammodo orbis per membra iactantur. à vobis multi redempti: multi edictis feralibus liberati: multi conditionibus exuti gratias agunt: veſtræ domus peregrinis omnibus patent: ſub vobis viuos, mortuuſque diu nunquam viſus eſt nudus. Iam pauperes noſtri alimẽta rogare non norunt. Iam viduæ, atque inopes teſtamenta conficiunt. Plura ad laudem huius beatitudinis veſtræ poſſem dicere, niſi eſſetis mei, vnum tamen pre gaudio tacere non poſſum: fœnerando pauperibus omnes copias auaritiæ ſubactas veſtrum ſine inuidia transfertis in cęlum. Quid .n. eſſe poteſt ditius homine, cuius profitetur Deus ſe eſſe debitorem? qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum.

De auaritia Sermo III.

F REctè, fratres, ſicut audiſtis, Deus odit auaritiam: eſt enim libido profunda, cupiditas cæca, tempeſtas inſana: rapacitas ſine fine: ſolicitudo ſine requie: ad ſua nunquam perueniens vota: quia ſatiari non nouit: fidem frangit: charitatem negligit: iuſtitiam negat: non cognoſcit affectus: iura diuina contemnit: humana verſutis argumentis excludit, orbem totum, ſi poſſit, vt rapiat. Vultis ſcire quale calamitatis ſit genus? ſanè plus in eum, qui eam dilexerit, ſæuit: quam qui vicerit, habebit vitam æternam.

Sermo de Liuore & inuidia.

BOnus eſt Deus: & indignis largitur quæ bona ſunt, malus eſt diabolus: & malitiam, quam ſemel ipſe cõcepit, hanc etiam homines docet. Sicut proprium eſt boni Dei liberalitas, & largitio: ita proprium eſt diaboli liuor, G & inuidia. Et ideo obſeruemus, fratres, vitij huius incurſum, ne fortè participes operum diaboli efficiamur, & pari cum eo ſententia condemnemur: ſi enim ſi quis elatus eſt & ſuperbus, in iudicium incidet, & laqueum diaboli, quantò magis inuidus pœnam diaboli & ſententiam non euadet? Nihil igitur humanæ inuidiæ malo pernicioſius accidere poteſt, quod malum lædit parum quidem etiam eos, in quos intenditur: grauius verò & pernicioſius eos prius, à quibus procedit, affligit: ſicut enim ærugo ferrum, ita inuidia illam ipſam animam, in qua eſt, interimit, & conſumit: & ſicut aiunt viperas dilacerato & exeſo illo ipſo materno vtero, quo conceptæ ſunt, naſci, ita & inuidiæ natura illam ipſam ante omnes, qua concepta eſt, vel ea qua generatur, animam conſumit, & perdit. triſtitia namque, & mœror quidam de proſperitatibus proximorum eſt inuidiæ vitium: & ideo nunquam deeſſe poteſt inuido mœroris occaſio. Si ager proximi opimis fructibus lætus ſit: ſi abundet ſucceſſibus facultatum: ſi lætetur animo, & proſperitatib. gaudeat, hæc omnia, velut pabulum H quoddam ſunt, & nutrimentũ languoris inuidiæ, nec differt à nudo homine, eo quod poteſt telis vndiq; incurſantib. transfodi. Si virum fortem videat & robuſtum: vnum iſtud eſt vulnus inuidi, decorũ alium vidit, & forma præcipuum: aliud iſtud inuidi telum eſt. Virtute animi clarus eſt quis, & prudentia cæteros eminens, ſermonis quoque prolatione, ac virtute magnificus: ſecat hoc quoque maximè inuidum & interna mœrore diſcrucias. Alius augeſcentib. diuitijs ſuis conſultè vtitur, & cenſum ſibi à Deo datum communem cum indigentib. facit, miſericordia clarus efficitur, & in omnium laude humanitatis beneficijs celebratur: omnia hæc cor inuidi fodiunt, & eò ſæuior eſt vis doloris, quò eum ne proferre quidem, aut publicare poteſt: ſed eſt quidem ſemper in gemitibus, & mœrore, ac mente cõfuſus, & totus malo vitij graſſantis abſumptus, nec interrogatus tamen poteſt indicare languorem: erubeſcit enim enuntiare in publicum, quia tabeſcit inuidia, quia amici bonis, & ſucceſſibus proximi ipſe conſumitur, quia fratris bona, ſua mala ſunt, hæc enim dicturus eſt ſine dubio, ſi velit, quæ vera ſunt, dicere.

† al. quæ.

Verum

A Verum quoniam erubeſcit horum aliquid conſiteri, recōdit, & celat intrinſecus morbum ipſa eius interna viſcera conſumentem. Neque ergo medicum languoris ſui aſſumere, neque remedij aliquid inuenire poteſt, cū præcipuè omnes ſcripturæ repletæ ſint verbi Dei medicamētorum, quibus poſſint iſta curari: ſed inde quidem remedium nō requirit. Vnum autem ſolum ſibi remedium putat, ſi fortè ei, cui inuidet, infauſtum aliquid accidat: ſi aliquid lapſus occurrat. Hoc tantummodo ad languoris ſui remedium ducit, ſi eum, qui paulò ante clarus, ac beatus habebatur, infelicem videat, & deiectum: tūc iam & amicus efficitur, tunc & fletus ſuos ſociat: tunc & lachrymas mutuatur, cū eum, cui inuidebat, flentem viderit, & lugentem: & gaudere quidem cum gaudente non pertulit: nunc vero gaudio flet cum flente: non enim humanitatis gratia tāquam communes caſus mortalium miſeratur, nec abſtergit animo prioris vitij maculam, ſed vi grauiore lapſu ſenſum B doloris infligat. Si fortè accidat filij orbitas, tunc amplius in defuncti laudib. commoratur: & mille præconijs magnificat puerum, vt vultu decorus, & acer ingenio, vt ad omnia aptus, & commodus: & laudat ipſe defunctum, cuius viuentis laudem ne ab alio quidem prolatā ferebat audire, ſed in hoc ipſo cum laudat, ſi videat etiam alios vel ſimilia, vel etiam præſtantiora ſentire, continuò conuerſus morbum demonſtrabit inuidiæ. Miratur, & laudat diuitias; ſed poſt ruinam, decorem vultus, & corporis robur in languoris macie, & tabe ægritudinis prædicat: & in omnibus inimicum ſe præſentium ſeruat, amicum verò pereuntium. Quid igitur hoc morbo tetrius? quid humanæ vitæ pernicioſius? quid tam naturæ inimicum? quid tam Deo ipſi aduerſum? Nec mirum: nam & ipſum malitiæ principem diabolum aduerſum humanum genus nihil aliud, quā inuidiæ morbus accendit: per hanc namq; ſtimulatus etiam Deo auſus eſt repugnare: etenim aduerſus Deum indignans pro his donis, quæ homini conceſſerat, quoniam in ipſum Deum nihil poterat, homini, quem diligebat, C perniciem, mortemq; molitus eſt. Eadem nihilominus etiam Cain perpetrauit primus diaboli diſcipulus, ab ipſo & inuidiæ virum, & homicidij opus edoctus, ſocia ſibi, & cognata crimina: quæ etiam ſanctus Apoſtolus velut à ſe inuicem indiſſociata ſimul, pariterq; commemorat, dicēs: *Plenos inuidia, homicidijſq;*. Quid ergo eſt, quod in hac parte egit diabolus? Vidit honorem, qui à Deo datus eſt homini: & continuo incenſus inuidia eſt, vt interimeret eum, qui fuerat honoratus à Deo: ſine dubio vt ad eum redundaret iniuria, qui præſtiterat gratiam. Verum quia ipſe aduerſus Deum pugnare non poterat, aduerſus fratrē pugnare hominem docuit. Fugiamus ergo, fratres, vitij huius cauſam: quę prima aduerſari Deo docuit: quę parricidij extitit mater: quæ naturæ iura confudit: quæ ignorantiam conſanguinitatis inuexit: quid. n. contriſtaris, ò homo, cum nihil mali perpeſſus ſis? quid impugnas eum, qui tibi videtur in bonis degere, cū te in nullo defraudauerit? quid ſi aliquid D etiam tibi profuit? nihil aliud agere videris: quā tuiſmetipſis bonis, & vtilitatib. inuidere. Talis erat & Saul: qui beneficia Dauid ad occaſionem perſecutionis eius, & impugnationis accepit. primo quidem per ſpiritalem illam citharam diuinitus modulatā, & plectro ſancti Spiritus pulſam ab incurſione dæmonis liberatus eſt. Verùm qui hæc beneficij memor rependit? pro ſalutifero plectro haſtam mortiferam retorquet in Dauid, tum deinde belli diſcrimine ſimul, & opprobrio liberatus proſtrato Golia, cui nullus prouocanti audebat occurrere, quoniam pro hoc mulierum exultantium chori in hymnis triumphalibus ad eum, qui ſuto ter fecerat, collatæ ſalutis gratiam referebant, dicentes, Percuſſit Dauid in decem millibus & Saul in millibus, pro hac ſolari, quæ ex ipſa veritate proceſſerat, ad inſidias, & interitum eius, qui ſalutem patriæ contulerat, incitatur: & eum eum profugum, atque extorrem finibus patrijs fecilſet, ac ſedibus, nec ſic quidem ceſſauit inuidia: ſed & armatos mittit poſt ipſum: & aliquando mille, aliquando tribus millibus eum bellatoribus inſectatus: ſed & ſi ad deſerta confugit, & ſi apud *ἀνοφίλοον* latitat, ne ibi quidem parcit: ſemper inſidiatores mittit poſt ipſum: ſemper dolis & factionibus circumuenit eum, cuius beneficijs intra conſcientiam ſuam ſe E nouit obnoxium. Si ergo interrogetur, quæ belli cauſa eſt, quid aliud reſpondebit, niſi beneficia viri cauſam ſibi eſſe odiorum? qui etiam eo ipſo tempore, cum ab eo quæreretur ad mortem, nocte ab eo dormiens deprehēſus, & abſque vlla dubitatione expoſitus ad interitum, ac traditus in manus inimici, reſeruatur tamen, & indulgetur, & ad pœnitentiam remittitur. Et eſt teſtimonio nox illa, in qua commaculare iuſtus manus ſuas in ſanguine prodit, & expoſiti ſibi perſecutoris abſtinuit; nec tamen his tantis, ac talib. beneficijs mens inuidi flectitur: ſed rurſum mouet arma: rurſum perſecutiones excitat nequiores. Sed nihilominus in manus traditur: & rurſum in ſpelunca deprehenſus oportunus fit neci: in quo & pietas quidem, & miſericordia Dauid magis clareſcit: & Saul malitia, vel crudelitas manifeſtiùs declaratur. Nihil ergo his inimicitijs difficiliùs: quæ ex inuidiæ amariſſimo fonte deſcendunt: F quoniam quidem his, qui ex alijs occaſionib. inimici ſunt, ſi alter fortè aggrediatur alterum beneficijs vincere, continuò ferocitas mitigatur: In inuidum autem ſi beneficia conferantur, multo amplius inflammatur: & quanto plura fuerit conſecutus, tantò maiorib. incendijs conflagrabit: magis enim iraſcitur, & dolet, quod ab eo boni aliquid conſequitur, quem nolit quicquam boni vel habere, vel poſſe præſtare. Quam feram beluam, quos venenatos ſerpentes mores iſti non ſuperant? Canes beneficij memores videas: leones, cæteræq; feræ miteſcunt, & vincuntur ad gratiam. Soli inuidi beneficijs grauius inflammātur. Quid etiam fortiſſimum illum, & nobiliſſimum virum Ioſeph ſeruum fecit? nónne inuidia fratrum? in quo etiam admiratione digna eſt vanitas ipſa commenti: pertimeſcentes enim exitum ſomniorū, fratrem ſubijciunt ſeruituti: quo ſcilicet ſeruus effectus non poſſit à liberis adorari. Sed ſiquidem vera ſunt ſomnia, quid proderit argumēti genus? ſi impleri neceſſe eſt, quod prędictum eſt, ſuperflua eſt obſiſtentis intentio. Si vero fallitur adoleſcens in ſomnijs, G fruſtra inuidetis erranti. non inuidia, ſed miſeratione dignus eſt, qui illuditur. Sed multo aliter, quàm opinabantur, callida eorum commenta diuinæ prouidentię diſpenſatio temperauit: per ea namq; ipſa prædictorū finis ſtruitur, & impletur, per quæ putabatur arceri: certū eſt enim, quia niſi venundatus fuiſſet, Ioſeph vtiq; in Ægyptū non veniſſet, nec pudicitiæ tenax dominæ laſciuientis inſidias incidiſſet, non fuiſſet retruſus in carcerem, nec miniſtris Pharaonis familiarior extitiſſet, nec ſomniorū regis interpres fuiſſet adſcitus. Ex quo etiam ſummā poteſtatem regendæ Ægypti, moderandæq; ſortitus eſt. & pro frumentaria diſpenſatione à fratribus ſuis ob hoc ipſum illuc properantib. adoratus eſt. Verū tranſeamus ad ſpeciem illius inuidiæ, quæ omne piaculi genus humanæ cōditionis excedit. Iudæorum odium aduerſum Saluatorem non ex inuidia deſcendit? & quæ erat inuidiæ cauſa? mirabilia ſignorum. cuiuſmodi vero erant mirabilia? Salus animæ, & H corporum ſanitas. Paſcebantur eſurientes: qui paſcebat, impugnabatur: vita mortuis reddebatur: & is, qui vitam tribuebat, inſidias vitæ per inuidiam ſuſtinebat: dæmones fugabantur: & imperans dæmonibus doli ab hominibus tendebantur: leproſi mundabantur: claudi ambulabant: ſurdi audiebant: cæci videbant: & qui huiuſmodi gratiam largiebatur, ab hominib. fugabatur: flagris ſeruilibus affligebant eum, qui mortalib. venerat reſtituere libertatem; & iudicabant homines iudicem mundi. Ad vltimū verò eò vſque piaculi furor prorupit, vt auctorem vitæ morte mulctarent. Sic omnia mala ex radice naſcuntur inuidiæ: & hoc vno tanquam validiſſimo mucrone vſus ab initio mundi vſq; ad conſummationē eius diabolus omnes penè animas trucidauit, ac perdidit. Deniq; nihil omittit, qui pro eo, quod ipſe inuidiæ paſſione deiectus eſt, etiam nos lapſu ſimilis vitij delere ſtudeat. Idcirco ſapientiſſimus Salomon cum homine inuido nec cœnandum quidem ſuadet, vel ad conuiuium veniendum, per hoc oſtendens, quòd totius vitæ noſtræ tempore à conſortio hominum, qui in huiuſcemodi vitijs irretiti ſunt, alieni prorſus, & ſegregati eſſe debeamus: ſicut enim aridam quamque fragilemque materiam ſtudium nobis eſt procul ab igne ſta-

A tuere, ita oportet, quantum fieri poteſt, ab omnibus inuidorum non ſolum amicitijs, verum etiam fabulis, & colloquijs ſegregari, & velut à malignis, & venenatis iaculis occultari: non enim poſſibile eſt aliter incurrere in inuidiam, niſi notitiæ, & familiaritatis obtentu: quoniam quidem ſecundum Salomonis ſermonem, inuidia viro ab amico ſuo eſt. verè enim ita ſe res habet: non enim Ægyptio inuidet Scytha: aut Britanno Indus æmulatur, ſed vnuſquiſque gentis ſuæ hominibus, & contribulibus inuidet: & non ignotis quibuſque, ſed vicinis & proximis, ac familiaribus ſuis, imuio verò his, qui vel artificij eiuſdem, vel officij, vel operis exiſtunt. † Amat etiam proximas ætates morbus inuidiæ: nonnunquam & in propinquo ſanguinis, atque inter ipſa ſæpe fraternæ germanitatis iura graſſatur, & prorſus ſicut rubigo propria † frumenti corruptio eſt, & ita amicitiarum propria corruptela peſtis inuidiæ eſt. Sed & illud in cauſa huius languoris vel admirari tam quis poterit, vel laudare, quod quanto amplius creuerit, tanto ſibi pernicioſior ei, cui creſcit: ſicut enim omne iaculum, quod vehementius fuerit intortũ, ſi fortè in aliquod

B ſolidum, & durum corpus illiſerit, in eum continuò, qui iecerat repercuſſum iaculum retorquetur, ac ſimiliter etiam inuidentis motus, & animorum telum, cum nihil noceant eum, cui intenditur, vulnus tamen intendentis efficitur: nemo namq; triſtitia ſua vnquam imminuere bona proximi potuit, æmulans tamen ſeipſum tabo conficit inuidiæ. Et ego quidem arbitror venenatis, & mortiferis ſerpentib. morbi huius eſſe venena grauiora: nam ab illis aiunt, cum prius morſus corpori defixerit, per vulnus dentium venena diffundi: inuidiæ autem virus interdum etiã ſolo aſpectu infunditur oculorum, nonnunquam etiã ſolo concipitur auditu: continuò namque, vt viderit quis, vel audierit ea, quæ non vult de his, quibus inuidet, ſtatim dilabitur, ſtatim concidit, ſtatim tabeſcit: & quamuis decori vultus, quamuis ſolidi ac ſani ſit corporis, repente velut ictus venenati ſerpentis morſibus conſumitur, & tabeſcit

C venenis noxij rheumatis per oculos vſque ad cordis arcana penetrantibus, ac viſcerum interiora vaſtantibus. ſed ego omitto tali aſſertione vti, vulgaris enim videbitur ſermo: illud tamẽ dicam, quoniam aduerſarij humani generis dæmones, cum viderint propoſitum hominis ſuis ſtudijs aptum, ad omne facinus voluntatis ſuæ velut organo abutuntur. Ecquid non perhorreſcis miniſter effici dæmonum? ſed recipis in te malũ, per quod inimicus exiſtas his, qui te non læſerunt? Inimicus quoque Dei es: apud quem omnis bonitas abſque inuidiæ macula eſt. Fugiamus quinimmo malum, quod magiſterio ſerpentis edoctum eſt: quod à dæmonibus adinuentum eſt: quod inimicus homo bonis Dei ſeminibus ſuperſeuit. Fugiamus inuidiam obicem pietatis, obſtaculum regni cœlorum, viã gehennæ, pignus, & primitias quaſdam pœnæ perpetuæ. Sed ipſo quoq; interdum vultu non minus inuidi declarantur: abſtruſior namq; his oculus: obſcuriores genæ: demiſſum, & triſte ſupercilium: animaq; ipſa paſſione deie-

D cta, & penitus incuruata, nuſquam veritatis iudicium in negotijs ſeruat. Nullum virtutis opus apud illos habetur in laude: non ſermo vllius honeſtus eis videtur, aut gratus, nihil apud eos nobile, nihil clarum probabitur: ſed ſicut vultures iocunda quæque, & amœna loca tranſeunt: & ſuauiſſimis odoribus reſpirantia tranſuolant prata: ad fœtida verò quæq; cadauera, & loca teris repleta nidoribus conuolant. Et ſicut muſcæ omiſſo ſano corpore, ſicubi vulnus eſt, concitæ, præcipiteſq; conueniunt: ita & inuidi, ſi quid ab aliquo in hac vita benè geſtum eſt, ſi quid præclarum in actibus, in verbis probabile, in moribus admirandum eſt, nihil prorſus vident, nihil retractant. Sicubi autẽ quid aut culpabiliter geſtum, aut incauto ſermone prolatum, vt accidere hominib. ſolet, hoc loquuntur, hoc proferunt, hoc in publicum ventilant, & notitiam viri non ex bonis geſtis, dictiſque, ſed ea minus probabilibus fieri volunt, quo malo quid nequius? quid tetrius? quid pernicioſius dicam? Omittere, & reticere ea, quæ laude digna ſunt, rimari verò, ſicubi quid inueniat, quo opus virtutis ea accidentis culpæ occaſionibus criminentur. Denique, illi talem magnanimum quemque virum proteruum vocant: con-

E ſtantem verò, & patientem ſine ſenſu doloris appellant: ſobrium acerbum dicunt: iuſtum crudelem: prudentem callidum vocant: liberum arrogantem criminantur: liberalem vero luxurioſum dicunt: parcum auarum nominãt: & omnes prorſus virtutum ſpecies decolorare contrarijs, & à malitia aſſumptis appellationibus geſtiunt: ita vt ſæpe etiam inuidos, quibus ipſi inuident, nominent. Quem igitur in accuſatione, & in obtrectatione vitiorum ſermonis terminum dabimus? ſed hoc ea parte remedium eſt: nam oſtendere ægro magnitudinem morbi, & per hoc concitare eius ſolicitudinem, ne lãguoris vim negligat, pars videbitur medicinæ. Verum ſi in hoc eum reliqueris gradu, nec remediorum oſtenderis viam, nihil aliud eſt, quàm ſalutem prodidiſſe languentis. Quid ergo eſt, quomodo vel vitandus eſt morbus, ne patiamur, vel ſi patiamur, fugiendus? Primo, vt mihi videtur, ſtatuere debemus apud animos noſtros, nihil magnificum, neque expetendum quicquam eſſe in rebus viſibilibus, non opulentiã magni pendere, neque florentis gloriæ tumorem mirari, non robur,

F & valetudinem corporis: nihil enim eorum, quæ temporalia ſunt, & prætereunt, opinandũ eſt bonum: neque omnino horum aliquid, quæ videmus: quoniam quæ videntur, temporalia ſunt: quæ autem nõ videntur, æterna ſunt. Ideo ergo eum, qui affluit diuitijs, dignum non putemus inuidia: neque is, qui ſublimitate præcellit, æmulatione dignus habendus eſt pro magnitudine poteſtatis craſtino nuſquam futuræ: ſed neque corporis virtus, & magnificũ robur ad inuidiam veniat, vnius febriculæ caloribus reſoluendum: niſi fortè quis velut virtutis organis his vtatur ad vtiles atque optimos actus: is enim, qui indulta ſibi corporis fortitudine abutitur ad impia, ac proterua miniſteria, nihil aliud eſt, quàſi quis acceptum ad hoſtem repellendum gladium in ſinum vertat ex inum. Quod ſi quis conceſſas ſibi à Deo facultates in miniſterijs indigentium, & pauperum ſuſtentatione diſpenſat, iſte non inuidia dignus eſt, ſed amore: qui delitijs, & voluptatibus ſuis neceſſitatem pauperum prætulit: & communem ſuum victum

G cum fratribus fecit. Tum deinde eminet quis per prudentiam: & accepta gratia verbi Dei ſcripturæ ſenſum aperit, & obſcuritates diuini & prophetici ſermonis exponit, quis vnquam talibus aduerſetur? quis diuini muneris beneficia feralis inuidiæ labe contaminet? maximè ſi ea, quæ dicuntur, per ſancti ſpiritus donum, & gratiam deprompta tur? & ob hoc etiam auditorum fauor, & collaudatio proſequatur? Sic habe te, quaſi tuum ſit iſtud bonum: & tibi per fratrem à Deo doctrinæ deſtinatum ſit donum, ſi tamen libenter prompteque ſuſcipias. Tum deinde venam quidem fontis largius profluentem nullus obturat: nec à ſolis ſplendore vlſius inhibetur obtutus: & nemo inuidet alij ſolem videnti, nec ſupra cæteros, ſed cum cæteris habere eis ſufficit participium lucis: & tu verbo ſpiritali in Eccleſia profluenti, & per gratiam ſancti ſpiritus pietatis dogmata proloquenti non cum lætitia adiunges, & adiungis auditum, & ſtrueris, ac proficis: ſed mordet te, & ſtimulat audientium fauor: & optares, vt nemo proficeret

H tantum, vt nemo laudaret. Et quæ erit huius rei excuſatio apud cordium noſtrorum iudicem Deum? Si ergo, vt diximus, abundat quis in facultatibus; vtitur autem eis tam commodè, quàm ſermo diuinus edocuit, communem ſibi cenſum cum indigentibus ponens, non inuidia tali iſte, ſed charitate dignus eſt, & amore. Si vero è contrario agat, id eſt, vt facultatibus, quas honeſtè diſpenſare debuerat, abuti per luxuriam, ac turpitudinem properet, nec ſic quidem omnino inuidia, ſed miſericordia dignus eſt: quoniã quidem nec laude aliquid dignum, ſed probris, & vituperationibus gerit. Similiter & is, qui abundat in verbo, ſi quidem per gratiam Spiritus loquitur, ſi vitæ ſuæ merito commendat, & probat, vera eſſe, quæ prædicat, ſi non refragantur doctrinæ verbis geſta doctoris, ſi denique Spiritus ſancti voluntati miniſtram tantummodo exhibet linguam: inuidere talibus, & aduerſari nihil aliud eſt, quàm dicere, nolle Dei mandata hominibus innoteſcere: nolle homines de morte ad ſalutem, vitamq; reuocari. Si vero is, qui loquitur, non ſecundum Deum loquitur, nec per gratiam Domini docet, ſed verba profert humani tantũ-

modo

† al. æmat.

† al. frumenti.

A modo ingenij arte compoſita, nihil in ipſis diuini Spiritus, nihil, quod cor fodiat, conſcientiam pulſet, lachrymam moueat, ſi denique vita, moreſq; doctoris prolatis refragantur eloquijs, ſi aliena ſunt ab actibus, & morib. ſuis ea, quæ alios docet, nequaquam (quæſo) erga tales exercetur inuidia. reclamat enim his continuo Apoſtolicus ſermo, & in os eorum ad faciem retorquetur dicens, *Qui doces aliũ, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium committis*, quinimmo miſeratione, vt diximus, & luctu digni ſunt iſti. Tu verò audi commonentem te Dauid per Spiritum ſanctum, & dicentem, *Noli æmulari inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitatem: quoniam ſicut fœnum citò areſcent, & ſicut olera herbarum citò decident.* Decet ergo ſeruum Dei neque viris bonis inuidere, & ſuper falſis, ac ſimulatis dolere: æmulationem potius ad imitanda bona, quàm inuidiam capere. Si vidiſti ſobrium, ſi prudentem,

B ſi ſapientem, ſi conſtantem in certaminibus pietatis, ſi quidem & tu talis es, dilige & illum, quaſi alterum te. Si vero aliquid tibi deeſt, imitare eum, cuius vitam laudabilem vides. Hoc autem ſtudij modo & apud temetipſum proficies, & apud eos, qui te vident, laudabilis eris: hæc enim eſt natura virtutis, vt per arbitrij libertatem à quocunque volente, & laborante facilè poſſit acquiri: in nobis namq; poteſtas huius ſtudij ſita eſt: nam diuitias, pulchritudinem corporis, robur, & cætera huiuſmodi, quæ putantur eſſe corporea bona, non eſt in noſtra poteſtate, vt habere poſſimus, ſed maius bonum, quod verè bonum eſt, id eſt virtus animi merito ab omnibus, qui rectè iudicant, cunctis bonis corporeis præferendum eſt. Cur quod ſummum, & verè bonum eſt, & in noſtra poſitũ poteſtate, negligimus imitari? pro his vero bonis, quæ falſa ſunt, nec bona iure dicuntur, tam intentis ſtudijs agimur, vt pro his perniciosiſſimæ cladi ſuccumbamus inuidiæ. Sed ne illud quidem commonitionem noſtri ſermonis euadat, non vides, quan-

C tum malum in vita hominum obtineat ſimulatio: & hæc de inuidiæ ſtirpe procedit: nam bilinguem eſſe hominem & duplici mente non aliunde, quàm de inuidia naſcitur: in profundo namque cordis odium tegit: in labiorum verò ſuperficie coloratam dulcedinem profert, ſecundũ obtectos marinis fluctibus ſcopulos, qui exiguæ aquę reſperſione cooperti ignorantibus & incautis improuiſa naufragia moliuntur. Si ergo etiam mors nobis inde velut ex malignis fontibus influit, id eſt, cum decidimus à bono, cũ alieni efficimur à Deo, cum ſanctitatis ordinem, pacemq; confundimus, cum totius honeſtæ vitæ iura violamus: fugiamus eam, & acquieſcamus magis ſuadenti Apoſtolo, & dicenti, *Nolite effici inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes: ſed magis benigni, miſericordes, donantes vobis ipſis delicta, ſicut & Deus donauit vobis in Chriſto Ieſu Domino no-*

D *ſtro*: cum quo eſt Deo patri cum Spiritu ſancto gloria in ſæcula ſæculorum.

Sermo de S. Arcadio martyre.

DVm beati Arcadij martyris geſta annalibus triumphanda mandamus, in agone immortalis laudis Chriſtianus ſemper ardor animatur. Erit geminum de religioſitate commercium, cum ad cœleſte præmium populus accenditur, & de martyris meritis nuntiletur. Sed quis illuſtris martyrij palmiferam trophæis coronam competenti valeat ſermone diſſerere, dum in vno corpore tot martyria videantur eſſe, quot membra? Armauerat diabolus ſatellites ſuos in Domini populum veterani odij aſſertor antiquus, & totam familiam Domini impaſtæ feritatis graſſatione turbabat. Indixerat in bomine Deo bellum, & infauſtæ ſuperſtitionis buſto in nefas concicum toto mundo refecerat rogum. Scatebat per tecta culminum publicum ſcelus: nec fuerat locus, in quo non erat pro religione ſacrilegium. Cogebatur Chriſti populus vanis ſuperſtitionibus intereſſe, atque in cultum nefandi ritus nunc aut libamina mœſtè profundere, aut ornatas ſertis victimas trahere, aut grauia nidoribus thura ſuccendere, aut inter fumidos ignes pallenti aruina funeſto ſanguine prolitare, vt illiciti adminiſtratione miniſterij, Chriſti panis

E mentibus poſſit expelli. Sed dum bellum dirri certaminis geritur, & familia Domini cœlo ſpectante probatur, Arcadius beatiſſimus martyr huius inopinati ſacrilegij horrore percuſſos paululum diſtulit pugnam, iam debitus ad coronam: nam poſtquam turbari vrbem funeſta conuentione cognouit, ac ſingulos quoſque ad funeſtum illud ſpectaculum trahi, contemptis vniuerſis facultatibus ſuis, amputatis radicibus ſeculi, deliteſcens ſeceſſionis ſe commendauit vmbraculo, vtrumq; Chriſtiano explicans voto, vt & non longius videretur à prælio, & ſecedendo Euangelicæ iuſſionis animaretur exemplo. Ecce in eius hoſpitium velut in hoſtilem prædam graſſantium ſatellitum præceps irruit manus: feſtinat Dei famulum poſſe deprehendi: quem beati propinquus martyris, qui in eius fortè degebat habitaculo, abſentem eſſe aſſiduis vocibus inclamabat. Hinc verò profitentem ad nefandam cuſtodiam noxiæ mentis mancipes rapuerunt. quem ublatum ſibi

F iubet crudeliſſimus rector acri obſeruatione detineri. Ad ſummæ gloriæ teſtimonium tale beatus Arcadius debiti martyrij quodammodo ſequeſtrauerat pignus, in quo nec Chriſtum relinqueret, nec propinquum. Statim beatus martyr ſe latere non paſſus eſt, ſe vltro offerens iudici moram ſuam voluntarię præiudicijs excuſauit. Cui cum prouinciæ rector priſtinæ eius fugæ veniam ſub pactione promitteret, ſi ſe vel ſero nefandis ſuperſtitionibus miſcuiſſet, talibus in eum ſanctiſſimus martyr vocibus exilijt: Quid, inquit, vaniſſime omnium iudicum? putasne aut de lucis iſtius incongruis vſuris, aut de properæ mortis ſubitis damnis familiam Dei poſſe terreri, cum ſciamus apoſtolica fide eſſe perſcriptum, *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum?* Excogita, quibus potes ſupplicijs tormenta grauiora: maioribus te furoris ſtimulis accendam: quamuis cruciatus exerce molem, nos ideo non potes ſuperare. Statim iudex viperei veneni felle commotus iubet non vſitata animad-

G uerſione pœnarum, nec viuali in reos lege carnifices in martyris membra ſæuire. Ceſſauerunt vngulæ: inutiles ictus viſi ſunt plumbatarum: ſiluit cõtemptus eculeus crebri fuſtium imbres maioris pœnæ contemplatione neglecti ſunt: excogitatur nouum ſtupendumque ſupplicium, quo ſe in homine vincere crederet Deum. Incidantur, ait, ab articulis manus, à cruribus pedes: viuum ſe cadauer inſpiciat. Cui beatus Arcadius ait: O inſane hominum, ſi audaui te furor tuus: adhuc erat in victima Domini, quod poſſis offerre. Amputandam linguam mandare neſciſti, quæ in colluctatione martyrij prior ſolet Domino confiteri. Ductus eſt tandem beatus Arcadius ad exoptatum iuſtis orationibus locum: & intuens cœlum ſtetit Deo ſpectante ſecurus. Parauerat extenſa futuris ictibus colla: nudauerat gladijs venientibus iugulum: putauerat ſe letalem iudicis amentiam citæ mortis ſorte ſatiare, dum ſubi-

H to manus iubetur extẽdere, ac ſuper ceſpitem nudus proiectus in faciem, pedum etiam ſeria nudare. Ecce inter ipſa ſupplicia vacare non ſinitur, ſed orationis inſtar per carnificis tormenta meditatur. Erexerat ſecurem percuſſor inſanus, & ſignans oculis vulneribus lineam, feralis ictus aſſidua contemplatione vibrabat. Hæſerant confeſſionis ſuæ glutino intrepidæ martyris manus: nec ſalientes digiti futuræ mortis extimo palpitabant. Tanta fuit in martyris deuotione conſtantia, vt omni corpore paratus veniret ad gloriam. Mox itaque vt deuotum corpus carnifex vidit; ſtatim cadentis ſecuris ictus neruorum connexa diſſoluit, & cunctas compage diſcuſſa iuncturas corporis rupit. Exiliebant exſectæ manus, & venarum in ſe paululum ſtupore curſus in ſe riuos ſanguinis ruens. Dehinc poplitibus, ſuriſque porrectis, à germana coniunctione naturæ gladiu ſæui latronis plantarum limes inciditur: & obſequio pedum corpus martyris viduatur. Numerent martyria, qui poſſunt numerare ſupplicia: & in vno corpore quantum diabolus publicatus eſt furere, tantum agnoſcatur Dominus triumphaſſe. Sed durat inter hæc martyris ſpiritus, moratum numeroſitate ſeruatus perſtat viuus, parte ſui corporis iam ſepultus. O dignus glorioſi exitus finis. Aſcenſurus altitudinem cœli, corporis ſui impedimenta præmittit, & † exequijs funeris ipſe præcedit. Cui hæc cõparanda confeſſio? Machabæorum eſt iungenda numero: † *al* exequias.

A Eleazari eſt adæquanda propoſito, comparanda conſilio. Arcadius beatiſſimus martyr adhuc demoratus in ſæculo, & iam martyr recitatur in cœlo.

Sermo de Reſurrectione.

QVIſquis reſurrectionem negat, vitam ſuammet ipſe condemnat: cur enim mereatur felicitatem futuri temporis cernere, quem videas ſacrilega incredulitate Dei potentiæ derogare? Sed hoc amore criminum faciunt, vt putent impunita fore, quæ clanculo gerunt: ſi iudicij diei appropinquare iam auſus aduerterent, proculdubio & præſentia odiſſent, & futura crediſſent, pariterque metuiſſent: nemo eſt enim tam vel ab iſtius mundi ſapientiæ guſtu ieiunus, qui audeat dicere animas cum corporibus interire, cœleſtia cum terrenis abſumi: præſertim cum eorumdem ille ſapientiſſimus dicat, hanc eſſe mortem, cum corpore animus tanquam carcere clauſus tenetur: illam eſſe veram vitam, cum idem animus cuſtodia carceris li-
B beratus ad eum locum, vnde venerit, reuertatur. Si ergo hoc ille ſenſit, qui non nouerat Chriſtum, cur dubitet Chriſtianus, qui reſurrectionem futuram & vidit, & ſperat, & repoſitam ſibi præſumit de Chriſto? Igitur primum omnium probandum puto, animas noſtras ſuorum corporum exuuijs, nec cum labe carnalis huiuſce domicilij iſta prima morte diſſolui: ſed pro qualitate factorũ quaſdam locis pœnalibus relegari, quaſdam placidis ſedib. ſeponi: vt tunc demum credi poſſit reſurgere, quod omnibus palam ſit non penitus interire. Gentes, quæ iſta non credunt, tamen cum libamine infauſto ad ſepulchra concurrũt, & à mortuis, quos in quiete tacitæ noctis agnouerint, capere à ſe aliquotiens alimenta contendunt: ac ſic fidem rei, quam reprobãt faciunt. Philoſophi de anima varia dixerunt: ſed tamen hanc eſſe immortalem, Epicuri, Dicæarchi, Democritique vanitatem argumẽtatione manifeſta conuincunt. Poëtæ autem melius, qui duplicem viam apud inferos ponunt: impiorum vnam, quæ ducit in
C Tartarum: piorum alteram, quæ ducit ad Elyſium, eò fortius addentes, quòd defunctorum ibidem nõ tam formæ, quam facta noſcantur, ac neceſſario recipiant, ſecundum quod mundanæ adminiſtrationis ſuis in actib. portant, rectè dicentes, Quiſque ſuos patimur manes. Nos verò, fratres, quos non ingenioſa ſuſpicio, ſed Deus magiſter inſtruxit, propter nos in ſemetipſo probando quod docuit, viuere animas mortuorum non tam dicere, quã oculatis teſtibus ſufficimus approbare. Deniq; vagi, atq; immundi ſpiritus ſub prætextu animarum vtriuſq; ſexus humani doloſa blanditiarum captione, ſeu violentia viuentium domos corporales infringunt: & latibulum ſibi pernicioſum eorum in captiuitatibus quærunt. At vbi ventum fuerit ad diuini certaminis campum, cœperintq; ſacri nominis telo pulſari, tunc videatur certari miſterijs: diſcoloratur enim per momenta color: figura ſua tollitur a natura: in obliquos horroris inſani vertuntur orbes oculorum: acies dentium ſpumoſis horrida globis inter labra liuentia ſtridit:
D intorta omnia paſſim vndique tremore vibrantur: gemit: flet: denunciatum pauet iudicij diem: pelliq; ſe plangit: confitetur aggreſſuræ tempus, & locum: nomen propriũ fingit: diſceſſurumq; vel quo ſit, ſignis euidentibus docet: vt plerumq; aliquos noſcamus eſſe nominatos, quos in idololatria commorantes nuper, vel maxime vi aliqua obijſſe meminerimus. At cum diuina adiuratione in eculeo ſpiritali torquentur, nolentes, & inuiti diſcedere compelluntur. Hic nunc mihi reſponde, qui hominis poſt mortẽ nihil ſupereſſe contendis, quo argumento dæmonica vitãtur, ſi non viuant animæ mortuorum? At dicis hoc dæmones fingunt. O probatio melior, quòd etiam fallaces teſtimonium perhibent veritati. accipe & alia exempla, & quidem certiora. Primo in libro verborum Samuel egregius ille ſacerdos mortis iam lege diſpunctus, Sauli regi deſideranti ſine ambiguitate non tantum ſuam præſentiã exhibet, ſed etiã ad conſulta reſpondet, liberiuſq; canit mortuus, quàm canere cõſueuerat viuus, vnde liber exclamare: Profectus potius eſt ille, quàm mortuus. In Euangelio quoq; Petrus, filijq; Zebedæi cum Domino altare fulgentes Moyſen, Eliamq;, quos propter tunc impedimentum carnis videre nõ poſſent, libertate ſpiritus vident: Eande

E intelligentes in theſauro naturæ depoſitum incolume requieſcere quod in hoc mundo ad tempus peſpicitur interire. Similiter in inferno diues ille tenaciſſimus, quem chaos immenſum à pauperis felicitate diſcernit, ardoribus ſuis implorando refrigerium, Lazarum verum diuitẽ ſero cognoſcit: cupitque mortuus vel vno digito illis contingi manibus, quib. ſtipem denegarat viuus. Odit iã ſine cauſa, ante quod amauerat: probat felicius eſſe, quod oderat. Gemit inſtanti pœnæ aliquid de facultatibus ſuis mederi non poſſe, pro vno puncto requiei incunctãter tota ſcilicet paratus offerre: ſuperſtitibus fratribus ſalutem cupit eſſe, conſultum Abraham patrem deprecatur obnixè, vt aliquis nuntius pergat, qui eos tãti negotij certos efficiat: cui ille reſpondit, *Habent Moyſen, & prophetas: quibus ſi non credunt, neque illi, qui hinc miſſus fuerit, credituri ſunt*, euidenter oſtendens, non in oculis eſſe carnalibus verum, ſed in fide credentium conſtitutum. nam & Dominus iſta exempla
F confirmans vni ex latronibus in ſe credenti, qui eum eodẽ patibulo dextra, læuaq; pendebant, ait, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Itaque ſi homo mortuus in æternum perit, ergo mentitus eſt Dominus, qui ei deinceps nihil futuro paradiſum repromiſit: ſed & homo ipſe, quem Dominus aſſumpſerat, perit, ſi Ieſus non reſurrexit. At ſi reſurrexit, humano generi formam dedit, quoniã ad hoc Deus pro homine mortis iura guſtauit, vt homo per Deum iura immortalitatis reciperet, quod amiſit. Propter quod Paulus beatiſſimus ait: *Nolumus autem ignorare vos, fratres, de dormientibus, ne contriſtemini, ſicut cæteri, qui ſpem nõ habent: ſi enim credimus, quia Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit, ſic & Deus eos, qui dormierunt in Ieſum, adducet cum eo.* Nam & Deus per Ezechielem prophetam loquitur, dicens: *Ecce ego aperio monumenta veſtra: & educam vos de monumentis veſtris, & inducam vos in terram Iſrael, dabo ſpiritum meum in vos, & viuetis.* Cum hæc ita ſint, reſurrectionem futuram cur Chriſtiane nõ credis?
G Cur de huiuſmodi labe in meliora migrantis tam pertinaciter plangis? Proh nefas! Hinc mater ſciſſa veſte, laniatis crinibus, laniata & genis totum crebris ictibus liuida pectus, gentili vanitate circa amiſſi cadauer bacchatur inſana: nec Machabeæ matris memoriam recolit, quæ ipſa ſuccincta futurorum Antiocho ſæuienti libentes ſemel ſeptem filios, non dicam extulit, ſed ipſa potius feliciter ſuis hortamentis occidit, religioſè confidens Deo filios ſe genuiſſe, non mundo. Hinc vxor amiſſi mariti deſolationẽ ſe ferre non poſſe teſtatur: frigidumq; latus male dilatato quærit lecto: inuidioſis vocibus Deo concinnat inuidiã: ſolennia ipſa diuina, quib. à ſacerdotibus Dei quieſcentes commendari conſueuerunt, profanis aliquoties vlulatibus rumpit: terraq; illuuie ſordido totum deformans cultũ, cadauer amplectitur conclamatum: frigentia repetacit crebris oſculis labra: totum corpus imbribus relauat lachrymarum, crinium ſuorum damno cooperiens: miſerandis affatibus in vberiores fletus incendit etiam eos, quos cauſa non tangit, tanto ambitioſior in dolore, quanto dinos,
H ſaoè poſt momentum miſera, atque vtinam ſemel, omnio dolore nuptura. Hic hic quemadmodum te quis poſſit excuſare, non video: non deeſt enim, qui dicere poſſit: Si eſt reſurrectio, quare plãgis? ſi amore mariti facis, cur poſtmodum nubis? Execrabilis res eſt, fratres, nec coniugio ſeruare charitatem, nec Deo fidem. Hæc etiam viſus reprehenſio manet. Chriſtianus ergo in toto dubitare non debet in ſtatum priſtinum mortuos excitari, taleſque legitima die ante conſpectum Dei ex illo naturæ ſecreto produci, quales fuerint pro ſua quique qualitate ſuſcepti, Apoſtolo dicente: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque corporis ſui merita ſecundum ea, quæ geſſit, ſiue bona, ſiue mala*: etenim, fratres, facilius eſt reformare, quod fuerit, quàm inſtituere quod ante non fuit, quod ſi nõ fuit, & eſt, multo magis poterit eſſe, quod fuit, quippe cum illius potentiſſimi artificis rerum omnium conditoris ipſe ſit vſus, impoſſibilium poſſibilitatem aſſerere: ex eoq; quod non eſt, facere, quod eſt: naturam creare extra naturam: nihil prorſus habere difficile: ſoliuſque ei hoc deeſſe, quod nolit eſſe: hæc eſt enim proprietas Dei id operari, quod non poteſt credi. Igitur non homines tantum, ſed pene omnia ſuis moribus viuunt. Vnde pauca de

multis

A multis attingam, vt omnium probationem haud dubiè in paucis expediam. Stellæ præcipites labuntur è cœlo: & à tergo longo flammarum albeſcentium tractu funereæ facis ſolennitatem in occaſus ſuos, quaſi quibuſdam deducuntur exequijs: quas ſi per plagas, vnde reſiaæ ſunt, quæras, rediuiui luminis lege ſuis ſedib. reſurrexiſſe agnoſcas. Sol quotidie naſcitur: eademq; die, qua naſcitur, moritur: nec tamen inſtantis fionis forte terretur, ſuos vt repigret curſus: vt horas, ac momenta producat: vt ſaltem paulò diutius diei ſui demoretur in vita, ſed fidelis ſemper, ſemper intrepidus ad ſepulchrum noctis cognatæ contendit, ſciens in ipſo ſe habere, quod viuit: denique adimitur ei ortus, ſi ei noſtetur occaſus. Luna quoq;, quæ verè rationis humanæ omnia in ſe lineamenta depingit nata ſanguineę teneritudinis, dubio cornu primò quaſi de cunis apparet: B paulatimq; creſcendo iam puella, iam virgo pro quotidianæ ætatis incremētu progrediens, laſciui curſus ambagib. carpit peoſa mundana. At vbi matura aureo igne flagrantis luciflui aurigæ, par laboribus fratris anguſtis circuiis argēteum compleuerit globum, paulatim deuergit in ſenium, donec vltima ſenectute conſumpta, ſua morte reuiuiſcēs, menſtrualis ignis ſolenni germine accenſo ſumat rurſus de fine principium. Similiter Phœnix auis illa precioſa reſurrectionis euidentet nos edocet iura: quæ nobilitatem generis ſui non à parentib. accipit: non liberis tradit: ipſa eſt ſibi vterq; ſexus: ipſa omnis affectus: ipſa genus: ipſa finis: ipſa principium: non ex coitu naſcitur, nec officio alieno nutritur, non inuita, non imprudens moritur, ſed cum maturum leti tempus aduenerit, à ſemetipſa ſuauitatis ſacris ignibus libentiſſimè concrematur. ſepulchrum nidus eſt, illi fauillæ nutrices: cinis propagandi corporis ſemen: mors natalis dies. Denique poſt momentum feſto exultat in tumolo, non vmbra, ſed veritas: nō imago, ſed C Phœnix: non alia, ſed quamuis melior alia, tamen prior ipſa. Erubeſce Chriſtiana conſcientia, vel tot, ac tantis exemplis quemadmodum futurus ſum, eademq; eſſes melior futura, cognoſce. Præterea granum vniuſcuiuſq; frumenti conditū terræ interit: & tamen in eo id, quod natus eſt, reuiuiſcit: nec mortē medullitus capit, ſed ſuum ſibi genitale in germeo capitās vetuſti corporis ſuperficie deleta, imò in melioris naturę iura tranſmiſſa, fœlix caput omnibus virentibus redimitū, quaſi ab inferis emenſum in ſuperna ſuſtollit, perennitatis gloriā fructu populoſo tēturum. Huc haſtenus Paulo firmante: *Stulte tu, quod ſeminas, non viuificatur niſi mortuum fuerit.* Et ſubiecit dicens: *Sic & reſurrectio mortuorum:* ſeminatur in interitum, reſurgit in perpetuitatem: ſeminatur in infirmitatem, reſurgit in gloriam: ſeminatur in infirmitatem, reſurgit in virtutem: ſeminatur corpus animale, reſurgit ſpiritale. Satis, vt opinor, reſurrectionis D veritas omnib. claret, ſed neceſſariò diſſerendum eſt, quæ ſit in ea iniuſtorum, iuſtorumq; diſcretio, ne generalitas nominis in comparatione malorum attrahat gloriā Chriſtianæ fœlicitatis. Duplex itaq; forma ſurgendi eſt: prima Sanctorum, in qua illud beatitudinis regnum primæ tubę regali teſſera conuocati capient cum ingenti triumpho æterno rege ſub Chriſto: ſecunda verò, quæ impios cū peccatoribus, vniuerſiſq; incredulis gētibus perenni deſtinat pœnæ in pla... Spiritu ſancto dicente: *Ideo non reſurgunt impij in iudicio, neq; peccatores in conſilio iuſtorum, quoniam ſcit Dominus viam iuſtorum: & iter impiorum peribit.* Conſequens eſt, vt ſcire nos par ſit, in quo habitu regnaturus ſit homo iſte noſter, qui tendit ad cœlum: ne fortè cū carne depereat vana ſpe, ſi captus fuerit caduca, atq; carnali: de qua Apoſtolus dicit: *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt.* At è diuerſo videor mihi audire proclamantem: Si hæc eſt conditio carnis, quid eſt ergo, quod credimus in Eccleſia remiſſionem peccatorū, ac reſurrectionem carnis? facile, fratres, pugna iſta concordat, ſtatimq; futuri qualitas aperitur, fides ii illibata teneatur. Vnde rem paucis expediam. Omnis caro, quamdiu flagitioſis illecebris huius mundi, ac tenebris ſetalibus agitatur, profectò pecuina eſt, ac iniſero, fragili, deteſtabiliq; verſatur in iure. At cum mera fide credentis ſalutari fuerit necata baptiſmate, noua paterni ſacro reſurgit fonus ex gurgite, iam pura, iam libera, iā à conuerſatione mundi huius extranea, iam morte ſuperior, iam cœleſtia aſpirans, iam non dicam ſæculi ludibria, E ſed vt ſit honoratior, ſeipſam contemnens, iam veritatem, non imaginem quærens, iam ſpiritalia, non ſua deſiderās: de qua Paulus ait: *Non omnis caro eadem eſt caro:* alia eſt hominis, alia iumenti, alia caro volucrum, alia piſciū. Et corpora ſunt cœleſtia, ſunt & terreſtria. Itaque immortalitatis ſemine, de quo etiam poëta ſapientiſſimus præſagiuit dicens: Igneus eſt illis vigor, & cœleſtis origo ſeminibus: ſcilicet Spiritus ſancti conceptione inſita fit ante fœcunda: vt cum diſſolutionis eius, ac legitimæ reparationis tēpus aduenerit, ſuo ſemini reſpondens iure poſſit metere, quod credimus. Nec res in ambiguo eſt: quemadmodum etenim ille princeps iniquitatis ſuo ſemine per inuidiam protoplaſtos ex Angelis in homines deriuauit, ita Dominus omnes in ſe credētes ſancti Spiritus ſemine à mortuis rurſus glorioſos in Angelos excitabit. Ad hoc vnum euidens adhuc proponamus exemplum, quamuis non poſſit F veriſimile tantam vim habere, quam veritas. Oleaſter ſua infœlix & amarus eſt in natura, ſed cum fuerit peritiſſimi agricolæ artificis manu neceſſaria prouiſione truncatus, nobilitate alieni ſeminis grauidatur, nutriturq; ab eo ipſo, quod nutrit, donec hoſpitis geruinis adoptiua pinguedine aſſumptus, imò pinguedo ipſe factus, totuſq; in acceptum tranſlatus, in honore nouæ frondis promotione ramis reſurgentibus ornatus, iam non oleaſter fit, ſed oliua: cum & oleaſter ſit, & tamen oleaſtrum ſe non eſſe quodāmodo etiam ipſe miretur. Igitur ſi homo poteſt facere, vt arbor, quod non fuit, ſaluo quod fuit, quanto magis Deus hominem poterit excitare, antequam peccaſſet in paradiſo, in id quod fuit? Quam rationem ſeminum etiam beatiſſimus Paulus ſubtiliter prodidit dicens: *Qui ſeminat ſecundum carnem, de carne ſua metet interitum: qui autem ſeminat in ſpiritu, metet vitam æternam.* At vero Dominus euidenter hoc edocens ſic ad diſcipulos ait: *Simile eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo: dormientibus autē G hominibus venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in triticum.* At fortaſſe adhuc quiſpiam dicat, Si caro perit, vnde cognoſcitur ille, qui reſurgit? Caro fratres, quaſi quoddam eſt ſpeculum interioris plenitudine grauidatum: quod nō tam imaginem ſuam, quàm eius, cuius eſt in viſibus gerit; Deniq; tot efficit vultus, quot ille intrinſecus triſtes, ſeu hilares ſuos fecerit motus: hanc rationem docente nos Paulo: *Videmus,* inquit, *autem modo per ſpeculum in ænigmate: tunc autem faciem ad faciem erit.* Vnde dubium non eſt in corporibus noſtris, dum mortis lege ſeminātur, non ſubſtantiam, non imaginem, ſed illud tantum, quod inutile eſt, diſcuti, quod terrꝰ, demutari, ſicut ſcriptum eſt: *Oportet enim corruptiuum hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* aliter enim immortalitatis ſtola illa non ſumitur, niſi primo iſtud carnale ſpolium blandum animæ venenum, ſecundum Dei ſententiam, vnde ſumptum eſt refundatur: dicit enim Deus ad Adam: *Maledicta terra erit in omnibus operibus tuis, in triſtitia gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: ſpinas, & tribulos eijciet tibi: & edes pabulum H agri: In ſudore vultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terram.* Sed & Dominus ex perſona hominis, quem aſſumpſerat, ait: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Quod dictū non tam timentis, quàm exultantis, ac docentis eſt. Vtique: non enim quicquam timere poterat, qui mortuos excitabat: qui poteſtatem habuit ponendi eam, & iterum reſumendi eam: ſed vt doceret, quoniam cum viuit in hoc mundo, ſemper in tribulatione, ſemper iuſtus in pœna eſt. Cum autem mors, quæ putatur metuenda, guſtatur, tunc ei in æternum manentis gloriæ beatis in ſedibus nullas deinceps ęrumnas mundi ſenſura repromiſſa fœlicitas exhibetur, Dauid ſancto dicente: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit mihi: quia liberauit animam meam à morte: oculos meos à lacrymis: pedes meos à lapſu. Placebo Domino in regione viuorum.* Hæc nos fœlicitas manet: hoc munus expectat. Sic ergo viuamus, vt bonis operibus decurati, nos quoque patri placere mereamur, Domino iuuante nos Chriſto: qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum.

Finis Sermonum S. Zenonis.

S. VICTORINI PICTAVIENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS COMMENTARIVS IN APOCALYPSIN.

EX SIXTI SENENSIS, SANCTÆ BIBLIOTHECAE LIBRO IV.

Victorinus, Pictauienſis Epiſcopus & martyr, diuinarum voluminum fuit admodum ſtudioſus: huic Hieronymus eruditionem tribuens, & eloquentiam adimens, in libro de viris illuſt. inquit: Victorinus martyr, cum non æquè Latinè, vt Græcè, noſſet, ſcripſit latino ſermone opera multa, grandia quidem in ſenſibus, ſed compoſitione verborum viliora. & in Epiſtola ad Paulinum idem repetens, ait: Inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non poteſt. in Epiſtola verò ad Magnum Oratorem eruditionem quoque ei detrahere videtur, inquiens: Victorino martyri licet in libris ſuis deſit eruditio, non tamen deeſt eruditionis voluntas. Quæ ſanè Hieronymi verba non de ſacra, ſed de profana ſecularium diſciplinarum doctrina intelligenda ſunt. Is igitur ſcripſit explanationes in Geneſim, in Exodum, in Leuiticum, in Eccleſiaſten, in Cantica Canticorum, in Eſaiam vſque ad viſionem quadrupedum in deſerto, in Ezechielem, in Abacuch, & in Matthæum, in Apocalypſin breuem commentarium annotationum per interualla diſpoſitarum, qui nunc typis excuſus circumfertur cum huiuſmodi Hieronymi præfatione.

PROLOGVS BEATI HIERONYMI PRESBYTERI IN LIBRVM VICTORINI SVPER Apocalypſin.

Diuerſos marina diſcrimina tranſuadentes, inueniunt caſus. Si turbo ventorum fuerit vehementior, formido eſt: ſi terga iacentis elementi moderatior criſpauerit aura, pertimeſcunt inſidias. Ita mihi in hoc videtur quod miſiſti volumine, quod in Apocalypſin explanationem videtur continere Victorini. Et eſt periculoſum, & obtrectatorum latratibus patens, de egregij viri opuſculis iudicare. Nam & anterior Papias Hierapolites Epiſcopus, & Nepos in Aegypti partibus Epiſcopus de mille annorum regno ita, vt Victorinus, ſenſerunt. At quia me literis obteſtatus eſt, nolui differre: ſed ne ſpernerem precantem, maiorum ſtatim libros reuolui: & quod in eorum commentarijs reperi, Victorini opuſculis ſociaui. Ab initia inde quæ ipſe ſecundum literam ſenſerit, à principio libri ad ſignum crucis quæ ab imperitis erant vitiata ſcriptoribus correximus, exinde vſque ad finem voluminis addita eſſe cognoſce. Iam tuum eſt diſcernere, & quid tibi placeat comprobare. Si vita nobis comes fuerit, & Dominus ſanitatem dederit, tibi noſtrum in hoc volumine potiſſimum ſudabit ingenium, Anatoli chariſſime.

Gelaſius Papa diſt. 15. Victorini ſcripta inter Apocrypha reijcit. Claruit ſub Valeriano & Galieno Impp. Anno 270.

De S. Victorino eiuſque operibus plura promunt Annales Eccleſiaſtici, Tomo 2. Anno 303. & Tomo 3. Anno 324. cap. 126. & notæ ad Romanum Martyrolog. 2. Nouembris, quo die S. Victorinus inter reliquos Sanctos ſcriptus eſt in Romano Martyrologio. Non deſunt autem coniectura, quæ hoc opus S. Victorino abſtrahant. Primum, enim S. Hieronymus in 36. cap. Ezechiel. inter patres Chiliaſtas enumerat. At Auctor huius commentarij longè abeſt ab eo errore, poſtremum enim verbis libri ait: Ergo audiendi non ſunt qui mille annorum regnum terrenum eſſe confirmant. Deinde citat epitomen Theodori de numero librorum Scripturæ ſacræ. Conſtat autem Victorinum martyrio occubuiſſe in perſecutione Diocletiani, & Theodorum ſub Iuſtiniano vixiſſe. Forſan opus detractionibus, additionibus, mutationibus aliorum audacia variatum.

EX BELLARMINO, DE SCRIPTORIBUS Eccleſiaſticis.

Sanctus Victorinus Pictauionenſis Epiſcopus, & Martyr, ſancti Cypriani æqualis, vel paulo poſterior, *multa opera* ſcripſit, teſte ſancto Hieronymo in lib. de Script. Eccleſ. Nunc ſolum extat Commentarius in Apocalypſim, & de hoc ipſo dubium eſt, an ſit Victorini opus. Scribit enim ſanctus Hieronymus in epiſtola præfixa Commentario Victorini in Apocalypſim, Victorinum in iſto ſuo Commentario ſecutum eſſe errorem Chiliaſtarum, quod etiam ſcripſit in libro de Script. Eccleſ. in Papia: qua de cauſa Gelaſius Papa, Victorini opera inter apocrypha numerauit. At Commentarium, quod nunc extat ſub nomine Victorini, non ſolum hoc errore caret, ſed contra hunc errorem etiam pugnat. Hic beatus vir ſub Diocletiano martyrium paſſus eſt anno Dom. 303.

VICTORINI PICTAVIONENSIS EPISCOPI COMMENTARIVS IN APOcalypſin.

PRINCIPIVM libri beatitudinem audienti & ſeruanti promittit, vt lectioni ſtudens eandem opera diſcat, & quæ præcepit cuſtodiat. *Gratia vobis & pax à Deo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Qui eſt, quia permanet. Et erat, quia cum patre omnia fecit, non ex virgine ſumpſit. Venturus eſt vtique ad iudicandum. *Septiformis ſpiritu.* In Iſaia legimus, Spiritus ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, ſpiritus timoris Domini. Illi ſeptem ſpiritus, vnius ſcilicet dona ſunt Spiritus ſancti.

Et ab Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus ex mortuis. In homine ſuſcepto perhibuit teſtimonium in mundo, in quo paſſus, ſuo nos ſanguine ſoluit à peccato: & debellato inferno, primus reſurrexit à mortuis, & mors ei vltra non dominabitur, ſed ipſo regnante mundi regnum deſtructum eſt.

Et fecit nos regnum & ſacerdotes. Id eſt, omnem fidelium Eccleſiam, ſicut Petrus Apoſtolus dicit, Gens ſancta, regale ſacerdotium.

Ecce venit cum nubibus, & videbunt eum omnes populi.

Qui primò in ſuſcepto homine venit occultus, poſt paululum in maieſtate & gloria veniet ad iudicandum manifeſtus. Quod autem dicit, In medio candelabrorum aureorum ambulantem ſimilem filij hominis, ſimilem dicit poſt mortem deuictam, cum aſcendiſſet in cœlum, adunato & iſto corpore cum ſpiritu, & gloriæ ſuæ quam recepit à patre, poteſtate: quaſi filium hominis ambulantem inter medium candelabrorum aureorum, ſicut in Salomone dicit, *Inter ſemitas iuſtorum ambulabo.* Cuius antiquitas eſt immortalitas. Maieſtatis origo, in capite candidus oſtenditur, Caput autem Chriſti Deus eſt. Et in capillis albis, albatorum eſt ſimilitudo, lanæ ſimilis, propter oues: ſimilis niui, propter innumerabilem candidatorum turbam de cœlo datorum. Oculi eius vt flamma ignis, præcepta Dei ſunt, quæ credentibus lumen miniſtrant, incredulis incendium. *In facie autem eius clarus vt ſol.* Claritas quam dicit, apparitio illius fuit, qua locutus eſt hominibus facie contra faciem. Solis autem gloria minor eſt quam gloria Domini. Sed propter ortum & occaſum, & rurſus ortum, quòd natus ſit, paſſus, & reſurrexit, ideo dixit ſimilem ſcriptura faciem eius gloriæ Solis. In veſte ſacerdotali, carnem quæ corrupta non eſt à morte, & habet paſſionem, ſacerdotium aperiſſime traditum. Mammæ, duo ſunt teſtamenta: & zona, chorus ſanctorum, vt

A aurum per ignem probatum. Aliter, Zonam auream accinctus pectori conflata conſcientia, & purus ſpiritualis ſenſus ita traditus eſt Eccleſijs. Per gladium bis acutum de ore ipſius emicantem, oſtenditur ipſum eſſe qui & nunc Euangelij bona, & prius per Moyſen legis notitiam vniuerſo orbi protulit. Sed quia ex eodem verbo omne genus humanum tam veteris, quàm noui teſtamenti iudicaturus eſt, ideo bis acutus commemoratus eſt. Gladius enim militem armat, gladius hoſtem interficit, gladius deſertorem punit. Et vt oſtenderet Apoſtolis quia iudicium annunciabat, ait: *Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium.* *Et poſtquā conſummauerat parabolas, ait ad illos: intellexiſtis omnia? & dixerunt, ita. Propterea omnis ſcriba doctus in regno Dei ſimilis eſt patrifamilias proferenti de theſauro ſuo noua & vetera.* Noua Euangelica verba; vetera, legis & prophetarum. Et hæc de ore ſuo proceſſiſſe & Petro ait, *Vade ad mare, & mitte hamum: & piſcem qui primus aſcenderit, aperto ore eius inuenies ſtaterem, id eſt, duos denarios: & da pro me & te.* B Et Dauid ſimiliter per ſpiritum ait, *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia ſemel decreuit ab initio Dominus quod futurum eſt vſque ad finem.* Denique cum iudex ſit ipſe à patre conſtitutus, volens oſtendere quoniam verbo prædicationis iudicabuntur homines, ait: *Putatis quia ego vos iudicabo in nouiſſima die?* Sed verbum quod vobis locutus ſum, illud vos iudicabit in nouiſſima die. Et Paulus contra Antichriſtum ad Theſſalonicenſes ait, *Quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui.* Hic eſt ergo bis acutus gladius, procedens de ore eius. Vox eius tanquam vox aquarum multarum. Aquæ multæ, populi huius mundi intelliguntur. Sed & donum baptiſmi, quod emiſit per Apoſtolos diffunditur ad ſalutem hominum. *Pedes eius ſimiles aurichalco.* Tanquam fornace conflatos Apoſtolos dicit, qui per paſſiones conflati prædicauerunt verbum eius. Per quos enim ambulabat prædicatio, meritò pedes nominãtur: vnde & Propheta anticipauit dicendo: *Adorauimus vbi ſteterant pedes eius,* C Dominum primum. Vbi illi primum ſteterunt, Eccleſiam confirmauerunt, id eſt, in Iudæa, vbi omnes ſancti conuenturi ſunt, & Dominum ſuum adoraturi. Stellæ ſeptem in dextera dicit, quia Spiritus ſanctus ſeptiformis virtutis datus eſt in poteſtate eius à patre, ſicut Petrus ad Iudæos exclamauit: *Dextera Dei exaltatus, acceptum à patre ſpiritum effudit, hunc quem videtis.* Sed & Ioannes Baptiſta anticipauerat diſcipulis ſuis dicendo: *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.* Pater amat filium, & omnia dedit in manus eius. Iſtæ ſunt ſeptem ſtellæ, ſeptem Eccleſiæ quas nominatim vocabulis ſuis vocat, ad quas & facit Epiſtolas: Non quia ipſæ ſint Eccleſiæ principes, ſed quod vni dicit, omnibus dicit, nihil enim differt, vt quis vexillationem paucorum millium maiori numero anteponat. In toto orbe ſeptem Eccleſias omnes eſſe, & ſeptem nominatas vnam eſſe Catholicam, Paulus docuit primo: quod vt ſeruaret ipſe, & ipſum ſeptem Eccleſiarum non exceſſit numerum, ſed ſcripſit ad Romanos, ad Corinthios, ad D Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes. Poſtea ſingularibus perſonis ſcripſit, ne excederet modum ſeptem Eccleſiarum. Et in breui contrahens prædicationem ſuam, ad Timotheum ait: *vt ſcias qualiter debeas conuerſari in Eccleſia Dei viui.* Hunc typum à Spiritu ſancto per Eſaiam prædicari legimus de ſeptem mulieribus quæ apprehenderunt hominem vnum. Vnus autem homo, Chriſtus eſt, non ex ſemine natus. Septem mulieres, Eccleſiæ ſunt, panem accipientes ſuum: & cum eis ſunt velatæ, quæ petunt auferri improperium ſuum, vt inuocetur nomen Domini in illis. Panem Spiritum ſanctum, qui nutrit in vitam æternam ſuam ſibi per credulitatem promiſſam. Et tunicas ſuas, id eſt, ſibi promiſſas, quæ cooperiri ſe optant: de quibus ait Paulus: *Oportet & hanc fragilitatem veſtiri immolatam & mortale hoc veſtiri immortalitate.* Auferri improperium ſuum. Improperium eſt peccatum priſtinum, quod auſertur in baptiſmo & incipit vocari homo Chriſtianus: quod eſt, inuocetur nomen tuum ſuper nos. In his ergo ſeptem Eccleſijs putes fieri de vna Eccleſia ſeptem: & pro qualitate fidei & electionis aut ad eos ſcripſit qui & laborant in ſeculo, & operantur de frugalitate laborum ſuorum, & patientes E ſunt, & cum videant homines quoſdam in Eccleſia diſpenſatores præpoſteros ne diſperſio fiat portant, admonent tamen eos de amore, vt in quibus fidei eorum deeſt, agant pœnitentiam, aut ad eos qui locis crudelibus inhabitant inter perſecutores, & perſeuerant eſſe fideles. aut ad eos qui ſub textu miſericordiæ illicita peccata in Eccleſia faciunt: aut ad eos qui negligentes, nomine tantum Chriſtiani ſunt: aut ad eos qui humiliter ſtructi, in fide fortiter perſeuerant: aut arguit illos qui ſtudent ſcripturis, & laborant cognoſcere arcana prædicationis, & Dei opus facere nolunt, id eſt, miſericordiam & amorem. Omnibus pœnitentiam denuncians, omnibus iudicium annunciat. Et in prima quidē Epiſtola ait: *Scio laborem tuū, & opera, & patientiam tuam.* Scio laborare te & operari, video patientem te eſſe, ne putes me longè morari à te. *Et quia non potes portare malos: & qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, inueniſti eos mendaces, & patientiam habes propter nomen meum.* Hæc vniF uerſa ad laudem ſpectant, & laudem non mediocrem. Sed tales viros, & talem claſſem, & tales electionis homines oportet omnimodo admoneri ne iſtis ſibi bonis conceſſis fraudentur. Pauca dixit ſe habere aduerſus illos. *Amorem,* inquit, *tuum priſtinum deſeruiſti: memento vnde excideris.* Qui cadit, de alto cadit. Ideo dixit, vnde: quoniam omnimodo vſque ad nouiſſimum amoris opera exercenda ſunt: quod eſt principale mandatum. Denique niſi fiat, minatus eſt mouere candelabrum de loco ſuo, id eſt, ſpargere plebem. Odire autem ſe opera Nicolaitarum, quæ & ipſe oderat, hoc ad laudem ſpectat. Nicolaitæ autem erant illo tempore ficti homines & peſtiferi, qui ſub nomine Nicolai miniſtri fecerunt ſibi hæreſim, vt delibatum exorcizaretur, & manducari poſſet: & vt quicunque fornicatus eſſet, octaua die pacem acciperet. Ideò collaudauit eos ad quos ſcribit, quibus talibus & tam magnis viris promiſit lignum quod eſt in paradiſo Dei ſui. Sequens Epiſtola ſequentem conuerſationem alterius claſſis & conſuetudines detegit. Denique ait: *Scio vos pauperes eſſe, laborare. ſed diues eſtis.* Scit enim apud ſe talibus diuitias eſſe recooditas. G Et detractionem de Iudæis, quos negat eſſe Iudæos, ſed ſynagoga ſunt Satanæ, quoniam ab Antichriſto colliguntur: quibus ait vt perſeuerent fideles eſſe vſque ad mortē. Et qui perſeuerauerint vſque in finem, non lædentur à morte ſecunda, id eſt, non caſtigabuntur in inferno. Tertia claſſis ſanctorum oſtendit ſeueros, qui fortes ſunt in fide, & non expaueſcunt perſecutionem. Sed quia & in illis ſunt qui proni ſunt ad illicitas promiſſiones, ait, *Pugnabo cum illis gladio oris mei,* id eſt, quid præceperim dicam, & quid feceritis conferam. Nam Balaam doctrinam oculis filiorum Iſrael eſſe delibatam, & fornicari olim notum eſt. Ille enim hoc conſilium dedit regi Mohabitarum, & ſcandalizauerunt populum. Sic, inquit, vos habetis inter vos talem tenentes doctrinam, & ſub prætextu miſericordiæ alios vitiatis. *Qui vicerit,* inquit, *dabo illi manna abſconſam.* Manna abſconſum, immortalitas eſt, gemma alba, H adoptio in filium Dei. Nomen nouum, Chriſtianum eſt. Quarta claſſis nobilitatem fidelium operantium quotidie & maiora facientium opera deſignat. Sed & ibi eſſe quoque homines faciles ad illicitas paces dandas, & Prophetias nouas attendendas oſtendit. Arguit & præmonet cæteros, quibus non placet hoc, qui cognoſcunt nequitiam aduerſam, quibus malis dolores inducere quærit in capita fidelium & pericula: & ideò ait: *Non mitto ſuper vos aliud pondus,* id eſt, non dedi vobis legis obſeruationes & onera, quod eſt aliud pondus: vt quod habetis, teneatis donec venio, inquit. *Et qui vicerit, dabo illi poteſtatem ſuper nationes.* id eſt, iudicem illum conſtituet inter cæteros ſanctos. *Et dabo illi ſtellam matutinam.* Primam reſurrectionem ſcilicet promiſit. Stella matutina noctem fugat, lucem annunciat, id eſt, diei initium. Quinta claſſis, id eſt, collectio vel conuerſatio ſanctorum, declarat homines negligentes, alias quā oportet in ſeculo agentes operationes, nomine tātum Chriſtianos. Et ideo hortatur eos ſi quo modo reuerſi à negligētia, periclitati poſſint eſſe ſalui. *Inſtaura,* inquit, *ea quæ moritura erant. non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.* Non enim ſatis eſt arborem miſericordiæ, & fructum non habere: ſicut nec ſatis eſt Chriſtia-

A num dici, & ipſum confiteri, & Chriſtum in opere non habere, id eſt, eius præcepta non facere. Sexta claſſis, id eſt, conuerſatio collectionis optimæ, conſuetudines ſanctorũ declarat, horũ ſcilicet, qui humiles in ſeculo, & ruſtici in ſcripturis fidem immobiliter tenent, nec omnino vllo caſu tertiũ retrahuntur à fide, ideò ait ad illos: *Dedi ante vos oſtium apertum*, & ait. Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ in tam paruis viribus: & ego te ſeruabo de hora tentationis, vt ſciant huiuſmodi gloriam: neque in tentationem eos tradi permittit. Qui vicerit, inquit, fiet columna in templo Dei. Columna, decor eſt ædificij, id eſt, qui perſeuerauerit, tutum nobilitatur in Eccleſia. Sequitur hæc quoque collectio. Septima claſſis declarat homines locupletes, apud quos in cubiculo quædam ſcripturæ tractantur, fuiſs autem an ſint fideles à nemine intelligitur, ſcilicet B iactantes & dicentes ſe omnia cognoſcere, præditi fiducia literaturæ, opera autem negantes. Et ideò ait ad illos neq; frigidos, neq; feruentes illos eſſe, id eſt, neq; incredulos, neq; fideles, ad omnes enim omnia ſunt. *Et quoniam nec frigidus es, nec calidus es, tepidus es, & nauſeam facis ramam, inquit, te de ore meo.* Nauſea quamuis audibilis ſit, neminem latet, ſic & huiuſmodi homines cum fuerint proiecti. Sed quia tempus eſt pœnitentiæ, ait: Conſulo tibi vt emas à me aurum conflatũ, id eſt, ſi quo modo poteſtis pro nomine Domini aliquid pati. Et collyrio, inquit, inunge oculos tuos: vt quod libẽter cognoſcis per ſcripturã, huius & opus facere coneris. Et quoniã ſi huiuſmodi homines de magno excidio ad magnã redeant pœnitentiã, non ſolũ ſibi vtiles, ſed multis prodeſſe poſſunt, non mediocrẽ eis mercedem promiſit, id eſt, ſedẽ in ſolio iudicij. Oſtium apertũ in cœlo noui teſtamẽti prędicator vidit Ioannes, & dicit ei: *Aſcende huc*. Quando apertum oſtenditur, clauſum fuiſſe hominibus manifeſtum eſt. Satis autem & plenè ſatisfactum eſt C quando Chriſtus in corpore in cœlos ad patrem aſcendit.

Vox autem prior quam audierat, cum dicat illum ſecũ locutum, ſine contradictione arguit qui alium in Prophetia, alium in Euangelio dicunt fuiſſe locutum, cum magis ipſe qui venit, ipſe in prophetis locutus ſit. Ioannes enim ex circumciſione erat, & omnis ille populus veteris teſtamenti prædicationẽ audierat, illa voce ædificatus eſt. Illa eademq; vox, inquit, quã audieram, illa mihi dixit, aſcẽde huc. Idem ſpiritus, quẽ paulò antè quàm filium hominis, inter candelabra aurea ambulantem ſe vidiſſe fatetur, & nunc exinde recolit quæ per legem in ſimilitudinibus renunciata erant, & per hanc ſcripturam coniungit omnea priores prophetias, & aperit ſcripturas. Et quia poſtquam inuitauit in cœlum omnes credentes in nomine ſuo Dominus noſter, ſtatim Spiritum ſanctum effudit, qui latus eſt in cœlum, ait, Statim factus ſum in ſpiritu. Et cum D aperiatur per Spiritum ſanctum mens fidelium, & illud illis manifeſtetur, quod & prioribus eſt prædicatum, ſignificantes ſolium poſitum eſt ſedes iudicij & regis: ſuper quod ſolium vidiſſe ait ſimilitudinem iaſpidis & ſardij. Iaſpidis aquæ color eſt: ſardij ignis. Hæc duo iudicia poſita eſſe vſque ad conſummationem orbis ſuper tribunal Dei exinde manifeſtantur, quoniam iudiciorum duũm, vnum iam conſummatum in cataclyſmo per aquam, aliud autem conſummabitur per ignem. *Irim autem circa ſolium* Eiuſdem colores habet iris, & arcus dicitur, de quo etiam ad Noë & filius eius locutus eſt Dominus ne timerent in reſurrectione Dei. Iam ſtatuam, inquit, arcum meum in nubibus: nec iam aquam timeatis, ſed ignem. Ante ſolium autem tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo, donum baptiſmi, quod per filium ſuum pœnitentiæ tempore antequam iudicium iudicet, effudit, ideò ante ſolium, id eſt, ante iudicium. Cum autem dicit mare vitreum ſimile cryſtallo, aquam mundam, ſtabilem, non vento agitatam, non in procliuo defluentem, ſed tanquam donum Dei immobile traditum oſtendit. Quatuor animalia, quatuor ſunt Euangelia. Primum, inquit, ſimile leoni, ſecundum ſimile vitulo, tertium ſimile homini, quartum ſimile aquilæ volanti: habentes alas ſenas in circuitu, & oculos intus & foris: & non ceſſabant dicere, hagios, hagios, hagios: ſanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus, ſedentes viginti quatuor ſeniores habentes tribunalia viginti quatuor, libri ſunt prophetarum & legis, referentes teſtimonia iudicij. Sunt autem viginti quatuor patres: duodecim Apoſtoli, & duodecim Patriarchæ. Animalia igitur quod differentia vultibus ſunt, hanc habet rationem. Simile leoni E animal, Euangelium ſecundum Marcum, in quo vox leonis in eremo rugientis auditur. Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini. Hominis autem ſigna Matthæus enititur enunciare nubis genus Mariæ, vnde carnem accepit Chriſtus. Ergo dum enumerat ab Abraham vſque ad Dauid, & vſque ad Ioſeph, tanquam de homine locutus eſt. Ideò prædicatio eius hominis effigiem oſtendit. Lucas ſacerdotium Zachariæ offerentis hoſtiam pro populo, & apparentem ſibi angelum dum enarrat, propter ſacerdotium, & hoſtiæ conſcriptionem, vituli imaginationem tenet. Ioannes Euangeliſta aquilæ ſimilis, aſſumptis pennis ad altiora feſtinans, de verbo Dei diſputat. F Marcus Euangeliſta ſic incipit, *Initium Euangelij Ieſu Chriſti, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Vox clamantis in deſerto.* hæc eſt leonis effigies. Matthæus, *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid filij Abraham.* Hæc eſt facies hominis. Lucas autem dicit: *Fuit ſacerdos nomine Zacharias, de vice Abia, & mulier ei de filiabus Aaron.* hæc eſt imago vituli. Ioannes ſic incipit, *In principio erat verbum, hoc erat in principio apud Deum.* Hæc eſt ſimilitudo aquilæ volantis. Non ſolum autem, ſed & ipſum Verbum Dei patris omnipotentis, qui eſt filius eius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, feret eaſdem imagines in tempore aduentus ſui ad nos. Et cum prædicatus eſt tanquam leo, & catulus leonis, propter ſalutem hominis homo factus eſt ad mortem deuincendam, & vniuerſos liberandos. Quòd ſeipſum obtulit hoſtiam patri pro nobis, vitulus dictus eſt. Et quoniam mortem deuicit, & aſcendit in cœlos extendens alas ſuas, & protegens ſuam plebem, aquila volans nominatus eſt. Hæ prædicationes quamuis quatuor ſunt, vna eſt tamen, quia de vno ore proceſſit: ſicut fluuius in paradiſo, cum ſit vnus, in quatuor partes diuiſus eſt. Oculos autem intus & foris habere animalia, id eſt prædicationem noui Teſtamenti, ſpiritualem prouidentiam oſtendit, quæ & ſecreta cordis inſpicit, & superuenientia videt, quæ ſunt foris & intus. Alæ G ſenæ ſunt teſtimonia veteris teſtamenti librorum, ideoque viginti quatuor faciunt tot numeros, quot & ſeniores ſuper tribunalia. Sed ſicut animal volare non poteſt, niſi pennas habeat: ſic nec prædicatio noui Teſtamenti fidem habet, niſi habeat veteris teſtamenti prænunciata teſtimonia, per quæ tollitur à terra, & volat. Semper enim quod ante dictum eſt, & poſtea factum inuenitur, illud fidem facit indubitabilem. Rurſum tamen & alæ ſi non hærent animalibus, vitam vnde trahant non habent. Niſi enim quæ prædixerunt prophetæ, in Chriſto eſſent conſummata, inania erit prædicatio illorum. Hoc tenens Eccleſia Catholica, & ante prædicata & poſtea conſummata volat, & merito tollitur à terra viuum animal. Hæreticis autem qui prophetico teſtimonio non vtuntur, aſſunt ei animalia, ſed non volant, quia ſunt terrena. Iudæis autem, quia nõ accipiunt noui Teſtamenti prædicationem, H aſſunt alæ, ſed non viuunt, id eſt, inanem vaticinationem hominibus afferunt, facta dictis non conferentes. Sunt autem libri veteris Teſtamenti qui accipiuntur viginti quatuor, quos in Epitomis Theodori inuenies. Sed & viginti quatuor, vt diximus, patres & Apoſtolos iudicare populum ſuum oportet. Interrogantibus enim Apoſtolis & dicentibus, *Nos, omnibus noſtris relictis, ſecuti ſumus te quid erit nobis? reſpondit Dominus noſter: Cum ſederit filius hominis ſuper ſolium gloriæ ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Sed de patribus qui iudicaturi ſunt, ait Iacob patriarcha, *Dan iudicabit & ipſe populum ſuum inter fratres, ſicut vna tribus Iſrael.* Exire autem fulgura & voces & tonitrua à ſolio Dei, & ſeptem faces ignis ardentis, ſignificat prædicationes à Deo, & minas. Nam fulgura aduentum Domini ſignificant: voces autem noui teſtamenti prædicationes, tonitrua autem, quòd cœleſtia ſunt verba. Faces ignis ardentis, donum ſancti Spiritus, quoniam in lignum paſſionis eſt redditum. Et cum hæc fierent, cecidiſſe diuerſus maiores natu, & adoraſſe Deum cum darent animalia gloriam & honorem, id eſt, Euan-

A gelia actionem, prophetiam ſcilicet Domini, & doctrinam cũ adimpleſſet ante per illos prænunciatũ verbum, dignè meritoque exultant, ſcientes ſecreta & verbum Domini miniſtraſſe. Denique & cum venit qui mortem diſiungeret, & coronam immortalitatis ſolum dignus ſumeret, omnes habentes pro gloria aliqua actus ſui optimi coronas, proiecerunt eas ſub pedibus eius, id eſt, propter eminentem victoriam Chriſti, omnes victorias ſub pedibus eius. Hoc & in Euangelio ſuppleuit Spiritus ſanctus oſtendendo. Cũ enim paſſurus nouiſſime venit Hieroſolymos Dominus noſter, & exiliſſet illi populus obuiam: alij præciſis ramis palmarum viam ſternebant, alij tunicas ſuas ſubijciebant: duos ſcilicet populus oſtendens: vnum patrum, & alium prophetarum magnorum virorum, qui quaſcunq; habebant palmas victoriarum contra peccatum victuri omnium Chriſto eas ſub pedibus iactabant. Palma autem & corona idem ſignificat, quoniam non datur niſi victori. In dextera autem ſedentis ſuper tribunal liber ſcriptus intus & foris, ſignatus ſigillis ſeptem, vetus teſtamentum ſignificat, quod eſt datum in manibus Dei noſtri. A patre
B accepit iudiciũ. *Præco, inquit, præconauit an aliquis dignus eſſet aperire librum, & ſoluere ſignacula eius, & nemo inuentus eſt dignus neque in cælo, neque in terra, neque infra terram.* Aperire autem ſigilla, eſt pro homine mortem deuincere. Hoc dignus facere nemo inuentus neque in angelis in cęlo, neque in hominibus in terra, neque inter animas ſanctorum in requie, niſi ſolus Chriſtus filius Dei; quem dicit vidiſſe agnum tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem. Quod enim erat tunc prædicatum, & quicquid per varias oblationes & ſacrificia lex in illum meditata fuerat, ipſum implere oportebat. Et quia ipſe erat teſtator, & mortem deuicerat ipſum erat iuſtum conſtitui à Deo hæredem, vt poſſideret ſubſtantiam morientis, id eſt, membra humana, vnde dicit leonem de tribu Iuda viciſſe, qui eſt radix Dauid. Leonem de tribu Iuda in Geneſi legimus vt Iacob Patriarcha
C ait, Iuda te laudabunt fratres tui. Recubuiſti & obdormiſti, & reſurrexiſti tanquam leo, & tanquam catulus leonis. Ad deuincendam enim mortem leo dictus eſt, ad patiendum pro hominibus tanquam agnus ad occiſionem ductus eſt: Sed quia mortem deuicit, & præuenit carnis officium, qui occiſus dictus eſt: hic ergo aperit quod ipſe ſignauerat teſtamentum. Ob hoc Phinees, & Moſes legis dator, quod oportebat eſſe ſignatum & celatum vſque ad aduentum eius, velauit ſuam faciem, & ſic eſt populo locutus, oſtendens velata eſſe verba prædicationis vſque ad aduentum temporis. Nam & ipſe tunc legis de populo, Accepta lana coccida & ſanguine vituli & aqua, aſperſit populum vniuerſum dicens: *Hic ſanguis teſtamenti eius quod mandauit ad vos.* Animaduerti ergo oportet hominem diligenter prædicare, & vniuerſa in mundo coërcere. Nam nec ſufficit legem illam dici: ſed teſtamentum nominata eſt. Nulla lex teſtamentum vocatur: nec teſtamentum aliud dicitur, niſi quod faciunt morituri: & quodcunq; intrinſecus teſtamenti eſt ſignatum, eſt vſque ad diem mortis. Ideò modo deſignatur moritura per agnum occiſum,
D qui tanquam leo contregit mortem: & quæ de eo pronunciata fuerant, repleuit, & hominem liberauit, id eſt, carnẽ de morte, & accepit poſſeſſionem ſubſtantiæ morientis, id eſt, membrorum humanorum: vt ſicut per vnum corpus omnes homines debitum mortis ſuſceperant, ita per vnum corpus vniuerſi credẽtes renati in vitam reſurgerent. Modo ergo facies Moyſi aperitur, & creditur, & reuelatur, ideò Apocalypſis reuelatio dicitur: modo liber eius reſignatur: modo hoſtiæ oblationis intelliguntur: modo ſacerdotium, chariſma, fabricatio ædis: teſtimonia apertè intelliguntur, vigintiquatuor ſeniores & quatuor animalia citharas & phialas habentes, cantantes canticum nouum. Coniuncta veteris teſtamenti prædicatio cum nouo, populum Chriſtianum oſtendit cantantem canticum nouũ, id eſt, confeſſionem ſuam publicè conferentem. Nouum eſt Filium Dei hominem fieri: nouum, cum corpore in cęlos aſcendere: nouum, remiſſionem peccatorum hominibus dari: nouum, Sancto ſpiritu ſignari homines: nouum, ſacerdotium accipere ſacræ obſeruationis, & regnum expectare immenſæ repromiſſionis. Cithara enim chordam

E in ligno extenſam ſignificat, id eſt, carnem Chriſti paſſionis ligno coniunctam: phiala confeſſionem ex noui ſacerdotij propagine, & angelorum multorum, immò omnium. Et vniuerſæ dominationes domino noſtro referent tam gratiarum actionem liberationis hominum de clade mortis. Reſignatio ſigillorum, vt diximus, apertio eſt veteris teſtamenti, & prædicatorum prænunciatio in nouiſſimo tempore futurorum: quæ licet ſcriptura prophetica per ſingula dicit, omnibus tamen ſimul apertis ſigillis, ordinem tamen ſuum habet prædicatio. Nam aperto primo ſigillo, dicit ſe vidiſſe equum album, & equitem coronatum, habentem arcum, hoc enim primò factum eſt. Poſtquam enim aſcendit in cœlos Dominus, & aperuit vniuerſa, miſit ſpiritum ſuum, cuius verba prædicationis tãquam ſagittæ, ad corda hominum pergentes, vt vincerent incredulitatem. Corona autem ſuper caput prædicatoribus eſt promiſſa per Spiritum ſanctum. Cæteri tres equi, bella, fames, & peſtes, in Euangelio à Domino prædicata manifeſtius ſignificat: ideoque ait vnum de animalibus dixiſſe, quia omnia vnum ſunt, Veni, & vide. Veni dicitur inuita-
F tu ad fidem, vide dicitur ei qui non videbat. Ergo equus albus, verbum eſt prædicationis, cum Spiritu ſancto miſſo in orbem. Ait enim Dominus: *Prædicabitur hoc Euangelium per totum orbem terrarum in teſtimonium coram gentibus, & tunc veniet finis.* Equus roſeus, & qui ſedebat ſuper eum habens gladium, bella ſunt ſignificata futura, vt legimus in Euangelio: *Surget enim gens contra gentem & regnum aduerſus regnum: & erunt terræmotus magni,* hic eſt equus roſeus. Equus niger autem famem ſignificat, ait enim Dominus: *Erunt fames per loca.* Propriè autem extenditur verbum vſque ad Antichriſti tempora, quoniam magna fames eſt ventura quaque omnes lædentur. Statera in manu, libra examinis, in qua ſingulorum merita oſtenderet. Ait dein, Vinum & oleum ne læſeris, id eſt, hominem ſpiritualem ne plagis percuſſeris. Hic eſt equus niger. Equus autem pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen habebat mors. Hæc eadem quoque inter cæteras clades præmiſerat Dominus,
G venturas peſtes magnas & mortalitates. Cum enim dicat, Et infernus ſequitur eum, id eſt, expectabat deuorationem animarum multarum impiarum. Hic eſt equus pallidus. Animas autem occiſorum vidiſſe ſub ara, id eſt, ſub terra. Ara enim, & cœlum & terra dicitur ſicut lex ait, imaginaria veritatis facie meditante, quę duas aras auream intrinſecus fecerat. Nos autem intelligimus auream ita dici, Domino noſtro teſtimonium perhibente, ait enim: *Cum offers munus tuum ad aram.* Vtique munera noſtra orationes ſunt quas offerimus. Et ibi recordatus fueris habere aliquid fratrem tuum aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante aram. Vtique ad cœlum aſcendunt orationes. Sicut ergo cœlum intelligitur ara aurea, quæ erat interior (nam & ſacerdotes ſemel in anno introibant, qui habebant chriſma, ad aram auream, ſignificante Spiritu ſancto Chriſtum hoc ſemel facturum) ſic & ara ærea, terra intelligitur ſub qua eſt infernus, remota pœnis & ignibus regio, & requies ſanctorum: in qua quidem ab impijs videntur & audiuntur iuſti, & neque illuc tranſmeare poſſunt. Hos ergo
H tantos, id eſt, animas occiſorum, expetere vindictam ſanguinis, id eſt, corporis ſui de habitantibus ſuper terram, voluit nos cognoſcere qui omnia videt. Sed quia in nouiſſimo tempore ſanctorum remuneratio perpetua, & impiorum ventura eſt damnatio, dictum eſt eis; Expectate, & pro corporis ſui ſolatio acceperunt, inquit, ſtolas albas, id eſt, donum Spiritus ſancti. Sextum ſigillum. Factus eſt terræmotus magnus: ipſa eſt perſecutio nouiſſima. Sol fit vt ſaccus, incredulis ſplendor doctrinæ obſcurabitur. Luna ſanguinea, Eccleſia ſanctorum oſtenditur pro Chriſto ſanguinem fundere. Stellas, eiuſdem fideles turbari. Agitata ficus amittit groſſos perſecutione homines ab Eccleſia ſeparat. Cœlum inuolui Eccleſia de medio fit, & mons & inſulæ de locis ſuis motę. Nouiſſimam arundinem ſimilem virgæ, vt metiretur Dei templum, & aram, & adorantes in ea, poteſtatem dicit quam dimiſſus poſtea exhibuit Eccleſijs. Nam & Euangelium poſtea ſcripſit. Cum eſſent Valentinus & Cherinthus & Ebion & cæteri ſcholæ Sathanæ diffuſi per orbem, conuenerunt ad illũ de finitimis

Caute legendum nam auctor labi videtur in errorem quorundã Græcorũ, animas Sãctorum non frui clara Dei viſione ante diẽ iudicii, niſi forſan loquatur de pleniſſima remuneratione, quæ corporum glorificationem includit.

A

Vide Sixtum lib. 6. Biblioth. annot. 145 & Bellarminum l. 1. de Sanctorũ beatitudine, cap. 8.

prouincijs omnes, & compulerunt vt ipſe teſtimonium conſcriberet. Menſura autem filij Dei, mandatum Domini patrem confiteri omnipotentem. Dicimus & huius filium Chriſtum ante originem ſeculi ſpiritualem apud patrem genitum, hominem factum, & morte deuicta in cœlos cum corpore à patre receptum, effudiſſe Spiritum ſanctum donum & pignus immortalitatis, hunc per prophetas prædicatum, hunc per legem conſcriptum, hunc eſſe mandatum Dei, & verbum patris, & conditoré orbis. Hæc eſt arundo & mẽſura fidei. Et nemo adorat aram ſanctam, niſi qui hanc fidem confitetur. Aulam autem exteriorem ejce foras. Aula atrium dicitur, vacua inter parietes area, hos tales non neceſſarios ejci iuſſit de Eccleſia: quia data eſt, inquit, calcari à gẽtibus, id eſt, huiuſmodi hominibus, ita vt à gentibus conculcetur. Deinde repetit de nouiſſimi temporis ruina & excidio, & ait Ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus. Et dabo duobus teſtibus meis, & prædicabunt amicti cilicio dies mille cclx. id eſt, triennium & menſes ſex. hoc enim faciunt menſes

B

quadragintaduo. Eſt ergo illorum prædicatio triennium, & menſes ſex, & regnum Antichriſti alterum tantum. De ore illorum prophetarum exire ignem contra aduerſarios poteſtatem verbi dici. Omnes enim plagę quotquot futuræ ſunt ab Angelis, in eorum voce mittuntur. Multi putant eum Heliam eſſe, aut Heliſæum, aut Moyſen: ſed vtrique mortui ſunt: Hieremiæ auté mors nõ inuenitur, quia omnes veteres noſtri tradiderunt illum eſſe Hieremiam. Nam & ipſum verbum quod factum eſt ad eum, teſtificatur ei dicens: *Prius quam figurarem te in ventre, cognoui te: & prius quàm de vulua procederes, ſanctificaui te: & prophetam in gentibus poſui te.* In gentibus autem propheta non fuit, & ideo verbum Dei verax neceſſe habet quod promiſit exhibere, vt in gentibus propheta ſit. Hos duos candelabra duo & duas oliuas ideo nominaui, vt ſi in alio legens non intellexiſti, hic intelligas. In Zacharia enim vno ex duodecim prophetis ſcriptum eſt, Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra, qui in conſpectu Domini terræ ſtant, id eſt, ſunt in paradiſo. Hos ergo oportet interfici ab Antichriſto poſt multas plagas ſæculo infixas: quem dicit aſcendiſſe beſtiam de abyſſo. De abyſſo autem eum aſcenſurum, multa teſtimonia enim nobis in hoc capitulo cõtrahenda ſunt. Ait enim

Cautè lege, nã falſo exiſtimat Hieremiã nondũ eſſe mortuum, ſed venturum cum Elia aduerſus Antichriſtum contra cõmunẽ ſenſum patrũ: Vide librũ noſtrum 9 de Antichriſto, c. 9

C

Ezechiel, Ecce Aſſur, cypreſſus in monte Libano. Aſſur deprimens cypreſſos excelſas, ramoſas, id eſt populos multos in monte Libano. Regnum regnorum, id eſt, Romanorũ. Formoſus in germinibus, id eſt, fortis in exercitibus. Aqua, inquit, nutriet eum, id eſt, multa millia hominum ſubiecta erunt illi. Et abyſſus hauſit illum, id eſt, ructauit eum. Nam & Eſaias penè iiſdem verbis loquitur. Fuiſſe autem eum iam in regno Romanorum, & fuiſſe inter Cæſares, & Paulus Apoſtolus conteſtatur: ait enim ad Theſſalonicenſes, *Qui adhuc tenet, teneat, donec de medio fiat: & tunc apparebit iniquus ille, cuius eſt aduentus ſecundum efficaciam Sathanæ in ſignis & portentis mendacibus.* Et vt ſcirent illum venturum inquit, tunc erat princeps, adiecit, Arcanum, inquit, malitiæ iam oritur. Sed non ſua virtute nec patris ſuſcitatur, ſed Dei iuſſu. Quare ergo Paulus idem dicit? Idcirco quod non receperunt amorem Dei, mittet eis Deus ſpiritum erroris, vt omnes perſuadeantur mendacio, qui non ſunt perſuaſi veritate. & Eſaias, ait; *Sustinentibus lucem, illis tenebræ ortæ ſunt.* Hos ergo prophetas ab eodem interfici manifeſtat Apocalypſis, & quarta die reſurgere, ne quis Domino æqualis inueniatur. Sodomam autem & Ægyptum dicit Hieroſolymam. Dictus populi perſecutor id efficiet. Diligenter ergo & cum ſumma ſolicitudine ſequi

Cautè lege, nã perperam exiſtimat Neronẽ nondũ mortuũ ac futurũ verũ Antichriſtũ in mũdi fine venturum. Quam ſententiam à mente patrum & à veritate procul abeſſe, demonſtramus lib. 2. de Antichriſto, cap. 2

D

oportet Propheticam prędicationem, & intelligere quoniam ſpiritus ex parte prædicit & præpoſterat, & cum præcucurrerit vſque ad nouiſſimum, ruſus tempora ſuperiora repetit, & quoniam quod facturus eſt ſemel, aliquoties quaſi factum oſtendit: quod niſi intelligas aliquoties quaſi vt factum, aliquoties vt futurum, in grandi caligine inuenieris. Ergo interpretatio ſequentium dictorum ea monſtrabit, vt non ordine lectionis, ſed rationis intelligatur. Apertum eſt templum Dei, quod eſt in cœlo. Apertio eſt Domini noſtri. Templum enim Dei filius eius eſt, ipſe ait, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, &

E

dicentibus Iudæis, *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum iſtud*, Euangeliſta inquit, *ille dicebat de templo corporis ſui.* Arca teſtamenti, Euangelij prædicatio, & indulgentia delictorum, & omnia bona quæ cum illo aduenerint, illa dicit apparuiſſe. Mulier autem amicta Sole, & Luna ſub pedibus ſuis, habens coronam duodecim ſtellarum, parturiens in doloribus ſuis, antiqua Eccleſia eſt patrum & Prophetarum, & ſanctorũ Apoſtolorum, quæ gemitus & tormenta habuit deſiderij ſui, vſquequo fructum ex plebe ſua ſecundum carnem olim promiſſum ſibi videret Chriſtum ex ipſa gente corpus ſumpſiſſe. Sole autem amicta; ſpeciem reſurrectionis ſignificat, & gloriam repromiſſionis, Luna verò caſus ſanctorum corporum, & debitum mortis, quo deficere nũquam poteſt. Nam quemadmodum minuitur vita, ſic & augetur. Nec in totum extincta eſt ſpes dormiẽtium, vt quidam putant: ſed habent in tenebris lucem ſicut Luna. Corona ſtellarum duodecim chorum patrum ſignificat ſecũdum carnem natiuitatis: ex quibus erat Chriſtus carnem ſumpturus. Draco roſeus ſtans & expectans vt

F

cum peperiſſet filium, deuoraret eum, diabolus & angelus refuga ſcilicet, qui omnium hominum interitum per mortem æqualem poſſe eſſe opinabatur. Sed qui de ſemine natus non erat, nihil morti debebat, propter quod nec deuorare eum potuit, id eſt, in morte retinere. In tertia enim die reſurrexit. denique, & priuſquam pateretur, tentare eum acceſſit, tanquam hominem. Sed cum inueniſſet nõ illum eſſe quem putabat, diſceſſit, inquit, ab illo ad tempus. Hũc dicit raptum ad ſolium Dei, & nos legimus in Actibus Apoſtolorum quemadmodum loquens cum diſcipulis ſuis, raptus eſt in cœlos. Virga ferrea, gladius perſecutionis. Omnes receſſiſſe de locis ſuis, id eſt, quòd boni mouebũtur, perſecutionem fugientes. Quatuor angeli per quatuor angulos terræ, ſiue quatuor venti trans Euphratem fluuium, gentes ſunt quatuor, quia omni genti à Deo deputatus eſt Angelus, ſicut dicit, Statuit eos ſuper numeros Angelorũ Dei, donec ſanctorũ compleatur numerus, ſuos non egrediuntur terminos, quia in nouiſſimo cum Antichriſto venient. Quod autem dicit, turba multa ex omni tribu, credentibus electorum numerum oſtẽdit, qui per ſanguinem agni baptiſmo purgati, ſuas ſtolas fecerunt candidas, ſeruantes gratiam quam acceperunt. Septimo autem ſigillo

G

ſilentium fit in cœlo ſemihora. Semihora initium eſt quietis æternæ, ſed partem intellexit, quia interruptio eadem per ordinem repetit. Nam ſi eſſet iuge ſilentium, hic finis narrandi fieret. Angelum autem aſcendentem ab oriente ſolum, Heliam Prophetam dicit, qui anticipaturus eſt tẽpora Antichriſti, ad reſtituendas Eccleſias & ſtabiliendas à magna & intolerabili perſecutione. Hæc in apertione librorum veteris Teſtamenti & noui prædicata legimus. Ait enim Dominus per Malachiam. *Ecce ego mittam vobis Heliam Thesbitem conuertere corda patrum ad filios, & cor hominis ad proximum ſuum*, id eſt, ad Chriſtum per pœnitentiam: conuertere corda patrum ad filios, ſecundum tempus vocationis Iudæos ad ſequentis populi fidem reuocare. Ideo oſtendit etiam numerum ex Iudæis crediturum, & ex gentibus magnam multitudinem. Mitti etiam in cœlum orationes Eccleſiæ ab Angelo, & ſuſcipi illas, & contra iram effundi, & ſeparari regnũ Antichriſti per Angelos ſanctos in Euangelio legimus. Ait enim: *Orate ne intretis in tentationem. Erit enim anguſtia magna, qualis non fuit ab origine mundi.* Et niſi abbreuiaſſet Dominus dies illos, non eſſet ſalua omnis caro. Hos ergo Archangelos malos ſeptem ad percutiendum Antichriſtum mittit. Nam & ipſe ita dixit: *Tunc mittet filius hominis nuncios ſuos, & colligent electos eius de quatuor angulis venti à finibus eius vſque ad fines eius.* & ante ait

H

per Prophetam: *Tunc erit pax terra veſtra, cum ſurrexerint in ea ſeptem paſtores, & octo morſus hominum, & indagabunt Aſſur, hoc eſt, Antichriſtum, in foſſa Nembrot, id eſt, damnatione diaboli.* Eccleſiæ ſpecie ſimiliter commoti fuerint cuſtodes domus. Ipſe autem in parabola ad Apoſtolos ſic ait. cum veniſſent ad eum operarij, & dixiſſent, Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro? Vnde ergo ibi lolium? reſpondit eis, Inimicus homo hoc fecit, cui dixerunt, Vis imus, & eradicamus illud? qui ait: Non, ſed ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus,

colliger-

A colligere lolium, & facere manipulos, & cremari igni æterno: triticum autem colligere in horrea mea. Hos meſſores & paſtores & operarios hic Apocalypſis oſtendit eſſe Angelos. Tuba autem verbum eſt poteſtatis, & licet repetat per phialas, non quaſi bis factum dicit, ſed quoniam ſemel futurum eſt quod eſt decretum à Deo vt fiat, ideò bis dicitur. Quicquid igitur in tubis minus dixit, hic in phialis eſt. Nec aſpiciendus eſt ordo dictorum, quoniam ſæpe Spiritus ſanctus vbi ad nouiſſimi temporis finem percurrerit, rurſus ad eadem tempora redit, & ſupplet ea quæ minus dixit. Nec requirendus eſt ordo in Apocalypſi, ſed intellectus. Sequendus eſt enim & ipſe propheta. Sunt igitur ſcriptæ in tubis & phialis, aut plagarum orbi miſſarum clades aut ipſius Antichriſti inſania, aut populorum detractio, aut plagarum differētia, aut ſpes in regno ſanctorum, aut ruina ciuitatum, aut ruina magnæ Babylonis ciuitatis, id eſt, Romanæ. Aquila magna medio cœlo volans, Spiritus B ſanctus ſignificatur, in duobus Prophetis conteſtans magnam plagarum iram imminere, ſi quo modo quiſque volaſſet nouiſſimo tempore conuerſus, vt aliquis adhuc ſaluus eſſe poſſit. Nam fortem quem dicit de cœlo deſcendiſſe, amictum nube, & iris ſuper caput eius, & facies eius tanquam ſol, & pedes eius columna ignis, & habebat librum in manu ſua apertum, & poſuit pedes ſuos ſuper mare & terram: dominum noſtrum ſignificauit, ſicut ſuperius enarrauimus. Facies eius tanquam ſol, id eſt de reſurrectione. Super caput eius iris, iudicium intelligitur quod per illum factum eſt, aut futurum eſt. Liber apertus Apocalypſis eſt quam Ioannes vidit. Pedes eius conflatos & ſuperius diximus Apoſtolos eſſe. Nam calcari ab eo & marina & terrena, omnia ſub pedibus eius ſubiecta ſignificat. Angelum eum dicit, id eſt, nuncium, ſcilicet patris. Vocatur enim magni conſilij angelus. Quòd clamaſſe dicit voce magna, vox magna eſt cœleſtis, omnipotentis Dei verba hominibus nunciare, & conteſtari quia poſt clauſam pœnitentiam ſpes poſtea futura non eſt. Septem tonitrua locuta voces ſuas, Spiritus ſanctus ſeptiformis virtutis per Prophetas proteſtatus eſt omnia futura voce illius in ſeculo C teſtimonium reddit. Sed quia dicit ſe ſcripturum fuiſſe Ioannes quanta locuta fuiſſent tonitrua, id eſt, quæcunq; in veteri teſtamento erant obſcura & prædicata, vetatur ſcribere, ſed relinquere ea ſignata, quietat Apoſtolus, nec oportebat gratiam ſequentis gradus in primo collocari: quia tempus, inquit, prope eſt. Apoſtoli enim virtutibus, ſignis, portentis, magnalibus factis, vicerunt incredulitatem: poſt illos iam eiſdem conſumptis: eccleſijs datum eſt ſolatium propheticarum ſcripturarū interpretandarum, quos interpretes Prophetas dicit. Ait enim Apoſtolus: *Et quidem poſuit in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores*, & reliqua. & alio loco ait, *Prophetæ duo aut tres dicant, & alij æſtiment*; & ait; *Omnis mulier orans vel prophetans detecto capite, deturpat caput ſuum*. Cum autem dicat, Prophetæ duo vel tres dicant, & alij æſtiment: non tantum de Catholica prophetia dicit, inaudita, & incognita, ſed etiam prædicata & nota. Æſtiment autem vtrumne interpretatio cum teſtimonijs congruat dictionis propheticæ. Conſtat ergo Ioanni non fuiſſe neceſſarium ſuperiori virtute armato, cum corpus Chriſti, id eſt Eccleſia, ſuis membris ornaD tum, ſuo loco reſpondere debeat, accipere libellum, & comedere ſub oſtenſione facta memoriæ. Dulcis in ore prædicationis eſt fructus loquenti, & audiētibus dulciſſimus: ſed & prædicanti & perſeuerantibus in mandatis, per paſſionem amariſſimus. Oportet autem te iterum prophetare, inquit, populis & linguis & nationibus: hoc eſt, quoniā quando hoc vidit Ioannes, erat in inſula Pathmos, in metallum damnatus à Domitiano Cæſare. Ibi ergo vidit Apocalypſin. & cum ſenior iam putaret ſe per paſſionem accepturum receptionem, interfecto Domitiano omnia iudicia eius ſoluta ſunt, & Ioannes de metallo dimiſſus, ſic poſtea tradidit hanc eandem quam acceperat à Domino Apocalypſin, hoc eſt, oportet te iterum prophetare. Accepiſſe autem arundinem omnes gentes, quæ dimicaturæ Antichriſto, contra iſtos ſtatuendæ ſunt, & gladijs alterutrum ſunt caſuræ. Qui ait illum coloris eſſe roſei, id eſt, coccinei, operis illius futurum talem dedit ei colorem. Ab

E initio enim homicida, & omne genus humanum non tam debito mortis, verum varijs gladijs ac vitijs oppreſſit. Septem capita, ſeptem reges Romanos, ea quibus & Antichriſtus eſt. In priori dicimus cornua decem, decem reges in nouiſſimo tempore. Hos eoſdem plenius ibi tractabimus. Mulierem autem volaſſe in deſertum auxilio alarum magnæ aquilæ, dono ſcilicet prophetarum, Eccleſiam illam Catholicam, ex qua in nouiſſimo tempore credituri ſunt centum quadraginta quatuor millia hominum Heliæ. Sed & cæterum populum viuum inueniri in aduentu Domini hic dicit. Sic & Dominus in Euangelio ait, *Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant in montes*: id eſt, quotquot in Iudæa fuerint collecti, eant ad illum locum quem paratum habent, & nutriantur ibi triennium & menſes ſex à facie diaboli. Alæ duæ magnæ, duo ſunt Prophetæ, Helias, & qui cum eo fuerit Propheta. Aqua quam emiſit de ore ſuo ſerpens, iuſſu ſuo exercitum eam ſequi ſignificat. Aperuiſſe F terram os ſuum, & deuorare aquas, vindictam de præſentibus manifeſtam. Hanc igitur licet parturientē ſignificet, poſtea partu edito fugientem oſtendat, tamen non vno tēpore vtraq; facta ſunt. Chriſtus enim ex quo natus eſt, ſcimus tempora interceſſiſſe: vt illa autem fugiat à facie ſerpentis, adhuc factum non eſſe. Deinde ait, Factum eſt bellum in cœlo, Michael, & nuncij eius. Et non eſt inuentus ei locus iam in cœlo: & iactatus eſt draco magnus anguis antiquus in terram: hoc eſt initium Antichriſti. Antè tamē oportet prædicare Heliam & pacis tempora eſſe, & poſtea conſummato triennio & ſex menſibus prædicationis Heliæ, iactari eum de cœlo, vbi habuit poteſtatem aſcendendi vſque ad illud tempus, & angelos refugas vniuerſos. Sic & Antichriſtum de inferno ſuſcitari Paulus Apoſtolus ait: niſi prius venerit diſceſſio, & apparuerit homo peccati, filius perditionis, & aduerſarius, qui ſe eleuat ſuper omne quod nominatur Deus, aut quod colitur. Quod autem dicit draconis caudam traxiſſe tertiam partem ſtellarum, bifariè hoc accipiunt. Multi enim arbitrantur tertiam partē hominum credentium poſſe eum ſeducere, ſed verius intelligi debeat angelorum ſibi ſubiectorum cum adhuc G princeps eſſet, cum tranſcenderet conſtitutionem ſuam, tertiam partem ſeduxiſſe. Ergo quod ſuperius dicebamus, ait Apocalypſis, & ſtetit ſuper arenam maris. Et vidi de mari beſtiam aſcendentem ſimilem pardo. Regnum illius temporis Antichriſti cum varietate gentiū, & populum cōmixtum ſignificat. Pedes tanquam vaſis fortis, & ſpurciſſimæ beſtiæ. Duces, pedes eius dixit. Os eius tanquam ora leonum, inquit, eſt, id eſt ad ſanguinem armatum. Os enim eius, viſio illius eſt, & lingua quæ ad nihilum proceſſura eſt niſi ad ſanguinem effundendum. Capita ſeptem montes ſunt in quibus mulier ſedet, id eſt, ciuitas Romana. Et reges ſeptem ſunt, quinque ceciderunt: vnus eſt: alius nondum venit: & cum venerit, breui tempore erit. Et beſtia quam vidiſti, de ſeptem eſt: & octaua eſt. Intelligi oportet tempus quo ſcriptura Apocalypſis edita eſt, quoniam tunc erat Cæſar Domitianus. Ante illum autem fuerat Titus frater illius, & Veſpaſianus pater, Galba, Otho, & Vitellius. Hi ſunt quinque qui ceciderunt: vnus extat, ſub quo ſcribitur Apocalypſis, Domitianus ſcilicet. Alius nondum venit, Neruam dixit. Et cum venerit, breui tempore erit. H Biennium enim non impleuit. Et beſtia quam vidiſti, inquit, de ſeptem eſt: quoniam ante iſtos reges Nero regnauit. Et octaua eſt, ait: modo cum illa aduenerit, computās loco octauo. Et quoniam in illo eſt conſummatio, adiecit, In interitum vadit. Nam decem reges accepiſſe regalem poteſtatem, cum ille mouerit ab oriente, aut mittitur ab vrbe Roma cum exercitibus ſuis. Hæc cornua decem & decem diademata Daniel oſtendit, & tria eradicari de prioribus, hoc eſt, tres duces primarios ab Antichriſto interfici. Cæteros ſeptem dare illi honorem, & conſilium, & poteſtatem, de quibus ait, Hi odient meretricem, vrbem ſcilicet, dicit, Et carnes eius comburent igni. Vnum autem de capitibus occiſum in morte, & plaga mortis eius curata eſt, Neronem dicit. Conſtat enim, dum inſequeretur eum equitatus miſſus à ſenatu, ipſum ſibi gulam ſuccidiſſe. Hunc ergo ſuſcitatum Deus mittet regem dignum dignis, & Chriſtum qualem meruerunt Iudæi. Et

Caute iſta de Nerone adhuc viuente & futuro vero Antichriſto. & vide ſcholium ad col. 140.

quoniam

A quoniam aliud nomen allaturus eſt, aliam etiam vitam in-
ſtituturus vt ſic eum tanquam Chriſtum excipiant Iudæi.
Ait enim Daniel, Deſideria mulierum nõ cognoſcet, cum
prius fuerit impuriſſimus : & nullum Deum patrum co-
gnoſcet. Non enim ſeducere populum poterit circũciſio-
nis, niſi legis vendicator. Denique & ſanctos non ad idola
colenda reuocaturus eſt, ſed ad circumciſionem colẽdam,
ſi quos potuerit ſeducere. Ita demum faciet vt Chriſtus ab
eis appelletur. De ioſeino autem illum ſurgere, & ſuperius
diximus, verbo Iſaiæ. *Aqua nutriet illum, & abyſſus auxit illum.*
Qui tamẽ licet nomine mutato, & actu immutato veniet,
ait ſpiritus: Numerus eius nomen hominis eſt, & nume-
rus eius ſexcenti ſexaginta ſex. Cum attulerit ad literam
Græcam, hunc numerum explebit.* AI. N. L. T. CCC. F.
V. M. L. X. L. O. L. XX. CCC. I. III. EVN. LCC. N. V. III.
P. CIX. K. XXOLXX. CC. Aliam beſtiam ſubeuntem de
terra magna, falſum prophetam dicit, qui facturus eſt ſi-
gna & portenta mendacia ante illum in conſpectu homi-
num. Habentem cornua quaſi agni, id eſt, ſpeciem iuſti
hominis: loquentem quaſi draco, loquetur autem diabo-
li malitia plenus. Hic enim facturus eſt vt ignis de cœlo de-
ſcendat: ſed in conſpectu hominum. Hæc magi per An-
B gelos refugas & hodie faciunt. Faciet etiam vt imago aurea
Antichriſto in templo Hieroſolymis ponatur, & intret
Angelus refuga, & inde voces & ſortes reddat. Faciet et-
iam hic ipſe vt accipiant ſerui & liberi notam in frontibus
aut in manibus dextris numerum nominis eius, ne quis e-
mat vel vendat. Aſpernationem autem & exacerbationem
Daniel antè prædixerat. Et ſtatuet, inquit, templum ſuum
ſuper Samariam ſuper mõtem inclytum & ſanctum, id eſt,
Hieroſolymis imaginem, ſicut Nabuchodonoſor fecerat,
tunc hic ſubſtituet. modo hoc Dominus reſoluens, admo-
nens Eccleſias ſuas de nouiſſimis temporibus & periculis,
ait: Cum autem videritis aſpernationem quæ dicta eſt per
Danielem Prophetam, ſtantem in loco ſuo: qui legit, intel-
ligat. Aſpernatio dicitur, quando exaſperatur Deus quòd
idola pro eo colantur, vel dogma hæreticorum in Eccleſijs
introducatur. Euerſio autem quod ſtabiles homines ſignis
falſis & portentis ſeducti euertantur de ſalute. Angelum
C volantem medio cœlo quem dicit ſe vidiſſe, quem ſupe-
rius tractauimus, eundem eſſe Heliam, qui anticipat præ-
dicatione ſua regnum Antichriſti. Alium autem Angelum,
angelum ſequentem eundemque comitem prædicationis
prædicat Prophetam. Quod autem ait, *Mitte falcem acutam,
& vindemia botriones vineæ:* de gentibus perituris ſignificat in
aduentu Domini. Equidem pluribus ſpeciebus hic illud
oſtendit, ſicut in meſſe arida: ſed ſemel in aduentu Domini
& conſummationis & regni Chriſti, & apertione regni ſan-
ctorum futurum eſt. Quod autem dicit miſſum in torcular
iræ Dei, & calcatum extra ciuitatem: calcatio torcularis,
retributio eſt peccatoris. Et exiet ſanguis vſq; ad frenos e-
quorum. Exiet vltio vſque ad principes populorum, id eſt,
rectores, ſiue diabolum ſiue angelos eius, nouiſſimo certa-
mine exiet vltiò ſanguinis effuſi, ſicut antè prædictum eſt:
In ſanguine peccaſti, & ſanguis te perſequetur. Per ſtadia
mille ſexcenta, id eſt, per omnes mundi quatuor partes.
Quaternitas eſt enim conquaternata, ſicut in quatuor fa-
ciebus quadriformibus & totis. Quater enim quadrin-
D genti, mille ſexcenti. Eandem repetens perſecutionẽ Apo-
calypſis dicit Angelos ſeptem habentes plagas, quoniam
in his finita eſt ira Dei. Perſecuti populum contumacem
ſeptem plagis, id eſt perfectè, vt in Leuitico. Dicit quæ in
vltimo futura ſunt, cum Eccleſia de medio exierit. Quòd
autem dicit ſtetiſſe eos ſuper mare vitreum habentes ci-
tharas & phialas, id eſt, ſuper baptiſmum ſuum ſtabiliter
in fide conſtitiſſe: & confeſſionem ſuam in ore habentes,
exultaturos in regno coram Domino. Ad propoſitum re-
uertamur. Ait enim: Veni, oſtendam tibi damnationem
meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas. Et vidi,
inquit, mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, decreto
ſenatus illius conſummatæ nequitiæ, & omnem contra fi-
dei prædicationem etiam latam indulgentiam ipſe dedit
decretum in vniuerſis gentibus. Sedere autem eam ſuper
beſtiam ruffam actricem homicidiorum, diaboli imago
eſt: vbi etiam & capita hæc de quibus tractauimus, meminit. Hanc quidem Babylonem propter confuſionem di- E
cit, & in Apocalypſi & in Iſaia & in Ezechiele antè ruffam
nominauit. Denique ſi compares quæ contra Aſſur dicta
ſunt, & Iſaias contra Babylonem dicit, quæque Apocaly-
pſis dicit, vnum eſſe omnia inuenies; Equum enim album
eſſe, & ſedentem ſuper eum Dominum noſtrum cum ex-
ercitu cœleſti aduenientem ad regnandum oſtendit. A
mari enim Aquilonis vſque ad mare Phœnicis, & vſque
ad fines terræ maiores partes has in aduentu Domini mũ-
dari. Omnes animæ gentiũ congregabuntur ad iudicium.
Nam mille annorum regnum nõ arbitror eſſe terminum.
Aut ſi ita ſentiendum eſt, completis annis mille regnare
deſinunt. Sed vt mei ſenſus capacitas ſenſit proferri, quo-
niam denarius numerus decalogum ſignificat, centena-
rius virginitatis coronam oſtendit. Qui enim virginitatis
integrum ſeruauerit propoſitum, & decalogi fideliter præ-
cepta impleuerit, & contra impuros mores vel impuras
cogitationes intra cordis cubiculum vigilauerit, ne domi-
nentur ei: iſte verè ſacerdos eſt Chriſti, & millenarium
numerum perficiens, integre creditur regnare cum Chri-
ſto, & apud eum rectè ligatus eſt diabolus. Qui vitijs &
dogmatibus hæreticorum irretitus eſt, in eo ſolutus eſt F
diabolus. Sed quia completis mille annis dicit eum ſolui,
completo perfectorum ſanctorũ numero, in quibus cor-
pore & corde virginitas regnat, adueniente abominandi
aduentu, multi ab eo, amore terrenorum ſeducti ſupplan-
tabuntur, & ſimul cum eo ingredientur ſtagnum, & poſt
modicum tellus reddet ſanctorum qui dudum quieue-
rant corpora, immortale cum æterno rege ſuſcipientes re-
gnum: quos non ſolum corpore virgineo, ſed & lingua &
cogitatione exultaturos cum agno demonſtrat. Ciuita-
tem verò quam dicit quadratam auro & precioſis ſplende-
re lapidibus, & plateam ſtratam, & flumen per medium, &
vitæ lignum ex vtraque parte faciens fructus duodecim per
menſes duodecim, & ſolis lumen ibi non eſſe, quia agnus
eſt lux eius, & portæ eius de ſingulis margaritis, ternæ portæ
eius ex quatuor partibus, & claudi non poſſe ciuitatem
quadram: ſanctorum adunatam turbam oſtendit, in qui-
bus fides nullo modo fluctuare potuit, ſicut & Noẽ præci- G
pitur vt ex quadratis lignis faceret arcam, quæ diluuij poſ-
ſet impetus ferre. Precioſos lapides, ſortes in perſecutione
viros, qui nec tempeſtate perſecutionum moueri, nec im-
petu pluuiæ à vera fide ſolui potuerunt. Propterea auro
mundo ſociantur, ex quibus regis magni ciuitas decora-
tur: Plateæ verò, eorũ corda oſtendunt ab omnibus mun-
data ſordibus, vbi deambulat Deus. Flumen verò vitæ ſpi-
ritualis natiuitatis currere gratiam oſtendit. Lignum vi-
tæ ex vtraque ripa, Chriſti ſecundum oſtendit aduentum,
quem venturum & paſſurum vetus lex prædixit, & in Eu-
angelio manifeſtatur. Fructus verò duodecim per ſingulos
menſes, duodecim Apoſtolorum diuerſæ gratiæ oſtendũ-
tur, quas ab vno ligno crucis ſuſcipientes, populos fame
conſumptos, verbi Dei prædicatione ſatiant. Et quia dicit
in ciuitate Solem non eſſe neceſſarium, euidenter oſten-
dit creatorem luminum fulgere in medio eius cuius ſplen-
dorem nullus ſenſus cogitare poterit, nec lingua proloqui.
Ex quatuor partibus portas dicit eſſe ternas virtutes, pru-
dentiam, fortitudinem, iuſtitiam, temperantiam, quæ iter-
nicem ſibi hærent: & dum mutuò miſcentur, duodena- H
rium efficiunt numerum. Portas verò, duodecim Apoſto-
lorum eſſe numerum credimus, qui in quatuor virtutibus
vt pretioſæ margaritæ fulgentes, inter ſanctos lumen do-
ctrinæ ſuæ manifeſtantes, ad ciuitatem ſanctorum ingredi
faciunt, vt de conuerſatione eorum Angelorum lætentur
chori. Non poſſe claudi portas, euidenter oſtendit, nulla
contradicentium tempeſtate Apoſtolorum doctrinam ſu-
perari, etiam ſi fluctus gentium vel hæreticorum inſana
ſuperſtitio, dum à fide fuerit ſuperata eorum, vt ſpumæ
diſſoluuntur, quia petra Chriſtus eſt, à quo & per quem
Eccleſia firmata, nullis fluctibus inſanientium homi-
num ſuperatur. Ergo audiendi non ſunt, qui
mille annorum regnum terrenum eſſe
confirmant, qui cum Cherin-
tho hæretico ſe-
tiunt.

S. DOROTHEI MARTYRIS, ET EPISCOPI TYRI, QVI SVB CONSTANTINO MAGNO VIXIT; DE VITA AC MORTE PROPHETARVM, ET APOSTOlorum Synopſis

DE S. DOROTHEO EPISCOPO ET MARTYRE.

CElebris hic vir, varias cum Latinas tum Græcas poſt ſe lucubrationes reliquit. Nam vtriuſque linguæ peritus & multarum rerum gnarus propter ingenij dexteritatem fuit: poſt mortem autem Diocletiani & Licinij, exilio liberatus, & ipſe parœciam ſuam recepit. Eccleſiam enim Tyri ad Iulianum vſque tyrannum rexit. Quoniam verò Iulianus non manifeſtè per ſe, ſed occultè per principes ſuos, Chriſtianos occidebat, iterum Dorotheus ad Odiſſæam ciuitatem venit, vbi & à Iuliani principibus prehenſus, multaq; verbera paſſus, in grandæua ſenectute, propter Chriſti confeſſionem, inter ipſa tormenta, cùm annorum eſſet 107. mortuus eſt. Igitur inter Commentarios Eccleſiaſticos, quos, vt diximus, magnus hic Presbyter poſt ſe reliquit, de alijs etiam nonnulla memoria prodidit: vtpote de omnibus Seruatoris noſtri Diſcipulis, videlicet Apoſtolis, cùm duodecim illis, tum ſeptuaginta immò & de Prophetis, vbi quiſque illorum, & quomodo vitam finierit.

Hoc opus non eſſe illius S. Dorothei Martyris, Tyri Presbyteri, qui ſub Diocletiano vixit, & ſub Iuliano martyrium conſummauit; ſed cuiuſdam potius Dorothei recentioris Abbatis Romani, Baronius in notis ad Romanum martyrologium 5. Iunij. & alij eruditi deprehenderunt. Multa enim inſunt huic libello, quæ fide hiſtorica vacillant, indigna prorſus antiquo illo S. Martyre Dorotheo, quæque paſſim erroris arguuntur ab his qui puritatem hiſtoriæ ex antiquis auctoribus eruunt. Ad hæc, quod hic in præfatione & in inſcriptione, titulíſq; paginarum Dorotheus ille vetuſtior appellatur Epiſcopus Tyri, falſum omnino eſt, cum martyr ille non Epiſcopus, ſed presbyter Tyri vocetur in antiquis auctoribus & Romano martyrologio quinta Iunij. Conſule quoque Apparatum ſacrum Poſſeuini.

Ex Bellarmin. de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Dorotheus Tyrenſis dicitur tempore Diocletiani exilium paſſus, & ſcripſiſſe Synopſin de vita Prophetarum, & Diſcipulorum Chriſti: *quæ Synopſis extat in Biblioth. Sanct. Patrum, & frequenter citatur. At huius Dorothei nullam mentionem inueni apud Euſeb. S. Hieron. vel Gennadium, aut etiã Ioan. Trithemium, qui ſcripſerunt de viris illuſtribus. Ipſa vero Synopſis plena eſt fabulis: conſulat lector, quæ iſte auctor ſcribit in vita Abdiæ, Ionæ, Iſaiæ, Hieremiæ, & Eliſæi. Præterea conſulat, quæ ſcribit in vita Iacobi Alphæi, & Clementis, & in ſumma ſciat ab iſto numerari inter 72. Diſcipulos Chriſti omnes, qui ab Apoſtolo Paulo nominantur, etiãſi Ethnici fuerint vel fœminæ, & illos omnes non ſolum Diſcipulos Domini, ſed etiam Epiſcopos facere. Non meminiſſem libri tam fabuloſi, niſi vidiſſem a multis citari, & non minimi fieri.*

DOROTHEVS ALTER EPISCOPVS TYRI SCRIPSIT CVM ALIIS PHOENICIAE MARItimæ Epiſcopis ad Leon. Imp. pro Concilio Chalcedonenſi Concil. Tom. 2.

DE PROPHETIS.

OSEE.

HIc duodecim Prophetarum primus habetur. Diuina dignatione de Domino Chriſto adhunc modum loquutus eſt: *Quando in tribulatione erunt, mane vigilabunt ad me dicentes: Venite, reuertamur ad Dominum Deum noſtrum, Quoniã ipſe rapuit, atque iterum ſanabit nos: percutiet & curabit nos, Sanctificabit nos: poſt duos dies, die tertia reſurgemus coram eo, & cognoſcemus,* &c. Ex iſto oraculo Apoſtolus Paulus Corinthijs dicit, *tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quod Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt ſecundum ſcripturas, & quòd ſepultus fuit, & excitatus tertia die ſecundum ſcripturas.* Hoc enim eſt quod hic Propheta dicit, tertiã die reſurgemus coram eo. Nuſquam alibi de tertia die quicquã in veteris Inſtrumenti ſcriptura inuenire eſt. Iterum hic Propheta dicit, quod Chriſto Domino adaptatur: *caro mea ex ipſis.* Item: *Circumdedit me in mendacio Ephraim, & impietate domus Iſrael & Iuda. Nũc cognouit eos Deus: & populus Dei ſanctus vocabitur.* Quoniam ex hac tribu declaratur veniſſe Dominus Chriſtus, populum hunc Iudã ſanctum vocat. Rurſus idem Propheta: *De manu inferi,* inquit, *redimam eos.* Vbi eſt mors victoria tua, vbi eſt inferne ſtimulos tuus? Hoc oraculo vſus eſt Apoſtolus Paulus de reſurrectione diſputans. Hic Oſee erat ex Belemoth de tribu Iſachar, & ſepultus eſt in terra ſua, in pace.

AMOS.

Hic Amos alter Propheta eſt. Et ipſe dignatione diuina accepit, vt de aduẽtu Domini Chriſti hoc modo loquutus ſit: *Quapropter ecce ego firmans tonitruum, & creans ſpiritum, & annuncians in homines Chriſtum ſuum.* Rurſus: *In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauidis, quod prolapſum fuerat, & reſtaurabo ruinas eius, & reſtaurabo illud ſicuti in diebus antiquis, vt quærant Dominum qui reliqui ſunt ex hominibus, & omnes Gentes ſuper quibus inuocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens iſta.* Huius oraculi meminit Iacobus in Actis Apoſtolorũ. *Iſte Amos erat ex Thecua.* Hunc Amaſias crebro verberauit, & tãdem filius eius clauo temporibus capitis percuſſis, necauit. Spirans adhuc, in terram ſuam percuſſus venit, poſt duos verò dies mortuus ibiq; ſepultus eſt.

MICHAS.

Hic tertius eſt, qui & ipſe diuino munere accepit, vt de aduentu Domini Chriſti loquutus ſit, dicens. *Et tu Bethleem domus Ephrata, minima es, vt ſis in millib. Iuda. Ex te mihi egredietur qui princeps ſit in Iſraele. Et egreſſus eius ab initio à diebus ſeculi.* Oraculum hoc vſurparunt ſummi ſacerdotes & ſcribæ Iudæorum, cũ ab Herode, vbi Chriſtus naſceretur, interrogarẽtur, ac dixerunt, in Bethleẽ. Vnde & Magos Herodes in Bethleẽ miſit. Iterũ dicit Propheta: *Ipſe conuertet & miſerabitur nos, obteget peccata noſtra, & abijciet in profundum maris iniuſtitias noſtras. Dabit Iacob veritatem, miſericordiam Abrahæ, ſicut iurauit patribus noſtris, ſecundum dies priores.* Hic Micheas erat à Marathat, de tribu Ephraim. Et cum multis egiſſet cum Achab, à Ioaram filio ipſius, præcipitio necatus eſt: propterea quod arguerat eum ſuper impietatibus patrum ipſius. Sepultus eſt in terra ſua, propè Polyandrium Enakim.

IOEL.

Hic quartus eſt. Datum eſt etiam iſti de myſterio Domini Chriſti vaticinari. Nam ſic dicit: *Et erit poſt hæc, vt effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, ac ſenes veſtri in ſomnis ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. Et ſuper ſeruos meos & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de ſpiritu meo, & dabo prodigia ſuperne in cœlo & ſuper terram, ſanguinem & ignem & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & illuſtris. Et erit, vt quiſquis nomen Domini inuocauerit, ſaluus fiat.* Huius oraculi meminit B. Petrus in Act. Apoſtol. vt quod tunc adimplebatur, cum iam deſcenſus Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos, in die Pentecoſtes factus eſſet. Hic Ioël vicinus erat agro Bethomeron in Ruben, vbi & mortuus ac ſepultus eſt in pace.

ABDIAS.

Hic quintus eſt. Dedit & huic Dei gratia, vt de myſterio Chriſti loqueretur. Nam ſic dicit: *Quapropter prope eſt dies Domini ſuper omnes gentes.* Dictum quidem hoc ſuperficietenus eſt contra Scythas, hoc eſt contra Gog & Magog: certius autem & magis proprie, Domino Chriſto conuenit. Nam paulò pòſt ſubiungit: *Erit autem ſalus in monte Sion.* Iſte Abdias erat ex terra Sychem, agro Bethacharam, fuit diſcipulus Eliæ, & cùm illius nomine multa paſſus eſſet, ſeruatus eſt. Tertius fuerat ex quinquagenarijs, cui Elias pepercerat, deſcenderatque ad Ochoziam, ac miniſterio Regis ſui poſtea relicto, Prophetiæ gratiam acquiſiuit, mortuuſque eſt ac ſepultus cum patribus ſuis.

A

IONAS.

Sextus hic eſt, qui non verbis ſed reipſa ac typo, reſurrectionem Chriſti prænunciauit. Dicit enim Dominus: *Sicut Ionas manſit in ventre ceti tres dies ac tres noctes, ſic erit filius hominis in corde terræ tres dies ac tres noctes.* Quemadmodum enim Cetus incorruptum Ionam euomuit: ita ſepulchrũ, Dominum in meliorem vitam reddidit. Hic Ionas erat ea terra Cariathmaus, prope Azotum maritimam Gentium ciuitatem. Ex ventre Ceti eiectus, inq; ciuitatem Niniuen profectus, in terra illius nõ manſit: ſed aſſumpta matre, peregrinus in Aſſur Gentium alienigenarum regione habitauit. Cogitabat enim, hoc pacto tullã probrum meũ quod falsò contra Niniuen ciuitatẽ magnã prophetando acquiſiui, ſicut & Elias eo tẽpore, poſtquã cõtra demum Achab prophetauerat, famemq; ſuper terram vocauerat, aufugit, & viduã cum filio nactus apud eos mãſit. (Nequibat enim apud incircũciſos manere) illamq; benedixit. Ionam verò mortuum Deus vitæ reſtituit per Eliã; voluit enim illi oſtẽdere, quod manum Dei effugere nequiret. Poſt famem verò Ionas regione illa relicta, venit in terram Iuda, & cũ mater in itinere mortua eſſet, ſepeliuit eam prope mõtem Libanum. Mortuus eſt autẽ & ipſe in Saar, ac ſepultus in ſpelunca Cenezei, qui Iudex fuerat vnius Tribus in terra ſuã factus, eo tempore quo terra principe carebat, deditque prodigia ſuper Hieruſalem ac totam terram: Lapidem videlicet miſerabiliter clamãtem, quod finis appropinquet. Et quando ab omnibus Gentibus Hieruſalem calcaretur, quod tunc ciuitas illa abolenda eſſet.

B Ionas ab Elia ſuſcitatus.

NAVM.

Septimus hic eſt, Dignus & ipſe habitus, qui de reſurrectione Domini Chriſti vaticinaretur. Dicit enim: *Celebra Iuda feſtiuitates tuas, redde Domino vota tua, quia nequaquam vltra adijcient, vt tranſeant in vetuſtatem, completum eſt, conſummatum eſt, aſcendit inſufflans in faciem tuam, qui te eruit ex tribulatione.* Hic Naum erat ab Elkeſi trans Bethabaram, de tribu Simeon. Poſt Ionam prodigia edidit Niniuitis, quòd videlicet perituri eſſent ab aquis dulcibus, & igne ſubterraneo, quod & factum eſt. Nam ſtagnum quo ciuitas illa circundata erat, facto terræmotu, ſubmerſit eam ac perdidit, & ignis è ſolitudine ortus, ſuperiorem illius partem conſumpſit. Mortuus eſt autẽ Naum in pace, & in terra ſua ſepult⁹.

C

ABACVC.

Iſte octauus eſt. Accepit & ipſe diuino munere vt de reſurrectione Chriſti vaticinaretur, ad hunc modum loquutus: *Videte contemptores, Aſpicite & admiramini, & diſperdimini, quoniam opus ego operor in diebus veſtris, quod non credetis ſi quiſquam vobis narrauerit.* Oraculum hoc Paulus concinnè de reſurrectione Domini Ieſu Chriſti Antiochię Piſidiæ vſurpauit. Hic Abacuc erat de tribu Simeon, ex agro Bithicuchar. Captiuitatem vrbis Hieruſalem ante captiuitatem vidit & vehementer luxit. Et cum aſcenderet Nabuchodonoſor in Oſtraciam, aufugit & factus eſt incola in terra Iſmaelitarum. Cum verò qui in Chaldæa captiui fuerant reuerterentur, & ij qui Hieroſolymis reliqui erant, in Ægyptum deſcẽderent habitabat in terra ſua. Et cum aliquando meſſoribus agri ſui miniſtraret, & polmentum ſumeret, ad ſuos prophetauit, dicens: *Proficiſcor in terram longinquam, acciò reuertar. Si verò tardauero, ferte meſſoribus eſcam ipſorum.* Cum autem in Babylone fuiſſet, & prandium Danieli dediſſet, adſtitit meſſoribus veſcentibus, nec quicquam dixit eorum quæ facta erant. Sciebat autem, populum breui reuerſurum è Babylone: & biennio antequam reuerteretur, mortuus eſt ac ſepultus in agro ſuo ſolus, in terra Iudææ. Vaticinatus etiam eſt de conſummatione Templi quod in poteſtate Gentis occidentalis futurum eſſet: *Tunc,* inquit, *pandetur ſecretior Templi pars, & capita duarum columnarum auferentur, nec ſciet quiſquam vbinam ſeruentur. Aſportabuntur autem in ſolitudinem ab Angelo, vnde & initio aſcendit Tabernaculũ teſtimonij. Et circa finem cognoſcetur in ipſis Dominum, & illuminabit eos qui perſecutionẽ paſſi ſunt à ſerpente in tenebris, ſicut ab initio.*

D

SOPHONIAS.

IX. hic eſt, Dignus & ipſe habitus qui prophetaret de Domino Ieſu Chriſto. Nam ita loquitur: *Manifeſtabitur ſuper eos Dominus, & exterminabit omnes gentium Deos de terra, & adorabunt eum, quiſq; ſuo loco, omnes inſulæ Gentium.* Rurſus dicit: *Quoniam conuertam ſuper populos linguam in generationẽ eius, vt inuocent omnes nomen Domini, ac ſeruiant ſub iugo vno De finibus fluminum Æthiopiæ accipiam diſperſos meos, adferent mihi victimas.* Et iterum: *Gaude vehementer filia Hieruſalem, lætare & iucundare ex toto corde tuo filia Hieruſalem. Abſtulit Dominus iniuſtitias tuas, redemit te de manu inimicorum tuorum. Regnabit Dominus in medio tui. Non videbis amplius mala.* Hæc magis ꝓprie Domino Ieſu Chriſto conueniunt. Hic Sophonias erat ea tribu Symeon, ex agro Sabarhatha. Prophetauit de ciuitate, & fine Iſraelis, deq; confuſione impiorum. Mortuus eſt ac ſepultus in agro ſuo.

E

AGGÆVS.

Hic decimus eſt. Datum & ipſi eſt, vt de Domino Chriſto vaticinaretur, ac ſub perſona Zorobabelis Domino Chriſto competentia diceret, vtpote: *Ponam te ſignaculum, quoniam te elegi dicit Dominus omnipotens.* Quemadmodum & Ioannes Euangeliſta dicit: *Hunc enim pater ſignauit Deus.* Hic Aggæus cum iuuenis eſſet, è Babylone venit Hieruſolymã, & manifeſtè de reditu populi vaticinatus eſt, & ex parte quoque Templi reſtaurationem vidit. Mortuus autem & ſepultus eſt prope ſepulturam Sacerdotum, cum honore quo Sacerdotes ſepeliri ſolebant.

F

ZACHARIAS.

XI. hic eſt. Et iſtu diuinitus accepit, vt de aduentu Chriſti prædiceret. Dicit enim: *Gaude vehementer filia Sion, prædica filia Hieruſalem. Ecce Rex tuus venit Iuſtus & ſaluator, ipſe manſuetus, aſcendens ſuper ſubiugalem, & pullum iuuenculum.* Hoc oraculum hyperbolicè quidem de Zorobabele dixit, exitum verò propriè habuit in Domino Ieſu Chriſto. Iterum dicit: *Et dicam ad eum. Quæ ſunt plagæ iſtæ, quæ ſunt in medio manuũ tuarũ? Et reſpondebit. Hæ ſunt, quibus percuſſus ſum in domo dilecti mei.* Et paulò poſt. *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis.* Oraculi huius meminit Dominus, tempore paſſionis ſuæ, vſurpans illud & transferens in ſe, cum eſſet prodendus. Hic Zacharias è Chaldæa venit, cum ætate iam eſſet prouecta, atque ibi populo multa vaticinatus eſt, prodigiaq; ꝓbandi gratia edidit, & ſacerdotio Hieroſolymis functus eſt. Idem & Salathieli cũ filijs benedixit, & nomẽ Zorobabel impoſuit, & Perſis ſub Cyro dedit victori. De cultu illius quem facturus erat Hieroſolymis, prophetauit: illumq; vehemẽter benedixit. Quæ verò Prophetiam concernebant, vidit Hieroſolymis. Et de fine Gentium, de Templo, de Otio, de Prophetis & Sacerdotibus, ac de duplici iudicio expoſuit. Mortuus eſt in ſenectute grata, ſepultuſq; prope Eleutheropolim, ſtadijs quadraginta, in agro Noëman, temporibus verò Ephidi Epiſcopi manifeſtatus, quod ipſe eſſet Zacharias filius Barachiæ, cuius meminit Eſaias; Agro autem, vbi iacet, nomen eſt Betharia à Hieroſolymis diſtat ſtadijs 150.

G

MALACHIAS.

Iſte duodecimus eſt, cui etiam datum eſt vt de ijs quæ diſpenſationem Domini Ieſu Chriſti concernunt, vaticinaretur. Etenim & ipſe ſic dicit: *Propterea ab oriente ad occaſum vſque glorificatum eſt in Gentibus nomen meum, & in quouis loca incenſum offerunt nomini meo, & oblatio munda. Quapropter magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus omnipotens.* Et iterum dicit: *Ecce ego mittam angelum meum ante faciem tuam.* Et hoc oraculum Dominus de ſe & Ioanne Baptiſta vſurpauit. Iterum idem Propheta dicit: *Et orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iuſtitiæ & ſanitas in alis eius, & exibitis & exilietis ſicut vituli è vinculis relaxati, & conculcabitis iniquos: propterea erunt cinis ſub pedibus veſtris, in die quam ego conſtituam, dicit Dominus omnipotens. Et ecce ego mitto vobis Eliam Thesbitem, antequam veniat dies Domini magnus & illuſtris.* Quemadmodum de Ioanne Dominus ad Iudæos dixit: *Si vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus eſt.* Hic Malachias poſt reditum populi e Babilone naſcitur in Supha, & cum adhuc adoleſcens eſſet, alumnam vel nutricem habuit admirabilem, & vitam honeſtam. Et quoniam vniuerſus illum populus velut ſanctum ac manſuetum venerabatur, vocarunt eum Malachiam, quod idem eſt, ſi interpreteris, atque Angelus. Erat enim & ſpecie corporis elegantis, imò quæcunque in Prophetia dixit, eo ipſo die ſecundo viſus eſt Angelus Domini, ſicut factum eſt in diebus, quibus nullus erat princeps, vt ſcriptũ eſt in libro Iudicum. Mortuus eſt autẽ cum adhuc adoleſcens eſſet, & appoſitus patrib. in agro ipſius.

H

Hi

Hi ſunt duodecim Prophetæ, vno libro comprehenſi, conſequenter narrabimus & de quatuor magnis, quorum quiſque proprium habet volumen. Inſuper & de reliquis illuſtribus Prophetis dicemus, quorum nulla ſcripta circumferuntur, vbi primùm iſta viderimus. Omnes quidem Prophetæ vaticinati ſunt ad Iudæos, admonueruntq; eos de promiſſionibus Dei, quas patribus fecit, quibus videlicet, vniuerſas gentes benedicturum ſe in ſemine Abrahæ per futuram Domini Ieſu Chriſti diſpenſationem pollicitus eſt, deinde quomodo eos paulò antè ex ſeruitute Ægyptiaca cum brachio excelſo redemerit, ac terram promiſſionis dederit, denique quomodo à Nabuchodonoſore captiui in Babyloniam abducendi eſſent, & inde cum gloria redituri. Ad hæc quod & ab Antiocho & gentibus circumquaque finitimis affligendi, & tamen ibi quoque diuina freti potentia ſuperaturi eſſent. Et poſtremò, quod tunc ad ſalutem totius mundi ſecundum præcedentes promiſſiones venturus eſſet, qui ex ſemine Abrahæ promiſſus expectabatur. Et hoc commune fuit omnium Prophetarũ inſtitutum. E quibus nonnulli libros ſibi conſcripſerunt, vtpote Dauid, qui ſibi Pſalmorum librum congeſſit. Et Daniel, qui iuſſus eſt in captiuitate literis mandare, quæ per viſiones reuelata accepit. Et quidam alij. Reliqui non ipſi prophetias ſuas, ſed Scribæ, qui in templo erant, cuiuſque Prophetæ ſermonem veluti cum dictum ſupputatione conſcripſerunt. Et quando Propheta quiſpiam à Deo mittebatur, vt vel de Hieruſalem, quòd in captiuitatem eſſet abducenda, vel de Samaria, aut alijs locis, vel de reditu, vel de Antiocho, vel de finitimis gentibus, aut de ipſo Domino Chriſto prædicaret, ſingulis diebus vaticinabatur, & ſcribebatur id quod Propheta ſingulis ſermonibus prædicabat. Prædicabat autem de re quapiam certa, & cũ alio tempore rurſus de alia prædicabat, iterum ſcribebatur, & quæ dicta erant, certis capitibus initio præſignatis ſubijciebantur, atque hoc modo iuſtus & integer liber ex varijs ſermonibus Prophetæ illius componebatur. Hinc eſt, quod in Prophetarum libris inuenitur principio notatum caput, & adaptatum vel ad captiuitatem Babylonicã, vel ad reditũ ex illa, deinde mox aliud caput, vel de Chriſto, vel de materia quapiam alia, & confeſtim rurſus aliud de alia cauſa, & iterum ſtatim aliud de cauſa priore. Et vt vno verbo dicam, niſi conſideratè quis legat, reperiet iſta confusè propoſita. Non autem prophetica tantum, ſed & regnorum libros ad hunc modum in templo per partes ſcripſerunt. Vtpote temporibus Saulis, quæ vſque ad regnum illius geſta fuerant, & tempore Dauidis, quæ ſub Saule vſque ad ipſum Dauidem contigerant, atque hoc pacto quæ ſub vnoquoque Rege acta fuerunt, ſingula ſua ſuis temporibus ſcripſerunt, quemadmodum & Paralipomena in Regum Chronicis congeſta ſunt. Pentateuchon verò Moyſes conſcripſit hiſtoriam videlicet eorum & quæ ante ipſum, & quæ ſub ipſo geſta ſunt, & quæ poſt ipſum futura erant. Ieſus Naue ſuum ipſe librum compoſuit. Iudicum libri & ipſi in templo, videlicet in tabernaculo ſcripti ſunt. Similiter & Ruth. Salomon ſua ipſe conſcripſit Prouerbia, Canticum canticorum & Eccleſiaſten. Cùm enim ſapientiæ gratiam à Deo accepiſſet, cunctos admonuit, vt in hac vita ſapienter conuerſarentur. Prophetiæ verò donum non accepit. Iam enim antea recenſuimus eos, qui diuino munere acceperunt, vt de Chriſto vaticinarentur. Iam deinceps etiam de quatuor alijs Prophetis commemorabimus, quæ illi quoque de diſpenſatione Domini Ieſu Chriſti vaticinari meruerunt, ad quam vniuerſus diuinæ ſcripturæ ornatus, & concinna ſtructura proſpicit. Et principio proferatur primus ex illis, magniloquentiſſimus Eſaias, cui datum eſt, vt & typo & ſermone videret ac vaticinaretur de Chriſti myſterio.

ESAIAS.

Magnus iſte Eſaias filius Amos, in typo myſterium Chriſti præuidit, quando Dominum vidit in throno ſublimi & exaltato ſedentem, vbi & Seraphim, inquit, ſtabant in circuitu illius, & ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, quibus ſe velabant, & clamabant alter ad alterum: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria eius.* Interea miſſus eſt vnus ex Seraphim, is carbone, quem forcipe de altari acceperat, tetigit labia eius dicens: *Hoc auferet peccata tua.* Ita manifeſtè per oſtenſam viſionem, hymnum ac typum inſtructus eſt, vt Chriſti myſterium præſignaret. Rurſus & id muneris accepit, vt ſermone quoque de myſterio Chriſti vaticinaretur, dicens: *Sicut ouis ad mactationem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe obmutuit.* Hoc oraculum cũ Æthiops Eunuchus legeret, Philippum rogabat, vt exponeret, qui & citiſſimè ac veriſſimè illa de Domino Chriſto à propheta dicta expoſuit. Rurſus dicit: *Homo in plaga conſtitutus, & ſciens ferre languorem.* Et iterum: *Iniquitatem non fecit, neque dolus inuentus eſt in ore eius.* Et Dominus vult eum mundare à plaga, & illi lucem oſtendere. Item: *Sic dicit Dominus, Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem precioſum, electũ, angularem, & honorificum, in fundamenta eius. Et qui crediderit in illum, non pudefiet.* Iterum: *Spiritus Domini ſuper me, propterea vnxit me,* &c. Hoc cùm Dominus in Synagoga Sabbatis legiſſet, dixit, *Amen dico vobis, Hodie impleta eſt ſcriptura iſta in auribus veſtris.* Eſaias iſte Hieroſolymitanus erat. Mortuus eſt autem Hieroſolymis ſub rege Manaſſe, ſectus in duas partes, conditusque ſub quercu, quæ eſt prope fontem Rogel, iuxta tranſitũ aquarũ, quas Ezechias rex puluere obſtruxerat. Et monumentum Siloam Deus per hunc prophetã operatus eſt. Nam cùm ſpiritus eius antequam moreretur, deficeret, aquæ potum petijt, qui & confeſtim ei ex hoc torrente miſſus eſt. Quapropter etiam Siloam vocatus eſt, quod miſſum ſonat, ſi interpreteris. Et ſub Ezechia, antequam is lacus & Colymbethras faceret, per orationem Eſaiæ modicum aquæ emanauit. Nam erat populus in campeſtribus Moabitarum alienigenarum. Et ne ciuitas periret, tanquam aqua deſtituta (ſciſcitati namque fuerant hoſtes, vnde biberent, & vrbe aggere cincta, totiẽ tem Siloam obſidebant) quando orabant cum Eſaia Iudæi, egrediebatur aqua. Propterea etiam in hodiernum vſque diem continuo promanat, vt oſtendatur magnum hoc myſterium. Et quoniam per Eſaiam fuerat hoc factũ, memoriæ gratiã populus Iudæorũ prope Siloã illum accuratè & cũ honore ſepelierunt, vt per ſanctas illius preces, etiam poſt mortem eius conſimili modo aquę huius beneficio frui liceret. Erat enim illi oraculum etiam datum vt hoc ita faceret. Eſt autem ſepulchrum eius vicinum ſepulturæ Regum, retro ſepulturam Iudæorum, auſtrum verſus. Salomon enim ſepulturam Dauidis conſtituit, ad Orientem montis Sion diſpoſitam, & ingreſſum habentem ab ea parte, qua venitur à Gabaon, ab vrbe ſtadijs viginti. Fecit autem eam obliquam, & ita compoſitam, vt nullam de ſe ſuſpicionem obijciat. Et introitus in hunc vſque diem multum Sacerdotibus & vniuerſo populo ignotus eſt. Habuit ibi rex Salomon aurum ex Æthiopia reconditum; & atomata. Et quoniam Ezechias oſtendit & contaminauit oſſa patrum ipſius, propterea aſſeuerauit illi Deus, futurum, vt ſemen eius ſeruiat hoſtibus eius, fecitque illum ſterilem ab eo die, ac infœcundum.

Genus Eſaiæ, & ſcriptionis qualitas.

IEREMIAS.

Et hic Ieremias diuina dignatione accepit, vt de myſterio Chriſti vaticinaretur. Nam ita dicit: *Et acceperunt triginta argenteos precium æſtimati quem precio emerunt à filiis Iſrael, & dederunt eos ad comparandum agrum figuli, ſicut præcepit mihi Dominus.* Huius oraculi meminit etiã Euangeliſta Matthæus, tanquam completi tempore paſſionis Chriſti. Rurſus dicit idem propheta: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & diſponam domui Iſrael, & domui Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quod condidi patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos ex Aegypto. Nam ipſi non manſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus, ſed hoc eſt teſtamentum meum, quod diſponam domui Iſrael. Poſt dies illos dicit Dominus, dabo leges meas in mentem eorum, & in cor eorum ſcribam eas, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: Et haudquaquã docebunt quiſque fratrem ſuum, & quiſque proximum ſuũ, dicendo, Cognoſcito Dominum. Nam omnes cognoſcent me a minimo vſque ad maximum eorum. Quoniam propitius ero iniuſtitiis eorum, & peccatorum ipſorum non recordabor amplius.* Huius o-

A

raculi mentionem facit Apoſtolus in epiſtola ad Romanos.

Ieremiæ natale ſolum.

Hic Ieremias erat ex Anathoth, & in Taphnis Ægyptiorum lapidibus à populo obrutus eſt, ac mortuus, ſepultus autem iacet eo loco, quem inhabitauit Pharao. Nam Ægyptij beneficijs ab eo adfecti, id honoris illi impenderũt. Orauerat enim pro illis, cùm à beſtijs aquaticis turbarentur, quas Ægyptij Menephot, Græci verò Crocodilos vocant. Et hodie quoque qui fideles ſunt Deo, in eo loco orant, ac puluerem inde tollunt, quo mortales à beſtijs illis læſos curant. Multi ea illis ipſas etiam beſtias in aduerſas aquas fugant. Nos verò ex poſteris Antigoni & Ptolemæi viris iam grandæuis audiuimus, quod Alexander rex Macedonum cùm ad eum Prophetæ locum veniſſet, myſteriaque illius cognouiſſet, reliquias illius in Alexandriam tranſtulerit, & cum gloria circumquaque ornatas collocarit, atque ita genus aſpidum ab ea terra & ipſo quoq; flumine ſimiliter prohibitum ſit, & ſerpentes hoc pacto eiectos, quos Argolaos vocant, hoc eſt, lacertas ex Argo Peloponeſiaco allatos, vnde & Argolai vocantur populi iſti, id eſt, dextris ignaui, loquela verò ſunt delicata, & prorſus ſiniſtra. Ieremias iſte ſignum dedit ſacerdotibus Ægyptiacis, quòd oporteat ſimulachra eorum concuti, & decidere per Seruatorem puerum ex virgine naſciturum, & in præſepi iaciturum. Propterea nunc etiam virginem in lecto, & infantem in præſepio collocant & adorant. Et cùm cauſam olim Ptolemæus rex percontaretur, reſponderunt, myſterium eſſe ipſis à maioribus traditum, quod illi à ſancto propheta acceperint. Hic propheta antequam caperetur templum, arcam legalem, & quæ in illa erant, abripuit, & in petram quandam abdi fecit, dixitque adſtantibus: *Profectus eſt Dominus Sinai in cælum.* Et iterum, *Veniet legislator ex Sion cum potentia, & ſignum aduentus ipſius erit vobis, quando vniuerſæ gentes lignum adorabunt.* Dixit etiam, arcam illam nemo erpiet, præter Aaronem, & tabulas in illa reconditas nemo introſpiciet ſiue Sacerdotum ſiue Prophetarum, præter Moyſen electum Dei. Et in die reſurrectionis arca primũ reſurget, & ex petra prodibit, poneturque in montem Sina, & congregabuntur ad eam omnes ſancti expectantes Dominum, & fugantes inimicum, occident eum venientem ad hanc petram. Obſignauit autem eam digito, per nomen Dei, & facta eſt figura inſtar ſculpturæ ferri, & nubes lucida obtexit nomen Dei, nec quiſpiam locum hunc cognouit, neque obſignationem legere poteſt in hodiernum vſque diem, & ad conſummationem vſque. Eſt autẽ petra in ſolitudine, vbi & primùm fabricata eſt arca, inter duos montes, in quibus ſepulti iacent Moyſes & Aaron. Et noctu nubes veluti ignis locum hunc obtegit, iuxta quod olim factum eſt. Nunquam enim deeſſe poteſt gloria Dei à nomine Dei. Propterea gratiam Ieremiæ dedit Deus, vt finem myſterio ſuo ipſe faceret, fieretque conſors Moyſis & Aaronis, qui & vna coniuncti ſunt ad hunc vſque diem. Nam & Ieremias ſacerdotali ſemine prognatus eſt.

B

Cur virginem in lecto, & infantem in præſepio adorant Ægyptij.

C

Hier. 2. Machab.

Conſeſſio Hieremiæ cũ Moyſe & Aarone.

EZECHIEL.

D

Ezechielis natiuitas & genus.

Hic Ezechiel, qui etiam in Babylone prophetauit, & ipſe à Deo accepit, vt de Chriſti diſpenſatione vaticinaretur. Dicit enim: *Et eripiam eos ex omnibus iniquitatibus eorum, & mundabo eos, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Et ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum, & paſtor omnium vnus erit. Nam in præceptis meis ambulabunt.* Et iterum: *Et dixit ad me, Aqua iſta egreditur in mare orientale, & deſcendit in Arabiam, & venit ad mare, ad aquam Emanationis, & ſanabit aquas. Et erit vt anima animantium feruidorum, & ad quæcunque venerit hic fluuius, viuent.*

Cur interfectus fuerit à rege Iſrael.

Ezechiel iſte prognatus eſt ex terra Sarira, è tribu Sacerdotum. Mortuus eſt autem in terra Chaldæorum in captiuitate, poſtquam multa fuerat vaticinatus eis, qui Iudæam inhabitabant. Occidit verò eum princeps populi Iſrael, reprehenſus ab eo propter ſimulachrorum cultum, & ſepeliuit eum populus in agro Maur, in ſepulchro Seth & Arphaxad patrum Abrahæ. Eſt autem ſepulchrum illud ſpelunca duplex. Nam Abraham in Hebron ad ſimilitudinẽ eius Saræ ſepulturam fecit. Dicitur autem duplex, propterea quòd flexuoſa eſt & abdita, ſupra planum ac tellurem edita, & in petra quadam ſuſpenſa. Hic propheta portentũ dedit populo, vt animaduerterent, quando fluuius Chobar deficeret, tum ſcirent falcem venire vaſtationis, vſque ad fines terræ, & quando inundaret ciuitatem Hieruſalem, tum inſtare reditum. Etenim ad fluuium illum habitabat ſanctus Propheta, & multi ad eum congregabantur. Contigit autem, vt cùm multitudo populi ad eum eſſet, Hebræos formidarent Chaldæi, ne turbarent eos, & cùm irruerent in eos occidendi gratia, efficiebat Propheta, vt aqua fluminis diuiſa, locum daret in vlteriorem ripam tranſfugiendi, & qui ex Chaldæis audebant fugientes inſequi, ſubmergerentur. Idem propheta abundè populo piſcium eſcam ſua ſponte per preces ad Deum deſtinatas exhibuit, & cùm multi ex ipſis deficerent, vitam illis à Deo reddi orauit. Cùm populus perderetur, editis ſignis compeſcebat hoſtes, cœlitùs perculſos. Cùm diceret Iſrael, periimus, periit ſpes noſtra, perſuaſit illis etiam portentis oſſiũ mortuorum, quòd adhuc reliqua eſſet ſpes Iſraeli, & in præſentiarum, & in futurum. Iudicabat hic Propheta Iſraelem, & oſtendebat quid cum Hieroſolymis rum in templo ageretur. Rapiebatur è luco ſuprà dicto, veniebatque Hieroſolymam eadem hora, ad redargutionem eorum, qui Deo nõ credebant. Vidit hic propheta, quemadmodum ante eum & Moyſes, typum templi, parietem & quæ circa illũ, & portam, per quam Dominus ingreſſurus eſſet & egreſſurus, & quòd porta illa clauſa eſſet futura, quodque in Dominum ſperaturæ eſſent omnes gentes. Iudicauit in Babylone tribum Dan & Gad. Quoniam impiè egerant aduerſus Dominum, perſequuti eos qui legem obſeruabant. Deditque illis portentum magnum: nam ſerpentes deuorarunt infantes eorum, & quæcunque iumenta habebant, propter impietatem eorum. Prædicauit etiam, quòd propter ipſus populus non reuerteretur ad terram ſuam, ſed in Madiam manſurus eſſet, vſq; ad conſummationem erroris eorum. Et ex his etiam erat, qui prophetam hunc occidit.

Gen. 23. & 25.

E

F

G

DANIEL.

Danielis hebdomades ad cognoſcẽdum Meſſiæ tẽpus.

Et hic Daniel in Babylone prophetauit, dignus & ipſe habitus, qui de Domino Chriſto vaticinaretur. *Scito ergo & intellige*, inquit, *ab exitu ſermonis, quo cœpi reſpondere tibi, & ab eo quod ædificabitur Hieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem hebdomades erũt 7. & hebdomades 62.* & quæ ſequuntur. Itẽ alio loco: *Abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & percuſſit imaginem, & factus eſt lapis ille in montem magnum, impleuitque terram.* Ruſus, *Et ecce in nubibus cœli veniebat filius hominis, & vſque ad antiquum dierum peruenit. Et datus illi honor & potentia.* Et quæ ibi reliqua dicta ſunt.

Erat hic Daniel ex tribu Iuda, ex illis, qui de regia adminiſtratione præcipui & eminentes erant: verùm cùm adhuc paruulus eſſet, in captiuitatem è Iudæa in terrã Chaldæorum adductus eſt, fuit autem in Bethoron ſuperiore, & vir caſtus, ita vt videretur Iudæis ſpado. Plurimum luxit populi gratia, & propter ciuitatem Hieruſalem. Ieiunijs ſe & abſtinentia ab omni delicato cibo imbecillem reddidit, terræ fructibus veſcens. Aſpectu aridus erat, & tenui corpore, gratia verò altiſſimi pinguis & obeſus. Multum hic Propheta orauit pro rege Nabuchodonoſor, obſecrante illum Balthaſaro filio regis, cùm in beſtiam & iumentum mutatus eſſet, ne perderetur. Erat enim anterioribus membris & capite ſimilis boui, pedes cum poſterioribus referebant leonem. Sancto iſti viro de myſterio hæc facta eſt reuelatio, quòd rex iſte propter irrationalem voluptatem & duram ceruicem in iumentum mutandus eſſet, nempe, quod bouis inſtar ſubiugale iumentum futurus eſſet Belial: leo verò propter rapacitatem, tyrannidem & feritatem ingenij. Huiuſmodi mores ſunt potẽtatibus in iuuentute conſtitutis. tandem in feras mutantur, rapientes, occidentes, tyrannidem exercentes, & impiè agentes, & horum mercedem à iuſto iudice recipientes. Cognouit per Deum ſanctꝰ hic vir, quòd inſtar bouis comederet fœnum, quod illi pro humano cibo fuit. Quapropter & Nabuchodonoſor, poſt cibi huius concoctionem, cordis humani ſenſu recepto, fleuit, orauitque Dominum totam noctem & diem,

H

Metamorphoſis regis Nabuchodonoſor.

Miſerabilis ſtatus regis Nabuchodonoſor.

A

diem, quadrageſies illum precatus. Et cùm ad ſe rediſſet, oblitus erat quòd homo factus eſſet. Sublatus erat linguæ vſus ne loqueretur, & cùm intellexiſſet, confeſtim lacrymatus eſt. Oculi illius erant inter plorandum, ſicut caro emortua. Multi enim ciuitatem egreſſi viderant illum. Solus Daniel nolebat eum videre. Nam toto mutationis illius tempore precationi prono inſtabat. Dicebat enim, Homo denuo futurus eſt, tunc illum videbo. Non credebant autem ei. Daniel igitur precando ad altiſſimum effecit, vt ſeptem anni, quos ſeptem tempora vocauerat, mutarentur in ſeptem menſes, & myſterium ſeptem temporũ in illo conſummaretur. Septem namque menſium ſpacio ſibi ipſi reſtitutus, ſex annos qui deſiderabantur & menſes quinque coram Domino proſtratus fuit, impietatem ſuã & omnem iniquitatem confeſſus. Et cum peccatorum ſuorum remiſſionem adeptus eſſet, dedit prophetæ regnũ ſuum, & nec panem nec carnem comedit, nec vinum bibit, Domino confeſſus. Nam hoc illi Daniel præceperat,

B

vt leguminibus & herbis veſcens Dominũ placaret. Quapropter Balthaſarem eum vocauit. Volebat enim eum cohæredem conſtituere filiorum ſuorum. Sed vir ſanctus dicebat: *Propitius ſis mihi, Domine, ne deſeram hæreditatem patrum meorum, & adhæream hæreditati incircumciſorum.* Edidit autẽ & aliis Perſarum regibus multa portenta, quæ ſcripta non ſunt.

Mortuus eſt verò Daniel in terra Chaldæorum, & in ſepolchro regio ſolus cum honore ſepultus. Portentum etiam aſſignauit in montibus ſupra Babylonem iacentib⁹, videlicet quòd venturus eſſet finis Babylonis, quando illi ab Aquilone fumigarentur. Quando verò igne comburerentur, finis è vicino eſſet totius terræ. Si verò in morbo defluerent aquæ, futurum eſſet vt populus reuerteretur in terram ſuam: ſi flueret ſanguis, cædes futura eſſet in omni terra. Obdormiuit itaque in pace vir Dei ſanctus. Hactenus de prophetis, qui libros conſcripſerunt, iam conſequenter & de illis dicendum eſt, quorum nulli libri circumferuntur.

C

ELIAS.

Elias primus oſtẽdit viam in cœlum. Elias mortalis cum immortalibus. 4. Reg. 2.

Hic Elias primus ex hominibus eſt, qui hominibus curſum ad cœlos ſubmonſtrauit, primus ex hominibus, vnam Angelorum & hominum viam oſtendit. Qui terræ fuerat ſortitus domicilium, cœlum quoque ſubito penetrauit, qui mortalis factus erat, cum immortalibus conuerſatur: qui humi iacebat, inſtar ſpiritus, cum Angelis in cœlis agit: qui cum melote, Eliſæo diſcipulo ſuo duplicia chariſmata tradidit, qui cum diu viuat homo, ſenectutis tamen expers eſt: qui contra Antichriſtum dua belli ſeruatur, qui ſeſe illi opponet, & ſeductionem illius ac ſuperbiam redarguet, qui cunctos mortales ex illius ſeductione ad Deum in cõſummatione ſeculi conuertet, qui id à Deo accepit, vt ſecundi & illuſtris Domini aduentus præcurſor futurus ſit, qui cùm mediocritati ſeruierit, cum Angelis conuerſatur. Hic ex Arabia erat Thesbites, de tribu Aaronis, habitans in Galaad. Nam Thesbis domus erat ſacerdotum. Cùm

D

naſciturus eſſet, pater illius Sabacha vidit illum ab Angelis albicantibus ſalutari, & igne tanquam faſcijs inuolui, & flammã ignis veluti cibo ali: & Hieroſolymam profectus, rem iſtam indicauit, dictumq́; illi eſt ex oraculo, ne timeret; fore enim, vt puer naſciturus in luce habitaret, & quæ diceret, firmam ſententiam haberent, iudicaretq́ue Iſraelem in gladio & igni.

ELISÆVS.

Hic erat ex Abelboel, terra Ruben. Et illius gratia factum eſt portentum. Cùm enim natus eſſet in Galgalis, damalis aurea adeo exclamauit acutè, vt Hieroſolymis audita ſit, dixeritq́; Propheta quiſquam: Natus eſt Hieroſolymis propheta, qui ſculptilia & conflatilia illorum deturbabit. Mortuus autem, ſepultus eſt in Samaria.

ZACHARIAS

Hic Zacharias, Faleſer, filius Ioadæ Sacerdotis fuit, Hieroſolymitanus. Occidit eum Ioas rex Iuda prope altare, & ſanguinem illius effudit domos Dauid, ſub Elam. Sacerdotes verò acceptum cum patre ipſius ſepelierunt.

E

Mors Zachariæ.

NATHAN.

Nathan præcepror Dauidis à dæmone impeditus ne illum præmoneret.

Hic erat ex Gabaon, ſub rege Dauide. Ipſe regem hunc docuerat legem Domini. Et vidit, quòd cum Betſabe transgreſſurus eſſet. Cùm autem properaret, vt regem præmoneret, impediuit eum Belial. Nam inter eundum hominis occiſi nudum cadauer iuxta viam collocatum reperit, cuius ibi gratia aliquandiu hæſit. Mortuus hic eſt & ſepultus in terra ſua in Gabaon.

ACHIAS.

Achias, qui & Adonias vocatus. 3. Reg. 17.

Iſte erat ex Silo, vbi olim erat tabernaculum, è ciuitate Eli. Mortuus eſt ac ſepultus prope quercum Silo. Idem etiam Adonias vocatur.

F

IOATH.

Hic erat ex terra Samariæ. Percuſſit eum leo & mortuus eſt, ac ſepultus in Bethel, iuxta pſeudoprophetam, à quo fuerat ſeductus.

AZARIAS.

Hic ex terra Sinatha erat, & auertit ex Iſrael captiuitatem Iudæ. Mortuus eſt, ac ſepultus in agro ſuo. Iephthe verò, & Dauid, & Samuel, quiſq; in ſua ipſius ciuitate mortuus ac ſepultus eſt.

DE XII. APOSTOLIS.

SIMON PETRVS.

G

Petrus Apoſtolorũ Coryphæ⁹ vbi prædicauerit. Genus mortis eius.

PRimus eſt Simon Petrus Apoſtolorum Coryphæus. Hic vt Epiſtolis ſuis innuere videtur, Euangelium Domini Ieſu Chriſti in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, & tandem Romæ prædicauit, vbi & poſtea ſub Nerone rege, capite ad terram verſo (nam ad hunc modum ipſe pati volebat) tertio Calendas Iulij crucifixus, ibique ſepultus eſt.

ANDREAS.

Andreas frater Petri crucifixus eſt Achaiæ poſt multos labores.

Andreas frater Simonis Petri, ſicuti maiores noſtri tradiderunt, Scythis, & Sogdianis & Sacis, & in Sebaſtopoli interiore, vbi Æthiopes agreſtes habitant, Euangelium Domini Ieſu Chriſti prædicauit. Sepultus eſt autem Patris ciuitate Achaiæ, crucifixus ab Ægea rege Edeſſenorum.

IACOBVS ZEBEDÆI.

H

Iacobus Zebedæi filius à quo ſit occiſus.

Iacobus, filius Zebedæi, piſcator, 12. tribubus in diſperſione conſtitutis, Euangelium Domini Ieſu Chriſti prædicauit. Occiſus eſt autem gladio ab Herode Iudæorum tetrarcha, in Iudæa, vbi & ſepultus eſt.

IOANNES.

Ioannis fratris Iacobi ſcripta, prædictiones, vita & ſepultura.

Ioannes frater Iacobi, qui & Euangeliſta Domini factus eſt, quem Dominus dilexit, Euangelium Domini Ieſu Chriſti in Aſia prædicauit. A Traiano verò in inſulã Pathmo propter verbum Domini exilio damnatus eſt: vbi etiam ſanctum Euangelium ſuum conſcripſit, quod poſtea Epheſi per Gaium hoſpitem ſuum ac diaconũ edidit, cuius & Paulus Apoſtolus Romanis ſcribens teſtimonium dedit dicens, *Salutat vos Gaius hoſpes meus & totius Eccleſia.* Poſt mortem verò Traiani reuerſus eſt ex inſula Pathmo, manſitq́ue Epheſi, ac vixit annos 120. Quibus finitis ſeipſum ibi viuus adhuc, volente Domino ſepeliuit. Sunt tamen qui dicunt, eum non ſub Traiano in inſulam Pathmon relegatum eſſe, ſed ſub Domitiano Veſpaſiani filio.

A

PHILIPPVS.

Philippus à ciuitate Bethſaida, in Phrygia quidem Euangelium Domini prædicauit, Hierapoli verò cum filiabus ſuis honorificè ſepultus eſt.

†

† Imperitè Philippum Apoſtolum cum Philippo Diacono, cuius ſeptem fuerunt filiæ, confundit, cùm longè diuerſos fuiſſe manifeſtè ex antiquis ſcriptoribus liqueat. Vide tom. 1. annal. Eccleſ. anno Domini 58. cap. 124.

BARTHOLOMÆVS.

Bartholomæus Euangelium Matthæi Indis prædicauit.

Bartholomæus Indis, quos Felices nominant, Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti prædicauit, & Matthæi Euangelium illis tradidit. Obdormiuit autem & ſepultus eſt in Albania, magnæ Armeniæ ciuitate.

THOMAS.

B

Thomas, multis in prædicando inſumptis vigiliis obiuit.

Thomas, quemadmodum traditio habet, Parthis, Medis ac Perſis Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti prædicauit. Prædicauit etiam Germanis, Hircanis, Bactris & Dacis. Obdormiuit autem Calamine ciuitate Indiæ, Calamo, quem lanceam vocant, occiſus, vbi & honorificè ſepultus eſt.

MATTHÆVS.

Quo idiomate Matthæus ſcripſit Euangelium, & cui tradiderit.

Matthæus Euangeliſta Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti Hebraica dialecto conſcripſit, ac Iacobo, fratri Domini ſecundum carnem, Hieroſolymorum Epiſcopo, tradidit. Obiit autem Hierapoli Parthiæ, vbi & cum honore ſepultus eſt.

SIMON ZELOTES.

Pro Chriſti nomine crucifixus eſt Simon.

C

Simon Zelotes peragrata Mauritania & Aphrorum regione Chriſtum prædicauit. Tandem in Britannia crucifixus, occiſus ac ſepultus eſt.

Iſtud de Britannia produnt quoque Nicephorus & Græci in Menologio, ſed carere maiorum authoritate certum eſt, & Rom. breuiarium in Perſide occubuiſſe Simonem indicat. Vide notas ad Roman. Martyrologium 28. Oct. & tom. 1. annal. Eccleſiaſtic. anno Chriſti 44. cap. 38.

IVDAS IACOBI.

Iudas Iacobi, qui & Thaddæus, item Lebbæus, Edeſſenis & vniuerſæ Meſopotamiæ Euangelium Domini prædicauit. Sub Augaro verò Edeſſenorum rege in Beryto occiſus, & cum honore ſepultus eſt.

SIMON IVDAS.

Imperitè commiſcet Simeonem Epiſcopum Ieroſolymitanum cum Simone Apoſtolo, & cum Iacobo Alphei, cùm tres diuerſiſſimi fuerint. Conſule notas ad Rom. Martyrologium 1. Maij, 18. Febr. & tom. 2. anno 109. cap. 1. & ſeqq.

D

Quo tempore, quoue loco occiſus eſt Iudas.

Simon, Iudas cognominatus, qui & poſt Iacobum Hieroſolymorum Epiſcop. factus eſt (arbitror eum eſſe Iacobum Alphæi) ſub Traiano rege cruci alligatus, occiſus eſt in Oſtrocina ciuitate Ægypti Cæſareæ, cùm annos vixiſſet 102.

MATTHIAS.

Matthias ad Apoſtolatum vocatus, prædicauit Euangelium Anthropophagis.

Matthias cùm eſſet vnus ex ſeptuaginta diſcipulis, poſtea vndecim Apoſtolis, duodecimus, loco Iudæ proditoris annumeratus eſt. Hic in interiore Æthiopia, vbi Hyſſus maris portus, & Phaſis fluuius eſt, hominibus barbaris & carniuoris prædicauit Euangelium. Mortuus eſt autem in Sebaſtopoli, ibique prope Solis templum ſepultus.

PAVLVS.

Pauli vocatio, ſcripta, labores, & mors.

Paulus poſt aſſumptionem Domini noſtri Ieſu Chriſti ab ipſo vocatus, & Apoſtolorum catalogo accerſitus, à Hieruſalem Euangelij prædicationem exorſus ad Illyricum vſque ad Italiam & Hiſpanias prædicando progreſſus eſt. Huius Epiſtolæ omni ſapientia refertæ circumferuntur. Sub Nerone verò martyrium Romæ tertio Calendas Iulij, capite plexus, tulit, ibiq́; quemadmodum & Petrus Apoſtolorum primus, ſepultus eſt.

E

MARCVS EVANGELISTA.

Marcus poſt longam prædicationem varias que ærumnas comburitur.

Marcus Euangeliſta, & primus Alexandriæ Epiſcopus, Alexandriæ, & cunctæ finitimæ regioni Euangelium Domini ab Ægypto Pentapolim vſque prædicauit. Sub Traiani verò regno in Alexandria, rudenti colliorum cincta, à loco qui Bucolus dicitur, vſque ad eum qui † Angelorum dicitur, tractus, ibiq́; igni ab inſanis ſimulachrorum cultoribus menſe Aprili combuſtus, & in Bucolo ſepultus eſt.

† Nunciorum.

LVCAS.

Cuius authoritate ſcripſerit Lucas Euangelium, itemque Acta Apoſtolorum, deinde vbi mortuus.

F

Lucas Euangeliſta Antiochenus natiuitate, arte verò medicus, Euangelium commiſſione Petri Apoſtoli, Acta verò Apoſtolorum committente Paulo conſcripſit. Peregrinationis enim comes fuit Apoſtolis, maximè Paulo. Huius & Paulus mentionem fecit alicubi ſcribens: Salutat vos Lucas medicus dilectus in Domino. Epheſi verò mortuus ac ſepultus eſt, ac tandem vnà cum Andrea & Timotheo Apoſtolis temporibus Conſtantij regis, filij Conſtantini Magni Conſtantinopolim translatus.

DE LXXII. DISCIPVLIS.

Cautè legendus hic Dorothei libellus de 72. Chriſti diſcipulis, nam complura continet à veritate hiſtoriæ aliena, & author quoscunque nominatos in Epiſtolis Pauli, eos in numerum 72. diſcipulorum abſq; alio maiori delectu inſerit. Et quid magis ridiculum, quàm quia Paulus Philip. 4. ait: Salutant vos omnes ſancti, maximè autem qui de domo Cæſaris ſunt, *Cæſarem inter Chriſti 72. diſcipulos cooptare, & Dyrrachij eum epiſcopum facere, cum conſenſu omnium Paulus ſalutari iubeat Chriſtianos, qui in domo Neronis Imperatoris erant? Omitto notare alia. Vide tom. 1. annal. Eccleſ. anno Chriſti 33. cap. 40. & Poſſeuini ſacrum Apparatum.*

G

IACOBVS FRATER DOMINI.

Iacobus frater Domini lapidibus obruitur.

IAcobus frater Domini ſecundum carnem, qui & Iuſtus vocatur, & primus Hieroſolymorum Epiſcopus conſtitutus eſt, lapidibus ibi à Iudæis adobrutus occubuit, atque in templo prope altare ſepultus eſt.

TIMOTHEVS.

Timotheus Pauli diſcipulus multis in locis prædicat.

Timotheus Epheſiorum Epiſcopus à Paulo conſtitutus, Euangelium Domini Ieſu Chriſti Epheſi exorſus, Illyricum vſq;, & in vniuerſa Hellade prædicauit, vbi & mortuus & honorificè ſepultus eſt.

TITVS.

H

Titus apud Cretenſes moritur.

Titus Cretenſium Epiſcopus, ipſe Cretæ & circumiacentibus inſulis Euangelium Chriſti prædicauit, atque ibi mortuus & cum gloria ſepultus eſt.

BARNABAS.

Barnabas cum Paulo prædicat Euangelium.

Barnabas, cum Paulo verbi miniſter conſtitutus, primus Romæ Chriſtum prædicauit, & poſtea Mediolanenſium Epiſcopus factus eſt.

ANANIAS.

Ananias, qui beatum Paulum baptizauit, Damaſcenorum Epiſcopus fuit.

STEPHANVS.

Stephanus primus martyr, vnus ex ſeptem Diaconis, Hieroſolymis à Iudæis lapidatus, ſicut Lucas in Actis Apoſtolorum teſtatur, mortuus eſt.

PHILIPPVS.

Philippus, qui & ipſe vnus ex ſeptem Diaconis fuit, Simonem Magum, & Eunuchum baptizauit, & in Tralelli ciuitate Aſiæ Epiſcopus factus eſt. *Act. 8.*

PROCHORVS.

Prochorus, vnus ex ſeptem, Nicomediæ ciuitate Bithyniæ Epiſcopus fuit.

NICA-

A

NICANOR.

Nicanor, & ipſe vnus ex ſeptem, eodem die cum ſyndiacono ſuo ac protomartyre Stephano, & 2000. alijs in Chriſtum ſperantibus, mortuus eſt.

SIMON.

Simon, ex ſeptem diaconis & ipſe vnus, Boſtri Arabum Epiſcopus factus, à georibus combuſtus eſt.

NICOLAVS.

Nicolaus, vnus ex ſeptem fuit. Hic cùm eſſet Sapriæ Epiſcopus factus, in alienam doctrinam lapſus, vnà cum Simone à fide defecit.

PARMENAS.

Parmenas ex ſeptem diaconis vnus fuit. Hic in ipſo Apoſtolorum conſpectu diaconi officio fungens, mortuus eſt.

CLEOPHAS.

Cleophas, qui & Simon, conſobrinus Domini fuit. Hic cùm vnà cum Luca proficiſceretur, Dominum poſt reſur-
B *Luc. 24.* rectionem ex mortuis vidit, cumq; illo locutus eſt, quemadmodum in Euangelio ſcribitur. Tandem alter Hieroſolymorum Epiſcopus factus eſt.

SILAS.

Silas verbi cum Paulo miniſter, Corinthiorum conſtitutus eſt Epiſcopus.

SYLVANVS.

2. Tim. 4. Syluanus, qui & ipſe cum Paulo verbo ſeruiuit, Theſſalonicenſium factus eſt Epiſcopus.

CRESCENS.

Creſcens, cuius Apoſtolus Paulus in poſteriore ad Timotheum meminit, Chalcedone, quæ in Gallus eſt, factus Epiſcopus, Euangelium Chriſti prædicauit, & ſub Traiano rege martyrium ibidem ſubijt, ac ſepultus eſt.

EPÆNETVS.

C *Rom. 16.* Epænetus, cuius Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos mentionem facit, Epiſcopus Carthaginenſis factus eſt.

ANDRONICVS.

Andronicus, cuius etiam Apoſtolus in ea, quæ ad Romanos eſt, recordatur, Pannoniæ factus eſt Epiſcopus.

AMPLIAS.

Amplias, de quo meminit etiam Apoſtolus ad Romanos, Epiſcopus Odiſſæ ciuitatis factus eſt.

VRBANVS.

Vrbanus, cuius recordatur Apoſtolus ad Romanos,
Rom. 16. Macedoniæ factus eſt Epiſcopus.

STACHYS.

Ibidem. Stachys, qui & ipſe ab Apoſtolo ad Rom. commemoratur, primus Byzantij Epiſcopus ab Andrea Apoſtulo Argyropoli Thraciæ conſtitutus eſt.

APPELLES.

Appelles, cuius etiam mentionem Apoſtolus ad Rom.
D *Rom. 16.* facit, Epiſcopus Smyrnæ ante ſanctum Polycarpum factus eſt.

ARISTOBVLVS.

Ariſtobulus & ipſe ab Apoſtolo ad Rom. commemoratus, Epiſcopus Britanniæ factus eſt.

NARCISSVS.

Ibidem. Narciſſus, quem etiam ad Romanos commemorat Apoſtolus, Epiſcopus Patrarum conſtitutus eſt.

HERODION.

Herodion, cuius Apoſtolus eadem Epiſtola meminit, & ipſe Patrarum Epiſcopus factus eſt.

RVFVS.

Ibidem. Rufus, quem & ipſum Apoſtolus cum alijs eadem Epiſtola recenſet, Thebarum Epiſcopus factus eſt.

ASYNCRITVS.

Aſyncritus, & ipſe ab Apoſtolo ad Roman. recenſitus, Hircaniæ factus eſt Epiſcopus.

PHLEGON.

Ibidem. Phlegon, cuius etiam eadem Epiſtola meminit Apoſtolus, Epiſcopus Marathunenſis conſtitutus eſt.

E

HERMES.

Hermes, quem idem Apoſtolus ad Rom. commemorat, Dalmatiæ epiſcopatum ſortitus eſt.

HERMAS.

Hermas, eadem ab Apoſtolo recenſitus epiſtola, Philippis ciuitate factus eſt epiſcopus.

PATROBAS.

Cuius etiam meminit Apoſtolus, epiſcopus Neapolis conſtitutus eſt. *Ibidem.*

AGABVS.

Agabus, cuius in actis Apoſtolorum fit mentio, prophetico chariſmate præditus fuit. *Act. 21.*

LINVS.

Et huius meminit Apoſtolus. Primus poſt Petrum Coryphæum Apoſtolorum, Romæ fuit epiſcopus.

GAIVS.

Meminit etiam huius Apoſtolus. Epheſiorum epiſcopus poſt Timotheum factus eſt *Rom. 16.* F

PHILOLOGVS.

Recordatur & huius Apoſtolus. Epiſcopus Sinupæ ab Andrea conſtitutus eſt.

OLYMPAS.

Mentionem etiam iſtius alicubi facit Apoſtulus, Romæ cum Petro Apoſtolorum Coryphæo martyrium capite truncatus ſubijt.

RHODION.

Et hic à Paulo commemoratus, Romæ cum Petro & Olympa, capite & ipſe truncatus, mortuus eſt.

IASON.

Huius quoque meminit Paulus, Tharſi factus eſt epiſcopus. *Rom. 16.*

SOSIPATER.

Meminit & huius Apoſtolus, Iconij factus eſt epiſcopus.

LVCIVS.

Iſte, cuius etiam recordatus Paulus, Laodiceæ Syriæ epiſcopus conſtitutus eſt. G

TERTIVS.

Hic, qui & epiſtolam Pauli ad Rom. ſcripſit, alter factus eſt epiſcopus Iconii.

ERASTVS.

Mentionem etiam iſtius in ea, quæ ad Rom. eſt, Paulus facit. Hieroſolymitanæ Eccleſiæ œconomus fuit. Poſtea Paneadis epiſcopatum ſortitus eſt. *Ibidem.*

PHIGELLVS.

Meminit & huius Paulus, ſed tanquam qui alienam doctrinam amplexus, & Simonem ſequutus ſit. Epiſcopus Epheſiorum fuit.

HERMOGENES.

Et de iſto mentionem facit Paulus, ſcribens, quòd alienum dogma inuexerit. Megarenſium factus eſt epiſcopus. *Ibidem.*

DEMAS.

De iſto quoque ſimiliter Paulus ſcribit, quòd defecerit. Nam de his tribus in poſteriore ad Timotheum ſignificat, quòd Phigellus & Hermogenes alieno inducto dogmate, doctrinæ ſuæ reſtiterint: Demas verò præſens hoc ſeculũ amore complexus, ſermonem euangelicum reliquerit. Is & poſtea ſimulachrorum ſacerdos Theſſalonicæ factus eſt. De his & Ioannes Apoſtolus ſcripſit: Exierunt, inquit, ex nobis, ſed non erant ex nobis. H

QVARTVS.

Recordatur & huius Paulus in ea, quæ ad Rom. Beryti factus eſt epiſcopus.

APOLLOS.

Huius recordatur Paulus in priore ad Corinth. Cæſareæ factus eſt epiſcopus.

CEPHAS.

Hunc Apoſtolus Paulus Antiochiæ redarguit, eiuſdem cognominis cum Petro, epiſcopus Coniæ factus eſt.

SOSTHENES.

Meminit & huius Paulus. Colophoniadis epiſcopus factus eſt.

EPAPHRODITVS.

De hoc quoq; meminit Paulus, Adrianæ epiſcopus fuit.

A

CÆSAR.

Et huius recordatur Paulus, Dyrrachij fuit Epiſcopus.

MARCVS.

Hic conſobrinus Barnabæ fuit, cuius etiam Paulus mentionem facit. Epiſcopus Apolloniadis fuit.

IOSEPH.

Act. 1. & 4. Ioſeph, qui & Iuſtus dicitur, & Barſabas, cuius Lucas in Actis Apoſtolorum meminit, quòd in ſorte cum Matthia coniunctus fuerit, Eleutheropolis epiſcopus factus eſt.

ARTEMAS.

Recordatur huius quoque Paulus. Lyſtris epiſcopus fuit.

CLEMENS.

Philip. 4. Meminit huius Paulus dicens: cum Clemente ac reliquis cooperariis meis. Primus ex gentibus & Græcis in Chriſtum credidit. Sardicæ, quæ nunc eſt Triaditza, factus eſt epiſcopus.

ONESEPHORVS.

B

Et de iſto mentionem facit Paulus. Epiſcopus Coroniæ factus eſt.

TYCHICVS.

Meminit & huius Paulus. Primus Epiſcopus Chalcedone fuit, quæ in Bithynia eſt.

CARPVS.

Et huius recordatur Paulus. Berhœæ, quæ in Thracia eſt, epiſcopus fuit.

EVODVS.

Meminit etiam huius Paulus. Primus poſt Petrum Apoſtolorum Coryphæum, Antiochiæ epiſcopus fuit.

PHILEMON.

Ad hunc Paulus peculiarem epiſtolam ſcripſit. Gazæ factus eſt epiſcopus.

ZENAS.

Zenas legis-peritus, qui & ipſe à Paulo commemoratur, Dioſpoli factus eſt epiſcopus.

AQVILA.

C

Rom. 16. 1. Cor 16. 2. Tim. 4. Huius quoque meminit Paulus. Heracliæ fuit epiſcopus.

PRISCAS.

Recordatur etiam huius Paulus. Colophonæ epiſcopus fuit.

IVNIAS.

Etiam huius mentionem facit Paulus, Apamiæ Syriæ factus eſt epiſcopus.

MARCVS.

Marcus, qui & Ioannes vocatus eſt, cuius Lucas in Actis Apoſtolorum recordatur, Bybli fuit epiſcopus.

ARISTARCHON.

Etiam iſtius meminit Paulus.

PVDAS.

Et huius recordatur Paulus.

TROPHIMVS.

2. Tim. 4. Mentionem Paulus & iſtius facit. Hi tres in quibusuis perſecutionibus afflictionum Pauli conſortes fuerunt. Poſtremò per martyrium vnà cum ipſo ſub Nerone capitibus truncatis occubuerunt.

D

Act. 8. Iſtis Marcus & Lucas Euangeliſta connumerantur, & ipſi ad catalogum ſeptuaginta diſcipulorum pertinentes. Sed & Eunuchus Candaces Reginæ Æthiopum in Arabia Felici, & inſula Taprobana, totque vniuerſa Erythra, Euangelium Domini Ieſu Chriſti prædicauit, fertur etiam martyrium glorioſè tuliſſe, ibique ſepultum eſſe. Et cœmeterium ipſius munimentum inſuperabile eſt fidelibus, barbaros ſceleſtos fugans, morbos pellens, & ſanationes operans vſque in hodiernum diem.

E

ARNOBII DISPVTATIONVM LIBRI VII. EX EMENDATIONE & recognitione Theodori Canteri Vltraiectini.

Veterum Auctorum de Arnobio teſtimonia.

Ex Hieronymo in Catalogo virorum Eccleſiaſticorum.

Arnobius ſub Diocletiano principe, Siccæ apud Africam floretiſſimè Rhetoricam docuit, ſcripſitq; aduerſum gentes, quæ vulgò extant volumina.

F

Ex eodem de Firmian. Lactant.

Firmianus, qui & Lactantius, Arnobij diſcipulus.

Ex eodem in epiſt. ad Magnum Oratorem Rom.

Quid Tertulliano eruditius, quid acutius? Apologeticus eius & contra gentes libri cunctam continent ſæculi diſciplinam. Minutius Felix cauſidicus Romani fori, in libro, cui titulus Octauius eſt, & in altero contra mathematicos, ſi tamen inſcriptio non mentitur auctorem, quid gentilium ſcripturarum dimiſit intactum? Septem libros aduerſus gentes Arnobius edidit, totidemq; diſcipulus eius Lactantius, qui de Ira quoque & opificio Dei duo volumina condidit. quos ſi legere volueris, dialogorum Ciceronis in eis ἐπιτομὴν reperies.

Ex eod. in epiſt. ad Paulinum, de inſtitutione Monachi.

G

Lactantius, quaſi quidam fluuius eloquentiæ Tullianæ, vtinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quàm facilè aliena deſtruxit. Arnobius inæqualis & nimius eſt, & abſq; operis ſui partitione confuſus.

Ex eodem in epiſt. ad Tranquillinum.

Ego Origenem propter eruditionem ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Eccleſiaſticos ſcriptores Græcos pariter & Latinos, vt bona eorum eligamus, vitemusque contraria, iuxta Apoſtolum dicentem: Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.

Ex Appendice Chronicorum Euſebii Pamphili.

Arnobius in Africa rhetor clarus habetur, qui quum in ciuitate Sicca ad declamandum iuuenes erudiret, & adhuc Ethnicus ad credulitatem ſomniis compelleretur, neque ab Epiſcopis impetraret fidem, quam ſemper impugnauerat, elucubrauit aduerſus priſtinam religionem luculentiſſimos libros: & tandem velut quibuſdam obſidibus impetrauit.

H

Ex Ioanne Trittenhem Abbate de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Arnobius presbyter, philoſophus & rhetor inſignis, quum adhuc gentilis Rhetoricam doceret, diuina miſeratione vocatus, Chriſtianū ſe cœpit profiteri: cumque ad Epiſcopos accedens ſe baptizari expeteret, non credebant, veriti ne vir ſæcularis tumens eloquentia, ſacramentis fidei conaretur illudere, & omnino ſententiam differebant. Arnobius verò cernens ſibi fidem minimè adhiberi, in argumentum ſinceritatis ſuæ ſcripſit & obtulit inſigne volumen:

Aduerſum gentes Lib. VIII.

In Pſalterium quoque Lib. I.

De Rhetorica inſtitutione Lib. I.

Alia quoque multa edidit, quæ ad notitiam noſtram non venerunt.

Docuit in Africa Rhetoricam ſub Diocletiano principe, habuitque multos egregios & nobiles diſcipulos, qui viri doctiſſimi euaſerunt. Claruit ergo circa annum Domini noſtri Ieſu Chriſti CCC

A

EX BELLARMINO, DE SCRIPTOribus Eccleſiaſticis.

ARnobius ſub Imp. Diocletiano floruit, teſte S. Hieronymo de Script. Eccleſ. at vt probaret, ſe vere factum eſſe ex pagano Chriſtianum, ſcripſit libros ſeptem contra gentes: *nam octauum, qui illi operi adiunctus eſt, non eſt liber octauus Arnobij, ſed Octauius Felicis Minutij, de quo ſupra dictum eſt. Feruntur etiam ſub nomine Arnobij Commentaria breuia in Pſalmos. Sed ea non videntur eſſe huius Arnobij, ſed alterius recentioris: nam in explicatione Pſalm. 108. refellit hic auctor hereſim prædeſtinatorum, quæ tempore S. Auguſtini, vel poſtea exorta eſt: & in explicatione Pſal. 109. nominatim refellit Photinum hereſis Ebionitarum inſtauratorem. At Photinus tempore Valentiniani Imperatoris vixit, teſte ſancto Hieronymo de* B *Script. Eccleſ. quo tempore Arnobius ſuperſtes eſſe non poterat. Fuit enim Arnobius præceptor Lactantij, Lactantius autem in extrema ſenectute vocatus eſt à Conſtātino Magno, vt Criſpum filium erudiret, teſte S. Hieronymo de Script. Eccleſ. in Lactantio. Quamuis autem Commentaria in Pſalmos, non ſint illius Arnobij, qui circa initia Principatus Diocletiani florebat: ſunt tamen auctoris alicuius veteris, qui etiam Arnobius dicebatur, vt conſtat ex Commentarijs Bedæ in Pſalmos, in quibus explicatio Arnobij non ſemel adducitur. Feruntur etiam annotatiunculæ in varios locos Euangelij, ſed parui momenti, neque certum eſt, an ſint Arnobij.*

ARNOBII DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES LIBRI SEPTEM.

LIBER PRIMVS.

C QVoniam comperi nonnullos, qui ſe plurimum ſapere ſuis perſuaſionibus credunt, inſanire, bacchari, & velut quiddam promptum ex oraculo dicere: poſtquam eſſe in mundo Chriſtiana gens cœpit, terrarum orbem perijſſe, multiformib. malis affectum eſſe genus humanum: ipſos etiam Cœlites derelictis curis ſolennibus, quibus quondam ſolebant inuiſere res noſtras, terrarum ab regionibus exterminatos: ſtatui pro captu, ac mediocritate ſermonis contraire inuidiæ, & calumnioſas diſſoluere criminationes, ne, aut illi ſibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere, aut, ſi nos talibus continuerimus à litibus, obtinuiſſe ſe cauſam putent, victam ſui vitio, non aſſertorum ſilentio deſtitutam. Neque enim negauerim validiſſimam eſſe accuſationem iſtam, hoſtilibuſq; condignos odijs nos eſſe, ſi apud nos eſſe conſtiterit cauſas, per quas ſuis mundus aberrauit ab legibus. Exterminandi ſumus, ſi per nos examina tanta mœrorum mortalium importata ſunt ſeculis. Inſpiciamus igitur opinionis iſtius mentem, & hoc quod dicitur, quale ſit: ſummotiſq; omnibus contentionum ſtu- D dijs, quibus obſcurari & contegi contemplatio rerum ſolet, an ſit iſtud quod dicitur verum, momentorum parium examinatione pendamus. Efficietur enim profecto rationum conſequentium copulatu, vt non impij nos magis, ſed illi ipſi reperiantur criminis iſtius rei, qui ſe numinum profitentur eſſe cultores, atque inueteratis religionibus deditos. Ac primum ab his illud familiari & placida oratione perquirimus: poſtquam eſſe nomē in terris Chriſtianæ Religionis occœpit, quidnam inuſitatum, quid incognitum, quid contra leges principaliter inſtitutas, aut ſenſit aut paſſa eſt rerum ipſa, quæ dicitur appellaturque natura? Nunquid in contrarias qualitates prima illa elementa mutata ſunt, ex quibus res omnes conſenſum eſt eſſe concretas? Nunquid machinæ huius, & molis, qua vniuerſi regimur, & continemur incluſi, parte eſt in aliqua relaxata, aut diſſoluta conſtructio? Nunquid vertigo hæc mundi, primigenij motus moderamen excedens, aut tardius repere, aut præcipiti cœpit volubilitate raptari? E Nunquid ab occiduis partibus attollere ſe aſtra, atque in ortus fieri ſignorum cœpta eſt inclinatio? Nunquid ipſe ſyderum Sol princeps, cuius omnia luce veſtiuntur atque animantur, calore exarſit, intepuit, atque in contrarios habitus moderaminis ſoliti temperamenta corrupit? Nunquid Luna deſiuit redintegrare ſeipſam, atque in veteres formas nouellarum ſemper reſtitutione traducere? Nunquid frigora, nunquid calores, nunquid tepores medij inæqualium temporum confuſionibus occiderunt? Nunquid longos habere dies bruma, & reuocare tardiſſimas luces nox cœpit æſtatis? Nunquid ſuas animas expirauerunt venti? emortuiſq; flaminibus neque cœlum coarctatur in nubila, nec madidata imbribus arua ſuccreſcunt? Commendata ſemina tellus recuſat accipere? aut frondeſcere arbores nolunt? ſapor frugibus, eſculentis, cauſtis liquoribus mutatus eſt? olearum ex bacculis cruor teter exprimi- F tur? nec lumini ſubminiſtratur extincto? Animalia terris ſueta, atque in aquis degentia non eſuriunt, nec concipiunt? fœtus non in vteris ſumptos ſuis moribus, & ſua lege cuſtodiunt? Ipſi homines denique quos per inhabitabiles oras terræ ſparſit prima incipienti q; natiuitas, nō matrimonia copulant nuptiarum ſolennibus iuſtis? non dulciſſimas procreant liberorum ſtirpes? non negocia publica, non priuata, & familiares res agunt? non (vt cuique libitum eſt) per diuerſas artium, diſciplinarū q; rationes ingenia dirigunt, & ſtudioſe referunt natiuitatis vſuras? Non regnant? non imperant quibus ſors rerum attributa eſt? Talibus non auctiores quotidie dignitatibus, & poteſtatibus fiunt? iudiciorum diſceptationibus præſunt? leges interpretantur, & iura? Nunne omnia cætera, quibus vita ſuccingitur & continetur humana, ſuis omnes in gentibus patriorum celebrant inſtitutionibus morum? Cum igitur hæc ita ſint, neque vlla irrepſerit nouitas, quæ tenorem perpetuum rerum diſlocata continuatione diduxerit; quid eſt iſtud, quod dicitur inuectam eſſe labem terris, poſtquam religio Chriſtiana intulit ſe mundo, & veritatis abſconditæ ſacramenta patefecit? Sed peſtilentias, in- G quiunt, & ſiccitates, bella, frugum inopiam, locuſtas, mures, & grandines, reſq; alias noxias, quibus negocia incurſantur humana, dij nobis important iniurijs veſtris atque offenſionibus exaſperati. Si in rebus perſpicuis, & nullam deſiderantibus defenſionem, non ſtoliditatis eſſet diutius immorari, oſtenderem profecto replicatis priorib. ſeculis, mala iſta quæ dicitis, nō eſſe incognita, non repentina: nec poſtquā gens noſtra felicitate donari huius vocaminis meruit, irrupiſſe has labes, & infeſtari cœpiſſe diſcriminum varietate mortalia. Si enim nos ſumus in cauſa, & in noſtri criminis meritum excogitatæ ſunt hæ peſtes, vnde nouit antiquitas miſeriarum hæc nomina? vnde bellis ſignificatum dedit? peſtilentiam, grandines, qua potuit notione ſignare? aut inter ſuas voces, quibus oratio explicabatur, aſſumere? Nam ſi nouella ſunt hæc mala, & ab recentibus ducunt offenſionibus cauſas, qui potuit fieri, vt eis rebus formaret verba, quas nec ipſa ſciebat expertam ſe eſſe, neque vllis compeſſet maiorum in temporib. factitatas? Penuria, inquit, frugum, & anguſtiæ frumentariæ arctius nos habent. Antiqua enim & vetuſtiſſima ſæcula neceſſi- H tatis iſtius aliquando fuerunt experti? nonne ipſa nomina, quibus cenſentur hæc mala, teſtificantur, & clamant nullum ab his vnquā immunem abiſſe mortalium? Quod ſi ad credendum difficilis res eſſet, teſtimonijs agere poſſemus authorum, quantæ, quoties, & quæ gentes fame ſenſerint horridam, & aggerata interierint vaſtitate. Caſus frequentiſſimi grandinis accidunt, atque adieiunt cuncta. In literis enim priſcis comprehenſum & compoſitum non videmus, etiam imbres ſaxeos totas ſæpe comminuiſſe regiones? Difficiles pluuiæ ſata faciunt emori, & ſterilitatem inducunt terris. Immunis enim antiquitas malis ab his fuit? cum etiam flumina cognouerimus ingentia limis inhorruiſſe ſiccatis. Peſtilentię contagia vrunt genus humanum. Annalium ſcripta percurrite linguarum diuerſitatibus ſcripta, vniuerſas diſcetis gentes ſæpenumero deſolatas, & viduatas ſuis eſſe cultoribus. A locuſtis, à muribus,

A genus omne occiditur, atque arroditur frugum. Hiſtorias ite per exteras, & ab iſtis peſtibus inſtruemini quoties prior ætas affecta ſit, & paupertatis ad miſerias venerit. Terrarum validiſſimis motibus tremefactæ nutant vſque ad periculum ciuitates. Quid hiatibus maximis interceptas vrbes, cum gentibus ſuperiora tempora non viderunt? an ab huiuſmodi caſibus fortunas habuere ſecuras? Quando eſt humanum genus aquarum diluuijs interemptum? non ante nos? Quando mundus incenſus in fauillas & cineres diſſolutus eſt? non ante nos? Quando vrbes ampliſſimæ marinis coopertæ ſunt fluctibus? non ante nos? Quando cum feris bella, & prælia cum leonibus geſta ſunt? non ante nos? Quando pernicies populis venenatis ab anguibus data eſt? non ante nos? Nam quod nobis obiectare conſueſtis bellorum frequentium cauſas, vaſtationes vrbium, Germanorum & Scythicas irruptiones, cum pace hoc veſtra & cum bona venia dixerim: quale ſit iſtud quod dicitur, calumniarum libidine non videtis. Vt ante millia an- B norum decē, ab inſula quæ perhibetur Atlantica Neptuni (ſicut Plato demonſtrat) magna erumperet vis hominum, vt innumeras funditus deleret atq; extingueret nationes, nos fuimus cauſa? vt inter Aſſyrios & Bactrianos Nino quondam Zoroaſtreq; ductoribus non tantum ferro dimicaretur & viribus, verum etiam Magicis & Chaldæorū ex reconditis diſciplinis, inuidia noſtra hæc fuit? vt Helena Dijs ducibus atque impulſoribus rapta, & ſuis eſſet dirum & venturis temporibus fatum, religionis noſtræ attributum eſt crimini? vt ille immanis Xerxes mare terris immitteret, & greſſibus maria tranſiret, noſtri nominis effectum eſt iniuria? vt ex Macedoniæ finibus vnus exortus adoleſcens Orientis regna & populos captiuitate & ſeruitio ſubiugaret, nos fecimus, atque excitauimus cauſas? vt modo Romani, velut aliquod flumen torrens, cunctas ſubmergerent atque obruerent nationes, nos videlic. numina præcipitauimus in furorem? Quod ſi hominum nullus eſt, qui, quæ dudum geſta ſunt, noſtris audeat temporibus imputare, quemadmodum poſſumus miſeriarum eſſe præſentium cauſæ, cum noui fiat nihil, ſed ſunt omnia vetera, & nullis in antiquitatibus inaudita? Quanquā iſta C quæ dicitis bella Religionis noſtræ ob inuidiam commoueri, non ſit difficile comprobare poſt auditum Chriſtum in mundo non tantum non aucta, verum etiam maiore de parte furiarum compreſſionibus imminuta. Nam cum hominum vis tanta magiſterijs eius acceperimus ac legibus, malum malo rependi non oportere, iniuriam perpeti quā irrogare eſſe præſtantius: ſuum potius fundere, quam alieno polluere manus & conſcientiam cruore: habet à Chriſto beneficium iamdudum orbis ingratus: per quem feritatis mollita eſt rabies, atque hoſtiles manus cohibere à ſanguine cognati animantis occœpit. Quod ſi omnes omnino, qui homines eſſe non ſpecie corporum, ſed rationis intelligunt poteſtate, ſalutaribus eius pacificiſq; decretis aurem vellent commodare pauliſper, & non faſtu & ſupercilio tumidi, ſuis potius ſenſibus, quam illius commonitionibus crederent: vniuerſus iamdudum orbis mitiora in opera cōuerſis vſibus ferri, tranquillitate in molliſſima degeret, & in concordiam ſalutarem incorruptis fœderiſ ſanctionibus conueniret. Sed ſi per vos, inquiunt, nihil rebus incommodatur humanis, vnde ſunt hæc mala, quibus vrgetur & premitur iamdudum miſerāda mortalitas? Sen- D tentiam me poſcis huic neceſſariam nihil cauſæ. Neque enim præſens atq; in manibus poſita diſceptatio in id ſumpta eſt à me, vt oſtenderem, vel probarem quibus vnaquæque res cauſis & rationib. fieret: ſed vt maledicta criminis tanti procul eſſe ab nobis oſtenderem. Quod ſi præſto, ſi facto & argumentis inſignibus rei veritas explicatur, vnde ſint hæc mala, vel ex quib. profluant fontibus principijſq; non curo. Ac ne tamen omnino quid de rebus huiuſmodi ſentiam, nihil videar interrogatus exprimere, poſſum dicere: Quid enim ſi prima materies, quæ in rerum quatuor elementa digeſta eſt, miſeriarum omnium cauſas ſuis continet rotationib. inuolutas? Quid ſi ſyderū motus certis ſignis, partibus, temporibus, lineis pariunt hæc mala, & ſubiectis afferunt variorū diſcriminū neceſſitates? Quid ſi ſtatis temporibus rerum viciſſitudines fiunt, atque vt in ma- E ritimis æſtibus, modo ſecundæ res effluunt, modo rurſus refluunt, malis reciprocantibus proſpera? Quid ſi materiæ fæx iſta, quā ſub noſtris calcamus ingreſſibus, hanc habet ſibi legem datam, vt exſpiret nocentiſſimos halitus, quibus corruptus aer iſte, & corporibus labem ferat, & negocia infirmet humana? Quid ſi, quod proximum vero eſt, quicquid nobis videtur aduerſum, mundo ipſi non eſt malum: omniaq; quæ fiunt noſtris commoditatibus ſtatuētes, opinionibus improbis criminamur euenta naturæ? Plato ille ſublimis apex philoſophorum & columen, ſæua illa diluuia, & conflagrationes mundi, purgationem terrarum ſuis eſſe in commentarijs prodidit: nec vir prudens extimuit humani generis ſubuerſionem, cladem, ruinas, interitus, funera, rerum innouationem vocare, & iuuentutem ſuis quandam redintegratis viribus comparari. Non pluit, inquit, cœlum, & frumentorum inopia neſcio qua laboramus. Quid. n. inſeruire elementa tuis neceſſitatibus poſtulas? atq; vt viuere mollius & delicatius tu poſſis, obſequia F temporum tuis debent commoditatibus ſe dare? Quid enim ſi hoc pacto nauigationis cupidiſſimus conqueratur ventos iamdiu non eſſe, & cœli conquieuiſſe flaturas? Nūquid ideo dicendum eſt perniciosam eſſe tranquillitatem illam mundi, quia vectoribus impediat vota? Quid ſi Sole aliquis torrere ſe ſuetus, & acquirere corpori ſiccitatem, ratione conſimili conqueratur frequentiſſimis nubilis iucūditatem ſerenitatis ablatam? Nunquid ideo dicēda ſunt nubila inimica obductione pendere, quia libidini nō permittitur ocioſe tutilare ſe flammis, & cauſas potionib. præparare? Euenta hæc omnia, quæ fiunt, & accidunt mole ſub hac mundi, commodulis non noſtris, ſed ipſius pendenda ſunt rationib. ordinibuſq; naturæ. Nec ſi aliquid accidit, quod nos metipſos, aut res noſtras parum læta ſucceſſibus fouit, cōtinuo malum eſt, & in exitiabiles rei opinione ponendum. Pluit mundus, aut nō pluit, ſibimet pluit, aut nō pluit: & q forſitan neſcias, aut vliginem nimiam ſiccitatis ardore decoquit, aut longiſſimi tēporis ariditatē pluuiarū effuſionibus temperat. Peſtilentias, morbos, fames, atque alias ſuggerit malorum exitiabiles formas: vnde tibi eſt ſcire, ne quod exuberat, ſic tollat, vt per ſua diſpendia mo- G dū rebus luxuriantib. figat? Tu audeas dicere, hoc & illud eſt in mundo malum, cuius explicare, diſſoluere, neq; originem valeas, neq; cauſam? & quia tuas impediat deliciarum, fortiſan & libidinum, voluptates, pernicioſum eſſe atque aſperum dicas? Quid ergo, quia frigus membris tuis aduerſum eſt, & congelare ſanguinis tui feruorem ſolet, idcirco in mundo hyems eſſe non debet? Et quia perferre flagrantiſſimos ſoles non potes, ex anno æſtas tollenda eſt? atque alijs legibus alia rurſus ordinanda natura? Veratrum venenum eſt hominibus, nunquid ob hanc cauſam non deboit naſci? Ouilibus inſidiatur lupus, nunquid in culpa natura eſt, quod lanijs extulit importuniſſimā beluam? Morſu animā ſerpens tollit: maledicam ſcilicet primordijs rerū, quod tam ſæua prodigia genituris ſpirantib. addiderunt? Superciliosa nimium res eſt, cum ipſe ſis non tuus, aliena etiam in poſſeſſione verſeris, potētioribus dare conditionem velle vt id fiat, quod cupias, non quod in reb. inueneris antiquis conſtitutionibus fixum. Quare habere ſi locum veſtras vultis querimonias homines, prius eſt vt doceatis vnde, vel qui ſitis, vobiſne ſit genitus & fa- H bricatus mundus, an in eum veneritis alienis ex regionib. inquilini. Quod cum dicere non ſit veſtrum, neque explicare poſſitis cuius rei cauſa ſub hac cœli conuexione verſemini, deſiſtite arbitrari pertinere ad vos quicquam: cum ea quæ fiunt, non pariliter fiant, ſed ad ſenſus ſummam redeant referanturq; totios. Chriſtianorum, inquiunt, cauſa mala omnia adierunt, & interitus comparatur ab ſuperis, frugibus. Rogo cum hæc dicitis, non calūniari vos improbe, in apertis conſpicitis manifeſtiſq, mendacijs? Trecenti ſunt anni ferme, minus vel plus aliquid, ex quo cœpimus eſſe Chriſtiani, & terrarum in orbe cenſeri: nunquid omnibus his annis continua fuerunt bella, continuæ ſterilitates, pax nulla in terris, nulla protinus vilitas aut abundantia rerum fuit? Hoc enim primum efficiendum eſt ei qui nos arguit, perpetuas & iuges calamitates fuiſſe has, nunquam omnino reſpiraſſe mortalia, & ſine vllis (vt di-

A citur) feriis, multiplicium formas ſuſtinuiſſe diſcriminum.
Atqui non videmus mediis his annis, mediiſque tempori-
bus, ex victis hoſtibus innumerabiles eſſe victorias repor-
tatas? prolatos imperii fines, & in poteſtatem redactas in-
auditi nominis nationes? ſæpenumero maximos annorum
fuiſſe prouentus, vilitates atque abundantias rerum tan-
tas, vt commercia ſtuperent vniuerſa pretiorum auctori-
tate proſtrata? Quemadmodum enim res agi, & vſque ad
hoc tempus genus qui duraret mortalium, ſi non omnia,
quæ vſus poſceret, ſubminiſtraret fertilitas rerum? Sed fue-
runt aliquando nonnulla in neceſſitatibus tempora. Et
relaxata ſunt abundantiis. Ruſus cōtra voluntatem quæ-
dam bella adminiſtrata. Et victoris poſtmodum ſucceſſi-
buſque correcta. Quid ergo dicemus? iniuriarum noſtra-
rum deos modo memores eſſe, modo eſſe ruſus imme-
mores? Si quo tempore fames eſt, irati eſſe dicuntur, ſequi-
tur vt abundantiæ tempore irati & difficiles non ſint: atq;
B ita perdocitur res eo, vt vicibus ludricis, & ponant, & repe-
tant iras: & in integrum ſe ſemper offenſionum recorda-
tione reſtituant. Quanquam iſtud quod dicitur, quale ſit
explicabili non poteſt comprehenſione agnoſci. Si Ala-
mannos, Perſas, Scythas, idcirco voluerunt deuinci, quod
habitarent & degerent in eorum gentibus Chriſtiani, quē-
admodum Romanis tribuere victoriam, cum habitarent
& degerent in eorum quoque gentibus Chriſtiani? Si in
Aſia, Syria, idcirco mures, & locuſtas efferueſcere prodi-
galiter voluerunt, quod ratione conſimili habitarent in
eorum gentibus Chriſtiani: in Hiſpania, Gallis, cur eodem
tempore horum nihil natum eſt, cum innumeri viuerent
in his quoque prouinciis Chriſtiani? Si apud Getulos, tum
Aquitanos huius rei cauſa ſiccitatem ſatis aridatemque
miſerunt, eo anno cur meſſes ampliſſimas Mauris Noma-
dibuſq; tribuerunt? cum religio ſimilis his quoque in re-
gionibus verteretur. Si in ciuitate vnaqualibet fame pluri-
mos emori noſtri nominis auerſione fecerunt, cur ibidem
annonaria caritate non tantum corporis non noſtri, ve-
rumetiam Chriſtianos ditiores & locupletiſſimos reddi-
derunt? Aut igitur cuncti nihil læti habere debuerunt, ſi
malorum cauſa nos ſumus: nationibus enim ſumus in cũ-
C ctis: aut cum mixta videatis cum incommodis lęta, deſini-
te nobis aſcribere id quod offendit res veſtras, cum nihil
lætis officiamus & proſperis. Si enim ego vt male ſit facio,
cur vt bene ſit nō obſto? Si, vt inopia magna ſit, meum no-
men in cauſa eſt: cur nihil impedio vt ſit feracitas maxi-
ma? Si, vt in bellis accipiatur vulnus, ego dicor afferre for-
tunam, cur duelles cum pereunt, lęui augurium non ſum,
nec aduerſus ſpes bonas mali ominis obſcœnitate tradu-
cor? Et tamen ô magni cultores atque antiſtites numinum,
cur iraſci populis Chriſtianis auguſtiſſimos illos aſſeuera-
tis deos: ita non aduertitis, non videtis, affectus quam tur-
pes, quam indecoras numinib. attribuatis inſanias? Quid
eſt enim aliud iraſci, quam inſanire, quam furere, quam in
vltionis libidinem ferri, & in alienius doloris crucem, effe-
rati pectoris alienatione bacchari? Hoc ergo dii magni
norunt, perpetiuntur, & ſentiunt, quod feræ, quod beluæ,
quod mortiferæ continent venenato in dente natrices.
Quod leuitatis in homine, quod terreno in animante cul-
pabile eſt, præſtans illa natura, & in perpetuæ virtutis fir-
mitate conſiſtens, ſcite aſſeueratur à vobis. Et quid ergo ſe-
D quitur neceſſario, niſi, vt ex eorum luminibus ſcintillæ e-
micent, flammæ æſtuent, anhelum pectus ſpiritus iaciat ea
ore, & ea verbis ardentibus labrorum ſiccitas inalbeſcat?
Quod ſi verum eſt iſtud, & eſt exploratum, & cognitum,
& ferueſcere deos ita, & huiuſmodi motus perturbatione
iactari, immortales, & perpetui non ſunt: nec in diuinitatis
alicuius exiſtimatione ponendi. Vbi enim eſt vllus, ſicut
ſapientibus videtur, affectus, ibi eſſe neceſſe eſt paſſionem.
Vbi paſſio ſita eſt, perturbationem cōſentaneum eſt con-
ſequi. Vbi perturbatio eſt, ibi dolor & ægritudo eſt. Vbi
dolor & ægritudo eſt, imminutioni & corruptioni iā locus
eſt: quæ duo ſi vexant, adeſt vicinus interitus, mors omnia
finiens, & cunctis adimēs ſentientibus vitam. Quid? quod
iſto modo non tantum illos leues & feruidos: verum, quod
ab diis conuenit procul eſſe dimotum, & iniquos induci-
tis, & iniuſtos, & æquitatis vel modicæ nullam prorſus ob-
E tinere rationem. Quid eſt enim tam iniuſtum quam in a-
lios iraſci? & alios lædere, de hominibus conqueri, & in-
noxia dilacerare frumenta? Chriſtianum nomen odiſſe, &
diſpendiis omnibus ſuos labefactare cultores? At nūquid
iccirco in vos etiam ſæuiunt, vt inteſtinis vulneribus con-
citati in vltionem conſurgatis illorum? Ergo humana pa-
trocinia dii quærunt, & niſi veſtra fuerint aſſertione pro-
tecti, idonei non ſunt ipſi, qui propulſare, defendere ſuas
valeant contumelias. Quinimo ſi verum eſt ardere illos i-
ra, permitte illis poteſtatem ſui, defendant ſe ipſi: atque in
vltionem maieſtatis offenſæ inteſtinas exerant, experian-
turq; virtutes. Poſſunt nos, ſi voluerint, æſtu, poſſunt no-
centiſſimo frigore, poſſunt auris peſtilibus, poſſunt mor-
borum obſcuriſſimis cauſis enecare, conſumere, atque ab
omni penitus cœtu exterminare mortalium. aut ſi malum
conſilium eſt aggredi nos vi, emittant aliquod indignatio-
nis ſignum, per quod eſſe liquidum cunctis poſſit, iniuſtiſſi-
F mis nos eis habitare ſub cœlo. Vobis ſecundas tribuāt va-
letudines: aduerſas nobis, ac peſſimas. Opportunis imbri-
bus veſtra irrigent rura: pluuiarum quicunque ſunt rores,
noſtris ab agellulis abigant. Lanitia curent veſtra nume-
roſis fœtibus multiplicari; ſterilitatem infauſtam noſtris
pecuariis inferant. Ex oliuis veſtris atque vineis plenam
faciant autumnitatem fundi: at ex noſtris exprimi vnum
prohibeant palmitis rorem. Ad extremum & vltimum, in
veſtro ore præcipiant ſuam fruges retinere naturam: at ve-
ro in noſtro mel amarum fieri: olearum fluenta rancēſce-
re, & ſub ipſis potum labris in acoris perfidiam vinum re-
pente mutari. Quod cum minime fieri teſtificentur res i-
pſæ, neque minus ad nos quicquam, neq; ad vos plurimũ
redundare vitalibus ex beneficiis conſtet, libido quę tanta
eſt inimicos atque hoſtes deos eſſe contendere Chriſtia-
nis, quos in rebus triſtiſſimis, atq; lætis nihil abs te videas
ratione in aliqua diſcrepare? Si verū vobis permiſeritis, ac
ſine vllis aſſentationibus dici: verba ſunt hæc, verba ſunt,
res immo per calumnias creditæ, non cognitionis alicuius
teſtimonio comprobatæ. Cæterum dii veri, & qui habere,
qui ferre nominis huius autoritatem condigni ſunt, neque
iraſcuntur, neque indignantur, neque quod alteri noceat,
G inſidioſis machinationibus conſtruunt. Etenim reuera eſt
impium, & ſacrilegia cuncta tranſcēdens, ſapientem illam
credere beatiſſimamq; naturam magnum aliquid putare,
ſi ſe ſibi aliquis adulatoria humilitate ſubmittat: & ſi fue-
rit non factum, deſpectam ſe credere, & ab ſummi culmi-
nis decidiſſe faſtigio. Puerile, puſillum eſt, & exile, vix &
illis conueniens, quos iamdudum experientia doctorum
dæmonas appellat, & hos non noſſe cœleſtia, & in hac re-
rum materia craſſiore conditionis ſuæ ſorte verſari. Veſtra
ſunt hæc, veſtra ſunt irreligioſe opinata, & irreligioſius cre-
dita. Quinimo, vt verius proloquar, haruſpices has fabu-
las, coniectores, arioli, vates, & nunquam non vani con-
cionauere fanatici: qui ne ſuæ artes intereant, ac ne ſtipes
exiguas conſultoribus excutiant iam raris, ſi quando vos
velle rem venire in inuidiam compererunt, indignantur,
declamitantq;: In templis iam raritas ſumma eſt. Iacēt an-
tiquæ deriſui cerimoniæ, & ſacrorum quondam vetuſtiſſimi
ritus religionum nouarū ſuperſtitionib. occiderunt. meri-
to humanum genus tot miſeriarum anguſtiis premitur, tot
laborum excruciatur ęrumnis. Et homines brutum genus,
H & quod ſitum ſub lumine eſt, cæcitate ingenita nequeun-
tes videre, audent aſſeuerare furioſi, quod vos credere nō
erubeſcitis ſani. Ac ne quis nos tamen diffidentia reſpon-
ſionis, tranquillitatis exiſtimet deos donare muneribus,
innoxias affingere his mentes, atque ab omni perturba-
tione dimotas, concedamus, ſicut libitum vobis eſt inten-
dere in nos iras, ſanguinē illos ſitire noſtrum, & iamdudũ
nos cupere mortalium ſubmouere de ſeculis. Sed ſi nō eſt
moleſtum, non graue, ſi communis officii res eſt, nō ca gra-
tia, ſed ea vero diſceptationis huius diſceptare momenta,
audire à vobis expoſcimus, quę nā ſit hæc ratio, quæ cauſa,
propter quam in nos tantum & dii ſæuiant ſuperi, & exaſpe-
rati homines inardeſcant. Religiones, inquiunt, impias, at-
que inauditos cultus terrarum in orbe tractatis. Quid ô
participes rationis audetis homines proloqui, quid effuti-
re, quid promere temerariæ vocis deſperatione tentatis?

Deum

A eum iſdem eſſe plebeia atque humiliora fateantur. Quid ergo, res tantas argumentis nitemur atque elaborabimus obtinere? Diſcedat hæc longe, atq; à nobis procul, procul inquam (vt dicitur) anetrûcetur amentia. ita eſt enim periculoſum argumentis aggredi, Deum principem comprobare, quam ratione huiuſmodi eſſe illû, velle cognoſcere. Nec quicquam refert, aut diſcrepat, vtrûne neget illum, an aſſeras, atq; exiſtere fatearis: cum in eadem culpa ſit, & aſſertio talis rei, & abnegatio refutatoris increduli. Quiſquã ne eſt hominum, qui non cum iſtius principis notione diẽ primæ natiuitatis intrauerit, cui non ſit ingenitum, non affixum, imo ipſi pene in genitalib. matris non impreſſum, non inſitum, eſſe Regem ac Dominum, cunctorum quæcunque ſunt moderatorem? Ipſa deniq; hiſcere ſi animantia muta potuiſſent: ſi in linguarum noſtrarum facilitatem ſolui: immo ſi arbores, glebæ, ſaxa, ſenſu animata vitali vocis ſonitum quirent & verborum articulos integrare, ita
B non duce natura, & magiſtra, non incorruptæ ſimplicitatis fide, & intelligerent eſſe Deum, & cunctorum dominum ſolum eſſe clamarent? Sed fruſtra, inquit, nos falſo, & calumnioſo inceſſitis & appetitis crimine: tanquam eamus inficias eſſe Deum maiorẽ: cum à nobis & Iuppiter nominetur, & optimus habeatur & maximus: cumque illi auguſtiſſimas ſedes, & capitolia conſtituerimus immania. Diſſimilia copulare, atque in vnam ſpeciem cogere inducta confuſione conamini. Nam Deus omnipotens mente vna omnium, & communi mortalitatis aſſenſu, neque genitus ſcitur, neque nouam in lucem aliquando eſſe prolatus, nec ex aliquo tempore cœpiſſe eſſe, vel ſæculo. Ipſe eſt enim fons rerum, ſator ſæculorum ac temporũ. Non enim ipſa per ſe ſunt, ſed ex eius perpetuitate, perpetua, & infinita ſemper continuatione procedunt. At vero Iuppiter (vt vos fertis) & patrem habet & matrem, auos, auias, fratres: nunc nuper in vtero matris ſuæ formatus, abſolutus menſibus & conſummatus decem, ignotam ſibi in lucem ſenſu irruiſſe vitali. Ergo, ſi hæc ita ſunt, Iuppiter eſſe Deus qui poteſt? cum illum eſſe perpetuum conſtet, & perhibeatur alter à vobis, & dies habuiſſe natales, & pauefactus re noua lamentabilem extuliſſe vagitum? Sed ſint (vt vultis)
C vnum, nec in aliqua vi numinis, & maieſtate diſtantes: ecquid ergo infeſtis perſequimini nos odijs? Quid, vt omnia peſſimi, noſtri nominis inhorreſcitis mentione? ſi, quem Deum colitis, eum & nos? aut quid in eadem cauſa vobis eſſe contenditis familiares deos: inimicos atque infeſtiſſimos nobis? Etenim, ſi vna religio eſt nobis vobiſq; communis, ceſſat ira cœleſtium: ſi nobis infeſti ſunt ſolis, manifeſtum eſt neſcire & vos, & illos deum: quem Iouem non eſſe ipſis clarum eſt indignationibus numinum. Sed non (inquit) iccirco dij vobis infeſti ſunt, quod omnipotentẽ colatis Deũ: ſed quod hominẽ natũ, & (quod perſonis infame eſt vilibus) crucis ſupplicio interemptum, & Deum fuiſſe contẽditis, & ſupereſſe adhuc creditis, & quotidianis ſupplicationibus adoratis. Si vobis iucundum eſt amici, ediſſertate quinam ſint hi dij, qui à nobis Chriſtum coli, ſuam credant ad iniuriam pertinere? Ianus Ianiculi conditor? & ciuitatis Saturniæ Saturnus auctor? Fauna, fatua Fauni vxor? Bona dea quæ dicitur, ſed vini meliori, & laudabiliori potu? Indigetes illi, qui flumen repunt, & in alueis Numici cum ranis & piſciculis degunt? Æſculapius, & Li-
D ber pater, Coronide ille natus, & ex genitalibus matris alter fulmine præcipitatus? Mercurius vtero fuſus Majæ? & (quod eſt diuinius) candidi atque tenentes Diana & Apollo, circumlati per fugas matris, atque in inſulis errantibus vix tuti? Dionea Venus proles, viri materfamilias Troici, atque inteſtini decoris publicatrix? in Trinacriæ finibus Ceres nata, atq; in florib. legendis occupata Proſerpina? Thebanus, aut Tyrius Hercules, hic in finibus ſepultus Hiſpaniç, flammis alter concrematus Oetæis? Tyndaridæ Caſtores, equos vnus domitare conſuetus, alter pugillator bonus, & crudo inexuperabilis ceſtu, ignes & fulgores marioi, & ouorum progenies dij? Syriapis Peloponneſi proditus, & in Ægypto Serapis nuncupatus? Æthiopicis ſolibus Iſis furua mœrens perditum filium, & membratim coniugem lancinatum? Prætermus, & tranſgredimur Opis ſoboles regias: quas in libris auctores veſtri, quæ fuerint, & quales, vobis ediſcentibus prodiderunt. Hinc E
ergo Chriſtum coli, & à nobis accipi, & exiſtimari pro numine, vulneratis accipiunt auribus? & obliti paulo ante ſortis fuerint & conditionis cuius, id quod ſibi conceſſum eſt, impertiri alteri nolunt? Hæc eſt iuſtitia cœlitum? hoc deorum iudicium ſanctum? Nonne iſtud liuoris eſt atq; auaritiæ genus? Non obtrectatio quædam ſordens, ſuas eminere tantummodo velle fortunas, aliorum res premi, & in contempta humilitate calcari? Natum hominem colimus. Quid eum, vos hominem nullum colitis natum? Nõ vnum & alium? non innumeros alios? quinimo non omnes, quos iam templis habetis veſtris, mortalium ſuſtuliſtis ex numero, & cœlo ſyderibuſq; donaſtis? Si enim forte vos fugit, ſortis eos humanæ, & conditionis fuiſſe communis: replicate antiquiſſimas literas, & eorum ſcripta percurrite, qui vetuſtati vicini, ſine vllis aſſentationib. cuncta veritate in liquida prodiderunt. Iam profecto diſcetis, quibus ſinguli patribus, quib. matribus fuerint procreati, qua in na- F
ti regione, qua gente, quæ fecerint, egerint, pertulerint, actitarint, quas in rebus obeundis aduerſorum ſenſerint, ſecundantiumq; fortunas. Sin autem ſcientes vteris eſſe geſtatos, & frugibus eos victitaſſe terreois, nihilominus tamen nati hominis obiectatis cultum: res agitis ſatis iniuſtas, vt id nobis conſtituatis eſſe damnabile, quod & ipſi vos factitatis: aut quæ vobis licere permittitis, conſimiliter alijs licitum eſſe nolitis. Sed concedamus, interdum manum veſtris opinationibus dantes, vnũ Chriſtum fuiſſe de nobis, mentis, animæ, corporis, fragilitatis, & conditionis vnius: nonne dignus à nobis eſt tantorũ ob munerum gratiam deus dici, deuſq; ſentiri? Si.n. vos Liberum, quod vſum repererit vini, ſi, quod panis, Cererem, ſi Æſculapium, quod herbarum, ſi Mineruam, quod oleæ, ſi Triptolemũ, quod aratri, ſi denique Herculem, quod feras, quod fures, quod multiplicium capitum ſuperauit compeſcuitq; natrices, diuorum retuliſtis in cœtum: honoribus quantis afficiendus eſt nobis, qui ab erroribus nos magnis inſinuata veritate traduxit: qui velut cæcos paſſim, ac ſine vllo rectore gradientes, ab deruptis, ab deuijs, locis planioribus reddidit? Qui, quod frugiferum primo atque humano generi ſalutare, Deus monſtrauit quid ſit, quis, quantus, & qualis, G
qui profundas eius atque inenarrabiles altitudines (quantum noſtra quiuit mediocritas) capere & intelligere permiſit & docuit: Qui, quo autore, quo patre mundus iſte ſit conſtitutus & conditus, fecit benigniſſime ſciri: Qui natiuitatis eius expromſit genus, & nullius aliquando cognitione præſumptã materiã illius. Vnde ignibus ſolis genitalis feruor adſcitur. Cur luna ſemper in motu indemnis creditur animalib. cauſis lucem ſemper atque obſcuritatem reſumens. Animalium origo quæ ſit, rationes quas habeant ſemina. Quis ipſum finxerit hominẽ, quis informarit, vel ex materię quo genere conſtructionẽ ipſam confirmauerit corporũ. Quid ſit ſenſus, quid anima. aduolaritne ad nos ſponte, an cum ipſis ſata ſit & procreata viſceribus. mortis particeps degat, an immortalitatis perpetuitate donata ſit. Qui ſtatus nos maneat, cum diſſolutis abierimus à mẽbris. Victurine nos ſimus, an memoriã nullam noſtri ſenſus & recordationis habituri. Qui arrogantiam conſtrinxit noſtram, & elatas ſupercilio ceruices modum fecit ſuæ infirmitatis agnoſcere: Qui animantia monſtrauit informia nos eſſe: vanis opinionib. fidere: nihil comprehẽſum habere, nihil ſcire, & quæ noſtros ſita ſunt ante oculos, nõ H
videre: Qui (quod omnia ſuperauit, & tranſgreſſum eſt munera) ab religionibus nos falſis religionem traduxit ad veram: Qui ab ſignis inertibus, atque ex viliſſimo formatis luto ad ſydera ſubleuauit & cœlum: & cum domino rerum Deo ſupplicationum fecit verba atque orationũ colloquia miſcere. Venerabar (ô cæcitas) nuper ſimulachra modo ex fornacib. prompta, in incudib. deos & ex malleis fabricatos, elephãtorũ oſſa, picturas, veternoſis in arboribus tænias: ſi quando conſpexerã lubricatum lapidem, & ex oliui vnguine ordinatum, tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar, & beneficis poſcebã nihil ſentiente de trunco: & eos ipſos diuos, quos eſſe mihi perſuaſeram, afficiebam contumelijs grauibus: cũ eos eſſe credebam ligna, lapides, atque oſſa, aut in huiuſmodi rerum habitare ma-

A teria. Nunc doctore tanto in vias veritatis inductus, om-
nia iſta, quæ ſint, ſcio: digna de dignis ſentio, contumeliam
nomini nullam facio diuino: & quid cuique debeatur, vel
perſonæ, vel capiti, inconfuſis gradibus atque authoritati-
bus tribuo. Ita ergo Chriſtus non habeatur à nobis Deus?
nec, qui omnium alioquin vel maximus poteſt excogitari,
diuinitatis afficiatur cultu, à quo iamdudum tanta & ac-
cepimus dona viuentes, & expectamus, dies cum venerit,
ampliora? Sed patibulo affixus interiit. Quid iſtud ad
cauſam? Neque enim qualitas & deformitas mortis dicta
eius immutat aut facta, aut eo minor videbitur diſcipina-
rum eius autoritas, quia vinculis corporis non naturali diſ-
ſolutione digreſſus eſt, ſed vi illata deceſſit. Pythagoras
Samius ſuſpicione dominationis iniuſta viuus concrema-
tus in fano eſt: numquid ea, quę docuit, vim propriam per-
diderunt, quia non ſpiritum ſponte, ſed crudelitate appe-
titus effudit? Similiter Socrates ciuitatis ſuæ iudicio dam-
natus capitali affectus eſt pœna: numquid irrita facta ſunt,
B quæ ſunt ab eo de moribus, virtutibus, & officiis diſputata,
quia iniuria expulſus è vita eſt? innumerabiles alij gloria,
& virtute, & exiſtimatione pollentes, acerbiſſimarũ mor-
tium experti ſunt formas: vt Aquilius, Trebonius, Regu-
lus: numquid idcirco poſt vitã iudicati ſunt turpes; quia nõ
publica lege fatorum, ſed mortis aſperrimo genere lacera-
ti, excruciatique perierunt? Nemo vnquam innocens ma-
le interemptus infamis eſt: nec turpitudinis alicuius com-
maculatur nota, qui non ſuo merito pœnas graues, ſed
cruciatoris perpetitur ſæuitatem. Et tamen ô iſti, qui ho-
minem nos colere morte functũ ignominioſa ridetis: non-
ne Liberum & vos patrem membratim ab Titanis diſſipa-
tum fanorum conſecrationi aptatis? Nonne Æſculapium
medicaminum repertorẽ, poſt pœnas, & ſupplicia fulmi-
nis, cuſtodem nuncupauiſtis & præſidem ſanitatis, valetu-
dinis, & ſalutis? Nonne ipſum Herculem magnum ſacri-
ficiis, hoſtiis, & thure inuitatis incenſo? quem ipſi vos fer-
tis viuum arſiſſe poſt pœnas, & concrematum in funeſtib.
buſticetis? Nonne illum Atym Phrygem abſciſſum, &
ſpoliatum viro magnæ matris in adytis deum proprium,
deum ſanctum Gallorum conclamatione teſtamini? Non-
C ne ipſum Romulum patrem, Senatorum manibus dilace-
ratum centum, & Quirinum eſſe Martium dicitis, & ſa-
cerdotibus & puluinaribus honoratis, & in ædibus adora-
tis ampliſſimis, & poſt hæc omnia cœlum aſcendiſſe iura-
tis? Aut igitur ridendi & vos eſtis, qui homines grauiſſimis
cruciatibus interemptos deos putatis, & colitis: aut, ſi cer-
ta eſt ratio, cur id vobis faciẽdum putetis: & nobis permit-
tite ſcire, quibus iſtud cauſis, rationibusque faciamus. Na-
tum hominem colitis. Etiam ſi eſſet id verum (locis vt in
ſuperioribus dictum eſt) tamen pro multis, & tam libera-
libus donis, quæ ab eo profecta in nobis ſunt, Deus dici
appellarique deberet. Cum vero Deus ſit re certa, & ſine
vllius rei dubitationis ambiguo, inficiaturos arbitramini
nos eſſe, quam maxime illum à nobis coli, & pręſidem no-
ſtri corporis nũcupari? Ergone, inquiet aliquis furens, ira-
tus, & percitus, Deus ille eſt Chriſtus? Deus reſpõdebimus,
& interiorum potentiarum Deus: &, quod magis infidos
acerbiſſimis doloribus torqueat, rei maximæ cauſa à ſum-
mo rege ad nos miſſus. Poſtulabit fortitan inſanior & fu-
rioſior factus: an ſe ita res habeat, quemadmodum dici-
mus, comprobari. nulla maior eſt comprobatio quam ge-
D ſtarum ab eo fides rerum, quam virtutum nouitas: quam
omnia victa decreta, diſſolutaque fatalia, quæ populi gen-
teſque ſuo generis ſub limine nullo diſſentiente videre:
quæ nec ipſi audent falſitatis arguere, quorum antiquas
ſeu patrias leges vanitatis eſſe pleniſſimas atque inaniſſimæ
ſuperſtitionis oſtendit. Occurſurus fortitan rurſus eſt cum
alijs multis calumnioſis illis & puerilib. vocibus: magus
fuit, clandeſtinis artibus omnia illa perfecit: Ægyptiorum
ex adytis angelorum potentium nomina, & remotas fura-
tus eſt diſciplinas. Quid dicitis ô paruuli, incomperta vo-
bis, & neſcia temerariæ vocis loquacitate garrientes? Er-
gone illa, quæ geſta ſunt, dęmonum fuere pręſtigiæ, & ma-
gicarum artium ludi? Poteſtis aliquem nobis deſignare,
monſtrare ex omnibus illis Magis, qui vnquam fuere per
ſæcula, conſimile aliquid Chriſto milleſima ex parte qui

fecerit? qui ſine vlla vi carminum, ſine herbarum & grami- E
num ſuccis, ſine vlla aliqua obſeruatione ſollicita ſacrorũ,
libaminum, temporum? Non enim vrgemus, & quærimus,
quæ ſeſe ſpondeant facere, vel in quibus generib. actuum
ſoleat omnis illorum doctrina & experientia contineri.
Quis enim hos neſciat aut imminentia ſtudere præno ſce-
re, quæ neceſſario (velint nolint) ſuis ordinationibus ve-
niunt? aut mortiferam immittere quibus libuerit tabem:
aut familiarum dirumpere charitates: aut ſine clauibus re-
ſerare, quæ clauſa ſunt: aut ora ſilentio vincire, aut in curri-
culis equos debilitare, incitare, tardare, aut vxoribus, & li-
beris alienis (ſiue illi mares ſint, ſiue fœminei generis) in-
conceſſi amoris flammas, & furiales immittere cupidita-
tes? Aut ſi vtile aliquid videantur audere, non propria vi
poſſe, ſed eorum, quos inuocant, poteſtate. Atqui conſtitit
Chriſtum ſine vllis adminiculis rerum, ſine vllius ritus
obſeruatione, vel lege, omnia illa, quæ fecit, nominis ſui
poſſibilitate feciſſe. Et quod propitium, conſentaneum, di-
gnum Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, ſed opi- F
ferum, ſed ſalutare, ſed auxiliaribus plenum nobis pote-
ſtatis munificæ liberalitate donaſſe. Quid dicitis ô iterum?
ergo ille mortalis, aut vnus fuit è nobis, cuius imperium,
cuius vocem popularibus & quotidianis verbis miſſam,
valetudines, morbi, febres, atq; alia corporum cruciamen-
ta fugiebant? Vnus fuit è nobis, cuius præſentiam, cuius vi-
ſum gens illa nequibat ferre merſorum in viſceribus dæ-
monum, conterritaque vi noua membrorum poſſeſſione
cedebat? Vnus fuit è nobis, cuius fœdæ vitiligines iuſſioni
obtemperabant pulſæ ſtatim, & concordiam colorum cõ-
maculatis viſceribus relinquebant? Vnus fuit è nobis, cu-
ius ex leui tactu ſtabant profluuia ſanguinis, & immodera-
tos cohibebant fluores? Vnus fuit è nobis, cuius manus in-
tercutes & veternoſæ fugiebant vndæ, penetrabilis ille vi-
tabat liquor, & turgentia viſcera ſalutari ariditate deſtta-
bant? Vnus fuit è nobis, qui claudos currere præcipiebat,
& iam operis res erat: porrigere mancos manus, & articuli
mobilitates iam ingenitas explicabant: captos membris
aſſurgere, & iam ſuos referebant lectos alienis paulo ante
ceruicibus lati: vid natos videre luminibus, & iam cœlum
diemque cernebant nullis cum oculis procreati? Vnus, in- G
quam, fuit è nobis, qui debilitatibus varijs, morbiſque ve-
xatos centum, aut hoc amplius ſemel vna intercęſſione ſa-
nabat? cuius voceni ad ſimplicem furibunda & inſana ex-
plicabant ſe maria? procellarum turbines tempeſtateſq;
ſidebant? qui per altiſſimos gurgites pedem ferebat inlu-
tum? calcabat ponti terga vndis ipſis ſtupentibus, in famu-
latum ſubeunte natura? qui ſequentium ie millia quinq;
ſaturauit quinque panibus? ac ne eſſe præſtigiæ incredulis
illis viderentur & duris, bis ſenarum ſportarum ſinus reli-
quiarum fragminibus aggerabat? Vnus fuit è nobis, qui
redire in corpora iamdudum animas præcipiebat efflatas?
prodire ab aggeribus conditos? & poſt diem funeris tertiũ
pollinctorum velaminibus expediri? Vnus fuit è nobis,
qui quid ſinguli voluerent, quid ſub obſcuris cogitationi-
bus continerent, tacitorum in cordibus peruidebat? Vnus
fuit è nobis, qui cum vnam emitteret vocem, ab diuerſis
populis, & diſſona oratione loquentibus, familiarib. ver-
borum ſonis, & ſuo cuique vtens exiſtimabatur eloquio?
Vnus fuit è nobis, qui cum officia religionis certæ ſuis ſe-
ctatoribus traderet, mundum totum repente complebat? H
quantuſque, & qui eſſet, reuelata nominis immenſitate
monſtrabat? Vnus fuit è nobis, qui depoſito corpore in-
numeris ſe hominum prompta in luce detexit? qui ſermo-
nem dedit, atque accepit, docuit, caſtigauit, admonuit?
qui ne illi ſe falſos vanis imaginationibus exiſtimarent, ſe-
mel, iterum, ſæpius familiari collocutione monſtrauit? qui
iuſtiſſimis viris etiam nunc impollutis, ac diligẽtibus ſeſe,
non per vana inſomnia, ſed per puræ ſpeciem ſimplicitatis
apparet? cuius nomen auditum fugat noxios ſpiritus? im-
ponit ſilentium vatibus? haruſpices inconſultos reddit?
arrogantium magorum fruſtrari efficit actiones, nõ hor-
rore (vt dicitis) nominis, ſed maioris licentia poteſtatis?
Et hæc quidem ſummatim expoſita, non ea ratione pro-
tulimus, tanquam magnitudo factẽtis ſolis in his eſſet per-
ſpicienda virtutibus. Quanta ſint enim hæc, vel exilitates

cuius

A cuiuis reperirentur, & ludi, ſi traditum fuerit noſci, ex quibus ad nos regnis? cuius nominis miniſtrator aduenerit? Quæ quidem ab eo geſta ſunt, & factitata, non vt ſe vana oſtentatione iactaret, ſed vt homines duri, atque increduli ſcirent non eſſe, quod ſpondebatur, ſallum: & ex operum benignitate, quid eſſet Deus verus, iam addiſcerent ſuſpicari. Simul & illud volumus ſciri, cum ſummatim (vt dictũ eſt) enumeratio facta geſtorum eſt, non ea ſolum Chriſtum potuiſſe, quæ fecit, ſed conſtituta etiam exuperaſſe fatorũ. Nam ſi (vt liquet, & conſtat) debilitates, & corporum paſſiones, ſurdi, manci, & muti, neruorum contractio, & amiſſio luminis, fatalibus accidunt irroganturque decretis, & ſolus hæc Chriſtus correxit, reſtituit, atque ſanauit: ſole ipſo eſt clarius, potentiorem illum fuiſſe, quam fata ſunt, cũ ea ſoluit & vicit, quæ perpetuis nexibus, & immobili fuerant neceſſitate deuincta. Sed fruſtra, inquit neſcio quis, tantum arrogas Chriſto, cũ ſæpe alios ſciamus, & ſcierimus deos, & laborantibus plurimis dediſſe medicinas, & mul-
B torum hominum morbos valetudineſq; curaſſe. Non inquiro, non exigo, quis Deus, aut quo tẽpore, cui fuerit auxiliatus, aut quem fractum reſtituerit ſanitati: illud ſolum audire deſidero, an ſine vllius adiunctione materiæ, id eſt, medicaminis alicuius, ad tactum morbos iuſſerit ab hominibus euolare: imperauerit, fecerit & emori valetudinum cauſam, & debiliũ corpora ad ſuas remeare naturas. Chriſtus enim ſcitur, aut admota partibus debilitatis manu, aut vocis ſimplicis iuſſione aures aperuiſſe ſurdorum, exturbaſſe ab oculis cæcitates, orationem dediſſe mutis, articulorum vincula relaxaſſe, ambulatum dediſſe contractis, vitiligines, querqueras, atque intercutes morbos, omniaque alia valetudinum genera, quæ humana corpora ſuſtinere neſcio quæ voluit importuna crudelitas, verbo ſolitus imperioq; ſanare. Quid ſimile dij omnes, à quibus opem dicitis ægris & periclitantibus latam? Qui ſi quando (vt fama eſt) nonnullis aut tribuere medicinam, aut cibum aliquem iuſſerunt capi, aut qualitatis alicuius ebibi potionem, aut herbarum, & graminum ſuccos ſuperimponi inquietantibus cauſis, ambulare ceſſare, aut re aliqua, quæ officiat, abſtinere? (quod eſſe nõ magnum, nec admi-
C rationis alicuius ſtupore condignum, promtum eſt, ſi volueritis attendere) & medici etiam ſic curant animal humanum, nec confiſum ſcientiæ veritate, ſed in arte ſuſpicabili poſitum, & coniecturarum æſtimationibus nutans. Nulla autem virtus eſt medicaminibus amouere quæ noceant: beneficia iſta rerum, non ſunt curantium poteſtates: vt ſit laudabile ſcire, quæ quibus conueniat medicina, aut arte curari, locus huius laudis non in Deo, ſed in homine conſtitutus eſt. Huic enim non eſt turpe rebus extrinſecus ſumptis valetudinem hominis feciſſe meliorem: indecorũ Deo eſt non ipſum per ſe poſſe, ſed externarum adminiculis rerum ſanitatem incolumitatemque præſtare. Et quoniam beneficia ſalutis datæ aliorum numinum comparatis, & Chriſti: quot millia vultis à nobis debilium vobis oſtendi, quot tabificis affectos morbis, nullam omnino retuliſſe medicinam? cum per omnia ſupplices irent templa, cum deorum ante ora proſtrati, limina ipſa conuerrerent oſculis: cum Æſculapium ipſum datorem (vt prædicant) ſanitatis, quoad illis ſuperfuit vita, & precibus fatigarent, & inuitarent miſerrimis votis. Nonne alios ſcimus malis ſuis commortuos, cruciatib. alios conſenuiſſe morborum,
D perniciosius alios ſeſe habere cœpiſſe, poſtquam dies noctesque in continuis precibus, & pietatis expectatione triuerunt? Quid ergo prodeſt oſtendere vnum, aut alterum fortaſſe curatos, cum tot millibus ſubuenerit nemo? & plena ſint omnia miſerorum, infeliciumq; delubra? niſi forte dicatis, opem bonis ab dijs ferri, malorum miſerias deſpici. Atqui Chriſtus æqualiter bonis, maliſq; ſubuenit: nec repulſus ab hoc quiſquam eſt, qui reb. auxilium duris cõtra impetum poſtulabat iniuriaſque fortunę. Hoc eſt enim proprium Dei veri, potentiæq; regalis, benignitatem ſuam negare nulli, nec reputare quis mereatur, aut minime: cum naturalis infirmitas peccatorem hominem faciat, non voluntatis, ſed iudicationis electio. Dicere porro meritis opem laborantibus ab dijs ferri, hoc eſt in medio ponere, & dubitabile, quod adſeras, facere: vt & ille, qui ſanus eſt factus, fortuito poſſit videri eſſe ſeruatus: & ille, qui non eſt, E non meriti cauſa, ſed firmitate credatur valetudinem expellere non potuiſſe diuina. Quid? quod iſtas virtutes, quæ ſunt à nobis ſummatim, non (vt res poſtulabat magnitudo) depromptæ, non tantum ipſe perfecit vi ſua, verum (quod erat ſublimius) multos alios experiri, & facere ſui nominis cum affectione permiſit? Nam cum videret futuros vos eſſe geſtarum ab ſe rerum, diuinique operis derogatores, ne qua ſubeſſet ſuſpicio magicis se artib. munera illa beneficiaque largitum, ex immenſa illa populi multitudine, quæ ſuam gratiam ſectabatur admirans, piſcatores, opifices, ruſticanos, atque id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes miſſi, cuncta illa miracula ſine vllis fucis atque adminiculis perpetrarẽt. Verbo ille compeſcuit vermināntium membrorum cruces, & illi verbo compeſcuerunt furialium vermina paſſionum. Imperio ille vno exturbauit è corporibus dæmonas, & exanimatis ſuos reſtituit ſenſus: ſub eorum portantes & illi ſe caſib. iuſſione non alia ſanitati & conſtantiæ reddiderunt. Ille notas albicantium F vitiliginum manu admota deterſit: liniamẽta & hi corporum haud diſſimili conciliauere contactu. Vliginoſa ille & turgentia viſcera ſiccitatem iuſſit recuperare natiuam: & famuli eius hoc modo ſtatuerunt errantes aquas, & à pernicie corporum ſuos labi iuſſere per tramites. Ille vlcera oris immenſi, & recuſantia perpeti ſanitatem intra vnius verbi moram continuato frenauit à paſtu: & illi haud aliter cõtumaciam canceris ſæui ad ſubeundam cicatricem circũſcriptis euagationibus compulerunt. Inceſſum ille claudis dedit, viſum luminibus cæcis, interemptos reuocauit ad vitam: nec minus & hi quoque contractionem relaxauere neruorum, luce oculos implenere iam perdita, & ab tumulis remeare defunctos exequiarum conuerſione iuſſerunt. Neq; quicquam eſt ab illo geſtum per admirationem ſtupentibus cunctis, quod non omne donauerit faciendum paruulis illis & ruſticis, & eorum ſubiecerit poteſtati. Quid dicitis ò mentes incredulæ, difficiles, duræ? alicui ne mortalium Iuppiter ille Capitolinus huiuſmodi poteſtatem dedit? Curionem, aut pontificem maximum, quinimmo dialem (quod eius eſt) flaminem iſto iure donauit? Non G dicam, vt mortuos excitaret, non vt cæcis reſtitueret lucẽ: non vt membrorum ſitum eneruatis redderet, & diſſolutis: ſed vt puſtulam, reduuiam, papulam, aut vocis imperio, aut manus contrectatione comprimeret. Ergo illud humanum fuit, aut ex ore terrenis ſtercorib. innutrito tale potuit ius dari, talis licentia proficiſci, & non diuinum, & ſacrum? aut (ſi aliquam ſuperlationem res capit) pluſquã diuinũ, & ſacrum? Nam ſi facias ipſe, quod poſſis, & quod tuis ſit viribus potentatuique conueniens, admiratio non habet quod exclamet. Id enim quod potueris, feceris, & quod præſtare debuerit vis tua, vt potẽs eſſet vna, & ipſius qui operaretur, qualitas. Tranſcribere poſſe in hominem ius tuum: & quod facere ſolus poſſis, fragiliſſimę rei donare, & participare faciẽdum, ſupra omnia ſitæ eſt poteſtatis, continentiſque ſub ſeſe eſt rerum omnium cauſas, & rationum facultatumq; naturas. Age nunc veniat, qui ſuper igneam zonam, magus interiore ab orbe Zoroaſtres, Hermippo vt aſſentiamur authori. Bactrianus & ille conueniat, cuius Cteſias res geſtas hiſtoriarum exponit in primo. Armenius Hoſthanis nepos & familiaris Pamphylus Cyri, Apollonius, Damigero, & Dardanus, Velus, Iulianus, & H Bæbulus, & ſi quis eſt alius qui principatum & nomen fertur in talib. habuiſſe præſtigiis: permittant vni ex populo in officium ſermonis dandi ora coarticulare mutorum, ſurdorum auriculas reſerare, ſine luminib. procreatis oculorum redintegrare naturas, & in frigentia olim membra ſenſus animaſque reducere: Aut, ſi ardua res iſta eſt, neque aliis permittere talium poſſunt operum poteſtates, ipſi faciant, & cum ſuis ritibus faciant. quicquid malefici graminis nutricant terrarum ſinus, quicquid virium continet fremor ille verborum, atq; adiunctæ carminum neceſſitates, non inuidemus, adijciant, non interdicimus, colligãt. Experiri libet & recognoſcere, an cum illis efficere dijs poſſint, quod ab ruſticis Chriſtianis iuſſionibus factitatum eſt nudis. Deſiſtite ò neſcij in maledicta conuertere res tantas, nihil ei nocitura qui fecit, periculum allatura ſed

A vobis: periculum, inquam, non paruulum, ſed in rebus ex-
imijs, ſed in præcipuis conſtitutum. Siquidem res anima
precioſa eſt, nec ipſo ſe homini quidquam poteſt charius
inueniri. Nihil (vt remini) magicum, nihil humanum, præ-
ſtigioſum, aut ſubdolum, nihil fraudis, delitet in Chriſto
dendeatis: licet ex more atque in laſciuiam diſſoluamini
cachinnorum. Deus ille ſublimis fuit, Deus radice ab in-
tima, deus ab incognitis regnis, & ab omnium principe
Deus ſoſpitator eſt miſſus: quem neque ſol ipſe, neque vlla
(ſi ſentiunt) ſydera, non rectores, non principes mundi,
non denique dij magni, aut, qui fingentes ſe deos genus o-
mne mortalium territant, vnde, aut qui fuerit, potuerunt
noſcere vel ſuſpicari: & merito exutus à corpore quod in
exigua ſui circumferebat parte, poſtquam videri ſe paſſus
eſt, cuius eſſet aut magnitudinis, ſciri, nouitate rerum ex-
territa vniuerſa mundi ſunt, elementa turbata, tellus mota
contremuit, mare funditus refuſum eſt, aer globis inuolu-
B tus eſt tenebrarum, igneus orbis ſolis tepefacto ardore de-
riguit. Quid enim reſtabat vt fieret, poſtquam Deus eſt co-
gnitus is, qui eſſe iamdudum vnus iudicabatur è nobis?
Sed non creditis geſta hæc. Sed qui ea conſpicati ſunt fie-
ri, & ſub oculis ſuis viderunt agi, teſtes optimi, certiſſimiq;
autores, & crediderunt hæc ipſi, & credenda poſteris no-
bis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Qui-
nam iſti ſint, fortaſſe quæritis gentes, populi, nationes, &
incredulum illud genus humanum: quod niſi aperta res
eſſet, & luce ipſa (quemadmodum dicitur) clarior, nun-
quam rebus huiuſmodi credulitatis ſuę commodarent aſ-
ſenſum. At nunquid dicemus illius temporis homines vſq;
adeo fuiſſe vanos, mendaces, ſtolidos, brutos, vt, quę nun-
quam viderant, vidiſſe ſe fingerent; & quæ facta omnino
non erant, falſis proderent teſtimonijs, vt puerili aſſertione
firmarent? cumque poſſent vobiſcum & vnanimiter viue-
re, & inoffenſas ducere coniunctiones, gratuita ſuſciperent
odia, & execrabili haberentur in nomine? Quod ſi falſa
(vt dicitis) hiſtoria illa rerum eſt, vnde tam breui tempore
totus mundus iſta religione completus eſt? aut in vnā coire
qui potuerunt mentem gentes regionib. diſiunctæ, ventis,
cœlo, conuexionibuſq; dimotæ? Aſſeuerationibus illectæ
C aût nudis, inductęq; in ſpes caſſas, & in pericula capitis immit-
tere ſe ſponte temeraria deſperatione voluerunt: cum ni-
hil tale vidiſſent, quod eas in hos cultus nouitatis ſuæ poſ-
ſit excitare miraculo. Imo quia hæc omnia & ab ipſo cer-
nebant geri, & ab eius præconibus, qui per orbem totum
miſſi beneficia patris & munera dis hominibuſq; portabāt:
veritatis ipſius vi victæ & dederunt ſe Deo: nec in magnis
poſuere diſpendijs membra vobis proijcere, & viſcera ſua
lanianda præbere. Sed conſcriptores noſtri mendaciter i-
ſta promiſerunt, extulere in immenſum exigua geſta, & an-
guſtas res ſatis ambitioſo dilatauere præconio. Atqui vti-
nam cuncta referri in ſcripta potuiſſent, vel quæ ab ipſo
geſta ſunt, vel ab eius præconibus pari iure & potentia ter-
minata. Magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum,
aut apprehendere locum fortaſſe poſſetis (quod videre-
tur eſſe ſimillimum veri) & incrementa rebus appoſita, &
inditas ſcriptis & commentarijs falſitates. Sed neque om-
nia conſcribi, aut in aures omnium peruenire potuerunt,
geſta gentibus in ignotis, & vſum neſcientib. literarum: aut
(ſi qua ſunt literis, conſcriptionibuſq; mandata) maleuo-
D lentia dæmonum, quorum cura & ſtudium eſt hanc inter-
cipere veritatem, & conſimilium his hominum interpola-
ta quædam, & addita, partim mutata, atque detracta ver-
bis, ſyllabis, literis, vt & prudentium tardarent fidem, &
geſtorum corrumperent auctoritatem. Sed nunquam fu-
erit, his bene vt Chriſtus qui fuerit, literarum teſtimonijs
colligatur: cuius in id ſolum dimiſſa ſunt cauſa, vt ſi eſſe cō-
ſtiterit ea vera, quæ dicimus, confeſſione omnium Deus
fuiſſe monſtretur. Nō creditis ſcriptis noſtris, & nos veſtris
nō credimus ſcriptis. Falſa de Chriſto cōfingimus, & vos de
dijs veſtris inania & falſa iactatis. neq; .n. cœlo Deus aliquis
lapſus eſt, aut ſuis res veſtras commentatus eſt manib. aut
ratione conſimili noſtris rebus, & religionibus derogauit.
Ab hominib. hæc ſcripta, & illa ſunt ab hominibus ſcripta,
mortalibus ediſſerta ſermonibus, & quicquid dicere de
noſtris conſcriptoribus intenderitis, & de veſtris hæc di-
E cta paribus ſumite atque habetote momentis. Vultis vera
eſſe, quæ in veſtris comprehenſa ſunt ſcriptis: & quæ in
noſtris conſignata ſunt literis, confiteamini neceſſe eſt eſſe
vera. Falſitatis arguitis res noſtras: & nos veſtras arguimus
falſitatis. Sed antiquiora (inquitis) noſtra ſunt, ac per hoc
fidei & veritatis pleniſſima. quaſi vero errorum non anti-
quitas pleniſſima mater ſit, & non ipſa peperit res eas,
quæ turpiſſimas dij notas ignominioſa concinnauerunt
in fabulis. Ante millia enim annorum decem, non potue-
runt falſa & audiri, & credi? aut non ſimillimum veri eſt,
fidem vicinis & finitimis, quam ſpatiorum ineſſe longin-
quitate diſtantibus? Teſtibus enim hæc, illa opinionibus
aſſeruntur, & procliuius multo eſt, minus eſſe in recentib.
fictionis, quam in antiqua obſcuritate ſubmotis. Sed ab in-
doctis hominibus, & rudibus, ſcripta ſunt, & idcirco non
ſunt facili auditione credenda. Vide ne magis hæc fortior
F cauſa ſit, cur illa ſint nullis coinquinata mendacijs, mente
ſimplici prodita, & ignara lenocinijs ampliare. Triuialis &
ſordidus ſermo eſt: Nunquam enim veritas ſectata eſt fu-
cum, nec quod exploratum & certum eſt, circumduci ſe
patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones,
enthymemata, definitiones, omniaq; illa ornamenta, qui-
bus fides quæritur aſſertionis, ſuſpicantes adiuuant, non
veritatis lineamenta demonſtrant. Cæterum qui ſcit, quid
ſit illud quod dicitur, nec definit, nec colligit, neque alia
ſectatus artificia verborum, quibus capi conſueti ſunt au-
dientes, & ad conſenſum rei circumſcriptionis neceſſitate
traduci. Barbariſmis, Solœciſmis obſitæ ſunt, inquit, res
veſtræ, & vitiorum deformitate pollutæ. Puerilis ſane, at-
que anguſti pectoris reprehenſio: quam ſi admitteremus,
vt vera ſit, abijciamus ex vſibus noſtris quorundam fru-
ctuum genera, quod cum ſpinis naſcuntur, & purgamen-
tis alijs, quæ nec alere nos poſſunt, nec tamen impediunt
perfrui nos eo, quod principaliter antecedit, & ſaluberri-
mum nobis voluit eſſe natura. Quid enim officit ô quæſo?
aut quam præſtat intellectui tarditatem? vtrumne quid le-
ue, an hirſuta cum aſperitate promatur? inflectatur quod
acui, an acuatur quod oportebat inflecti? aut qui minus id,
quod dicitur, verum eſt, ſi in numero peccetur, aut caſu,
G præpoſitione, participio, coniunctione? Pompa iſta ſer-
monis & oratio, miſſa per regulas, concionibus, litibus, fo-
ro, iudicijſq; ſeruetur, deturq; illis immo, qui voluptatū
delinimenta quærentes, omne ſuum ſtudium verborum
in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab oſtenta-
tione ſubmotis: quid dicatur, ſpectandum eſt, non quali
cum amœnitate dicatur: nec quid aures commulceat, ſed
quas afferat audientibus vtilitates: maxime cum ſciamus
etiam quoſdam ſapientiæ deditos, non tantum abieciſſe
ſermonis cultum, verumetiam, cum poſſent ornatius atq;
vberius eloqui, triuialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne
corrumperent ſcilicet grauitatis rigorem, & ſophiſtica ſe
potius oſtentatione iactarent. Enimuero diſſoluti eſt pe-
ctoris, in rebus ſerijs quærere voluptatem: & cum tibi ſic
rano cum male ſe habentibus atque ægris, ſonos auribus
infundere dulciores, non medicinam vulneribus admo-
uere. Quanquam (ſi verum ſpectes) nullus ſermo natura
eſt integer, vitioſus ſimiliter nullus. Quænam eſt enim ra-
tio naturalis, aut in mundi conſtitutionibus lex ſcripta, vt
hic paries dicatur, & hæc ſella? cum neque ſexus habeant
H fœmininis generib. maſculiniſq; diſcretos, neque quiſquā
docere doctiſſimus me poſſit ipſum hic, & hæc, quid ſint,
aut cur ex his vnum, ſexū virilem deſignat, fœmininis ge-
nib. id quod ſequitur applicet. Humana iſta ſunt placita,
& ad vſum ſermonis faciendi non ſane omnibus neceſſa-
ria: nam & hæc paries forſitan, & hic ſella dici ſine vlla re-
prehenſione potuiſſet, ſi ab initio ſic dici placuiſſet, & à ſe-
quentib. ſeculis communis eſſet in ſermocinatione ſerua-
tum. Et tamen ô iſti, qui pollutas res noſtras vitiorum cri-
minamini: ſtribiligines & vos iſtas libris illis in maximis at-
que admirabilib. non habetis? Nōne aliud hæc vtria, aliud
dicitis hos vtres? cœlus, & cœlum? non item filus & filum?
non item crocus, & crocum? non item fretus, & fretum?
non item apud vos eſt poitum hoc pane, & hic panis? hic
ſanguinis, hoc ſanguen? candelabrum & iugulum ratio-
ne eadem iugulus & candelaber? Nam ſi ſingula nomina

A non poſſunt genera plura habere quam ſingula: neque eadem poſſunt huius eſſe generis, & illius (genus enim tranſire genus in alterum non poteſt) tam peccat qui genera maſculina fœmininis pronũciat legibus, quam ab eo peccatur, qui articulos maſculinos fœmininis generib. anteponit. Atqui vos conſpicimus & res maſculinas fœminine, & fœmineas maſculine, & quas eſſe dicitis neutras, & illo, & hoc modo ſine vlla diſcretione depromere. aut igitur nulla eſt culpa indifferenter his vti, & fruſtra nos dicitis ſolœciſmorum obſcœnitate deformes: aut ſi certum eſt ſingula quibus debeant rationibus explicari, in ſimilibus vitijs vos quoque verſamini: quamuis Epicados omnes, Cæſellios, Verrios, Scauros teneatis, & Niſos. Sed ſi Deus, inquiunt, fuit Chriſtus, cur forma eſt in hominis viſus? & cur more eſt interemptus humano? An aliter potuit inuiſibilis illa vis, & habens nullam ſubſtantiam corporalem, inferre & commodare ſe mundo, concilijs intereſſe mortalium, quam vt aliquod tegmen materiæ ſolidioris aſſumeret, B quod oculorum ſuſciperet iniectum, & vbi ſe figere ineptiſſimæ poſſet contemplationis obtutus? Quis eſt enim mortalium, qui quæreret eum videre, quis cernere, ſi talem voluiſſet inferre ſe terris, qualis ei primigenia natura eſt? & qualem ſe ipſe in ſua eſſe voluit vel qualitate, vel numine? Aſſumpſit igitur hominis formam, & ſub noſtri generis ſimilitudine potentiam ſuam clauſit, vt & videri poſſet, & conſpici: verba faceret, & doceret; atque omnes exequeretur res eas, propter quas in mundum venerat faciendas, ſummi regis imperio & diſpoſitione ſeruatis. Quid enim? dicitis, rex ſummus ea, quæ in mundo facienda eſſe decreuerat, ſine homine ſimulato non quibat efficere? ſi oporteret ita fieri (quemadmodum dicitis) iſta fortaſſe feciſſet: quia non oportuit, aliter fecit. Quare iſto voluit, & illo genere noluit: latenter inuolutæ, & vix vlli comprehenſibiles cauſæ, quas accipere fortaſſe potuiſſes ſi non eſſes iamdudum ad non accipiendum paratus: & prius te formares ad non credendi frontem, quam tibi eſſet expoſitum id, quod noſſe atque audire conquireres. Sed more eſt hominis interemptus. non ipſe: neque enim cadere diuinas in res poteſt mortis occaſus: nec interitionis diſſolu- C tione dilabi id, quod eſt vnum & ſimplex: nec vllarũ partium congregatione compactum. Quis eſt ergo viſus in patibulo pendere, quis mortuus eſt? homo, quem induerat, & ſecum ipſe portabat. Incredibile dictum eſt, & cæcis obſcuritatibus inuolutum. ſi velis, non cæcum eſt, & ſimilitudini proxime conſtitutum. Si quo tempore Sibylla præſaga, oracula illa depromens, fundebat vt (vt dicitis) Apollinis plena, ab impijs eſſet cæſa atque interempta latronibus: nunquid Apollo diceretur in ea eſſe occiſus? ſi vates Helenus, ſi Martius, alijq; ſimiliter vates hariolantes eſſent vita & luce priuati: nunquid aliquis diceret, lege eos humanitatis extinctos, qui illorum per ora loquentes, vias rerum poſtulantibus explicabant? Mors illa, quam dicitis, aſſumpti hominis fuit, non ipſius: geſtaminis, non geſtãtis: quam nec ipſam perpeti ſuccubuiſſet, tanta ſi non agenda res eſſet, & inexplicabilis ratio fati clauſis patefacienda myſterijs. Quæ ſunt iſta, inquies, clauſa atque obſcura myſteria, quæ nulli nec homines ſcire, nec ipſi, qui appellantur, dij mundi, parte queunt aliqua ſuſpicionis atq; opinationis attingere, niſi quos ipſe dignatus eſt cognitionis tãtæ impertire muneribus, & in abditos receſſus theſauri in- D terioris inducere? Vides enim ſi nollet inferri ſibi à quoquam manus, ſumma illi fuiſſe contentione nitendum, vt hoſtes ab ſe ſuos, vel poteſtate vniuerſa prohiberet. Qui cæcis tribuerat lumina, is efficere ſi deberet, non poterat, cæcos? qui debilib. integritatem, is debiles reddere difficultati habuit, aut labori? qui claudos faciebat incedere, is motus alligare membrorum neruorum duritia neſciebat? qui extrahebat à tumulis mortuos, huic arduum fuerat letum cui vellet indicere? Sed quia fieri ratio ea, quæ fuerãt deſtinata, poſcebat: & hic in ipſo mondo, nec modo quam geſtum eſt alio: inæſtimabilis illa atq; incredibilis lenitas iniurias in ſe hominum, puerilib. pro ineptijs ducens, manus in ſe porrigi ab immanibus paſſa eſt: duriſſimiſque latronibus nec reputandum putauit quid illorum deſignaſſet audacia, dummodo ſuis oſtenderet quid ab ſeſe expe-

E ctare deberent. Cum enim de animarum periculis multa, medelarum contra inſinuator, magiſter atque auctor, ad officiorum conuenientium fines, ſuas leges & conſtituta direxit: non ſuperbiæ faſtum comminuit? non libidinum extinxit flammas? non hiatõ compreſſit auiditatis? non tela extorſit è manibus, atq; omnia ſeminaria totius vitioſitatis abſcidit? Ipſe deniq; non lenis, non placidus, non acceſſu facilis, non familiaris affatu, non humanas miſerias indoleſcens, omnes omnino crucib. & corporalib. affectos malis vnica illa benignitate miſeratus reddidit & reſtituit ſanitati? Quid ergo vos ſubigit, quid hortatur maledicere, conuitiari, inexpiabiles cum eo conſerere ſimultates, quẽ redarguere, quem tenere, nemo hominum poſſit vllius facinoris in reatu? Tyrannos, ac reges veſtros, qui poſtpoſito deorum metu donaria ſpoliant populãturque templorũ: qui proſcriptionibus & ſuis cædib. nudant nobilitatib. ciuitates: qui matronarum pudorem ac virginũ vi ſubruunt atque eripiunt licentioſa, appellatis indigetes, atq; diuos: F & quos odijs acriorib. conueniebat à vobis carpi, puluinaribus, aris, templis, atque alio mactatis cultu, ludorum & celebritate natalium: necnon & illos omnes, qui conſcriptione voluminum multiformi maledictis mordacib. carpunt publicos mores: qui luxurias, ac vitas veſtras ſecant, vrunt, dilacerant: qui in temporis poſteri notas ſcriptorum perpetuitate prolatant: qui matrimonia perſuadent habenda eſſe cõmunia: qui cũ pueris cubitant formoſis laſciuientibus nudis; qui pecudes vos eſſe, qui fugitiuos, qui exules, qui viliſſimæ ſeruos notæ furioſos prædicant & inſanos: admirantes, plaudentes ad cœli ſuſtollitis ſydera: bibliothecarum reponitis in arcanis: quadrigis & ſtatuis muneramini: & quantum eſt in vobis velut quadam æternitate donatis immortalium teſtificatione titulorum: ſolum Chriſtum conuellere, dilacerare, ſi poſſitis, vultis, immo ſolum ſi liceat, beluarum agreſtium ritu cruentis oribus mandere, comminutis cum oſſibus trãſuorare: quodnam (quæſo) ob meritum dicite, cuius ob peccati culpam, quid ab eo commiſſum eſt, quod teneorem inflecteret recti, & in odia vos aſpera furialibus ſtimulis concitaret? quia animarum veſtrarum cuſtodem ſe miſſum ſolo indicauit ab rege? G quia vobis immortalitatem ferre, quam vos habere confiditis humanis paucorum aſſeuerationib. ſuaſi. quod ſi eſſet apud vos certum falſa illum dicere, ſpes etiam vaniſſimas polliceri, nec ſic video fuiſſe cauſam, cur eum deberetis odiſſe, cur hoſtili animaduerſione damnare, immo, ſi animus vobis clemens fuiſſet, & mitis, vel propter id ſolum eum deberetis amplecti, quod optabilia vobis ſponderet & proſpera: quod bonarum eſſet nuncius rerum: quod ea prædicaret, quæ nullius animum læderẽt: ſecuritatis quinimo expectationis impleret. O ingratum & impium ſæculum, ô in priuatam perniciem incredibili pectoris obſtinatione pronum! Si aliquis ad vos medicus ex ſummotis veniſſet & nunquam vobis regionibus cognitis, medicamen pollicens tale, quod à veſtris corporibus omnia omnino prohiberet morborum & valetudinum genera: non certatim blanditijs omnibus atq; honoribus fotum familiaria ſuſciperetis in mœnia? non illud medicaminis genus optaretis eſſe certiſſimum, non verum, quod immunes vos fore ab tam innumeris vexationibus corporum vſque ad vlti- H mos fines ſponderet ætatis? & licet ambigua res eſſet, committeretis vos tamen, nec potionem incognitam dubitaretis haurire ſpe ſalutis propoſita, atq; amore incolumitatis incenſi. Eluxit, atque apparuit Chriſtus rei maxime nũciator, auſpicium fauſtum portans, & præconium ſalutare credentibus. Quænam eſt iſta crudelitas, inhumanitáſque tanta, quinimo (vt verius loquar) faſtidioſum ſupercilium, nunciatorem muneris & portitorem tanti, non tãtum verborum maledictionibus ſcindere, verumetiam bello graui atque omnibus perſequi telorum effuſionibus & ruinis? Non placent ea quæ dicit, & cum offenſionibus audiuntur à vobis? pro ludicris ea vaticinationibus computate: ſtolidiſſimas res loquitur, & fatua dona promittit? ridete vt ſapientes vos viri, & in ſuis erroribus facultatem relinquite volutari. Quænã eſt hæc feritas (vt repetamus quæ dicta ſunt ſæpius) quæ libido tam carnifex, inexpiabile bellum indicere nihil de te merito? Dilacerare ſi detur eum

A velle per viſcera, qui non modo nullum intulerit malum nulli, ſed æqualiter benignus hoſtibus dicere, quidnam bis ſalutis Deo portaretur à principe: quid eſſet facto opus, vt interitum fugerent, & immortalitatem conſequerentur ignotam? Cumq; nouitas rerum, & inaudita promiſſio audientium turbarent mentes, & credulitatem facerent hæſitare: virtutum omnium dominus, atque ipſius mortis extinctor hominem ſuum permiſit interfici, vt ea rebus conſequentibus ſcirent in tuto eſſe ſpes ſuas, quas iamdudum acceperant de animarum ſalute, nec periculum mortis alia ſe poſſe ratione vitare.

ARNOBII DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES

LIBER II.

B HOc in loco tribui ſi vlla facultas poſſet, vellem cum his omnibus, quibus nomen inuiſum eſt Chriſti, ab inſtituta principaliter defenſione diuerticulo paulisper facto talia verba miſcere. Si nullam eſſe ducitis contumeliam, reſpondete aliquid interrogatos, ediſſeritate nobis, & dicite quid rei, quid cauſæ eſt, quod tam grauibus inſectamini Chriſtum bellis? vel quas eius continetis offenſas, vt ad eius nominis mentionem rabidorum pectorum efferueſcatis ardoribus? Nunquid regiam ſibi vindicans poteſtatem, terrarum orbem cunctum legionibus infeſtiſſimis occupauit? & pacatas ab exordio nationes alias deleuit ac ſuſtulit, alias ſibi parere ceruicibus compulit ſubiugatis? Nunquid ardoribus auaritiæ flagrans vniuerſas opes illas, quibus ſe genus humanum ſtudioſe contendit impleri, poſſeſſionis ſuæ mancipio vindicauit? Nunquid libidinũ cupiditatib. geſtiens pudicitiæ repagula vi fregit, aut alienis furtim inſidiatus eſt matrimonijs? Nunquid arrogantiæ ſupercilio tumidus iniurias & contumelias paſſim ſine vllius perſonæ diſcriminibus irrogauit? vt non omnium virtorum amore in cunctos & ſummo præcederit vitæ, & periculum ignorationis amouerit? qui ſi dignus non G eſſet, cui auſcultare deberetis, & credere: vel hoc ipſo fuerat non aſpernandus à vobis, q ſalutaria vobis oſtenderet, quod vias vobis ad cælum, & vota immortalitatis optaret. At enim odio dignus eſt quod ea orbe religiones expulit, quod ad deorũ cultum prohibuit accedi? Ergone ille religionis extinctor, & impietatis auctor arguitur, qui veram in orbe religionem induxit? qui hominib. cæcis, & reuera in impietate degentibus, pietatis aperuit ianuas, & cui ſe ſubmitterent, indicauit? An vlla eſt religio verior, officioſior, potentior, iuſtior, q̃ Deum principem noſſe, ſcire Deo principi ſupplicare, qui bonorum omnium ſolus caput, & fons eſt, perpetuarũ pariter fundator & conditor rerum, à quo omnia terrena cunctaq; cæleſtia animantur, motu irrigantur, q; vitali: & qui ſi non eſſet, nulla profecto res eſſet, quæ aliquod nomen, ſubſtantiamque portaret? Niſi forte dubitatis an ſit iſte, de quo loquimur, imperator: & magis eſſe Apollinem creditis, Dianam, Mercurium, Martem. Da verum iudicium: & hæc omnia circumſpiciens, quæ videmus, magis an ſint dij cæteri dubitabit, quam in Deo cun- D ctabitur, quem eſſe omnes naturaliter ſcimus: ſiue cũ exclamamus, ô Deus, ſiue cum illũ teſtem conſtituimus improborum, & quaſi nos cernat, faciem ſubleuamus ad cælum. Sed minoribus ſupplicare dijs homines vetuit. Dij enim minores, qui ſint aut vbi ſint ſcitis? perſtrinxit vos aliquando ſuſpicio eorum aut mentio, vt merito feratis indigne abrogatos his cultus, impartitione viduatos. quod ſi non mentis elatio & typhus qui appellatur à Græcis obſtaret, atque officeret vobis iamdudum ſcire potuiſſetis, quid aut quare prohibuerit fieri, intra fines quos ſtare voluerit religionem veram, quantum vobis periculum naſceretur ex eo, q putaretis obſequio, vel ea quibus malis emergeretis, ſi inſidioſo renunciaretis errori. Verũ hæc omnia illuſtrius cõmemorabuntur & planius, cũ vlterius prorſus fuerimus euecti. Monſtrabimus enim Chriſtum non impietatem docuiſſe nationes, ſed ab latronib. peſſimis miſerorum hominum imprudentiã vindicaſſe. Non credimus, inquitis, vera eſſe quæ dicit. Quid enim, quæ vos negatis vera eſſe, apud vos liquent, cũ imminentia, & nondũ paſſa, nullis poſſint rationib. refutari? Sed & ipſe quę pollicetur, non pbat. Ita eſt. Nulla.n. (vt dixi) futurorũ poteſt extare cõprobatio. Cum ergo hæc ſit conditio futurorũ, vt teneri & comprehẽdi nullius poſſint anticipationis attactu, nonne purior ratio eſt, ex duobus incertis & in ambigua expectatione pendẽtibus, id potius credere, quod aliquas ſpes ferat, quã omnino quod nullas? in illo.n. periculi nihil eſt, ſi quod dicitur imminere, caſſum fiat & vacuũ, in hoc damnum eſt maximũ, (id eſt ſalutis amiſſio) ſi cum tempus aduenerit, aperiatur hoc fuiſſe mendacium. Quid dicitis ô neſcij, etiam fletu & miſeratione digniſſimi? ita nõ tam extimeſcitis, ne forte hæc vera ſint, quæ ſunt deſpectui vobis, & præbẽt materiam riſus? nec ſaltem vobiſcũ ſub obſcuris cogitationib. voluitis? ne q hodie credere obſtinata renuitis peruerſitate, redarguat ſerum tempus, & irreuocabi- F lis pœnitentia caſtiget? nonne vel hęc ſaltẽ fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod iam per omnes terras in tam breui tempore & paruo, immenſi huius ſacramenta diffuſa ſunt? quod nulla iam natio eſt tam barbari moris, & manſuetudinẽ neſciens, quæ non eius amore verſa molliuerit aſperitatẽ ſuam, & in placidus ſenſus aſſumpta trãquillitate migrauerit? quod tam magnis ingenijs præditi Oratores, Grãmatici, Rhetores, Conſulti iuris ac Medici, philoſophię etiã ſecreta rimantes, magiſteria hæc expetũt, ſpretis quibus paulo ante fidebant: quod ab dominis ſe ſerui cruciatibus affici, quibus ſtatuerint, malunt, ſolui coniuges matrimonijs, exheredari à parentib. liberi, quam fidem rumpere Chriſtianam, & ſalutaris militię ſacramenta deponere: q cum genera pœnarũ tanta ſint à vobis propoſita religionis huius ſequẽtib. leges, augeatur res magis, & contra omnes minas atq; interdicta formidinũ animoſius populus obnitatur, & ad credendi ſtudium prohibitionis ipſius ſtimulis excitetur? nunquid hæc fieri paſſim & inaniter creditis, fortuitis incurſibus aſſumi has mẽtes? Itane iſtud non diuinũ & ſacrũ eſt aut ſine Deo eorũ tantas animorũ fieri conuerſiones, ut cum carnifices vnci, alijq; innumeri cruciatus (quẽadmodum diximus) impen- G deant credituris, veluti quadã dulcedine, atq; amore correpti cognitas accipiant rationes, atq; mundi omnibus rebus præponant amicitias Chriſti? Niſi forte obtuſi & fatui videntur hi vobis, qui per orbem iam totum conſpirant & coeunt in iſtius credulitatis aſſenſum. Quid ergo? vos ſoli ſapientiæ conditi atque intelligentiæ vi mera neſcio quid aliud videtis, & profundum? ſoli eſſe nugas intelligitis hæc omnia, ſoli verba & pueriles ineptias, ea quæ nobis promittimus principali ab rege ventura? Vnde (quæſo) eſt vobis tantum ſapientiæ traditum? vnde acuminis, & viuacitatis tantum? vel ex quib. ſcientię diſciplinis tantum cordis aſſumere, diuinationis tantum potuiſtis haurire? Quia per caſus, & tẽpora declinare verba ſcitis, & nomina, quia voces barbaras, ſolœciſmosq; vitare, quia numeroſum & inſtructum, compoſitumq; ſermonẽ, aut ipſi vos noſtis efferre: aut incomptus cum fuerit, ſcire: quia fornicem Lucilianum, & Marſyam Pomponij obſignarẽ memoria continetis: quia quæ ſint in litibus conſtitutiones, quot cauſarum genera, quot dictionum, quid ſpecies, oppoſitum à H contrario quibus rationibus diſtinguatur: iccirco vos arbitramini ſcire quid ſit falſum, quid verum, quid fieri poſſit, aut non poſſit: quæ imorũ, ſummorumq; natura ſit? Nunquamne illud vulgatum perſtrinxit aures veſtras, ſapientiam hominis ſtultitiam eſſe apud Deum? Primum & ipſi penitus perſpicitis vos ipſos, ſi quando de rebus diſceptatis obſcuris, & naturalia pergitis reſerare ſecreta, & ipſa, quæ dicitis, quæ aſſeueratis, quæ capitali plerumq; cõtentione defenditis, neſcire vos, & vnumquemq; ſuſpitiones ſuas probans & comprehenſis pertinaci obluctatione tutari. Quid enim (ſi verum perſpiciam) etiam ſi omnia ſecula in rerum inueſtigatione ponantur, ſcire per nos poſſumus, quos ita cæcos, & ſuperbos neſcio quæ res protulit, & concinnauit inuidia, vt cum nihil ſciamus omnino: fallamus nos tamen, & in opinionem ſcientiæ ſubinflati pectoris tumore tollamur? Vt enim diuina prætereã, & natu-

A tali obſcuritate res merſas, poteſt quiſquã explicare mortalibus id, quod Socrates ille comprehendere nequiit in Phędone? homo quid ſit, aut vnde ſit, anceps, varius, mobilis, pellax, multiplex, multiformis, in quos vſus prolatus ſit, cuius ſit excogitatus ingenio, quid in mundo faciat, cur malorũ tanta experiatur examina? vtrum illum tellus alicuius conueſta putore, tanquam vermes animauerit, tanquã mures an fictoris alicuius, & fabricatoris manu lineamenta hæc corporis, atque oris acceperit formam? Poteſt, inquam, ſcire in medio hæc poſita, atque in ſenſib. conſtituta communibus, quibus cauſis mergamur in ſomnos, quibus euigilemus, quibus modis fiant inſomnia, quibus viſa, imo (quod ambigit in Theæteto Plato) vigilemus aliquando, an ipſum vigilare, quod dicitur, ſomni ſit perpetui portio? & quid agere videamur, inſomnium cum videre nos dicimus? radiorum, & luminis intentione videamus, an rerum imagines aduolent, & noſtris in pupulis ſidant? vtrum ſapor in rebus ſit, an palati contagionibus fiat?
B quibus ex cauſis pili nigrorem ingenitum ponant, neque omnes pariter, ſed paulatim adijciendo caneſcant? quid ſit quod humores vniuerſi vnum corpus efficiant mixtione, ſolum oleum reſpuat immerſionem in ſe pati, ſed in ſuam naturam impenetrabile ſemper perſpicue colligatur? Ipſe deniq; animus, qui immortalis à vobis & Deus eſſe narratur, cur in ægris æger ſit, in infantibus ſtolidus, in ſenectute defeſſus? delira & fatua & inſana quorum infirmitas & inſcientia miſerabilis hoc magis eſt, quod cum fieri poſſit vt veri aliquid aliquando dicamus, & hoc ipſum nobis incertum ſit, an veri aliquid dixerimus. Et quoniam ridere noſtram fidem conſueſtis, atque ipſam credulitatem facetijs iocularibus lancinare, dicite ô feſtiui, & meraco ſapientię tincti & ſaturi potu, eſtne operis in vita negotioſum aliquod atq; actuoſum genus, quod non fide præeunte ſuſcipiant, ſuinant, atque aggrediantur? an terris peregrinamini, nauigatis, non domum vos credentes peractis negociationibus remeaturos? terram ferro ſcinditis, atq; oppletis ſeminum varietate, non credentes vos frugem percepturos eſſe vicibus temporarijs? coniugalia copulatis conſortia, non futura eſſe credentes caſta, & officioſi fœderis in
C maritos? liberorum ſuſcipitis prolem, non incolumẽ credentes fore, & per gradus ætatis venturam ſenectutis ad metas? ægritudines corporum medicorum committitis manibus, non credentes morbos poſſe mitigata aſperitate leniri? bella cũ hoſtib. geritis, non victoriam vos credẽtes præliorũ ſucceſſionib. relaturos? veneramini deos, & colitis, non credẽtes illos eſſe, & ꝓpitias aures veſtris ſupplicationib. accõmodare? Quid illa de reb. ab humana cognitione ſepoſitis, quæ cõſcribitis ipſi, quæ lectitatis, oculata vidiſtis inſpectione, & manib. tractata tenuiſtis? Nõne veſtrum quicunq; aſt, huic, vel illi credit auctori? non quod ſibi perſuaſerit quis verum dici ab altero, velut quadã fidei aſtipulatione tutatur? qui cunctorũ originẽ eſſe dicit ignẽ, aut aquam, non Thaleti, aut Heraclito credit? qui cauſam in numeris ponit, non Pythagoræ Samio, non Architę? qui animam diuidit, & incorporales conſtituit formas, non Platoni Socratico? qui quintum elemẽtum principalibus applicat cauſis, non Ariſtoteli Peripateticorum patri? qui ignem minatur mundo, & veniente cum tempus, arſurum, non Panætio, Chryſippo, Zenoni? qui indiuiduis corporibus mundos ſemper fabricatur & deſtruit, non Epicuro,
D Democrito, Metrodoro? qui nihil ab homine comprehendi, atq; omnia cæcis obſcuritatibus inuoluta, non Arceſilao, Carneadi? non alicui deniq; academiæ veteris, recentioriſque cultori? Ipſi denique principes, & prædictarum partes ſententiarum, nonne ipſa ea quæ dicunt, ſuis credita ſuſpicionib. dicunt? Vidit. n. Heraclitus res ignium conuerſionibus fieri? concretione aquarum Thales? Pythagoras numeros ſcit? incorporales formas Plato? indiuiduorũ Democritus concuſſiones? aut illi, qui autumãt nihil poſſe omnino cõprehendi, an ſit verũ quod dicunt, ſciunt? aut ipſum, quod definiunt, veritatis eſſe intelligunt pronũciatum? Cum igitur comperti nihil habeatis & cogniti, omniaque illa, quæ ſcribitis, & librorum comprehẽditis millibus, credulitate aſſeueratis duce: quænam hæc eſt iudicatio tam iniuſta, vt noſtram derideatis fidem, quam vos habere conſpicitis noſtra in credulitate cõmunẽ? Sed ſapientibus
E vos viris omnibuſq; inſtructis diſciplinarũ generib. creditis. nẽpe illis, qui nihil ſciſcunt, nec pronunciant vnũ, qui pro ſuis ſententijs bella cum aduerſantibus conſerunt & pertinacis ſemper digladiantur hoſtilitate, qui, cum alter alterius labefactant, deſtruunt, conuellũtq; decreta, cuncta incerta fecerunt, nec poſſe aliquid ſciri ex ipſa diſſenſione monſtrarunt. Sed faceſſant hæc, nihil que impediãt plurimum quo minus eis credere atq; auſcultare debeatis, & quid eſt, quod in hac parte, aut vos plurimũ habeatis, aut nos minus? vos Platoni, vos Plotino, vos Numenio, vel cui libuerit creditis: nos credimus, & acquieſcimus Chriſto. Iniquitas hæc quanta eſt, vt cum vtriq; auctorib. ſtemus, ſitq; nobis & vobis vnũ & ſociũ credere, vobis velitis dari, quod ita ab illis dicatur accipere? vos ea, quæ proferuntur à Chriſto, audire & ſpectare nolitis? Atqui ſi cauſas cauſis, partes partib. voluerimus æquare: magis nos valemus oſtẽdere quid in Chriſto fuerimus ſecuti, quam in
F philoſophis quid vos. Ac nos quidem in illo ſecuti hæc ſumus: opera illa magnifica, potẽtiſſimaſq; virtutes, quas varijs edidit exhibuitq; miraculis, quib. quiuis poſſet ad neceſſitatem credulitatis adduci, & iudicare fideliter nõ eſſe quæ fierent hominis, ſed diuinæ alicuius atque incognitæ poteſtatis: vos in philoſophis virtutes ſecuti quas eſtis, vt magis vos illos quã nos Chriſto oportuerit credere. Quiſquamne illorum aliquando verbo vno potuit, aut vnius imperij iuſſione, non dicam maris inſanias, aut tempeſtatum furores prohibere, cõpeſcere: non cæcis reſtituere lumina, aut ſine luminib. natis dare: non ad vitam reuocare defunctos: non annoſas diſſoluere paſſiones: ſed quod leuiſſimũ multo eſt, furunculũ, ſcabiem, aut inhęrentem ſpinulam callo vna interdictione ſanare? Non quo illos negemus, aut morum integritate laudabiles, aut non omni genere ſtudiorum & diſciplinarũ peritos: nã & verbis eos luculentiſſimis ſcimus loqui & compoſitionibus fluere leuigatis: concludere acutiſſime ſyllogyſmos: ordinare ſequaciter inductiones ſuas: reddere definitionibus formulas, partiri, diuidere: multa dicere de numerorũ generibus:
G multa de muſicis: geometricas res etiam ſuis ſcitis, & perceptionib. explicare. Sed quid iſtud ad cauſam? nunquid Enthymemata, Syllogiſmi, reſq; aliæ ſimiles ſcire illos veritatem ſpondent: aut ex re digni ſunt, quib. neceſſario debeat rebus de obſcuriſſimis credi? Perſonarum contentio non eſt eloquẽtię viribus, ſed geſtorũ operum virtute pendenda. Ille nõ eſt dicẽdus auctor bonus, qui ſermonem cãdidule promplit: ſed qui, quod pollicetur, diuinorũ operũ proſequitur ſponſione. Argumenta vos nobis, & ſuſpicionũ argutias proferetis: quib. ipſe ſi Chriſtus (cum pace hoc eius, & cum venia dixerim) populorum in conuentibus veteretur: quis acquieſceret, quis audiret, quis eum promitteret aperte aliquid iudicare? aut quis caſſa & nuda iactantem (quamuis eſſet imprudẽs, & facilitatis ſtolidę) ſequeretur? Virtutes ſub oculis poſitæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipſo fiebat palam, vel ab eius præconibus celebrabatur in orbe toto: eas ſubdidit appetitionũ flammas, & ad vnius credulitatis aſſenſum mente vna concurrere gentes & populos fecit, & moribus diſſimillimas nationes. Enumerari. n. poſſunt, atq; in vſum cõputationis venire ea, quæ in Indis geſta ſunt, apud Seras, Perſas, & Medos: in
H Arabia, Ægypto, in Aſia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas: in Achaia, Macedonia, Epiro: in inſulis & prouincijs omnibus, quas Sol oriens, atq; occidens luſtrat: ipſam deniq; apud dominam Romam, in qua cum homines ſint Numæ regis artibus, atq; antiquis ſuperſtitionib. occupati, non diſtulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coaleſcere Chriſtianæ. Viderãt enim curſum Simonis magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Chriſto euanuiſſe. Viderant, inquam, fidentem dijs falſis, & ab eiſdem metuentib. proditum, pondere præcipitatum ſuo, cruribus iacuiſſe præfractis: poſt deinde perlatũ Brundam, cruciatibus, & pudore defeſſum, ex altiſſimi culminis ſe rurſum præcipitaſſe faſtigio. Quæ omnia vos geſta neq; ſcitis, neque ſcire voluiſtis: neque vnquam vobis neceſſaria iudicaſtis: ac dum veſtris fiditis cordibus, & quod typhus eſt ſapientia vocatis, deditis circumſcriptoribus

A locum, illis inquam nouis, quorum nomen intereſt obſoleſieri Chriſtianũ, ſuperfundendi caligines, atq; obſcurandi res tantas, eripiendæ vobis fidei, ſubijciẽdiq; contẽptus: vt, quia ſibi præſentiũt finem promeritis imminere, vobis quoq; immitterẽt cauſam, per quã periculũ adire poſſetis, & viduari benignitate diuina. Interea tamen ò iſti, qui admiramini, qui ſtupetis doctorũ & philoſophiæ ſcita: ita nõ iniuſtiſſimum ducitis inequitare, illudere tanquam ſtulta nobis & bruta dicentibus: cum vel ea, vel talia reperiamini & vos dicere, quæ nobis dici pronunciarique ridetis? Nec mihi cum his ſermo eſt, qui per varia ſectarum diuerticula diſſipati, has atq; illas partes opinionũ diuerſitate fecerunt. Vos vos appello, qui Mercuriũ, qui Platonẽ, Pythagorãq; ſectamini: voſq; cæteros, qui eſtis vnius mentis, & per eaſdem vias placitorum inceditis vnitate. Audetis ridere nos, qui patrẽ rerũ, ac deum veneramur & colimus: quodque illi dedamus & permittamus ſpes noſtras? Quid Plato B veſter in Theæteto (vt eum potiſſimũ nominem) nonne animo fugere ſuadet è terris: & circa illũ ſemper (quantum fieri poteſt) cogitatione ac mente verſari? Audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus reſurrectionem futuram? quam quidem nos dicere confitemur: ſed à vobis aliter, quam ſentiamus, audiri. Quid in Politico idem Plato? nõne cum mundus occœperit ab occiduis partibus exoriri, & in cardinem vergere qui orientis eſt ſolis, rurſus erepturos homines telluris è gremio ſcribit, ſenes, canos, decrepitos, & cum anni cœperint accedere longiores, per eoſdẽ gradus, quib. hodie creſcitur, ad incunabula infantiæ deuenturos? audetis ridere nos, quod animarũ noſtrarũ prouideamus ſaluti, id eſt ipſi nobis? Quid enim ſumus homines, niſi animæ corporib. clauſæ? Vos enim non omnes pro illarũ geritis incolumitate curas? nõ q vitijs omnibus, & cupiditatib. abſtineatis: metus ille vos habet, ne, velut trabalibus clauis affixi, corporib. hæreatis. Quid illi ſibi volũt ſecretarum artiũ ritus, quibus affamini neſcio quas poteſtates, vt ſint vobis placidæ, neq; ad ſedes remeantib. patrias obſtacula impeditiouis opponãt? Audetis ridere nos, cũ gehennas dicimus, & inextinguibiles quoſdã ignes, in quos animas deijci ab earum hoſtibus, inimicisque cognouimus? C Quid Plato idem veſter in eo volumine, q de animæ immortalitate cõpoſuit? non Acherõtẽ, non Stygem, nõ Cocytum fluuios, & Pyriphlegetontẽ nominat: in quib. animas aſſeuerat volui, mergi, exuri? Et homo prudentiæ non prauæ, & examinis indicijque perpenſi rem inenodabilem ſuſcipit: vt cum animas dicat immortales, perpetuas, & corporali ſoliditate priuatas, puniri eas dicat tamẽ, & doloribus afficiat ſenſuum. Quis autem hominum non videt quod ſit immortale, quod ſimplex, nullum poſſe dolorem admittere? quod autem ſentiat dolorem, immortalitatem habere non poſſe? Nec tamen eius auctoritas plurimum à veritate declinat. Quamuis enim vir lenis, & beneuolæ voluntatis inhumanũ eſſe crediderit, capitali animas ſententia condemnare: non eſt tamen abſone ſuſpicatus iaci eas in flumina torrẽtia flammarũ globis, & cœnoſis voraginib. tetra. Iaciuntur enim, & ad nihilũ redactæ interitionis perpetuæ fruſtratione vaneſcunt. Sunt enim mediæ qualitatis (ſicut Chriſto auctore cõpertum eſt) & interire quæ poſſint, Deum ſi ignorauerint, vitæ & ab exitio liberari, ſi ad eius ſe minas, atque indulgentias applicarint. & vt D quod ignotum eſt pateat, hæc eſt hominis mors vera, hæc nihil reſiduum faciens. nam illa, quæ ſub oculis cernitur, animarum eſt à corporib. diſiugatio, non finis abolitionis extremus. hęc, inquam, eſt hominis mors vera, cum animæ neſcientes Deum per longiſſimi temporis cruciatu conſumuntur ignifero, in quem illas iaciunt quidam crudeliter fæui, & ante Chriſtum incogniti, & ab ſolo ſciente detecti. Quare nihil eſt quod nos fallat, nihil quod nobis polliceatur ſpes caſſas, quod à nouis quibuſdam dicitur viris, & immoderata ſui opinione ſublatis, animas immortales eſſe, deo rerum, ac principi gradu proximas dignitatis, genitore illo ac patre prolatas, diuinas, ſapientes, doctas, neq; vlla corporis attrectatione contiguas: quod quia verum & certum eſt, & à perfecto ſumus inemendabili perfectione prolati, inculpabiles, & ideo irreprehenſibiles, viuimus, boni, juſti, & recti, vitioſitatis nullius rei: nulla cupiditas

E nos vincit, nulla libido debonestat, virtutum omniũ ſeruamus atq; integramus tenorẽ. Et quia vno ex fonte omniũ noſtrũ defluunt animæ, idcirco vnũ conueniẽſq; ſentimus: non moribus, nõ opinionib. diſcrepamus: Deũ omnes nouimus, nec quot in orbe ſunt homines, ſunt ſententiæ totidem, neq; infinita varietate diſcretæ. At dum ad corpora labimur & properamus humana, ex mundanis circulis ſequuntur nos cauſæ, quibus mali ſimus, & peſſimi, cupiditatibus atq; iracundia ferueamus, exerceamus in flagitijs vitam, & in libidinem publicam venalium corporũ proſtitutione damnemur. Et quemadmodum ſe poſſunt incorporalib. corpora coniungere: aut à Deo principe res factæ, ab infirmiorib. cauſis ad vitiorũ dehoneſtamenta traduci? Vultis hominis inſtitutam, ſuperciliumq; deponere? qui Deum vobis aſſciſcitis patrem, & cum eo contenditis immortalitatẽ habere vos unam, vultis quærere, peruestigare, rimari, quid ſitis voſipſi, cuius ſitis, cenſeamini quo F patre, quid in mũdo faciatis, quanam ratione naſcamini, quo pacto proſiliatis ad vitã? vultis fauore depoſito cogitationib. tacitis perpendere animantia nos eſſe, aut cõſimilia cæteris, aut non plurima diſſentaneis diſtantia? Quid eſt enim, quod nos ab eorũ indicet ſimilitudine diſcrepare? vel quæ in nobis eminentia tanta eſt, vt animantiũ numero dedignemur adſcribi? Ex oſſib. illis fũdata ſunt corpora, & neruorũ colligatione deuincta: & nobis comparili ratione ex oſſibus fundata ſunt corpora, & neruorũ colligatione deuincta. Auras accipiunt naribus, & per anhelitum reciprocatas reddunt: & nos ſpiritũ conſimiliter ducimus, & reſpiramus cõmeatibus crebris. Femininis generibus, maſculiniſq; diſtincta ſunt: in totidem & nos ſexus noſtro ſumus ab auctore formati. Edunt per vteros fœtus, & corporalib. cõcilijs procreant: & nos corporũ cõiugationib. naſcimur, & ex aluis fundimur, atq; emittimur, matrum cibo ſuſtentantur & potu. Et ſuperfluas fœditates inferiorib. egerunt abijciuntque poſticis: & nos cibo ſuſtentamur & potu, & quod natura iam reſpuit, per eoſdem effundimus tramites. Cura illis eſt omnib. famẽ prohibere mortiferam, & neceſſario inuigilare pro victu: quid aliud nos tantis agimus in occupationib. vitæ, niſi vt ea quæramus, quib. famis periculũ deuitetur, & infelix ſolicitudo ponatur? Morbos illa G & medias ſentiunt, & ad vltimũ ſenectute ſoluuntur: quid enim nos immunes malis ab his ſumus, & non eadẽ ratione morborũ incõmoditatibus frangimur, & ſenectutis deſtruimur tabe? Quod ſi & illud verũ eſt, quod in myſterijs ſecretiorib. dicitur, in pecudes atq; alias beluas ire animas improborum, poſtquã ſunt humanis corporib. exutæ: manifeſtius cõprobatur, vicinos nos eſſe, neq; interuallis longiorib. diſparatos. Siquidẽ res eadem nobis & illis eſt vna, per quã eſſe animantia dicimur, & motũ agitare vitalem. Sed rationales nos ſumus, & intelligẽtia vincimus genus omne mutorũ. Crederẽ iſtud veriſſime dici, ſi cũ ratione & conſilio cuncti homines viuerent, ſeruarẽt officiorũ tenorem, abſtinerent ab illicitis, & ſi negotia turpia nõ adirent: neq; quiſquam prauitate conſilij, atque ignorantiæ cæcitate contraria ſibimet atque inimica depoſceret. Vellem tamen ſcire quænam ſit hæc ratio, per quã ſumus potiores animalium generibus cunctis: quia nobis domicilia fecimus, quib. poſſimus hyemalia frigora, & æſtatis flagrantias euitare? quid, animantia cętera huius rei prouidentiam nõ H habent? nonne alia cernimus opportuniſſimis ſedibus nidulorum ſibi conſtruere manſiones? alia ſaxis & rupibus tegere & communire ſuſpenſis? excauare alia telluris ſola, & in foſſilibus foueis tutamina ſibimet & cubilia præparare.

Quod ſi miniſtras manus illis etiã donare parens natura voluiſſet, dubitabile non foret, quin & ipſa conſtruerent mœnium alta faſtigia, & artificioſa excuderent nouitate. Tamen in his ipſis, quæ roſtris atque vnguibus faciunt, multa ineſſe conſpicimus rationis & ſapientię ſimulacra: quæ homines imitari nulla meditatione poſſumus: quamuis ſint nobis opifices manus, atq; omni genere perfectionis artifices. Veſtem illa non norũt, ſellas, naues atq; aratra compingere: nec denique ſupellectilem cæteram, quam familiaris vſus expoſcit. Non ſunt iſta ſcientiæ munera, ſed pauperrimæ neceſſitatis inuenta. Neq; cum ani-

mis

A miſ artes cœli ex penetralibus ceciderunt: ſed exquiſitæ, & natæ ſunt in terris hic omnes, & cum proceſſu temporũ paulatim meditatione conflatæ. Quod ſi haberent ſcientias animæ, quas genus & habere diuinum atque immortale condignum eſt: ab initio homines cuncti omnia ſcirent, nec ſeculum eſſet vllum, quod artis eſſet ignarum alicuius, aut rerum experientia non paratum. Nunc verò inops vita, & multarum indigens rerum, fortuita conſpiciens quædam commodulè prouenire, dum imitatur, experitur & tentat, dum labitur, reformat, immutat, ex aſſidua reprehenſione paruas ſibi concinnauit ſcientiolas artium, & ad vnum exitum temporibus plurimis commendatas perduxit. Quòd ſi homines penitus aut ipſos ſe noſſent, aut intellectum Dei ſuſpicionis alicuius acciperent aura, nunquam ſibi adſciſcerent diuinam immortalemque naturam, nec exiſtimarent quiddam magnificum ſe noſſe, quia ſibi craticulas, trullas, cæteraq; fecerunt, quia ſubuculas, ſupparia, lenas, lacernulas, trabeas, cultros, loricas, & B gladios, quia raſtra, ſecuriculas, vomerem. Nunquam, inquam, crederent typho & arrogantia ſubleuati, primas eſſe ſe numina, & æqualia principis ſummitati, qui grammaticam, muſicam, oratoriam pepererant, & geometricas formulas in quibus artificijs quidnam inſit admirabile, non videmus, vt ex eorum inuentione credatur eſſe animas potiores & ſole & ſyderibus cunctis, hunc totum, cuius membra ſunt hæc, mũdum, & dignitate & ſubſtantia præterire. Quid enim aliud ſe ſpondent vel inſinuare poſſe, vel tradere, quàm vt regulas nominum, differentiaſq; noſcamus? vt interualla in vocum ſonis, vt loquamur ſuadenter in litibus, vt terrarum continentias metiamur? Quæ ſi ſecum animæ diuinis ex regionibus attuliſſent, & eſſet neceſſarium ſcire, omnes ea iamdudum in toto orbe tractarent, neque vllum hominum reperiretur genus, quod nõ eſſet his omnibus æqualiter atque vniformiter eruditum. Nunc verò in mundo quotus quiſque eſt muſicus, dialecticus & geometres, quotus orator, poeta, grammaticus? C ex quo apparet (vt ſæpius dictum eſt) inuenta hæc eſſe locorum neceſſitate ac temporum: neque diuinitùs eruditas aduolauiſſe huc animas, quòd neque omnes doctæ ſint, neque diſcere omnes poſſint, & ſint in his plurimæ acuminis obtuſioris & tardi, & ad diſcendi ſtudium plagarum coercitione cogantur. quòd ſi ea, quæ diſcimus, reminiſcentias eſſe conſtaret, vt antiquis opinionibus ſcitum eſt, conueniebat nos omnes ab vna veritate venientes vnum noſſe, vnumque reminiſci, non habere diuerſas, non plurimas diſſidenteſque ſententias. nunc verò cùm ſinguli aliud atque aliud aſſeramus, manifeſtum & promptum eſt, nihil nos attuliſſe de cœlo, ſed hic nata addiſcere, & ſuſpicionibus coalita vindicare. Et vt vobis clarius manifeſtiuſque monſtremus, cuius ſit precij homo, quem ſimillimum creditis potentiæ ſuperioris exiſtere, cõcipite animis hanc imaginem veſtris, & quod fieri, ſi aggrediamur, poteſt, tanquam ſi ſimus aggreſſi, ſimilitudinis aſſumptione teneamus. Sit igitur nobis tellure in effoſſa locus habitabilis D formam cubilis efficiens, tecto & parietibus clauſus, non algidus frigore, non feruens nimio calore: ſed ita temperatus & medius, vt nec frigoris ſenſum, nec ardorem validum perpetiatur æſtatis. In hunc ſonus omnino nullius incidat vocis, non auis, non beſtiæ, non tempeſtatis, non hominis, non denique fragoris alicuius, aut cõcrepantis terribiliter cœli. Excogitemus deinde quemadmodum lumen accipiat, non ex illato igni, neque ex ſole conſpecto, ſed nouum aliquid fiat, quod imaginem luminis caligine interpoſita mentiatur: ianua non vna ſit, nec ſit introitus rectus. adeatur inflexionibus ſinuoſis, nec recludatur aliquando, niſi cũ neceſſaria ratio poſtularit. Nunc quoniã imagini præparauimus ſedẽ, accipiamus deinceps mox aliquem natum, & in loci illius hoſpitium, quod habeat rem nullam, & ſit inane ac vacuum, Platonica licet aut Pythagoræ ex progenie, aut horum alicuius, qui acuminis perhibẽtur fuiſſe diuini, aut ex deûm reſponſis ſapientiſſimi nuncupati. Quod cũ actum fuerit, nutriri vt debeat, ſequitur, & alimonijs conuenientib. educari. Adhibeamus igitur & nutricem, quæ ſemper ad eũ nuda, ſemper ſilens accedat, verbũ nullũ faciens, nec in ſermonem aliquem ora & labra diducat, ſed cũ mammas dederit, & conſequentia ſuppleuit officia, datũ quieti linquat, & ante fores clauſas dies noctesq; cõtineat. Poſcit enim plerumq; res, nutricias adeſſe curas, & obſeruare tẽporarios motus. At verò cũ cœperit ſolidioribus cibis infans debere fulciri, nutrice inferatur ab eadẽ, veſte, vt diximus, poſita, & tenore reticentiæ ſeruato. Ipſe autẽ, qui infertur cibus, ſit vnus atq; idẽ ſemper, nihil materia differens, nec per varios redintegratꝰ ſapores, ſed aut ſit ille de milio, aut ſit panis ex farre, aut (vt ſecula imitemur antiqua) ex cinere calido glandes, aut ex ramis agreſtibus bacculæ. Potio autẽ vini ſit penitus incognita, nec ſedandæ aliud admoueatur ſiti, quàm liquor purus è fontib. caldore ignis intactꝰ, & (ſi fieri potis eſt) manibus ſubminiſtratus cauis. Fiet enim familiaris è more cõſuetudo in naturam verſa, nec appetitio corrigetur, vlteriꝰ eſſe amplius neſciens quod petatur. Quorſum igitur hæc ſpectant? vt quoniam creditũ eſt, animas diuinas atq; adeò immortales eſſe, & ad hominũ corpora diſciplinis cum omnib. aduolare, experiamur ex iſto, quem hoc genere voluimus educari, capiatne res fidem, an ſit leuiter credita, & fruſtrabili expectatione præſumpta. Procedat igitur nobis ſolitudine in operta nutritus, quot vultis annos agens, vultis vicenarius? vultis tricenariꝰ? immò cum annos fuerit 40. permenſus, mortalium conſilijs inferatur: & ſi verum eſt, illum principalis eſſe ſubſtantiæ portionem, & ex fontib. vitæ deriuatum hic agere, antequam notitiam rei ſumat alicuius, aut ſermone imbuatur humano, det reſpõſum rogatus, quiſnam ſit ipſe, aut quo patre, quib. ſit in regionibus editus, quo pacto, aut quanam ratione nutritus, quid operis aut negocij celebrans anteacti temporis decurrerit æuitatem. Ita ille nõ omni pecore, ligno, ſaxo obtuſior atq; hebetior ſtabit? nõ miſſus in res nouas, & nunquam ſibi antè cognitas, ipſum ſeſe eſſe ante omnia neſciturus? Poteritne (ſi quæras) ſol, quid ſit, oſtendere, terra, maria, ſydera, nubes, nebula, pluuiæ, tonitrua, nix, grando? Poterit arbores ſcire quid ſint, herbæ aut gramina, taurus, equus, aut aries, camelus, elephantes, aut miluus? Eſurienti ſi dederis vuam, muſtacium, cæpe, carduum, cucumerem, ficum, ſciet poſſe ſedari omnibus ex his famem? aut quo genere ſingula eſſe debeant? Et ſibi ignẽ ſi plurimũ feceris, aut venenatas circumpoſueris beſtias, nonne ibit per medias flammas, viperas, ſolifugas, eſſe noxias neſciens, & timere ipſum, quid ſit ignorans? Iam verò ſi veſtẽ, ſi ſupellectilẽ ponas in medio tã vrbanam, quàm ruſticam, eritne idem vt poſſit diſcriminare, cui negocio res quæq; conueniat? cuius muneris accõmodata ſint vſui, indicet? in quos habitus veſtis, ſtragula facta ſit, mitra, ſtrophium, faſcia, puluinus, maccinium, lena, tunica, mantele, maſtruca, ſoccus, ſolea, calceus? Quid ſi adijcias, rota quid ſit, aut tribula, vannus, dolium, cupa, trapetum, vomis, aut cribrum, mola, buris, aut ſarculum? Quid aequata ſit ſellula, acus, ſtrigil, polubrum, ſiliquaſtrum, trulla, lancicula, candelabrum, ſcopæ, ſcyphꝰ, ſaccus? Quid ſit cithara, tibia, argentum, æs codex, radius, liber? Quid inſtrumenta ſint cætera, quibus vita ſuccingitur & cõtinetur humana? ita (vt diximus) ille non vobis ritu, aut aſini, porci, aut ſi vllũ eſt animal tardius, cõſpiciet, & quidem formaturas varias reſpectans, & quæ ſint ſingula neſciens, & quam in cauſam poſſideantur ignorans: nonne vocem, ſi fuerit neceſſitate aliqua coactus emittere, vt ſolenne eſt mutis, inarticulatum neſcio quid ore hiante clamabit? Quid in Menone, ô Plato, quædam rationibus numeri admota ex puerculo ſciſcitans? & ex eius niteris reſponſionib. comprobare, quæ diſcamus non diſcere, ſed in eorũ memoriam, quæ antiquitùs noueramus, reduci? Qui ſi tibi verè reſpondet (non enim nos conuenit fidem reb. abiudicare quas dicis) nõ tenerum ſcientia, ſed intelligentia ducitur: & ex eo, quod aliquos numeros quotidianis habet ex vſibus notos, fit vt ſequatur rogatus, & ipſa illũ ſemper multiplicationis adducat acceſſio. Quod ſi verè cõfidis immortales huc animas, & plenas ſciẽtiæ peruolare, adoleſcentulũ iſtũ rogare deſiſto, quem eſſe conſpicis ignarum totũ, & humanitatis eſſe in finib. conſtitutum. Quadragenarium iſtũ ad te voca, & ex eo percontare, non abſtruſum aliquid, non inuolutum, non de triangulis, non de quadratis, quid ſit Dibus,

E F G H

A aut Dynamus ſeſquioctauus, aut ſeſquitertius vltimus: ſed quod in mediu ſitum eſt, bis bina, bis terna, quam efficiant ſummulam quærito. Volum⁹ videre, volumus ſcire, quid rogatus reſpondeat, an inquiſitam expediat quæſtionem. Ita ille ſenſurus eſt (quamuis ei pateant aures) an aliquid dicas, an aliquid quæras, an ab ſe reſponderi aliquid poſtules, & non ſtipes vt aliquis, aut Marpeſia (vt dictum eſt) rupes ſtabit elinguis & mutus? hoc ipſum ignorans & neſciens, ſecum potius an cum altero colloquaris, cum altero ſermocineris, an ſecum, oratio ſit iſta, quam promis, an ſonitus vocis nihil rerum ſignificans, ſed inani continuatione pertractus? Quid dicitis, ô viri, plusquam ſatis eſt vobis ex aliena generoſitate tribuentes? hæccine eſt anima docta illa, quam dicitis, immortalis, perfecta, diuina, poſt Deum principem rerum, & poſt mentes geminas locum obtinens quartum, & affluens ex crateribus viuis? Hic eſt ille precioſus, & rationibus homo auguſtiſſimis præditus, mundus minor qui dicitur, & totius in ſpeciem ſimilitudi- B nis fabricatus atque formatus, nullo melior (vt apparuit) pecore, obtuſior ligno, ſaxo, qui neſciat homines, & in mutis ſemper ſolitudinibus degat, demoretur, iners velati puer, quamuis annis viuat innumeris, & nunquam nodis corporeis eximatur. Sed cùm ſcholas attigerit, & magiſtrorum fuerit inſtitutionibus eruditus, efficitur prudens, doctus, & quam nuper habuerat, imperitiam ponit. Et aſellus, & bos æquè, vſu atque aſſiduitate cogente, diſcit arare ac molere: equus iugum ſubire, & agnoſcere in curriculo flexiones: camelus ſeſe ſubmittere, ſiue cùm ſumit onera, ſiue cùm ponit: columba manumiſſa reuolare ad dominicas ſedes: canis cum inuenerit prædam, cohibere & continere latratum: verba pſittacus integrare, & nomina prorſus expromere. Sed ego cum audio, neſcio quid præſtans animam dici, Deo vicinum & proximum, ſcientem huc omnia ſuperioribus aduentare de ſeculis: nolo illam diſcere, ſed docere, nec ea docta, vt dicitur, elementariam fieri, ſed retinentem res ſuas corporibus ſemet circum- C ligare terrenis. niſi enim ſeſe habuerit res ita, diſcerni qui poterit, vtrumne illud, quod audit, reminiſcatur, an diſcat? cum multò facilius credere, diſcere illam quod neſciebat, quàm oblitam, quod paulò antè ſciebat, & oppoſitu corporis amitti repetentiam priorum. Et vbi eſt illud quod dicitur incorporalis anima ſubſtantiam non habere? quod enim nullius eſt corporis, oppoſitione alteri⁹ nō impeditur, nec poteſt aliquid ſuadere perdere id, quod non poteſt tactū rei oppoſitæ ſuſtinere. Vt .n. numerus in corporibus cōſtitutus, quàmuis mille corporib. obruatur, intactus & inuiolabilis conſtat, ita neceſſe eſt animas, ſi ſunt, vt perhibetur, incorporeæ, obliuionem priorum nullam pati, quamuis eas ſolidiſſimæ corporum circūligauerint iunctiones. Quid? quòd eadem ratio non tantū incorporeas indicat eas nō eſſe, verumetiam priuat immortalitate has omni, & ad fines applicat, quibus vita conſueta eſt terminari. Quicquid enim cauſa ingruente nonnulla ita mutatur & vertitur, vt integritatem ſuam retinere non poſſit, id neceſſe eſt iudicari natura eſſe paſſiuum. Quod autem eſt D promptum atq; expoſitum paſſioni, corruptibile eſſe ipſa paſſibilitate interueniente denunciatur. Ergo, ſi & animæ perdūt omne quod nouerāt, corporalib. vinculis occupatæ, patiantur neceſſe eſt aliquid, quod eas efficiat obliuionis induere cæcitatē. Neq; .n. nihil omnino perpeſſæ, aut integritatem conſeruantes ſuam, poſſunt rerum ſcientiam ponere, aut in alios habitus ſine ſui mutabilitate tranſire. Atqui nos arbitramur, quod eſt vnum, quod immortale, quod ſimplex quacunq; in re fuerit, neceſſariò ſemper ſuā retinere naturam, nec debere aut poſſe aliquid perpeti, ſi modò eſſe perpetuū cogitat, & in finib. propriæ immortalitatis hærere. Omnis enim paſſio leti atq; interitus ianua eſt, ad mortem ducens via, & ineuitabilem rebus afferens functionem, quam ſi ſentiunt animæ, & tactus eius atq; incurſionibus cedunt, vſu & illis eſt vita nō mancipio tradita, quamuis aliter quidam inferant, & rei tantæ fidem ſuis in argumentationibus ponant. Ac ne tamen inſtructi non plenius abeamus, audiamus à vobis quemadmodum dicitis animas, cùm terrenis fuerint corporib. inuolutæ, priorum reminiſcentiam non habere, cum in ipſis corporibus

E poſitæ, & propè tū inſenſibiles eorum commixtione perfectæ, pertinaciter & fideliter teneant ea, quæ ante annos plures (ſi velis dicere vel octoginta, vel hoc amplius) vel fecerunt vel paſſæ ſunt, vel loquutæ ſunt, vel audierunt. Si enim obſtaculo perficitor corporis, ne meminerint eorū, quæ iamdudum & ante hominem ſciebant, magis eſt vt ea debeant obliuiſci, quę concluſæ in corporibus factitarunt, quàm quæ foris poſitæ, nōdum hominib. cōiugatæ. Quod enim rebus ingreſſis priorum repetentiam detrahit, & intra ſe geſta irrecordabili debet obliteratione deperdere. Vna enim cauſa res duas efficere ac ſibi contrarias nō poteſt, vt aliorum memorias ſopiat, alia patiatur actoris in recordationem venire. Quod ſi animæ (quas vocatis) membrorum impediuntur obſtaculo, quominus artes ſuas atque antiquas reminiſcantur, in corporibus ipſis quemadmodum conſtitutæ meminerunt & ſciunt animas ſe eſſe, & corporalem ſubſtantiam non habere, immortalitatis F conditione mactatas, quem tenent in rebus gradum, quo ſint ordine à Deo patre diſcretæ, ad infima hæc mūdi quanam ratione peruenerint, quas ea quibus circulis qualitates, dum in hæc loca labuntur, attraxerint. Quemadmodum, inquam, ſciunt doctiſſimas ſe fuiſſe, & obſtructione corporum amiſiſſe quæ nouerant? & hoc ipſum enim neſcire debuerant, ſi aliquid eis labis corporalis innexiſſet adiunctio. nam ſcire quid fueris, & quid hodie non ſis, nō eſt ſignum memoriæ perditæ, ſed comprobatio indiciumque ſeruatæ. Quæ cum ita ſe habeant, deſinite quæſo, deſinite res paruas, atque exigui nominis immanibus precijs æſtimare, deſinite hominem, proletarius cum ſit, claſſibus, & capite cum cenſeatur, adſcribere ordinib. primis: cum ſit inops, pauper lare, & tugurij pauperis, nec patriciæ claritatis vnquam meritus nuncupari. cū enim vos oporteret viros recti atque integritatis auctores typhum & arrogantiam frangere, quorum malis cuncti extollimur, & inanis diſtendimur vanitate: non tantùm accidere mala iſta cenſetis, verùm (quod grauius multò eſt) addidiſtis cauſas, G quibus & vitia creſcerent, & inemendabilis nequitia permaneret. Quis eſt enim hominum, quamuis ille ſit indolis infamiam ſemper atque ignominioſa fugientis, qui, cū dici exaudiat viris ab ſapientibus maximè immortales animas eſſe, nec fatorū eſſe obnoxias legibus, non in omnia flagitia præcipitetur, non intrepidus res obeat atque aggrediatur illicitas? non denique omnia ſuis cupiditatibus largiatur, quæ libido impotēs iuſſerit, impunitatis præterea etiam libertate munita. quid .n. prohibebit, quominus hæc faciat? metus ſuperbæ poteſtatis, iudiciumq; diuinū? Et qui poterit terreri formidinis alicuius horrore, cui fuerit perſuaſum, tam ſe eſſe immortalem, quàm ipſum Deum primum? nec ab eo iudicari quicquam de ſe poſſe: cum ſit vna immortalitas in vtroque, nec in alterius altera conditionis poſſit æqualitate vexari. Sed memoratæ apud inferos pœnæ & ſuppliciorum generibus multiformes. ecquis erit tam brutus, & rerum conſequētias neſciens, qui animis incorruptibilibus credat, aut tenebras tartareas poſſe aliquid nocere, aut igneos fluuios, aut cœnoſis gur- H gitib. paludes, aut rotarū volubilium circumactus? Quod enim contiguū nō eſt, & ab legibus diſſolutionis amotum eſt, licet omnib. ambiatur flammis torrentium fluminum, voluatur in cœno, ſaxorum imminentium caſibus, & immanium montium operiatur ruinis, illibatum neceſſe eſt permaneat & intactum, neque vllum ſenſum mortiferæ paſſionis aſſumere. Quid? quòd iſta perſuaſio nō tantùm eſt incitatrix ad vitia libertate ex ipſa peccandi, verumetiam philoſophiæ ipſius cauſam tollit, & inaniter eam ſuſcipi, ſuperuacanei operis difficultate declarat. Nam ſi verum eſt, animas nullius eſſe participes finis, & cum omnibus ſeculis æuorum perpetuitate procedere: quid periculi res habet contemptis prætermiſſisq; virtutibus, quibus eſt contractior atque horridior vita, voluptatibus ſe dare, ac per omnia libidinum genera effrenatum ſpargere immenſæ cupiditatis ardorem? Ne delicijs marceat, & corrumpatur mollitudine vitiorum? Et qua poterit, cauune corrumpi id, quod immortale, quod ſemper eſt, & nulli obnoxium paſſioni? ne ſordeſcat & polluatur actionum turpium fœditate? Et qui poterit pollui, corporalē quod ſub-

A ſtantiam non habet? aut vbi ſedē contaminatio ponere, vbi ſpacium nullum eſt, in quo nota ſe poſſit ipſi contaminationis affigere? Rurſus vero ſi animæ lethi adeūt ianuas (Epicuri vt ſententia definitur) nec ſic cauſa eſt competens, cur expeti philoſophia debeat, etiā ſi verū eſt purgari has animas, atq; ab omni puras vitioſitate præſtari. Nam ſi communiter obeunt, & in ipſis corporib. ſenſus eis deperit extinguiturq; vitalis, non tantùm eſt erroris maximi, verùm ſtolidæ cæcitatis, frenare ingenitos appetitos, cohibere in anguſtijs vitam, nihil indulgere naturæ, non quod cupidines iuſſerint atque inſtigauerint facere, cùm nulla te præmia tanti laboris expectent, cùm dies mortis aduenerit, & corporalibus fueris vinculis exolutus. Medietas ergo quædam, & animarum anceps ambiguaq; natura, locum philoſophiæ peperit, & cauſam cur appeteretur, inuenit: dum periculum ſcilicet ex malis iſte formidat admiſſis: alter concipit ſpes bonas, ſi nihil ſcelestis faciat, & cum officio vitam iuſtitiaq; traducat. Inde eſt quod inter B doctos viros & ingeniorum excellentia præditos, de animarum qualitate certamen eſt, & eas alij dicunt mortali eſſe natura, nec diuinam poſſe ſubſtantiam ſuſtinere: alij verò perpetuas, nec in naturā poſſe degenerare mortali. Quod illud vt fiat, medietatis efficitur lege: quod & illis argumenta ſunt præſtò, quib. eas paſſiuas atq; interibiles inueniuntur, & his contrariæ non deſunt, quib. eſſe diuinas immortaleſque monſtratur. Hæc cùm ita ſe habeant, & cùm ab ſummo traditum teneamus auctore, non eſſe animas longe ab hiatibus mortis & faucibus conſtitutas, poſſe tamen longæuas ſummi principis munere ac beneficio fieri, ſi modo illum ſentiant ac mereantur agnoſcere: eius enim cognitio fermentum quoddam eſt vitæ, ac rei diſſociabilis glutinum: tum deinde feritate atque inhumanitate depoſitis, reſumant ingenia mitiora, vt ad illud, quod dabitur, eſſe poſſint paratæ. Quid eſt quod à vobis tanquam bruti & ſtolidi iudicemur, ſi propter hos metus liberatori dedidimus & mancipauimus nos Deo? aduerſus ictus noxios, C & venenatos colubrarum morſus, remedia ſæpè conquirimus, & protegimus nos laminis, Pſyllis, Marſis vendentibus alijſque inſtitoribus atque planis: ac ne nobis frigora ſoleſque incommodent rapidi, munimenta domorum ac veſtium ſolicitæ præparamus diligentia cautionis. Mortis nobis cum propinquatur metus, id eſt, animarum interitus: quid non ex commodi facimus ſenſu, quo amamus nos omnes? Quam cùm qui nobis ſpondet tali à periculo liberaturum reuinemus, amplectimur animiſque ipſis noſtris (ſi modo iuſta eſt viciſſitudo) præponimus. Vos veſtrarum animarum ſalutem in ipſis vobis reponitis, fieriq; vos deos veſtro fiditis inteſtinoque conatu: at verò nos nobis nihil de noſtra infirmitate promittimus, naturam intuentes noſtram virium eſſe nullarum, & ab ſuis affectibus in omni rerum contentione ſuperari. Vos cùm primùm ſolui membrorum abieritis, enodes alas vobis affuturas putatis, quibus ad cœlum pergere, atque ad ſydera volare poſſitis: nos tantam reformidamus audaciam, nec in noſtra ducimus D eſſe poſitum poteſtate res ſuperas petere: cum & hoc ipſum habeamus incertum, an vitam accipere mereamur, & ab lege immortalitatis abduci. Vos in aulam dominicā, tanquam in propriam ſedem remeaturos vos ſponte, nullo prohibente præſumitis: at verò nos iſtud, rerum ſine domino fieri neq; ſperamus poſſe, neque vlli hominū tantū poteſtatis attribui licereq; cenſemus. Cùm igitur hæc ita ſint, quænam iniuſtitia tanta eſt, vt fatui vobis credulitate in iſta videamur? cum vos & ſimilia credere, & in eadem videamus expectatione verſari? Si irriſione exiſtimamur digni, quòd ſpem nobis huiuſmodi pollicemur, & vos eadem expectat irriſio, qui ſpem vobis immortalitatis adſeſcitis. Si tenetis aliquam ſequimini que rationem, & nobis aliquam portionem ex iſta ratione concedite. Si nobis hæc gaudia, hoc eſt, viā fugiēdæ mortis, Plato in Phædone promiſiſſet, aliusve ex hoc choro, poſſetq; eam præſtare, atque ad finē pollicitationis adducere, conſentaneū fuerat eius ſuſcipere nos cultus, à quo tantum doni expectaremus & muneris. Nunc cùm eam Chriſtus nō tantum promiſerit, verumetiam virtutibus tantis manifeſtauerit poſſe cōpleri: quid alienum facimus, aut ſtultitiæ crimen quib. rationibus ſuſtinemus, ſi eius nomini maieſtatiq; ſuſternimur, à quo ſperamus vtrumque, & mortem cruciabilem fugere, & vitam æternitate donari? Sed ſi animæ, inquiunt, mortalis qualitatis ſunt mediæ, immortales quemadmodum fieri medijs ex qualitatibus poſſunt? Si nos iſtud neſcire dicamus, ac tantummodò auditum ex potentiori credidiſſe, vbi noſtra videbitur credulitas lapſa? ſi omnipotenti credidimus regi nihil eſſe difficile, nihil arduum: ſi quod impoſſibile nobis eſt factu, illi poſſibile, atque admodum executioni paratum? Eſt enim quod obſtare eius voluntatibus poſſit, aut quod eſſe voluerit nō neceſſariò ſequatur vt fiat? An nunquid noſtris ea diuiſionibus colligem⁹, quid aut fieri poſſit, aut non poſſit: nec rationes conſiderabimus noſtras tam eſſe mortales, quàm ſumus nos ipſi, & nullius apud principem nominis? Et tamen ò iſti, qui mediæ qualitatis animas eſſe non creditis, & in medio limite vitæ atque interitus contineri, nónne omnes omnino, quos eſſe opinatio ſuſpicatur, dij, angeli, dæmones, aut nomine quocunque ſunt alio, qualitatis & ipſi ſunt mediæ, & in ambiguæ ſortis conditione mutabiles? Nam ſi omnes concedimus, vnum eſſe rerum patrem, immortalem atque ingenitum ſolum, nihilque omnino ante illum, quod alicuius vocaminis fuerit, inuenitur: ſequitur, vt hi omnes, quos opinatio credidit deos eſſe mortalium, aut ab eo ſint geniti, aut eo iubente prolati ſint. Prolati & geniti, & ordinis ſunt poſterioris & temporis: ſi ordinis poſterioris & temporis, initium neceſſe eſt habeant, & exordia natiuitatis & vitæ: quod autem habet introitum, & vitæ incipientis exordium, neceſſariò ſequitur, vt habere debeat & occaſum. Sed immortales perhibentur dij eſſe. Nō ergo natura, ſed voluntate Dei patris ac munere. Quo igitur pacto immortalitatis largitio eſt donum Dei, certè prolatus, & animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare, quamuis eas mors ſæua poſſe videatur extinguere, & ad nihilum redactas irremeabili abolitione delere. Plato ille diuinus multa de Deo digna, nec communia ſentiens multitudini, in eo ſermone ac libro, cui nomen Timæ⁹ inſcribitur, deos dicit, & mundum corruptibili eſſe natura, neq; eſſe omnino diſſolutionis expertes, ſed volūtate Dei regis ac principis vinctione in perpetua contineri. Quod enim rectè ſit vinctum, & nodis perfectiſſimis colligatum, Dei bonitate ſeruari, nexuſq; abolitione ab eo qui vinxit & diſſolui (ſi res poſcat) & ſalutari miſſione donari. Ergo ſi res eſt ita, nec aliud conuenit vel exiſtimare vel credere, quid animas admiramini mediæ dici qualitatis à nobis? cum numinibus ipſis dicat Plato medias eſſe naturas, ſed continuam & inocciduam vitam principali beneuolentia ſurrogari? Si .n. fortè neſcitis, & antea vobis incognitum propter rei nouitatē fuit, accipite ſerò, & diſcite ab eo, qui nouit, & protulit in medium Chriſto, nō eſſe animas regis maximi filias, nec ab eo (quemadmodum dicitur) generatas cœpiſſe ſe noſſe, atq; in ſui nominis eſſe ſententia prædicari, ſed alterum quempiam genitorem his eſſe, dignitatis & potentiæ gradibus ſatis plurimis ab Imperatore diſiunctum, eius tamen ex aula & eminentium nobilem ſublimitate natalium. Quòd ſi eſſent (vt fama eſt) dominicæ prolis & poteſtatis animæ generatio principalis, nihil eis ad perfectionē defuiſſet virtute perfectiſſima procreatis: vnū omnes intellectū habuiſſent, vnumq; conſenſum, aulam ſemper incolerent regiam, nec præter miſſis beatitudinis ſedibus, in quib. auguſtiſſimas nouerant retinebantq; doctrinas, imprudenter appeterent terrena hæc loca, tenebroſis corporibus inuolutæ inter pituitas & ſanguinem degerent, inter ſtercoris hos vtres, & ſaccari obſcœniſſimas terras. Sed habitari oportuit & has partes, & idcirco huc animas tanquam in colonias aliquas De⁹ omnipotens miſit. Et quid homines proſunt mundo, aut ob rei cuius ſunt neceſſarij, cauſam, vt non fruſtra debuiſſe credantur parte in hac agere, & terreni eſſe corporis inquilini. Ad conſummandam molis huius integritatem, partem aliquam conſeruant, & niſi fuerint additi, imperfecta & clauda eſt vniuerſitatis hæc ſumma. Quid ergo? ſi homines non ſint ab officijs ſuis, ceſſabit mund⁹? Viciſſitudines ſuas non peragent ſydera? æſtates atq; hyemes non erunt? ventorum flamina conticeſcent? nec ex coactis & pendentib.

A nubilis ad terram decident imbres ariditatibus tempera-
menta laturi? Atqui neceſſe eſt, cuncta ſuos ire per curſus,
nec ab ordinis nati continuatione diſcedere, etiamſi nomé
in mundo nullum hominis audiatur, orbisq; iſte terrarum
ſolitudinis vacuæ ſilentio conticeſcat. Quemadmodú er-
go iactatur habitatorem debuiſſe regionib. his addi, cú ab
homine liqueat nihil ad mundi perfectioné redire, omnia-
que eius ſtudia commoditatem ſemper ſpectaſſe priuatam,
nec à finib. propriæ vtilitatis abſcedere? Quid enim prod-
eſt mundo (vt à rebus incipiam ſeruis) maximos reges hic
eſſe? Quid tyrannos, quid dominos, quid innumeras alias
atque ampliſſimas poteſtates? Quid rei militaris experié-
tiſſimos duces capiendarum vrbium peritos, in equeſtrib.
prælijs aut in pedeſtri pugna immobiles atque inuictiſſi-
mos milites? Quid oratores, grammaticos, poetas? quid
ſcriptores, dialecticos, muſicos? quid pantomimos, quid
mimulos, hiſtriones, cantores, tuba, tibia calamoq; flatan-
tes? Quid curſores, quid pugiles, quadrigarios, deſulto-
B tes, grallatores, funiambulos, præſtigiatores? Quid biga-
rios, ſaltatores, volones, vnguentarios, aurifices, aucu-
pes, vannorum ſirpearumq; vinctores? Quid fullones, la-
narios, phrygiones, coquos, panchryſtarios, muliones, le-
nones, lanios, meretrices? Quid inſtitorum alia genera?
Quid profeſſorum & artium, quibus enumerandis omnis
ætas anguſta eſt? Rationib. conferre, & conſtitutionibus
mundi, vt ſine hominib. condi non potuiſſe credatur, nec
obtenturus integritatem ſui, niſi ei contētio animalis mi-
ſeri & ſuperuacui iungeretur. Niſi fortè rex mūndi (quem
temerarium eſt maximæ humano ex ore depromere) iccir-
co ex ſe genitas huc animas miſit, vt quæ fuerant apud ſe
deæ, corporei tactus, & temerariæ circumſcriptionis exper-
tes, humana immergerentur in ſemina, fœminarum ex ge-
nitalibus proſilirent, ineptiſſimos ederent continuarent-
que vagitus, exugerent ſellitantes mammas, proluuio li-
nerent & madidarent ſe ſua: & vt ad ſilentium pauidi
nutricis motib. & crepitaculis adducerentur auditis. Iccir-
C co animas miſit, vt quæ fuerant ſimplices & bonitatis no-
per innoxiæ, ſimulare in hominibus diſcerent, diſſimula-
re, mentiri, circumſcribere, fallere, adulatoria humilitate
captare, in ore aliud voluere, aliud in facie polliceri, illa-
queare, decipere dolis atque inſidijs neſcios, per innume-
ras artes malitiarum venena conquirere, & ad vſum tem-
poris pellaciæ mobilitate formare. Icceirco animas miſit, vt
in pacata & placida tranquillitate degentes, aſſumerent ex
corporibus cauſas, quibus feræ fierent, & immanes ſimul-
tates atque inimicitias gererent, confererent inter ſe bella,
expugnarent atque euerterent ciuitates: ſeruitutis oppri-
merent & manciparent ſe iugo: & ad vltimum fierent al-
terius altera poteſtatis, natalium conditione mutata? Ic-
circo animas miſit, vt immemores veritatis effectæ, & quid-
nam eſſet Deus oblitæ, ſimulacris inertibus ſupplicarent,
ligna, æra, & lapides, diuina alloquerentur vt numina, au-
xilia poſcerent cæſorum animantium cruore, nullam ſui
facerent mentionem: quinimmò ex his aliæ vt dubitaſent
ſe eſſe, aut vllum eſſe penitus abnegarent? Icceirco animas
D miſit, vt quæ in ſedibus proprijs mente fuerant vna, intel-
lectu & ſcientia paribus, poſtquam formas induēre mor-
tales, opinionum diſcriminibus diſſiderent, aliud alijs iu-
ſtum, aliud vtile videretur & rectum, de appetendis rebus
fugiendisque certarent, malorum ac bonorum alios aliæ
conſtituerent fines: veritatem cupientib. noſcere rerū op-
poneretur obſcuritas, & velut oculorum luminib. viduæ,
nihil certum viderent, & per ancipites ſemitas ſuſpicionū
inducerentur errore? Icceirco animas miſit, vt cum ani-
mantia cætera ſponte natis alerentur, & nulla ſatione pro-
latis, neque domorum aut veſtium tutamina ſibi, aut ve-
lamenta conquirerent, miſerabilis iſtis neceſſitas addere-
tur, vt cum impendijs maximis, perpetuisq; ſudorib. do-
mos ſibi conſtruerent, membrorū conficerent tegmina, ſu-
pellectilem variam diurnorum contraherent egeſtate, im-
becillitatis auxilia animalibus mutuarentur à mutis, vim
facerent terris, vt non ſua ſufficerent gramina, ſed impe-
ratas extollerent fruges, & cùm ſanguinem totum in ſubi-
genda tellure fudiſſent, robigine, grandine, ſiccitate ſpem
laboris amitterent: & ad vltimum vi famis humanis cada-
E ueribus incubarent, & ab hominum formis tabifica macie
diſſociarentur abiunctæ? Icceirco animas miſit, vt quæ
ſecum commorantes poſſeſſionis alicuius nullum vnquā
habuiſſent amorem: auariſſimæ hic fierent, & in habendi
ſtudiū inexaturabili pectoris ardeſcerent appetitu, effode-
rent altos montes, & viſcera ignota terrarum in materias
verterent alieni nominis atque vſus, penetrarent abditas
diſcrimine cum capitis nationes, & translatis mercibus
caritatem ſemper, vilitatemque captarent: exercerent a-
uidum atque iniuſtiſſimum fœnus, & miſerorum è ſangui-
ne ſupputandi ſe angerent inſania: millibus poſſeſſionum
ſemper producerent fines: & quamuis prouincias totas
rus facerent vnum, pro arbore vna, pro ſulco, forum litib.
tererent, cum amicis & fratribus inexpiabiles ſuſciperent
ſimultates? Icceirco animas miſit, vt quæ dudum fuerant
mites & feritatis affectibus neſciæ commoueri, macella ſi-
bi & amphitheatra conſtituerent, loca ſanguinis & publi-
cæ impietatis, ex quibus in altero mandi cernerent homi-
F nes, & beſtiarum laniatibus diſſipari: interficere ſe alios
nullius ob meriti cauſam, ſed ingratam voluptatem con-
ſeſſorum, ipſosque illos dies, quibus tantum committere-
tur nefas, in gaudijs communibus ducerent, & feſta hilari-
tate ſacrarent: in altero verò animalium miſerorum diſ-
cerperent viſcera, alias aliæ raperent (vt canibus mos eſt &
vulturibus) portiones, ſubigerent dentibus, & crudeliſſi-
mo ventri darent, & in tam ſæuis atque horridis oribus
ſortem ſuam flerent, quas ab talibus menſis paupertatis
anguſtiæ vindicarent: pro beatis ac felicibus viuerent,
quarum ora & faciem tam crudeles pollucrent apparatus?
Icceirco animas miſit, vt diuini ponderis & grauitatis ob-
litæ, gemmas, lapillos, margaritas caſtitatis diſpendio cō-
pararent, conſpiciendis quærerent corporibus fucos, in-
necterent his colla, laminas pertunderent aurium, imm-
nuerent frontes limbis, fuligine oculos obumbrarent,
nec in formas erubeſcerent maſculorum calamiſtris vi-
brare cæſariem, cutem corporis leuigare, incedere poplit-
G bus nudis, omnique alio cultu vigorem virilitatis & expo-
nere, & in habitum fœminarum delitiasque mollire? Ic-
circo animas miſit, vt viarum aliæ infeſtarent meatus, aliæ
circumſcriberent neſcios, teſtamenta ſupponerent falſa,
venenatas conficerent potiones, domos vt effringerent,
noctibus ſolicitarent, abigerent, præuaricarentur, & pro-
derent, ſaporum faſtidia vt excuterent palato, vt in co-
quendis alitibus pinguitudinem ōſſent retinere labeo-
tem, vt ſpirulas & botulos facerent, iſicia, caſtellamen-
ta lucanica, ſuminatam cum his carnem, & glaciali con-
ditione tuceta? Icceirco animas miſit, vt res ſancti atque
auguſtiſſimi nominis ſymphonicas agerent & fiſtulatorias
hic artes, vt inflandis bucculas diſtenderent tibijs, can-
tionibus vt præirent obſcœnis numeroſiter, & ſcabillo-
rum concrepationibus ſonoris, quibus animantium alia la-
ſciuiens multitudo incompoſitos corporum diſſoluere-
tur in motus, ſaltitaret & cantaret, orbes ſaltatorios ver-
teret, & ad vltimum clunibus & coxendicibus ſubleua-
tis lumborum criſpitudine fluctuaret? Icceirco animas
H miſit, vt in maribus ea olerent, in fœminis fierent meretri-
ces, ſambucistriæ, pſaltriæ, venalia vt proſternerent cor-
pora, vilitatem ſui populo publicarent, in lupanaribus
promptæ, in fornicibus obuinctæ, nihil pati renuentes,
ad oris ſtuprum paratæ? Quid dicitis, ó ſoboles, ac pri-
mi progenies numinis? Ergone ſapientes illæ, atque ex
cauſis principalibus proditæ genera hæc animæ turpitu-
dinum, criminum malitiarumq; nouerunt, atque vt exer-
cerent, vt gererent, vt percelebrarent hæc mala, habitare
iuſſæ ſunt has partes, & humani corporis circūiectione ve-
ſtiri? Et mortalium quiſquam eſt rationis alicuius acci-
piens ſenſum, qui ordinatum exiſtimet mundum per has
eſſe, ac non potius ſedem ac domicilium cōſtitutū, in quo
omne quotidie perpetraretur nefas, maleficia cūcta cōfie-
rent, inſidiæ, fraudes, doli, auaritia, rapinæ, vis, ſcelus, au-
dacia, obſcœnitas, turpitudo, flagitiū, mala omnia cætera,
quæ in orbe homines toto mente noxia pariunt, & labem
machinantur in mutuam? Sed ſua, inquitis, voluntate,
non regis iuſſione venerunt. At vbi pater omnipotens fuit,
vbi regiæ ſublimitatis auctoritas, vt eas prohiberet abſce-

A dere, nec in præcipites labi permitteret voluptates? Si enim degeneres futuras locorum immutationibus ſciebat (ſcire autem debuerat, cauſarum vt omnium conſtitutor) aut extrinſecus aliquid acceſſurum his eſſe, quod eas faceret obliuiſci ſuæ dignitatis & decoris: millies, vt ignoſcat, orauerim: vniuerſorum non alius quàm ipſe eſt cauſa: ſiquidem perpeſſus eſt euagandi eas habere ius liberum, quas retenturas non eſſe integritatis ſuæ habitum præuidebat. Atque ita perficitur, vt nihil intterſit, omnino voluntariè venerint, an illius obtemperauerint iuſſioni: cùm non prohibendo quod oportuerat prohiberi, ceſſatione crimen fecerit proprium, & retentionis diſſimulatione permiſerit prius. Sed procul hæc abeat ſceleratæ opinionis immanitas, vt Deus credatur omnipotens, magnarum, & inuiſibilium rerum ſator, & conditor, procreator, tam mobiles animas genuiſſe grauitatis ac ponderis conſtantiæque nullius: in vitia labiles, in peccatorum genera vulneris declines: cumq; eas tales atque huiuſmodi ſciret, in

B corpora ire iuſſiſſe, quorum indutæ carceribus ſub procellis agerent tempeſtatibusque quotidie fortunæ, & modò turpia facerent, modò paterentur obſcœna: naufragijs, ruinis, incendiorum conflagrationibus vt perirent: Pauperies alias, alias vt mendicitas premeret, infernarum paterentur aliæ laniatus muſcularũ, aliæ vt interirent veneno, claudæ vt incederent aliæ, vt aliæ lumen amitterent: vt articulis ſederent aliæ colligatis, morbis denique obiectarentur vt cunctis, quos infelix miſeranda mortalitas diuerſarum ſuſtinet dilaceratione pœnarum: tum deinde oblitæ vnius eſſe ſe fontis, vnius genitoris, & capitis, germanitatis conuellerent atq; abrumperent iura, vrbes ſuas euerterent, popularentur hoſtiliter terras, ſeruos de liberis facerent, inſultarent virginibus & matrimonijs alienis, odiſſent inuicem ſeſe, aliorum gaudijs & felicitatibus inuiderent: tum deinde ſe omnes maledicerent, carperent, & ſæuorum dentium mordacitate laniarent. Sed procul hæc abeat (vt eadem rurſus frequentiusque dicamus) tam im-

C manis & ſcelerata perſuaſio, vt ille ſalus rerum Deus omnium, virtutum caput, benignitatis & columen: atque (vt eum laudibus extollamus humanis) ſapientiſſimus, iuſtus, perfecta omnia faciens, & integritatis ſuæ conſeruantia menſiones, aut aliquid fecerit claudum, & quod eminus eſſet à recto, aut vlli rei fuerit miſeriarum aut diſcriminum cauſa, aut ipſos actus, quibus vita tranſigitur & celebratur humana, ordinauerit, iuſſerit, & ſua fluere conſtitutione præceperit. Minora hæc illo ſunt, & magnitudinis eius deſtruentia poteſtatem, tantumq; eſt longè, vt iſtarum auctor rerum eſſe credatur, vt in ſacrilegæ crimen impietatis incurrat, quiſquis ab eo conceperit hominem eſſe prognatum, rem infelicem & miſeram, qui eſſe ſe doleat, qui cõditionẽ ſuam deteſtetur & lugeat, qui nulla alia de cauſa ſeſe intelligat procreatum, quàm ne materiam non haberent, per quam diffunderent ſe mala, & eſſent miſeri ſemper, quorum cruciatibus paſceretur, neſcio quæ latens & humanitati aduerſa crudelitas. Sed ſi parens, etiam genitor animarum, inquitis, Deus non eſt, quo auctore pro-

D genitæ, & qua ſunt ratione prolatæ? Si infucata vultis audire, nec ab aliqua vocis oſtentatione deducta: item confitemur nos iſtud ignorare, neſcire, ſcientiamque tantæ rei non tantùm noſtram ducimus infirmitatem fragilitatemque tranſire, verumetiam poteſtatum, quæ in mundo ſunt, omnium, & quæ numina ſe eſſe opinionibus vſurpauere mortalium. Sed quia Dei negamus, cuius ſint debemus oſtendere? Nihil iſtud neceſſariò ſequitur. non enim ſi negemus muſcas, ſcarabæos, & cimices, nitedulas, curculiones, & tineas omnipotentis eſſe opus regis, ſequaciter poſtulandum à nobis eſt, vt quis ea fecerit, inſtituerit que dicamus. Poſſimus enim nulla cum reprehenſione neſcire, quis & illis originem dederit, & obtinere, non eſſe Deo à ſuperiore prolata tam ſuperuacua, tam vana, tam ad nullas pertinentia rationes, quinimò aliquando & noxia, & neceſſarias importantia læſiones. Conſimiliter hic quoq;, cùm animas renuamus Dei eſſe principis prolem, non cõtinuò ſequitur, vt explicare debeamus, quonam parente ſint editæ, & cauſis cuiuſmodi procreatæ. Quis enim nos prohibet, aut vnde enatæ ſint prodierintque, neſcire, aut

eas non eſſe Dei progeniem ſcire? Quanam, inquitis, ratio-

E ne, qua via? Quia omni vero veriſſimum eſt, certoq; certiſſimum, nihil rerum à principe (ſicut ſæpiùs dictum eſt) agi, fieri, ſtatui, niſi quod oporteat & conueniat fieri, niſi quod ſit plenum & integrum, & in ſuæ integritatis perfectione finitum. Porrò autem conſpicimus homines (id eſt, animas ipſas: quid enim ſunt homines niſi animæ corporibus illigatæ?) ſæuitate innumerabili vitiorum ipſos ſe indicare non eſſe patricij generis, ſed ex mediocribus familijs procreatos. Namque alios videmus immites, facinoroſos, audaces, temerarios, præcipites, cæcos, fictos, diſſimulatores, mendaces, ſuperbos, arrogantes, auaros, cupidos, libidinoſos, inconſtantes, inualidos, & ſua ipſos decreta conſeruare nequeuntes, quod vtique non eſſent, ſi generoſitas eos aſſereret principales, & ab rerum capite deſcendentium ducerent honeſtamenta natalium. Sed & boni, dicetis, ſunt in reb. humanis, viri ſapientes, iuſti, incul-

F pati atq; emendatiſſimis moribus. Nullam referimus quæſtionem, an vlli aliquando fuerint tales, in quib. omnino nihil iſta ipſa, quæ dicitur, deſideraretur integritas. Sint licet perhoneſti, fuerintq; laudabiles, tenuerint apicem perfectionis ſummum, nec in aliquo lapſu eorum aliquandò claudicauerit vita, ſed audire depoſcimus, quot ſint, aut fuerint numero, vt ea multitudinis magnitudine metiamur, an oppoſitio iuſta ſit facta, an æqualitatis compenſatione librata. Vnus, duo, tres, quatuor, decem, viginti, centum, certè numero diffiniti, & nominum fortitan comprehenſionibus terminati. At genus humanum non ex bonis pauculis, ſed ex cæteris omnib. æſtimari conuenit & ponderari. In toto.n. pars eſt, non totũ in parte: & vniuerſitas debet attrahere portiones, non portionib. vniuerſitas applicari. Quid enim, ſi hominem captum dicas membris omnibus, & eiulantem cruciatib. aſperis, idcirco eſſe ſanũ, quòd vnius vnguiculi nullum perpetiatur dolorem? aut eſſe auream terram, quòd in verrucula collis vnius inſint exiguæ miculæ, quib. naſcitur colliquefactis aurum, & ad-

G miratio congregatione conquiritur. Qualitatem materiæ vniuerſitas elementi probat, non puluiſculi flabiles, nec mare continuò dulce eſt, ſi mitioris aquæ guttas alicuius adieceris atque immiſeris numeri. conſumitur enim minuties iſta immenſo, nec modò non parui, ſed eſſe nullius exiſtimandum eſt nominis, quod per omnia diffuſum perit, & in magni corporis intercipitur vaſtitate. Vos humano in genere bonos eſſe dicitis viros, qui vt eſſe credantur, comparatio forſitan efficiat peſſimorum. Quinam iſti ſunt? dicite. Philoſophi, credo, qui ſe eſſe ſolos ſapientiſſimos autumant, & in huius nominis ſupercilium ſuſtulerunt: nempe illi, qui cum ſuis quotidie cupiditatibus pugnant, & affectus ex animis inſitos protrudere, pellere, pertinacium moliuntur obluctatione virtutum: qui ne in vitia protritari facultatis poſſint alicuius inſtinctu, patrimonia & diuitias fugiunt, ne cauſas ſibi afferant lapſus: quod cùm faciunt & curant, apertiſſimè animas eſſe indicant labiles, & infirmitate ad vitia procliues. Noſtra au-

H tem ſententia, quod bonum natura eſt, neque emendari, neque corripi ſe poſcit: imò ipſum debet, quid ſit malum, neſcire, ſi generis forma cuiuſque in ſua cogitat integritate perſtare: neque enim contrarium initium eſſe contrario poteſt, aut impari paritas, aut dulcedo in amaritudine contineri. Qui ergo luctatur animorum ingenitas corrigere prauitates, is apertiſſimè monſtrat imperfectum ſe eſſe, quamuis omni conatu & pertinacia contendat. Sed ridiculi vobis eſt noſtra reſponſio, quòd cùm regias ſoboles eſſe animas abnegemus, non referamus contrà, ex quibus ſint cauſis atq; originib. procreatæ. Quod eſt enim criminis genus, aut rei eſſe alicuius ignarum, aut ipſum quod neſcias, ſine aliqua profiteri diſſimulatione neſcire? aut vter magis videtur irriſione eſſe digniſſimus vobis, qui ſibi ſcientiam nullam tenebroſæ rei alicuius aſſumit, an ille, qui certus ſeſe apertiſſimè ſcire id, quod humanã tranſiliat notionem, & quod ſit cæcis obſcuritatibus inuolutum? Si penitus ſpectetur rei cuiuſque natura, in ſimili & vos eſtis, quam in nobis reprehẽditis, cauſa. Non enim, quia dicitis ab ipſo animas rege deſcendere, ac ſuccedere in hominum formas, exploratum aliquid dicitis, & in luce poſitum ma-

nife-

A nifeſtiſſimæ veritatis. Conijcitis enim, non ſcitis: ſuſpicamini, non tenetis. nam ſi ſcire eſt illud, quod ipſe tu videris aut cognoueris animo continere, nihil eorum quæ aſſeritis, poteſtis vos dicere aliquando vidiſſe, id eſt, animas ſede ab ſupera & regione deſcendere. Suſpicione ergo vtimini, non cognitionis expreſſæ fide. Quid eſt autem ſuſpicio, niſi opinatio rerum incerta, & in nil expoſitum iaculatio mentis illata? Ergo qui ſuſpicatur, non tenet, nec in lumine poſitus cognitionis incedit. Quodſi verum & fixum eſt apud rectos & ſapientiſſimos iudices: & iſta veſtra, qua fiditis, pro ignoratione eſt habenda ſuſpicio. Ac ne tamen vobis tantummodo cenſeatis coniecturis vti ac ſuſpicionibus licere, & nos idem poſſumus: quoniam commune eſt quod interrogatis expromere. Vnde, inquitis, homines, & ipſorum hominum quid, aut vnde ſunt animæ? Vnde ſunt elephanti, tauri, cerui, muli, aſini? Vnde leones, equi, canes, lupi, pantheræ, eorumq; quæ viuunt, quid aut vnde ſunt animæ? Neque enim fidem res habet, vt Platonico ea illo cratere, quem conficit miſcetque Timæus, aut B horum animæ venerint, aut locuſta, mus, ſorex, blatta, rana, centipeda, animata eſſe credantur. Et viuere quidem ex elementis ipſis cauſa eſt illis, atq; origo naſcendi: ſi ad animalia gignenda, quæ in ſingulis his degunt, inſunt abditæ atque obſcuriſſimæ rationes. Nam & videmus alios ea ſapientibus dicere, tellurem eſſe hominem, matrem aquam: tum alios aerem, ſpiritum his alios iungere, ſolem verò nonnullos eſſe horum opificem, & ea ignibus animatos eius vitali agitatione motari. Quid ſi & hæc non ſunt? & eſt aliqua res alia, alia cauſa, alia ratio, poteſtas, alia denique inaudita nobis atque incogniti nominis gens, quæ hominem finxerit, & rerum conſtitutionib. applicarit? non ne fieri poteſt, vt ea orti homines ita ſint, nec ad Deũ primum natiuitatis eorum referatur auctoritas? Quid enim putamus habuiſſe rationis Platonem illum magnum, piè ſanctèque ſapientem, cùm hominis fictionem Deo remouit à maximo, & ad minores, neſcio quos, tranſtulit: cumque eiuſdem voluit ſynceritatis eſſe mixturas humanarum C animarum generis, cuius animam fecerat vniuerſitatis iſtius: quàm quòd hominis fabricam indignam eſſe rebatur Deo, nec rei flaccidæ fictionem magnitudini eius & eminentiæ conuenire? Ergo cùm hæc ita ſint, non abſonè neque inaniter credim*, mediæ qualitatis eſſe animas hominum, vtpote ab rebus nõ principalib. editas, iuri ſubiectas mortis, paruarum & labilium virium: perpetuitate donari, ſi ſpem muneris tanti dominum ad principem conferant, cui ſoli poteſtas eſt talia corruptione exclusa largiri. Sed ſtultè iſtud credimus. Quid ad vos ineptiſſimæ fatuæ? vbi vobis nocemus, vel quam vobis facimus aut irrogamus iniuriã, ſi omnipotentem confidimus Deum habiturum eſſe rationem noſtri, cùm abire à corporibus cœperimus, & ab horci faucibus (quemadmodum dicitur) vindicari? Ergóne, inquiet aliquis, ſine Dei volũtate quicquam poteſt fieri? Conſiderandum eſt vobis ſolicitè, & cura inſpiciendum non parua, ne, dum honorare nos Dominum tali interrogatione cenſemus, in contrarium labamur nefas, maieſtatis eius eminentiam deſtruentes. Qua ratione, qua cauſa? D Quoniam ſi cuncta eius voluntate conficiuntur, nec citra eius nutum quicquam poteſt in rebus vel prouenire, vel cadere, neceſſariò ſequitur mala etiam cuncta voluntate eius intelligantur enaſci. Sin autem dicere voluerimus cõtrà, peſſimorum ab eo reijcientes cauſas, mali eſſe conſciũ, generatoremq; nullius: incipient videri aut eo nutitores peſſimæ fieri, aut (quod ſit immane dixiſſe) neſciente, ignaro ac neſcio. Rurſus autem ſi dicere nulla eſſe voluerimus mala, ſicut eſſe nonnullis opinatum & placitum reperim*: reclamabunt cunctæ gentes, vniuerſæq; nationes, cruciatus nobis oſtentantes ſuos, & diſcriminum ſpecies multiformes, quibus cuncta per ſecula genus vritur & laceratur humanum. Tum deinde à nobis exquirẽt, cur mala ſi nulla ſunt, ab operib. vos certis, & facinoribus abſtinetis? Cur non omnia facitis, quæ impatiens iuſſerit atq; imperauerit libido? Cur in noxios deniq; terribilibus pœnas conſtituitis legibus? Nam ſtoliditas inueniri quæ inanior poteſt, quã mala eſſe nulla contendere, & tanquam malos perdere & condemnare peccantes? Quæ cùm cùm eſſe conſenſerimus

E victi, & vniuerſa his ſcatere nominaliter annuerimus humana, conſequetur vt rogitent, cur ergo hæc mala Deus omnipotens non aufert, ſed eſſe perpetitur, & cum omnibus ſeculis pertinaci continuatione procedere? Si intellectus nobis affuerit Dei regis ac principis, nec per impias vagari ſuſpicionum voluerimus inſanias, reſpondeamus neceſſe eſt, neſcire nos iſta, nec quæ nullis poſſent facultatibus comprehendi, experiſſe aliquando aut ſtuduiſſe cognuſcere, meliusque ducentes, quinimmò potius magis inſcientiæ finibus atque ignorantiæ permanere, quàm ſine Deo dicere nihil fieri per voluntatem, vt ſimul intelligatur, & malis eum cauſas dare, & miſeriarum eſſe innumerabilium conditorem. Mala ergo, dicetis, vnde ſunt hæc omnia? Ex elementis, inquiunt, & ex eorum inæquabilitate, ſapientes: quod fieri quî poſſit, vt quæ ſenſum & iudicium non habent, malitioſa eſſe perhibeantur & noxia: aut non ille ſit potius malitioſus & noxius, qui res peſſimas, & nocentiſſimas futuras in alicuius operis aſſumpſit effectũ: F eorum eſt, qui aſſerunt, peruidere. Quid ergo nos? vnde? Reſponſionis neceſſitas nulla eſt. Siue enim poſſumus dicere, ſiue minus valemus, nec poſſumus, vtrumque apud nos paruum eſt: nec in magnis ponderibus ducimus, vel ignorare iſtud, vel ſcire, vnum ſolum poſuiſſe contenti: nihil à Deo principe, quod ſit nocens atque exitiabile, proficiſci. Hoc tenemus, hoc nouimus, in hac vna conſiſtimus cognitionis & ſcientiæ veritate: nihil ab eo fieri, niſi quod ſit omnibus ſalutare, quod dulce, quod amoris & gaudij lætitiæque pleniſſimum: quod infinitas habeat atque incorruptibiles voluptates, quod ſibi quiſque contingere votis omnibus expetat, fortéque ab his eſſe exitiabile ac mortiferum ducat. Cætera quæcunque ſunt alia, quæ in quæſtionibus aſſolent controuerſiiſque verſari, quibus genitoribus orta ſint, vel quibus auctoribus fiant, neque noſſe contendimus, neque inquirere aut veſtigare curamus: ſuis omnia relinquimus cauſis, nec ad id quod expetimus eſſe nobis, adiuncta atque applicata iudicamus. Quid eſt G enim, quod humana ingenia labefactare ſtudio contradictionis non audeant? quamuis illud, quod infirmare moliuntur, ſit purum & liquidum, & veritatis obſignatione munitum? Aut quid rurſus aſſerere veriſimilib. argumentis non queunt, quamuis ſit aperiſſimè falſum, quãuis euidens manifeſtumque mendacium? Cùm enim ſibi perſuaſerit quis eſſe aliquid, aut non eſſe, amat quod opinatur aſſerere, & acumine alios anteire, maximè ſi agatur res ſummota & abdita, & caligine inuoluta naturæ. Mundum quidam ex ſapientibus exiſtimant neque eſſe natum, neque vllo eſſe in tempore periturum: immortalem nonnulli, quamuis eum conſcribant eſſe natum & genitum. Tertius verò collibitum dicere eſt, & eſſe natum & genitum, & ordinaria neceſſitate periturum. Et cum ex iſtis opinionibus trinis vnam eſſe neceſſe ſit veram, cunctis tamen argumenta non deſunt, quibus & ſua decreta confirment, & aliorum ſubrumpant & labefaciant ſcita. Eundem hunc alij elementis ex quattuor tradunt, & pronunciant ſtare, ex geminis alij, ex ſingulis tertij: ſunt qui ex H his nullis, & indiuidua corpora eius eſſe materiem & primam originem dicant. Cumque ex his vera ſit vna ſententia, aut nulla ex his certa, ſimiliter hic quoque argumenta omnibus præſtò ſunt: quibus & ea, quæ dicunt, vera eſſe conſtituant, & redarguant poſitas in aliorum ſententijs falſitates. Sic & deos nonnulli eſſe abnegant: prorſus dubitare ſe alij, an ſint vſpiam, dicunt: alij verò exiſtere, neque humana curare: immò alij perhibent, & rebus intereſſe mortalium, & terrenas adminiſtrare rationes. Cùm ergo hæc ita ſint, neque aliter fiat, quin ſit vnum ex omnibus verum, pugnant tamen argumentis omnes, neque ſingulis deeſt id, quod probabiliter dicant, ſiue cùm ſuas res aſſerunt, ſiue cũ alienis opinionib. cõtradicunt. Non alia neque abſimilitatione de animarum ab his conditione diſſeritur. Hic enim eas retur & eſſe perpetuas, & ſupereſſe mortalium functioni: ſupereſſe ille non credit, ſed cum ipſis corporibus interire. Alterius verò ſententia eſt, nihil eas continuò perpeti, ſed poſt hominẽ potitum aliquid eis ad vitam dari: mortalitatis deinde in iura ſuccedere. Et cùm omnia nequeant veri eſſe conſortia,

A ita tamen ſordibus & validiſſimis probationibus omnes agunt, vt reperire non poſſis, quidnam tibi videatur falſum: quamuis ex omni parte diuerſa dici aſpicias, & rerum contrarietatibus diſſonare. Quod vtique non fieret, ſi certum aliquid tenere curioſitas poſſet humana, vel quod videretur inuentum, aliorum omnium comprobaretur aſſenſu. Inaniſſima igitur res eſt, & ſuperuacui operis, tanquam ſcias aliquid promere: aut velle, ſcire contendere: & ſi ſit verum, poſſe videas deſtrui: aut acceptare pro vero id, quod forſitan non ſit, & more hallucinantium proferatur. & merito res ita eſt. Non enim diuina diuinis, ſed rationibus pendimus & commentationibus humanis: atque, vt fieri meruiſſe quid cenſuit, ita eſſe oportere contendimus. Quid ergo nos ſoli ignoramus? neſcimus quiſnam ſit animarum conditor? quiſnam conſtitutor? quæ cauſa hominem finxerit? mala vnde proruperint? vel cur ea res ſummus & eſſe patiatur, & conſiſti? neque à rebus propellat humanis? Vos enim horum quicquam exploratum habetis, & cognitum? Si ſuſpicionem exponere volueritis audaciam, poteſtis explicare, B ac promere: mundus iſte, qui nos habet, vtrumne ſit genitus, an tempore in aliquo conſtitutus? Si conſtitutus & factus eſt, quonam operis genere, aut rei cuius ob cauſam poteſtis inducere, atque expedire rationē, cur non fixus, atque immobilis maneat, ſed orbe toto ſemper circumferatur in motu? ſua ipſe ſponte, & voluntate circumagatur? an virtutis alicuius impulſionibus torqueatur? locus ipſe, ac ſpacium in quo ſitus eſt ac voluatur, quid ſit? infinitus, finitus, inanis? an ſolidus axis eum ſuſtineat extremis cardinibus? nitens, an ipſe ſe potius vi propria ſuffertat, & ſpiritu interiore ſuſpendat? Poteſtis interrogati planum facere, ſcientiſſimeque monſtrare, quid niuem in plumeas ſubparerat cruſtulas? quidnam fuerit rationis, & cauſæ, vt non ab occiduis partibus dies primus exurgeret, & lucem in oriente ſinaret? quemadmodum ſol ipſe vno, eodemque cōtactu tam varias res efficiat, quinimo contrarias? quid ſit luna, quid ſtellæ? cur vna ſpecie, aut illa non maneat, aut per omne mundi corpus fruſtilla hæc ignea conuenerint? atque C oportuerit figura alia ex his parua, ampliora & maiora ſint alia; obtuſi hæc luminis, acutioris illa & fulgidæ claritatis? Si præſto eſt quod libuerit ſcire, & in aperto rerum eſt ſcientia conſtituta, ediſſerate, & dicite, quibus modis fiant & rationib. pluuiæ? vt in ſuperis partibus, atq; in aëris hoc medio ſuſpenſa aqua teneatur, natura res labilis, & ad fluorem ſemper decurſionemque tam prona? Ediſſerate (inquam) & dicite quid ſit quod grandinem torqueat? quod guttatim faciat pluuiam labi? quod imbres, ac niues plumeas, & Æolis ora dilatarit? ventus vnde oriatur & quid ſit? cur temporum viciſſitudines inſtitutæ, cum ſtatui vnum poſſet, & vna eſſe ſpecies cœli, nihil vt rerum deſideraret integritas? quæ eſt cauſa, quæ ratio, vt maria ſalſa ſint, aut terrarum hæ dulces, aliæ ſint amaræ, vel frigidæ? quo ex materiæ genere humanorum corporum concreta & ſtabdita ſunt viſcera? vnde oſſa ſolidata? quid inteſtina, quid venas fiſtulatas, & commeabiles fecerit? cur cum eſſet vtilius oculis nos illuminari compluribus ad periculum cæcitatis, D duorum ſumus anguſtiis applicati? Beluarum, & anguium tam infinita atque innumerabilia genera, cuius rei ſunt cauſa vel informata, vel prodita? quid in mundo faciunt bubones, immuſſuli, buteones? quid alites, & volucres cæteræ? quid formicarum & vermium genera, in varias labes perniciesque naſcentia? quid pulices? quid impudentes muſcæ, araneæ, ſorices, mures, ſanguiſugæ, tipulæ? quid ſpinæ, quid ſentes: quid auenæ, quid lolium? quid herbarū, aut fruticum, aut adulcoria naribus, aut triſtia in odoribus ſeminarium, ſi aliquid ſciri, aut comprehendi aliquid cenſetis, quid ſit triticum dicite: far, hordeum, milium, cicer, faba, lenticula, inula, cuminum, porri, vlpicum, cepe? Non enim ſi fructui vobis ſunt, & ciborum mediis in generibus conſtituta, expeditum aut promptum eſt, quid ſint ſingula, ſcire: cur talibus figurata formis? fuerit neceſſitas aliqua, vt non alios ſapores, alios odores, alios colores, quam quos habēt ſingulæ res, habere debuerint, an & alios potuerint ſumere? Ipſa deinde hæc quid ſint, ſapor dico, id eſt, ſapor, & cætera, qualitatum diſtantias quibus ex rationibus ducant? Ex elementis (inquitis) & ex principalibus o-

E riginibus rerum. Amara ſunt enim elementa, vel dulcia, odora ſunt aliquius, vel olent, vt ex eorum concretione credamus pariſtas eſſe in naſcentibus qualitates, quibus aut ſuauitas naſcitur, aut ſenſibus offenſio comparatur. Cum igitur & vos ipſos tantarum ac tot rerum fugiant origines, fugiant cauſæ, fugiant rationes, neque dicere, neque explanare poſſitis, quid ſit factum, aut quare, aut cur oportuerit non eſſe, verecundiam conuellitis & dilaceratis noſtram: qui quæ nequeunt ſciri, neſcire nos confitemur, neque ea conquirere aut inueſtigare curamus, quæ comprehendi liquidiſſimum eſt non poſſe, quamuis mille per corda ſuſpitio ſe porrigat atq; intendat humana. Et ideo Chriſtus licet vobis inuitis Deus, (Deus inquā Chriſtus, hoc enim ſæpe dicendum eſt, vt infidelium diſſiliat & dirumpatur auditus) Dei principis iuſſione loquens ſub hominis forma, cum mortalium ſciret cæcam eſſe naturam, neque vllam poſſe comprehendere veritatem, poſitarum nec ante oculos rerū pro comperto habere & cognito, quicquid ſibi eſſe ſuaſiſſet: F & prorſus ſuſpicionibus hæſitare, litigioſas ſerere atque intendere quæſtiones: omnia iſta nos linquere & poſthabere præcepit: neq; in res eas, quæ ſint à noſtra procul cognitione dimotæ infructuoſas immittere cogitationes. Sed quantum fieri pote eſt, ad dominum rerum tota mente, atq; animo proficiſci, ſuſtolli ab his locis, atque in eum traducere ſuſpenſas pectoris cōuerſiones, memoriam eius habere perpetuam: & licet nulla poſſit imaginatione formari, auras tamen neſcio quas eius ſibi contemplationis affingere. Rebus enim ex omnibus, quas auguſtæ continet diuinitatis obſcuritas, ſolum eſſe indubitabilem, ſolum verum, & de quo nullus ambigere, niſi amens poſſit, & deſperationis inſanæ: quem ſatis ſit ſcire vt nihil aliud noueris: ſitq; verā, & maximā ſcientiam cōſequutus, in Deo rerū capite, & cognitione defixus. Quid eſt (inquit) vobis inueſtigare, conquirere, quiſnam hominem fecerit? animarum origo quæ ſit? quis malorum excogitauerit cauſas? orbe ſit ſol amplior, an pedis vnius latitudine metiatur? alieno ex lumine, an proprijs luceat fulgoribus luna, quæ neq; ſcire cōpendium, neque ignorare detrimentum eſt vllum? Remittite hæc deo, G atque ipſum ſcire concedite, quid, quare, aut vnde ſit: debuerit eſſe, aut non eſſe? ſupernatum ſit aliquid, an ortus primigenios habeat: aboleri conueniat, an reſeruari: exuri, diſſolui, an repetita integritate renouari? Veſtris nō eſt rationib. liberū implicare vos talibus, & tam remotas inutiliter curare res. Veſtra in ancipiti ſita eſt ſalus animarum veſtrarum, & niſi vos applicatis Dei Principis notioni, à corporalibus vinculis exolutos expectat mors ſæua, non repentinam afferens extinctionem, ſed per tractum temporis cruciabilis pœnæ acerbitate conſumens. Neque illud obrepat, aut ſpe vobis aëria blandiatur, quod à ſciolis nonnullis, & plurimum ſibi arrogantibus dicitur: Deo eſſe ſe gnatos, nec fati obnoxios legibus: ſi vitam reſtrictius egerint, aulam ſibi eius patere, ac poſt hominis functionem prohibente ſe nullo tāquam in ſedem referri patriam: neq; quod Magi ſpondent, commendatitias habere ſe preces, quibus emollitæ neſcio quæ poteſtates vias faciles præbeant ad cælum contendentibus ſubuolare: neque quod Etruria libris H in Acheronticis pollicetur, certorum animalium ſanguine numinibus certis dato, diuinas animas fieri, & ab legibus mortalitatis educi. Blandimenta hæc caſſa ſunt, & inanium fomenta votorum. Seruare animas alius, niſi Deus omnipotens non poteſt: nec præterea quiſquam eſt, qui longæuas facere, perpetuitatis poſſit & ſpiritum ſubrogare, niſi qui immortalis & perpetuus ſolus eſt, & nullius temporis circumſcriptione finitus. Cum enim dii omnes, vel quicunque ſunt veri, vel qui eſſe rumore atq; opinione dicuntur, immortales & perpetui voluntate eius ſint, & beneficii munere: qui fieri pote eſt, vt alii præſtare, vel quod ipſi ſunt, valeant, cum alienum id habeant, & maioris potentiæ commodatum? Cædat licet hoſtias quantaslibet Etruria: humana ſibi omnia ſapientes negent: Magi cunctas emolliant & commulceant poteſtates: niſi à Domino rerum datum fuerit animis id, quod ratio poſtulat, idq; per mandatum, multum poſtea pœnitebit fuiſſe irriſui, cum ad ſenſum cœperit interitionis accedere. Sed ii (inquiunt) Chriſtus in hoc miſſus à Deo eſt, vt infelices animas ab interitionis

A exitio liberaret, quid ſecula commeruerunt priora, quæ ante ipſius aduentum mortalitatis conditione cōſumpta ſunt? Poteſtis enim ſcire, quid ſit cum eis animis actum priſcorũ veterrimorumq; mortalium, ſubuentum & his, an ſit ratione aliqua conſultum atque prouiſum? Poteſtis (inquam) ſcire id, quod Chriſto potuit docente cognoſci: infinita, an finita ſecula ſint, ex quo in terris eſſe genus hominum cœpit: quando primum animæ corporibus illigatæ, quis auctor iunctionis iſtius, quinimmo ipſius quiſnam hominis fabricator, quo priorum abſceſſerint animæ, quibus in mundi partibus, aut regionib. fuerint, corruptibiles, an conitæ, potuerintne accedere ad periculum moriendi, niſi tempore neceſſario conſeruator occurriſſet Chriſtus? Deponite has curas, & incognitas vobis relinquite quæſtiones, miſeratio & illis impertita eſt regia, & æqualiter per omnes diuina beneficia cucurrerunt. conſeruatæ ſunt, liberatæ ſunt, & mortalitatis ſortem conditionemq; poſuerunt. Quo genere, quæ, quando? Si arrogantia, ſi typhus, ſi elatio abeſſet à vobis, iamdudum hoc ſcire potuiſtis auctore. B Sed ſi generis Chriſtus humani (inquitis) conſeruator aduenit, quur omnino non omnes æquali munificentia liberat? Nam æqualiter liberat qui æqualiter omnes vocat. haud ab indulgentia principali quenquam repellit, aut reſpuit, qui ſublimibus, infimis, ſeruis, fœminis, pueris, vniformiter poteſtatē veniendi ad ſe facit? Patet, inquit, omnibus fons vitæ, neq; ab iure potandi quiſquam prohibetur, aut pellitur. Si tibi faſtidium tantum eſt, vt oblati reſpuas beneficiũ muneris, quinimò ſi tantũ ſapientia præuales, vt ea, quę offeruntur à Chriſto, ludum atq; ineptias nomineis: quid inuitans peccat, cuius ſolæ ſunt hæ partes, vt ſub tui iuris arbitrio fructum ſuæ benignitatis exponat? Sortem vitæ eligendi nulli eſt, inquit Plato, Deus cauſa, neque alterius voluntas aſcribi poteſt cuiquam rectè, cum voluntatis libertas in ipſius ſit poſita poteſtate, qui voluit. An nunquid orandus es, vt beneficium ſalutis ab Deo digneris accipere, & tibi aſpernanti, fugientique longiſſime, infundenda in gremium eſt diuinæ beneuolentiæ gratia? Vis ſumere quod offertur, atque in C tuos vſus conuertere, conſulueris tu tibi. aſpernaris, contemnis, & deſpicis: te muneris commoditate priuaueris. nulli Deus infert neceſſitatem, imperioſa formidine nullum terret. Neque enim neceſſaria noſtra illi ſalus eſt, vt compendij aliquid, diſpendiive patiatur: ſi aut Deos nos fecerit, aut ad nihilum redigi corruptionis diſſolutione permiſerit. Imo, inquit, ſi Deus eſt potens, miſericors, conſeruator, conuertat nobis mentes, & inuitos faciat ſuis pollicitationibus credere. Vis ergo eſt iſta, non gratia, nec Dei liberalitas principis, ſed ad vincendi ſtudium puerilis atque inanis contentio. Quid eſt enim tam iniuſtum, quam repugnantibus, quam inuitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolint, & quod refugiant animis, prius nocere, quam proſis? & priore detracto, in alienum habitum ſententiamque traducere? Tu qui te verti, & vim deſideras perpeti, vt id quod nolis efficias, atque arripias coactus: cur reſpuis aſſumere voluntate id, quod verſus deſideras atque immutatus efficere? Nolo, inquit, & voluntatem non haD beo. Quid ergo criminaris Deum, tanquam tibi deſit? opem deſideras tibi ferre, cuius dona, & munera non tantum aſperneris & fugias, verum in alia verba cognomines, & iocularibus facetiis proſequaris? Chriſtianus ergo ni fuero, ſpem ſalutis habere non potero? Ita eſt, vt ipſe proponis. Partes enim ſalutis dandæ, conferendiq; animis quod tribui conuenit neceſſariumq; eſt applicari, ſolus à Deo patre iniſ-ctum habet & traditum, ita ſe habentibus ſemotis atque interioribus cauſis. Vt enim dij certi, certas apud vos habent tutelas, licentias, poteſtates, neque eorũ ab aliquo id quod eius non ſit poteſtatis ac licentiæ poſtulatis: ita vnius pontificis Chriſti eſt dare animis ſalutem, & ſpiritum perpetuitatis apponere. Si enim patrem creditis Liberum dare poſſe vindemiam, medicinam non poſſe: ſi Cererem fruges, ſi Æſculapium ſanitatem, ſi Neptunum aliud, aliud poſſe Iunonem, Fortunam, Mercurium, Vulcanum, rerum eſſe ſingulos certarum ac ſingularum datores: & hoc neceſſe à nobis eſt vt debeatis accipere, à nullo animas poſſe vim vitæ atque incolumitatis accipere, niſi ab eo, quem rex ſummus huic muneri officioq; præfecit. hanc omnipotens Im- E perator eſſe voluit ſalutis viam: hanc vitæ, vt ita dixerim, ianuam, per hanc ſolum eſt ingreſſus ad lucem, neque aliàs datum eſt, vel irrepere vel inuadere, cæteris omnibus clauſis atque inexpugnabili arce munitis. Licet ergo tu purus, & ab omni fueris vitiorum contaminatione purgatus, conciliaueris illas atque inflexeris poteſtates, ne ad cœlum redeunti vias claudant atque obſepiant tranſitum, ad immortalitatis accedere nullis poteris contentionibus præmium, niſi, quod ipſam immortalitatem facit, Chriſto attribuente, perceperis: & veram fueris admiſſus ad vitam. Nam quod nobis obiectare conſueſtis, nouellam eſſe religionem noſtram, & ante dies natam propemodũ paucos, neq; vos potuiſſe antiquam & patriam linquere, & in barbaros ritus peregrinosq; traduci, ratione iſtud intẽditur nulla. Quid enim ſi hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis atque antiquiſſimis ſeculis, quod inuentis frugibus glandes ſpreuerint & repudiauerint arbuta, quod corticibus contegi, & amiciri deſierint pellibus, poſtquã veſtis excogitata eſt textilis, vſu & commoditate ſuccinctior? aut quod ſtructis domibus, & lautioribus ſucceſſibus inſtitutis, non antiquas F admauerint caſulas, nec ſub rupibus & cauernis præoptauerint vt beluæ permanere? Commune eſt omnibus, & ab ipſis pene incunabulis traditũ, bona malis anteferre, inutilibus vtilia præponere, & quod eſſe conſtiterit pretioſius, lætius id conſectari & petere: in eoque defigere ſpem ſalutis, & ſalutarium commodorum. Itaque cum nobis intenditis auerſionem ex religione priorum, cauſam conuenit vt inſpiciatis, non factum: nec quid reliquerimus, opponere, ſed ſecuti quid ſimus, potiſſimum contueri. Nam ſi mutare ſententiam culpa eſt vlla, vel crimen: & à veteribus inſtitutis in alias res nouas voluntatesq; migrare, criminatio iſta & vos ſpectat, qui toties vitam conſuetudinemq; mutaſtis: qui in mores alios, atq; alios ritus priorum condemnatione tranſiſtis. Nunquid enim quinq; in claſſes habetis populum diſtributum, veſtri olim vt habuere maiores? Nunquid magiſtratus per populum creatis? militaria, vrbana, cōmunia quæ ſint, comitia, ſcitis? ſeruatis de cœlo, aut otioſas facitis obnunciationibus actiones? cum paratis bella, ſignũ monſtratis ex arce? aut fecialia iura tractatis? per clarigationem repetitis res raptas? aut Martium diſcrimen obeuntes G ſpem prælij ſumitis, & ex acuminibus auſpicatis? in poteſtatibus obeundis leges conſeruatis Annarias? in donis, in muneribus Cincias? in cohibendis Cenſorias ſumptibus? in penetralibus Veſtæ ignis perpetuos fouetis focos? ſacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulacris deorum? cum in matrimonia conuenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum Genios aduocatis? nubentium crinem cælibari haſta mulcetis? puellarum togulas fortunam defertis ad virginalem? matresfamilias veſtræ in atriis operantur domorum, induſtrias teſtificantes ſuas? potionibus abſtinent vini? affinibus, & propinquis oſculari eas ius eſt, vt ſobrias comprobent atq; abſtemias ſe eſſe? In Albano antiquitus monte nullos alios licebat, quam niuei tauros immolare candoris: nonne iſtum morem religionemq; mutaſtis, atq; vt iuſulos liceret dari Senatus conſtitutum ſanctione? Cum, Romulo, Pompilioque regnantibus, percocta plane, ac madida concremarentur diis exta: nonne rege ſub Tullo ſemi- H cruda cœpiſtis, & leuiter animata porricere, priſca obſeruatione contempta? Ante aduentum in Italiam Herculis, cum ex Apollinis monitu patri Diti ac Saturno humanis capitibus ſupplicaretur: & hunc ſimiliter morem, non fraude callidula, & nominum ambiguitate mutaſtis? Cum igitur & vos ipſi modo illos mores, modo alias leges fueritis ſequuti, multaque vel errorib. cognitis, vel animaduerſione meliorum ſint à vobis repudiata, quid eſt à nobis factum contra ſenſum, iudiciumque commune, ſi maiora, & certiora delegimus, nec ſumus nos paſſi falſorum religionibus attineri? Sed nouellum nomẽ eſt noſtrum, & ante dies paucos religio eſt nata, quam ſequimur. Vt interim concedam, id quod nobis obiicitur intentionis eſſe non falſæ, quid eſt enim in negociis hominum, quod vel opere corporis & manibus fiat, vel ſolius animi diſciplina & cognitione teneatur, quod non ex aliquo cœperit tempore, & in vſum exierit experientiamq; mortalium? Philoſophia, Muſica, cæteræq; omnes artes, quibus vita eſt exculta & expolita communis,

cum

A hominibus natæ ſunt, & non potius nuper, quinimmo pe-
ne paulo ante, agitari, intelligi, celebrariq; cœperunt? Ante-
quam Tages Thuſcus oras contingeret luminis, quiſquam
hominum ſciebat, aut eſſe noſcendum, condiſcendumque
curabat in fulminum caſibus, aut extorum quid ſignificare-
tur in venis? Quādo ſyderum motus, aut ratio cœpta eſt ge-
nethliaca ſciri? non poſt Theutin Ægyptium, aut poſt A-
tlantem (vt quidam ferunt) geſtatorem, baiulum, tibici-
nem illum ac deſtinam cœli? Sed quid ego hæc parua? ipſi
dij immortales, quorū modo aditis templa, & numina ſup-
pliciter adoratis (ſicut veſtris literis atque opinionibus tra-
ditur) non eſſe, non ſciri, ab temporibus cœperunt certis, &
impoſitis nominum appellationib. nuncupari? Nam ſi ve-
rum eſt ex Saturno atq; eius vxore Iouem ſuis cum fratrib.
procreatum: ante nuptias & partus Opis nuſquam fuerat
Iuppiter, Iuppiter tam ſupremus, quam ſtygius: nuſquam
ſali dominus, nuſquam Iuno: quinimmo alius nullus, geni-
B toribus duobus exceptis, cœli habitabat in ſedibus: ſed ex
eorum concubitu concepti, & nati ſunt, & ſpiritum hauſe-
re vitalem. Certo ergo à tempore deus eſſe Iuppiter cœpit,
certo cultus & ſacrificia commereri: certo fratribus in pote-
ſtatibus anteponi. Rurſus verò ſi Liber, Venus, Diana, Mer-
curius, Apollo, Hercules, Muſæ, Tyndaridæ Caſtores, igni-
potenſq; Vulcanus, Ioue patre ſunt proditi, & genito Satur-
no procreati, antequam Memoria, quam Alcmena, Maia,
Iuno, Latona, Leda, Dione, tum & Semele Dieſpitris factæ
ſunt compreſſionibus fœtæ, nuſquam & hi gentium, nec in
aliqua parte rerum fuere naturæ, ſed ex conuentu Iouis in-
ſeminati, & nati ſunt, & aliquem ſenſum ſui habere cœpe-
runt. Ergo & hi quoq; tēpore eſſe cœperunt certo, & in nu-
mero numinum ſacrorum ad cærimonias inuocari: quod i-
pſum ſimiliter dicere ſuper ſtatū in Mineruam licebit. Si enim
Iouis (vt aſſeueratis) ex cerebro ſine vllius ſeminis emicuit
iactu: antequam eſt Dieſpiter genitus, & in vtero matris cor-
pore formam circumſcriptionis accepit, certum eſt vtique
Mineruam non fuiſſe, neq; rerum in numero, aut vlla eſſe
in ſubſtātia computatam: ſed ea capite Iouis enata eſt, & eſ-
C ſe res ecepit nonnulla in eſſentia conſtituta. Habet ergo pri-
migenios ortus, & à certo cœpta eſt tempore Dea dici, ſacris
in ædibus ſtatui, & inuiolabili religione ſanciri. Quod cum
ita ſe habeat, cum de nouitate loquimini religionū noſtra-
rum, veſtræ vobis in mentem nō veniunt, nec curatis inſpi-
cere quando ſint exorti dij veſtri, quas origines habeant,
quas cauſas, vel ex quibus proruperint emicuerintq; radici-
bus. Cuius eſt autem pudoris, quinimmo inuerecundiæ co-
ius, quod agere te videas, in eo alterum reprehēdere; male-
dicti & criminis loco dare ea, quæ in te poſſint reciprocata
viciſſitudine retorqueri? Sed quod agimus nos, nouum eſt,
quod autem vos, priſcum eſt, & nimiæ vetuſtatis. & quid
iſtud aut vos iuuat, aut noſtram cauſam rationemq; contri-
ſtat? Noua res eſt quam gerimus; quandoq; & ipſa vetus fiet:
vetus quam vos agitis, ſed temporibus quibus cœpit noua
fuit ac repentina. Religionis autem auctoritas non eſt tem-
pore æſtimāda, ſed numine: nec colere qua die, ſed quē cœ-
peris, conuenit intueri. Ante quadringentos annos religio,
inquitis, veſtra non fuit. Et dij veſtri non fuerunt ante mil-
D lia annorum duo. Quibus iſtud rationibus colligi, aut qui-
bus ſupputationibus poteſt? Non difficilibus, non obſcu-
ris, ſed quas poſſit videre qui volet, & contrectare, quem-
admodum dicitur, manibus. Quis Iouem cum fratribus
genuit? genitalibus Opis adiunctus Saturnus, vt vos fertis,
Cœlo atque Hecata procreatus. Quis Picum Fauni patrem
atque auum Latini? Saturnus, vt iidem vos veſtris ſcriptis
atque auctoribus traditis. Ergo ſi hæc ita ſunt, ſequitur vt
Picus & Iuppiter germanitatis ſibi ſociati ſint iure: vtpo-
te vno ex ſanguine, vnoque ex ſemine procreati. Conſenta-
neum eſt ita eſſe quod dicitur. Ab Ioue, & Pico, quot ſunt
generis vſque ad Latinum gradus? trini: vt indicat ſeries.
Vultis, Faunus, Latinus, & Picus, annis vixerint vicenis at-
que centenis? vltra enim negatur poſſe hominis vita produ-
ci. æſtimatio iuſta & liquida eſt. Trecenti ergo ſunt pleni &
ſexaginta poſt hos anni. res ita eſt vt indicat ſupputatio. Cu-
ius ſocer Latinus fuit? Æneæ. genitoris Latini. cuius? Alba-
ni oppidi conditoris. Quot apud Albam regnatum eſt
annis? quadringentis, & propè bis denis. Ætatis vrbs Ro-
ma cuius eſſe in annalibus indicatur? annos ducit quinqua- E
ginta & mille, aut non multum ab his minus. Ergo ab Io-
ue, qui frater eſt Pici, quique pater eſt minorum, & reli-
quorum deorum, anni ad hæc tempora propè millia duo
ſunt, haud pleni, vt largiamur ætati. Quod cum redargui
non poſſit, non tantum recens nata religio oſtenditur, quā
obitis: ſed infantes, & paruulos eſſe ipſos adhuc Deos, qui-
bus tauros atq; alias hoſtias cum periculo corruptionis ing-
geritis: quos oportebat adhuc mammis, atque ſtillato lacte
nutriri. At religiones veſtræ multis annis præcedunt noſtrā,
& eo ſunt veriores, quod vetuſtatis auctoritate munitæ
ſunt. Et quid eas prodeſt annis quamplurimis anteire, cū
à certo cœperint tempore? aut ſpatij cuius ſunt millia an-
norum duo, ſeculorum tantis comparata cum millibus? Ac
tamen ne cauſam tam bonam prodere diſſimulatione vi-
deamus, niſi moleſtum eſt, dicite: omnipotens, & primus
Deus nouella vobis videtur res eſſe, & qui eū venerantes
colunt, inauditas, incognitas, repentinas agitare atq; indu- F
cere religiones? Eſtne illo antiquius quicquam, aut quod
eum præcedat re, tempore, nomine, poteſt aliquid inueni-
ri? Nonne ſolus ingenitus, immortalis & perpetuus ſolus
eſt? Quis caput, aut fons rerum eſt? non ipſe? cui debet æ-
ternitas hoc ipſum quo nuncupatur æternitas? nō ipſi? in-
finita vt prodeant ſecula, non ex eius perpetuitate perfici-
tur? indubitabile iſtud & verum. non ergo quod ſequimur
nouum eſt, ſed nos ſero addidicimus quidnam ſequi opor-
teat & colere: aut vbinam conuenire, & ſpem ſalutis affige-
re, & ſalutaria ſubſidia collocare. Nondum enim affulſerat,
qui viam monſtraret errantibus, & caligine in altiſſima con-
ſtitutis cognitionis lumen immitteret, & ignorationis diſ-
cuteret cæcitatem. Sed cauſa in huiuſmodi vertitur ſola.
Quid? vos Ægyptiaca numina, quibus Serapis atque Iſis eſt
nomen, non poſt Piſonem & Gabinium Conſules in nu-
merum veſtrorum retuliſtis deorum? Quid Phrygiam ma-
trem, cuius eſſe conditor indicatur vel Midas vel Dardanus,
non, cum Hannibal Pœnus res Italicas raperet, & terra-
rum expoſceret principatum, & noſſe, & ſcire cœpiſtis, &
memorabili religione ſancire? Sacra Cereris matris non G
quod vobis incognita eſſent, aſcita paulo ante, obtētū eſt vt
Græca dicantur, nouitatem ipſam teſtificante cognomine.
Non doctorum in literis continetur, Apollinis nomen Pō-
piliana indigitamenta neſcire? Ex quo apparet, & liquidū
eſt, & hunc vobis fuiſſe incognitum, poſt autem aliquanto
cœpiſſe eſſe & notum. Si quis igitur vos interroget, cur eo-
rum numinum, quorum modo fecimus mentionem, tam
ſerò ſuſceperitis cultum, reſponſuros vos certum eſt, aut
quia illos nuper deorum eſſe in numero neſciebamus, aut
quia nunc ſumus à vatibus moniti, aut quia in rebus aſper-
rimis beneficiis eorum ſumus auxiliisque ſeruati. Quod ſi
hoc à vobis rectè exiſtimabitis dici, & ex noſtris partibus
ratione conſimili exiſtimatote eſſe reſponſum. Religio no-
ſtra nunc nata eſt: nunc enim miſſus aduenit, qui eam no-
bis oſtenderet, qui in eius induceret veritatem: qui Deus
monſtraret quid ſit, qui ad eius nos cultum ab rebus opina-
bilibus auocaret. Et quid, inquit, eſt viſum Deo regi atque
principi, vt ante horas (quemadmodum dicitur) paucolas H
ſoſpitator ad vos Chriſtus cœli ex arcibus mitteretur? In-
terrogamur & nos contra: quæ cauſa, quæ ratio eſt, vt non
ſuis aliquādo reddantur menſibus tēpora, ſed ſerius hiems,
ſerius æſtas, atque autumnitas fiant? Cur poſt meſſes arefa-
ctas, atque extincta frumenta, nonnunquam decidant plu-
uiæ, quas rebus oportuit incolumibus, ſabi, atque tempo-
ris opportunitatib. miniſtrari? immo illud exquirimus poti-
us, cur ſi Herculem oportuit naſci, ſi Æſculapium, Mercu-
rium, Liberum, alioſq; nonnullos, qui & concilijs adiunge-
rentur deorum, & mortalibus aliquid vtilitatis afferrent,
tam ſero à Ioue ſint proditi, vt ſola illos poſteritas ſciret, ſu-
periorum verò ignoraret antiquitas? Rationem aliquam
fuiſſe dicetis. Ratio ergo & hic fuit, cur nō nuper, ſed hodie
ſoſpitator noſtri generis adueniret. Quænam igitur ratio
eſt? Non imus inficias neſcire nos. Neq; enim promptum
eſt cuiquam Dei mentem videre, aut quibus modis ordina-
uerit res ſuas, homo animal cæcum, & ipſum ſe neſciens vl-
lis poteſt rationibus conſequi. quid oporteat fieri, quando,
vel quo genere, ipſe rerum cunctarum pater, moderator, &

A Dominus ſcit ſolus. Nec ſi ego nequiuero cauſas vobis expromere, cur aliquid fiat illo vel hoc modo, cõtinuò ſequitur vt infecta ſiant quæ facta ſunt, & amittat res fidem, quæ generibus virtutum tantis & poteſtatum indubitabilis eſſe monſtrata eſt. Tu opponas, & referas, cur tam ſero emiſſus aſt ſoſpitator? In infinitis perpetuis ſeculis nihilo minus dicendum eſt ſerum. Vbi enim finis, & initium nullum eſt, nihil præmaturum eſt, nihil tardum, tempus enim à finib. & extremitatibus noſcitur, quæ habere non poteſt ſeries & immoderata continuatio ſeculorum. Quid enim ſi res ipſæ, quibus opem conueniebat ferri, opportunitatem iſtam téporis exigebant? Quid ſi alterius conditionis antiqua, alterius fuere ſequentia? Quid ſi priſcis aliter ſubueniri, aliter debuit poſterioribus conſuli? Nonne literas auditis commemorantes veſtras, fuiſſe homines olim Semideos, Heroas, cum immanibus corporibus atq; vaſtis? Non infantes ſub vberibus matrum ſtentoreos legitis edidiſſe vagitus, quorum oſſa variis in regionib. eruta, vix reperientibus fecerunt B fidem, humanorum reliquias eſſe membrorum? Poteſt ergo fieri, vt tum demum emiſerit Chriſtum Deus omnipotens, Deus ſolus, poſtquam gens hominum fractior, & infirmior cœpit noſtra eſſe natura. ſi quod hodie factum eſt, ante millia fieri potuiſſet annorũ, feciſſet iſtud rex ſummus: aut ſi poſt totidem millia id, quod hodie factum eſt, debuiſſet impleri, nihil Deum cogebat neceſſitas temporum nõ expectare menſuras. Rationibus ſuis peraguntur res eius, & quod ſemel decretum eſt fieri, nulla poteſt nouitate mutari. Cum ergo, inquitis, omnipotenti ſeruiatis Deo, & eum habere confidatis ſalutis atq; incolumitatis veſtræ curam, cur perſecutiones patitur perpeti vos tantas, atq; omnia genera pœnarum & ſuppliciorum ſubire? Perquiramus & nos contra, cur & vos cũ tantos & tam innumeros colatis Deos, eiſq; illis ædes cõſtituatis ſacras, ſimulacra effingatis ex auro, animantium mactetis greges, acerras omnes thuris plenas conſtipatis altaribus: cur non immunes agitis tot diſcriminibus & procellis quibus quotidie vos agunt exitiabiles multiplicesq; fortunæ? Cur, inquam, dij veſtri ceſſant à vo C bis auertere tot morborum & valetudinum genera, naufragia, ruinas, incendia, peſtilentias, ſterilitatem, amiſſionem pignorum, & proſcriptionem bonorum, diſcordias, bella, ſimultates, captiuitates vrbium, & ſublatis ingenuitatibus ſeruitutes? Sed & nobis in huiuſmodi caſibus minimè auxiliatur Deus. Prompta & manifeſta cauſa eſt. Nihil enim eſt nobis promiſſum ad hanc vitam, nec in carunculæ huius folliculo conſtitutis, opis aliquid ſponſum eſt, auxiliiq; decretum: quinimmo edocti ſumus minas omnes, quæcunq; ſunt paruiducere, atque æſtimare fortunæ. Ac ſi quando ingruerit vis quæpiam grauior, quam finem neceſſe ſit conſequi, aſcribere in fortunio: voluptatem nec timere, nec fugere, quo facilius exui corporalib. poſſimus à vinculis, & tenebroſam euadere cæcitatem. Itaq; iſta, quam dicitis perſecutionis aſperitas, liberatio noſtra eſt, non perſecutio: nec pœnam vexatio inferet, ſed ad lucem libertatis educet: vt ſi aliquis brutus ac ſtolidus in carcerem hominem damnatum ingreſſum, quæſtionum nunquam afficere ſe grauibus D atque immanibus exiſtimet pœnis, niſi in ipſum ſæuiat carcerem, mac etiam eios comminuat, atq; vrat tectum, parietem, ianuas, parteſq; alias operis renudet, deiiciat, affligat: neſciens hoc facto ei, cui videatur officere, dari ab ſe lucem & ſceleratam eripi cæcitatem: itidem & vos flammis, exiliis, cruciatibus, beluis, quibus corpora lancinatis & diuexatis noſtra, non vitam eripitis nobis, ſed pelliculis tenelatis & cutibus nos neſcii quod quantum inſtatis & pergitis in effigies has noſtras ſpecieſq; ſæuire, tantum arctis & grauibus reuelatis nos vinculis, & ad lumen efficitis circumciſis nexibus euolare. Quare homines abſtinere quæſtionibus vacuis impedire ſpes veſtras: nec, ſi alitèr quam vos putatis, aliquid ſe habet, veſtris potius opinionibus credere, quam rei debetis auguſtæ. Vrgent tempora periculis plena, & exitiabiles imminent pœnæ. confugiamus ad ſalutarem Deum, nec rationem muneris exigamus oblati: cum de animarum agatur ſalute, ac de reſpectu noſtri, aliquid & ſine ratione faciendum eſt, vt Epictetum dixiſſe approbat Arrianus. Dubitamus, ambigimus, nec eſſe quod dicitur plenum fidei ſuſpicamur: committamus nos Deo, nec plus apud nos valeat incredulitas noſtra, quam illius nominis & potentiæ magnitudo: ne dum ipſi nobis argumenta conquirimus, quibus eſſe videatur falſum id, quod eſſe nolimus atque adnitamur verum, obrepat dies extremus, & inimicæ mortis reperiamur in faucibus. E

ARNOBII DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES

LIBER III.

IAmdodum quidẽ criminibus his omnibus, maledictionibus potius (vt vera dicamus) ab excellentibus parte in hac viris, & veritatem iſtam commentis noſſe, ſatis plene accurateque reſponſum eſt. neque apex vllius prætermiſſus eſt quæſtionis, qui non ſit modis mille; F & rationibus validiſſimis refutatus: non eſt igitur neceſſarium parte in hac cauſæ diutius immorari. Neque enim ſtare ſine aſſertoribus non poteſt religio Chriſtiana: aut eo eſſe comprobabitur vera, ſi aſtipulatores habuerit plurimos, & auctoritatem ab hominibus ſumpſerit. Suis illa contenta eſt viribus, & veritatis propriæ fundaminibus nititur: nec ſpoliatur vi ſua, etiamſi nullum habeat vindicem: immo ſi linguæ omnes contra faciant, contraque nitantur, & ad fidem illius abrogandam conſenſionis vertæ animoſitate conſpirent. Nunc ad ordinem reuertamur, à quo ſumus neceſſariò pauloante digreſſi: ne diutius interrupta defenſio palmam criminis comprobati calumniatoribus conceſſiſſe dicatur. Subiiciunt enim hæc: Si vobis diuina res cordi eſt, cur alios nobiſcum neque deos colitis, neque adoratis, nec cum veſtris gentibus communia ſacra miſcetis, & religionum coniungitis ritus? Poſſumus interim dicere, ad cultum diuinitatis obeundum ſatis eſt no G bis Deus primus: Deus, inquam, primus, pater rerum ac dominus, conſtitutor moderatorq; cunctorum: in hoc omne, quod colendum eſt, colimus: quod adorari conuenit, adoramus: quod obſequium venerationis expoſcit, venerationibus promeremur. Cum enim diuinitatis ipſius teneamus caput, à quo ipſa diuinitas diuinorum omnium, quæcunq; ſunt ducitur: ſuperuacuum putamus perſonatim per ſingulas: cum & ipſi, qui ſint, & quæ habeant nomina, neſciamus. & cuius ſint præterea numeri, neque liquidum, neq; comprehenſum, neque exploratum habere poſſimus. Atque vt in terreſtribus regnis neceſſitate nulla compellimur, regalibus in familiis conſtitutos nominatim cum principib. adorare, ſed in ragum ipſorum cultu, quicquid illis annexum eſt, tacita vi ſe ſentit honorificentia comprehendi: non alia ratione (quicunque hi dii ſunt) quos eſſe nobis proponitis: ſi ſunt progenies regia, & principali oriuntur è capite, etiam ſi nullos accipiant nominatim à nobis cultus, intelli H gunt ſe tamen honorari communiter cum ſuo rege, atq; in illius venerationibus contineri. Et hoc quidem à nobis fuerit ita prolatum ſi modo liquet & conſtat præter ipſum regẽ & principem eſſe non alia capita, quæ digeſta & ſeparata per numerum, velut quendam populum plebeiæ multitudinis faciant. Neque nobis in ædibus ſacris effigies pro diis, & illa ſimulacra velitis oſtendere: quæ intelligitis vos quoque, & tenuiter confiteri, viliſſimi eſſe formas luti, & fabrorum figmenta puerilia. & cum de re loquimur diuina vobiſcum, hoc vt oſtendatis expoſcimus eſſe Deos alios natura, vi, nomine: non in ſimulacris propoſitos, quos videmus, ſed in ea ſubſtantia, in qua conueniat æſtimari tanti eſſe nominis oportere virtutem. Sed conſilium non eſt parte in hac cauſæ diutius immorari: ne lites maximas concitare, ac mutuis uoſa conſerere videamur velle certamina. Sit iſta (vt prædicatis) plebs numinum, ſint Deorum innumeræ gentilitates: aſtipulamur, acquieſcimus, nec in aliqua quæſtione dubitabile iſtud ambiguumque contingimus. Illud tamen à vobis audire expoſcimus, & rogamus, vnde vobis compertum

eſt, vel

A eſt, vel quibus rationib. comprehenſum, hinc ſint in cœlo, quos eſſe exiſtimatis, & colitis: an neſcio qui alii, opinionis & nominis inauditi? Poteſt enim fieri, vt hi ſint, quos eſſe non creditis: & quos eſſe confiditis, in nulla inueniantur parte naturæ. Neque enim cœli aliquando ſubuolaſtis ad ſydera, ſingulorum facies atque ora vidiſtis: & quos eſſe meminetitis illic Deos, eoſdem hic colere, tanquam notos inſtituiſtis, ac viſos. Sed & illud ruſſus deſideramus audire à vobis, impoſitane habeant hæc nomina, quibus eos vocatis, an ipſi hæc ſibi diebus impoſuerint luſtricis. Si diuina hæc ſunt & cœleſtia nomina, quis detulit ad vos ea? Sin autem à vobis appoſitas appellationes has habent, quemadmodum potuiſtis vocabula his dare, quos neq; videbatis aliquando, neque quales, aut qui eſſent in vlla cognitione notatis? Sed vt vultis, & creditis, atque vt vobis perſuaſum eſt, hi dij ſint: nominibus appellentur his etiam quibus eos populares cenſeri popularis vulgaritas ducit: vnde

B tamen vobis quæ nominis huius ſenſum compleant? an ſunt aliqui vobis in cognitioné, in vſum aliquando notitiamque perlati? Neq; enim ſciri eſt facile, definita & certa ſit eorum numeri multitudo: an ſine vlla populoſitatis ſumma ſit, nec computationis alicuios rationibus terminata. Fingamus enim vos Deos mille percolere, vel millia potius quinq;: at in rerum natura poteſt forſitan fieri, vt deorum millia centum ſint: poteſt & hoc amplius, immo (quod diximus paulo antè) poteſt deorú ſumma eſſe nulla, nec numerabili circunſcriptione finita. Aut igitur & vos impij, qui præter deos paucos reliquorum officia non obitis: aut ſi vobis veniam cæterorum ignorantiæ poſtulatis, eandem & nobis conciliabitis veniam: ſi pro parte conſimili eorum religionibus abſtinemus, quos eſſe omnino neſcimus. Et tamen, ne nos quiſquam peruicaciter arbitretur ſacramenta nolle ſuſcipere cæterorum (quæcunq; ſunt) numinum: deuotas etenim mentes & manus protendimus ſupplices, neq; aſpernamur, quocunq; inuitaueritis, accedere: ſi modo diſcamus quinā iſti ſunt dij, quos nobis ingeritis, & quos par ſit adiungi ſummi regis ac principis venerationi. Saturnus, inquit, & Ianus

C eſt, Minerua, Iuno, Apollo, Venus, Triptolemus, Hercules, atq; alij, & cæteri, quibus magnificas ædes cunctis pene in vrbibus religioſa conſecrauit antiquitas. Inuitare nos forſitan ad iſtorum numinum potuiſſetis cultum ſi non ipſi vos primi opinionum turpium fœditate talia de illis cōfingeretis, quæ non modò illorum polluerent dignitatem, ſed minime illos eſſe qualitatib. comprobarentis adiunctis. Adduci enim primum hoc vt credamus nō poſſumus: immortalem illam præſtantiſſimamq; naturam diuiſam eſſe per ſexus, & eſſe partem vnam mares, partem eſſe alteram fœminas. Quem quidem locum plenè iamdudum homines pectoris viui, tam Romanis literis explicauere, quam Græcis: & ante omnes Tullius Romani diſertiſſimus generis, nullā veritus impietatis inuidiam, ingenuè, conſtanter, & libere, quid ſuper tali opinatione ſentiret, pietate cum maiore mōſtrauit: à quo ſi res ſumere iudicij veritate conſcriptas, non verborum luculentias pergeretis, perorata eſſet & hæc cauſa: nec ſecundas (vt dicitur) actiones nobis ab infantib. poſtularet. Sed quid aucupia verborum, ſplendoremque ſer-

D monis peti ab hoc dicam, cum ſciam eſſe non paucos, qui auerſentur & fugiant libros de hoc eius, nec in aurem velint admittere lectionem opinionum ſuarum præſumpta vincentem? cumq; alios audiam muſſitare indignanter, & dicere: oportere ſtatui per Senatum, aboleantur vt hæc ſcripta, quibus Chriſtiana religio comprobetur, & vetuſtatis opprimatur auctoritas. Quinimmo ſi fidenter exploratum vos dicere quicquam de dijs veſtris, erroris conuincite Ciceronem, temeraria & impia dicta refellitote, redarguite, reprobate. Nam intercipere ſcripta & publicatam velle ſubmergere lectionem, non eſt Deos defendere, ſed veritatis teſtificationem timere. Ac ne tamen & nobis inconſideratus aliquis calumniam moueat, tanquam Deum, quem colimus, marem eſſe credamus: ea ſcilicet cauſa, quod eum, cum loquimur, pronunciamus genere maſculino: intelligat non ſexū, ſed vſu, & familiaritate ſermonis appellationem eius, & ſignificantiam promi. Non enim Deus mas eſt, ſed nomen eius generis maſculini eſt: quod idem vos dicere religione in veſtra non quitis. Nā conſueſtis in precibus, ſiue tu Deus

es, ſiue tu dea, dicere: quæ dubitationis exceptio dare vos dijs ſexū diſiunctione ea ipſa declarat. Adduci ergo nō poſſumus, vt corpora credamus Deum. Nam neceſſe eſt corpora, ſi ſunt mares ac fœminæ, vt ſignificata ex generum diſiunctione. Quis enim vel exigui ſenſus neſcit terrenorū ab illo animantium conditore non alia de cauſa generis diuerſi ſexus inſtitutos eſſe, atque formatos, niſi vt per coitus, & connubia corporum, res caduca & labilis ſucceſſionis perpetuæ innouatione duraret? Quid ergo dicemus? Deos procreare? Deos naſci? & idcirco his additas genitalium membrorum partes, vt ſufficere prolem poſſent, & noua quaq; ſuboriente fœtura, quicquid prior ætas abſtuliſſet, recidiua ſubſtitutio ſubrogaret? Ergo ſi hæc ita ſunt, id eſt, ſi dij procreant ſuperi, & ſi per has leges experiuntur ſe ſexus, ſuntq; immortales, nec frigoribus fiunt ſenectutis effœti, ſequitur vt debeant plena eſſe dijs omnia: neq; innumeros cœlos eorum capere multitudinem poſſe: ſiquidem & ipſi ſi perpetuò generant, & per ſoboles ſobolum multiplicata

F ſemper innumerabilitas amplietur. aut ſi obſcœnitas fœcūdi (ita vt decet) ab Dijs abeſt, quæ cauſa ratioq; monſtrabitur, cur inſignia ſint his locis, quibus ſexus ſe ſolent libidinum propriarum admonitionib. recognoſcere? Neq; enim veri eſt ſimile habere hæc fruſtra, aut improuidentiā in illis ſuā ludere voluiſſe naturam: vt eos his partibus aggeraret, quibus vtendum non eſt. Sed vt enim ad vſus certos, manus, pedes, oculi, cæteraq; conſtructio membrorum ſua quæq; in officia conſtituta eſt, ita conuenit credere in ſui muneris functionem comparatas eſſe has partes: aut confitendū eſt in deorum corporibus eſſe aliquid vacuum, quod ſit fruſtra atq; inaniter fabricatum. Quid dicitis ô ſancti atq; impolluti Antiſtites religionum? Habent ergo dij ſexus, & genitalium membrorum circunferunt fœditates, quas ex oribus verecundis infame eſt ſuis appellationib. promere. Quid ergo iam ſupereſt, niſi vt eos credamus immundorum quadrupedum ritu, in libidinum furias geſtire, cupiditatibus rabidis ire in mutuas complexiones, & poſtremum fractis diſſolutiſq; corporib. voluptatis eneruatione languеſcere? Et quoniam quædam ſunt fœminarum generis propria, ſe-

G quitur vt eas quoque credamus circumactis perſoluere ſuas menſibus leges: faſtidia ſe ducere atq; habere conceptus: abortus perferre, & præpropero partu ſeptimanas edere aliquando fœturas. O pura, ô ſancta atque ab omni turpitudinis labe diſparata atque abiuncta diuinitas; auet animus, atque ardet in Chalcidicis illis magnis, atque in palatijs cœli Deos deaſque conſpicere intectis corporibus atque nudis, apud Iacchum Cererem, muſa vt prædicat Lucretii, mammoſam, Helleſpontiacum Priapum inter deas virgines atque matres circunferentem res illas, præliorum ſemper in expeditione paratas. Auet, inquam, videre deas grauidas, deas fœtas, gliſcentibuſq; per dies vteris inteſtini ponderis moroſitate cunctari, parturire alias tractu longo, & manus obſtetricias quærere: illas telis grauibus, & dolorū acuminibus fixas eiulare, & hortari, & inter hæc omnia ſuppetias Iunonis implorare Lucinæ. Nunne multo eſt re-

H ctius maledicere, conuitiari, atque alia ingerere dijs probra, quam obtentu pio talia de his mōſtra opinionum indignitate præſumere? Et audetis aſcribere cauſam nobis offenſionis deorum? cum ſi iudicatio fiat, certiſſima in vobis reperiantur hæc eſſe, & in contumelia, quam opinamini, ſtare. Nam ſi dij, vt dicitis, afficiuntur ita, & animorum indignationibus incaleſcunt: cur eos non putemus ægrè atque acerrimè ſuſtinere, datos ſibi ſibi à vobis ſexus, quibus canes porcique formati ſunt, & cum ita credatis, non aliter ſe fingi, & ignominioſa cum oſtentatione proponi? Ergo cum hęc ita ſint, miſeriarum omnium cauſa vos eſtis: vos deos impellitis, vos excitatis infeſtare omnibus malis terras, & noua quæque quotidie ſtruere, quibus vlciſci ſe poſſint tot à vobis iniurijs, & maledictionibus exaſperati: Maledictionibus, inquam, & iniurijs, quas partim fabulis turpibus, partim opinionibus indecoris, quas veſtri Theologi, quas Poetæ, quas ipſi vos quoque ignominioſis celebratis in ritibus, rer perdnas inuenietis humanas, & abiecitiſſe clauum Deos: ſi modò illorum curam ſpectat, mortalium regere atq; adminiſtrare fortunas. Nam nobis quidem cur iraſcantur non habent: quos vident & ſentiunt, neque ſe colere,

A neque deridere, quod dicitur, & honeſtius quam vos multo de ſui nominis dignitate exiſtimare & credere. De ſexu hactenus. Nunc ad ſpeciem veniamus & formas, quibus eſſe deſcriptos deos ſuperos creditis: quibus immo formatis, & templorum ampliſſimis collocatis in ſedibus. Neque quiſquam Iudaicas in hoc loco nobis opponat & Sadducæi generis fabulas, tanquam formas tribuamus & nos Deo: hoc enim putatur in eorum literis dici, & vt vel re certa, atque auctoritate firmari quæ aut nihil ad nos attinêt, nec ex aliqua portione quicquam habent commune nobiſcum: aut ſi ſunt creditæ ſociæ, quærendi ſunt vobis altioris intelligentiæ doctores, per quos poſſitis addiſcere, quibus modis conueniat litterarum illarum nubes, atq; inuolucra relaxare. noſtra de hoc ſententia talis eſt: Naturam omnem diuinam, quæ neq; eſſe cœperit aliquando, nec vitalem ad terminum ſit aliquando ventura, lineamentis carere corporeis, neque vllas formarum effigies poſſidere, quibus extima circumſcriptio mẽbrorum ſolet coagmenta finire. B Quicquid enim tale eſt, mortale eſſe arbitramur & labile: nec obtinere perpetuam poſſe credimus æuitatem, quod extremis coercitum finibus neceſſaria circumcludit extremitas. At verò vos Deos parum eſt formarũ quod amplectimini mẽſione, ſilo etiam atterminatis humano: & quod indignius multo eſt, terrenorum corporum circumciſura finitis. Quid ergo dicemus? Caput deos geſtare tereti rotunditate collectum, retinaculis neruorum dorſo illigatum ac pectori, & ad ceruicum neceſſarias flexiones conſertionibus verticum atq; oſſea ſubſtructione fulcitum? Quod ſi accipiemus vt verum ſit, aures etiam ſequitur vt habeant curuis perterebratas anfractibus: oculorum orbiculos mobiles, ſuperciliorũ marginibus obumbratos: ſuſpenſum imbricem narium, munctionibus mucculentis & ſpiritali commeabilem tractu: ſubactionibus ciborum dentes trini generis, atq; in officia trina compoſitos: manus miniſtras operum articulis, digitis, & cubitorum mobilitate tractabiles: corporibus ſuſtinendis pedes, explicandis greſſibus, & ſuggerendis anticipationibus itionum. Quod ſi ea, quæ prompta ſunt, C conſentaneum eſt & illa putari, quæ ſub coſtis, earumq; ſub cratibus cutes contegunt, atq; omentorum membranulæ: gurguliones, ventriculos, venas, pulmones, veſiculas, iecora. inteſtinorum volubilium tractus, & per omnia viſcera cõmeantes purpurei ſanguinis venas cum arteriis ſpiritalibus coniugatas. An nunquid cœleſtium corpora fœditatibus his carent? & quoniam cibis mortalibus abſtinent, edẽtulos eus eſſe paruulũ credendum eſt ritu? & viduatos interioribus cunctis, tanquam vtres ſufflatos, turgidorũ corporum inanitate tendere? Quid quod, ſi hæc ita ſunt, erit vobis neceſſarium conteri, ſimileſne ſint dij omnes, an formarum diſpari circumſcriptione teneantur. Si enim par cũctis, atq; vna eſt omnibus ſimilitudinis ſpecies, non abſurdum eſt credere errare eos, falliq; cognitionis in mutuæ cõprehenſione. Sin autẽ gerunt diſcrimen in vultibus, ſequitur vt intelligi debeat nõ alia de cauſa diſſimilitudines his datas, niſi vt ſinguli ſe poſſent differẽtium ſignorũ proprietatibus noſcitare. Ergo eſſe dicendum eſt quoſdam capitones, ſilunculos, frontonas, labeones: in his alios mentones, D nævos, atq; naſicas. Hos diſploſis naribus, illos reſimis, nõnullos turgentibus malis aut buccarum cumulatione acriuoces, nanos, longos, medios, macilentos, pingues, craſſos: hos capillorum intortionib. criſpulos, caluitiis alios & glabritatibus raſos: neq; opinari nos falſo veſtræ & produnt atque indicant officinæ. Siquidem cum facitis atq; informatis deos, hos crinitos effingitis, alios leues, ſenes, iuuenes, pueros, aquilos, caſios, ranos, ſeminudos, intectos, aut (ne frigus incommodet) fluidarum veſtium ſuperiectione perfuſos. Quiſquamne eſt hominum rationis alicuius ſapore contactus, qui pilos & lanugines credat in deorũ corporibus naſci? qui annorũ in illis ineſſe diſcrimina? qui & per varias tegminum atq; amictuum formas veſtitos hos ire, atq; ab æſtibus ſeſe frigoribuſq; tutari? Quod qui habet verũ, & hoc neceſſe eſt tanquam verum accipiat: eſſe deos fullones, eſſe tonſores: qui vel ſacras eluant veſtes, vel capillos imminuãt ſyluescentium crinium velleribus inuolutos. Itane illud nõ turpe, non impietatis & contumeliæ plenum eſt, moribundi & caduci animantis lineamẽta diis dare? inſignire his partibus, quas enumerare, quas perſequi probus audeat nemo, E nec ſine ſummæ fœditatis horrore, mentis imaginatione concipere? Hoccine eſt illud faſtidium veſtrum, ſapientia hæc arrogans, qua deſpicitis nos vt rudes, atque omnem ſcientiam reminiſcerum vobis diuinarum patere? Ægyptiorũ ridetis ænigmata, quod mutorum animantium formas diuinis inſeruerint cauſis, eaſdemq; quod ſpecies multo thure accipiant, & reliquo cærimoniarum paratu: vos effigies hominum tanquam deorum veneramini poteſtates: nec pudet his ora terreni animalis imponere, erroris alios & ſtultitiæ condemnare, & in erroris eiuſdem ſimilitudine ac vitio deprehendi. Niſi fortè dicetis alias quidem ineſſe diis formas, & honoris, & dotis cauſa ſpecies vos eius accommodauiſſe mortalium, quod maioris multo eſt contumeliæ quam erroris aliquid ignoratione feciſſe. Nam ſi vos fateremini id, quod veſtra ſuſpicio credidiſſet, formam mentis attribuiſſe diuinis, minus erat iniuriæ præſumpta in opinatione peccaſſe. F Nunc vero, cum aliud creditis, & aliud fingitis, & in eos eſtis cõtumelioſi, quibus id attribuitis quod eos confitemini non eſſe: & irreligioſi eſſe monſtramini, cũ id adoratis quod fingitis, non quod in re eſſe ipſaq; in veritate eſſe cenſetis. Si aſelluli, canes, porci, humanum aliquid ſaperent, fingendique haberent artes, ijdemque nos vellẽt cultu aliquo proſequi, & ſtatuarum cõſecrationibus honorare, quantas nobis irarum flammas, indignationum quos turbines concitarent, ſi ſuorum corporũ formas noſtra vellent portare atque obtinere ſimulacra? Quantas, inquam, irarum flammas ſuffunderent, excitarent, ſi vrbis conditor Romulus aſinina ſtaret in facie, ſi ſanctus Pompilius in caninis, ſi porcina ſub ſpecie nomen eſſet Catonis, aut Marci Ciceronis inſcriptum? Ita ergo ſtoliditatem veſtram non rideri (ſi rident) veſtris ab numinibus reminis? aut, quoniã cenſetis affici eos ira, non inſanire, non furere, neque pro iniuriis & contumeliis tantis vltum ire ſe velle, iaculari q. in vos ea, quæ dolor ſuetus eſt iacere, & offenſionis acerbitas comminiſci. Quanto fuerat rectius elephantorum his formas, pantherarum, aut tigridum, taurorum, equorumque donare? Nam quid in homine pulchrũ eſt, quid quæſo admirabile, G vel decorum, niſi quod & veterino cum pecore neſcio quis auctor voluit eſſe commune? Sed ſi vobis (inquiunt) noſtra opinatio diſplicet, vos demonſtrate, vos dicite, qua ſit deus præditus forma. Si veram vultis audire ſententiam, aut nullam habet Deus formam: aut ſi informatus eſt aliqua, ea quæ ſit, profectò neſcimus. Neque enim quod vidimus nunquam, neſcire eſſe ducimus turpe: aut ea re prohibemur aliorum ſententias refutare, quia ſuper hoc noſtrã nullam ipſi ſententiam promimus. Vt enim ſi vitreus eſſe dicatur mundus, ſi argenteus, ferreus, vel ex fragili condolatus & fabricatus eſt teſta, non dubitemus falſum eſſe contendere, quamuis quę ſit eius materia neſciamus: ita cum de ſpecie agatur Dei, quam perhibetis, conuincimus non eſſe, etiã ſi quæ ſit minus poſſumus explicare. Quid ergo (inquiet aliquis) non audit Deus? non loquitur? non ante ſe poſitas res videt? non intuetur? Suo fortiſsẽ genere, non noſtro. Neque enim veri aliquid ſcire tanta in re poſſumus, aut ſuſpicionibus indagare: quas eſſe apud nos liquet inſtabiles, lubricas, & vaniorum ſimilitudines ſomniorum. H Si enim dixerimus iiſdem illum rationib. videre, quibus & nos videmus: ſequitur vt intelligi debeat ſuperiectas pupillis eum habere membranulas, conniuere, nictare, radiis, aut imaginibus cernere, aut quod oculis commune eſt omnibus, ſine alterius luminis commixtione nihil omnino conſpicere. Quod ipſum ſimiliter de auditu, ac de eloquij forma, & verborũ prolatione dicendum eſt. Si per aures audiat, eas quoque habere flexuoſis tramitibus perforatas, qua irrepere vox poſſit ſenſum nunciatura ſermonis: aut ſi verba ore fundũtur, labia habere cum dentibus, quorum tactu & mobilitate multiiuga lingua ſonos articulet, & vocem in verba conformet. Si noſtri animi motum non recuſatis audire, tantum abeſt vt nos deo corporalia lineamenta tribuamus, vt animorum etiam decora, ipſaſque virtutes (quibus eminere vix conceſſum eſt paucis) tantæ rei vereamur aſcribere. Quis enim Deum dixerit fortem, conſtantem, frugi, ſapientem? quis probum? quis ſobrium? quis immo aliquid noſſe? quis intelligere? quis prouidere? quis ad fines

A officiorum certos actionum ſuarum decreta dirigentem? Humana ſunt hæc bona, & ex oppoſitione vitiorum exiſtimationem meruerunt habere laudabilem. Quis eſt autem tam obtuſi pectoris, tam bruti, qui humanis bonis Deũ eſſe dicat magnum? aut ideo nominis maieſtate præcellere, quod vitiorum careat fœditate? Quicquid de deo dixeris, quicquid tacitæ mentis cogitatione conceperis, in humanum tranſilit & corrumpitur ſenſum: nec habet propriæ ſignificationis notam, quod noſtris dicitur verbis, atque ad negocia humana compoſitis. Vnus eſt hominis intellectus de dei natura certiſſimus, ſi ſcias, & ſentias nihil de illo poſſe mortali oratione depromi. Et hæc vero prima eſt veſtrorum numinum contumelia, quam de formis, & ſexibus boni ſcilicet vindices, & religioſi conſtruxiſtis auctores. Illud vero, quod ſequitur, quale eſt, quod deos vobis inducitis alios fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas, citharistas, aulœdos, venatores, paſtores, & quod ſuperat, B ruſticos? Et ille, inquit, muſicus Deus eſt: & hic alter diuinus eſt. Cæteri enim dij non ſunt, & ventura prædicere inſcitia neſciunt, atque ignorantia futurorum. Obſtetricis ille informatus artibus, medicorum alius inſtitutus eſt diſciplinis. Ergone ſinguli ſua in re pollent, nec in auxilium vocati alienis poſſunt in partibus ſubuenire? Hic in ſermone facundus eſt, atq; in verborum continuationibus promptus: bardi enim ſunt alij, nec poſſunt aliquid ſcitum (ſi oratio facienda eſt) eloqui. At rogo quæ ratio eſt, quæ tam dura neceſſitas, quæ cauſa, vt artificia hæc ſuperi tanquam viles nouerint atque habeant ſellularij? In cœlo enim cantatur & pſallitur, vt interualla & numeros vocum nouem conſerant iciculæ ac modulentur ſorores. Sunt in ſydereis montibus ſyluæ, ſunt luſtra, ſunt nemora, vt venationum præpotens habeatur in expeditionibus Diana. Imminentia dij neſciunt: & ſortibus viuunt, agitanturque fatalibus, vt quid cuique craſtinus dies ferat, aut hora, Latonius explicet atque aperiat vates: ipſe alio impletur deo, & vt numinis premitur exagitaturq; maioris, vt merito dicatur habeaturque diuinus. C Corripiuntur dij morbis, & vulnerari, vexari aliqua ex re poſſunt: vt cum exegerit ratio, auxiliator ſubueniat Epidaurius. Parturiunt, pariunt: vt difficiles puerperiorum tricas Iuno mulceat, corripiatque Lucina. Rem ruſticam tractant, aut curant militaria munera: vt flammipotens Vulcanus fabricetur his enſes, aut ruris ferramenta procudat. Veſtis indigent tegmine: vt virgo Tritonia curioſius ſtamen neat: & qualitate pro temporis, aut trilices tunicas, aut de ſerico imponat. Accuſant, & diluunt crimina: vt Atlantea progenies eloquij primas ferat ſtudioſa exercitatione quæſiti. Erras, inquit, & falleris: non enim ipſi opifices a dij ſunt, ſed ingenijs hominum ſubijciunt has artes, atque vt vita ſit inſtructior, tradunt ſcienda mortalibus. Sed qui aliquam ſubijcit ignaro ac neſcio diſciplinam, ſolertemque his efficere nonnullius operis ſcientia contendit, ſciat ipſe neceſſe eſt primus id, quod alterum colere conſtituit. Neque enim traditor alicuius eſſe ſcientiæ potis eſt, vt non eius quod tradit præcepta habeat cognita, & rationem teneat exercitatiſſime comprehenſam. Dij ergo ſunt artifices primi: ſiue quod, ipſi vt dicitis, ſubdunt ſcientiam D mentibus: ſiue quod immortales, & geniti nunquam, genus omne terrenum vetuſtate temporis antecedunt. Hoc eſt ergo quod quærimus, cum ſit nullus apud ſuperos artibus his locus: neque vſus illorum, neq; natura depoſcat ingenioſum aliquid, aut ſellularium ſcire: cur eſſe dicatis in alijs perceptionibus gnariores, & habere ſolertias, in quibus ſingulis emineant ſcientiarum cognitione diſcreti? Niſi forte hoc dicitis, deus artifices non eſſe, ſed eos his artibus præſidere, curare: immo ſub illorum poſita eſſe tutela omnia, quę adminiſtrâmus, quæ gerimus: atque, vt bene ac feliciter cedant, illorum prouiſione curari. Quod quidem merito dici ac probabiliter videretur, ſi ad voluntatem ſemper ſententiamque procederent ea, quæ obimus, quæ gerimus, aut in negocijs periclitamus humanis. Cum vero in contrarium quotidie res vertantur, neque ad propoſitum voluntatis actionum reſpondeant fines, ludentis eſt dicere deus nobis ſupereſſe cuſtodes, quos ſuſpicio finxit noſtra, non explorata veritas comprehendit. Per maria tutiſſimas præſtat Portunus commeantibus nauigationes: ſed cur infanum mare E tam frequentes expoſuit crudelium naufragiorum ruinas? Salutaria, & fida conſilia noſtris ſuggerit cogitationibus Conſus: & in contrarius exitus cur aſſidue vertitur placitorum inopinata mutatio? Armentorum, & pecorum gregibus Pales præſunt Inuuſque cuſtodes: & cur ſæua contagia, & peſtilentes morbos ab æſtiuis auertere ceſſatione inimica non curant? Flora illa genitrix, & ſancta obſcœnitate ludorum bene curat vt arua floreſcant: & cur quotidie gemmulas, & pubeſcentes herbas adurit atque interficit nocentiſſimum frigus? Puerperijs Iuno præpoſita eſt, & auxiliatur genitricibus fœtis, & matrum intereunt cur quotidie millia parricidalibus nixibus interemptæ? In tutela Vulcani eſt ignis, & materies eius in illius regimine conſtituta eſt: & cur ædes frequentiſſime ſacras, atque vrbium potiores ad cinerem patitur flammarumq; voracitate collabi? Diuinationis ſcientiam largitur hariolantibus Pythius, & cur obliquata, dubia, cur obſcuritatibus ſubmerſa caligine F dat ſæpius ſubmonſtratque reſponſa? Æſculapius officiis & medendi artibus præeſt: & cur plura morborum & valetudinum genera ad ſanitatem nequeunt incolumitatemque perduci, immo ſub ipſis fiunt curantum manibus atrociora curæ? Mercurius ceroma pugillatibus & luctationibus præſtat, & cur inuictos omnes non perficit, quibus præeſt? cur vnius in officio præſidatus, hos victoriæ compotes, alios vero perpetitur ignominioſa infirmitate rideri? Tutelaribus, inquit, ſupplicat dijs nemo, & ideirco ſinguli familiaribus officijs atque auxilijs deſunt. Niſi enim thura, & ſalſas accipiant fruges, benefacere dij nequeunt? & niſi pecorum ſanguine delibutas ſuas conſpexerint arulas, ſuos deſerunt atque abijciunt præſidatus? Atqui ego rebar pauloante, ſpontaneas eſſe numinum benignitates, vltroq; ab his fluere inexpectata beneuolentiæ munera. Nunquid enim rex poli libamine aliquo exambitur aut hoſtia, vt omnia iſta, quibus viuimus, commoda mortalium gentibus largiatur? Non feruorem genitalem ſolis Deus, noctis & tempora, ventos, pluuias, fruges, conctis ſubminiſtrat æ-G qualiter bonis, malis, iniuſtis, ſeruis, pauperibus, diuitibus? Hoc eſt enim proprium dei potentis ac veri, inexorata beneficia præbere feſſis atque inualidis rebus, & multiformi ſemper aſperitate vallatis. Nam ſacrificiis editis id quod poſcaris annuere, non eſt iſtud poſtulantibus ſubuenire, ſed benignitatis propriæ munificentiam venditare. Ludimus & laſciuimus tanta in re homines, & quid ſit Deus obliti, quid iſtius magnificentia numinis, quicquid vile vel ſordidum ſuſpicioſa potuimus credulitate confingere, dijs tutelaribus arrogamus. Vnctionibus, inquit, ſupereſt Vnxia, cingulorum Cinxia replicationi, Victa & Potua ſanctiſſimæ victui potuique procurant. O egregia numinum, & ſingularis interpretatio poteſtatum! niſi poſtes virorum adipali vnguine oblinerentur ab ſponſis: niſi virginalia vincula iam feruentes diſſoluerent, atque imminentes mariti, niſi potarent, & manderent homines, dij nomina non haberẽt? Quid? quod non contenti tam deformibus ſubdidiſſe atque implicuiſſe deos curis, naturas his etiam feras, truculentas, immanes, malis gaudentes ſemper, & humani generis attribuitis vaſtitatem. Non commemorabimus hoc loco H deam Lauernam furum, Bellonas, diſcordias, furias: & læua illa quæ conſtituitis numina taciturnitatis ſilentio præterimus. Martem ipſum ponemus in medio, & ſpecioſam illam Cupidinum matrem: ex quibus vnum præficitis prœlijs: amoribus alteram & cupiditatis ardori. Poteſtatem, inquit, bellorum Mars habet. vtrumne vt mota compeſcat, an vt ceſſantia & quieta commoueat? Nam ſi ſedator militaris inſaniæ eſt, cur quotidie bella non deſunt? Sin autem conditor illorum eſt, deum ergo dicemus in voluptatis ſuæ dulcedinem collidere orbem totum: diſcordiarum & diſcriminum cauſas inter gentes ſerere terrarum longinquitate disiunctas: conducere ex diuerſo tot mortalium millia, & intra verbi vnius moras campos cadaueribus aggerare, ſanguineos præcipitare torrentes, fundatiſſima delere imperia, æquare vrbes ſolo, libertatem ingenuis abrogare, & ſeruitutis conditionem imponere, diſſenſionibus gaudere ciuilibus, commorientium fratrum parricidali nece, & ad vltimum filiorum & patrum parricidali congreſſionis horrore. Quod ipſum licebit in Venerem pari atque eadem ratione tra-

A ducere. Nam ſi amoris hæc flammas (ſicut perhibetis &
creditis) cogitationibus ſubdit humanis, ſequitur vt intel-
ligi debeat, quicquid labis & criminis ab inſania proficiſca-
tur, talibus venereis debeat vulneribus imputari. Ergo-
ne Dea cogente in viliſſimi nominis ſcorta ſuam ſæpius pro-
dunt etiam nobiles dignitatem, diſſuuntur tenacium ma-
trimoniorum nexus, inceſta libidine neceſſitudo ſanguinis
inardeſcit, inſaniunt in liberus matres, patres virginum ſu-
arum vota in ſe vertunt, contra decus ætatis ſenes in obſce-
nos ingemunt cutis iuuenilibus appetitus, ſapientes & for-
tes viri ſoluunt detrita conſtantiæ virilitatis vigore molli-
to, innectuntur ceruicibus laquei, euincenduntur arden-
tes rogi, & per vaſtas atque altiſſimas rupes iaciunt ſe paſ-
ſim voluntarijs ſaltibus præcipitati? Quiſquamne eſt homi-
num rationis alicuius primordijs imbutus, qui diuinitatis
conſtantiam tam fœdis polluat aut contaminet moribus?
qui naturas attribuat dijs tales, quas in agreſtibus beluis le-
nitudo ſæpe permulſit atque extenuauit humana? Vbinam
B quæſo eſt illud, quod ab omni perturbationis affectu dij
procul amoti ſunt? quod lenes, placidi, mites, quod in ge-
nere virtutis vnuo perfectionis apicem, atque ipſius tenen-
nent ſapientiæ ſummitatem? aut cur eos oramus, vt à no-
bis aduerſa atque inimica propellant, ſi malorum omnium,
quibus quotidie carpimur, ipſi eſſe nobis reperiuntur au-
ctores? Quantumlibet nos impios, irreligioſos vocetis,
aut atheos, nunquam fidem facietis eſſe amorum deos, eſſe
bellorum, eſſe qui diſcordias conſerant, qui furialibus ſti-
mulis animos inquietent. Aut enim veriſſime dij ſunt, &
ea quæ commemoraſtis non faciunt: aut ſi ea quæ dicitis fa-
ciunt, ſine vlla dubitatione dij non ſunt. Etiamen poſſe-
mus vtcumque accipere à vobis has mentes impiarum ple-
niſſimas fictionum, ſi non multa de dijs ipſi tam contraria
promentes, diſſoluentiaque ipſa, ſuſtinere animi compelle-
retis aſſenſum. Cum enim ſinguli ſingulos anteire interioris
contenditis ſcientiæ laude, & deos ipſos, quos opinamini,
tollitis: & reponitis alios, quos manifeſtum eſt non eſſe: &
alius aliud de eiſdem dicitis rebus, & innumeros eſſe con-
ſcribitis, quos eſſe ſingulos ſemper conſenſio accepit huma-
C na. Incipiamus ergo ſolenniter ab Iano & nos patre, quem
quidam ex vobis mundum, annum alij, ſolem eſſe prodidere
nonnulli. Quod ſi accipiemus vt verum ſit, ſequitur, vt in-
telligi debeat nullum vnquam fuiſſe Ianum, quem ferunt
Cælo atque Hecate procreatum in Italis regnaſſe primum,
Ianiculi oppidi conditorem, patrem Fonti, Vulturni gene-
rum, Iuturnæ maritum: atque ita per vos Dei nomen eradi-
tur, quem in cũctis anteponitis precibus, & viam nobis pan-
dere deorum ad audientiam creditis. Ruſus vero ſi Ianus
eſt annus, Deus eſſe nec ſic poteſt. Quis enim annum igno-
rat temporis eſſe circumſcriptionem ſtatam, nec habere vim
numinis id, quod ſpacijs menſium, & dierum dinumeratio-
ne concluſum eſt? quod ipſum licebit in Saturnum non ab-
ſimili ratione traducere. Nam ſi tempus ſignificatur hoc no-
mine (Græcorum vt interpretes autumant) vt quod chro-
nos eſt, habeatur Cronus, nullum eſt Saturnium nomen.
D Quis eſt enim tam demens, qui tempus eſſe dicat Deum,
quod menſura cuiuſdam eſt ſpacij in continua ſerie perpe-
tuitatis incluſi? atq; ita ex ordine tolletur & ille cæleſtium,
quem cælo eſſe editum patre, magnorum eſſe procreatorem
deorum, vitiſatorem, falciferum vetuſtas edidit priſca, & mi
norum tranſmiſit ætati. Nam quid de ipſo dicemus Ioue,
quem ſolem eſſe dictitauere ſapientes: gerentem pinnatos
currus turba conſequente diuorũ: æthera nonnulli flagran-
tem vi flammea, atq; ardoris inextinguibili vaſtitate? Quod
ſi liquet, & conſtat: nullus ergo omnino eſt vobis auctori-
bus Iuppiter: qui patre editus Saturno, atque Ope matre,
vt genitoris euaderet rabiem, in Cretenſium finibus memo-
ratur eſſe celatus. Iam vero Iunonem opinatio nonne con-
ſimilis deorum tollit è cenſu? Nam ſi aër illa eſt (quemad-
modum vos ludere ac dictitare conſueſtis, Græci nominis
præpoſteritate repetita) nulla ſoror & coniux omnipoten-
tis reperietur Iouis, nulla Fluuionia, nulla Pomona, nulla
Oſſipagina, nulla Februtis, Populonia, Cinxia, Caprotina:
atque ita reperietur inaniſſima eſſe iſtius nominis fictio o-
pinionis vacuæ celebritate vulgata. Ariſtoteles (vt Gra-
nius memorat) vir ingenio præpotens, atque in doctrina

præcipuus, Mineruam eſſe Lunam probabilibus argumen- E
tis explicat, & literata auctoritate demonſtrat. Eandem
hanc alij ætherium verticem, & ſummitatis ipſius eſſe ſum-
mam dixerunt: memoriam nonnulli: vnde ipſum nomen
Minerua, quaſi quædam Meminerua formatum eſt. Quod
ſi accipiuntur fidem, nulla eſt ergo mentis filia, nulla victo-
riæ, nulla Iouis elata de cerebro inuentrix oleæ, nulla ma-
giſterijs artium, & diſciplinarum varietatibus erudita.
Quod aqua nubat terram, appellatus eſt (inquiunt) co-
gnominatuſque Neptunus. Si ergo liquoris obtentio no-
minis huius appellatione ſignatur, nullus Deus eſt omnino
Neptunus: atque ita tollitur, & remouetur è medio ſtygij
frater Iouis, Olympijque germanus, tridenti armatus fer-
ro, piſcium dominus atque menarum, rex ſalſorum gur-
gitum, & tremebundi motator ſali. Mercurius etiam quaſi
quidam medicurrius dictus eſt: &, quod inter loquentes
duos media currat & reciprocetur oratio, nominis huius F
concinnata eſt qualitas. Ergo ſi hæc ita ſunt, non eſt dei
Mercurius nomen, ſed ſermonis reciprocantis & vocis, at-
que ita hoc pacto aboletur & extinguitur caduceator ille
Cyllenius in algido ſatus monte: verborum excogitator &
nominum: nundinarum, mercium, commerciorumque
mutator. Terram quidam è vobis, quod cunctis ſufficiat
animantibus victum, matrem eſſe dixerunt magnam: ean-
dem hanc alii, quod ſalutarium ſeminum frugem gerat, Ce-
rerem eſſe pronunciant: nonnulli autem Veſtam, quod in
mundo ſtet ſola, cæteris eius partibus mobilitate in perpe-
tua conſtitutis. Quod ſi ratione profertur & aſſeueratur cer-
ta, trina pariter nomina vobis interpretibus nulla ſunt: non
Ceres, non Veſta deorum eſſe computabuntur in faſtis: non
ipſa denique mater Deûm, quam Nigidius autumat matri-
monium tenuiſſe Saturni, dea rectè poterit nuncupari: ſiqui-
dem vnius terræ hæc ſunt omnia nomina, & his ſola prædi-
cationibus indicatur. Prætermittimus hoc loco ſatietatis fu-
ga Vulcanum: quem eſſe omnes ignem pari vocum pro-
nunciatis aſſenſu: quod ad cunctos veniat, Venerẽ: & quod G
ſata in lucem proſerpant, cognominatam eſſe Proſerpinam:
qua rurſus in parte trium capita numinum tollitis: ſiquidem
primum elementi eſt nomen, non ſentientis vocabulum
poteſtatis: libidinis alterum per cuncta animantia diffuſæ:
tertium vero ſignificat attollentia ſe germina, frugum ſub-
creſcentium motiones. Quid cum Liberum, Apollinem,
Solem, vnum eſſe contenditis numen vocabulis amplifica-
tum tribus? nonne ſententijs veſtris deorum imminuitur
cenſus, & opinio prædicata dilabitur? Nam ſi verum eſt ſo-
lem eundem Liberum eſſe, eundemq; Apollinem, ſequitur
vt in rerum natura neq; Apollo ſit aliquis, neq; Liber: atque
ita per vos ipſos aboletur, eraditur, Semeleius, Pythius: alter
fœculentæ hilaritatis dator, Sminthiorum alter pernicies
murum. Non indocti apud vos viri, neque quod induxerit
libido garrientes, Dianam, Cererem, Lunã, caput eſſe vnius
dei triuiali germanitate pronunciant: neque, vt ſunt trinæ
diſſimilitudines nominum, perſonarum differentias tres eſ-
ſe: Lunam in his nominibus vocari, atq; in eius vocamen te- H
quorum ſeriem coaceruatam eſſe cognominum. Quod ſi
exploratum, ſi fixum eſt, atque ita ſe eſſe rei veritas monſtrat
caſſum rerum nomen eſt Cereris, caſſum Dianæ: atque ita
perducitur res eo, vt & illa frugum (ſicut perhibetis) inuen-
trix, vobis ducibus atque auctoribus nulla ſit: & expolietur
Apollo germana, quam quõdam puris in fontibus abluen-
tem membrorum ſordes corniger ille venator inſpexit, &
pœnam curioſitatis inuenit. In Philoſophiæ memorabiles
ſtudio, atque ad iſtius nominis culmen vobis laudatoribus
eleuatis, vniuerſam iſtam molem mundi, cuius omnes am-
plexibus ambimur, tegimur, ac ſuſtinemur, animal eſſe v-
num, ſapiens, rationabile conſultum probabili aſſeueratio-
ne definiunt: quorum ſi eſt vera & fixa certa ſententia, etiam
illi continuo deſinent dij eſſe, quos in eius portionibus pau-
lo ante immutatis nominibus conſtituebatis. Vt enim homo
vnus nequit permanẽte ſui corporis integritate in homines
multos ſcindi, neq; homines rurſus multitudinis iunctionis
differentiis conſeruata in vnius ſenſus ſimplicitatem conflu-
ere: ita ſi mundus vnum eſt animal, & vnius mentis agitatio-
ne motatur, nec in plura poteſt numina diſſipari, nec (ſi eius
particulæ dij ſunt) in vnius animantis conſcientiam cog-,

A atque veri. Luna, ſol, tellus, æther, aſtra, membra ſunt, & mundi partes: quod ſi partes & membra ſunt, animalia vtique ſui nominis non ſunt: neque enim partes hoc ipſum eſſe, quod totum eſt, aliqua iure poſſunt: aut ſibi ſapere, ſibi ſentire, quod ſine totius animantis aſſenſu nullis proprijs afficiatur è motibus. quo conſtituto, ac poſito, ſumma omnis illuc redit: vt neque Sol Deus ſit, neque Luna, neque Æther, Tellus, & cætera. Sunt enim partes mundi, non ſpecialia numinum nomina: atque ita perficitur, omnia vobis turbantibus miſcentibuſque diuina, vt in rerum natura vnus Deus conſtituatur mundus, exploſis omnibus cæteris: quinimo inaniter, vacue, & ſine vlla ſubſtantia conſtitutis. Si totidem nos modis, totidemq; ſententijs deorum veſtrorum ſubrueremus fidem, nulli eſſet dubium, quin ira & rabie concitati, ignes, feras, & gladios, atque alia poſtularetis ſuppliciorum in nos genera, quibus ſitim ſoletis veſtram noſtri ſanguinis appetitione proluere. Cum vero per vos ipſos prope omnis gens numinum ſub oſtentatione tollatur ingeniorum atque doctrinæ, audetis intendere noſtri nominis cauſa res humanas ab dijs premi: cum quidam (ſi verum
B eſt eſſe illos vſpiam, atque incaleſcere irarum flammis) nihil habeant iuſtius, propter quod in vos ſæuiant, quam quod eos negatis ſubſiſtere, neque vna eſſe in parte naturæ. Muſas Mnaſeas eſt auctor filias eſſe Telluris & Cæli: Iouis cæteri prædicant ex Memoria vxore, vel mente: has quidam virgines, alij matres fuiſſe conſcribunt. Libet enim iam paucis etiam illas partes attingere, quibus alius aliud eadem de re dicere opinionum diuerſitate monſtramini. Ephorus has igitur numero eſſe tris effert: Mnaſeas quem diximus, quatuor: Myrtylus inducit ſeptem: octo aſſeuerat Crates: ad extremum Heſiodus nouem cum nominibus prodit, dijs cælum & ſydera locupletans. Niſi fallimur, iſta diſſenſio nihil ſcientium verum eſt, non ab rei veritate deſcendens. Nam ſi liquido ſciretur, quid ſit vnanimis vox omnium, & in euſdem ſententiæ finem cunctorum pergeret & conueniret aſſenſio. Quonam modo igitur religionis poteſtis integrare vim plenam, cum circa ipſos erretis deos? aut ad venerabiles inuitare nos cultus, cum nihil nos certi
C de ipſorum numinum comprehenſione doceatis? Vt enim de medijs conticeſcamus auctoribus, aut ille primus eradit atque interficit ſex diuas Muſas, ſi eſſe illas conſtat nouem: aut ille vltimus & extremus ſex apponit, quæ nullæ ſunt, tribus ſolis in veritate conſtantibus: vt neque ſciri poſſit, aut comprehendi, quænam debeant addi, quæ demi, & in periculum deducatur religionis ipſius ſuſceptio, aut id quod non eſt colens, aut quod ſit fortaſſe præteriens. Nouenſileis, Piſo deos eſſe credit nouem in Sabinis apud Trebiam conſtitutos: Hos Granius Muſas putat, conſenſum accommodans Ælio: nouenarium numerum tradit Varro, quod in mouendis rebus potentiſſimus ſemper habeatur & maximus: nouitatum Cornificius præſides, quod curantibus his omnia nouitate integrentur, & conſiſtant: deos nouem Manilius, quibus ſolis Iuppiter poteſtatem iaciendi ſui permiſſent fulminis. Cincius numina peregrina nouitate ea ipſa appellata pronunciat. nam ſolere Romanos deos omnes vrbium ſuperatarum partim priuatim per familias ſpargere,
D partim publice conſecrare. ac ne aliquid deorum multitudine aut ignorantia præteriretur, breuitatis & compendij cauſa vno pariter nomine cunctos Nouenſiles inuocari. Sunt præterea nonnulli, qui ea hominibus diuos factos hac prædicant appellatione ſignari, vt eſt Hercules, Romulus, Æſculapius, Liber, Æneas. Sententiæ (vt apparet) diuerſæ ſunt hæ omnia: neque fieri per rerum naturam poteſt, vt qui opinionibus differunt, veritatis vnius habeantur auctores. Si enim Piſonis ſententia vera eſt, Ælius & Granius mentiuntur: ſi quod dicitur ab his certum eſt, peritiſſimus errat Varro, qui rebus in ſubſtantia conſtitutis inaniſſimas ſubdit & res caſſas. Si nouenarius numerus cognomen Nouenſilium ducit, Cornificius labare conuincitur, qui nouitati præſidentibus diuis alienæ potentiæ vim donat. Quod ſi opinio Cornificij vera eſt, imprudens Cincius inuenitur, qui vrbium victarum deos poteſtate afficit Nouenſilium numinum. Quod ſi hi ſunt, quos Cincius prædicat, Manilius dicere reperietur falſum, qui alieni fulminis iaculatores ſub illius vocaminis appellatio-

ne concludit. Quod ſi exploratum & verum eſt id quod E
Manilius autumat, in errore ſunt hi maximo, qui honoribus diuinis auctos, conſecratoſque mortales ob nouitatem honoris exiſtimant nuncupari. Quod ſi Nouenſiles hi ſunt, qui meruerunt ad ſydera ſubleuari, poſtquam ſunt vitæ mortalitate defuncti, nulli prorſus Nouenſiles dij ſunt. Vt enim ſerui, milites magiſtri, non ſunt perſonarum ſubiacentium nomina, ſed officiorum, conditionum, & munerum: ita cum Nouenſiles dicimus eſſe nomen eorum qui ex hominibus meruerunt dij eſſe, manifeſtum & promptum eſt non perſonas ſpecialiter definitas, ſed nouitatem ipſam cognomine Nouenſilium nuncupari. Nigidius Penates deos Neptunum eſſe atq; Apollinem prodidit, qui quondam muris vrbem Ilium conditione adiuncta cinxerunt. Idem rurſus in libro ſexto exponit & decimo diſciplinas Ethruſcas ſequens, genera eſſe Penatum quatuor, & eſſe Iouis ex his alios, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos, inexplicabile neſcio quid dicens. Cæſius & ipſe
F aſſequens Fortunam arbitratur, & Cererem, Genium Iouialem, ac Palem, ſed non illam fœminam, quam vulgaritas accipit, ſed maſculini neſcio quem generis, miniſtrum Iouis ac villicum. Varro, qui ſunt interius, atque in intimis penetralibus cœli deos eſſe cenſet, quos loquimur, nec eorum numerum, nec nomina ſciri. Hos Conſentes, & cõplices Ethruſci aiunt, & nominant, quod vna oriantur, & occidant vna: ſex mares, & totidem fœminas nominibus ignotis, & miſerationis parciſſimæ: ſed eos ſummi Iouis conſiliarios, ac principes exiſtimari. Nec defuerunt qui ſcriberent Iouem, Iunonem, ac Mineruam, deos penates exiſtere: ſine quibus viuere, ac ſapere nequeamus: ſed qui penitus nos regant ratione, calore, ac ſpiritu. Vt videtis, & hic quoq; nihil continens dicitur, nihil vna pronunciatione finitur: nec eſt aliquid fidum, quo inſiſtere mens poſſit veritati ſuæ proxima ſuſpicione conijciens. Ita enim labant ſententiæ, alteraq; opinio ab altera conuellitur: vt aut nihil ex omnibus verum ſit: aut ſi ab aliquo dicitur, tot rerum diuerſitatibus neſciatur. Poſſumus ſi videtur, ſummatim aliquid & de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atq; itinerum deos eſſe, ex
G eo quod Græci vicos cognominant lauras. In diuerſis Nigidius ſcriptis modo tectorũ domuumq; cuſtodes, modo Curetas illos qui occultaſſe perhibentur Iouis crepitibus aliquando vagitũ, indigetes Samothracios, quos quinq; indicant Græci Idæos dactylos nuncupari. Varro ſimiliter hæſitans, nunc eſſe illos Manes, & ideo Maniam matrem eſſe cognominatam Larum: nunc aërios rurſus deos, & heroas pronunciat appellari: nunc antiquorum ſententias ſequens laruas eſſe dicit Lares, quaſi quoſdam genios defunctorum animas mortuorum. Infinitum eſt & immenſum ſpecies ne per ſingulas, atq; ipſis facere promptum libris, nullum eſſe à vobis deum neque exiſtimatum, neque creditum, de quo ambiguas, diſcrepantesque ſententias opinionum mille varietatibus non prompſeritis. Sed breuitatis & faſtidij cauſa ſatis hæc eſt dixiſſe, quæ dicta ſunt: & eſt operoſum nimis coaceruare in vnum multa, cum ex vno & ex altero manifeſtum fiat & pateat, labare, nec quicquam vos certi de his rebus quas aſſerit-
H is dicere: niſi forte dicetis, etiam ſi perſonaliter ignoramus, qui ſunt Lares, qui Nouenſiles, qui Penates, eſſe illos tamen conſenſio ipſa vindicat auctorum, & in numeris cælitum formam ſui generis obtinere. Et quemadmodum poterit an ſit deus aliquis ſciri, ſi ignorabitur & neſcietur quid ſit? aut poſtulatio ipſa beneficiorum valere, ſi exploratum non erit, non certum, quis ad quamque debeat conſultationem vocari? Omnis enim, qui quærit alicuius numinis impetrare reſponſum, debet neceſſario ſcire cui ſupplicet, quem imploret, à quo rebus auxilia & neceſſitatibus expoſcat humanis: maxime cum vos ipſi, & non omnes omnia deos poſſe præſtare, & diſſimilibus ritibus ſingulorum animos referatis offenſioneſque placari. Etenim ſi hic atram, ille albam deſiderat pellem, huic capite velato, illi ſacrificandum eſt nudo, de matrimonijs ille conſulitur, hic medelas incommoditatibus præſtat, intereſſe non poteſt nihil, an ſit ille nouenſilis, an ille, cum ignoratio rerum, & perſonarum confuſio deos offendat, cogat & neceſſario piaculum contrahi? Finge enim me ipſum incõmoditatis alicuius & declinandi periculi cauſa horum cuipiam numinum ſup-

plicare

A plicare dicentem, Adeſte, adeſtote dij Penates, tu Apollo, tuque Neptune, omniaque hæc mala, quibus vror, torqueor, vexor, veſtri numinis auerruncate clementia: eritne ſpes aliqua feſerendæ ab his opis, ſi Ceres, Pales, Fortuna, Iouialis aut Genius, non Neptunus & Apollo Penates dij erunt? aut ſi Curetas pro Laribus inuocaro, quos indigetes Samothracios pars veſtrorum aſſeuerat auctorum, quemadmodum his potero auxiliatoribus & propitijs vti, cum neque his ſua, & aliena illis impoſuero cognomina? Vſque adeo res exigit propriatim deos ſcire, nec ambigere, nec dubitare de vniuſcuiuſque vi, nomine, ne ſi alienis ritibus & appellationibus fuerint inuocati, & aures habeant ſtructas, & piaculis nos teneant inexpiabilibus obligatos. Quare ſi vobis liquet, in ſublimibus palatijs cæli habitare, conſiſtere multitudinem iſtam, quam enumeratis deorum, in vnius proloquij finibus conuenit vos ſtare: nec per varias diſtractos repugnanteſque ſententias fidem ipſis rebus, quas ſtruitis, de-

B rogare. Si Ianus eſt, Ianus ſit: ſi Liber eſt, Liber ſit: ſi Summanus, Summanus ſit: hoc eſt enim confidere, hoc tenere, explorate in rei cognitione defigi, non more cæcorum atque errantium dicere, Nouenſiles Muſæ ſunt, Trebiani quintum dij ſunt, immo nouenarius numerus, ſubuerſarum potius vrbium præſides, & in id periculum ducere res tantas, vt dum alios tollitis, & reponitis alios, poſſit iure de cunctis, an ſint vlla in parte, dubitari.

ta Varrone. Exterum ergo prouentu, non ex vi naturæ dea E
iſta eſt prodita? & poſtquam feros morſus immanis prohibuit bellua, & ipſa eſſe hoc cœpit, & ipſius nominis ſignificantiam traxit? aut ſi fuit iamdudum dea, priuſquam Romulus naſceretur & frater: cuius fuerit nominis atque appellationis expromite. Præſtana eſt (vt perhibetis) dicta, quod Quirinus in iaculi miſſione cunctorum præſtiterit viribus: & quod Tito Tatio, Capitolinum vt caperet collem, viam pandere atque aperire permiſſum eſt, dea Panda eſt appellata, vel Pantica. Et hæc ergo nunquam fuerant numina: & niſi Romulus tenuiſſet teli traiectione palatium, ſiique Tarpeiam rupem rex Sabinus potuiſſet accipere, nulla eſſet Pantica, nulla Præſtana? Et ſi & has dicitis ante ſui cauſam fuiſſe cognominis, quod in priore quæſitum eſt capite, cuius & hæ fuerint vocaminis indicate. Pellendorum hoſtium dea potens Pellonia eſt: quorumnam (niſi moleſtum eſt) edite. confligunt partes, atque inter ſe cominus armorum collatione decernunt: & hæc illi eſt pars hoſtis, & F
illa huic hoſtilis: quos ergo Pellonia, cum hinc & inde pugnabitur, pellet, aut in gratiam conceſſura eſt quorum, cum vtrique debeat parti ſui nominis vires, officiumque præſtare? Quod ſi vtrunque fecerit, id eſt partibus ſi vtriſque fauorem ac ſuffragium cõmodarit, nominis ſui vim perdet, quod partis vnius impulſione formatum eſt. Niſi forte dicetis, Romanorum tantum eſt dea hæc, & cum ſolis Quiritibus faciens gratioſis ſemper opitulationibus præſto eſt. eſſe quidem hoc ita, quod nomini fauemus, optamus: at quæſtionem non exiguam res habet. Quid enim, Romani deos poſſident peculiares, qui aliarum gentium non ſint? & quemadmodum poterunt dij eſſe, ſi non omnibus, quæ vbiq; ſunt gentes, æquabilitatem ſui numinis exhibebunt? & vbi quæſo iamdudum Pellonia hæc fuit, cum apud furculas Caudinas decus publicum ſubiugatum eſt? cum apud Thraſimenum lacum ſanguinei cucurrere torrentes? cum Diomedis campi Romanis cadaueribus aggerati ſunt? cum mille alia vulnera præliorum innumeris accepta ſunt cladibus? dormiebat, ſtertebat, aut quod viliа facere conſueta ſunt capita, in hoſtilia caſtra defugerat? Dij læui, & læuæ, ſiniſtrarum G
tantum regionum ſunt præſides, & inimici partium dexterarum. Quod quanam iſtud ratione dicatur, quoue animi ſenſu neque ipſi nos aſſequimur, nec à vobis confidimus poſſe in aliquam lucem communis intelligentiæ perduci. Iam primum enim mundus ipſe per ſe ſibi neque dexteras, neque læuas, neq; ſuperas regiones, neque imas, neq; anticas habet, neq; poſticas. Quicquid enim teres eſt, atq; ex omni parte rotunditatis ſolidæ conuexione concluſum, nullũ habet initium, nullum finem: vbi finis, & initium nullum eſt, eſſe aliqua portio ſui nominis, & initium non poteſt. Itaque cum dicimus, dextera hæc regio eſt, & illa læua: nõ ad mundi habitum dicimus qui ſui ſimillimus totus eſt, ſed ad poſitionem noſtram, ſitumque reuocamus: qui informati ſic ſumus, vt alia dextera, alia in nos dicantur eſſe læua: quæ tamen hæc ipſa quæ læua appellamus, & dextera alia, in nobis nihil habent perpetuum, nihil fixum: ſed prout nos caſus, atque euentus collocauerit temporis, ita noſtris ſumunt ab lateribus figurationes. Si orientem ſolem reſpexero, cardo mihi frigoris, & Septentrio fit læuus: in quem ſi ora traduxero, erit mihi ſiniſter Occaſus, qui ab ſole poſterganeus H
habebitur. Rurſus vero ſi rececero plagam ad occiduam luminis, Auſter, & Meridies trahet: in quam ſi me partem neceſſaria temporis circumegerit ratio, fit vt oriens læuus immutata corporis cõuerſione dicatur. qua ex re poterit facillime recognoſci, neque læua natura eſſe vlla, ſed poſitionis & temporis, & prout noſtri corporis habuerit ſe ſitus, rerum ad circunſtantiam collocatus. Quod cum ita ſe habeat, quanam ratione, quo pacto ſiniſtrarum partium dij erunt, cum eaſdem conſtiterit regiones modo dexteras fieri, modo læuas? Aut quid dexteræ meruerunt de immortalibus dijs partes, vt ſine vllis præſidibus degerent, quas eſſe fauſtas, & proſperis ſemper cum ominibus edixerunt: Lateranus (vt dicitis) Deus eſt focorum & Genius, adauctuſque hoc nomine, quod ex laterculis crudis ab hominibus caminorum illud exædificetur genus. Quid ergo ſi argilla, aut materia fuerint quacunque alia fabricati foci? Genios non habebunt? & ab officio tutelæ (quiſquis iſte eſt Lateranus) abſcedet, quod

ARNOBII DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES

LIBER IV.

C INterrogare vos libet, ipſoſque ante omnia Romanos dominos rerum ac principes, vtrumne exiſtimatis pietatem, concordiam, ſalutem, honorem, virtutem, felicitatem, cæteraque huiuſmodi nomina, quibus aras videmus à vobis cum magnificis exædificatas delubris, vim habere diuinam, cœlique in regionibus degere? an ita vt aſſolet, dicis cauſa, ea eo, quod optamus & volumus bona iſta nobis cõtingere, ſuperorum retuleritis in cenſum? Nam ſi verba exiſtimantes hæc caſſa, & nullius ſubſtantiæ nomina, diuinis tamen in regionibus conſecratis: erit vobis videndum, vtrumne iſtud puerile ſit ludicrum, an veſtrorum ad numinum deluſionem ſpectans, quibus coæquatis & adiungitis inanium figmenta verborum. Sint autem ea animi certiore ſententia deos eſſe & hæc ratio, templis & puluinaribus honoraſtis, inſcitiam noſtram vt doceatis orantes, victoria, pax, æquitas, & cætera quæ in ſuperioribus dicta ſunt, quanam ratione, qua via intelligi poſſunt dij eſſe, atque ad ſuperorum concilium pertinere?

D Nos enim (niſi forte communem tollitis nobis atque eripitis ſenſum) nihil horum ſentimus & cernimus habere vim numinis: neque in aliqua contineri ſui generis forma: ſed eſſe virtutem viri, ſalutem ſalui, honorem honorati, victoris victoriam, concordis concordiam, pietatem pij, memoriam memoris: felicitet vero viuentia ac ſine vllis offenſionibus felicitatem. Quod à nobis veriſſime dici ex contrarijs promptum eſt appoſitionibus noſcitare, infelicitate, diſcordia, obliuione, inquietate, impietate, ignauia pectoris, & valetudine corporis minus fauſta. Vt enim hæc accidunt, hominum quæ ſunt poſita in actionibus affectibus fortuitis, ita quod illis aduerſum eſt ex qualitatibus benigniotibus nominatur, in alijs neceſſe eſt hæreat, ex quibus ita formatis figuratio iſta concepta eſt nominum. Nam quod nobis cæternas ignotorum alias inducitis deorum, exiſtimare non poſſumus, vtrumne iſtud ſerio, atque ex rei compertæ faciatis fide: an fictionibus ludentes caſſis ingeniorum laſciuiatis luxu. Quod abiectis infantibus pepercit lupa non mitis, Luperca, inquit, dea eſt auctore appella-

A

quod regni ſui poſſeſſio non luteis conſtructa eſt formis? Et quid (quæſo) vt faciat præſidamm, focorum Deus iſte ſortitus eſt? Per humani generis coquinas currit, inſpiciens & explorans quibuſnam lignorum generibus ſuis ardor in foculis excitetur: habitudinem fictilibus contribuit vaſculis, ne flammarum diſſiliant vi victa: curat vt ad ſenſum palati ſuis cum iucunditatibus veniaor rerum incorruptarum ſapores, & an rite pulmenta condita ſint, prægustatoris fungitur, atque experitur officio. itane iſtud non fœdum, quinimmo (vt verius dixerim) non contumelioſum, non impium, ad hoc tantum inducere deorum neſcio quas fictiones, non quas dignis honoribus proſequare, ſed quas rebus turpibus, & infami præficias actioni? Etiamne militaris Venus caſtrenſibus flagitijs præſidet, & puerorum ſtupris? Etiamne Perſica vna eſt è populo numinum, quæ obſcœnas illas & luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffenſa procedere? Etiamne Pertunda, quæ in cubiculis præſto eſt, virginalem ſcrobem effodientibus maritis? Etiamne Mutinus, cuius immanibus podendis, horrentique faſcino, veſtras inequitare matronas, & auſpicabile ducitis, & optatis? Quod ſi minime vos admonent ad intellectum veritatis res ipſæ: nec ex ipſis ſaltem poteſtis nominibus noſcere inaniſſimæ ſuperſtitionis figmenta hæc eſſe, & falſorum imaginationes deorum? Putationibus arborum Puta (inquitis) præſto eſt, rebus petendis Peta: Deus nemorum

B

Nemeſtrinus eſt: Patellana numen eſt, & Patella, ex quibus vna eſt patefactis, patefaciendis rebus altera præſtituta: Nodutis dicitur Deus, quia ad nodos perducit res ſatas: & quæ præeſt frugibus ferendis, Noduterenſis: ab erroribus viarum dea Vibilia liberat: in tutela ſunt Orbonæ orbati liberis parentes, in Næniæ, quibus extrema tempora. Nam quæ durat & ſolida infantibus paruis oſſa, Oſſilago ipſa memoratur. Mellonia dea eſt pollens potenſque in apibus, mellis curans cuſtodienſque dulcedinem: Dicite (ò quæſo vt ita vobis propitiæ faueant, Peta, Puta, Patella) ſi omnino non eſſent apes vllæ in terris, aut ſi ex os humanum, velut quidam vermiculi naſceremur, dea Mellonia non eſſet: aut Oſſilago ſolidatrix oſſium nomen proprium non haberet?

C

Etenim quæro, & rogito, vtrumve vobis videantur antiquiores dij eſſe natura, tempore, vetuſtate, an homines, an apes, fruges, virgulta, & cætera? Dubitabit hominum nemo, quin innumeris dicatis deos ætatibus, ſeculis, cuncta quæcunque ſunt anteire. Quod ſi habet ſe ita, qui fieri per rerum naturam poteſt, vt ex rebus poſtea procreatis acciperent nomina ea quæ ſunt priora temporibus? aut tutelas ſortirentur earum dij rerum, quæ nondum eſſent genitæ, & in vſum mortalibus attributæ? An nunquid iamdudum ſine nominibus dij erant, & poſtquam res naſci, terriſque ineſſe cœperunt, his à vobis dignati ſunt ſignis atque appellationibus nuncupari? Et vnde ſcire potuiſtis quæ nomina ſingulis inderetis, cum eſſe illos ignoraretis omnino? aut ineſſe potentias his certas: cum eſſet vobis ſimiliter neſcium, quiſnam eorum quid poſſet, & cui rei deberet pro ſui numinis poteſtate præponi? Quid ergo (inquitis) hos deos nuſquam eſſe gentium iodicatis, & falſis opinationibus conſtitutos? Non iſtud nos ſoli, ſed veritas ipſa dicit, &

D

ratio: & ille communis, qui eſt cunctis in mortalibus, ſenſus. Quis eſt enim qui credat eſſe deos Lucrios, & lucrorum conſecutionibus præſidere, cum ex turpibus cauſis frequentiſſime veniant, & aliorum ſemper ex diſpendijs conſtent? Quis Libentinam, quis Libitinum libidinum ſupereſſe motelis, quas iubet ſapientia fugere, & quas mille per ſpecies propudioſa expetit & exercet obſcœnitas? Quis Limentinum, quis Limam cuſtodiam liminum gerere, & ianitorum officia ſuſtinere: cum fanorum quotidie videamus, & priuatarum domorum conuelli & ſubrui: nec ſine his eſſe flagitioſos ad lupanaria commeatus? Quis curatores obliquitatum Limos: quis Saturnum præſidem ſationis: quis Montinum montium: quis ſegnium Murciam: quis ad extremum deam Pecuniam eſſe credat, quam velut maximum nomen veſtræ iudicant literæ donare anulos aureos, loca in ludis atque in ſpectaculis priora, honorum ſuggeſtus ſummos, amplitudinem magiſtratus, & quod maxime pigri amant, ſecurum per opulentias ocium? Quod ſi habe- rent in ſedibus ſuos proprios præſides, oſſa, mella, & limina, cæteraque alia, quæ vel curſim perſtrinximus, vel nimietatis non attingimus tædio: licet conſimili ratione mille alios deos inducere, qui rebus innumeris debeant ſuam

E

curam, cuſtodiamque præbere. Cur enim Deus præſit melli vni tantummodo, non præſit cucurbitis, rapis, non cunilæ, naſturtio, non ficis, betis, caulibus? Cur ſola meruerint oſſa tutelam, non meruerint vngues, pili, cæteraque alia locis poſita in obſcuris, & verecundioribus partibus: & ſunt caſibus obnoxia plurimis, & curam magis deorum, diligentiamque deſiderant? Aut ſi & has dicitis partes ſuis agere ſub tutelaribus diuis, incipient totidem dij eſſe, quot res ſunt: nec explicabitur ratio, cur non rebus omnibus diuinæ præſideant curæ. Si certas res eſſe, quibus præſint numina & prouideant, dixeritis: quid dicitis ò partes nouarum religionum, qui poteſtatum obſcœne à nobis deos violari, & negligi ſacrilege clamitatis, quiritaminique contemni Larem, Genium focorum, Limentinum præſidem liminum, Pertundam, Perſicam, Noduterenſem: & quia non ſupplices Mutuno procumbimus atque Tutuno, ad

F

interitum res lapſas, atque ipſum dicitis mundum leges ſuas & conſtituta mutaſſe? At quin videte, perſpicite, ne dum talia confingitis monſtra, taliaque molimini, deos offenderitis certiſſimos (ſi modo ſunt vlli, qui iſtius nominis mereantur ſuſtinere atque habere faſtigium) nec propter aliam cauſam mala iſta, quæ dicitis, ferueant, & quotidianis acceſſionibus inoleſcant. Cur ergo, è vobis fortaſſe aliquis dixerit, eſſe falſos iſtos deos contendis, ſi inuocati ab haruſpicibus parent, & ſuis acciti nominibus veniunt, & fidelia reddunt reſponſa quærentibus? poſſumus obiicere falſum eſſe quod dicitur, vel quod ſuperſtitionibus pleniſſima res tota eſt: vel quod multas quotidie prædictionum videmus, aut aliter cadere, aut in contrarios exitus fruſtrata expectatione torqueri. Sed ſint (vt aſſeritis) vera, nunquam tamen facietis fidem Melloniam (verbi cauſa) vel Limentum inſerere ſe fibris, & ad rerum, quas quæritis, ſignificantias aptare. Nunquid illorum aliquando vidiſtis os, habitum, faciem: aut eadem hæc poſſunt in pulmonibus, aut iecuſculis conſpici? Nonne accidere, fieri (licet a-

G

ſtu diſſimuletis) poteſt, vt alter pro altero ſubeat, fallens, ludens, decipiens, atque inuocati ſpeciem præſtans? Si magi haruſpicum fratres, ſuis in actionibus memorant antitheos ſæpius obrepere pro veris: eſſe autem hos quoſdam materijs ex craſſioribus ſpiritus, qui deos ſe fingant, neſcioſque mendacijs & ſimulationibus ludant: cur ratione non pari credamus hic quoque ſubijcere ſe alios pro eis qui non ſunt, vt & veſtras opinationes firment, & ſibi hoſtias cædi alienis ſub nominibus gaudeant? Aut ſi ſic accipere res nouitate renuitis, vnde vobis eſt ſcire, an ſit vnus aliquis, qui ſuccedat pro omnibus quos inuocatis, partibuſque ſe cunctis locorum diuiſionumque ſupponens, multorum vobis ſpeciem diuorum præbeat & poteſtatum? Quiſnam iſte eſt vnus? interrogabit. Forte poſſumus iſtum veris auctoribus dicere: ſed ne nobis fidem habere nolitis, Ægyptios, Perſas, Indos, Chaldæos, Armenios interroget, omneſque illos alios, qui in interioribus videtunt & cognouerunt hæc artibus: iam profecto diſceris, quiſnam ſit

H

Deus vnus, vel ſub eo qui plurimi, qui deos ſe fingant, & humani generis imprudentiam ludant. Iamdudum nos pudet ad eum locum venire, in quo riſum tenere non poſſunt non tantum pueruli, & procaces, verumetiam ſerij, atque in mores tetrica aſperitate durati. Nam cum à doctoribus omnes noſtris inſinuatum acceperimus & traditum, in declinationibus deorum pluratiuos numeros non eſſe, quod eſſent dij ſinguli, nec communiter ire per plurimos voluſcuiuſque nominis proprietas quiret: immemores vos facti, & puerilium diſciplinarum recordatione ſepoſita, & complures ſubditis vocabulis iiſdem deos, & cum ſitis alias in eorum numero reſtrictiores, multiplices eos rurſus cognominum ſocietate feciſtis: quam quidem olim partem iudicii acres viri, atque ingenio perſpicaci, tam ſermone Italo explicuere, quam Græco. Et dare nobis compendium potuiſſet res iſta, ſi non & aliquos videremus literarum eſſe iſtarum expertes: & inſtitutus à nobis ſermo nos quoque compelleret nonnihil de his rebus (quamuis ab illis ſumptum, commemoratumque) depromere.

Aiunt

A Aiunt igitur Theologi veſtri, & vetuſtatis abſconditæ conditores, tres in rerum natura Ioues eſſe: ex quibus vnus Æthere ſit patre progenitus, alter Cœlo, tertius vero Saturno, apud inſulam Cretam & ſepulturæ traditus, & procreatus. Quinque Soles, & Mercurios quinque: ex quibus (vt referunt) Sol primus Iouis filius dicitur, & Ætheris habetur nepos: ſecundus Regina & Hyperione proditus genitore: tertius Vulcano, non Lemnio, ſed Nili qui fuerit filius: quartus Ialyſi pater, quem Rhodi peperit heroicis temporibus Achanto: quintus Scythici regis, & verſipellis habetur Circes. nam Mercurius primus, qui in Proſerpinam dicitur genitalibus adhinnuiſſe ſubrectis, ſupremi progenies Cœli eſt. Sub terra eſt alter, Trophonius qui eſſe iactatur. Maia tertius matre, & Ioue procreatus, ſed tertio: quartus ſoboles Nili eſt, cuius nomen Ægyptia gens horret & reueretur expromere. Quintus Argi eſt interemptor, fugitiuus, atque exul, & proditor apud Ægyptum literarum. Sed & Mineruæ (inquiunt) ſicut Soles & Mercurij, quinque ſunt: ex quibus prima non virgo, ſed ex Vulcano B Apollinis procreatrix: Nili altera proles, & quæ eſſe perhibetur Ægyptia Sais. Saturni tertia eſt, & quæ vſum excogitauit armorum: Iouis quarta progenies, quam Meſſenij Coryphaſiam nuncupant: & quæ Pallantem occidit patrem, inceſtorum appetitorem, eſt quinta. Ac ne longum videatur, & nimium minutum, velle capita ire per ſingula, aiunt iidem Theologi quatuor eſſe Vulcanos, & tres Dianas, Æſculapios totidem, & Dionyſios quinque, ter binos Hercules, & quatuor Veneres, tria genera Caſtorum, totidemque Muſarum, pinnatorum Cupidinum trigas, & quadrigas Apollinarium nominum: quorum ſimiliter genitores, ſimiliter matres, loca quibus nati ſunt, indicant, & originem ſingulorum ſuis cum proſapijs monſtrant. Quod ſi verum & certũ eſt, & ex rei cognitæ aſſeueratione monſtratur: aut omnes dij non ſunt, quoniam plures ſub eodem nomine, quemadmodum accepimus eſſe non poſſunt: aut ſi aliquis ex his eſt, ignorabitur & neſcietur: quia ſit conſimilium nominum confuſione cæcatus. Atque ita C per vos ipſos (quamuis fieri nolitis) efficitur, vt hæc ſit & religio conturbata: neque habeat finem certum, in quem dirigere ſe poſſit, nullis eluſa ambiguitatis erroribus. Fingite enim aerium vel auctoritate idonea motos, vel violentia terroris veſtri, induxiſſe in animum, Mineruam (verbi cauſa) ſacris vobis ſolennibus & ritu velle adorare vulgato: res ſi cum diuinas apparamus, aggredimurque aris flammantibus ſua reddere conſtituta, Mineruæ omnes aduolent, ac de iſtius nominis poſſeſſione certantes poſcant ſibi ſingulæ apparatum illum ſacrorum reddi; quid in medio faciemus nos animal tenue, vel in partes quas potius pij munera officia transferemus? Dicet enim fortiſan prima illa, quam diximus, meum nomen eſt Mineruæ, tuum numen, quæ Apollinem genui, quæ Dianam, & ex mei vteri fœtu cœlum numinibus auxi, & deorum numerum multiplicaui. Immo, inquiet quinta, Minerua tu ſis, quæ marita, & puerpera, toties caſtitatis puræ imminuta es ſanctitate? Nonne vides in Capitolijs omnibus virginaleis eſſe ſpecies Mineruarum, nec nuptarum his formas ab artificibus cunctis dari? De D ſiſte igitur nomen iuris tibi aſciſcere non tui. Nam Mineruam me eſſe genitore ex Pallante procreatam, teſtis omnis eſt poëtarum chorus, qui Palladem me nuncupat, deriuato à patre cognomine. Quid dicis? (inquiet ſecunda hæc audiens) ergone Mineruarum nomen tu feres parricida petulans, & ex amoris inceſti contaminatione polluta? quæ dum te fucis, atque artibus excolis meretricijs, iam patris in te mentem funalibus plenam cupiditatibus excitaſti. Perge igitur, aliud tibi quære ſignum: nam mea res iſta eſt, quam Nilus maximus fluminum aquis generauit ex liquidis, & in virgineos habitus roris concretione conduxit. Quod ſi fidem inquiris facti, Ægyptios & ego teſtes dabo, quorum Nili lingua dicor, Platonis teſtificante Timæo. Quid deinde arbitramur fore? deſiſtetne & illa Mineruam ſe dicere, cui Coryphaſiæ nomen eſt, vel ex Coryphæ matris ſigno, vel quod ex vertice ſummo Iouis parmam ferens emicuit, atque armorum accincta terroribus? Aut illam quæ tertia eſt, ceſſuram patienti a nomen, & non dictis talibus habitutam rationem ſui, & primarum arrogantiam refutaturam?

E Itane tu audeas maieſtatem tibi mei nominis vſurpare, quæ ex cœno & gurgitibus prodita, coagulataque è limo ſis? aut tibi tu aliquam dignitatem aſſumis, atque de vertice procreatam mentiris te Iouis, & rationem te eſſe mortalibus ineptiſſimis ſuades? ex capite conceptos filios procreas? aut, ſi arma quæ geſtas, procudi poſſunt & fabricari, in verticis ipſius cauo officina fabrilis fuit, incudes, mallei, fornaces, folles, carbones, & forfices? aut ſi verum eſt quod aſſeueras, rationem te eſſe, deſiſte tibi nomen id, quod meum eſt, vindicare. nam quam dicis ratio non eſt ſpecies numinis certa, ſed obſcurarum intelligentia cauſarum. Si ergo (vt diximus) officia nobis adeuntibus religioſa Mineruæ adſint quinque, ac de huius nominis proprietate rixantes, ſibi quæque deſideret, aut thuris ſuffimenta libari, aut ex pateris aureis in ferias vina defundi, quo diſceptatore, quo iudice controuerſias tollemus tantas? aut quis quæſitor, quis arbiter ceruicibus tantis erit, qui inter perſonas huiuſmodi, aut vindicias iuſtas dare, aut ſacramenta cognitur pronunF ciare non iuſta? nonne potius ibit domum, ſeſeque abſtinens ab negotijs talibus tutius eſſe arbitrabitur nihil horum contingere, ne aut vni dando, quod omnium eſt, inimicas efficiat ceteras, aut ſtultitiæ crimen incurrat, ſi id attribuat cunctis, quod eſſe oportebat vnius? Poſſumus hæc eadem de Mercurijs, Solibus, imo de alijs omnibus, quorum numeros tenditis & multiplicatis, expromere. Sed ſatis eſt ex vno rationem in ceteris eandem eſſe ſcire: & ne forte prolixitas faſtidium audientiæ pariat, ceſſabimus ire per ſingula: ne dum vos arguimus obmiſeratis, loquacitatis immodicæ ſuſcipiamus & nos culpam. Quid dicitis, ô iſti, qui ad deorum nos cultum membrorum laniatibus inuitatis, & ſuſcipere nos ad cultum veſtrorum compellitis numinum? Poſſumus difficiles non eſſe, ſi modo aliquid nobis dignum tanti nominis opinione monſtretur. Oſtendite nobis Mercurium, ſed vnum: date Liberum, ſed vnum: vnam Venerem, atque vnam: ſimiliter Dianam. Nam eſſe Apollines quatuor, aut tres Ioues, numquam nobis facietis fidem: nec ſi teſtem ipſum citetis Iouem, aut Pythium conſtituatis auG ctorem. Sed ex diuerſo neſcio quis, vnde, inquit, ſcimus, an explorata & cognita theologi ſcriptitarint? an vt viſum eſt, atque ſedit, libidinoſam extulerint fictionem? nihil iſtud ad cauſam: nec ſermonis iſtius in eo eſt ratio conſtituta, verum ne re ita ſint, theologorum vt indicant ſcripta, an aliter ſe habeant, & multo diſſociatæ diſcrimine. nobis enim ſatis eſt rebus de publicatis loqui: neque quærere quid ſit in vero, ſed refutare, conuincere id, quod in medio poſitum eſt, atque opinatio concepit humana. Sed ſi mendaces illi, vos, veritas quæ ſit, exponite, & irrefutabile aperite ſecretum. Et qui fieri pote eſt remotis magiſterijs litterarum? Quid eſt enim quod dici de immortalibus dijs poſſit, quod non ex hominum deſcriptis ad humanas peruenerit notiones? Aut quicquam vos ipſi de illorum ritibus poteſtis, cærimonijſque narrare, quod relatum in literas non ſit, & ſcriptorum commentarijs publicatum? aut ſi ponderis exiſtimatis nullius hæc eſſe, aboleantur omnes libri, quos de dijs habetis compoſitos theologorum, pontificum, nonnullorum H etiam philoſophiæ deditorum: quinimmo potius fingamus ab exordio mundi nullum aliquando mortalium meminiſſe de dijs quicquam, experiri volumus, & cupimus ſcire, an mutire, an hiſcere deorum in mentione poſſitis, an concipere eos mente, quos in animis veſtris nullius ſcripti informauerit notio? Cum vero nomina, & potentias illorum ſuggerentibus vobis libris addidiciſſe vos conſtet, iniquum eſt detrahere literis his fidem, quarum ea quę dicitis teſtimonio atq; auctoritate firmatis: Niſi forte hæc falſa, & ea, quæ à vobis dicuntur, erunt vera. Quo argumento, quo ſigno? Cum enim homines vtrinque, & qui hæc, & illa commentati ſunt, fuerint: & de rebus incertis ab vtraque ſit diſputatum parte: arrogantis eſt dicere id quod tibi placeat eſſe verum: quod vero animum lædit, id libidinis & falſitatis arguere. Per humani generis iura, atq; ipſius mortalitatis contortta, cum auditis & legitis, ex illo, atq; ex illa matre Deus ille eſt proditus: nonne animi veſtri ſenſus tangit humanum neſcio quid dici, & ex terreni generis humilitate proficiſcens? Aut cum eſſe arbitramini vos ita, ſolicitudinem concipitis nullam, ne offenſionis aliquid apud ipſos (quicunque ſunt

contra-

A contrahatis deos: quod ea turpi concubitu creditis, atque ex ſeminis iactu ignoratam ſibi ad lucem beneficijs obſcœnitatis exiſſe? Nos enim (ne quis forte exiſtimet ignorare, neſcire, quid iſtius nominis conueniat dignitati) ſane natiuitatis expertes deos eſſe oportere cenſemus. Aut ſi aliquos ortus habent, à Domino rerum ac principe, rationibus quas ipſe nouit, ipſos ducimus atque exiſtimamus eſſe miſſos, immaculatos, caſtiſſimos, puros, neſcientes quæ ſit fœditas iſta coëundi, & vſque ad illos ipſos principali procreatione finita. At vero vos contra, maieſtatis immemores & ſublimitatis tantæ, eas illis adiungitis natiuitates, ortuſque eos aſcribitis, quos ingenijs lautioribus homines & execrationi habeant & horrori. Ex Ope (inquitis) matre, & ex genitore Saturno, cum ſuis eſt natus Dieſpiter fratribus. Vxores enim dij habent, atque in coniugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæſitis? vſu, farreo, coemptione, genialis lectuli ſacramenta conducunt? habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas? Et quid de ipſis coniunctionibus loquimur? quando & quoſdam nuptias celebraſſe, & feſtas habuiſſe frequentias dicitis, &
B luſiſſe in his deas: & quod participes feſcenninorum non eſſent, perturbaſſe diſcordijs omnia: & in humanum in poſterum genus exitiorum ſæuiſſe diſcrimina? Sed in cæteris forſitan minus huius eluceat turpitudinis fœditas. Ergone ille rector poli, pater deorum & hominum, ſupercilio & nutu totum motans & tremefaciens cælum, ex viro concretus & fœmina eſt? Et niſi ambo ſexus in obſcœnas diſſoluerentur copulatis corporibus voluptates, Iuppiter ille maximus non eſſet, & vſque ad hos dies, & regem numina non haberent, & cœlum ſine domino ſtaret? Et quid Iouem miramur ex fœminæ effuſum dictitare vos aluo, quando auctores veſtri & nutricem habuiſſe conſcribunt: & ex alieni vberis alimonia mox traditam retinuiſſe vitam? Quid dicitis ô viri? Ergone (iterum dicam) tonans, fulgens, & fulminans, & nubila terribilia conducens, ſuxit fluenta mammarum, vagitum edidit, repſit? atque, vt fletum poneret ineptiſſime iactatum, crepitaculis obticuit auditis: & ad ſomnos inductus eſt in molliſſimis cunis iacens, & vocibus delinitus infractis?
C O deorum aſſertio religioſa! ô amplitudinis metuendæ venerabilem monſtrans atque inſinuans dignitatem! Siccine apud vos quæſo ſupernarum naſcitur eminentia poteſtatum? his in lucem prodeunt generationibus dij veſtri, quibus aſini, porci, canes, quibus immunda hæc omnis concipitur & gignitur terrenarum proluuies beſtiarum? Nec contenti hos coitus grauitati attribuiſſe Saturniæ, etiam ipſum regem mundi flagitioſius liberos procreaſſe natum atque editum prædicatis: Ex Hyperionæ (inquitis) matre, & ex Ioue iaculatore fulminis, Sol aureus & flagrantiſſimus natus eſt: ex Latona & eodem Arquitenens Delius, & ſyluarum agitatrix Diana: ex Leda, & eodem quibus græce Dioſcoris nomen eſt: ex Alcmena & eodem Hercules ille Thebanus, quem claua pelliſque tutatæ ſunt: ex Semela, atque ipſo, Liber, qui Bromius dicitur: ex ipſo rurſus, & Maia, Mercurius ore facundus, & geſtator affabilium ſalutationum. Poteſt vlla grauior contumelia Ioui veſtro infligi, aut quicquam eſt aliud, quod labefactet, aut deſtruat deorum principis aucto-
D ritatem, quam quod eum creditis voluptatibus aliquando libidinoſis victum, & in fœmineos appetitus inflammati pectoris incaluiſſe feruore? Et quid regi Saturnio matrimonijs fuerat cum alienis rei? Non illi fuerat ſatis Iuno, nec ſedare impetum cupiditatum in Regina poterat omnium, cũ nobilitas eam commendaret tanta, facies, oris dignitas, & vlnarum niuei marmoreiq; candores? An vxore contentus haud vna, concubinis, pellicibus, atque amiculis delectatus impatientiam ſuam ſpargebat paſſim (vt bacchari adoleſcentes ſolent) ſalax deus, & canus ex infinitis corporibus flacceſcentium voluptatum reſtituebat ardorem? Quid dicitis, ô impij, vel quas de veſtro Ioue opinionum confingitis fœditates? Ita non animaduertitis, non videtis, cuius eum noteris probri? cuius criminis conſtituatis auctorem? vel quas in eum labes flagitiorum, quantas coaceruetis infamias? Ad libidinem homines proni, atque ad voluptatum blanditias naturæ infirmitate procliues, adulteria tamen legibus vindicant, & capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis ſe lectuli expugnatione ieciſſe. Subſeſſoris, & adulteri perſona cuius eſſet turpitudinis, notæ citius, regum maximus neſciebat, & ſpeculator ille (vt fama eſt) bene meritorum, ac peſſime, quidnam deceret ſe velle rationibus pectoris non perſpiciebat amiſſi. E
Et tolerari forſitan male tractatio hæc poſſet, ſi eum ſaltem perſonis coniungereris comparibus, & adulter à vobis immortalium conſtitueretur dearum. In humanis vero corporibus quidnam quæſo inerat pulchritudinis, quid decoris, quod irritare, quod flectere oculos poſſet inde Iouis? cutes, viſcera, pituita, atque omnis illa proluuies inteſtinorum ſub inuolucris conſtituta: quam non modo Lynceus ille penetrabili acie poſſit horreſcere, verumetiam quiuis alter ſola vel cogitatione vitare? ô egregia meretrix culpæ, ô digna & precioſa dulcedo, propter quam Iuppiter maximus cygnus fieret, & taurus, & candidorum procreator ouorum. Si aperire oculos mentis, & veritatem propriam intueri ſine vlla vultis gratificatione priuata, miſeriarum omnium cauſas, quibus genus (vt dicitis) iamdudum affligatur humanum, ex huiuſmodi reperietis opinationibus fluere, quas habebatis antiquitus de dijs veſtris: & quas in melius refor- F
mare ante oculos poſita veritate renuiſtis. Nam nos quidem quidnam de illis aliquando, aut inconueniens ſenſimus, aut conſcriptionibus edidimus indecorum, vt in inuidiam iactantur noſtram labores generis humani, & commoditates, quibus viuitur, imminutæ? Nunquid à nobis dicitur, vt ciconias, vt palumbes, ex Ioue eſſe progenitos quoſdam deos? Nunquid ex pelagi ſpuma, & ex Cœli genitalibus amputatis Cythereæ Veneris concretum coaluiſſe candorem? Nunquid parricidij cauſa vinctum eſſe Saturnum, & ſuis diebus tantis vinculorum ponderibus releuari? Nunquid beneficio Curetum ab interitu ſeruatum Iouem? Nunquid expuliſſe regno patrem, & alieni iuris imperium violentia & fraude tenuiſſe? Nunquid pulſum à Ioue ſenem Italorum delituiſſe in finibus, & quod tutus fuiſſet à filio, nomen Latio impoſuiſſe pro munere? Nunquid inceſtas nuptias cum ſorore Iouem ipſum dicimus feciſſe nos? aut minutatim ad eius menſam pro ſuillis viſceribus prolem neſcium Lycaoniam pranſitaſſe? Nunquid altero claudum pede apud inſulam Lemnum fabrilia opera exercuiſſe Vulcanum? Nunquid G
cupidinis atq; auaritiæ cauſa (ſicut canit Bœotius Pindarus) Æſculapium fulminis transfixum eſſe telo? Nunquid Apollinem ditem factum, eos ipſos reges, quorum gazis fuerat locupletatus & donis, ambiguitate feſelliſſe reſponſi? Nunquid furem Mercurium publicauimus? num nos eſſe Lauernam, atque cũ hoc ſimul fraudibus præſidere furtiuis? Nunquid ex nobis Myrtilus eſt auctor, qui Macar filias, Megaclonis ancillulas, profitetur fuiſſe Muſas? Quis rege à Cyprio, cuius nomen Cinyras eſt, ditatam meretriculam Venerem diuorum in numero conſecratam, quis ex reliquijs Pelopis compactum eſſe Palladium, prodidit? non vos? Quis Spartanum fuiſſe Martem, nonne Epicharmus auctor veſter? quis in Thraciæ finibus procreatum, non Sophocles Atticus cunctis conſentientibus theatris? Quis menſibus in Arcadia tribus & decem vinctum? non Melæ fluminis filius? quis et canes ab Caribus, quis ab Scythis aſinos immolari? non principaliter cum cæteris Apollodorus? Quis dum genitalibus inſultat alienis, hæſiſſe in laqueis innolutum? non H
commentarij veſtri, non ſcenæ? Nunquid aliquando à nobis conſcriptum eſt mercenariam deos ſeruitutem ſeruiſſe: vt Herculem ſordidi amoris & petulantiæ cauſa, vt Admeto Apollinem Delium, vt Laomedonti Troico Iouis fratrẽ, vt eidem ſed cum patruo Pythium, vt coniugalia ſecreta miſcentibus Mineruam luminis miniſtram, & lucernarum modulatricem? Nonne ille veſter eſt vates, qui Martem fecit & Venerem mortalium manibus vulneratos? Non ex vobis Panyaſis vnus eſt, qui ab Hercule Ditem patrem, & reginam memorat ſauciatam eſſe Iunonem? Non viraginem ab Ornyto cæſam, cruentatam, vexatam, Polemonis veſtri indicant ſcripta? Non ab Hippocoontis liberis ipſum Soſibius Herculem cruciatum retuliſſe pronunciat, & illati vulneris, & doloris? Apud inſulam Cretam ſepulturæ eſſe mandatum Iouem nobis editum traditur? In Spartanis & Lacedæmonijs finibus nos dicimus conditos, in cunis coalitos fratres? Noſter ille eſt auctor, qui Patrocles Thurius ſcriptorum in titulis indicatur, qui tumulos memorat, reli-

A ſeliquiaſque Saturnias tellure in Sicula contineri: Chæroneus Plutarchus noſtrarum eſſe partium comprobatur, qui in Oeteis verticibus Herculem, poſt morborum comitialium ruinas diſſolutum in cinerem prodidit? Nam quid de illis amoribus dicam, quibus in fœminas ſanctos incaluiſſe cæleſtes, veſtris proditum literis, atq; auctoribus continetur? Nunquid enim à nobis arguitur rex maris Amphitritas, Hippothoas, Amymonas, Menalippas, Alcyonas, per furioſæ cupiditatis ardorem caſtimoniæ virginitate priuaſſe? Nunquid Apollo Latonius immaculatus ille, caſtiſſimus, atque purus, Arſinoas, Chryſas, Hypſipylas, Marpeſſas, Zeuſippas, & Prothoas, Daphnas, & Steropas, inconſulti pectoris appetiſſe feruoribus? Nunquid ſenex Saturnus iamdudum obſitus canis, atque annorum vetuſtate iam frigidus, noſtris carminibus indicatus ab vxore in adulterio comprehenſus induiſſe formam feri, & ſub pecoris ſpecie hinnitibus euolaſſe iactatis? Iuppiter ipſe rex mundi, nonne à vobis infamis eſt iſte per innumeras ſpecies, &
B petulantis amoris flammam ſeruilibus obumbraſſe fallacijs? Nunquid à nobis aliquando conſcriptus eſt libidinoſa vt perficeret furta, modo eſſe in aurum verſus, modo in ſatyrum ludicrum, in draconem, in alitem, in taurum, & quod omnia genera contumeliarum tranſiliat, in formiculam patuulam, vt Clitoris videlicet filiam, Myrmidonis redderet apud Theſſalos matrem? Quis illum in Alcmena nouem noctibus fecit peruigilaſſe continuis? non vos? Quis in amoribus deſidem derelicta cœli ſtatione iacuiſſe? non vos? Et ſane adiungitis beneficia non parua: ſiquidem vobis Deus Hercules natus eſt, qui in rebus huiuſmodi patris ſui tranſiret exuperaretque virtutes, ille noctibus vix nouem vnam potuit prolem exſudere, concinnare, compingere, at Herculea ſanctus Deus natas quinquaginta de Theſtio nocte vna perdocuit, & nomen virginitatis ponere, & genitricum pondera ſuſtinere. Quid quod non contenti fœminei generis attribuiſſe dijs curas, etiam ſexus adiungitis adamatos ab his mares? Hylam neſcio quis diligit. Hyacintho eſt alius occupatus. ille Pelopis deſiderijs flagrat, hic in Chryſippum ſuſpirat ardentius, Catamitus rapitur deliciarum futurus, & poculorum cuſtos. Et vt Iouis
C dicatur pullus, in partibus Fabius aduritur mollibus obſignaturque poſticis. Sed ſoli amant apud vos mares, & fœmineo ſexui ſua conſeruata eſt ſanctitas. Nonne veſtris cautum eſt literis adamatum eſſe ab aurora Tithonum, arſiſſe in Endymyonem Lunam, Nereidem in Æacum, in Achillis genitorem Therim, Proſerpinam in Adonem marem eius, Cererem in Iaſionem, neſcio quem ruſticanum, & poſt Vulcanum, Phaëtontem, Martem, in Anchyſæ nuptias ipſam illam Venerem Æneadum matrem, & Romanæ dominationis auctorem? Cum talia igitur vos probra, & flagitioſa prodigia, non in vnum aliquem nominatim, ſed in omnem pariter ſuperorum gentem, quam eſſe vos memini, ſine vllius exceptione iactatis, audetis ſalua verecundia dicere, aut eſſe nos impios, aut vos pios? cum multo maiores ferant à vobis offenſas ex omnibus probris, quæ in illorum
D maledicta conducitis, quam amplitudinis & honoris ex tua atque officio cultionis? Aut enim falſa illa ſunt cuncta, quæ ſunt prompta de ſingulis exiſtimationem illorum maieſtatemque lædentia: & res digna omnino eſt, propter quam dij funditus genus omne debeant abolere mortalitatis: aut ſi explorata & vera ſunt, & ſine vllis dubitationibus comprehenſa, ad eam perducitur res ſummam, vt inuitiſſimis vobis non generis ſuperi, ſed humani eos fuiſſe credamus. Vbi enim nuptiæ, matrimonia, puerperia, nutrices, artificia, debilitates, vbi ſtatus capitis, & conditio ſeruitutis, vbi vulnera, cædes, cruor, vbi amores, deſideria, voluptates, vbi omnis animorum affectus ab inquietis perturbationibus veniens, neceſſe eſt diuinum nihil iſtic eſſe: nec quod proprium caduci eſt generis, & terrenæ fragilitatis, præſtantiori poſſe adhærere naturæ. Quis eſt enim qui credat, ſi modo agnoſcat ac percipit vis iſtius potentiæ quæ ſit, aut genitales habuiſſe partes deum, & abſciſſione fœdiſſima priuatum his eſſe: aut ex ſe prodiras aliquando intercepiſſe proles, & vinculorum coërcitum pœnis: aut cum patre quodammodo conſeruiſſe bella ciuilia, & enim iure abſtinuiſſe regali: aut exterritum minoris metu vertiſſe

E exuperatum terga, & tanquam fugitiuum & exulem in ſub notis delituiſſe ſecretis? Quis eſt, inquam, qui credat ad humanas accubuiſſe deum menſas, inſeremptum auaritiæ cauſa, fefelliſſe ſupplices ambiguitate reſponſi: præcellere in furum ordine, adulteraſſe, ſeruiſſe, vulneratum eſſe, & adamaſſe: & per omnes ſub dium formas inceſtarum cupiditatum circumegiſſe pellaciam? Atqui omnia vos iſta & fuiſſe, & ineſſe in dijs aſſeueratis veſtris: neque vllam prætermittitis ſpeciem vitioſitatis, maleficij, lapſus, quam non in conuitium numinum opinionum petulantia conferatis. Aut igitur vobis quærendi ſunt dij alij, in quos omnia iſta non cadant: in quos enim hæc cadunt, humani ſunt generis atque terreni: aut ſi hi ſunt tantummodo, quorum nomina publicaſtis & mores, opinionibus tollitis veſtris. Mortalia ſunt enim quæcunque narratis. Et poſſumus quidem hoc in loco omnes iſtos nobis quos inducitis, atque appellatis deos, homines fuiſſe
F monſtrare, vel Agragantino Euhemero replicato, cuius libellos Ennius, clarum vt fieret cunctis, ſermonem in Italum tranſtulit: vel Nicagora Cyprio, vel Pellæo Leonte, vel Cyrenenſi Theodoro, vel Hippone ac Diagora Melijs, vel auctoribus alijs mille, qui ſcrupuloſæ diligentiæ cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt. Poſſumus, inquam, ſi placet, & Iouis res geſtas, & Mineruæ expromere bella, virginis & Dianæ: quibus dolis Liber Indorum affectauerit regnum, cuius fuerit conditionis Venus, cuius operæ, cuius quæſtus: matrimonium magna cuius tenuerit mater: quidnam ſpei, quid voluptatis ſpecioſo ab Atyde conceperit. Vnde Serapis Ægyptius, vnde Iſis, vel ex quibus cauſis appellatio ipſa concinnata ſit nominum. Sed non iſtam ſuſcepimus in eo ſermone, quem facimus, vel operulam, vel voluntatem, vt oſtendamus, & publicemus, quinam fuerint hi omnes. Illud nobis propoſitum eſt, vt quoniam nos impios & irreligioſos vocatis, vos contra pios & deorum contenditis eſſe cultores, demonſtrare, atque in medio ponere ab hominibus magis
G nullis ignominioſius eos tractari, quam à vobis. Quod ſi habere ſe ita ex ipſis maledictionibus promptum eſt, ſequitur vt intelligi debeat vos ſuperis ſtimulos indignationum furialium commouere: qui tam fœdas de illis vel auditis, vel creditis, & ignominioſas ipſi compingitis fabulas. Non enim qui ſolicite telegit, & immaculatas hoſtias cædit, qui acerruos thuris dat concremandos igni, numina contentiendus eſt colere: aut officia ſolus religionis implere. Cultus verus in pectore eſt, atque opinatio de dijs digna: nec quicquam prodeſt illatio ſanguinis & cruoris, ſi credis de his ea quæ non modo ſunt longe ab eorum diuina præſtantique natura, verumetiam labis & turpitudinis aliquid, & maieſtati eorum concilient, & decori. Interrogare enim vos libet, & ad ſermonis exigui reſponſionem vocare, vtrumne grauius exiſtimetis nullas cædere his hoſtias, quia putes naturam tantam neque velle, neque appetere iſtas: an talia de his probra opinionum fœditate concipere, quæ cuiuſuis animum in vltionis poſſint irritu concitare? Si
H rerum momenta pendantur, nullum reperias tam inurdum iudicem, qui non criminoſius exiſtimet maledictis inſignibus cuiuſpiam famam carpi, quam à quoquam ſilenno præteriri. Hoc enim forſitan taciturnis exiſtimari poſſit & credi: illud ſacrilegæ mentis eſt, & deſperatæ in fictionibus cæcitatis. In cærimonijs veſtris, rebuſque diuinis, poſtulationibus locus eſt, & piaculis dicitur contracta eſſe commiſſio, ſi per imprudentiæ lapſum, aut in verbo quiſpiam, aut ſimpinio deerarit: aut ſi curſu in ſolennibus ludis, curriculiſque diuinis, commiſſum omnes ſtatim in religiones clamatis ſacras, ſi ludius conſtitit, aut tibicen repente conticuit: aut ſi patrimus ille qui vocitatur puer, omiſit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit, & audetis abnuere in delictis tam grauibus violari ſemper à vobis deos, cum in leuioribus cauſis ira ci eos ipſi cum pernicie ſæpius confiteamini ciuitatis? Sed poëtarum inquiunt figmenta ſunt hæc omnia, & ad voluptatem compoſitæ luſiones. Non eſt quidem credibile homines minus brutos, & vetuſtatis remotiſſimæ veſtigatores, aut non eas inſeruiſſe ſuis carminibus fabulas, quæ in notionibus hominum ſupereſſent, atque in auribus collocatæ. aut ipſos

A ſibi tantum licentioſi voluiſſe iuris aſciſcere, vt contingerent per ſtultitiam tetras eas, quæ nec ab inſanis procul eſſent remotæ, & quæ illis à diuis metum, & periculum poſſent ab hominibus comparare. Sed concedamus, vt dicitis, deformitatum tantarum concinnatores eſſe atque inuentores, poëtas, immunes tamen à deorum maletractatione nec ſiuiſtis, qui talia ceſſatis maleficia vindicare: aut non legibus latis, & ſeueritate pœnarum tantæ iſtius obuiam temeritati, conſtitutumque à vobis eſt, ne quis poſthac hominum id quod eſſet turpitudini proximum, aut eorum indignum maieſtatibus loqueretur. Quiſquis enim patitur peccare peccantem, is vires ſubminiſtrat audaciæ: & maioris contumeliæ res eſt, falſis quenquam notare atque inſignire criminibus, quam vera ingerere atque obiectare delicta. Quod enim ſis dici, & quod eſſe te ſentias, morſum habet minorem teſtimonio tacitæ recognitionis infractum. Illud vero acerbiſſime vulnerat, quod inurit innoxios, & quod decus nominis atque exiſtimationis infamat. Scribuntur dij veſtri in tricliniis cœleſtibus, atque in chalcidicis aureis cœnitare, potare & ad vltimum fidibus & vocis modulatione mulceri. B Vos aures patientiſſimas commodatis: nec indicatis indignum voluptates attribui dijs eas, quibus corpora terrena fulciuntur, & quas aures expetiunt eneruati pectoris diſſolutione molliæ. Inducuntur ex his alij amatores, adulteri caſtratia, nec cum fœminis tantum, ſed cum viris etiam propudioſos flagitioſoſque miſcere concubitus. Vobis nulla eſt cura quid ſuper rebus dicatur tantis, neque vllo ſaltem caſtigationis metu luxuriantium literatum coercetis audaciam. Per inſanias, per furores orbare alij ſe, & tanquam hoſtili de ſanguine, ita ſe proprio parricidio cruentare. Sacrilegia vos illa miramini elata ſublimiter, & quod pœnis omnibus conueniebat plecti, vt animoſius conſurgat audacia, iocentiua extollitis laude. Illa vulnera orbitatis ingemere, & cum eiolatibus indecoris fata incuſare crudelia: vos ſtupetis eloquentiæ viribus, & quod penitus oportebat ex humani generis coalitu tolli, percenſetis: ac ne vlla intercidat obliuione curatis. Vulnerari, vexari, bella inter ſe gerere furialium memorantur ardore diſcriminum: C vobis illa eſt deſcriptio voluptati, atque vt ſcriptorum tantam defendatis audaciam, allegorias res illas, & naturalis ſcientiæ mentimini eſſe doctrinas. Sed quid ego neglectis aliorum conqueror contumelias numinum? Ipſe ille Iuppiter, cuius vos numen effari non ſine metu decuit & totius corporis concuſſione, amaſius captus ab vxore deſcribitur confiteri culpas ſuas, & velut demens ac neſcius, quas amiculas coniugi, quas vxori antepoſuerit pellices, obduratus inuerecundia publicare: vos talia qui extulere prodigia, poëtarum eſſe principes atque reges diuinis ingenijs præditos, capita eſſe memoratis ſanctiſſima: tantum ab officio religionum, quas inducitis, euolaſtis, vt grauioris ponderis ſint apud vos verba quam cœlitum violata ſublimitas. Ita ergo non decuit (ſi modo vllus deorum eſſet apud vos metus, aut ſi eſſe illos vſpiam præſumptionis certæ confidentia crederetis) rogationibus, plebiſcitis, conſultorum ſenatus metu intercedere, prohibere, ſancire, ne quis vellet de dijs paſſim niſi quod eſſet plenum religionis, effari, ac à D vobis ſaltem iſtum mererent honorem, vt quibus expelleretis à vobis, eiuſdem ab his legibus propulſaretis iniurias. Maieſtatis ſunt apud vos rei, qui de veſtris ſecus obmurmurauerint aliquid regibus. Magiſtratum in ordinem redigere, Senatorem aut conuitio proſequi, ſuis eſſe decreſtis periculoſiſſimum pœnis. Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, decemuiralibus ſcitis euadere noluiſtis impune: ac ne veſtras aures conuitio aliquis petulantiore pulſaret, de atrocibus formulas conſtituiſtis iniurijs. Soli ſunt apud vos ſuperi inhonorati, contemptibiles, viles: in quos ius eſt à vobis datum, quæ quiſque voluerit dicere: turpitudinem iacere, quam libido confinxerit, atq; excogitauerit formas. Et incuriam nobis intenderetis infamium non erubeſcitis numinum, cum ſit rectius multo deos eſſe non credere, quam eſſe illos tales, taliſque exiſtimatione ſentire. Sed poëtis tantummodo licere voluiſtis indignas de dijs fabulas, & flagitioſa ludibria comminiſci. Quid pantomimi veſtri, quid hiſtriones, quid illa mimorum atque exoleti generis multitudo? Nonne ad vſum quæſtus E ſui abutitur dijs veſtris, & lenocinia voluptatum ex iniurijs attrahit contumelijſq; diuinis? Sedent & in ſpectaculis publicis ſacerdotum omnium, magiſtratuumque collegia, pontifices maximi, & maximi curiones: ſedent quindecimuiri laureati, & diales cum apicibus flamines: ſedent augures interpretes diuinæ mentis & voluntatis: necnon & caſtæ virgines, perpetui nutrices & conſeruatrices ignis: ſedet cunctus populus & ſenatus: conſulatibus functi patres, dijs proximi atque auguſtiſſimi reges: & quod nefarium eſſet auditu, gentis illa genitrix Martiæ, regnatoris & populi procreatrix amans ſaltatur Venus, & per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione bacchari. Saltatur & magna ſacris compta cum infulis mater: & contra decus ætatis illa Peſſinuntia Dindymene, in bubulci vnius amplexu flagitioſa fingitur appetitione geſtire: necnon & illa proles Iouis à Sophocle in Trachinijs Hercules peſtiferi tegminis circumpeditus indagine miſerabiles edere inducitur eiulatus, violentia doloris frangi, atque in vltimam tabem diffluentium viſcerum maceratione conſumi. Quid & F ille in fabulis maximus ipſe regnator poli ſine vlla nominis maieſtatiſque formidine adulterorum agere introducitur partes, atque vt fallere caſtitatem alienarum poſſit familias matrum, ora immutare fallacia, & in ſpecies coniugum ſubditiui corporis ſimulatione ſuccedere. Nec ſatis hæc culpa eſt, etiam mimis, & ſcurrilibus ludicris ſanctiſſimorum perſonæ interponuntur deorum. Et vt ſpectatoribus vacuis riſus poſſit atque hilaritas excitari, iocularibus feriuntur cauillationibus numina, conclamant, & aſſurgunt theatra, caueæ omnes concrepant fragoribus atque plauſibus. Et quod nullis poſſit ſatisfactionibus expiari, exoletis, atque hiſtrionibus numinum dona inſtituuntur, & munera, ab officijs otium publicis, immunitas, & vacatio cum coronis. Et audetis poſt iſta mirari, vnde oriantur hæc mala, quibus inundatur & premitur ſine vlla intermiſſione mortalitas: cum omnis res eas, quibus ſunt inuoluta probra numinum, & maledictionis elogia, & quotidie reſcriatis, & ediſcatis quotidie: & ſi quando animum deſidem ocioſis vultis hallucinationibus occupari, dies vobis poſcatis dari, & ſine vllis G intermiſſionibus exhiberi. Quod ſi haberet vos aliqua veſtris pro religionibus indignatio, has potius literas, hos exurere debuiſtis olim libros, iſtos demoliri, diſſoluere theatra hæc potius, in quibus infamiæ numinum propudioſis quotidie publicantur in fabulis. Nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerint dari? cur immaniter conuenticula dirui? in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur magiſtratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione: in quibus aliud auditur nihil, niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, verecundos, pudicos, caſtos, familiares, communicatores rei & cum omnibus, quos ſolidet germanitatis neceſſitudine copulatio. Verum ita ſe res habet, vt quoniam plurimum gladijs, & poteſtate valetis ferri, antecire vos etiam veritatis ſcientia iudicetis: & eſſe pro dijs pios, quorum potentias primi opinionum obſcœnitate fœdaſtis. Hoc in loco, ſi ferocitas veſtra permittit, & rabies patitur illud nobis vt reſpondeatis, oramus: vtrumne H iras cadere in naturam exiſtimatis deorum, an ab affectibus his longe diuinam eſſe beatitudinem diſiugatam? Nam ſi concipiunt has faces, & motibus ea aſperantur iratis (ſicut veſtræ opinationes ferunt, nam ſæpe illos dicitis & propter ludos minus ſolicite factos, & propter præſules non probatos, & propter quædam ſpatiola deſanata, & propter cærimonias non rite perfectas, tremoribus infremuiſſe terrarum: & contagione peſtilentiæ corruiſſe auras temporum luctuoſa cum populi vaſtitate) ſequitur vt intelligi debeat iracundias non paruas ex opinionibus eos continere prædictis. Quod ſi datur, & illud neceſſario conſequens, miſerias has omnes, quibus olim genus accumulatur humanum, ab huiuſmodi fluere fictionibus: quod ſi ab his cauſis indignatio proficiſcitur numinum, miſeriarum tantarum vos eſtis auctores, qui animos cœlitum non ceſſatis offendere, & vltiores in rabiem concitare. Sin autem ab huiuſmodi nefarijs deorum eſt genus immune, neque quid ſit iraſci dij omnino nouerunt: & nobis ergo iraſci ſine vlla ratione dicuntur, qui ira quid ſit, ignorant, & ab eius conten-

A ta, & permixtione ſunt abſoluti. Neque enim fieri per rerum naturam poteſt, vt quod vnum eſt, fiat duo, & in diuerſas res eat vnitas ingenita ſimplicitate diuiſa.

ARNOBII DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES

LIBER V.

EſTo, ab ſudentibus poëtis cuncta illa ſint prodita de immortalibus dijs probra. B Quid illa, quæ hiſtoriæ continent graues, ſeriæ, curioſæ, quæque in arcanis myſterijs tradita, poëtarum ſunt exeogitere laſciuie? Quæ ſi vobis viderentur ineptiarum talium fabulæ, neque in vſu retineretis quædam ſuo, neque per curſus annuos lætitias exerceretis vt feſtas, neque vt rerum ſimulacra geſtarum ſacrorum conſeruaretis in ritibus: ex quibus tam multis vnum interim ponam modeaminis temperamentum ſecutus: in quo ſtolidus & impudens ipſe ille inducitur Iuppiter, verborum ambiguitatibus luſus. In ſecundo Antiatis libro (ne quis forte nos exiſtimet concinnare per calumnias crimina) talis perſcripta eſt fabula: Numam illum regem, cum procurandi fulminis ſcientiam non haberet, eſſetque illi cupido noſcendi, Egeriæ monitu caſtos duodecim iuuenes apud aquam celaſſe cum vinculis: vt cum Faunus, & Martius Picus ad id locorum veniſſent hauſtum (nam illis aquandi ſolenne iter huc fuit) inuaderent, conſtringerent, colligerent. Sed quo res fieri expeditius poſſet, C regem pocula non parui numeri vino, mulſoque compleſſe, circaque acceſſus fontis inſidioſam venturis oppoſuiſſe fallaciam. illos more de ſolito bibendi appetitione correptos ad hoſpitia nota veniſſe. Sed cum liquoribus odoratis offendiſſent fragrantia pocula, vetuſtioribus antepoſuiſſe res nouas, inualiſſe auidius, dulcedine potionis captos hauſiſſe plus nimio, obdormiuiſſe factos graues: tum bis ſenos incubuiſſe ſopitis, iniecisse madidatis vincla: expergitoſque illos ſtatim perdocuiſſe regem, quibus ad terras modis Iuppiter poſſet ſacrificijs elici, & accepta regem ſcientia rem in Auentino feciſſe diuinam, elexiſſe ad terras Iouem, ab eoque quæſiſſe ritum procurationis. Iouem diu cunctatum, expiabis dixiſſe capite fulgurita: regem reſpondiſſe, cæpitio. Iouem rurſus, humano: retuliſſe regem, ſed capillo. deum contra, anima: ſubiecisse Pompilium, piſcis. Tunc ambiguis Iouem propoſitionibus captum extuliſſe hanc vocem, decepiſti me Numa. nam ego humanis capitibus procurari conſtitueram fulgurita, non capillo cæpitio: quoniam me tamen tua circumuenit aſtutia, quem voluiſti habeto morem: & his rebus, quas pactus es, procurationem ſemper ſuſcipies fulguritorum. Quid primum, D quid vltimum, vel exequatur animus, vel conticeſcat, nec facile dictu eſt, neque vllis conſiderationibus expeditum. Ita enim ſunt omnia & excogitata, & comparata deriſui: vt ſit vobis connitendum falſa vt credantur hæc eſſe etiam ſi ſunt vera, quam obtinere velle pro veris, & velut quiddam mirabile non ſine ipſius numinis inſinuare contemptu. Quid enim dicitis, ô iſti? credimusne illum Faunum, & Martium Picum (ſi ea numero ſunt deorum, & ex illa perpetua immortalique natura) ſitis aliquando aniditate ſiccatos, atque vt æſtum poſſent irrigare venarum, fluenta iſſe per fontium? Credimusne captos mero, & dulcedine illectos mulſi, tandiu ſe poculis ingurgitauiſſe fallacibus, vt vſque ad ebrietatis periculum veniretur? Credimusne vinctus ſomno, atque altiſſimi ſoporis obliuione demerſos, vinciendi copiam ſui animalibus præbuiſſe terreis? quibus deinde partibus vinclorum illæ iniectæ ſunt nexiones? ſoliditatis habebant quicquam, aut ex duris oſſibus informatæ fuerant eorum manus, quæ conſtringi laqueis, & no-E dorum poſſent illigationibus coerceri? Non enim requiro, non exigo, an aliquid potuerint fari ebrietatis alienatione nutantes: an Ioue inuito, vel potius neſcio, protrahendi ad terras eius ritum quiſquam potuerit publicare: illud ſolum audire deſidero, cur ſi Faunus & Picus ſunt diuini generis & poteſtatis, non ipſi potius edidere quærenti id quod ab ipſo Ioue periculoſius Numa cupiebat audire? An nunquid Iuppiter ſolus huius rei ſcientiam nouerat, (ab ipſo enim decidunt fulmina) vt immitientia procurare alicuius debeat ſcientiæ diſciplina? An cum ipſe iaculetur hos ignes, aliorum ſit operis ſcire, quibus modis conueniat iras eius, atque animos temperare? Etenim reuera ſtultiſſimum credere eſt, ipſum remedia ſcire, quibus auerti poſſint, quæ per fulminis iactum in humanis fieri conſtituerit rebus. Hoc eſt enim dicere, illo ritus genere minas has placabitis: & ſi quando per fulgura ſignificauero aliquid imminere, facite hoc, & illud, vt quod fieri ſtatui inane fiat F & vacuum, & factum vaneſcat. Sed concedamus (vt dicitur) ipſum aduerſum ſe Iouem remedia ſciſſe, atque artes, quibus iri obuiam ſuis ſignificationibus conueniret: etiamne credemus deum numinis tanti tractum eſſe ad terras, & in verrucula collis vnius cum homunculo ſtantem altercabilem conſeruiſſe ſermonem? Et quænam illa quæſo diuina res fuit, quæ ab impetu rerum tanto Iouem compulit auocari, mortalium ſeſe denunciationibus ſiſtere? mola ſalſa, thus, ſanguis, verbenarum ſuffitio, & nominum terribilium fremitus? & potentiora quam Iuppiter fuerunt hæc omnia: vt eum compellerent inuitum parere præceptis? aut voluntarium ſeſe circumuentionibus traderet? quid quod ſequitur, fidem ſumet? tam improuidum fuiſſe Saturnium, vt aut ea proponeret, quorum ambagibus ipſe caperetur, aut neſciret futurum quibus luſura ſe modis aſtutie eſſet calliditaſque mortalis? Expiabis (inquit) capite fulgurita. imperfecta adhuc vox eſt, neque plena proloquij, circumſcriptaque ſententia. Scire enim neceſſario conuenit, vtrumne capite veruecino, an ſuillo, an quolibet alio, G expiationem iſtam ſciſcat Dieſpiter perpetrari: quod cum nondum ſpecialiter ſtatuiſſet, eſſetque adhuc pendens, & nondum ſententia terminata, qui potuit Numa ſcire hominis Iouem dicturum caput, vt anteuerteret, anteiret, & in caput cæpitium ambiguitatis illius incerta traduceret? Niſi forte diceris regem fuiſſe diuinum: nunquid ipſo poterat eſſe Ioue diuinior? Niſi homo præſumens quid dicturus eſſet Iuppiter, circumſcripſit: Deus ſcire non poterat quibus modis pararet circumſcribere ſe homo? iſtud non in prompta eſt, & apparet puerilium eſſe ingeniola fictionum: quibus cum acquiritur cordis Numæ viuacitas, imprudentia maxima importatur Ioui. Quid enim tam imprudens, quam confiteri te captum argutia cordis humani? & cum deceptum te doleas, in victoris concedere voluntatem: & medicinam quam obtuleras ponere? Nam ſi fors ratio, & quædam conuenientia naturalis, cur humano capite procuratio debuerit ſuſcipi fulguriti, non video cur ab rege relatio ſit facta cæpioſ: ſin autem poterat & cæpitio tranſigi, libidinoſa hominis inhiatum eſt cruori. Atque ita in contrarium pars vtraque traducitur, vt nec Numam monſtretur voluiſ-H ſe ſcire, quod voluit, & crudelis Iuppiter fuiſſe doceatur, qui quod Numa potuiſſe cæpitio ſuſcipi, voluiſſe dixerit humanis capitibus expiari. Apud Timotheum non ignobilem theologorum virum, nec non apud alios æque doctos ſuper magna deorum matre, ſuperque ſacris eius, origo hæc ſita eſt: ex reconditis antiquitatum libris, & ex intimis eruta (quemadmodum ipſe ſcribit, inſinuatq;) myſterijs. In Phrygiæ finibus inaudita per omnia vaſtitatis petra, inquit, eſt quædam: cui nomen eſt Agdus, regionis eius ab indigenis ſic vocatæ. Ex ea lapides ſumptos, ſicut Themis mandauerat præcinens, in orbem mortalibus vacuum Deucalion iactauit & Pyrrha: ex quibus cum cæteris & hæc, magna quæ dicitur, informata eſt mater, atque animata diuinitus. Hanc in vertice ipſo petræ datam quieti & ſomno, quam inceſtis Iuppiter cupiditatibus appetiuit. Sed cum obluctatus diu id, quod ſibi promiſerat, obtinere nequiſſet, voluptatem in lapidem fudit victus. Hanc petra concepit, & mugitibus editis multis prius menſe naſcitur decimo materno ab nomine cognominatus Acdeſtis. Huic robur inuictum, &

A ferocitas animi fuerat intractabilis, inſana & furialis libido,
& ex vtroque ſexu. vi rapta diua ſtate, diſperdere, immanitas
quò animi duxerat: non deos curare, non homines, nec
præter ſe quicquam potentius credere: terras, cœlum, &
ſydera contemnere. Cuius cum audacia quibuſnam mo-
dis poſſet vel debilitari, vel comprimi, ſæpenumero eſſet
deorum in deliberatione quæſitum, hæſitantibus cæteris
huius muneris curam Liber in ſe ſuſcipit: familiarem illi fon-
tem, quo ardorem fuerat ſuetus & ſitiendi lenire flagran-
tiam, ludo & venationibus excitatam, validiſſima ſuccendit
vi meri: neceſſitatis eo tempore hauſtum accurrit Acdeſtis,
immoderatius potionem hiantibus venis rapit: fit vt in ſo-
lita re victus ſoporem in altiſſimum deprimatur. Adeſt ad
inſidias Liber, ex ſetis ſcientiſſime complicatis vnum plan-
tæ injicit laqueum: parte altera proles cum ipſis genitali-
bus occupat: exſolutus ille vi meri corripit ſe impetu, & ad-
ducente nexus planta, ſuis ipſe ſe viribus, eo quo fuerat,
priuat ſexu: cum diſcidio partium ſanguis fluit immenſus:
rapiuntur, & combibuntur hæc terra: malum repente cum
pomis ex his punicum naſcitur: cuius Nana ſpeciem con-
B templata regis Sangarij fluminis filia carpit mirans, atque
in ſinu reponit: fit ex eo prægnans, tanquam vitiatam clau-
dit pater, & curat vt inedia moriatur, pomis, atque alijs bac-
culis deûm ſuſtentatur à matre, enititur paruulum. Sed
exponi Sangarius præcipit: repertum neſcio quis ſumit, for-
mat, lacte alit hircino: & quoniam Lydia ſciitulos ſic vo-
cat, vel quia hircos Phryges ſuis Attagos elocutionibus nun-
cupant, inde Atys nomen vt ſortiretur, effluxit. hunc vni-
ce mater deûm, ore fuerat quod excellentiſſimo, dilige-
bat, & Acdeſtis blandus adulto comes, & qua ſolum pote-
rat amans, rectis aſſentationibus vinctus, ſaltuoſa ducens
per nemora, & ferarum multis muneribus donans, quæ
puer Atys primo ſui eſſe dicebat laboris, atque operis glo-
rians: per vinum deinde confitetur, & ab Acdeſti ſe diligi,
& ab eo donis ſylueſtribus honorari: vnde vinum, quod ſo-
lennium prodidit, in eius nefas eſt ſanctuarium inferre pol-
luris. Tunc Peſſinuntius rex Midas alienare cupiens tam
infami puerum coniunctione, matrimonio eius ſuam fi-
C liam deſtinat: ac ne ſcæuus aliquis nuptialia interrumperet
gaudia, fecit oppidum claudi. verum deûm mater adole-
ſcentuli fatum ſciens, interque homines illum tamdiu futu-
rum ſaluum, quamdiu eſſet ſolutus à matrimonij fœdere, ne
quid accideret mœſti, ciuitatem ingreditur clauſam muris
eius capite ſubleuatis: quod eſſet turritum ratione ab hac
cœpit. Acdeſtis ſcatens ira conuulſi à ſe pueri, & vxoris ad
ſtudium deriuati, conuiuantibus cunctis furorem & inſa-
niam ſuggerit: conclamant exterriti adorandorum Phry-
ges: mammas ſibi demetit galli filia pellicis, rapit Atys teſtu-
lam, quam inſtigator ipſe geſtitabat inſaniæ: furiarum &
ipſe iam plenus, perbacchatus iactatus projicit ſe tandem, &
ſub pini arbore genitalia ſibi deſecat, dicens: Tibi Acdeſti
hæc habe, propter quæ motus tantos furialium diſcrimi-
num concitaſti. euolat cum profluuio ſanguinis vita: ſed ab-
ſciſſa quæ fuerant, magna legit mater deûm, & injicit his ter-
ram, veſte prius tecta, atque inuolutis defuncti. Fluore de
ſanguinis viola flos naſcitur, & redimitur ea hac arbos. In-
D de natum & ortum eſt, nunc etiam ſacras velaret & coro-
naret pinos. virgo ſponſa quæ fuerat, quam Valerius pon-
tifex Iam nomine fuiſſe conſcribit, exanimati pectus lanis
mollioribus velat, dat lachrymas cum Acdeſti, interficit-
que ſe ipſam. purpurantes in violas cruor vertitur interem-
ptæ: mater ſuffodit eam deûm, vnde amygdalus naſcitur
amaritudinem ſignificans funeris. tunc arborem pinum, ſub
qua Atys nomine ſpoliauerat ſe viri, in antrum ſuum de-
fert, & ſociatis planctibus cum Acdeſti tundit & ſauciat
pectus pauſatæ circum arboris robur. Iuppiter rogatus ab
Acdeſti, vt Atys reuiuiſceret, non ſinit: quod tamen fieri
per fatum poſſet, ſine vlla difficultate condonat, ne corpus
eius putreſcat, creſcant vt comæ ſemper, digitorum vt
minimiſſimus viuat, & perpetuo ſolus agitetur motu.
quibus contentum beneficijs Acdeſtim conſecraſſe corpus
in Peſſinunte: cærimonijs annuis, & ſacerdotum antiſtiti-
bus honoraſſe. Si contemptor aliquis numinum, & ſacri-
legi pectoris immanitate furioſus, intendiſſet animum ma-
ledicere dijs veſtris: auderetne eos quicquam grauius di-
cere, quam iſta prodit hiſtoria, quam velut quiddam mi-
rabile commentarij contuliſtis in formulam? ac ne illam E
vis temporis, & vetuſtatis obſoleſaceret longitudo, perpe-
tuitatis honore mactaſtis. Quid eſt enim de dijs ita po-
ſitum, quidve conſcriptum, quod non ſi in hominem dixe-
ris pudibundis moribus & diſciplinis horridioribus educa-
tum, & contumeliæ reus ſis, & iniuriæ, & offenſionis o-
dium ſimultatibus ſubeas inexpiabilibus comparatum?
ex lapidibus, inquitis, quos Deucalion iactauit & Pyrrha,
deûm procreata eſt mater. Quid ò theologi dicitis? quid
ſupernarum antiſtites poteſtatum? Ergone deûm mater
diluuij tempore nulla fuit in parte naturæ? & niſi omne
mortalium genus interemiſſet vis imbrium, procreationis
illius cauſa atque origo ceſſaret? Humanum eſt ergo mu-
nus quod eſſe ſe ſentit: & beneficijs debet Pyrrhæ quod o-
rari ſe conſpicit in alicuius ſubſtantiæ qualitate: quod qui-
dem (ſi verum eſt) & illud erit neceſſario non falſum, ho-
minem illam fuiſſe, non diuam. Non ſi certum eſt homi-
nes ex illo lapidum iactu natiuitatis ſuæ originem ducere,
& hanc neceſſe eſt credi vnam fuiſſe de nobis, conſimilium
cauſarum rationibus procreatam. Neque enim fieri rerum F
per repugnantiam quit, vt ex vno lapidum genere, & ex ea-
dem ratione faciendi, immortalium quidam ſortis, con-
ditionis alij ſubſiſterent humanæ. Varro ille Romanus
multiformibus eminens diſciplinis, & in vetuſtatis indaga-
tione rimator, in librorum quatuor primo quos de gente
conſcriptos Romani populi dereliquit, curioſis computa-
tionibus edocet, ab diluuij tempore cuius ſupra fecimus
mentionem, ad vſque Hircij conſulatum & Panſæ, anno-
rum eſſe millia nondum duo: cui ſi conſtat fides, mater
quoque dicenda eſt magna intra huius numeri fines æuita-
tem ſuam habere concluſam: atque ita perducitur res eo,
vt quæ omnium numinum genitrix eſſe narratur, non ſit
mater, ſed filia: quinimmo infans & paruula, ſiquidem deos
concedimus neque initia neque fines ſeculorum perpetua
in cognitione ſortitos. Sed quid terrenis obuoluiſſe vos
ſordibus deûm loquimur matrem, cum ab Iouis ipſius ma-
ledictis nullam pauſam facere vel exigui temporis interca- G
pedine quiueritis? Cum in ſummo Agdi vertice deûm dor-
miret mox genitrix, obrepere conquieſcentis pudori filius
(inquitis) inſidiator enixus eſt. Poſt innumeras virgines,
& ſpoliatas caſtitate matronas, etiamne in matrem cupidi-
tatis infandæ ſpem Iuppiter cepit, nec ab illius appetitio-
nis ardore horror eum quiuit auertere, quem non homini-
bus ſolis, ſed animalibus quoque nonnullis natura ipſa ſub-
iecit, & ingeneratus ille communiter ſenſus? An reſpectus
pietatis & honeſti capitoliorum deſpuitur præſidi, nec quid
ſceleris caperet conturbatis per inſaniam mentibus, aut re-
tractare poterat, aut peruidere? Sed vt res eſt ponderis &
maieſtatis oblitus, ad furta illa flagitioſa correpens ibat,
pauens ac trepidus anhelitu oris preſſo, ſuſpenſis per for-
midinem greſſibus, & inter media conſtitutus ſollicitudi-
nis ſpeique confinia palpabat res intimas, altitudinem dor-
mientis & matris patientiam tentans. O rerum imagina-
tio indecora! ò habitus fœdi Iouis ad obſcœni certaminis
expeditionem parati! ergone ille rex mundi cum incautius,
& properus obiectionis eſſet reiectus à furto, in impetum ſe H
vertit, & quam rapere voluptatem inſidioſa fraude non qui-
uit, vi matrem aggreſſus eſt, & apertiſſime cœpit venerabi-
lem ſubruere caſtitatem? Colluctatus ergo diutiſſime cum
inuita eſt, victus, tractus, ſuperatusque defecit: & quem pie-
tas diuagare ab infando matris non valuit appetitu, effuſa
libido deuinxit? Niſi forte dicetis, conuentionis in huiuſ-
modi cœptum genus vitat atque execratur humanum: apud
deos inceſta ſunt nulla. Et cur mater acerrimè repugna-
bat inferenti vim filio? cur ab illius amplexibus tanquam il-
licitos vitans refugiebat attactus? Nam ſi nihil eſſet in
re mali, tam gerere illa morem ſine vlla retractione debu-
erat, quam volebat hic cupidæ appetitionis ſuæ irritamen-
ta complere. Et ſane hoc loco frugalitatis magnæ viri, &
circa res etiam flagitioſi operis parciores, ne ſancta illa ſe-
mina fruſtra videantur effuſa, ſilex (inquit) ebibit Iouia-
lis incontinentiæ fœditatem. Quid deinde quæſo conſe-
cutum eſt? dicite. In ſinu medio lapidis, atque in illa cotis
duritie informatus atque animatus eſt infans, Iouis ma-

A gni futura progenies. Non eſt facile contradicere tam prodigioſis conceptionibus, tamque miris. Cum enim genus humanum ex lapidibus apud vos ortum, procreatumque dicatur, neceſſe eſt credere, & receptacula lapides habuiſſe genitalia, & iaculatum combibiſſe ſemen rem, & completis temporibus ſuſtuliſſe aluos graues, & ad poſtremum pepetiſſe fœminei moris difficultate connixos. Illud noſtram ſubigit curioſitatem requirere, cum poſt decem menſes redditum eſſe dicatis partum: illo tempore quo in vtero lapidis fuit clauſus, quibus alimonijs irrigatus eſt, quibus ſuccis: vel ex rigore quæ ſaxeo nutricia potuit ducere, vt eſt fœtibus ſolenne de matribus? Nondum, inquit, contigerat lucem, & tonitrus patrios iam mugiens, imitatuſque ſeferebat. Et poſtquam illi datum eſt cœlum diemque conſpicere, obuia quæque vaſtabat incurſans, atque ipſos ſibi ſpondebat deos cœli poſſe à regione detrudere. O cauta & prouida deûm mater, quæ ne tam inuidiam tam inſolentius ſubiret, aut mugiens fœtus ſomnis ſuis officeret, aut
B interpellaret quietem, inbitrans ſe ipſam, & terminis illud nocentiſſimum virus tranſmiſit ab ſe longe, & ſaxorum haſpernantibus propinauit. Æſtuatum eſt in concilijs deorum, quibuſnam modis eſſet intractabilis illa feritas edomari: & cum via nulla ſupereſſet, ad opem concurſum eſt vnicam, vt mero madidaretur, & viribus ſpoliaretur abſciſſis: quaſi vero affectæ corporalibus his damnis, fiant languidioris audaciæ, & non quotidie videamus eos qui ſibi demeſſuerint has partes, maioris petulantiæ fieri, atque omnibus poſtpoſitis pudoris & verecundiæ frenis, in obſcœnam prorumpere vilitatem, flagitiorum confeſſione vulgata. Vellem tamen videre, ſi eſſet mihi his naſci temporibus datum, patrem illum Liberum debellatorem ferocitatis Acdeſtæ, poſt deorum auguſtiſſimas curias cœli ab culminibus lapſum, pendulum tem decutamenta cantheriorum, innectentem laqueos mobiles, aquarum innoxias puritates multa ſauciantem vi meri: & poſtquam ebrietas potu emerſit, inſeruiſſe caute manus, contrectauiſſe virilia dormientis, atque vt omnia cingerent circumpoſitu ligneorum morſus, artificij curas tum rebus adhibuiſſe peritiſſimis. Hoccine
C de dijs vmquam vel exigua dixerit eorum opinione pollutus? aut ſi talibus occupati ſint negocijs, cogitationibus, curis, quiſquam eos ſapiens aut deos eſſe crediderit, aut mortalium ſaltem in numero computauerit? Acdeſtis iſte (oro) cuius obſcœnitas amputata ſecuritatem fuerat illatura cœleſtibus, ex terrenis animantibus vnus fuit? an deorum aliquis, & immortalitatis præditus honore? Si enim noſtræ ſortis, & conditionis habebatur humanæ, cur terrorem tantum numinibus inferebat? Deus autem ſi fuerat, qui potuit decipi, aut de diuino aliquid corpore deſecari? Sed quæſtionem mouemus parte in hac nullam, fuerit licet de diuino genere, vel ex nobis aliquis, ſi hoc rectius exiſtimabitis dici: etiamne flumine de ſanguinis, & ex genitalibus amputatis arbor mali enata eſt punici: an inm quum vis illa telluris cooperta eſt gremio ſolum radice complexa eſt, in ſtipitis exiluit robur, oneratos fudit balauſtiis ramos, & in punctiſtitio puma exiluit mitia perfectionis propriæ
D maturitate completa: & quia de rubro exorta ſunt hæc ſanguine, ideirco illis color eſt purpurei luminis infectione ſubluteus: addite huc etiam ideirco eſſe vuida, ideirco vinoſa, quod ex ſanguine ſaporato genus ducant, & fabulam conuenienter impletis. O Abdera Abdera, quam ſi tua mortalibus irridenda, talis ſi apud te eſſet fabula ita conficta? dicunt eam cuncti partes, & ſuperciliosæ perlegunt ciuitates, & eſſe tu ſatua, & ſtoliditatis frigidiſſimæ iudicaris. Per ſinum, inquit, Nana filium concepit ex pomo, ſequitur ſe ratio: vbi enim cautes, & ſaxa pariunt dura, poma ibi neceſſe eſt ſurgant. Glandibus, atque ficis alebat Berecynthia religatam, conuenienter & recte: pomis enim debuerat viuere, quæ mater fuerat facta de pomo. Poſtquam fœtus emiſſus eſt, longe iuſſus eſt ab Sangario projici: quem conceptum diuinitus crediditeſſe iamdudum, & ſi gnarus eſſet ſobolem ſui pignoris occupari. Lacte infans educatus hircquino eſt. ô fabulam ſexui inimicam ſemper atque infeſtiſſimam maſculino: in qua ſexus viriles non ſolum homines ponunt, ſed pecudes etiam fiunt exmates. Pulchritudine inclyta, & prædicabili fuit inſignitus decore. admirabilis res ſatis, quod non illum fœtor vitabilem reddidit fugiendumque caprinus. Mater eum dilexit magna. ſi nepotem vt aiunt, res ſimplex: ſin theatra vt percrepent, inceſtior & flagitioſa dilectio eſt. Diligebat & Acdeſtis venatorijs eum muneribus locupletans. à ſemiuiro quidem nullum eſſe poterat periculum caſtitatis. ſed quid Midas nocuerit, non eſt facile ſuſpicantibus exiſtimare. Ipſis matri eſt ingreſſa tum in ædibus. admittamur quidem in hac parte vires, & fortitudini concurrimus. ſed culpamus negligentiam regis, quod cum legis meminiſſet & fati Atys, ſecreti hoſtibus minus prouidam ciuitatem. Nuptialia celebrantibus vota furias Acdeſtis, inſaniamque ſubijcit, ſi Midas rex offenderat, qui vxore adoleſcentulum vinciebat. quid admiſerat gallus, quid pellicis filia, vt ille ſe viro, hæc mammarum honeſtate priuaret? tibi habe hæc inquit, propter quæ res tantas animorum ſubuerſionibus concitaſti. neſciremus adhuc omnes quid in adulti corpore furor deſideraſſet Acdeſtius, niſi puer abſciſſæ ſanctitatis obieciſſet offenſam. Quid dicitis ô gentes: quid F
huiuſmodi deditæ opinionibus nationes: nonne cum iſta promuntur, arripit vos pudor, & tantarum verecundia fœditatum? Nos autem a vobis quid de dijs dignum vel audire, vel diſcere: at vero vos nobis mammarum exſpromitis exectiones, amputationes virilium veretrorum, iras, ſanguinem, furias, interitus virginum voluntarios, & ex ſanguine mortuorum flores, atque arbores procreatas. Dicite ô iterum, ergone deum mater genitalia illa diſſecta, cum floribus ipſa per ſe mœrens officioſa ſedulitate collegit, ipſa ſanctis manibus, ipſa diuinis contrectauit ac ſuſtulit flagitioſi operis inſtrumenta fœdique, abſcondenda etiam mandauit terræ? ac ne nuda in gremio diffluerent ſiccſoli, priuſquam veſte velaret, ac tegeret, lauit vnguibus balſamis, atque vnxit? Vnde enim violæ natæ potuiſſent, odore niſi putorem membri vnguentorum illa ſuffectio temperaret? Cum hiſtorias quæſo perlegitis tales, nonne vobis videmini aut textriculas puellas audire tædium operis circumſcribentes moras, aut infantibus credulis auocamenta quæritantes anus longæuas, & varias fictiones ſub G
imagine veritatis expromere? Cum Ioue locutus eſt Acdeſtis, vt amico reſtitueret vitam, annuere Iuppiter recuſauit, quia fatis potentioribus prohibebatur: at ne eſſet omnino durus, vnam largitus eſt gratiam, ne poſſet corpus diſſolueretur vllo, ſucereſcerent comæ ſemper, minimiſſimus digitorum ſolus vt in corpore viueret, ſolus motus perpetuos exhiberet. Hoccine quiſquam admiſerit, aut credulitatis aſſenſione firmarit, pilum in mortuo creſcere, partem interiiſſe, & ſeiunctum à lege putredinis immortale corpus adhuc vſque durare? Vigete vos tamdiu dum ad iſtius rei comparationem poſſemus, niſi ſtultitiæ pars eſſet, & talia diſcere, & huiuſmodi rerum indicia poſtulare. Sed hiſtoria hæc falſa eſt, neque vllam continet veritatis in ſe partem. Noſtra quidem nihil intereſt, quorſum cauſa contenditis exterminatos eſſe à terris deos: veritatne ſit conſtans, & fidei firmitate connixa: an contra mendacitet, & falſitatis alicuius fictione compoſita. No- H
bis enim ſatis eſt, quibus hodie manifeſtare propoſitum eſt, numina iſta, quæ promitis, ſi ſunt vſpiam gentium, atque iraſcuntur feruoribus incaleſcunt, non magis à nobis, quam à vobis accipere offenſionum furialium cauſas: & eſſe illam in rebus, & à vobis in commentarios relatam, & anniuerſariis quotidie perlegi, & futuri temporis per ſtructionem, per ordinem ſuccedentium tradi. Quæ ſi vnque vera eſt, nullam videmus ſubeſſe rationem, cur nobis nata perhibeantur dij cœleſtes, cum turpitudines illorum tantas neque prodidetimus, neque in literas contulerimus vllas, neque in publicam teſtificationem ſacrorum celebritatibus miſerimus. Sin autem (vt tenui) falſa eſt, & mendacijs interpolata fallacibus, ambigere hominum nullus poteſt, quin cauſa vos ſitis offenſæ, qui vel talia quoſdam conſcribere ſiueritis, aut conſcripta durare ſeculorum in memoria ſitis paſſi. Et tamen qui poteſtis falſitatis arguere conſcriptionem iſtam, cum ipſa ſacra ſint teſtimonio, quæ per curſus annuos factitatis, & credi à vobis eſſe vera, & explicatæ fidei iudicatis? Quid enim ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in deum matris intermittitis ſanctuario? Nun-

ne il-

A ne illius ſimilitudo eſt arboris, ſub qua ſibi furens manus & infelix adoleſcentulus intulit, & genitrix diuum in ſolatium ſui vulneris conſecrauit? Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis & circumuolutis ſtipitem? Nonne illarum repetitio lanarum eſt, quibus iam deficientem conteait, & temporis aliquid rata eſt ſe poſſe membris conciliare frigentibus? Quid compti violaceis coronis, & redimiti arboris ramuli? Nonne illud iudicant, vti mater primigenis floribus adornauerit pioum miſerabilis indicem teſtimonii, vnque fortunæ? Quid pectoribus applodentes palmas paſſis eum crinibus galli? Nonne illos referunt in memoriam luctus, quibus mater turrita cum Acdeſti lachrymabili poerum proſecuta eſt eiulatu? Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dediſtis nomen caſtus? nonne illius temporis imitatio eſt, quo ſe numen ab Cereris fruge violentia mœroris abſtinuit? Aut ſi ea, quæ dicimus, non ſunt ita, vos edifferatae, vos dicite: euiratuli iſti, mulli ſque quos intereſſe
B vobiſcum in iſtius numinis videmus ſacris, quidnam iſtic habeant negocij, ſolicitudinis, curæ: & cur more lugentium cædant cum pectoribus lacertos, & fortunam imitentur in lamentabili conſtitutorum ſorte? Quid coronæ? quid violæ? quid vulnera inullium velamenta lanarum? Cur ad vltimum pinus ipſa pauloante in dumis inertiſſimum ourans lignum, mox vt aliquod præſens atque auguſtiſſimum numen, deum matris conſtituatur in ſedibus? Aut enim hæc cauſa eſt, quam in veſtris ſcriptis & commentariis inuenimus: & manifeſtum vos eſt non diuinas conficere cæremonias, ſed imaginë triſtium redintegrare geſtorum: aut ſi alia ratio eſt, quam myſterij nobis abnegauit obſcuritas, & ipſa quoque neceſſe eſt turpitudinis alicuius participetur infamia. Quis eſt enim, qui credat honeſtatis aliquid in ea re eſſe, quam meant viles galli, effœminati conficiant exuleti? Poſtulat quidem magnitudo materiæ, atq; te ipſius defenſionis officium, vt ſimiliter cæteras turpitudinum ſpecies perſequamur: vel quas produnt antiquitatis hiſtoriæ, vel myſteria illa continent ſancta, quibus initiis nomen eſt, &
C quæ non omnibus vulgo, ſed paucorum taciturnitatibus traduntur: ſed ſacrorum innumeri ritus, atque affixa deſurmitas ſingulis, corporaliter prohibet vniuerſa nos exequi. quinimmo, vt verum expti mamus, à quibuſdam nos ipſi conſilio, & ratione deflectimus: ne dum explicare contendimus cuncta, expoſitionis ipſius contaminationibus polluamur. Fœdam igitur Fatuam, bona quæ dicitur dea, tranſeamus: quam myrteis cæſam virgis, quod marito neſciente ſeriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat Sexto de diis Græco: ſignumq; monſtrari, quod cum ei diuinam rem mulieres faciunt, vini amphora conſtituatur obtecta: nec myrteas fas ſit inferre verbenas: ſicut ſuis ſcribit in cauſalibus Butas. Sed & deos Conſenteis pari more ac diſſimulatione taceamus, quos cum cæteris ſcribit Flaccus in humani penis ſimilitudinem verſos obtuliſſe cineri, qui ſub ollula fuerat factus extorum: quem cum Tanaquil dimoueret Ethruſcæ diſciplinarum perita, ſurrexiſſe ſe deos, & nerui obduruiſſe diuinis: corniculæ inde impetratiſſe capituæ, vt intelligeret, & agnoſceret, quid ſibi res vellent: Ocriſiam prudentiſſimam fœminam diuos inſeruiſſe geni-
D tali: explicuiſſe motus certos. Tunc ſancta, & feruentia numina vim vomuiſſe Lucilij, ac regem Seruium natum eſſe Rumanum. Bacchanalia etiam prætermittamus immania, quibus nomen omophagus Græcum eſt: in quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus, atq; vt vos plenos dei nomine ac maieſtate doceatis, captorum reclamantium viſcera, cruentatis oribus diſſipatis. Necnon & Cypriæ Veneris abſtruſa illa initia prætereamus, quorum conditur indicatur Cinyras rex fuiſſe: in quibus fomentes ea certas ſtipes inferunt vt meretrici, & referunt phallos propitii numinis ſigna donatos. Obliuioni etiam Corybantia ſacra donentur, in quibus ſanctum illud myſterium traditur: frater trucidatus à fratribus, interempti ea ſanguine apium natum, prohibitum menſis vſus illud apponi, ne à manibus mortui inexplicabilis contraheretur offenſio. Sed & illa deſiſtimus bacchanalia altera prædicare: in quibus arcana & tacenda res proditur inſinuaturq; ſacratis: vt occupatus puerilibus ludicris, diſtractus ab Titanibus Liber ſit: vt ab iiſdem membratim ſectus, at-

quæ in ollulas coniectus vt coqueretur: quemadmodum E Iuppiter ſuauitate odoris illectus, inuocatus aduolarit ad prandium: compertaque re grauis graſſatores obruerit fulmine, atque in imas tartari præcipitauerit ſedes. cuius rei teſtimoniũ, argumentumq; fortunæ ſuis prodidit in carminibus vates Thracius. Talos, ſpeculum, turbines, volubiles rotulas, & teretes pilas, & virginibus aurea aſſumpta ab Heſperidibus mala, erat nobis conſilium præterire. præteruehi illa etiam myſteria, quibus Phrygia initiatur, atq; vniuers gens illa, niſi nomen interpoſitum his locis prohiberet nos ſtudio ſomnitas eius ignominiaq; tranſire: nũ quod nobis dulce ſit tam fœdis inequitare myſteriis, ſed vt ipſis vobis promptum etiam atque etiam fiat, quid in eos congeratis ſomniæ, quorum profitemini vos eſſe cuſtodes, vindices, veneratores. Quondam Dieſpiter (inquiũt) cum in Cererem matrem libidinibus improbis atque inconceſſis cupiditatibus æſtuaret, nam genitrix hæc Iouis regionis eius ab accolis traditur, neque tamen auderet id, quod procaci F appetitione conceperat, apertiſſima vi petere, ingenioſas comminiſcitur captiones: quibus nihil tale metuentem caſtitate immoueret genitricem: fit ea deo taurus, & ſub pecoris ſpecie ſubſeſſoris animum atque audaciam celans, in ſecuram & neſciam repente inſanit irruit vi furens, agit inceſtus res ſuas, & prodita per libidinem fraude, intellectus & cognitus euolat. ardeſcit furiis, atque indignationibus mater, ſpumat, anhelat, exæſtuat, nec fremitum continere tempeſtatemque irarum valens, ex continua paſſione Brimo deinceps vt appellaretur, aſſumpſit: neq; alia cordi eſt res ei, quam vt audaciam filii pœnis quibus potis eſt, perſequatur. Iuppiter ſatagit fractus metu: nec quibus remediis leniat violatæ animos, reperit: fundit preces, & ſupplicat: obſtructæ ſunt dolentis aures: allegatur deorum vniuerſus ordo, nullius auctoritas tanta eſt vt audiatur: ad poſtremum filius vias ſatisfactionis inquirens, comminiſcitur remedium tale. arietem nobilem bene grandibus cum teſticulis deligit, execat hos ipſe, & lanato eaue ea folliculi tegmine. accedens mœrens, & ſummiſſus ad matrem, & tanquam ipſe ſententia condemnaſſet ſe ſua, in gremium pro- G iicit, & iacit hos eius. virilitate pignoris viſa ſumit animum mitiorem, & concipit, fœtus reuocatur ad curam, parit menſem poſt decimum luculenti filiam corporis, quã ætas mortalium conſequens modò Liberam, modò Proſerpinã nuncupauit: quã cum verueceus Iuppiter bene validam, floridam, & ſucci eſſe conſpiceret pleniotis, oblitus pauloante quid malorum & ſceleris eſſet aggreſſus, & temeritatis quãtum, redit ad priores actus: & quia nẽfarium videbatur factus, partem cum filia cominus vaoria coniugatione miſceri, in draconis terribilem formam migrat: ingentibus ſpiris pauefactam colligat virginem, & ſub obtentu fero molliſſimis ludit atque adulatur amplexibus: fit vt & ipſa de ſemine fortiſſimi compleatur Iouis, ſed non eadem conditione qua mater. nam illa filiam reddidit lineamentis deſcriptam ſuis, at ea partu virginis tauri ſpecie ſuſa Iouialis monumenta pellaciæ. Auctorem aliquis deſiderabit rei, tum illum citabimus Tarentinum, notumq; ſenarium, quem antiquitas canit dicens: Taurus draconem genuit, & tau- H rum draco. ipſa nouiſſimè ſacra, & ritus initiationis ipſius, quibus Sebadijs nomen eſt, teſtimonio eſſe poterunt veritati: in quibus aureus coluber in ſinum dimittitur conſecratis, & eximitur ruſſus ab inferioribus partibus, atque imis. Non eſſe arbitror neceſſarium ſermone quoque hic multo membra ire per ſingula, quotæq; inſint in partibus prauis turpitudinem ſcatebræ flagitiorumq; monſtrare. Quis eſt enim mortalium vel exiguæ humanitatis ſenſum ferẽs, qui non ipſe peruideat qualia ſunt hæc omnia, quam ſcelerata, quam fœda, quantasque ignominias differant ea ipſis myſteriorum ſacris, & ex ſacrorum originibus indecoris? Iuppiter, inquit, ex iuſſis in Cererem. Quid tantum quæſo de vobis Iuppiter iſte, quicunque eſt, meruit, quod genus eſt nullum probri infame, adulterium nullum, quod in eius non caput velut in aliquam congeratis vilem luteamque perſonam? Matrimonij prodidit ius Leda: Iuppiter eſſe dicitur auctor culpæ. virginitatem Danæ cuſtodire nequiuit: furtum eſſe narratur Iouis. ad mulieris nomen properauit Europa, expugnatus pudicitiæ idem eſſe iacta ur.

A Alcmena, Electra, Latona, Laodamia, mille aliæ virgines, ac mille matres, cumque illis catamitus puer pudoris ſpoliatus eſt honeſtate: eadem vbique eſt Iuppiter fabula: neque vllum turpitudinis genus eſt, in quo eius non nomen conſociatis libidinibus conſeratis: vt videatur miſerabilis prorſus nullam non eſſe cauſam ob aliam natus, niſi vt eſſet criminum ſedes, maledictorum materia, locus quidam expoſitus in quem ſpurcitiæ ſe omnes ſcenarum colluuionibus deriuarent. quem tamen ſi diceretis cum extraneis habuiſſe commercium feminis, impia res quidem, ſed tolerabilis eſſet maledictionis iniuria. Etiamne in matrem, etiamne in filiã efferati pectoris appetitionibus adhinniuit? neq; illum ſanctitas, aut reuerentia genitricis, horror etiam pignoris ex ſe ſati, ab imagine potuit tam fœdæ cogitationis abducere? Vellem ita videre patrem illum deorum Iouem, æternam rerum atque hominum poteſtatem, bubulis eſſe cohoneſtatum cornibus: hirſutas agitantem aures, contractis in vngulas greſſibus ruminantem pallentes herbas, & ex parte poſtica caudam, ſuffragines, talos molliſſimos perlitum, atque inteſtina proluuie delibutum. B Vellem inquã videre (dicendum eſt enim ſæpius) torquentem illum ſydera, & qui pallidas nationes fragore perterret & proſternit: conſectantem veruecum greges, inſpicientem teſticulos arietinos, arripientem hos manu cenſoria illa atq; diuina, qua vibrare coruſcos ignes, & ſæuire fulminibus ſuetus eſt: tum deinde ſecreta rimantem feruenti ſmila, ſummotiſque arbitris circumiectas prolibus diripientem mẽbranulas ſeruentique adhuc matri velut quaſdam infulas eliciendæ miſerationis offerentem: deductum, pallidum, ſaucium, ſimulantem doloris cruces, & ad fidem facto faciendam arietino ſanguine coinquinatum, & mendacia vulneris lanæis faſcijs, linteoliſque contectum. Hoccine audiri, & perlegi ſub mundi hoc axe? & eos qui hæc tractant exiſtimari ſe velle pios, ſanctos, religionumq; cuſtodes? eſtne aliquod ſacrilegium hoc maius: aut vlla gens inueniri tam irreligioſis poteſt opinionibus prædita quam quæ talia credit, aut accipit, aut ſacrorum intimis in myſterijs prodit? Iuppiter ille, quicunque eſt, ſi ſentiret ſe eſſe, aut ſi vllo ſenſu afficeretur iniuriæ: nonne digna res eſſet propter quam iratus, & C percitus terram noſtris ſubduceret greſſibus: ſolis lumina extingueret, atq; lunæ, quinimmo res omnes in antiquæ ſpeciem confunderet vnitatis. Sed non ſunt, inquit, reipublicæ noſtræ hæc ſacra. Quiſnam iſtud dicit, aut quis repõnit? Romanus, Gallus, Hiſpanus, Afer, Germanus, aut Siculus? Et quid adiuuat cauſam, ſi veſtra hæc non ſunt, cum qui ea conficiunt, ſint veſtrarum partium? aut quid refert vtrumne ea probetis, necne: cum quæ veſtra ſint propria, aut ſimili fœditate, aut turpitudinis genere repetiantur eſſe maiore? Vultis enim conſideremus myſteria & illa diuina, quę Theſmophoria nominantur à Græcis: quibus gente ab Attica ſancta illa peruigilia conſecrata ſunt, & pannychiſmi graues? Vultis inquam videamus quas origines habeant, quaſve cauſas, vt Athenas etiam probemus, ipſas humanitatis artibus ſtudiiſq; pollentes tam in deos dicere contumelioſa, quam dicent alij: nec minora ab his probra, quam cæteris obnciantur à vobis, religionis ſub ſpecie publicari? Quodam, inquiunt, tempore cum in Siciliæ pratulis purD pureos legeret nondum mulier flores, & adhuc virgo Proſerpina: cumque illam per floream meſſem huc atque illuc paſſim lectiunis cupiditas auocaret, per profundæ altitudinis ſpeluncam rex proſiliens manium, raptam virginem ſecum vehit, & terrarum abſconditur ſucceſſibus rurſus. Quod cum factum neſciret Ceres, nec filia eſſet vbinam gentium, ſuſpicaretur, intendit animum perditam toto in orbe conquirere: ſumit faces geminas flammis comprehẽſas Ætnæis, quibus ſibi prælucens, pergit ue quæſitum terrarum in regionibus cunctis. in iſtius conquiſitionis errore Eleuſinos etiam peruehitur fines. pagi iſtud eſt nomen regionem Attica conſtituti, qui illud temporis has partes incolebant terrigenæ, quibus nomina hæc fuerant: Baubo, Triptolemus, capellarum Dyſaules cuſtos, Eubolens porcorum, gregis laniti Eumolpus: à quo & gens fluit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, & qui poſtea floruerunt caduceatores, hierophantæ, atque præcones. Igitur Baubo illa, quam incolam diximus Eleuſini fuiſſe pagi, malis multiformibus fatigatam accipit E hoſpitio Cererem: adulatur obſequijs mitibus: reficiendi corporis rogat curam vt habeat: ſitienti ardori oggerit potionem cynum, cyceonem quam noncupat Græcia. auerſatur, & reſpuit humanitatis officia mœrens dea, nec eam fortuna perpetitur valetudinis meminiſſe communis. Rogat illa, atque hortator contra (ſicut mos eſt in huiuſmodi caſibus) ne faſtidium ſuæ humanitatis aſſumat: obſtinatiſſime durat Ceres, & rigoris indomiti pertinaciam retinet. Quod cum ſæpius fieret, neque vllis quiret obſequijs ineluctabile propoſitum fatigari, vertit Baubo artes, & quam ſeriò non quibat allicere, ludibriorum ſtatuit exhilarare miraculis. partem illam corporis, per quam ſexus fœmineus & ſobolem prodere, & nomen ſolet acquirere generi: eam longiore ab incuria liberat: facit ſumere habitum puriorem & in ſpeciem leuigari nondum duri atque ſtriculi puſionis: redit ad deam triſtem: & inter illa communia, quibus mos eſt frangere ac temperare mœrores, retegit ſe ipſam: atque omnia illa pudoris loca reuelatis monſtrat F inguinibus: atque pubi affigit oculos diua, & inauditi ſpecie ſolaminis paſcitur. tum diffuſior facta per riſum aſpernatam ſumit atque ebibit potionem: & quod diu nequiuit verecundia Baubonis exprimere, propudioſi facinoris extorſit obſcœnitas. Calumniari nos improbè ſi quis forte hominum ſuſpicatur, libros ſumat Threicij vatis, quos antiquitatis memorant eſſe diuinæ: & inueniet nos nihil neque callidè fingere, neque quo ſint riſui deûm quærere atq; efficere ſanctitates: ipſos namque in medio ponemus verſus, quos Calliopes filius ore edidit græco, & cantando per ſecula iuri publicauit humano:

Sic effata, ſimul veſtem contraxit ab imo,
Obiecitq; oculis formatas inguinibus res,
Quas caua ſuccutiens Baubo manu, nam puerilis
Ollis vultus erat, plaudit, contrectat amicè.
Tum dea defigens auguſti luminis orbes,
Triſtitiam animi paulum mollita repoſuit:
Inde manu poclum ſumit, riſuq; ſequenti
Perducit totum cyceonis læta liquorem.

Quid Erichtheo ſati? quid ciues Mineruij dicitis? A- G uet animus ſcire quibus ſitis eloquijs tam periculoſa negocia defenſuri, vel artibus habeatis quibus tam confoſſis ſalutem dare perſonis, vulneribus, atque cauſis. Non eſt iſta falſa ſuſcepio, nec delatione appetimini calumnioſa: Eleuſiniorum veſtrorum notas & origines producunt turpes, & antiquarum elogia literarum: ipſa deniq; ſymbola, quæ rogati ſacrorum in acceptionibus reſpondetis: ieiunaui, atq; ebibi cyceonem, ex ciſta ſumpſi, & in calathum miſi: accepi rurſus, in ciſtulam tranſtuli. Ergone (vt promunt ſancta illa atque arcana myſteria) rapiuntur, & rapiunt dij veſtri? matrimonia copulant fraudibus appetita furtiuis? à repugnantibus, & inuitis decus virginitatis eripitur? imminentes neſciuntur iniuriæ? quidnam raptis acciderit, ignoratur? amiſſi quæruntur vt homines: & ſub ſole clariſſimo cum lucernis & facibus orbis peragrant vaſtitatem? afficiuntur, ægreſcunt, lugentium ſumunt ſordes, & miſerarum inſignia, atque vt animum commodare alimonijs poſH ſint, victuique ſumendo, non ratio, non tempus, non ſermo aliquis adhibetur grauis, aut affabilitas ſeria, ſed propudioſa corporum monſtratur obſcœnitas, obiectanturq; partes illæ, quas pudor communis abſcondere, quas naturalis verecundiæ lex iubet: quas inter aures caſtas ſine venia nefas eſt, ac ſine honoribus appellare præfatis. quid nam quæſo in ſpecie tali, quid in pudendis fuit reuerendiſque Baubonis, quod fœminei ſexus deam, & conſimili formatam membro in admirationẽ conuerteret, atq; riſum. quod obiectum lumini conſpectuiq; diuino, & obliuionem miſeriarum daret, & habitum in lætiorem repentina hilaritate traduceret? O qualia, ô quãta irridentes poteramus, cauillanteſq; depromere, ſi non religio nos gentis, & literarum prohiberet auctoritas? Iamdudum me fateor hæſitare, circumhiſcere, tergiuerſari, tricas (quemadmodum dicitur) conduplicare tellenas, dum pudor me habet alma illa proferre myſteria, quibus in Liberi honorem patris ithyphallos ſubrigit Græcia, & ſimulacris virilium faſcinorum territoria cuncta floreſcunt. Quid ſit iſtud, obſcurũ eſt fortitan,

A & qua fiat ratione diſquiritur: quiſquis iſtud ignoras, diſce: atque admiratus res tantas puris ſemper in ſenſibus meticuloſa obſeruatione cuſtodi. Cum inter homines (inquiunt) eſſet adhuc Nyſius & Semeleius Liber, noſſe inferos expetiuit, & ſub tartari ſedibus quidnam rerum ageretur, inquirere: ſed cupiditas hæc eius nonnullis difficultatibus impediebatur, quod qua iret ac pergeret inſcitia itineris neſciebat. Proſumnus quidam exoritur ignominioſus amator Dei, atque in nefarias libidines ſatis pronus, qui ſe ianuam Ditis, atque Acheruſios aditus pollicetur indicaturum, ſi ſibi gereret morem deus, atque vxorias voluptates pateretur ex ſe carpi. Deus facilis iurat poteſtatis futurum ac voluntatis ſe eius, ſed cum primum ab inferis compos voti atque expeditionis rediſſet. viam comiter Proſumnus ediſſerit, atque in limine ipſo proſtituit inferorum. intereà dum Liber Stygem, Cerberum, Furias, atque alias res omnes curioſa inquiſitione colluſtrat, ex viuentium numero
B index ille decidit, atque ea more ſepelitur humano: emergit ab inferis Euhyius, & recognoſcit extinctum ducem. Qui vt fidem compleret pacti, & iurandi ſolueret religione ſe iuris, locum pergit ad funeris, & ficorum ex arbore ramum validiſſimum præſecans, dolat, runcinat, leuigat, & humani ſpeciem fabricatur in penis: figit ſuper aggerem tumuli, & poſtica ex parte nudatus, accedit: ſubdit, inſidit. Laſciuia deinde luxuriantis aſſumpta, huc atque illuc clunes torquet, & meditatur ab ligno pati, quod iamdudum in veritate promiſerat. Ac ne quis forte à nobis tam impias arbitretur confictas res eſſe, Heraclito vt teſti non poſtulamus vt credat, nec myſteriis volumus quid ſuper talibus ſenſerit, ea ipſius accipiat lectione: totam interroget Græciam, quid ſibi velint Ithyphalli, quos per rura, per oppida mos ſubrigit & veneratur antiquus? inueniet cauſas eas eſſe quas dicimus, aut ſi ſuerit pudium veritatem ſimpliciter explicare, quid obſcurare, quid tegere cauſam ritus, atque originem proderit? cum criminatio ipſa religionis in re ſit. Quid dicitis ô gentes, quid occupatæ, quid deditæ templorum venerationibus nationes? Ad hæcne nos ſacra, flammis, exiliis, cædibus, atque reliquo genere ſuppliciorũ
C compellitis, & crudelitatis metu? hoſcine nobis deos imponitatis, inſinuatis, in flagitiis: quorum ſimiles nec vos eſſe, neque alium velitis quenquam ſanguinis vobis gradu, & iure familiaritatis adiunctum? Poteſtisne impubibus, & prætextatis veſtris, quas Liber induxerit, pactiones ſuis cum amatoribus indicare? Poteſtis veſtras nurus, quinimmo vobis matrimonio coniugatas ad verecundiam Baubonis impellere, atque ad pudicas Cereris voluptates? Vultis veſtri iuuenes ſciant, audiant, diſcant, Iuppiter ipſe qualis in vnam extiterit atque alteram matrem? Vultis adultæ virgines, robuſtique adhuc patres, idem iſte in filiam qua luſerit arte cognoſcant? Vultis germani iam feruidi, atque ex iiſdem ſeminibus fratres, eundem rurſus accipiant concubitus lectulos non eſſe aſpernatum ſororis? Ita ergo non protinus ab huiuſmodi fugiendum diis longe, ac ne irrepat in animum tam impuræ religionis obſcœnitas, audientia tota claudenda eſt? Quis eſt enim mortalium tam pudicis motibus inſtitutus, quem non ad huiuſmodi furias deo-
D rum documenta prouitent? Aut quis ſuas comprimere cupiditates à cognatis valeat reuerendiſq; perſonis, cum apud ſuperos ſanctum nihil in libidinum videat confuſione ſeruatum? Vbi enim primam perfectamq; naturam intra fines conſtiterit iuſtos cupidinem ſuam non valuiſſe frenare, cur non in promiſcuos appetitus effundat ſe homo, & ingenita fragilitate præceps datus, & magiſterio ſanctæ diuinitatis adiutus? Iamdudum me fateor reputantem mecum in animo rerum huiuſcemodi monſtra, ſolitum eſſe mirari audere vos dicere quenquam ex his atheum, irreligioſum, ſacrilegum, qui deos eſſe omnino aut negent, aut dubitent: aut qui eos homines fuiſſe contendant, & poteſtatis alicuius & meriti cauſa deorum in numerum relatos: cum ſi verum fiat atque habeatur examen, nullos quam vos magis huiuſmodi par ſit appellationibus nuncupari, qui ſub ſpecie cultionis plus in eos ingeratis maledictionum & criminum, quam ſi apertè hoc facere confeſſis maledictionibus combibiſſetis? Deos eſſe qui dubitat, aut eſſe omnino qui negat, quamuis ſe qui ſententias humanes opinionũ videa-
tur audacia, ſine vllius tamen inſectatione perſonæ fidem E
rebus non accommodat inuolutis: & qui generis aſſeuerat eos fuiſſe terreni, quamuis eos priuet ſublimitate cœlitum, ſubciſiuis tamen accumulat laudibus: ſiquidem illos diuinitatis ad meritum beneficiis autumat, & virtutum admirationibus ſubleuatos. Vos verò qui vindices, & eorum contenditis immortalitatis eſte propagatores, vnum ex his quempiam præteriſtis, tranſiſtis veſtris maledictionibus inuulneratum: aut genus vllum eſt probri tam communi exiſtimatione damnabile, quod in eos conferre metueritis, vel nominis ſaltem auctoritate tardati? Quis caduca & mortalia corpora deos edidit amaſſe? non vos? Quis illa furta dulciſſima in alienis genialibus perpetraſſe? non vos? Quis cum matribus liberos, quis cum ſuis virginibus rurſus patres infauſtos miſcuiſſe concubitus? non vos? Quis ſcitulos puſiones, atque adultos venuſtiſſimis lineis, appetitos eſte iniuſte? non vos? Quis abſciſſos, quis ex-
oletos, quis verſipelles, quis fures, quis in vinculis habitos, F
quis in catenis, quis deniq; fulminibus appetitos, quis vulneratos, quis obiiſſe ſupremos dies, ſepulturas etiam meruiſſe terrenas? non vos? Cum igitur à vobis tot & tanta cõflata ſint deorum in contumelias crimina, audetis obiicere noſtri nominis cauſa numinum eſſe offenſas mentes, cum iamdudum vos liqueat iſtarum eſſe tantarum reos, & diuinæ indignationis auctores? Sed erras, inquit, & laberis, ſatisq; te eſſe imperitum, indoctum, ac ruſticum ipſa rerum inſectatione demonſtras. Nam iſtæ omnes hiſtoriæ, quæ tibi turpes videntur, atque ad labem pertinere diuinam, myſteria in ſe continent ſancta, rationes miras, atq; altas: nec quas facile quiuis poſſit ingenij viuacitate pernoſcere. Neq; enim quod ſcriptum eſt, atque in prima eſt poſitum verborum fronte, id ſignificatur, & dicitur, ſed allegoricis ſenſibus, & ſubditiuis intelliguntur omnia illa ſecretis. Itaque qui dicit, cum ſua concubuit Iuppiter matre, non inceſtas ſignificat aut propudioſas Veneris complexiones, ſed Iouem pro pluuia, pro tellure Cererem nominat: Et qui rurſus perhibet laſciuias cum exercuiſſe cum filia, nihil de fœ-
dis voluptatibus loquitur, ſed pro imbris nomine ponit G
Iouem, in filiæ ſignificatione ſementem. Sic & ille, qui raptam Dite à patre Proſerpinam dicit, non vi Ceteris in turpiſſimos appetitus virginem dicit raptam, ſed quia glebis occulimus ſemina, iſſe ſub terras deam, & cum Orco ſignificat fœdera genitalis conciliare fœturæ. Conſimili ratione & in hiſtoriis cæteris aliud quidem dicitur, ſed intelligitur aliud, & ſub vulgari ſimplicitate ſermonis latet ratio ſecreta, & altitudo inuoluta myſterii. Argutiæ ſunt, vt apparet, atque acumina hæc omnia, quibus fulcire ſolenne eſt malas in iudiciis cauſas. Quinimmo (vt verius dicam) ſophiſticarum diſputationum colores, non quibus verum, ſed imago & ſpecies veri ſemper, atque vmbra conquiritur. Nam quoniam rectas accipere lectiones pudet, dedecet, Inclinatum eſt in has partes vt alia ſubiiceretur res alij, & in ſpeciem decoris, turpitudinis interpretatio cogeretur. Sed quid ad nos iſtud, an alii ſenſus, aliæque ſententiæ conſcriptionibus vanis ſubſint? Nobis enim ſatis eſt,
qui deos à vobis ſceleratè contendimus impieque tractari, H
quod ſcriptum eſt, quod auditur accipere, nec curare in abdito quid ſit, cum contumelia num num non in obſcura ſenſuum mente, ſed in verborum eminentium ſignificatione teneatur. Ac ne tamen videamur inſpicere quale ſit iſtud quod dicitur nolle: primum illud à vobis, ſi modo commodare patientiam vultis, exquirimus primum, allegorico genere vel ſcripta hæc eſſe, vel eodem modo intelligi oportere, vnde eſt vobis cognitum, vel vnde intimatum in conſilium ſcriptores aduocare? vos ſcilicet tũ in eorum pectoribus latitabatis, cum pro aliis res alias inter veritate capta ſubdebant? Deinde ſi illi rationis alicuius, & religionis metu myſteria illa conuoluere tenebroſa obſcuritate voluerũt, quantum vobis audaciæ eſt, vt quod illi noluerunt, vos velitis intelligere? vos ſcire & cunctorum ſubſternere notioni, quod illi fruſtra verbis minus verum ſignificantibus occulerunt? Sed, vt vobis aſſentiamur in fabulis his omnibus certas pro Iphigenijs dici, vnde tamen vobis liquet, cum allegorias iſtas vel explanatis, vel panditis, eadem vos interpretari, eademq; ſentire, quę ſub tacitis cogitationib. ipſis ab

A hiſtoricis ſenſa ſunt, nec per voces proprias, ſignificationib. ſed aliis explicata? Vos Iouis, & Cereris coitum, imbrem dicitis dictũ telluris in gremium lapſum: poteſt alius aliud & argutius fingere, & veri cum ſimilitudine ſuſpicari: poteſt aliud tertius, poteſt aliud quartus, atque vt ſe tulerint ingeniorum opinantium qualitates, ita ſingulæ res poſſunt infinitis interpretationibus explicari. Cum enim è rebus occluſis omnis iſta quæ dicitur allegoria ſumatur, nec habeat finem certum, in quo rei quæ dicitur, ſit fixa atq; immota ſententia, vnicuique liberum eſt in id quod velit attrahere lectionem, & affirmare id poſitum, in quod eum ſua ſuſpicio & coniectura opinabilis duxerit. Quod cum ita ſe habeat, qui poteſtis res certas rebus à dubiis ſumere, atq; vnam adiungere ſignificationem dicto, quod per modos videatis innumeros expoſitionum varietate deduci? Denique ſi ad commodum ducitis, etiam illud á vobis repetita interrogatione conquirimus, omnes de his fabulas exiſtimetis, id eſt ſingulas totas ambifarias ac bilingues, & verſi-
B pellibus eſſe ſcriptas modis? an alias earum partes nihil ambiguum dicere, alias verò multifidas atq; allegoricis tegminis ſuperiectione velatas? Si enim ad finem à capite teatus omnis expoſitionis & ſeries obtentionibus allegoricis clauſa ſunt, ediſſertate: monſtrate quid pro rebus ſingulis, quas vnaquæque eloquitur fabula, ſupponere debeamus, & promere, quasque in res alias atque intelligentias vocare. Vt enim Iouem pro pluuia, Cererem (verbi cauſa) pro terra vultis audire & pro Libero, ac patre Dite, ſubmerſionem ſeminis atq; iactum: ita dicere vos conuenit, quid pro tauro debeamus accipere, quid pro indignatione Cereris atq; ira: quid ſibi velit Brimo verbum, quid Iouis ſoliciti ſupplicatio? Quid allegati cœlites nec auditi? quid exectus arietis teſtes? quid exectis arietis proles? quid ſatisfactio hu facta? quid quæ rurſus geſta ſunt libidine obſcœniore cum filia? continuitur & in altera fabula Ennæa nemus, & flores, quid ſint? quid ſumptus ignis ex Ætna, comprehenſæque illæ faces? quid peragratio cum his orbis? quid Attica regio? quid Eleuſinius pagus? quid Baubonis tugurium atque ho-
C ſpitium ruſticanum? quid cyceonis ſignificet potio? quid aſpernatio potionis? quid nouatio, & reuelatio pudendorum? quid ſpectaculi flagitioſa dulcedo, & ea remediis talibus orbitatis obliuio comparata? Quod ſi pro his omnibus quod oporteat ſubiici rerum immutatione monſtratis, erit vt vobis aſſenſum ſuper tali aſſeueratione tribuamus. ſin autem ſingula in ſingulis neque poteſtis opponere, nec ad rerum vocare contextum: quid allegoriis obſcuratis honeſtis id, quod ſimpliciter ſcriptum eſt, & communem ad intelligentiam publicatum? Niſi fortè dicetis non toto in hiſtoriæ corpore allegorias has eſſe, cæterum partes alias eſſe communiter ſcriptas, alias verò dupliciter, & ambifaria obtentione velatas. Vrbana eſt iſta ſubtilitas, & quibuslibet brutis patens. Nam quia cuncta, quæ ſcripta ſunt, inexpeditiſſimum vobis eſt traducere, inuertere, deriuare, eligitis quædam veſtræ conuenientia voluntati. & ea ipſis obtineſe contenditis nothas atque adulteras lectiones interiori eſſe ſuperpoſitas veritati. Quod tamen vt vobis ita ſeſe habe-
D re (quemadmodum dicitis) annuamus, qui ſcitis, aut vnde cognoſcitis, vera pars ſit ſententiis hiſtoriæ ſcripta ſimplicibus, vera vero ſit diuiſis atque alienis ſignificationibus tecta? Poteſt enim fieri, vt quod vos exiſtimatis ſic eſſe, aliter ſe habeat: aut quod aliter creditis, conceptionibus aliis contrariiſque prolatum ſit. Vbi enim dicitur in vnius materiæ corpore pars eſſe allegoricè ſcripta, indubitabili altera ſermone, rectoque: nec ineſt in re ſignum, quod differentia iudicari ambiguorum poſſit ſimpliciterque dictorum, tam poteſt quod ſimplex eſt, ambiformiter dictum exiſtimari, quam quod ambigue ſcriptum eſt, recluſis eſſe obtenſionibus credi. Quod quidem quo genere aut fiat, aut fieri poſſe credatur, intelligere confitemur minimè poſſe. Inſpiciamus enim quod dicitur hoc modo. In nemore, inquit, Ennenſi quondam flores Proſerpina lectitabat. Integrum adhuc iſtud eſt, & recta pronunciatione prolatũ: nam & nemus & flores quid ſint, quid Proſerpina, quid virago, cunctis indubitabiliter notum eſt. Emicuit Summanus è terra curru quadriiugo vectitatus: ſimplex & hoc æque eſt: nam quadrigæ, currus, atque Summanus interpre-

tationem deſiderant nullam. Improuiſus Proſerpinam rapuit, & ſub terras ſecum auexit: ſeminis, inquit, abſtruſio E
raptiona in Proſerpinæ nuncupatur. quid accidit quæſo, vt in aliud ſubitò conuerteretur hiſtoria? ſemen Proſerpina diceretur? vt quæ virago iamdudum florum in lectionibus habebatur, poſtquam ſublata & rapta eſt, ſignificationem cœperit habere ſementis? Iuppiter, inquit, in taurum verſus, concubitum matris ſuæ Cereris appetiuit: vt expoſitum ſupra eſt, nominibus his tellus & labens pluuia nuncupatur. Legem allegoricam video tenebroſis ambiguitatibus explicatam. Irata Ceres eſt, & exarſit, & arietis proles pro pœna atque vltione ſuſcepit. Hoc iterum video communibus in proloquiis promptum: nam & ira, & teſtes, ſatisfactio, ſuis hic moribus, & conditionibus dicta ſunt. Quid ergo hic accidit, vt ab Ioue qui pluuiæ, & ab Cerere, quæ appellata eſt terra, res tranſiret ad verum Iouem, atque ad rerum ſimpliciſſimam dictionem? Aut igitur debent allegorico genere omnia eſſe ſcripta, & poſita, demonſtrandaque vniuerſa nobis: aut genere iſto conſcriptum eſt nihil: quoniam eſſe quod creditur, quaſi parte ex hiſtoriæ non F
videtur. Allegorico genere ſcripta ſunt hæc omnia. Minimè iſtud videtur certum. quæritis qua ratione, qua cauſa? quia omne quod geſtum eſt, & in alicuius operis euidentia conſtitutum eſt, conuerſionem non poteſt in allegoricam duci: neque enim poteſt infectum eſſe, quod factum eſt: aut rei geſtæ naturam alienam poteſt degenerare naturam. Nunquid bellum Iliacum in Socraticam verti condemnationem poteſt? aut pugna illa Cannenſis proſcriptio fieri crudelis atque Syllana? Poteſt quidem proſcriptio (quemadmodum Tullius ludit) pugna dici, appellarique Cannenſis. Sed quæ geſta eſt dudum pugna eſſe nõ poteſt, eademque proſcriptio. neque enim quod geſtum eſt, poteſt aliud, vi dici, quam id eſſe quod geſtum eſt, aut in alienam migrare ſubſtantiam id, quod in vi propria, atque in ſui generis qualitate defixũ eſt. Vnde igitur probamus hiſtorias has omnes rerũ eſſe geſtarum conſcriptiones? Ex ſolennibus ſcilicet ſacris atque initiorum myſteriis: vel quæ ſtatis fiunt temporibus, ac diebus, vel quæ in abdito tradunt gentes, moris proprij perpetuitate ſeruata. Neque enim G
credendum eſt ſine ſuis originibus hæc eſſe fruſtra, atq; inania fieri: nec habere coniunctas primis inſtitutionibus cauſas. Pinus illa ſolenniter quæ in matris infertur ſanctuarium deæ, nonne illius imago eſt arboris, ſub qua ſibi Atys virum demeſſis genitalibus abſtulit? & quam memorant diuam in ſolatium ſui conſecrauiſſe mœroris? Ithyphallorum illa faſcinorum pro ſubrectio, quos tribus annuis adorat & concelebrat Græcia, nonne illius facinoris ſimilitudinem refert, quo ſe à debito Liber liberauit? Eleuſina illa myſteria, & ſacrorum reconditi ritus, cuius memoriam continent? nonne illum errorem, quo in filiæ conquiſitione Ceres feſſa, oras vt venit ad Atticas, triticeas attulit fruges? Nebridarum familiam pelliculis cohoneſtauit hinnulæ: & illud ſpectaculum maximum Baubonis in inguinibus ſiſtit? aut ſi alia cauſa eſt, nihil ad nos iſtud, dummodo cauſa cuncta iſta conſtant. Neque enim credibile eſt, nullis antecedentibus cauſis ſuſcepta hæc eſſe: aut inſaniæ iudicandum eſt
Atticos, qui ſibi ritum religionis affixerint conflatum rationibus nullis. Quod ſi liquet, & conſtat, id eſt, ſi rebus actis myſteriorum cauſæ atque origines effluunt, in allegoricas ſpecies nulla poſſunt conuerſione traduci. quod enim factum, geſtum eſt, infectum non poteſt fieri rerum prohibente natura. Et tamen vt vobis ita ſe habere aſſentiamur res iſtas, id eſt, vt hiſtoriæ aliud verbis ſonent neſcio quid, aliud more hariolantium dicant, ita non animaduertitis, non videtis quanta iſtud dicatur & cum ignominia fieri, contumeliaq; diuorum? an iniuria grauior vlla potis eſt reperiri, quam terram, & pluuiam, vel quodlibet aliud (nihil enim refert quæ fiat interpretatione conuerſio) Iouis & Cereris dicere atque appellare concubitum? & cum deorum criminibus labem imbris è cœlo, & telluris ſignificare madorem? Poteſt irreligioſius quippiam vel exiſtimari, vel credi, quam ſemina terris merſa, vel quodlibet aliud (nihil enim ſimiliter refert) raptum Proſerpinæ dicere, & cum nota Diti ſpatris ruſticæ dei proloqui? Nonne mille eſ optatius fuit elinguem fieri atque mutum, atque ſcaturigi- H

A nem iſtam vocis, & ſtrepitum fœdæ loquacitatis amittere, quam deorum nominibus res appellare turpiſſimas, quinimmo turpibus deorum factis negocia ſignificare vulgaria? Ante amos tuerat allegoricas dictiones honeſtiſſimis ſenſibus obumbrare, res turpes, & fœdas prolatu, honeſtorum conueſtiri dignitate. At verò vobis auctoribus per turpitudinem dicuntur res graues, & caſtitate pollentia obſcœnis commorantur in vocibus: vt quod olim grauitas fœdæ rei verecundia contegebatur, nunc ſcurriliter, turpiterq; dicatur digna res elocutione mutata. Quod in adulterio dicimus Martem, inquit, & Venerem Vulcani eſſe circumretitos arte, cupiditatem dicimus atque iram, vi preſſas conſilioq; rationis. Quid enim prohibebat, quid obſtabat ſuis vnamquamq; rem verbis, & ſuis ſignificationibus promere? immo quid vrgebat cum neſcio quid indicare per commentarios & ſcripta voluiſſet, nolle illud intelligi quod indicaret: ſed contrarias res ſimul vna expoſitione B ſuſcipere, ſtudium docere cupientis, & nolentis oſtendere malignitatem? an deos adulteros dicere periculum habuit nullum? Prolatura cupidinis atque iræ, linguam & os fuerant obſcœno conquinatura contactu? Quod ſi vtique fieret, & allegoricæ cæcitatis obumbratio tolleretur, & facilis ad diſcendum res eſſet, & deorum dignitas conſeruaretur illæſa. Nunc verò cum dicitur in Martis & in Veneris vinctione vitiorum eſſe ſignificata compreſſio, peruerſiſſimæ res duæ ſimul iiſdem temporibus fiunt, vt & fœdæ rei ſpecies intellectũ ſubiiciat honeſtatis, & prius animum turpitudo quam religionis alicuius perſtringat auctoritas. Niſi fortè dicetis, hoc enim ſolum reſtat, quod à vobis poſſe videatur opponi, deus ſua myſteria nolle ab hominibus ſciri: & idcirco hiſtorias ambagibus eſſe allegoricis ſcriptas. Et vnde vobis eſt liquidum, quod hominibus ſuperi nolint ſua myſteria publicari? Vnde illa vos ſcitis, aut cur ea diſſoluere in allegoricarum explanationem curatis? Ad extremum & vltimum, quid ſibi dii volunt, vt honeſta cum nolint, turpiſſima de ſe dici atque indecora patiantur? Atyem cum C nominamus, ſolem (inquit) ſignificamus, & dicimus: ſed ſi Atys ſol eſt (quemadmodum connumeratis, & dicitis) quis erit Atys ille, quem in Phrygia genitum veſtræ produnt atque indicant literæ? quem paſſum eſſe res certas, feciſſe item res certas: quem in ſpectaculis ludicris theatra vniuerſa nouerunt, cui inter ſacros cultus res videmus fieri ſpecialiter annuas, numinatimque diuinas? vtrumne ab ſole ad hominem, an ab homine ad ſolem vocabuli huius facta tranſlatio eſt? Si etenim nomen iſtud principaliter habet originem ſolis, quid tandem de vobis ſol aureus meruit, vt ei cum ſemiuiro faceretis vocabulum illud eſſe commune? ſin hirquinum, & Phrygium eſt, quid Phaethontis genitor, pater huius luminis & claritatis admiſit, vt abſciſſo ab homine dignus videretur vocari, & auguſtior fieret, euirati corporis nuncupatione ſignatus? Sed quid ſit iſtud, iam promptum eſt omnibus: nam quia talium ſcriptorum, hiſtoriarumque vos pudet, nec aboleri videtis poſſe ea quæ ſunt fœde ſemel in commentarios relata, niti nunc cohoneſtare res turpes, atque omnibus argutiarum modis pro rebus ſubditis verborum inuertitis corrumpitisque naturas: atque D vt olim accidere male ſanis aſſolet, quorum turbida vis, morbi ſenſum, atque intelligentiam depulit, confuſa atque incerta iactatis, & inanium per rerum figmenta bacchamini. Eſto in Iouis, & Cereris coitu irrigatio ſit ſignificata telluris: occultatio ſeminis patris in Ditis captu, vina per terras ſparſa diſtractis in viſceribus Liberi, cupiditatis & temeritatis compreſſio, colligatio dicta ſit adulteriorum Veneris atque Martis. Sed ſi fabulas has vultis more eſſe allegorico ſcriptas, quid cæteris fiet quas non videmus poſſe verſuras in huiuſmodi cogi? Quid enim ſubiicietemus pro illis ſultibus, quos ſuper aggerem tumuli Semeleiæ ſobolis origo contorſit? Et quid pro illis Ganymedibus partis, atque in libidinum magiſteria ſubſtitutis? Quid pro illa conuerſione formiculæ, in quam Iuppiter maximus vaſtitatis ſuæ lineamenta contraxit? Quid pro cycnu, & ſatyris? quid pro aureis imbribus, in quos idem ſe pellax fraude induit perfida, formarum varietatibus ludens? Ac ne de Ioue ſolo loqui videamur voluiſſe, in amoribus numinum reliquorum eſſe allegoriæ quæ poſſunt? quæ in mercenariis conditionibus, ac ſeruitutibus? quæ in vinculis, orbitatibus, E planctibus? quæ in cruciatibus, vulneribus, ſepulchris? in quo cum vnam contrahere poſſetis culpam conſcriptione de ſuperis tali, addidiſtis (vt dicitur) gangrænam, cum deorum nominibus appellauiſtis res turpes, & vocabulis rurſus deos rerum coinquinauiſtis infamium. Quod ſi adeſſe hic eos, aut eſſe illos vſpiam cognitione indubitabile crederetis: in mẽtione illorum facienda præſtringeret vos metus: & tanquam vos audirent, veſtrasq; acciperent voces, ita credi oportuit, & haberi in cogitatione defixum. Apud enim homines officioſis religionibus deditos non ipſi dij tantum, verumetiam nomina debent eſſe deorum reuerenda: quantumque eſt in ipſis, qui cenſentur his nominibus, tantum eſſe par eſt in eorum appellationibus dignitatis. Ad veram iudicii formam, & in illa eſtis reprehenſionis parte, quod in vſu ſermonis veſtri Martem pro pugna appellatis, pro aquis Neptunum, Liberum patrem pro vino, Cererem pro pane, Mineruam pro ſtamine, pro obſcœnis libidinibus Venerem. Quæ eſt enim ratio, vt cum ſuis cenſeri appellatio- F nibus res poſſint, numinibus cognominentur deorum? & ea fiat numinibus contumelia, quam nec homines ſuſtinemus, ſi noſtra quis nomina res ducat, atque inuertat in friuolas? Sed oratio ſordida eſt, verbis fuerit polluta ſi talib. Verecundia laude condigna, erubeſcitis panem & vinum nominare, & pro coitu Venerem non metuitis dicere.

ARNOBII DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES

LIBER VI.

NVnc quoniam ſummatim oſtendimus, quam impias de diis veſtris opiniones conſtitueritis infamias, ſequitur vt de G templis, de ſimulachris etiam, ſacrificiiſq, dicamus: deq; alia ſerie, quæ his reb. annexa eſt, & vicina copulatione coniũcta. in hac enim conſueſtis parte crimen nobis maximum impietatis affigere; quod neq; ædes ſacras venerationis ad officia conſtruamus, non deorum alicuius ſimulachrum cõſtituamus, aut formã: non altaria fabricemus, non aras, nõ cæſorum ſanguinem animantium demus, non thura, neque fruges ſalſas, non denique vinum liquens paterarum effuſionibus inferamus: quæ quidem nos ceſſamus non ideo vel exædificare, vel facere, tanquam impias geramus & ſceleroſas mentes, aut aliquem ſumpſerimus temeraria in deos deſperatione contemptum: ſed quod deos arbitramur, & credimus, ſi modo dii certi ſunt, & nominis huius eminentia præditi, honorum hæc genera aut riſui habere, H ſi rideant, aut indigne perpeti, ſi motibus exaſperentur irarum. Vt enim noſcatis quid de iſto nomine ſentiamus, iudiciiq; ſimus cuius, exiſtimamus nos eos (ſi modo dij certi ſunt, vt eadem rurſus ſociateq; dicantur) cunctarum eſſe debere perfectarumq; virtutum, ſapiẽtes, iuſtos, graues, ſi modò nulla eſt culpa, quod eos laudibus accumulamus humanis, inteſtinis pollentes bonis, nec extraneis adminiculis indigere: quod illis integritas inoffenſæ beatitudinis compleatur: ab affectibus cunctis, & cunctis perturbationibus liberos: non ira efferuere, non vllis cupiditatibus excitari, calamitatem irrogare nullis, non ex malis hominum crudelem accipere voluptatem, non terrere portentis, nõ prodigioſas oſtentare formidines, non votorum debitis habere obnoxios & obligatos, nec piaculares hoſtias ſignis minacibus poſtulare, non peſtilentias, non morbos, corruptione aeris inducere, non adurere ſiccitatibus fruges, non cædibus intereſſe bellorum, non vrbium ſtragibus, nõ aduerſis his velle, non alterũ commoditatibus ſuffragari: ſed quod magnarum eſt mentiũ, pari pendere cunctus lance, & indiuiduas cũctis beneuolẽtias exhibere, Caduci enim generis,

&in-

A & infirmitatis humanæ eſt contrariis egere, eoſq; quos tan-
gat affectio, pati dolorem, diminui ſapientum ſcita & pro-
nunciata definiunt: nec poſſe aliter fieri, quin legibus mor-
talitatis aſtricti ſint, qui ſint vllis perturbationib. mancipa-
ti. Quod cum ita ſe babeat, qui poſſemus iudicari, deos
habere contemptui? quos niſi ſunt recti, & magnarum
mentium admiratione laudabiles, deos negamus exiſte-
re, nec poteſtatibus poſſe cœlitum applicari. Sed templa il-
lis extruimus nulla, nec eorum effigies adoramus, non ma-
ctamus hoſtias, non thura ac vina libamus. Et quid ampli-
us poſſumus vel honoris eis attribuere, vel dignitatis, quam
quod eos in ea ponamus parte, qua rerum caput, ac domi-
num, ſummumq; ipſum regem, cui debent diuina nobiſ-
cum quod eſſe ſe ſentiunt, & vitali in ſubſtantia contineri?
Nunquid enim delubris aut templorum eum conſtructio-
nibus honoramus? Nunquid et hoſtias cædimus? Nun-
quid alias res damus, quas libare, profundere non eſt rati-
onis expenſæ, ſed tracti per conſuetudinem moris? Etenim
B plena dementia eſt, neceſſitatibus tuis potentiora metiri, &
quæ tibi ſint vſui datoribus dijs dare, & honorem iſtum,
non contumeliam ducere. Templa igitur quærimus, in
deorum quos vſus? aut in rei cuius neceſſitatem, aut diciris
eſſe conſtructa, aut eſſe rurſus ædificanda cenſetis? Hyema-
lia ſentiunt frigora, aut ſolibus torrentur æſtiuis, pluuiali-
bus nimbis perfluunt, ventorum eos aut turbines vexant,
incurſionem pati periclitant ut hoſtilem, ferarum aut rabi-
dos appetitus? vt meritò illos conueniat tectorum muniti-
onibus claudere, ſaxorum aut obiectione tutari? Templa
enim hæc quid ſunt? Si humanam infirmitatem roges, ne-
ſcio quid immane, atq; amplum: ſi deorum potentiam me-
tiaris, ſucceſſus quidem parui, atq; (vt verius eloquar) genus
anguſtiſſimum cauernarum paupertini cordis excogitatio-
ne ſuſpenſum. Quorum ſi quæris audire quis prior fuerit
fabricator, aut Phoroneus Ægyptius, aut Merops tibi fuiſſe
monſtrabitur: vt tradit in admirandis Varro, Iouis proge-
nies Æacus. Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis
ſtructa, laquearibus aut renideant aureis, ſplendeant hic
C gemmæ, & ſydereos euomant variata interſtitione fulgo-
res: terra ſunt hæc omnia, & ex fæce vltima vilioris materiæ
concreta. Neque enim, ſi vos ea pretiis carioribus pendi-
tis, delectari credendum eſt his deos: nec recuſare, nec
ſpernere quo minus ſe ſepiant, & eorum obiectionibus
coerceantur incluſi. Templum, inquit, hoc Martis eſt, hoc
Iunonis, & Veneris: Apollo hic habitat, in hoc manet Her-
cules, illo Summanus. Iſta non prima & maxima contu-
melia eſt, habitationibus deos habere diſtrictos? tuguriola
bis dare, conclauia, & cellulas fabricari, & eis exiſtimari ne-
ceſſarias res eſſe, quæ hominibus, felibus, quæ ſunt formi-
culis, & lacertis, quæ fugacibus, pauidis, atq; exiguis mu-
ribus? Sed non, inquit, idcirco attribuimus diis templa,
tanquam humidos ab his imbres, ventus, pluuias arcea-
mus, aut ſoles: ſed vt eos poſſimus coram & cominus
contueri, affari de proximo, & cum præſentibus quodam-
modo venerationum colloquia miſcere. Sub axe enim nu-
do, & ſub æthereo tegmine inuocati ſi fuerint, nihil audi-
D unt: & niſi de proximo admoueantur his preces, tanquam
nihil dicatur, obſtructi, atq; immobiles ſtabũt. Atquin nos
arbitramur omnem deum omnino, ſi modo nominis huius
vi pollet, ex quacunque mundi parte, quodquiſque fuerit
locutus, tanquam ſi ſit præſens, audire debere: immo quod
quiſque conceperit ſub obſcuris & tacitis ſenſibus cogniti-
one anticipata præſumere: atque vt aſtra, ſol, luna, cum ſu-
pra terras meant, omnibus omnino cernentib. ſtatim ſunt
& vbiq; præſentes, ita quoq; conuenit audientiam numinũ
nulli eſſe clauſam linguæ, ſemperq; eſſe præſentem: quam-
uis ad eam voces regionibus ex diſtantibus confluant. Hoc
eſt enim proprium deorum, complere omnia vi ſua, nõ par-
tiliter vſpiam, ſed vbiq; eſſe totos: non adeſſe, non abeſſe,
non cœnatum ad Æthiopas pergere, & poſt dies biſſenos
priuatum ad domicilium redire. Quod ſi ita non erit, tol-
litur omnis ſpes opis, & erit in dubio audiamur ab diis, nec
ne: ſi quando res ſacras cæremoniarum conficitis debitis.
Conſtituamus enim noſcendæ rei cauſa, templa numinis a-
licuius eſſe apud Canarias inſulas, eiuſdem apud vltimam
Thylem: eiuſdem apud Seras eſſe, apud furuos Garaman-

E tas, & ſi qui ſunt alij, quos ab ſui notitia maria, montes, ſyl-
uæ, & quadrini diſterminant cardines. Si omnes vno in tẽ-
pore rebus diuinis factis, quod ſua quoſque neceſſitas cogi-
tare compellit poſcant de nomine, referendi beneficij quæ-
nam omnibus ſpes erit, ſi non vndiq; ad ſe miſſam vocem
deus exaudiet? & erit vlla longinquitas, quo penetrare non
poſſit auxilium poſcentis oratio? aut enim nullis erit in par-
tibus præſens, ſi vſpiam poterit aliquando non eſſe, aut ad-
erit vnis tantum, quoniam præbere communiter ſuum nõ
poteſt atq; indiſcretus auditum. At ita perficitur, vt aut
nullis deus opituletur omnino, ſi occupatus re aliqua ad
audiendas voces non quiuerit aduolare: aut exaudiri tan-
tummodo vnis abeant ſoli, nihil agerent cæteri. Quid quod
multa ex his templa, quæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus
elata faſtigiis, auctorem conſcriptionibus comprobatur cõ-
tegere cineres atque oſſa, & functorum eſſe corporum ſe-
pulturas. Nonne patet, & promptum eſt, aut pro diis im-
mortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri no-
minibus contumeliam, quorum delubra & templa mortu-
F orum ſuperlata ſunt buſtis? In hiſtoriarum Antiochus no-
no, Athenis in Mineruio memorat Cecropem eſſe man-
datum terræ: in templo rurſus eiuſdem, quod in arce Lariſ-
ſæ eſt, conditus ſcribitur atque indicatur Acriſius. Erich-
thonius Poliadis in fano, Dairas & Immarnachus fratres, in
Eleuſinis conſepto, quod ciuitati ſubiectum eſt. Quid Ce-
lei virgines, non in Cereris Eleuſinæ humatæ habere perhi-
bentur officia? non in Dianæ delubro, quod in Apollinis
conſtitutum eſt Delij, Hyperoche, Laodiceque? quas adue-
ctas illuc eſſe finibus ex Hyperboreis indicatur. in Didy-
mæo Mileſio Cleochum dicit habuiſſe ſuprema Leandrius.
funeris Leucophrynæ monumentum in fano apud Magne-
ſiam Dianæ eſſe, Myndius profitetur ac memorat Zeno.
ſub Apollinis arula, quæ Telmeſſi apud oppidum viſitur,
Telmeſſum eſſe conditum vatem, non ſcriptis conſtantib.
indicatur? Ageſarchi Ptolemæus de Philopatore quem edi-
dit primo, Cinyram regem Paphi cum familia omni ſua,
immo cum omni proſapia in Veneris templo ſitum eſſe li-
terarum auctoritate declarat. Infinitum eſt & immenſum,
quibus quique in fanis toto ſint in orbe deſcribere: nec ex-
actam deſiderat curam, quam pœnam conſtituerit Ægyptus
G in eum qui publicaſſet, quibus Apis iaceret abſconditus:
polyandria illa Varronis quibus templis contegantur, quas-
que in ſe habeãt ſuperlata põderis moles. Sed quid ego hæc
parua? regnatoris in populi Capitolio quis eſt hominum
qui ignoret Toli eſſe ſepulchrum Volcentani? Quis eſt, in-
quam, qui non ſciat ex fundaminum ſedibus caput homi-
nis euolutum non ante plurimum temporis, aut ſolum ſine
partibus cæteris (hoc enim quidam ferunt) aut cum mem-
bris omnib. humationis offi. ia ſortitum? Quod ſi planum
fieri teſtimoniis poſtulatis auctorum, Sammonicus, Gra-
nius, Valerianus vobis & Fabius indicabunt: cuius Tolus
fuerit filius, gentis & nationis cuius, vt à germani ſemulo
vita fuerit ſpoliatus & lumine: quid de ſuis commeruerit
ciuibus, vt ei ſit abnegata telluris patriæ ſepultura. Con-
diſcetis etiam, quamuis nolle iſtud publicare ſe fingant,
quid ſit capite relecto factum, vel in parte qua rei curioſa
H fuerit obſcuritate concluſum: vt immobilis videlicet atque
fixa obſignati ominis perpetuitas ſtaret. Quod cum op-
primi par eſſet, & vetuſtatis obliteratione celari, compo-
ſitio nominis iecit in medium, & cum ſuis cauſis per data
ſibi tempora inextinguibili fecit teſtificatione procedere:
nec erubuit ciuitas maxima, & numinum cunctorum cul-
trix, cum vocabulum templo daret, ex Toli capite capito-
lium quam ex nomine Iouio nuncupare. Satis igitur, vt
opinor, oſtendimus templa diis immortalibus aut inani-
ter eſſe conſtructa, aut contra decus, & potentiam cre-
ditam commelioſis opinationibus fabricata. Sequitur vt
de ſignis aliquid, ſimulachriſque dicamus: quæ multa
arte componitis, & religioſa obſeruatione curatis: qua in
parte ſi fides eſt vlla, conſtituere apud nos ipſos nullis con-
ſiderationibus poſſumus, vtrumne iſtud ſerio & cum
propoſito faciatis graui, an ridendo res ipſas puerili hal-
lucinatione ludatis. Si enim certum eſt apud nos deos eſ-
ſe, quos remini, atque in ſummis cœli regionibus degere,
quæ cauſa, quæ ratio eſt, vt ſimulachra iſta finganur à

A vobis, cum habeatis res certas, quibus preces poſſitis effundere, & auxilium rebus in exigentibus poſtulare? Sin autem non creditis, aut (vt mediocriter dicatur) ambigitis: etiam ſic, ratio quænam eſt dubiorum fingere atque inſtituere ſimulachra? & quod eſſe non credas ventoſa imitatione formare? An nunquid dicitis fortè præſentiam vobis quandam his numinum ſubexhiberi ſimulachris, & quia deos videre non datum eſt, eos ita coli, & munia officioſa præſtari? Hoc qui dicit, & aſſerit, deos eſſe non credit: nec habere conuincitur ſuis religionibus fidem, cui opus eſt videre, quod teneat: ne inane fortè ſit, quod obſcurum non videtur. Deos (inquitis) per ſimulachra veneramur. Quid ergo, ſi hæc non ſint, coli ſe dij neſciunt, nec impertitâ vobis vllum ſibi exiſtimabunt honorem? Per tramites ergo quoſdam, & per quædam fideicommiſſa (vt dicitur) veſtras ſumunt, atque accipiunt culturas: & antequam hi ſentiant, quibus illud debetur obſequium, ſimulachris litatis prius, & velut reliquias quaſdam aliena ad illos ex au-

B ctoritate tranſmittitis. Et quid fieri pote eſt iniurioſius, contumelioſius, durius, quàm Deum alterum ſcire, & rei alteri ſupplicare? opem ſperare de numine, & nullius ſenſus ad effigiem deprecari? Nónne illud eſt quæſo, quod in vulgaribus prouerbijs dicitur, Fabrum cædere cùm ferias fullonem? & cum hominis conſilium quæras, ab aſellis, & porculis, agendarum rerum ſententias poſtulare? Et vnde notiſſime ſcitis an ſimulachra hæc omnia, quæ dijs immortalibus vicaria ſubſtitutione formatis, ſimilitudinem referant, habeantque diuinam? Poteſt enim fieri, vt barbatus in cœlo ſit, qui eſſe à vobis effingitur læuis: poteſt vt leuectute prouectior, cui puerilem commodatis ætatem: poteſt vt hic flauus ſit, qui in veritate habeat oculos cęſios, diſploſas vt geſtitet nares, quem eſſe vos facitis, figuratiſque naſicam. Neque enim rectum eſt dicere, aut appellare ſimulachrum, quod non pariles lineas principali ab ore traducat: quod eſſe planum & certum, manifeſtis poterit à rebus agnoſci. Nam cum omnes homines teretem eſſe ſolem indubitabili luminum contemplatione videamus: os illi vos ho-

C minis, & mortalium corporum lineamenta donatis. Luna ſemper in motu eſt, & ter denas facies in reſtitutione accipit menſtrua: vobis ducibus, & figuratoribus fœmina eſt, vultuque eſt vno, quæ per habitus mille quotidiana inſtabilitate mutatur. Intelligimus omnes ventos aëris eſſe fluorem, pulſos, & mundanis rationibus concitatos: per vos hominum formæ ſunt buccinarum animantes tortus inteſtinis & domeſticis flatibus. Inter deos videmus leones toruiſſima facie mero oblita minio, & numine frugiferio nuncupari. Si ſimulacra hæc omnia ſuperiorum ſunt imagines numinum, ergo & in cœlo habitare dicendus eſt Deus talis, ad cuius formam & ſpeciem ſimulachri huius ſimilitudo directa eſt: & videlicet vt hic iſte, ita illic ille, ſine reliquo corpore perſona eſt, & facies ſola, fremebundus hiatibus toruidis, dirus, ſanguineo de gutture malum dentibus ſuis comprimens, atque vt olim feſſi canes linguam ore de patulo pituitate proijciens. Quod ſi vtiq; non eſt, ita vt omnes exiſtimamus non eſſe, quænam tanta audacia eſt, formam tibi quam voluens fingere, ac credere eſſe ſimulacrū Dei, quem probare non poſſis vlla eſſe in parte naturæ? Ri-

D detis temporibus priſcis Perſas fluuios coluiſſe, memoralia vt indicant ſcripta, informem Arabas lapidem, acinacem Scythiæ nationes, ramum Progues Theſpios, lignum Catios pro Diana indolatum: Peſſinuntios ſilicem pro deûm matre: pro Marte Romanos haſtam, Varronis vt indicant muſæ: atque (vt Ethedius memorat) ante vſum diſciplināque fictorum, puteum Samios pro Iunone: & abſtinetis à riſu cum pro dijs immortalibus ſigillolis hominum, & formis ſupplicatis humanis? Quinimmo deos eſſe ſigillaria ipſa cenſetis, nec præter hæc quicquam vim creditis habere diuinam. Quid dicitis ô illi, ergóne dij cœlites habent aures, & tempora, ceruices, occipitium, ſpinam, lumbos, latera, poplites, nates, ſuffragines, talos, membraque alia cætera, quibus conſtructi nos ſumus, & quę prima in parte paulo plenius dicta ſunt, & ſcripto vberiore prolata? Vtinam liceret intro ſpicere ſenſus veſtros, receſſuſque ipſos mētis, quibus varias voluitis, atque intus obſcuriſſimas cogitationes: reperiremus & vos ipſos eadem ſentire, quæ nos: neq;

alias gerere ſuper numinum figuratione ſentētias. Sed ſtudijs facere quid peruicacib. poſſumus, quid intentantibus E gladios, nouaſque excogitantibus pœnas? Animantis aſſeritis malam ſcientiſſimi cauſam, & quod ſemel ſine ratione feciſtis, ne videamini aliquādo neſciſſe, defenditis: meliuſque putatis non vinci, quàm confeſſæ cedere atque annuere veritati. Ex huiuſmodi cauſis illud etiam vobis conniuētibus conſecutum eſt: vt in deorum corporibus laſciuiæ artificum luderent, darentque his formas, quæ cuilibet triſti poſſent eſſe deriſui. Itaque Hammon cum cornibus iam formatur & fingitur arietinis: Saturnus cum obunca falce, cuſtos ruris vt aliquis ramorum luxuriantium tonſor: cum petaſo gnatus Maiæ, tanquàm vias aggredi præparet, & ſolem, puluere mq; declinet: Liber membris cum mollibus, & liquoris fœminei diſſolutiſſimus laxitate: Venus nuda, & aperta, tanquam ſi illam dicas publicare, diuendere meritorij corporis formam: cum pileo Vulcanus, & malleo, manu liber ſed dextera, & fabrili expeditione ſuccinctus: F cum plectro & fidibus Delius cithariſtæ geſtus ſeruans, cātaturi & nænias hiſtrionis: cum fuſcina rex maris, tanquam illi pugna ſit gladiatorij obeunda certaminis: neque vllum eſt repente figmentum alicuius numinis, quod non habitus certos ferat fabrorum liberalitate donatos. Ecce ſi aliquis, vobis neſcientibus & ignaris, fur vrbanus & callidus ex foribus ſuis ſolem tollat, & in Mercurij transferat ſedem: Mercurium rurſus arripiat, atque in ſolis faciat commigrare delubrum (vterque enim à vobis glaber, atque ore compingitur læui) detque huic radios, ſolis capiti petaſunculum ſuperponat: quibus modis internoſcere poteritis vtrumne ſol iſte ſit, an ille Mercurius, cum habitus vobis deos, non oris ſoleat proprietas indicare? Conſimili rurſus tranſlatione ſi nudo Ioui cornua detrahat, & Martis temporibus affigat, Martem armis ſpoliet, & his rurſus circumcludat Hammonem: interſtitio fieri quæ poterit ſingulorum, cùm qui Iuppiter fuerat, idem poſſit exiſtimari Mars eſſe, & qui Mauors fuerat, ſubintroire ſpeciem Iouis poſſit Hammonis? Vſque adeò ludus eſt ſimulacra iſta cōfingere, nomina illis tanquam propria dedicare, quibus G ſi habitum detrahas, tollatur cognitio ſingulorum: deus pro deo credi, alter videri pro altero, immo pro vtroque vterque poſſit exiſtimari. Sed quid ego dijs datas falces & fuſcinas rideo? quid cornua, malleos, & galeros, cùm ſimulacra quædam ſciam certorum eſſe hominum formas, & infamium lineamēta meretricum? Quis eſt enim qui ignoret Athenienſes illos Hermas Alcibiadis ad corporis ſimilitudinem fabricatos? Quis Praxitelem neſcit, Poſidippum ſi relegat, ad formam Gratinæ meretricis, quam infelix perditè diligebat, os Veneris Gnidiæ ſolertiarum coëgiſſe certamine? Sed ſola eſt hæc Venus, cui de ſcorti vultu tranſlatitium decus auctum eſt? Phryne illa Theſpiaca (ſicut illi referunt, qui negocia Theſpiaca ſcriptitarunt) cùm in acumine ipſo eſſet pulchritudinis, venuſtatis, & floris: exemplarium fuiſſe perhibetur cunctarum, quæ in opinione ſunt Venerum: ſiue per vrbes Graias, ſiue iſte quò fluxit amor talium cupiditaſque ſignorum. Itaque artifices omnes ipſis iiſdem qui temporibus extiterunt, quibuſque primas dabat exprimendarum ſimilitudinum veritas, omni cura ſtudioque certabant, filum capitis proſtituti cythereia in H ſimulacra traducere: ardebant artificum fera: alterque alterum vincere contentioſa æmulatione quærebant, non Venus vt auguſtior fieret, ſed vt Phryne pro Venere ſtaret, atque ita perducta eſt res eò, vt pro dijs immortalibus ſacra meretricibus fierent, & infelix religio ſignorum fabricationibus falleretur. Inter ſignifices ille memoratus Phidias & primus, cùm olympij formam Iouis molimine operis extuliſſet immēſi, ſuper dei digito Pantarces inſcripſit pulchen: nomen autem fuerat amati ab ſe pueri, atque obſcœna cupiditate dilecti: neque vllo metu eſt aut religione cōmotus, deum nomine proſtibuli nuncupare: quinimmo exoleto Iouis numen ſimulacrumq; ſacrare. Vſque adeo ludus eſt, & puerilis affectio, ſigillaria iſta formare, adorare pro dijs ea, ſanctitatibus accumulare diuinis: cùm ipſos videamus artifices in effingēdis his ludere, & libidinum propriarum monumenta ſancire. Quid eſt enim, ſi quæras, cur Phidias ludere ac laſciuire dubitaret, cùm ante paululum

A temporis Iouem ipſum, quem fecerat, ſciret aurum fuiſſe,
lapides, atque oſſa informia, diſparata, confuſa, ſeque horũ
omnium congregatorem, atque vinctorem, habitus eis per
ſe datos in membrorum ſimilitudine fabricata? &, quod
ante omnia primum eſt, ſui eſſe beneficium muneris, quod
natus per ſe eſſet, atque in rebus adoraretur humanis? Li-
bet in hoc loco, tanquam ſi omnes adſint terrarum ex orbe
nationes, vnam facere concionem, atque in aures hæc om-
nium communiter audienda depromere. Quidnam eſt i-
ſtud, homines, quod ipſi vos vltrò in tam promptis ac per-
ſpicuis rebus voluntaria fallitis & circumſcribitis cæcitate?
Diſcutite aliquando caliginem, regreſſiq; ad lumen men-
tis, intuemini propius, & videte iſtud, quod agitur, quale
ſit: ſi modò retinetis ius veſtrum, atque in finibus bis datæ
rationis, conſilijque verſamini. Simulachra iſta, quæ vos
terrent, quæque templis in omnibus proſtrati atque humi-
les adoratis, oſſa, lapides, æra ſunt, argentum, aurum, teſta,
lignum ſumptum ex arbore, aut commiſtum glutinum
gypſo: ex ornatib. fortaſſe meretricis, aut ex muliebri mun-
B do, camelinis ea oſſibus, aut ex Indici animalis dente, ex
cacabulis, ollulis, ex candelabris, & lucernis, aut ex alijs
obſcœnioribus vaſculis congeſta, conflata in has ſpecies
ducta ſunt, atque in formas quas cernitis exierunt: fornaci-
bus incocta figulinis, ex incudibus & malleis nata, graſſis
raſa, deſcobinata limis, ſerris, furficibus, aculeis, aſceis, ſe-
cta, dolata, effoſſa, terebrarum excauata vertigine, runci-
narum leuigata deplanis. Ita non error eſt? non (vt propriè
dicatur) amentia? Deum credere, quem tute ipſe formaris,
ſupplicare tremebundum fabricatæ abs te rei? & cum ſcias,
& certus ſis tui eſſe operis, & digitorum artem, pronum in
faciem ruere, opem rogare ſuppliciter, aduerſiſq; in rebus,
atque in temporibus aſperis propitij numinis fauore ſuc-
currere. Ecce ſi aliquis ponat in medio æs rude, atque in o-
pera nulla coniectum, argenti maſſas indomiti, infectum
aurum, lignum, lapides, atque oſſa, reſq; alias cæteras, qui-
bus ſigna conſueta ſunt & numinum ſimulachra conſtare:
imò ſi aliquis ponat in medio colliſorum deorum vultus,
conflata atque imminuta ſimulachra: iubeatque vos idem
fruſtis hoſtias & fragminibus cædere, informibus maſſis ſa-
C cra & munia impertire diuina: audire à vobis expoſcimus,
facturine iſtud ſitis, an contrà quàm imperabitur recuſatu-
ri? fortaſſe dicetis, qua cauſa? quia nemo eſt in rebus huma-
nis iam ſtulidè cæcus, qui argentum, æs, aurum, gypſum, e-
bur, argyllam, deorum in numerum referat, ipſaque per ſe
dicat vim habere atque obtinere diuinam. Quænam eſt er-
go ratio, vt ſi hæc omnia corpora intacta atque infecta per-
manſerint, careant vi numinis, atque auctoritate cœleſti?
ea formas ſi accipiant hominum, ſi auriculas, naſos, buccas,
labra, oculos, cilia, continuò dij fiant, & in ordinem cœli-
tum referantur, & cenſum? Nouitatis aliquid fictio corpo-
ribus his addit, vt adiectione ipſa cogamini aliquid eis cre-
dere diuinitatis maieſtatiſque collatum? in aurum, æs mu-
tata vt teſtula vilitatem in argẽteam cogat degenerare ma-
teriam? quæ inſenſilia fuerunt paulo ante, faciat vt ſint vi-
na, & ſpiritali agitatione moueantur? ſi quas foris habuere
naturas, eas omnes retineant ſimulachrorum in corpori-
bus conſtituta, ſtupiditas quæ tanta eſt? (detrecto enim di-
cere cæcitatem) rerum exiſtimare naturas formarum qua-
D litate mutari, & accipere numen ex habitu, quod in primi-
genio corpore iners fuerit, & brutum, & ſenſus mobilitate
priuatum. Itaq; immemores & obliti ſimulachrorum ſub-
ſtantiæ atque originis, quæ ſit, rationale homines animal,
& ſapientiæ munere conſilijque donatum coctilibus teſtis
ſuccumbitis, æris laminas adoratis, elephantorum à denti-
bus ſecundas poſcitis valetudines, magiſtratus, imperia,
poteſtates, victorias, acquiſitionis lucra, meſſes opimas, fe-
raciſſimaſque vindemias? & cùm pateat, luceat, rebus fieri
verba cum brutis, exaudiri vos creditis, ipſiq; vos vltro cre-
dulitatis vacuæ circunſcriptione traducitis? O vtinam lice-
ret in ſimulachri alicuius medias introire penetralia: im-
mo vtinam liceret olympiacos illos, & capitolinos Iones
deducere in mẽbra reſolutos, omneſq; illas partes, quibus
ſumma concluditur corporum, diſcretas ac ſingulas con-
tueri. Iamdudum iſtos videretis deos, quos exterior leuitas
lenocinio fulgoris auguſtat, laminarũ flatilium eſſe crates,

particularum coagmenta deformium, à ruinarum caſibus, E
& diſſolutionis metu ſubſcudibus, & catenis, vncis, atque
anſolis retentari. Interque omnes ſinus, commiſſurarumq;
iuncturas plumbum ite ſuffuſum, & ſalutares moras ſigno-
rum diuturnitatibus commodare. Videretis, inquam, iam-
dudum ſolas ſine occipitijs facies, manus ſine brachijs ſe-
miplenas, ventres cum lateribus dimidiatos, plantarum
imperfecta veſtigia, & quod maximè riſum ferat, parte li-
gneos ex vna, at ex altera ſaxeos inæquabili corporum cõ-
ſtructione contractos: quæ ſi vtique perſpici obſcuritatis
arte nõ quirent, vel ipſa vos ſaltem quæ in medio ſita ſunt,
docere, atq; monere debuerunt, agere vos nihil, & circa res
caſſas officiorum impendere vanitates. Ita enim non vide-
tis ſpirantia hæc ſigna, quorum plantas & genua contingi-
tis, & contrectatis orantes: modo caſibus ſtilbcidiorum la-
bi, putredinis modo carie relaxari, vt nidoribus, atque fu-
mo ſuffita ac decolorata nigreſcant, quemadmodum ſæcli
longiuris incuria perdant ſitus, ſpecie, & rubigine conuul-
F nerentur exeſa: Ita, inquam, non videtis ſub iſtorum ſimu-
lachrorum cauis ſtelliones, ſorices, mures, blattaſq, lucifu-
gas nidamenta ponere, atque habitare? ſpurcitias hue om-
nes, atq; alia vſibus accõmodata conducere, ſemiroſi duri-
tias panis, oſſa in ſpem tracta, pannos, lanuginem, chartu-
las nidulorum in mollitie miſerorum fomenta pullorum?
non in ore aliquando ſimulachri ab araneis ordiri retia,
atque inſidioſos caſſes, quibus volatus innectere ſtridula-
rum poſſint, impudentiumque muſcarum? Nõ hirundines
denique intra ipſos ædium circumuolantes tholos, iacula-
ri ſtercoris plenas, & modò ipſos vultus, modò numinum
ora depingere, barbam, oculos, naſos, aliaſq; omnes partes,
in quaſcunque ſe detulerit deonerati proluuies pudicis? E-
rubeſcite ergo vel ſerò, atque ab animantibus mutis vias,
rationes accipite: doceantq; vos eadem nihil numinis ineſ-
ſe ſimulacris: in quæ obſcœna facere neque metuunt, neq;
vitant, leges ſuas ſequentia, & inſtincta veritate naturæ.
Sed erras (inquit) & laberis, nam neque nos æra, neque au-
ri argentiq, materias, neq; alias quibus ſigna conſiunt, eas
G eſſe per ſe deos, & religioſa decernimus numina: ſed eos in
his colimus, eoſq; veneramur, quos dedicatio infert ſacra,
& fabrilibus efficit inhabitare ſimulachris. Non improba,
neque aſpernabilis ratio, qua poſſit quiuis tardos, necnon
& prudentiſſimus credere, deos relictis ſedibus proprijs (id
eſt cœlo) non recuſare, nec fugere habitacula inire terrena:
quinimmo iure dedicationis impulſos ſimulachrorum co-
aleſcere iunctioni. In gypſo ergo manſitant, atq; in teſtulis
dij veſtri? quinimmo teſtularum & gypſi, mentes, ſpiritus,
atque animæ dij ſunt? atque vt fieri anguſtiores viliſſimæ
res poſſint, concludi ſe patiuntur, & in ſedis obſcuræ coër-
citione latitare? Ergo illud à vobis parte in hac primùm de-
ſideramus & poſtulamus audire, inuitine hoc faciunt, id
eſt, iure dedicationis attracti ſimulachrorum ineunt man-
ſiones? an proni, & faciles, neq; vllis neceſſitatibus irroga-
ti? ſi inuiti hoc faciunt, & qui fieri pote eſt, vt in aliquam
neceſſitatem imminuta maieſtate cogantur voluntarię ob-
ſecutionis aſſenſu? Et quid in teſtulis dij petunt, vt eas ſedi-
bus ſydereis anteponant? vincti omnes, & propemodũ col-
ligati, nobilitent teſtulas, & cætera quibus ſigna conſiunt?
H Quid ergo, in materijs talibus ſemperne dij manſitant, ne-
que abeunt vſpiam, etiam ſi res poſtulauerit maxima? An
habent itus liberos, cùm libuerit abire quocunque, & ab
ſuis ſedibus, ſimulachriſque diſcedere? Si permanendi ne-
ceſſitatem patiuntur, quid miſerius his eſſe, aut quid infe-
licius poterit, quàm ſi eos in baſibus ita vnci retineant, &
plumbeæ vinctiones? ſed concedamus vt cœlo, & ſydereis
ſedibus anteponant, diuinitatis ſuæ perdiderunt poteſta-
tem. Sin autem cùm voluerint, euolant, & abſolutum ius
habent, inania relinquere ſimulachra: ergo aliquo tempo-
re deſinent eſſe dij ſigna, & in dubio ſtabit, quando ſacra
debeant reddi: quando his conueniat, atque oporteat ab-
ſtinere. Sæpenumero videmus ab artificibus hæc ſigna mo-
do paruula fieri, & palmarem in minutiem contrahi, modò
in immenſum tolli, & admirabilem in amplitudinem ſub-
leuari. Ratione hac ergo ſequitur, vt intelligere debeamus
in ſigillolis paruulis contrahere ſe deos, & alieni ad cor-
poris ſimilitudinem coarctari: aut verò in vaſtis porrigere

ſe loo-

A ſe longius, atque in maximitate producere. Ergo ſi hoc ita eſt, & in ſedentibus ſignis deum ſedere dicendum eſt, & in ſtantibus ſtare, in procurrentibus currere, iaculari et in iacentibus tela, ad illorum formare atque aptare ſe vultus: & ad reliquos habitus figurati corporis ſimilitudinem cõmodare. In ſimulachris dij habitant. ſinguline in ſingulis? toti, an partiliter, atque in membra diuiſi? Nam neq; vnus deus in compluribus potis eſt vno tempore ineſſe ſimulachris, neque rurſus in partes ſectione interueniente diuiſus. Conſtituamus enim decem millia ſimulachrorum toto eſſe in orbe Vulcani: nunquid eſſe (vt dixi) decem omnibus in millibus potis eſt vnus vno in tempore? non opinor. quia cauſa? quia quæ ſunt priuata, ſingularia q; natura, multa fieri nequeũt ſimplicitatis ſuæ integritate ſeruata: & hoc amplius nequeunt, ſi hominum formas dij habent, opinatio vt veſtra declarat. Neque enim manus à capite ſeparata, aut pes diuiſus à corpore, ſummam poſſunt præſtare totius: aut dicendum eſt portiones idem poſſe quod totum, cùm
B conſiſtere nequeat niſi fuerit partium congregatione conflatum. Si autem in cunctis idem eſſe dicetis, perit omnis ratio atque integritas veritati, ſi hoc fuerit ſumptum, poſſe vnum in omnibus vno tempore permanere: aut deorum eſt vnuſquiſq, dicẽdus ita ipſum ſemet ab ipſo ſe ipſe diuidere, vt & ipſe ſit, & alter non aliquo diſcrimine ſeparatus, ſed ipſe idem, & alius. Quod quoniã recuſat, & reſpuit, aſpernaturque natura: aut innumeros dicendum eſt, confitendumque eſſe Vulcanos, ſi in cunctis volumus eum degere, atque ineſſe ſimulachris: aut erit in nullo, quia eſſe diuiſus natura prohibetur in plurimis. Et tamen ô iſti, ſi apertum vobis & liquidum eſt, in ſignorum viſceribus deos viuere, atque habitare cœlites, cur eos ſub validiſſimis clauibus, ingentibuſque ſub clauſtris, ſub repagulis, peſſulis, alijſque huiuſmodi rebus cuſtoditis, conſeruatis, atque habetis incluſos, ac ne fortè fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro, æditnis mille protegitis, atq; excubitoribus mille? Cur canes in capitolijs paſcitis? cur anſeribus victum, alimoniamque præbetis? Quin imò ſi fiditis deos iſtic eſſe, nec ab ſignis vſpiam, ſimulachriſque diſcedere: permittite illis curam ſui, reſerata ſint ſemper, atq; aperta delubra: ac ſi quid
C à quopiam temeraria fuerit fraude ſubreptum, vim numinis monſtrent, & ſub ipſo furti atque operis nomine ſacrilegos pœnis conuenientibus figant. Indigna enim res eſt, & potentiam deſtruens auctoritatemque ſummorum, cuſtodiam numinum canum ſolicitudinibus credere: & cùm aliquam quæras prohibendis formidinem furibus non ab ipſis petere, ſed in anſerũ ponere & collocare gingritibus. Antiochum Cyzicenum ferunt decem cubitorum Iouem ex delubro aureũ ſuſtuliſſe, & ex ære bracteolis ſubſtituiſſe fucatum. Si in ſimulachris præſto ſunt atque habitant dij ſuis, quibus negocijs Iuppiter, quibus curis fuerat illigatus, quo minus priuatas perſequeretur iniurias, & ſuppoſitum ſe ſibi viliore in materia vindicaret? Dionyſius ille (ſed iunior) cùm velamine aureo ſpoliaret Iouem, & pro illo laneum ſubderet: iocularibus etiam facetijs ludens, cùm eſſe illud in rigoribus algidum, hoc vaporerum, onerosum illud in æſtatibus diceret, hoc rurſus ſub ardoribus flabile: vbinã fuerat rex poli, vt præſentem ſe eſſe, formidine aliqua comprobaret, & vrbanum ſcurrulam cruciatibus reuocaret ad feriæ? Nam quid Aeſculapij grauitatem ab eo eſſe comme-
D morem riſam? quem cùm barba ſpoliaret ampliſſima, boni ponderis, & philoſophicæ denſitatis, facinus eſſe dicebat indignum, ex Apolline procreatum patre leui & glabro, ſimillimoque impubem, ita barbatum filium fingi, vt ancipiti relinquatur, vter eorum pater ſit, vter filius, immo an ſit generis & cognationis vnius? Quæ cùm omnia fierent, & cum ſacrilegis prædo irriſionibus loqueretur, ſi ſuberat numen in ſtatua nominis eius maleſtaque ſacrata: cur oris contumeliam leuigati, & debonellati vultus non iuſta & merita perſecutus eſt vltione, demonſtrauitq; hoc facto, & ſe eſſe præſentem, & cuſtodia pertinaci ſuas ſedes ſimulachraque tutari? Niſi fortè negligere deos dicetis hæc damna, nec putare eſſe idoneam cauſam, propter quam ſe exerant, & nocentibus pœnam violatæ religionis infligant. Ergo ſi hæc ita ſunt, nec ſimulachra ipſa habere deſiderant, quæ conuelli & diripi perpetiuntur impunè: immo è con-

trariu perdocent aſpernari ſe illa, in quibus ſpretos vltione in aliqua ſignificare non curant. Philoſtephanus in Cypriacis auctor eſt, Pygmaleonem regem Cypri ſimulachrũ Veneris, quod ſanctitatis apud Cyprios & religionis habebatur antiquæ, adamaſſe vt fœminam, mente, anima, lumine rationis iudicijque cæcatis: ſolitumque dementem, tanquam ſi vxoria res eſſet, ſubleuato in lectulum numine copulari et amplexibus atque ore, reſque alias agere libidinis vacuæ imaginatione fruſtrabiles. Conſimili ratione Poſidippus in eo libro, quem ſcriptum ſuper Gnido indicat, ſuperque rebus eius, adoleſcẽtem haud ignobilem memorat, ſed vocabulum eius obſcurat, correptũ amoribus Veneris, propter quam Gnidus in nomine eſt, amatorias & ipſum miſcuiſſe laſciuias, cum eiuſdem numinis ſigno genialibus fuſum toris, & voluptatum conſequẽtum finibus: vt ſimiliter rurſum interrogem, ſi in ære, atque in materijs cæteris, quibus ſigna formata ſunt, ſuper totum potentiæ delitеſcunt: vbinam gentium fuerant vna atque altera Vene- E
res, vt impudicam petulantiam iuuenum propulſarent ab ſe longè, & contactus impios cruciabili coërcitione punirent? Aut, quoniam mites, & ingenijs tranquillioribus deæ ſunt, quantum fuerat miſeris furialia vt reſtinguerent, gaudia, mentemque inſanam recreatis reducerent ſenſibus? Niſi fortè (vt vos fertis) libidinis & voluptatum deæ contumelias iſtas habuere gratiſſimas: nec vltione facinus exiſtimauere condignum, quod ſuas quoque mulceret mentes, & quod ab ſe ſubdi humanis cupiditatibus ſcirent. Sed ſi deæ Veneris ingenijs placidioribus præditæ, gerendum eſſe morem infortunijs iudicauere cæcorum, cùm Capitolium toties edax ignis abſumeret, Iouemque ipſum capitolinum cum vxore corripuiſſet ac filia, vbinam fulminator tempore illo fuit, vt ſceleratum illud arceret incendium, & à peſtifero caſu res ſuas ac ſemet, & cunctam familiam vindicaret? Vbi Iuno regina, cùm inclytum eius fanum ſacerdotemque Chryſidem, eadem vis flammæ Argiua in ciuitate deleret? Vbi Serapis Ægyptius, cùm conſimili caſu iacens ſolutus in cineres, cum myſterijs omnibus, atq; Iſide? G
Vbi Liber Eleutherius cum Athenis? vbi Diana cum Epheſo? Vbi Dodonæus Iuppiter cum Dodone? vbi denique Apollo diuinus, cùm à piratis maritimiſque prædonibus, & ſpoliatus ita eſt, & incenſus, vt ex tot auri ponderibus quæ infinita congeſſerant ſecula, nec vnum quidem haberet ſcryphulum quod hirundinibus hoſpitis (Varro vt dicit in Menippis) oſtenderet? Infiniti operis res eſſet in toto orbe deſcribere, quæ ſint fana conuulſa terræ motibus, & tempeſtatibus: quæ incenſa ab hoſtibus, quæ ab regibus & tyrannis, quæ antiſtites, & ſacerdotes, & ipſi ſuſpitione aueria nudauerint: quæ ad vltimum fures, & obſerata pandentes tenebrarum obſcuritate canacheni, quæ tuta vtique permanerent, & nullis obnoxia fortuitis, ſi adeſſent dij præſides, aut haberent aliquas templorum (quemadmodum dicitur) curas. Nunc verò, quia caſſa ſunt, & nullis habitatoribus tecta, habet in illis fortuna ius ſuum, & perinde cunctis obiecta ſunt caſibus, quàm ſunt omnia cætera motu interiore priuata. In parte hac eadẽ illud etiam dicere ſimulachrorum aſſertores ſolent, non ignoraſſe antiquos nihil habere numinis ſigna, neque vllum omnino ineſſe his ſenſum: ſed propter indomitum atq; imperitum vulgus, quæ H
pars in populis atque in ciuitatibus maxima eſt, ſalutariter ea conſilioque formaſſe: vt velut quadam ſpecie obiecta his numinum abijcerent aſperitatem metu: arbitratique præſentibus ſeſe ſub dijs agere, facta impia deponerent, & ad humana officia morum immutatione tranſirent. Nec propter aliam cauſam venerabiles formas auro eis argentoque quæſitas, niſi vt adeſſe vis quædam ipſis in fulgoribus crederetur, quæ non oculorum tantum perſtringeret ſenſum, verumetiam mentes ipſas anguſtiſſimæ lucis radiationibus territaret. Quod ratione cum aliqua videretur forſitan dici, ſi poſt condita deorum templa, atque inſtituta ſimulachra nullus eſſet in mundo malus, nulla omnino nequitia, iuſtitia, pax, fides mortalium pectora poſſideret: neque quiſquam in terris nocens, neque innocens diceretur, ſceleroſa opera neſcientibus cunctis. Nunc verò cùm contrà malis omnia plena ſint, innocentiæ penè interierit nomen, per momenta, per puncta, examina maleficiorũ noua

A noxiorum improbitate parantur: dicere qui conuenit ad incutiendas formidines vulgo deorū inſtituta ſimulachra: cùm præter innumeras criminum & facinorum formas, ipſa etiam videamus templa ſacrilegis violationibus appeti ab tyrannis, ab regibus, ab latronibus, & nocturnis à furibus: ipſoſq; illos deos, quos ad metus faciendos vetus finxit & conſecrauit antiquitas, vadere in antra prædonum, cùm ipſis ſuis aureis metuendiſq; fulgoribus? Quid enim, ſi verum, & ſine vlla gratificatione perſpicias, ſigna iſta quæ dicunt, habent in ſe magnum, vt meritò ſperarit atque exiſtimarit antiquitas, conſpectu illorum poſſe frangi hominum vitia, & mores, & maleficia temperari? Falx meſſoria ſcilicet, quæ eſt attributa Saturno, metum fuerat iniectura mortalibus, vitam vellent vt pacificam degere, ac malitioſas abijcere voluntates: fronte Ianus ancipiti, aut dentata illa, qua inſignitus eſt, clauis: ricinIatus Iuppiter atque barbatus, dextera fomitem ſuſtinens perdolatum in fulminis motem: Iuuo: nutus ille cæſtus, aut militari ſub galea puellula delitefcens: Deûm matet cum tympano, cum tibijs, & B cum pſalterijs Muſæ, Mercurius pinnatus, Argiphontet: Æſculapius baculo, Ceres mammis cum grandibus, aut in Liberi dextera pendens potorius cantharus: Mulciber fabrili cum habitu: aut Fortuna cum cornu, pomis, ficis, aut frugibus autumnalibus pleno: ſemitectis femoribus Diana: aut ad libidinem concitans Venus nuda: Anubis canina cum facie: aut genitalibus proprijs inferior Priapus. O ſpecies formidinum diræ, metuendique terrores. propter quos genus hominum torpedine in perpetua aſtrigeretur, nihil moliretur, attonitū, ab omnique ſe actu ſceleroſo flagitioſoque frenaret! Falciculæ, claues, caliandria, fomites, talaria, baculi, tympaniola, tibiæ, pſalteria, mammæ promptæ, atque ingenies canthauli, forcipes, cornuaque pomifera, nuda corpora fœminarum, & veretrorum magnitudines publicatæ. Nunne ſatius fuerat ſaltitare, cantare, quàm ſub titulo grauitatis, & ſeueritatis obtentu, tam frigida, tamque inepta narrare ſimulachra, ab antiquis ad peccata cohibenda, & ad nocentium formata impiorumq; formidines? Vſq; adeone mortales ſe cultillius ac temporis corde fuerant vacui, rationis ſenſoſque nullius, vt ab actioni- C bus improbis tanquam paruuli puſiones perſonarum mōſtruoſiſſima toruitate animos etiā conſtringerentur & manus? Et vnde eſt in contrarium res verſa, vt cùm tam multa in ciuitatibus templa ſint plena omnium ſimulachris deorum, tot legibus & generibus ſuppliciorū tantis iri obuiam nequeat multitudini noxiorum: neque vllis remedijs audacia poſſit abſcîdi: tantoque ſe magis maleficia congeminata multiplicent, quanto legibus iudicijſq; contenditur imminuere facta crudelia, & pœnarum coërcitione ſedare? Quod ſi metus aliquos inſligerent ſimulachra mortalibus, legum latio ceſſaret, nec tam diuerſæ cruces facinoroſorum conſtituerentur audaciæ. Nunc verò quia conſtitit, comprobatumque eſt reipſa inanem eſſe opinionem timoris, qui ab ſignis dicatur effluere, ad legum decurſum eſt ſanctionet: à quibus eſſet formido certiſſima etiam affixa, conſtitutaq; damnatio: quibus debent & ipſa ſimulachra, quòd incolumia adhoc perſtant, & honoris alicuius conceſſione munita. Sed quoniam ſatis (vt res tulit) quàm inaniter fiant ſimulachra monſtratum eſt: de ſacrificijs dein- D ceps, de cædibus, atq; immolationibus hoſtiarum, de mero, de thure, deq; alijs omnibus, quæ in parte iſta conſiunt, poſcit ordo quàm paucis, & ſine vllis circumlocutionibus dicere. In hac enim conſueſtis parte inuidias nobis tumultuoſiſſimas concitare, appellare nos Atheos: & quod minimè tribuamus dijs, pœnas etiam capitis beluarum crudelitatibus irrogare. Quod quidem non nos fatemur non contemptu facere, atque aſpernatione diuina, ſed quod exiſtimemus huius potentias nominis nihil tale depoſcere, neq; rerum huiuſmodi cupiditatibus attineri.

ARNOBII DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES

LIBER VII.

QVID ergo (dixerit quiſpiam) ſacrificia cenſetis nulla eſſe omnino facienda? Vt vobis nō noſtra, ſed Varronis veſtri ſententia reſpondeamus, nulla. Quid ita? quia (inquit) dij veri neque deſiderant ea, neque depoſcunt: ex ære autem facti, teſta, gypſo, vel marmore multo minus hæc curant. Carent enim ſenſu, neque vlla contrahitur, ſi ea non feceris, culpa: neque vlla, ſi feceris, gratia. Sententia reperiri nulla poteſt integrior, & quam quiuis poſſit, quãuis ille ſit ſæuus, & difficillimus, occupare. Quis eſt enim pectoris tam obtuſi, qui aut rebus nullum habentibus ſenſum hoſtias cædat & victimas, aut eis exiſtimet dandas, qui ſunt ab his longè natura & beatitudine diſiugati? Qui ſunt (inquitis) dij veri? Vt communi vobis, & ſimplici reſpondeamus verbo, non ſcimus. Quos enim vidimus nunquam, qui ſunt ſcire quemadmodum poſſumus? Ea vobis audire conſueuimus deos eſſe quamplurimos, & numinum in ſerie computari: qui ſi ſunt (vt dicitis) vſpiam, veriq́ue (vt Terentius credit) eos eſſe conſequitur ſui conſimiles nominis, id eſt, tales, quales eos vniuerſi debere eſſe cōſpicimus, & nominis huius appellatione dicendos. Quin immo (vt breuiter finiam) qualis dominus rerum eſt, atque omnipotēs ipſe, quem dicere nos omnes Deum verum atque intelligimus verum, cum ad eius nominis acceſſimus mentionem. Deus enim ab altero, in eo quod deus eſt, nulla in re differt: nec quod vnum eſt genere, ſuis eſſe in partibus minus aut plus poteſt, qualitatis propriæ vniformitate ſeruata. Quod cum dubium non ſit, ſequitur vt genus nunquam, perpetuique vt debeant eſſe, extrinſecus appeterent nihil, nec caperent res aliquas terrenas ex materię opibus voluptates. Ergo ſi hæc ita ſunt, primum illud à vobis expetimus noſcere, quæ ſit cauſa, quæ ratio ſacrificij vt illa faciatis: quid deinde ex hoc lucri ad deos ipſos perueniat, atque in eorum commoditate ſubſideat. Quicquid enim geritur, debet habere cauſam ſui. neque ita eſſe ab ratione ſeiunctum, vt in operibus feratur caſſis, & in vacuis ludat manitatis erroribus. Nunquid forte dij cœleſtes aluntur his ſacris, & ad eorum compaginem retinendam nonnullius opus eſt ſuffectione materiæ? Et quis ita eſt hominum, deus prorſus qui ſit, ignorans, vt eos exiſtimet contineri alicuius alimonij genere: & cibi eſſe munus, quod eos faciat viuere, & immenſa in perpetuitate durare? Quicquid enim cauſis & rebus fulcitur externis, neceſſe eſt eſſe mortale: & habere ad periculum viam promam, vbi aliquid cœperit deeſſe quo viuitur. Tum quod ex his rebus, quæ admouentur altaribus, nihil videmus accedere, atque ad numinum ſubſtantias peruenire. Aut enim thus datur, & liqueſactum carbonibus diſperit: aut animalis eſt hoſtia, & ab canibus abliguritur ſanguis: aut ſi aliquod viſcus aris fuerit traditum, ratione ardeſcit pari, & diſſolutum in cinerem labitur: niſi fortè hoſtiarum deus animas deuorat, aut ea aris ardentibus nidorem conſectatur & fumos, paſciturque de nidoribus, quas euomunt ardentia viſcera, adhuc vda de ſanguine, & prioribus humecta de ſuccis. Sed ſi deus (vt dicitur) nullius eſt corporis, omniq́ue eſt incontiguus tactu, qui fieri poteſt vt corporalibus rebus nutriatur incorporeum, quod mortale eſt vt immortale ſuſtineat, ſubdatq; ſalutem rei quam contingere nequeat, & motus ſubminiſtrare vitales? Ceſſat ergo (vt apparet) ſacrorum hæc ratio, neque dici à quopiam poteſt, ea cauſa ſacrificia celebrari, quòd alantur his numina, & eorum ſuſtineantur paſtu. Nunquid (ſi fortè hoc non eſt) voluptatis alicuius, animiq; (vt dicitur) cauſa cæduntur dijs hoſtiæ, & ſuccenſis adijciuntur altaribus? Et quiſquam eſt hominum, qui deus ſibi perſuadeat voluptatum diffuſione molleſcere, geſtire in libidinis gaudium, & velut animal vile blandis ſenſibus affici, & dulcedinis labilis volucri titillatione mulceri?

Margin letters, right column: E, F, G, H

A Quod enim voluptate diſſoluitur, id contraria neceſſe eſt triſtitia cõtrahatur: nec immune exiſtere ab anxietate mœroris, quod lætitia trepidat, & leuitatibus extollitur gaudiorum. Vtroque autem affectu debent eſſe dij liberi, ſi eos eſſe perpetuos, & mortalium volumus fragilitate priuatos. Quid quòd omnis voluptas quaſi quædam eſt adulatio corporis, noſtriſq; illis ſenſibus aſſumitur quinque: quã ſi ſuperi ſentiunt, & eorum neceſſe eſt eſſe participes corporum, per quæ via eſt ſenſibus, & accipiendis voluptatibus ianua. Poſtremò quod gaudium eſt, innoxiorum animantium mactatione lætari: miſerabiles ſæpe exaudire mugitus: riuos ſanguinis cernere, animas cum cruore fugientes, patefactiſque ſecretis prouolui, & inteſtina cum ſtercore, & ex reſiduo ſpiritu exultantia adhuc corda, tremebundaſque palpitantes in viſceribus venas? Semiferi nos homines, quinimmo (apertius vt pronunciemus quod eſt verius atque apertius dictu) feri, quos infelix neceſſitas, & malus B vſus edocuit cibos ex his carpere: miſeratione interdũ commouemur illorum, arguimus nos ipſi, penituſque re viſa, atq; inſpecta damnamus, quod humanitatis iure depoſito naturalis initij conſortia ſuperimus. Deos aliquis credit pios, beneficos, mites, cæde pecorum delectari, diffundique lætitia, ſi quando ſub his concidunt & ſpiritum miſerabiliter ponunt, & voluptate? Ergo (vt cernimus) nulla eſt in ſacrificijs cauſa, nec cur fiãt, ratio eſt: quoniam nec voluptas eſt vlla, ac ſi fortè eſt aliqua, in deos eam cadere nulla poſſe ratione monſtratum eſt. Sequitur vt illam quoq; inſpiciamus partem, quã iactari audim' vulgo, & popularis in perſuaſione verſari: ſacrificia ſuperis ea fieri dijs cauſa, vt iras atq; animos ponant, reddanturq; mites & placidi feruidorũ pectorum indignatione ſedata. At ſi diffinitionem teneamus illam, quam pertinaciter meminiſſe conuenit nos ſemper, vniuerſos animorum affectus ignotos dijs eſſe, conſentaneum eſt credere nunquam deos iraſci: quinimmo nullum affectum magis eſſe ab his longè, quàm qui feris & beluis proximus turbat tempeſtatibus patientes, & ad periculum interitionis inducit. Quicquid enim vexatur rei alicuius è C motu, paſſibile eſſe conſtat & fragile: quod paſſioni fragilitatiq; ſubiectum eſt, id neceſſe eſt eſſe mortale: ira autem vexat, & patientes ſe ſoluit, ergo eſſe mortale dicẽdum eſt, quod paſſionibus ſubiectum eſt iræ. Atquin deos ſcimus eſſe oportere perpetuos, & naturam immortalitatis tenere: quod ſi cõſtat, & liquidum eſt, ira ab his longè & ab eorum conditione diſiuncta eſt. Nullis ergo rationibus conuenit id in ſuperis velle placare, quod poſſe non videas in eorum beatitudinem conuenire. Sed concedamus (vt vultis) perturbationem huiuſmodi familiarem dijs eſſe, placandique eius cauſa res diuinas fieri, & ſacrorum ſolennia celebrari: quando ergo cõueniat adhiberi hæc munia, vel in tempore quo dari? antequam ſunt irati, & perciti? an cùm fuerint moti, ipſiſque in indignationibus conſtituti? Si ne ſæuiant animos occurrẽdum eſt his ante, feras nobis proponitis nõ deos, quibus ne ſæuiant concitatæ, & cauearum diſcutiant clauſtra, obiectari moris eſt eſcas, in quas rabidæ ſæuiant, & cupidinem vexationis inclinent. Sin autem iam feruidis atque indignatione flagrantibus ſatisfactio iſta ſacrificiorum oggeritur: non inquiro, non exigo, an illa læta & ſub-D limis magnanimitas numinum, homunculorum offenſione moueatur: habeatq; pro vulnere ſiquid animal cæcum, atque in nubibus ſemper ignorationis incedens deſignauerit, dixerit quo illorum minueretur auctoritas. Sed neque illud dici, aut audire depoſco, quas irarum in homines habeant dij cauſas, vt ſacrificijs debeant contracta offenſione mulceri: nunquid aliquas leges ſanxere aliquando mortalibus, conſtitutumque eſt ab his vnquam quid eos agere conueniret, vel quid non, quid conſectari, quid fugere, vel coli ſe ſaltem quibus rationibus cuperent, vt aliter, quàm imperauerant geſta vltionibus perſequerentur irarum, cõtemptuque ſe vellent de audacibus & tranſgreſſoribus vindicare? Vt opinor ab his nunquam neque conſtitutum eſt aliquid, neque ſanctum: quoniam nec viſi aliquando, neq; ſi ſunt viſi, apertiſſima potuit cognitione dignoſci. Quænã eſt ergo iuſtitia, vt eis ob aliquas cauſas iraſcantur dij cœlites, quibus neque ſeſe monſtrare aliquando dignati ſunt, neq; vllas dederint, aut impoſuerint leges, quas coli ab his

E vellent, & inuiolabili obſecutione ſeruari? Sed hoc (vt dixi) prætereo, & ſilentio patior abire donatum: vnum illud præ omnibus quæro, quæ cauſa eſt, vt ſi ego porcũ occidero, deus mutet affectum, animoſq; & rabiem ponat: ſi gallinulam, vitulum, ſub illius oculis atque altaribus concremaro, obliuionem inducat iniuriæ, & ab ſenſu penitus offenſionis abſcedat? Quid ad eius dolorẽ ex opere hoc migrat, aut remedij cuius eſt anſer, caper, aut pauus, vt ex eius cruore medicina adhibeatur irato? Ergone iniurias ſuas dij vendunt, atque, vt paruuli puſiones, quo animis parcant, abſtineantque ploratibus, paſſerculos, pupulos, eculeos, panes accipiunt, quibus auocare ſe poſſint: ita dij mortales placamenta iſta ſumunt, quibus iras atque animos ponant, & in gratiam ſuis cum offenſoribus redeant? Atquin ego rebar deos (ſi modò rectum eſt credere, quòd motibus exagitentur irarum) ſine vllis præmijs, nulliſque mercedibus, iras atque animos ponere, & peccatoribus delicta donare. Hoc eſt enim proprium numinum, liberales F venias, & conceſſiones habere gratuitas. Quod ſi fieri non poteſt, ſapientius multo eſt, pertinaciter eos in offenſione durare, quàm munerum corruptione miteſcere. Creſcit.n. multitudo peccantium, cùm redimendi peccati ſpes datur: & facilè itur ad culpas, vbi eſt venalis ignoſcentium gratia. Ecce ſi bos aliquis, aut quodlibet ex his animal quod ad placandas cæditur mitigandaſque numinum furias, vocem hominis ſumat, eloquaturq; his verbis: Ergóne ô Iupiter, aut quis alius deus es, humanum eſt iſtud & rectum, aut æquitatis alicuius in æſtimatione ponendũ, vt cùm alius peccauerit, ego occidar, & de meo ſanguine fieri tibi patiaris ſatis, quòd nunquã te læſerim, nunquam ſciens aut neſciẽs tuum numen maieſtatemq; violarim? Animal (vt ſcis) mutum, naturæ meæ ſimplicitatem ſequens, nec multiformiũ morum varietatibus lubricum, nunquid aliquando tuos ludos minus ſanctè diligenterque perfeci? nunquid aliquẽ præſulẽ, tuum numen qui oſtenderet, aut te traduxi? nunquid iuraui per te falſo? nunquid ſacrilegis furtis tua rapui, ſpoliauique donaria? nunquid erui ſacratiſſimos lucos, G aut religioſa quædam loca ſubſtructionib. pollui profanauique priuatis? Quænam eſt ergo cauſa, vt alienum crimen meo luatur è ſanguine, & in nefas extraneum mea vita & innocẽtia perducatur? an quòd animal vile ſum, nec rationis nec conſilij particeps? quemadmodum pronunciant iſti, qui ſe homines nominãt, & feroeitate tranſiliũt beluas. Nónne primordijs iiſdem eadẽ & me genuit informauitq; natura? nónne ſpiritus vnus eſt, qui & illos, & me regit? Non conſimili ratione reſpiro, & video, & cæteris afficior ſenſibus? habent iecora, pulmones, corda, inteſtina, ventriculos: & mihi membrorum non idem eſt numerus attributus? Amant ſuos fœtus, & gignendis conueniunt liberis: non & mihi prolis & ſubrogandæ eſt cura, & dulcedo cùm fuerit procreata? Sed rationales illi ſunt, & articulatas exprimunt voces. Et vnde illis notum eſt, an & ego quod facio, meis rationibus faciam, & vox iſta, quam promo, mei generis verba ſint, & ſolis intelligantur à nobis? Interroga pietatem, vtrumne ſit æquius me occidi, me confici, an hominem venia, & commiſſorum impunitate donari? Quis in gladium formauit ferrum? non homo? quis cladem gen-H tibus, quis nationibus impoſuit ſeruitutem? nõ homo? quis parentibus, fratribus, quis vxoribus, quis amicis mortiferas ſubdidit, commiſcuitq; potiones? nõ homo? quis maleficia reperit, aut commentatus eſt tanta, quãta vix explicari decem millibus nequeant vel annalium, *vel dierum? nõ homo? Ita iſtud nõ ferum, non immane, non ſæuum eſt? non tibi ô Iuppiter iniuſtum videtur, & barbarum, me necari, me cædi, vt fias tu placidus, & vt ſceleroſis contingat impunitas? Ergo ob hãc cauſam (id eſt, numina vt placentur irata) inaniter fieri ſacrificia conſtitit, cùm docuerit nos ratio neque deos iraſci aliquando, neque alterum velle pro altero confici, cædi, nec innoxij ſanguine abolitionem deſignationibus comparari. Sed fortaſſe aliquis dicet: icirco dijs hoſtias, & cætera impendimus munera, vt familiares quodammodo noſtris ſupplicationibus facti, res tribuant proſperas, auertantque à nobis mala, cum gaudijs faciant agere nos ſemper, triſtitias verò propellant, & ex caſibus imminentia fortuitis. Non exiguam curam locus iſte de

A derat, nec quod dicitur facilè, tam conſuetum eſt vel audiri, vel credi. Aduolabit enim continuo vniuerſus ille doctiſſimorum chorus, qui aſſeuerans, & comprobans fato fieri quæcunque fiunt, eripiat vobis è manibus opinionem iſtam: & inanibus vos arguat perſuaſionibus fidere? Quicquid in mundo, inquiet, geſtum eſt, geritur, & geretur, olim definitum, & fixum eſt. habetq; immobiles cauſas, per quas ſibi res nexæ inexpugnabilem cōſerant præteritorum cum imminētibus neceſſitatem. Si definitum, & fixum eſt, quid obtingere ſingulis mali debeat, bonive, iam certum eſt. Quod ſi certum eſt, & fixum, vacāt omnia deorum auxilia, vacant odia, vacant benignitates. Tam enim præſtare non poſſunt id, quod nō poteſt fieri, quàm prohibere ne fiat id, quod neceſſe eſt euenire: niſi quòd validius premere opinionem iſtam ſi voluerint, quibunt: vt etiam ipſos deos fruſtra dicant à vobis coli, & ſuperuacaneis ſupplicationibus adorari. Cùm enim ordinem vertere, & fatalia nequeant conſtituta mutare, quid rei, quid cauſæ eſt fatigare, & obtundere eorum aures velle: quorum auxilijs nequeas ſupremis in neceſſitatibus fidere? B Poſtremò ſi tiſtia, atque importuna dij pellunt: ſi ea quæ ſunt læta, atque amica largiuntur, vnde ſunt mundo tanti, tamque innumerabiles miſeri? vnde tot infelices lachrymabilem vitam in extrema forte ducentes? cur immunes à calamitatibus non ſunt, qui momēta per ſingula, qui per puncta ſacrificijs onerant atq; accumulant aras? Nonne alios (inquiunt) videmus ea illis domicilia eſſe morborum: extinctis luminibus, atque auribus obſeratis, pedum carere proceſſu, truncos ſine manibus degere, incendijs, naufragijs, & ruinis, mergi, obrui, confici: patrimonijs ab ingētibus euolutos mercenario ſeſe labore fulcire. ſtipes emendicare ſupremas, exterminari, proſcribi, ſemper eſſe in luctibus liberorum orbitatib. fractos: vexari per infortunia cætera, quorum ſpecies & formas nulla poteſt enumeratio definire? Quod vtique non fieret, ſi propulſare, ſi flectere mala iſta dij poſſent ſacrorum meritis obligari. Nunc verò quia caſibus nullus eſt in his locus, ſed ineluctabili omnia neceſſitate cōficiunt, agit ſeſe ordo præſcriptus, & quod ſemel decretum eſt, perficit. C Aut ingrati eſſe dicendi ſunt cœlites, ſi cùm habeant iura prohibendi, patiuntur infelix genus tot pœnis & calamitatibus implicari. Et fortaſſe aliquid dicant magnum, nec quod auribus debeat fruſtratorijs, leuiſius, & contemnentibus ſumi: Quas tamen nos partes, quia res nimium longi eſt multiq; ſermonis, inexplicatas tranſcurrimus atque intactas: ſolū illud poſuiſſe cōtenti, inhoneſtas vos famas adiungere dijs veſtris, ſi eos aliter negatis præſtare quæ bona ſunt, atq; inimica tranſuertere: niſi prius empti capellarum fuerint atque ouium ſanguine, & cæteris quæ admonentur altaribus. Indignum enim primum eſt, vt illa vis numinum ſublimitaſque cœleſtium beneficia credatur ſua habere venalia, prius ſumere, atque ita præſtare. Tum quod fœdius multo eſt niſi acceperint, prodeſſe nulli, perpetiq; miſerrimos diſcriminum ſubire fortunas, cum prohibere poſſint ac ſubuenire. Si ea duobus facientib. res ſacras honeſtus vnus, & locuples, alter anguſto lare, ſed innocentia fuerit & probitate laudabilis: centum ille cædat boues, totidemq; cū agniculis ſuis matres, thus pauper exiguum, & odoris alicuius vnam concremet glebulam: nōnne erit cōſequens, vt debeat credi (ſi modò nihil numina, niſi præmijs D antecedentibus præſtant) vt fauorem ſuum & auxilium commodēt locupleti, auertant à pauperculo lumina, quem reſtrictum non animus, ſed familiaris rei neceſſitas fecit? Vbi enim venalis, & mercenarius dator eſt, ibi neceſſe eſt gratiam pro magnitudine muneris tribui, & eo inclinare ſuffragium, vnde ad eum, qui præſtat, mercedis plus multo, & indecoræ corruptionis affluxerit. Quid ſi populi rurſus duo hoſtilibus diſſidentes armis, ſacrificijs paribus ſuperorum locupletauerint aras, alterq; in alterum poſtulent vires ſibi atque auxilium commodari, nōne iterum neceſſe eſt credi, ſi præmijs ſolicitantur, vt proſint. eos partes inter vtraſque debere hæſitare, defigi, nec reperire quid faciant, cùm ſuas intelligant gratias ſacrorum acceptionibus obligatas? Aut enim auxilia hinc & inde præſtabunt, id quod fieri non poteſt: pugnabunt enim contra ipſos ſe ipſi, contra ſuas gratias, voluntateſque nitentur: aut ambobus populis opem ſubminiſtrare ceſſabunt, id quod ſceleris magni eſt poſt impenſam, acceptamque mercedem. E Itaque ergo ab dijs longè infamia eſt iſta tota pellenda: neq; eſt omnino dicendum præmijs eos ac mercedibus allici, bonas vt res conferant, dimoueantq; cōtrarias, ſi modò dij veri ſunt, atque in nomina huius exceptione ponendi. Aut enim fato fiunt quæcunque fiunt, & ambitionis & gratiæ nullus locus in dijs eſt: aut ſi excluditur & eijcitur fatum, non eſt ſuperæ dignitatis boni operis fauorem, & collatas munificentias venditare. Satis (vt opinor) oſtendimus fruſtra dijs immortalibus hoſtias cæbus cum conſequentibus admoueri: quòd neque alantur his, neque vllam percipiant voluptatem, neque iras, aut animos ponant, neque vt res tribuant fauſtas, neque vt abigant auerruncentque contrarias. Sequitur vt illam quoque inſpiciamus partem, quæ ab nonnullis conſueta eſt afferri, & cauſis cærimonialibus applicari. Aiunt enim ſacra hæc honorādis eſſe inſtituta cœleſtibus, & ea quod faciant honoris ergo facere, & his numinum potentias auctitare. F Quid ſi ſimiliter dicant euigilare ſeſe, atque dormire, deambulare, ſubſiſtere, conſcribere aliquid, & lectitare, vt honorem dijs habeant, & dignitatibus eos faciant ampliores? Quid enim cruore de pecorum? Quid ſacrorum confectione de cætera ſuperadditur his rei? Quid apponitur, atque adijcitur poteſtatis? Etenim honos omnis, qui haberi ab aliquo dicitur, & reuerentiæ potioris attribui, relatiui eſt ad alterum generis, & conſtans partibus duabus, ea conceſſione tribuentis, & amplificatione ſumentis. Vt ſi quiſpiam viſo potentiſſimi nominis atque auctoritatis viro, via decedat, aſſurgat, caput reuelet, vehiculoque deſiliat: tum deinde ſalutet ae clinis ancillæ aut ſeruuli pauibundas trepidationes imitatus: video quid agatur in huiuſmodi honorationis officio: ſummiſſione alterius datur alteri plurimum: efficiturque, vt videatur magnus, quem ſuſceptio minoris extulerit, & ſuis antepoſuerit rebus. Sed conceſſio hæc omnis, & honoris, de qua loquimur, attributio ſolis habet in hominibus ſedem: quos naturalis infirmitas, & amor in altioribus ſtandi docet gaudere de faſtibus, & aliorum comparationibus anteponi. G At quæro, in ſuperis vbi eſt honoris locus: vel quas eis eminentias addere ſacrorum ea collationibus inuenitur? Auguſtiores, potentiores mactatis pecudibus fiunt, additur illis ea hoc quicquam, aut eſſe dij magis diuinitate incipiūt ampliata? Atqui ego cōtumeliæ proximum, quinimmo eſſe plenam contumeliam iudico, cùm honorari ab homine Deus dicitur, & muneris alicuius oblatione mactari. Etenim ſi honos auget, eiuſque accumulat dignitatem cui fuerit attributus, ſequitur vt auctior Deus fiat ab homine, à quo fuerit munere & honoris collatione donatus. atque ita perducitur res eò, vt inferior Deus ſit, qui honoribus mactatur humanis. Quid ergo (inquiet aliquis) honorem dijs dandū nullum eſſe omnino cenſetis? Si deos nobis proponitis tales, quales (ſi ſunt) debent eſſe, quoſq; dicere nos oēs in iſtius nominis prædicatione ſentimus, quemadmodum poſſumus honorem his non habere vel maximum? cùm etiam colere homines potentioribus acceperimus imperijs, cuiuſcunque ordinis fuerint, cuiuſcunq; fortunę. Quiſnam iſte eſt maximus? Officioſior multo quàm habetur à vobis, & potentiore in genere conſtitu- H tus. Dicite, inquitis, quæ ſit opinio de his deformitate culpabilis, vt neq; illos credas quicquā hominis habere conſimile, nec quicquā expectare quod ſit ab ſe foris, atq; extrio ſecus veniens: tum quod ſæpius dictum eſt, non ardeſcere irarum flammis, non geſtire corporea voluptate, nō exambiri vt proſint, nō præmijs vt noceant proritari, benignitatē & gratiā non habere venalem, nō gaudere honore collato, non indignari & affici nō dato: ſed quod rei diuinę eſt proprium, ſua ſe vi noſſe, nec ſe alienis adulationibus ęſtimare. Et tamē, vt videamus, iſtud quod dicitur quale ſit, quod eſt iſtud honoris genus, verbecem, arietē, taurum, Dei ſub ore connectere, cōſpectuq; in eius occidere? Quod eſt honoris genus, deum inuitare ad ſanguinem, quem cum canibus videas eum ſumere, atq; habere communem? Quod eſt honoris genus, lignorum ſtruibus incēſis, cœlum fumo ſubtexere, & effigies numinum nigrore offuſcare ferali? Quod ſi ea quæ fiunt, propria vi pendere, non ante ſumptis placere

opinio-

A opinionibus æſtimare, aræ iſtæ, quas dicitis, altariaq; hæc
pulchra, infeliciſſimi animalium generis vſtrinę, rogi ſunt,
& buſticeta in opus ſtructa fœdiſſimum, atque in ſedem fa
bricata fœtorum. Quid dicitis ô iſti? ergone ille putor, qui
ex coriis tollitur atque exſpirat ardentibus, qui ex oſſibus,
qui ex ſetis, es agnorum lanitiis, gallinarumq; de plumis,
dei munus, & honor eſt? mactaturq; hoc illis, quorũ tem-
pla cùm adire diſponitis, ab omni vos labe puros, lautos
caſtiſſimoſque præſtatis? Et quid eſſe his poteſt coinquina-
tius, infelicius, ſpurcius, quam ſi ita facti ſunt ſenſus ſui na-
tura, vt in amoribus habeant tam ſæua, ſintq; illis in volu-
ptate putores: quos neque ipſi ſacrificantes ferre, nec inge-
nuæ ſuſtinere tractos valeant per ſpiritum nares? Quod ſi
animantium cruore honorari, & affici ſuperorum animos
exiſtimatis, cur non eis & mulos, & elephantos mactatis,
& aſinos? cur non & canes, vrſos, & vulpes, & camelos, &
beluas, & leones? & quoniam volucres hoſtiarũ quoq; in
numeris ponitis, cur non vulturios, aquilas, ciconias, im-
muſſulos, buteones, coruos, accipitres, noctuas, cumq; il-
lis ſalamandras, natrices, vi[illegible], ſolifugas? Nempe ſubeſt
B & his ſanguis, & conſimili ra[illegible]one vitali agitantur ſpiritu.
Quid in illis maioris eſt operis, aut ſolertiæ in his minus, vt
iſta non augeant, ſuperorum illa amplificent dignitatem?
Quia rebus ex his (inquit) deos par eſt honorare cœleſtes,
quib. ipſi alimur, ſuſtentamur, & viuimus, & quas nobis ad
victũ ſui numinis tribuere benignitate dignati ſunt. Sed &
cuminũ, naſturtium, rapa bulbos, apium, carduos, radices,
curbitas, rutam, mentam, ocimum, puleium, porrumque
ſectiuum, iidem tribuere dij vobis, eſſeque in vſibus veſtris
alimoniarum in parte iuſſerunt. Quid ergo ceſſatis altari-
bus & hæc dare, rebuſque his omnibus cunilam ſuperſper-
gere bubulam, & acrimonias intermiſcere ceparum? Ecce
ſi vos canes (neceſſe eſt enim quædam fingi, perſpici vt li-
quidius res poſſint) ſi inquam canes, & aſini, ſi motacillæ
cum his ſimul, ſi hirundines garrulæ, pariterque cum his
porci ſenſu aliquo humanitatis accepto deos putarẽt atq;
exiſtimarent vos eſſe: ſacraque vobis intenderent: honores
ergo facerent non ex materiis aliis, aliiſq; de rebus, ſed qui-
bus ali motis eſt illis, & naturali appoſitione fulciri. Audi-
re à vobis expoſcimus, vtrumne hunc honorem, an contu-
C meliam potius eſſe iudicaretis ampliſſimam: cùm hirundi-
nes vobis muſcas, motacillæ cederent conſecrarentq; for-
miculas: cum altaribus veſtris darent aſini fœnum, paleaſ-
que libarent: cùm imponerent canes oſſa, & humani ſter-
coris proluuiem concremarent: cùm ad vltimum porcoli
cœnum vobis profunderent ex volutabris horrentibus, lu
toſis & voraginibus ſumptum? Ita ergo non deſpui veſtras
inflammaremini dignitates, ſtercoribuſque vos accipi in-
iet atroces computaretis iniurias? Sed taurorum corporib.
honoratis vos deos, & aliorum animantium cædibus. &
quid hoc ab illo differt, cùm & ipſa ſi nondum, mox tamen
futura ſint ſtercora, & exigui temporis contracta inter-
lectione putreſcant? Denique deſinite ſupponere aris ignẽ:
iam profectò cernitis viſcera illa taurorum ſacra, quibus
honor à vobis auctificatur deorum, feruescere vermibus
& fluctuare, vitiare & corrumpere ſtatum cœli, & ex odo-
ribus morbidis regiones conſauciare vicinas: quam ſi vo-
bis præcipiant dij curam, veſtram in valetudinem vertere,
prandia inde, vel cœnas ſolenni ex more conficere, longè
D fugiatis, execrarique odoris genus veniam poſcatis à ſupe-
peris, facturoſque vos eis nunquam talia ſacra iuretis. Ita
iſtud non ludere eſt, non confiteri, non pandere, quid ſit
deus neſcire, nec cui potentiæ debeat nominis huius vis
ſubdi, appellatioq; ſupponi? Cibis nouis auctificatis deos,
nidoribus cohoneſtatis, & ſuccis: & quia verbis iucunda,
& grata ſunt, eaque vos aluut, deos etiam creditis in eorũ
affluere voluptates, latratorum & canum ritu oſſis ſæui-
tias ponere, atque alludere porrigentibus ſæpius. Et quo-
niam nobis in manibus hoſtiarum ſermo verſatur: quę cau-
ſa, quæ ratio eſt, vt cùm dij immortales (ſint enim & per
nos licet quicunque eſſe creduntur) ſint vnius ſententiæ,
vel vnius debeant eſſe naturæ, generis, & qualitatis vnius,
non omnibus omnes hoſtiis, ſed quibuſdam quidam ſa-
crorum mulceantur legibus? Quæ eſt enim cauſa (requi-
ram vt eadem rurſus) vt ille tauris deus, hædis alius hono-
retur, aut ouibus, hic lactentibus porculis, alter intonſis
E agnis, hic virginibus bubulis, capris ille cornutis, hic ſteri-
libus vacculis, at ille ingentibus ſcrofis, hic albentibus, ille
atris, alter fœminei generis, alter verò animantibus maſcu-
linis? Si enim honoris & reuerentiæ cauſa mactantur diis
hoſtiæ: quid refert, aut intereſt cuius animalis è capite lu-
atur hoc debitum, cuius ira offenſioque punatur? An
nunquid alterius alteri minus gratior & iucundior ſan-
guis eſt? alteri vero alterius voluptatem infundit, & gau-
dium? aut (vt fieri moris eſt) obſeruationis alicuius, & re-
ligionis metu, ille caprina abſtinet ſe carne, porcinũ alius
exſecratur attactum, huic ouilla ſorru lenta ſunt viſcera: ac,
ne ſtomachum fatiget inualidum, hic bubulam duritiem
vitat, & lactentium lenitatem, quo digerat expeditius, ſu-
mit? Sed erras, inquit, & laberis: nam diis fœminis fœminas
mares maribus hoſtias immolare abſtruſa & interior ratio
eſt, vulgique à cognitione dimota. Non inquiro, nõ exigo,
quid ſacrorum præcipiant, vel quid contineant leges, ſed ſi
iuſſerit ratio, atq; obtinuerit veritas, differentiam generũ
nullam in diis eſſe, neq; vllis ſexib. eos eſſe diſcretos: nõne
F ſolui neceſſe eſt? nonne rationes has omnes ſe ſtultiſſimis
credit as opinationib. comprobari inuenitis? Sapientũ viro
rũ nõ aduocabo ſententias, qui riſum nequeunt cõtinere,
cùm diſcrimina ſexuum diis audiunt immortalibus attri-
buta: vnoquoque ab hominum quæro: an ipſe apud ſe cre-
dat, ſibique ipſe perſuadeat, diſtinctum eſſe deorũ genus,
mares, ac fœminas hos eſſe, & ad generandos fœtus con-
uenientium membrorum diſpoſitione formatos? Sed ſi
ſexibus ſexus pares, id eſt fœminas fœminis, mares aũt ho-
ſtias diis maribus immolari ſacrificiorum iura præſcribũt,
quæ in coloribus ratio eſt, vt merito his albas, illis atras cõ-
ueniat, nigerrimaſque mactari? Quia ſuperis diis, inquit,
atque hominum dexteritate pollentibus, color lætus ac-
ceptus eſt, ac felix hilaritate candoris. At vero diis læuis, ſe-
deſq, habitantibus inferas, color furuus eſt gratior, & tri-
ſtibus infectus è fucis. Sed ſi rurſus obtinuerit ratio, infe-
rorum penitus caſſum eſſe nomen & vacuũ, neq; vlla ſub
terris regna eſſe domiciliaq; Plutonia, opinionẽ neceſſe eſt
id quoq; fruſtrari, quam ſuper atris pecudib. habetis, diuiſ-
que inferis. Quod ſi inferi nulli ſunt, deos etiá maniũ
neceſſe eſt eſſe nullos. Fieri enim qui poteſt, vt cùm loca
G ſint nulla, eorum, quæ non ſunt, vlli perhibeantur eſſe cul
tores? Sed aſſentiamur (vt vultis) & eſſe inferos, & eſſe ma-
nes, & habitare neſcio quos in his deos hominibus minus
fauſtos, & triſtioribus præpoſitos rebus, & quæ cauſa, quæ
ratio eſt, vt atræ his hoſtiæ, nigerrimique admoueantur co-
lores? quia nigra nigris conueniunt, & triſtia conſimilibus
grata ſunt. Quid ergo? non videris (vt vobiſcum & nos
ſtolidè, ſimiliterque ludamus) albas eſſe hoſtiarum carnes
oſſa, dentes, pinguitias, nnéta cum cerebris, molleſque in
oſſibus medullas? Sed vellera nigra ſunt, nigræq; animan-
tium ſetæ. Solas ergo immolate diis lanas, vulſaſque ex ho
ſtiis ſetulas, relinquite infeliciſſimas pecudes ſpoliatas li-
cet, ac tonſas cœli animam ducere, & paſtibus innocentiſ-
ſimas incubare. Quod ſi grata numinibus inferis ea, quæ
ſunt nigra, furuique exiſtimatis coloris: cur non omnia cę-
tera, quæ illorum inferre ſacrificiis moris eſt, ſint nigra, &
fumigata, terraque, & colorata curatis? Inficite thura, ſi dã-
tur: ſalſas fruges, atque vniuerſa libamina: lacti, oleo, ſan-
guini, hic ponat vt purpureum colorẽ, illa vt ſint lurida, fu
liginem infundite cum fauillis. Quod ſi vobis religio nul-
H la eſt alba quædam ferre, & ſuos retinentia candores: ipſi
veſtras religiones rationeſque diſſoluitis, cùm ſacrorum in
opere nihil vnum, perpetuumq; ſeruatis: Sed & illud hoc
loco conſentaneum eſt ex vobis addiſcere. Si caput cæda-
tur Ioui, quem patri ſolenne eſt Libero, Mercurioq; macta
ri ant bos ſi ſterilis Vnxiæ, quam Proſerpinæ tribuitis, quo
ritu, atq, obſeruatione præcipitur: quid facinoris in hoc e-
rit, quid malorum, ſceleriſue contractũ: cum nihil inter ſit
obſequij, cuius animalis è capite honorarium iſtud debitũ
compleatur? Confundi hæc, inquit, fas non eſt, nec piaculi
parui eſt officia rituum, procurationemq; miſcere: Cauſam
oro ediſſere. Quia generis certi hoſtias certis ius eſt conſe-
crare numinibus, certaq, & ſupplicaméta præſtari. Et quæ
iterum cauſa eſt, vt generis certi hoſtias certis ius ſit con-

A

ſectate numinibus, certaque & ſupplicamenta præſtaoi? & hoc enim ius ipſum debet habere ſuam cauſam, certiſq; ab rationibus exoriri, duci, antiquitatem, conſuetudinéq; dictorus es. hominum mihi ſcita pronuncias, & cæci animalis inuenta. Ego autē cùm poſtulo cauſam mihi depromi, audire deſidero, aut cœlo aliquid lapſum, aut quod magis res poſcit, quid applicitum Iuppiter ad tauri habeat ſanguinem, vt ei debeat immolari, non debeat Mercurio, Libero? Aut natura quæ capri eſt, vt his rurſus accommoda, Iouialibus conueniens ſacrificiis non ſit? Animalium facta eſt inter deos diuiſio, tranſactionis alicuius pactione conuenit, vt ille contineret ab huius ſe hoſtia? hic vt vſurpare deſineret alieni ſanguinis iura? an, vt zelotypi puſiones, cōmunicare guſtatum ſuarum pecudum noluntatur, vt gentibus fieri moris diuerſiſſimi fama eſt, quæ habētur his eſui, aliarum eadem reiiciuntur ab victibus? Ergo ſi hęc caſſa ſunt, nec rationis alicuius habentia firmitatem, ſacrificiorum & ipſa inanis eſt ratio. Etenim qui poteſt habere idoneam id, quod ſequitur, cauſam, cùm ipſum illud primum, à quo defluit ſecundum, inaniſſimum eſſe reperiatur

B

& vacuū, & nulla ſoliditate firmatum? Telluri (inquiunt) matri ſcrofa ingens immolatur fœta, at Mineruæ virgini virgo cæditur vitula, nullis vnquam ſtimulis, nullius operis excitata conatu. Atqui nos arbitramur nec virginem virgini oportuiſſe mactari, ne virginitas violaretur in pecude, qua dea plurimum pollet: nec Telluri grauidas atq; fœtas ob honorem fœcunditatis ipſius, quam cūcti expetimus & optamus inextinguibili ſemper fœcunditate procedere. Nam ſi, quia virgo Tritonia eſt, iccirco ei cōuenit virgines hoſtias immolari: & quòd Tellus eſt mater conſimiliter grauidis accipiēda eſt ſcrofis: ergo & muſicis Apollo, quod muſicus: & quod medicus Æſculapius, medicis: & quod faber Vulcanus eſt, fabris: & quod Mercurius eloquens eloquentibus debet diſertiſſimiſq; mactari. Quòd ſi dicere iſtud inſanum eſt, aut (vt mediocriter pronunciē) brutum: multo illud maioris amentiæ eſt, fœtas iugulare Telluri, quòd ſit fœtibus grauior: Mineruæ caſtas & virgines, quia ſit pura virginitatis intactæ. Nam quod dici à vobis accipimus, eſſe quoſdam ex diis bonos, alios autem malos, & ad nocendi libidinem promptiores: illiſq; vt proſint, his verò ne noceant ſacrorum ſolennia miniſtrari: qua

C

nam iſtud ratione dicatur, intelligere fatemur non poſſe, nam deos benigniſſimos dicere, leneſq; habere naturas & ſanctūm, & religioſum, & verum eſt: malos autē, & læuos nequaquam ſumendum eſt auribus: ideò quoniam diuina illa vis ab nocendi procul eſt dimota & diſiuncta natura. Quicquid autem poteſt cauſam calamitatis inferre, quid ſit primùm videndum eſt, & ab dei nomine longiſſima debet diſſeritate ſeponi. Itaq; vt vobis commodemus aſſenſum, dextrarum, ſiniſtrarumque rerum deos eſſe fautores: vlla nec ſic ratio eſt cur alios alliciatis ad proſpera, alios verò, ne noceant, ſacrificiis commulceatis & præmiis. Primùm quòd dij boni malè non queunt facere, etiam ſi nullo fuerint honore mactati: quicquid enim mite eſt, placidumque natura, ab nocendi procul eſt vſu, & cogitatione diſcretum: malus verò comprimere ſuam ferociam neſcit, quamuis gregibus mille, & mille alliciatur altaribus: neq; enim in dulcedinem vertere amaritudo ſe poteſt: aut ariditas in humorem, calor ignis in frigora: aut quod rei cui-

D

cunque contrarium eſt, id quod ſibi contrarium eſt, in ſuam ſumere, atq; immutare naturam. vt ſi manu viperam mulceas, venenato blandiaris aut ſcorpio: petat illa te morſu, hic contactus aculeum figat: nihilque illa proſit alluſio, cùm ad nocendum res ambæ non ſtimulis exagitentur irarum, ſed quadam proprietate naturæ. Ita nihil prodeſt promereri velle per hoſtias deos læuos, cùm ſiue illud feceris, ſiue contrà non feceris, agant ſuam naturam, & ad ea quæ facti ſunt, ingenitis legibus & quadam neceſſitate ducantur. Quid quòd iſto modo vterque dij deſinunt eſſe ſuis in viribus, & ſuis in qualitatibus permanere? Nam ſi bonis vt proſint, res diuina conficitur, aliis autem ne noceant, iiſdem rationibus ſupplicaturi ſequitur vt intelligi debeat, nihil dexteros profuturos, nulla ſi acceperint munera, fieriq; ex bonis malos: malos autem ſi acceperint, nocendi poſituros morem, fieriqne ex hoc bonos: atque ita

E

perdocitur res eò, vt neque hi dexteri, neque illi ſint læui: aut (quod fieri non poteſt) vtriq; ipſi ſint dexteri, & vtriq; iterum læui. Eſto, concedatur infeliciſſimas pecudes non ſine aliquo religionis officio diuorum apud templa mactari, & quod ex vſu conſuetudinis factum eſt, rationis alicuius cauſam aliquam continere: ſed ſi magnificum videtur, atque amplum, iugulare diis tauros, ſi illibata, ſi ſolida concremari animantium viſcera, quid ſibi reliqua hæc volunt magorum cohærentia diſciplinis, quæ in ſacrorū reconditis legib. pontificalia reſtituere myſteria, & rebus inſeruere diuinis? Quid, inquam, ſibi hæc volunt, apexabo, iſicia, ſilicernia, longauo? quæ ſunt nomina, & farciminum genera, hirquino alia ſanguine, comminutis alia inculcata pulmonib. Quid tucceta? Quid neniæ? quid offæ non vulgi, ſed quibus eſt nomē appellatioq; penitæ: ex quib. quod primum eſt, in exiguas aruina eſt miculas, & illa minutim inſecta de more: quod in ſecundo ſitum eſt, inteſtini eſt portectio, per quam proluuies editur, ſuccis perexiccata vitalibus. offa autem penita eſt, cum panicula viſceris cauda pecoris amputata. quid polimina? quid omenta? quid pa-

F

laſea? ſiue (vt quidam cognominant) plaſea? ex quibus eſt nomen omenti pars quędam quo receptacula ventrū circumretita ſiniuntur. Bouis cauda eſt plaſea, ſiligine, & ſanguine delibuta. Polimina porrò ſunt ea, quæ nos proles verecundius dicimus: à vulgaribus autem aſſolent cognomine teſtiū nuncupari. Quid fitilla, quid frumē, quid aſtricia, quid gratilla, catumeum, cōſpolium, cubula? ex quib. duo, quę prima ſunt, pultium nomina, ſed genere & qualitate diuerſa. Series verò, quæ ſequitur, liborum ſignificantias continet: & ipſis.n. non eſt vna eademq; formatio. non enim placet carnem ſtrebulam nominare, quę taurorum è coxendicib. demitur, pulpamenta non aſſa, quæ in veribus exta ſunt, animata prius & torrefacta carbonibus: non ſalſamina deniq;, quæ ſunt vna cum mixtu quadrinis copulata de frugibus. Non ſimiliter fendicas, quæ & ipſæ ſunt ditæ, quas plebis oratio illa ſolet, cum eloquitur, nōcupare: non ratione eadem ærumnas, quæ ſunt prima in gurgulionibus capita, quà deiicere cibos & referre natura eſt ruminatoribus vitulis. Non magmenta, non augmina, non mille ſpecies, vel amen ſanguinum, vel hillarum, quibus

G

nomina indidiſtis obſcura, vulgoque vt eſſent auguſtiora feciſtis. Si enim quæcunque ab hominibus fiunt, maximeque in re ſacra, debent habere ſuas cauſas, nec ſine ratione eſt quicquam in negociis omnibus, atque in omni adminiſtratione faciendum, ediſſertate nobis, & dicite, quæ ſit cauſa, quæ ratio, vt hæc coram diis dentur, ſacriſque adoleantur altaribus? In hoc enim diutius loco huic cauſæ vel maximè neceſſario immoramur, inſiſtimus, inhæremus, cupientes addiſcere quid cum pultibus deo ſit, quid cū libis, quid diuerſis cum fartibus, confectionis iure multiplici atque impenſarum varietate conditis? Opiparis numina cœnis afficiuntur, aut prandiis, vt innumeras conueniat excogitare his dapes? auerſionibus ſtomachorum laborant? & ad expellenda faſtidia ſaporum varietas quæritur, vt modo his aſſa, modo cruda ponantur, ſemicocta modo & ſemicruda? Quod ſi omnes has partes, quas præſicias dicitis accipere dij amant, ſuntq; diis gratæ, vel voluptatis alicuius vel dulcedinis ſenſu, quid intercedit, quid prohibet, vt non ſemel hæc omnia totis cum animantibus inferatis?

H

Quæ cauſa, quæ ratio eſt, vt caro ſtrebula ſeparatim, ruma, cauda, & plaſea ſeparatim, iſitium ſolum, omentum ſolum augmentorum adiciatur in cauſam? Pulmentorum varietatibus afficiuntur alij cœlites, vt fieri mos eſt poſt cœnarum ditium & locupletium ſaginas. fruſtilla hæc paruula pro ſuauibus mateolis ſumunt, non quib. famem ſedēt, ſed vt palatis admoueant ocium, ſeque ipſos plenæ appetitus voracitatis inſtigent? O deorum magnitudo mirabilis: ô nullis hominum comprehenſa, nullis intellecta naturis! ſiquidem vt proſint, teſticulis pecudum redimuntur, & rumis, neq; prius iras, atque animos ponunt, niſi ſibi adoleri paratas conſpexerint nænias, offaſq; penitas. Sequitur vt de thure, deq; mero aliquid ſine vlla iumietate dicam*. Copulata enim, & mixta ſiunt cæremoniarum & hæc genera, cultuſq; adhibētur in plurimum. Ac primum illud à vobis iſto ipſo quærimus peremtorieq; de thure: vnde

ant

A aut quo tempore noſſe illud aut ſcire potuiſtis, vt merito
exiſtimetis aut eſſe diis dandum, aut eorum acceptiſſimum
voluntati. Nouella enim propemodum res eſt, neque an-
norum inexplicabilis ſeries, ex quo eius notitia profluxit in
has partes, & delubris meruit intereſſe diuinis. Nam ne-
que temporibus, quemadmodum creditur & perhibetur,
heroicis quidnam eſſet thus ſcitum eſt, ſcriptoribus vt cõ-
probatur a priſcis, quorum in libris poſita nulla eius men-
tio reperitur: neque genitrix & mater ſuperſtitionis He-
truria opinionem eius nouit aut famam, ſacellorum vt
indicant ritus: neque quadringentis annis, quibus Albana
res viguit, in vſum cuiquam venit, ſacra cùm res fieret: ne-
que ipſe Romulus, aut religionibus artifex in commiſcen-
dis Numa, aut eſſe ſciuit aut naſci: vt pium far inſtitat quo
peragi mos fuit ſacrificiorum ſolennium munia. Vnde igi-
tur cœpta eſt vſurpatio eius aſſumi: aut in antiquam & ve-
terem conſuetudinem quænam irruit nouitas, vt quod
tempeſtatibus tantis neceſſarium non fuit locum ſumeret
in cæremoniis primum? Nam ſi ſine thure religionis offi-
cium claudicat, neceſſariaque vis eius eſt, quæ propitios
B faciat mireſque hominibus cœlites: peccatum eſt ab anti-
quis, quinimo piaculis plena vita omnis illorum fuit: qui
quod maximè conueniens deorum fuerat voluptati, per
incuriam neglexere libare. Sin autem temporibus priſcis,
neque homines, neque dij huius thuris expetiuere mate-
riam, comprobatur & hodie fruſtra illud, inaniterque præ-
ſtari, quod neque antiquitas neceſſarium credidit, & ſine
vllis nouitas rationibus appetiuit. Denique vt illam ſem-
per regulam definitionemque teneamus, qua demonſtra-
tum & traditum eſt, quicquid fiat ab homine, habere oporte-
re ſuas cauſas, & in iſta quoque retinebimus parte, vt re-
quiramus ex vobis quæ ſit cauſa, quæ ratio, vt ante ipſa nu-
minũ ſigna, thura iniiciantur altaribus, & ex eorum incen-
dio familiaria fieri exiſtimentur & mitia: quid ex huiuſmo-
di facto acquiritur his rei, aut eorum ad animos quid acci-
dit, vt merito iudicemus rectè iſta dependi, & non fruſtra
atque inaniter concremari? Vt enim vos debetis oſtendere
cur thura diis detis, ſic & deos ſequitur vt debeant expro-
mere habere aliquam cauſam, cur ea non reſpuant, quin-
imo cur ea tam familiariter concupiſcant. Honoramus
C (inquiet aliquis fortaſſe) his deos. Sed nos non veſtrum,
ſed numinum requirimus ſenſum: nec quid fiat à vobis, ſed
pendatur ab his quam, quod in præmium datur fauoris,
interrogamus. Sed tamen ô pietas, quantus iſte eſt honor,
aut qualis: qui ex ignis odore conficitur, & reſina ex arbo-
ris comparatur? Nam ne forte ignoretis quid, aut vnde ſit
thus iſtud: viſcum eſt ex corticibus profloës, ita vt ex amyg-
dalo, ceraſo, lachrymabili deſtillatione coaleſcens. Hoccine
ergo ſuperas honorat & auctificat dignitates, aut offen-
ſa ſi aliquando contracta eſt, thuris vapore diſſoluitur, &
temperata indignatione ſopitur? Quid ergo ceſſatis cuiuſ-
libet arboris viſcum, ſine vlla paſſim differentia combure-
re? Nam ſi honorantur hoc numina, nec indignè ſuſtinent
panchaicas ſibi ardere reſinulas, quid intereſt, vnde fu-
mus altaribus conficiatur in ſanctis: vel ex viſci quo gene-
re nubes ſuffitionis exæſtuent? At nunquid aliquis dicet,
iccirco ſuperis thus dari, quod odoratus habeat ſuaues,
& narium commulceat ſenſum; reliqua vero ſint aſpera, &
ob cauſam offenſionis excluſa? Habent enim dij nares,
quibus ducant aëreos ſpiritus, accipiunt auras, & remit-
D tunt: vt penetrare illos poſſint nidorum differentium qua-
litates? Quod ſi damus vt fiat, mortalitatis eos adiungi-
mus legi, & excludimus diuinitatis à finibus. Quicquid
enim ſpirat & reciprocos halitus auris commeabilibus
ducit, id neceſſe eſt eſſe mortale, quia cœli ſuſtinetur è
paſtu. Quicquid autem cœli ſuſtinetur è paſtu, ſi recurſus
abſtuleris, quibus alternatio redditur abſtrahiturque vita-
lis, oblidi eius neceſſe eſt animam, & rationem ſubrui at-
que interire viuendi. Ergo ſi & dij ſpirant, odoremque ad
ſe attrahunt auris comitantibus inuolutum, non eſt ab re
dicere & alienis eos ſuffitionibus viuere, & interclusis
poſſe ſpiraminibus interire. Et vnde nouiſſimè ſcitis, an ſi
odorum ſuauitate capiuntur, eadem ſint eis iucunda quę
vobis, & pari ſenſu veſtras mulceant afficiantque natu-
ras? Nonne fieri pote eſt, vt quæ vobis afferunt volupta-
tem, contra illis aſpera videantur & triſtia? Cum enim
deorum ſint ſententiæ diſpares, ſubſtantiæque non vnæ: E
quibus effici rationibus poteſt, vt quod qualitate diuer-
ſum eſt, vnum ſentiat accipiatque contactum? An non
quotidie cernimus & inter animantia terris orta, eſſe aliis
eadẽ vel amara vel dulcia: mortifera eſſe his, quæ illis nata
in perniciẽ non ſunt: vt q̃ illos mulceant odoribus lætis, ea
dẽ peſtiferos halitus aliorum corporib. ſpirent? Sed hoc vt
fiat, & accidat, non in rebus eſt cauſa, quæ ſimul eſſe morti-
feræ, ſimul ſalutares, ſimul dulces nequeũt, ſimulq; amaræ
cõſiſtere: ſed, vt quiſq; eſt factus, ad extrinſecus rei venien-
tis attactum ita afficitur: qualitatem non accipit ex rerum
impulſionibus natam, ſed ex ſui ſenſus contagiique na-
tura. Verùm omnis hæc ratio longè eſt ab diis ſita, nec
exigui limitis interiectione diſcreta. Nam ſi verum eſt (vt
ab ſapientibus creditur) incorporales hos eſſe, neque ſoli-
ditatis alicuius eminentia ſubleuari, inanis apud hos o-
dor eſt, nec ſenſibiliter commouere aut eos potis eſt ni-
doris alicuius: non ſi mille tu pondera maſculi thuris in-
cendas, cœlumque hoc totum redundantium vaporum
nebuloſitate cludatur. Quod enim non habet robur &
ſubſtantiam corporalem, contrectari à ſubſtantia non po- F
teſt corporali: odor autem corpus eſt, tactis ſicut naribus
indicatur: à deo ergo ſentiri ratione non poteſt vlla, qui
caret re corporea, atque omni ſenſu & cogitatione priua-
tus eſt. Merum thuris eſt ſocium, quod explanari conſimi-
liter poſcimus, cur ei ſuperfundatur incenſioni. Si enim
ratio cur fiat non oſtendetur, nec habebit expoſitam ſui
cauſam, non iam iſtud errori obiiciendum eſt ludicro, ſed
(vt dicatur expreſſius) inſaniæ, dementiæ, cæcitati. Vt enim
iam ſæpius dictum eſt, debet omne quod geritur, cauſam
ſui habere perſpicuam, nec caliginis alicuius obſcuritate
contectam. Si ergo fiduis facto, aperite, monſtrate, liquor
iſte cur detur, id eſt vinum ſuperfundatur altaribus. Nun-
quid enim numinum corpora ſitim ſentiunt aridam, & eo-
rum neceſſe eſt ſiccitates humore aliquo temperari? Nun-
quid nobis vt mortalibus mos eſt, cibis interiſcere po-
tiones, pari etiam more poſt ſolitos victus liborum, & pul-
tium, hoſtiarumque cæſarum, quo putrefiat facilius &
percoquatur cibus, frequentiſſimo irrigant accipiuntque
ſe vino? Date quæſo immortalibus diis, bibant, ſcyphos,
brias, pateras, ſympiniaque depromite: & quoniam tauris G
pinguibuſque ſe dapibus, atque opimis infarciunt eſcis:
ne quod in ſtomachi tramite malè tranſuoratum ſubſtite-
rit viſcus: ſuccurrite, properate, Ioui optimo maximo me-
rum, ne præfocetur, date: cupit eructare, nec potis eſt, ac ni
illa labatur, & diſſoluatur obſtructio, periculum maxi-
mum eſt, ne obliſus interrumpatur ſpiritus, & viduatum
remaneat ſine ſuis adminiſtratoribus cœlum. Sed fruſtra,
inquit, inequitas nobis: non enim nos ſuperis ob eas pro-
fundimus merum cauſas, tanquam illos exiſtimemus aut
ſitire, aut bibere, aut ſuauitatis eius affectione lætari. Ho-
noris eis ergo datur, quo fiat illorum elatior, amplior, au-
guſtiorque ſublimitas, altaria ſuper ipſa libamus, & vene-
rabiles cniſſas carbonibus excitamus extinctis. Et quæ
grauior infligi contumelia diis poteſt, quàm ſi eos credas
accepto mero propitios fieri: aut honorem exiſtimes ha-
bitum his magnum, ſi modo vini exigui rorem ſuper vi-
uidam ieceris atque inſtillaueris prunam? Non nobis eſt
ſermo cum hominibus rationis expertibus, neq; quib. nõ
ſit communis intelligentiæ veritas: ineſt & vobis ſapientia,
ineſt ſenſus, verumq; nos dicere apud vos ipſi interiore iu- H
dicio ſcitis. Sed quid facere poſſumus cõſiderare nolentib.
penitus res ipſas, ſecumq; ipſos loqui? Facitis enim quod
fieri cernitis, nõ quod fieri oportere cõfiditis: nimirũ quia
apud vos plus valet nullam habens conſuetudo rationem
quàm rerum inſpecta natura veritatis examinatione pon-
derata. Quid eſt enim deo cum vino, aut in eius materia
vis qualis, aut quanta eſt: quod cũ effuſum fuerit, ſublimi-
tas eius augeſcat, & honorata exiſtimetur auctoritas?
Quid inquam deo cum vino eſt, Veneris re proxima, ner-
uos omnium debilitante virtutum, verecundiæ, pudoris,
& caſtitatis inimica? quod in inſanias, & furores mentes
ſæpius præcipitauit excitas, ipſoſque illos deos maledictis
compulit exauctorare dementibus. Itane iſtud non nefas,

& ple-

A & plenum ſacrilegij crimen eſt, honori hoc dare quod ſi tu
id auidius ſumpſeris, quid facias, neſcias: quid loquaris,
ignores: ad extremum temulenti, luxurioſi, & perditi, cō-
uitium, infamiamque merearis? Operæpretium eſt etiam
verba ipſa depromere, quibus, cùm vinum datur, vti, ac
ſupplicare conſuetudo eſt. Mactus hoc vino inferio eſto.
Inferio, inquit Trebatius, verbū ea cauſa eſt additum, eaq;
ratione profertur: ne vinum omne omnino, quod in cellis,
atq; apothecis eſt conditū, ex quibus illud quod effundi-
tur promptum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex vſibus eripia-
tur humanis. Addito ergo hoc verbo, ſolum erit, quod in-
feretur, ſacrum, nec religione obligabitur cæterum. Qua-
lis ergo hic honor eſt, in quo imponitur quaſi lex deo ne
plus quærat quàm datum eſt? aut cuius ipſe eſt auiditatis
deus, qui niſi verbi fuerit præſcriptione ſubmotus, cupidi-
tatem ſuam protendat vlterius, & apothecis ſuis ſupplicē
priuet? Mactus hoc vino inferio eſto: iniuria eſt iſta, non
honor. quid enim ſi diuus amplius hoc volet, neque erit
contentus illato? nonne inſigniter dicendum eſt lædi, qui
honorem accipere cum conditione cogatur? Nam ſi exce-
B ptione non addita, ſacrum neceſſe eſt fieri omne omnino
quod in cellis eſt vinum, manifeſtum eſt & deo contume-
liam fieri, cui modus conſtituatur inuito: & vos ipſos in re
ſacra cærimoniarum officia violare, qui non tantum tri-
buitis vini, quantum deum videtis ſibi velle præſtari. Ma-
ctus hoc vino inferio eſto: quid eſt aliud quàm dicere, tan-
tum eſto mactus, quantum volo: tantum amplificatus,
quantum iubeo: tantum honoris aſſumito, quantū te ha-
bere decerno, & verborum circumſcriptione definio. O
deorum ſublimitas præpotens, quam venerari, quam cole
re officiis omnib. cæremonialibus debeas: cui legem vene-
rator imponit, quam cum pactionibus adoras & formulis:
quæ per vnius formidinem verbi ab immodicis vini cu-
piditatibus arcetur. Sed ſit, vt vultis, honor in vino, ſit in
thure, immolatione & cædibus hoſtiarum iræ numinum
offenſioneſque placentur. Etiam dij ſertis, coronis afficiū-
tur, & floribus? Etiamne æris tinnitibus, & quaſſationibus
cymbalorū? Etiamne tympanis? etiamne ſymphoniis? quid
efficiunt crepitus ſcabillorum? vt cùm eos audierint numi-
na honorifice ſecum exiſtiment actū, & feruentes animos
irarum obliuione deponant? An nunquid vt paruuli puſio
C nes ab ineptis vagitibus, crepitaculis exterrentur auditis:
eadem ratione, & omnipotentia numina tibiarum ſtrido-
re mulcentur, & ad numerum cymbalorum mollita indi-
gnatione flacceſcunt? Quid ſibi volunt excitationes illæ,
quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Obdor-
miſcunt.n. ſuperi, remeare vt ad vigilias debeant? quid do-
rmitiones illæ, quibus bene vt valeant, auſpicabili ſaluta-
tione mandatis? Somni enim quiete ſoluuntur, occupari-
que vt hoc poſſint lenes audiendæ ſunt næniæ? Lauatio, in-
quit, deū Matris eſt hodie. Sordeſcunt.n. diui, & ad ſordes
eluendas lauantib. aquis opus, atq; adiuncta antiqua cine-
ris frictione. Iouis epulum cras eſt. Iuppiter enim cœnat,
magniſq; implendus eſt dapibus, iamdudū inedia geſtiens
& anniuerſaria interiectione ieiunus. Æſculapij genitur
celebratúq; vindemia. coluit enim dij vineas, & ab ſua-
ſionib. contracti exprimunt vindemiatoribus vinum. Le-
ctiſternium Cereris erit Idibus proximis. habent enim dij
lectos, atque, vt ſtratis poſſint mollioribus incubare, pul-
D uinorum tollitur atq; excitatur impreſſio. Telluris natalis
eſt. dij enim ex vteris prodeunt, & habent dies lætos, quib.
eis aſcriptum eſt auram vſurpare vitalem. Ludi verò, quos
facitis, quibus Floralibus, & Megalenſibus nomen eſt, cæ-
terique omnes alij, quos eſſe ſacros voluiſtis, & religionū
inter officia deputari: quam rationem habent, quam cau-
ſam, vt inſtitui, condiq, debuerint, & ex numinum appel-
latione ſignari? Honorantur, inquit, his dij, & ſi quas ab
hominib. continent offenſionum memorias illatas, abij-
ciunt, excludunt, redduntque ſe nobis redintegrata fami-
liaritate fautores. Et quæ cauſa eſt rurſus, vt tranquilli, pla-
cidi efficiantur, & mites, ineptæ ſi res fiant, & ab hominib.
otioſis multitudine ſpectante ludatur? Ponit animos Iup-
piter, ſi Amphitryo fuerit actus pronunciatuſq; Plautinus;
aut ſi Europa, ſi Leda, Ganymedes fuerit ſaltatus, aut Da-
nae, motū compeſcit irarum? Tranquillior, lenior, mater
magna efficitur, ſi Attydis conſpexerit priſcam refricari ab E
hiſtrionibus fabulam? obliterabit offenſam Venus, ſi A-
donin in habitu geſtum agere viderit ſaltatoriis in motib.
pantomimum? indignatio relangueſcet Alcidæ, ſi tragœ-
dia Sophoclis, cui Trachiniæ nomen eſt, Euripidis aut Her
cules actitetur? Exiſtimatur tractari ſe honorifice Flora, ſi
ſuis in ludis flagitioſas conſpexerit res agi, & migratum ab
lupanaribus in Theatra? Itane iſtud non eſt deorum immi-
nuere dignitatem? dicare & conſecrare turpiſſimas res eis,
quas cenſor animus reſpuat, & quarum actores inhoneſtos
eſſe ius veſtrum, & inter capita computari indicant infa-
mia? Mimis nimirum dij gaudent, & illa vis præſtans, neq;
vllis hominum comprehenſa naturis, libentiſſimè cōmo-
dat audiendis his aures. quorum ſymplegmatib. plurimis
intermixtos ſe eſſe, deriſionis in materiā norunt: delectan-
tur, vt res eſt, ſtupidorum capitibus raſis, ſalpictarum ſoni-
tu, atque plauſu, factis & dictis turpibus, faſcinorum ingē-
tium rubore. Iam verò ſi viderint in fœmineas molliu-
dines eneruantes ſe viros, vociferari hos fruſtra, ſine cauſa
alios curſitare, amicitiarum fide ſalua contundere ſe alios,
& crudis mutilare ſe ceſtibus, certare hos ſpiritu, buccas F
vento diſtendere, votiſq; inanibus concrepare, manus ad
cœlum tollūt, rebus admirabilibus moti proſiliunt, excla-
mant, in gratiam cum hominibus redeunt. Hæc ſi diis im-
mortalibus obliuionem afferunt ſimultatum, ſi ex comœ-
diis, atellanis, mimis, ducunt lætiſſimas voluptates, quid
muramini, quid ceſſatis, quin & ipſos dicatis deos ludere,
laſciuire, ſaltare, obſcœnas compingere cantiones, & clu-
nibus fluctuare criſpatis? Quid enim differt, aut intereſt,
faciantne hæc ipſi, an ab aliis fieri in amoribus atque in de
liciis ducant? Vnde igitur fluxit, vel ex quibus enata eſt cau
ſis opinionum hæc prauitas? Ex eo ſcilicet maximè, quod
nequeuntes homines, quidnam ſit deus ſcire, quidnam ſit
vis eius, natura, ſubſtantia, qualitas vtrumne habeat for-
mam, an nulla ſit corporis circumſcriptione finitus, agat
aliquid, an non agat, vigiletne perpetuo, an aliquando ſol
uatur in ſomnos: currat, ſedeat, ambulet, an ab huiuſmodi
motibus, & ceſſione ſit liber: Hæc omnia (vt dixi) nequeū-
tes ſcire, neq; ratione aliqua peruidere, in eas ſunt opinatio
nes lapſi, vt deos ex ſe fingerent, & qualis ſibi natura eſt, &
illis talem darent actionum, rerum, voluntatumque natu- G
ram. Quod ſi animal cernerent nullius eſſe te precij, nec
inter formiculam plurimum ſeſeq; eſſe diſcriminis, profe-
ctò deſinerent arbitrari quicq̄ ſe habere cōmune cum ſu-
peris, & intra ſuos fines humilitatis ſuæ modeſtiam conti-
nerent. Nunc vero quia cernunt ora, oculos, capita, buccas
auriculas, naſos, cæteraſque ſe alias membrorum gerere ac
viſcerum portiones, & deos exiſtimant eadem ratione for-
matos, habitumq, illos ſuum compagine in corporea cō-
tinere: & quia gaudere, lætari, mœſtoſq; ſe fieri iſiſtoribus
conſpiciunt cauſis, arbitrantur & numina ex rebus hilario-
ribus gaudere, & ex minus lætis animorum contractione
conduci: mities ſe ludis putant, & cœlitum mentes ludorū
delectatione mulceri. Et quia illis ſe voluptas eſt lauacro-
rum refouere caloribus, & ſuperis ducunt lauationum
eſſe mūditias gratas. Vindemiamus nos homines, & deos
habere natales. Quod ſi poſſent adſcribere valetudines
rentur, & credunt ſuas ducere atq; agitare vindemias: dies
nobis natalitij ſunt, & potentias cœlites dies autumant,
ægritudines, & corporales diis morbos, nō dubitarent eos H
lienoſos, lippulos, atque enterocelicos dicere, eò q̄ ipſi, &
lienoſi, & lippi ſunt ſæpe, & ingenium herniarum magni-
tudine ponderoſi. Age nunc ſumatim, quoniam ſermo pro
latus eſt, & perductus in hæc loca, ſingularum partium op-
poſitionib. comparemus, vtrumne vos melius rebus de ſu-
peris ſentiatis, an potius nos multo & honoratius opine-
mur & rectiꝰ, quodq; rei diuinæ ſuā præſtet, atq; attribuat
dignitatem. Ac primum vos deos, quos in rerū natura vel
arbitramini eſſe, vel creditis, quorumq; in templis omnib.
ſimulachra conſtituiſtis, & formas, profitemini eſſe natos,
& ex maſculorum fœminarumq; ſeminib. conuentionum
progenitos lege. At verò nos contrà, ſi modò dij certi ſunt,
habentq; huius nominis auctoritatem, potētiam, dignita-
tē, aut ingenitos eſſe cenſemus (hoc.n. religioſum eſt crede
re) aut ſi habent natiuitatis exordium, Dei ſummi eſt ſcire

A quibus eos rationibus fecerit, aut ſecula quãta ſint, ex quo eis attribuit perpetuitatẽ ſui numinis inchoare. Vos habere ſexus deos, alioſq; ex his mares, fœminini generis alios eſſe cenſetis, nos potentias cœliteas diſcretas eſſe ſexib. abnegamus: quoniam diſcrimen huiuſmodi terrenis animantibus datum eſt: quas coire, quas generare auctor voluit rerum, ſubſtituendis per libidinem prolibus. Vos hominũ ſimilitudinem gerere, & mortalium vultibus exiſtimatis eſſe formatos: nos effigies remur ſubmotas eſſe ab his longe, quoniam forma mortalis eſt corporis: & ſi forte eſt vlla, comprehendere neminem poſſe indubitabili aſſeueratione iuramus. A vobis artificia ſingula opificum more habere perhibentur: ridemus cùm audimus nos iſta: quoniã diis artes neceſſarias ducimus arbitramurque non eſſe, quas conſtat & liquidum eſt paupertatis ad ſubſidium comparatas. Diſcordiarum alios ex his vos, alios dicitis qui peſtilentias irrogent, alios qui amores, qui furias, alios verò qui præſint bellis, & ſanguinis effuſione lætentur: at verò nos cuncta ab ingeniis numinum iudicamus eſſe diſiuncta, aut ſi ſunt qui hæc mala miſerrimis inferant ſubiciantq; mortalibus, ab deorum contendimus procul eſſe natura, nec ſub huius nominis prædicatione ponendos. B Iraſci & perturbari vos numina, cæteriſque animorum affectib. mancipata eſſe atque obnoxia iudicatis. Nos huiuſmodi motus alienos exiſtimamus ab his eſſe: ſunt enim ferocium generum, & mortalitatis obeuntibus functiones. Vos pecorum ſanguine, vos cædibus, & mactationibus hoſtiarũ gaudere, lætari, & in gratiam cum hominibus remiſſis offenſionibus redire ſopitis. Nos amorem ſanguinis nullum eſſe in cœlitibus ducimus: nec eſſe tam duros, vt miſerorum animantium cæde ſatiatas abiiciant iras. Vos mero, vos thure, honorem arbitramini diis addi, & eorum augeſcere dignitates. Nos monſtrum, & prodigium iudicamus: quod quiſquam hominum credit aut auguſtiorem fieri deum fumo, aut ex rutibus exiguis vini, ipſum ſibi ab hominibus ducere ſatis ſanctè, atque honorificè ſupplicatum. Vos æris tinnitibus, & tibiarum ſonis, vos equorum curriculis, & theatralibus ludis perſuaſum habetis deos delectari, & affici, iraſque aliquando conceptas eorum ſatisfactione molliri. Nos inconueniens ducimus, quinimo C incredibile iudicamus eos, qui gradibus mille genus omne virtutum perfectionis tranſierint ſummitate, in voluptatibus habere atque in deliciis eſſe res eas, quas homo ſapiens rideat, & quæ non aliis videantur continere aliquid gratiæ, quam infantibus paruulis, & triuialiter, & populariter inſtitutis. Hæc cum ita ſe habeant, cumque ſit opinionum tanta noſtrarum, veſtrarumque diuerſitas, vbi aut nos impii, aut vos pii: cum ea partium ſenſibus pietatis debeat atque impietatis ratio ponderari? Non enim ſimulachrum qui ſibi aliquod conficit, quod pro deo veneretur: aut qui pecus trucidat innoxium ſacriſque incendit altaribus, is habendus eſt rebus deditus eſſe diuinis. Opinio religionem facit, & recta de diis mens: vt nihil eos exiſtimes contra decus præſumptæ ſublimitatis appetere. Cum enim cuncta, quæ his dantur, ſub oculis hic noſtris videamus abſumi, quid ad eos aliud ab nobis dicendum eſt peruenire, niſi opiniones diis dignas & eorum conuenientiſſimas nomini? Hæc ſunt dona certiſſima, ſacrificia hæc vera: nam pulticulæ, thura cum carnibus, rapacium alimẽta ſunt ignium, & parentalibus coniunctiſſima mortuorũ. D Si dii immortales nequeunt, inquit, iraſci, neque vllis animorum affectibus eorum quatitur concutiturque natura, quid hiſtoriæ libri volunt, quid annales, quorũ in conſcriptionibus legimus nõnullis offenſionibus deos motos, peſtilentias, ſterilitates, ac frugum inopias, aliaq; intuliſſe ciuitatibus, nationibuſq; diſcrimina: eoſq; rurſus ſacrorum ſatiſfactione placatos, indignationum poſuiſſe feruores, & in habitũ lætiorem ſtatum cœli, tẽpeſtatem mutaſſe? Quid terrarũ fremitus, quid motus, quos eſſe accepimus factos, quòd eſſent acti per indiligentiam ludi, nec ad ſuam formam, conditionemq; exacti? inſtauratis his tamen, & curioſa obſeruatione repetitis, ſuperorum conquieuiſſe terrores, & ad hominum curam, familiaritatemq; reuocatos. Quoties vatum iuſſis, haruſpicumq; reſponſis, poſtquam diuina res facta eſt, & ex gentibus tranſmarinis acciti dii

E quidam delubraque his facta, & in altioribus columnis ſigna quædam & ſimulachra ſunt conſtituta: & imminentiũ auerſi ſunt periculorum metus, & grauiſſimi hoſtes pulſi, & amplificata res publica eſt, & victoriarum frequentibus gaudiis, & prouinciarum poſſeſſione cõpluriumq; vtique non fieret, ſi ſacrificia, ſi ludos, cæteroſq; aſpernarentur dii cultus: neq; ſe honorati eorum procurationibus ducerẽt. Si ergo his datis calor omnia numinum, indignatioq; frigeſcunt, vertunturque in proſpera ea, quæ videbantur afferre terrores, manifeſtum eſt hæc omnia non ſine cœliũ fieri voluntate, & quod ea tribuantur, à nobis inaniter & cum tota imperitia reprehendi. Ventum eſt ergo dum loquimur ad ipſum articulum cauſæ, ventum rei ad cardinẽ, ventum veram atq; ad iunctiſſimam quæſtionem: in quam conuenit, vt debeamus inſpicere, formidine ſuperſtitionis amota, & gratificatione depoſita, vtrumne hi dii ſint, quos ſæuire aſſeratis offenſos, reddique ſacrificiis mites: an ſint longe aliud, & ab huius vi debeant & nominis & potentia ſegregari. Non enim imus inficias, in annalium ſcriptis cõtineri hæc omnia, quæ ſunt à vobis in oppoſitione prolata: nam & ipſi pro modulo, ingeniique pro captu, & legimus, F & eſſe poſitum ſcimus, ludis quondã ipſis Circenſibus, qui Ioui maximo fierent, patremfamilias quendam, antequã inciperent res agi, ſeruum peſſimè meritum per circi aream mediam tranſduxiſſe cæſum virgis, & ex more multaſſe poſt patibuli pœnam. Ludis deinde iam terminatis, profligatiſque curriculis, non multi poſt temporis ſpacium ciuitatem occœpiſſe peſtilentia vaſtari. Cumque dies adderet malum malo grauius, cateruatim & populus interiret: ruſticulo cuidam ſorte humilitatis obſcuro Iouẽ per inſomnium dixiſſe, vti ad conſules ſuaderet præſulem ſibi diſplicuiſſe, monſtraret poſſe melius fieri ciuitati, ſi ludis ſua religio redderetur, & ex integro rurſus curioſa obſeruatione procederent. Quod cùm ille facere minimè curaſſet, vel quod eſſe vanum ſuſpicaretur inſomnium, nullamque habiturũ apud auditorem fidẽ: vel quod ingenitæ humilitatis memor poteſtatis tantæ fugeret & formidaret acceſſum: cunctatori redditum inimicum Iouem, filiorum obitus irrogauiſſe pro pœna. Mox cùm & ipſi proprium minaretur interitum, ni præſulis pergeret nuncius improbati: ob eũdẽ formidine territatum, cùm iam & ipſe contractus peſtilẽtiæ G flagraret incendio, de ſententia propinquorum perlatum ad curiam patrum, inſomniique expoſita viſione, flammas euolauiſſe contagii. Ludorum deinde inſtauratione decreta, & ſpectaculis adhibitam grauẽ curam, & priſtinẽ populo redditam ſanitatem. Sed neq; illud æquè negabimus ſcire, temporibus quõdam ciuitatis & reipublicæ duris, vel quæ lues infeſta faciebat continua populum contage conficiẽs: vel quæ hoſtes validi, & ad periculum libertatis auferendæ præliorum proſperitate iam proximi: iuſſis, & monitis vatum, tranſmarinis ex gentibus quoſdam deos accitos, magnificiſque honoratos templis, & luis ſedaſſe flagrantiam, & viribus hoſtium fractis frequentiſſimè triumphatum, & auctos Imperii fines, innumeraſque prouincias ſub leges veſtri cecidiſſe dominatus. Sed neque hoc noſtram conſcientiam fugit, lectum & poſitum, ictũ cùm eſſet Capitolium fulmine, multaque in hoc alia: Iouis etiam ſimulachrũ ſublimi quod in culmine ſtabat, ſuis eſſe ab ſedibus prouolutum. Reſponſum deinde ab haruſpicibus editum res ſæuas, triſtiſſimaſq; portendi: ab incendiis, cædibus, ab legum interitu, & ab iuris occaſu, maximè tamen ab domeſticis hoſtibus, atque ab impia coniuratorum manu. H Sed flecti hæc poſſe, imò aliter publicari ſcelerata non poſſe cõſilia, niſi Iuppiter rurſus altius in culmine figeretur, orientalem cõuerſus ad cardinem, radiiſque oppoſitus ſolis. Affuiſſe dicto fidem: nam ſubrepto culmine conuerſoq; ad ſolem ſigno, patuiſſe res abditas, & reſerata ſu maleficia vindicatum. Habent quidem miraculi ſpeciem, quinimo habere creduntur cuncta iſta, quæ dicta ſunt: ſi ita, vt ſunt prompta, humanum veniant ad auditum: nec diffitemur ineſſe his quiddam, quod in prima poſitum (quemadmodum dicitur) fronte, perſtringere aures poſſit, & veritatis ſimilitudine circumuenire. Cæterum ſi penitus intueri res factas, perſonas, & perſonarum volueris voluntates, nihil eſſe reperies diis dignum, & quod ſæpè iam dictum eſt,

A quod ad huius nominis ſpeciem, dignitatemq; referatur. Quid eſt enim primum, qui Deum illum fuiſſe credat, qui currentibus fruſtra delectaretur equuleis, euocarique ſe genere hoc ludicri iucundiſſimum quo duceret? Imo illũ fuiſſe quis eſt qui aſſentiatur Iouem, quem deum principem dicitis, & rerum quæcunq; ſunt conditorem: qui ſpectatum proficiſceretur è cœlo, cantherios de velocitate certantes, replicantes gyros ſeptem: & quos diſſimiles ipſe corporum eſſe in mobilitate voluiſſet, eos tamen gaudere, tranſire, tranſiri, pronos & cernuos mere, cum curtib. reſupinos verti, trahi alios cruribus & claudicare præfractis: & ineptias nugis & crudelitatibus mixtas ſummis in voluptatibus habuiſſe, quas homo quiuis lautus, nec ad ſtudium plenæ grauitatis ac ponderis eruditus, puerilia duceret atque aſpernaretur vt ludicra? Quis eſt, inquam, qui credat (repetamus vt aſſiduè hanc vocem) generis eũ fuiſſe diuini; qui quoniam ludis actus per circi eſt ſpacium, meritorum pœnas & ſupplicia redditurus, ita exacerbatus ardeſceret, ſeſeque ad vires accingeret vltionis? Si enim nocens ſeruus, atque illa fuerat animaduerſione puniendus, quî debuit Iuppiter indignatione aliqua cõmoueri, cum

B ageretur iniuſte nihil, imò eum nocens caput pœnis conuenientibus plecteretur? Sin aũt immunis ab ſcelere, neq; vlli obnoxius crimini vitioſi præſulis ipſe fuit in cauſa, cui eũ ſubuenire potuiſſet, non fecit, imo ipſe quæſiuit, & pati quod improbabat, & ab aliis pœnas ſuæ permiſſionis exigere: & cur læſum deinde illo ſe queſtus eſt & pronunciauit in præſule, quia crucis ad pœnas per circi actus eſt medium, virgis dilaceratus & flagris? Et quid ex hoc facto labis potuit & fœditatis effluere, quod aut circum faceret minus purum, aut Iouem contaminatum, cum per exigua momenta, per puncta, tot in orbe conſpiceret millia mortis in generibus variis, & excruciatibus interire diuerſis? Antè, inquit, eſt actus, ludi quàm inciperent coeſſe. Si ſacrilego pectore, religionisq; contemptu, eſt vt ignoſcere debeamus Ioui indignanti ſe ſpretũ, nec Circenſibus propria ſolicitiorem adhibitam curam. Sin aũt errore, vel caſu, latens illud non eſt animaduerſum & cognitum vitium, nũne fuerat rectum, Iouiq; conueniens, vt humanis ignoſceret lapſibus, & imprudentiæ cæcitatem veniali concesſione donaret? Sed vindicanda res fuit. Et poſt hæc aliquis

C fuiſſe illum deum credet, qui puerilis incuriam ludicri, ciuitatis vltus eſt & perſecutus interim, grauitatis, ac ponderis aut vllius habuiſſe conſtantiæ firmitatem, qui vt ſibi ex integro voluptatis in gaudia curreretur, venenatam in perniciem aeris hauſtus vertit, & peſtilentiã, morbos, ſtragem mortalitatis indixit? Si ludorum exhibitor magiſtratus minus curauit ediſcere, quiſnam eſſet illo die circi actus per medium, contractaque eſt ex hoc culpa, quid infelix commeruerat populus, vt aliena delicta capitis ſui diſſolueret pœnis, peſtilentibuſque contagiis crudeliter expelleretur è vita? immo quid fœminarũ genus, quas ab negociis publicis conditio fragilitatis excepit? quid adultę virgines, quid paruuli fecere puſiones? quid deniq; adhuc parui nutricum ſub alimonia conſtituti, vt in eos immitteretur par & vna ſæuitia, priuſque acerbitatem mortis, quã dulcedinem aliquam perciperent luminis? Si Iuppiter ludos ſcrupuloſius fieri, reſtituiq; quærebat, ſi fideliter red-

D dere ſuã populo ſanitatem, nec malum, quod fecerat, prorogare vlterius & augere: nonne rectius fuerat conſulem vt ad ipſum veniret, ſacerdotum ad aliquem publicorum pontificem maximum, aut ad flaminem ſuum dialem, eique per ſomnium, & præſulis vitium, & funeſti cauſam temporis indicaret? Quæ fuerat ratio, vt ruri hominem ſuetũ, obſcuritate incognitum nominis, vrbanarum inſcium rerum, quid ſit præſul fortaſſe neſcientem, voluntatis ſuæ deligeret nuncium, & expetitæ ſatisfactionis auctorem? Quę ſi vtiq; ſciebat, diuinus modò ſi fuerat, tergiuerſatorem in obſequio futurum, nonne fuerat pronius & Deo conueniens, mentem hominis vertere, & parendi ſubigere volũtatem: quam vias aggredi ſæuiores, & latrocinij ritu ſine vlla paſſim ratione ſæuire? Si enim ruſticus, ſenior inexpeditus in rebus obeundis, cunctabatur in re iuſſa cauſis ſuperioribus retardatus, quid infelices eius commeruerunt liberi, vt in eos ira & indignatio verteretur, offenſaſq; alterius luminis ſui ſpoliatione penſarent? Et quiſquam eſt

E hominũ, qui fuiſſe illum deum credat, tam iniuſtum, tam impium, nec mortalium ſaltem conſtituta ſeruantẽ, apud quos nefas haberetur magnum, alterum pro altero plecti, & aliena delicta aliorum ceruicibus vindicari? Sed & ipsũ fecit peſtilitatis ſæuitia comprehendi. Nonne ergo præſtãtius, quinimo æquius fuerat, ſi hoc eſſe videbatur faciendum, vt ab ipſo patre terror coërcitionis inciperet, apud quem cauſa tanti fuerat motus, & in obeundo ceſſatio, quã in eius dolorem vim liberis facere, & innoxias vrere, atq; abolere perſonas? Quænã illa ſæuitia crudelitatis fuit? quæ tanta, vt extincta ſobole inteſtinis periculis poſt territaret patrem? Quod iamdudum ſi facere, id eſt loco priore voluiſſet: nec germanitas conficeretur innoxia, & voluntas numinis cognoſceretur oſtenſa. At enim completo annũciationis officio, ſtatim morbo euacuauit, & ſanitati homo eſt continuo reſtitutus. Et quid habet admirationis res iſta ſi malum quod inſpirauerit, repulit ſeſeque inani oſtentatione iactauit? Quod ſi penitus res pendas, magis illa crudelitas, quàm beneficium ſalutis fuit: ſiquidem hominem miſerum, & interire poſt filios cupientem, non gaudia ſer-

F uauit ad vitę, ſed vt ſuam ſolitudinem diſceret, & orbitatis cruciamenta ſentiret. Cõſimili ratione per alias ire licebit hiſtorias, & oſtendere in his quoque longè aliud, quàm eſſe dij debeant de his ipſis dici, & earum in expoſitionibus indicari: velut in hac ipſa, quã deinceps ponam, vna et duabuſue coniunctis, faſtidium ne immoderatione pariatur. Poſt aduectos (inquitis) trãſmarinis ex gẽtibus deos quoſdam, poſtque condita his templa, poſt cumulatas ſacrificiis aras, malè habens ſeſe recreatus conualuit populus, & peſtilentes morbi inducta ſynceritate fugerunt. Qui (effamini) dij quæſo? Æſculapius (inquitis) Epidauro bonis deus valetudinibus præſidens, & Tiberina in inſula conſtitutus. Si eſſet nobis animus ſcrupuloſius iſta tractare, vobis ipſis obtineremus auctoribus, minime illum fuiſſe diuum qui conceptus & natus muliebri aluo eſſet: qui annorum gradibus ad eum finem aſcendiſſet ætatis, in quo illum vis fulminis (veſtris quemadmodum literis cõtinetur) & vita expuliſſet & lumine. Sed quæſtione ab iſta diſcedimus: Coronidis filius ſit, vt vultis, ex immortalium numero & perpetua præditus ſublimitate cœleſti. Ex Epi-

G dauro tamen quid eſt aliud allatum, niſi magni agminis coluber? Fidem ſi annalium ſequimur: & exploratam eis attribuimus veritatem, nihil (vt conſcriptũ eſt) aliud. quid ergo dicimus? Æſculapius iſte quem prædicatis, deus præſtans, ſanctus Deus, ſalutis dator, valetudinum peſſimarũ propulſator, prohibitor, & extinctor, ſerpentis eſt forma & circumſcriptione finitus: per terram reptans, cœno natis vt vermiculis mos eſt, ſolum mento radit & pectore, tortuoſis voluminibus ſe trahens, atque vt pergere protſus poſſit, partem ſui poſtremam conatibus prioris adducit. Et quoniam legitur vſus cibis etiam, quibus vita in corporibus immoratur, habet patulas fauces, quibus cibos tranſuoret oris hiantibus appetitos: habet receptaculum ventris, & vbi manſa & vorata decoquat viſcera, ſanguis detur vt corpori, & viribus redintegratio ſubrogetur. Habet & extremos tramites, per quos immunda ſea eat, auerſabili corpora fœditate deonerans. Si quando mutat loca, & ab aliis tranſgredi in alias regiones parat: non vt deus obſcure per cœli euolat ſydera, punctoq; in temporis vbi

H cauſa poſtulauerit, ſiſtitur: ſed velut animal brutum, vehiculum quo ſuſtineatur, petit: vndas pelagi vitat: atque vt tutus poſſit incolumiſque præſtari, cum hominibus nauẽ aſcendit, & ille publicæ ſanitatis deus, fragili ſe ligno, & tabularum compagibus credit. Non arbitramur euincere, atque obtinere vos poſſe, Æſculapium illum fuiſſe ſerpentem: niſi hunc colorem volueritis inducere, vt in anguem dicatis conuertiſſe ſe Deum, quo mentiri ſe poſſet, quiſnam eſſet, aut quales homines intueri. Quod ſi fuerit à vobis dictum, quam infirmiter, inualideque dicatur, ipſa rerum inæqualitas indicabit. Si enim ſe Deus videri ab hominibus euitabat, nec in forma ſerpentis velle debuit conſpici: cum in qualibet forma non ab ipſo ſe alius, ſed ipſe eſſet futurus. Sin autem intenderat cernendum ſe dare, non debuit oculorum negare conſpectui: cur non talem

videri

A videri ſe præſumit, qualem ferebat ſe eſſe, qualemq; ſe nouerat ſui nominis in potentia contineri? Erat .n. hoc potius, multoque præſtantius, auguſteq; conueniens dignitati, quàm fieri beluam, horrentiſq; animalis in ſimilitudinem verti: & dare ambiguis contradictionib. locum: eſſetne verus deus: an neſcio quid aliud, lõgeq; ab ſupera ſublimitate ſeiunctũ. Sed ſi deus (inquit) non erat, cur è naui poſtq̃ extulit ſeſe, Tyberinam ad inſulam repſit: nuſquam ſtatim comparuit, & videri vt ante deſiit? Poſſumus .n. ſcire, vtrumne aliquod obſtaculum fuerit cuius ſeſe obiectu atq; oppoſitu ne protexerit, an hiatus aliquis? Vos pronũciate, vos dicite, quidnam illud fuerit, aut cuinam rerũ generi debuerit applicari, ſi perſonarum officia ſunt certa certarum veſtra. Cum res ita ſit, deq; veſtro numine, veſtraque & religione tractetur, veſtrum eſt potius edocere, veſtrũque monſtrare, quid illa res fuerit, noſtras velle quàm exaudire ſententias, noſtraq; expectare decreta. Nam nos quidem quid aliud poſſumus dicere, niſi quod fuit, & viſum eſt: quod hiſtoriæ prodidere omnes, & oculorum ſenſibus eſt comprehenſum? Hanc tamen ſcilicet colubram validiſſimi corporis, & prolixitatis immenſæ: aut ſi nomen hoc ſordidum eſt, B anguem dicimus, ſerpẽtem nominitamus: aut ſi quod aliud nobis vſus vocamen obtulerit, aut ampliatio ſermonis effinxerit. ſi enim repſit vt coluber, nõ pedibus ſe ferens, neq; ſuas ſubexplicans itiones, ſed ventre nixus ac pectore: ſi ea materia futinatus carnis longitudinem porrigebatur in lubricam, caput ſi habuit atq; caudam, ſi oblita ſquamis terga, ſi maculaturum ſuffectionibus varia, ſi os dentibus horridum, & ad infligendos inſtructum morſus: quid aliud poſſumus, quàm generis eum dicere fuiſſe terreni? quamuis fuerit immanis & nimius: quamuis illum ab Regulo exercitus vi cæſum lõgitudine corporis & roboris anteiret. Sed aliud nos ferimur, & labefacimus & deſtruimus veritatem. Ergo veſtrum eſt explicare quidnam ille fuerit, vel cuius generis, nominis, & qualitatis cuius: Nam deus eſſe qui potuit, cum haberet ea, quæ diximus, quæ dij habere non debent, ſi cogitant dij eſſe, & vocaminis huius eminentiam poſſidere? Tyberinam poſtquam ad inſulam repſit, nuſquam continuò apparuit: qua ex re numen fuiſſe monſtratur. Poſſumus enim ſcire vtrumne iſtic aliquod rei fuerit alicuius obſtaculum, cuius ſeſe obiectu atq; oppoſitu ne protexerit, an hiatus aliquis, aut ex ſolidis inæqualiter aggeratis ſucceſſus quidã, & fornices, in quos intulit ſe raptim C circumſcripto tuentium viſu? Quid enim ſi flumen trãſiliuit: quid ſi tranſnatauit? quid ſi ſyluarum denſitatibus ſe dedit? infirma argumẽtatio flaccida eſt ex re ſuſpicari, deum illum fuiſſe ſerpentem, quod ab oculis ſeſe properata omni feſtinatione ſubtraxit: cum deum non fuiſſe eadem ruſus poſſit argumentatione monſtrari. Sed ſi deus præſens anguis ille non fuit, cur poſt illius aduentum peſtilentiæ vis fracta eſt, & populo ſalus reddita Romano? Referimus & nos contra: ſi ex libris fatalibus, vatumq; reſponſis inuitati ad vrbem deus Æſculapius iuſſus eſt, vt ab luis contagio morbiſq; peſtilentibus tutã eam incolumemque præſtaret, & venit non aſpernatus, vt dicitis, colubrarum in formam conuerſus: cur toties Roma ciuitas malis huius afflicta eſt millibus? Cùm enim deus accitus in hoc eſſe dicatur, vt omnino omnes cauſas, quibus peſtilentia cõflabatur, auerteret: ſequebatur vt ciuitas intacta eſſe deberet, flatuq; à noxio immunis ſemper innocuaq; præſtari. Atqui videmus (vt ſuperius dictum eſt) ſæpenumero his morbis curſus eam vitæ habuiſſe funeſtos: nec diſpendijs leuibus D eſſe populi fractas debilitataſq; virtutes. Vbi ergo Æſculapius fuit, vbi ille promiſſus oraculis venerabilibus? Cur tẽpla poſt condita, ſibiq; exædificata delubra, diutius habere perpeſſus eſt bene meritas ciuitates luem, cum in id eſſet accitus, vt & malis mederetur inſtantibus, nec fineret in futurum tale aliquid quod metueretur irrepere? niſi fortè aliquis dicet: nuno tibus & conſequentibus ſeculis idcirco dei talis defuiſſe cuſtodiam, quod impijs iam morib. & improbabilibus viueretur: opem aũt contuliſſe maioribus, quòd innoxij fuerint, & ab omni ſcelerum cõtagione dimoti. Quod ratione cũ aliqua & audiri forſitan potuiſſet, & dici, ſi aut temporibus priſcis omnes eſſent vſq; ad vnum boni: aut ſequentia tempora malos omnes generarent, & nulla diuerſitate diſcretos. Cũ verò res ita ſit, vt in magnis populis, nationib. quinimo & in ciuitatibus cunctis mixtum ſit humanum genus natum, volũtatibus, moribus, tamq; potuerint in prioribus ſeculis, quàm in nouellis ætatibus boni ſimul, maliq; extitere: ſtultum ſatis eſt E dicere, propter malitias poſteros auxilia numinũ non meruiſſe mortales. Si enim propter malos ſequentiũ ſeculorum boni nõ ſunt protecti tẽporum nouellorum, & ꝓpter antiquos malos boni æquè maiores non debuerant merere beneuolẽtiam numinum. Sin propter bonos priſcos mali etiã conſeruati ſunt priſci, & propter bonos minores, ætas debuit ſequẽs quamuis eſſet improbabilis, protegi. Aut ergo iã fracta atque imminuta vi morbi, anguis ille perlatus famam conſeruatoris aſſumpſit, cũ nihil omnino cõmoditatis attuliſſet: aut fatalia dicenda ſunt carmina multum veris aberraſſe præſagijs, cũ remedium ab his datũ non deinceps cunctis, ſed auxilio fuiſſe vni tantum reperiatur ætati. Sed & magna (inquit) mater accita ex Phrygio Peſſinunte, iuſſis conſimiliter vatum, ſalutaris populo & magnarũ cauſa lætitiarum fuit. Nã & diu potens hoſtis ab Italiæ poſſeſſione detruſus eſt, & glorioſis illuſtribuſq; victorijs decus vrbis reſtitutum eſt priſtinum, & Imperij fines longè lateq; porrecti, & innumeris gentibus, ciuitatibus, populis libertatis ius raptum eſt, & iugum ſeruitutis impoſitũ: multæq; res aliæ foris domiq; perfectæ, inelucta- F bili firmitate gentis nomen, maieſtatemq; fundarunt. Si verũ loquuntur hiſtoriæ, neq; vllas inſerunt rerũ conſcriptionibus falſitates, allatum ex Phrygia nihil quidẽ aliud ſcribitur, miſſum rege ab Attalo, niſi lapis quidã non magnus, ferri manu hominis ſine vlla impreſſione qui poſſet: coloris furui, atque atri, angulis prominentib. inæqualis: & quẽ omnes hodie ipſo illo videmus in ſigno oris loco poſitum, indolatum; & aſperũ & ſimulachro faciem minus expreſſam ſimulatione præbentem. Quid ergo dicemus? Hannibalem illum Pœnum, hoſtẽ potentem ac validum, ſub quo anceps & dubia res Romana contremuit, & magnitudo trepidauit, lapis ex Italia depulit, lapis fregit, lapis fugacẽ, ac timidum, ſuiq; eſſe diſſimilẽ fecit? Et quod rurſus exiliuit ad Imperij columen, & regiõ principatum, nihil conſilijs actum eſt, nihil humanum viribus, nec ad reditum ſublimitatis antiquæ tot tantiſq; ab ducib. quicquã eſt ſcientia militari aut rerum experientia collatũ? Lapis alijs vires, alijs roboris infirmitatem dedit: hos ſecundis præcipitauit ab rebus, aliorum extulit ſtratas deſperatione fortunas? Et quis hominum credat terra ſumptum lapidem ſenſu agitabilem nullo, fuliginei coloris atq; atri corporis, deũ fuiſſe ma- G trem? aut quis rurſus accipiat (hoc .n. ſolum reſtat) numinis alicuius habitaſſe in ſilicis fragmentis molẽ ſubiectã, veniſq; in eius abſtruſam? Et vnde parta victoria eſt, ſi Peſſinunti lapidi nullum inerat numen? Sedulitate poſſumus dicere, ac virtute pugnantium, vſu, tẽpore, conſilio, ratione, fato etiam poſſumus, & reciproca varietate fortunæ. Sed ſi auxilio lapidis res facta ẽ melior, & felix recuperata victoria eſt, vbinã mater Phrygia tempore illo fuit, cum tot tantiſq; exercitibus cæſis inclinata eſt res ſumma, & ad vltimæ labis periculum venit? Cur non minaci fortiter ſe obtulit? Cur impetus tantos belli non prius fregit, ac repulit, quam immanes inciderent plagæ, quib. omnis effunderetur ſanguis, & ex hauſtis rueret vita ipſa penè vitalibus? Aduecta enim nondum, nec fauorẽ fuerat vt cõmodaret rogata. Sed bonus auxiliator nunq̃ rogari ſe poſcit, ſpõtanea ſemper opitulatione ſubueniens. Hoſtem pellere ac fugare non potuit, multo adhuc mari, terriſq. habitabilib. diſcreta. Sed deo (ſi deus eſt) longum nihil omnino eſt, cui punctum terra eſt, & ſub nutu omnia cõſtituta. Sed fuerit præſens, vt expoſitis credi, illo ipſo numen in lapide: & mor- H taliũ quiſquã eſt, quamuis ille ſit credulus, & facillimas aures quibuslibet fictionib. præbeat, qui eam iudicet fuiſſe, aut tẽpore illo deã, aut hodie dici appellariq; debere? q̃ modo hæc appetat, modo illa depoſcat, ſuos deſerat faſtidiatq; cultores, prouincias ab humilioribus migret, potentioribus populis, ditioribuſq; ſe iungat. Verum bellicas res amat, interq; eſſe deſiderat pugnis, cædibus, mortalitatibus, & cruori. Si deorũ eſt proprium (ſi modo ſunt veri, & quos deceat nũcupari vocabulo iſto, & potentia numinis) nihil facere malitioſè, nihil iniuſtè, hominibuſq; ſe cunctis vna & parili gratia ſine vlla inclinatione præbere: generis eam fuiſſe diuini quiſquamne hominum credat, aut habuiſſe æquitatem dijs dignam, quæ humanis ſeſe diſcordijs inſerens, aliorum opes fregit, alijs ſe præbuit exhibuitq; fautricem, libertatem his abſtulit, alios ad columen dominationis erexit: quæ vt vna ciuitas emineret ſo humani generis perniciem nata, orbem ſubiugauit innoxiũ

A

L. COELII LACTANTII FIRMIANI, OPERA, QVAE EXTANT OMNIA: STVDIO MICHAELIS THOMASII EMENDATA ET AD VETVSTISSIMOS M. S. CODICES BINOS BONONIENSES (QVORVM VNVS EX BIBL.

S.Saluatoris mille abhinc annis litteris maiuſculis ante Gothorum in Italiam aduentum ſcriptus videtur) & ſeptem Vaticanos, collata; additis eiuſdem Thomaſij ſcholiis quibuſdam, & Græcarum vocum ad ſingula Capita, Latinâ interpretatione.

Catalogus Operum L. Cœlij Lactantij Firmiani

F

B

Diuinarum Inſtitutionum Libri VII.
De Ira Dei, Liber vnus.
De Opificio Dei Liber vnus.
Epitome in libros ſuos, Liber Acephalos.
Accedunt Carmina aſcripta Lactantio, Phœnix, & de Paſſione Domini.

DE Lactantio Firmiano plura S. Hieronym. in Catalogo, & Epiſt. 83. ad Magnum, quem mirificè ab eloquentia laudat. Cæterum ne contingat quempiam in Lactantij Operum lectione impingere, præmonendus lector, quam ipſi circumſpectè, & ſuſpēſo pede in peruoluendis eiuſdem Auctoris ſcriptis ſit eundū. S. Damaſus Romanus Pontifex Epiſt. ad S. Hieronym. quæ eſt 124. inter Hieronymi Epiſtolas hæc ait: *Fateor quippè tibi eos, quos iam pridē Lactantij dederas libros, ideo non libenter lego, quia & plurimæ Epiſtolæ in eo vſque ad millia ſpatia verſuum tenduntur, & raro de noſtro dogmate diſputant, quo fit vt & legenti faſtidium generet longitudo, & ſi qua breuia ſunt, ſcholaſticis magis ſint apta, quam nobis, de metris, & regionum ſitu, & Philoſophis diſputantia.* Hæc S. Damaſus: ſed & S. Hieronymus Epiſt. 13. ad Paulinum inquit, *Lactantius quaſi quidam fluuius eloquentiæ Tullianæ, vtinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facilè aliena deſtruxit.* & libro 2. in Epiſtolam ad Galatas cap. 4. ait. *Multi per imperitiam ſcripturarum (quod & Firmianus in octauo ad Demetrianum Epiſtolarum libro facit) aſſerunt Spiritum ſanctum ſæpe Patrem, ſæpe Filium nominari:* Rurſum Apologia ad Pammachium; & Oceanum inquit, *Lactantius in libris ſuis, & maximè in Epiſtolis ad Demetrianum, Spiritus ſancti omnino negat ſubſtantiam, & errore Iudaico dicit eum ad Patrem referri, vel ad Filium, & ſanctificationem vtriuſque perſonæ ſub eius nomine demonſtrari. Quis mihi interdicere poteſt, ne legam eius Inſtitutionum libros, quibus contra Gentes ſcripſit fortiſſimè, quia ſuperior ſententia deteſtanda eſt?* Hactenus S. Hieronymus. S. Gelaſius I. in Concilio Romano ſic pronunciat. *Opuſcula Lactantij, Apocrypha.* Ita ſanè S. Pontifex graui, maturoque iudicio cenſuit: nam inſunt Lactantij Operibus multiplices errores, & ſententiæ à puritate Orthodoxæ doctrinæ diſcrepantes. Earum indicem collegit Antonius Raudenſis ad finemque librorum Lactantij attexuit. Verùm & Franciſco Philelpho lib. 4. Epiſt. & multis eruditis viſum, cenſuram Raudenſis in quibuſdam nimium atroces, in aliis ineptas, multaque alia caſtigatione digna omiſiſſe.

C

D

EX BELLARMINO DE SCRIPTOR. ECCLESIASTICIS.

LActantius Firmianus, Arnobij auditor, floruit ſub Diocletiano, & ad Principatum Conſtantini Magni in ſenectute peruenit, teſte S. Hieronymo in libro de Script. Eccleſ. vbi multa eius opera recenſet, quæ non extant: quæ autem extant hæc ſint.

Diuinarum Inſtitutionum lib.	7	*Carmen de Phœnice.*	
De Ira Dei.	1	*Aliud de Paſſione Domini.*	
De Opificio Dei.	1	*Tertium de Reſurrectione eiuſdem, & de Paſchate.*	
Epitome in libros ſuos.			

Et quidem opera omnia, exceptis carminibus, ſine controuerſia Lactantij ſunt: & quemadmodum ad eloquentiam Tullianam proximè accedunt, ita erroribus variis ſic deformata ſunt, vt non ſine cauſa Gelaſius Papa in Concilio Romano apocrypha cenſeri voluerit.

Carmen de Phœnice Ethnici hominis eſſe videtur.

Carmen de Reſurrectione & Paſchate, vt etiam de Paſſione, ambiguum eſt, an Lactantij ſint, quia nonnulli negant illius eſſe: & tamen non habemus certum argumētum, vnde probetur illius non eſſe.

G

L. COELII LACTANTII FIRMIANI, DE FALSA RELIGIONE, DIVINARVM INſtitutionum, Liber I.

De veri cognitione, & Religione, & Sapientia.

CAPVT I.

MAgni & excellenti ingenio viri, cùm ſe doctrinæ penitus dedidiſſent, quicquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & priuatis & publicis actionibus, ad inquirendæ veritatis ſtudium contulerunt, exiſtimantes, multo eſſe præclarius, humanarum, diuinarumque rerum inueſtigare, ac ſcire rationem: quam ſtruendis opibus aut cumulandis honoribus inhærere. Quibus rebus, quoniā fragiles, terrenæq; ſunt, & ad ſolius corporis pertinent cultū, nemo melior, nemo iuſtior *fieri poteſt. Erāt illi quidē veritatis cognitione digniſſimi, quā ſcire tantopere cupiuerunt, atque ita, vt eam rebus omnibus anteponerent. nam & abiecisse quoſdam res familiares ſuas, & renuntiaſſe vniuerſis voluptatibus conſtat, vt ſolā, nudamq; virtutem, nudi, expeditique ſequerentur: tantumque apud eos virtutis nomen, & auctoritas valuit, vt in ipſa ſummi boni præmium eſſe iudicarent. Sed neque adepti ſunt id, quod volebāt: & operam ſimul, atque induſtriam perdiderunt: quia veritas, id eſt arcanum ſummi Dei, qui fecit omnia, ingenio, ac propriis ſenſibus non poteſt comprehendi, alioqui nihil inter Deum, hominemque diſtaret, ſi conſilia & diſpoſitiones illius maieſtatis æternæ, cogitatio aſſequeretur humana. Quod quia fieri non potuit, vt homini per ſeipſum ratio diuina noteſceret: non eſt paſſus hominem Deus lumen ſapientiæ requirentē, diutius oberrare, ac ſine vllo laboris effectu vagari per tenebras inextricabiles. aperuit oculos eius aliquando, & notionem veritatis munus ſuum fecit: vt & humanam ſapientiam nullam eſſe monſtraret, & erranti ac vago viam conſequendæ immortalitatis oſtenderet. Verum quoniam pauci vtuntur hoc cœleſti beneficio ac munere, quod obuoluta in obſcuro

*al. officio

H

ſcuro

A ſcuro veritas latet, ea quæ vel contemptui doctis eſt, quia idonea * aſſertionibus eget: vel odio indoctis ob inſitam ſibi auſteritatem, quam natura hominum procliuis in vitia pati non eſt (nam quia virtutibus amaritudo permiſta eſt, vitia verò voluptate condita ſunt, illa offenſi, hac deliniti feruntur in præceps, ac bonorum ſpecie falſi, mala pro bonis amplectuntur) ſuccurrendum eſſe his erroribus credidi: vt & docti ad veram ſapientiam dirigantur, & indocti ad veram religionem. Quæ profeſſio multo melior, vtilior, glorioſior putanda eſt, quam illa oratoria, in qua diu verſati, non ad virtutem, ſed planè ad argutam malitiam iuuenes erudiebamus. Multo quippe nunc rectius de præceptis cœleſtibus diſſeremus, quibus ad cultum veræ maieſtatis mentes hominum inſtituere poſſimus, nec tam de rebus humanis bene meretur, qui ſcientiam bene dicendi affert, quam qui piè atque innocenter docet viuere. idcirco maiore in gloria philoſophi, quam oratores fuerunt apud Græcos. Illi enim rectè viuendi doctores ſunt exiſtimati: quod eſt longe præſtabilius: quoniam bene dicere, ad paucos pertinet, bene autem viuere, ad omnes. multum tamen nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, vt nunc maiori copia & facultate dicendi

B cauſam veritatis peroremus, quæ licet poſſit ſine eloquentia defendi, vt eſt à multis ſæpe defenſa; tamen claritate, ac nitore ſermonis illuſtranda, & quodam modo diſſerenda eſt vt potentius in animos influat & vi ſua, & inſtructa religione, & luce orationis ornata. De religione itaque nobis, rebuſque diuinis inſtituitur diſputatio. Nam ſi quidam maximi oratores profeſſionis ſuæ quaſi veterani, decurſis operibus actionum ſuarum, poſtremo ſe philoſophiæ tradiderunt, eamque ſibi requiem laborum iuſtiſſimam putauerunt, ſi animos ſuos in earum rerum, quæ inueniri nõ poterant, inquiſitione torquerent, vt non tam otium ſibi, quàm negotium quæſiſſe videantur, & quidem multo moleſtius, quàm in quo fuerant ante verſati: quanto iuſtius ego me ad illam piam, veram, diuinamque ſapientiã, quaſi ad portum aliquem tutiſſimum, conferam, in qua omnia dictu prona ſunt, auditu ſuauia, facilia intellectu, honeſta ſuſceptu? Et, ſi quidam prudentes, & arbitri æquitatis, inſtitutiones ciuilis iuris cõpoſitas ediderunt, quibus ciuium diſſidentium lites, contentioneſque ſopirẽt: quanto melius nos, & rectius diuinas inſtitutiones literis perſequemur: in quibus non de ſtillicidiis, aut aquis arcendis,

C aut de manu conſerenda, ſed de ſpe, de vita, de ſalute, de immortalitate, de Deo loquemur, vt ſuperſtitiones mortiferas, erroreſque turpiſſimos ſopiamus? (a) Quod opus nunc nominis tui auſpicio inchoamus Conſtantine Imperator Maxime. Qui primus Romanorum principum, repudiatis erroribus, maieſtatem Dei ſingularis, ac veri, & cognouiſti, & honoraſti. Nam cùm ille dies feliciſſimus orbi terrarum illuxiſſet, quo te Deus ſummus ad beatum imperij culmen euexit: ſalutarem vniuerſis, & optabilem principatum præclaro initio auſpicatus es, cum euerſam ſublatamque iuſtitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiaſti, pro quo facto dabit tibi Deus felicitatem, virtutem, diuturnitatem: vt eadem iuſtitia, qua iuuenis exorſus es, gubernaculum Reipub. etiam ſenex teneas, tuiſque liberis, vt ipſe à patre accepiſti, tutelam Romani nominis tradas. Nam mali, qui adhuc aduerſus iuſtos in aliis terrarum partibus ſæuiunt; quanto ſerius, tanto vehe-

D mentius idem omnipotens mercedem ſceleris exoluet: quia vt eſt erga pios indulgentiſſimus pater, ſic aduerſus impios rectiſſimus iudex. Cuius religionem, cultumque diuinum cupiens defendere, quem potius appellem, quẽ alloquar, niſi eum, per quem rebus humanis iuſtitia, & ſapientia reſtituta eſt? Omiſſis ergo huiuſce terrenæ philoſophiæ auctoribus, nihil certi afferentibus, aggrediamur viam rectam. quos equidem, ſi putarem ſatis idoneos ad bene viuendum duces eſſe, & ipſe ſequerer, & alios, vt ſequerentur, hortarer. Sed cum inter ſe magna concertatione diſſideant, ſecumque ipſi plerumque diſcordent: apparet eorum iter nequaquam eſſe directum: ſiquidem ſibi quiſque, vt eſt libitum, proprias vias impreſſerunt, confuſionemque magnam quærentibus veritatem reliquerunt. Nobis autem, qui ſacramentum veræ religionis

E accepimus, cum ſit veritas reuelata diuinitus, cum doctorem ſapientiæ, ducemque veritatis Deum ſequamur: vniuerſos ſine vllo diſcrimine vel ſexus, vel ætatis ad cœleſte pabulum conuocamus. Nullus enim ſuauior animo cibus eſt, quam cognitio veritatis. * cuius aſſerendæ, atque illuſtrandæ ſeptem volumina deſtinauimus: quamuis ea res infiniti penè ſit operis & immenſi. vt ſi quis hæc dilatare, atque exequi pleniſſimè velit: tanta illi rerum copia exuberet, vt nec libri modum, nec finem reperiat oratio. ſed nos idcirco breuiter omnia colligemus, quod ea, quæ allaturi ſumus, tam clara ſunt, & lucida, vt magis mirum eſſe videatur, tam obſcuram videri hominibus veritatem, & iis præcipuè, qui ſapientes vulgo putantur: vel quod tantummodo inſtituendi nobis homines erunt, hoc eſt, ab errore, quo ſunt implicati, ad rectiorem viam reuocandi. Quod ſi fuerimus (vt ſpero) aſſecuti, mittemus eos ad ipsũ doctrinæ vberrimum, ac pleniſſimum fontem cuius hauſtu, * atque potu, concepta viſceribus ſitim ſedent, ardoremque reſtinguant. Eruntque illis omnia facilia, prona, manifeſta: modo ne pigeat ad percipiendam ſapientiæ diſciplinam, legendi, vel audiendi patientiam commoda-

F re. Multi enim ſuperſtitionibus vanis pertinaciter inhærentes, obdurant ſe contra manifeſtam veritatem, non tam de ſuis religionibus quas prauè aſſerunt, benemeriti, quam de ſe male: qui cum habeant iter rectum deuios ſequuntur anfractus, planum deſerunt, vt per præcipitium labantur, lucem relinquunt, vt in tenebris cæci, ac debiles iaceant. His conſulendum eſt, ne contra ſe pugnent, velintque ſe tandem ab inueteratis erroribus liberari. quod vtique facient, ſi, quare ſint nati, aliquando peruiderint. Hæc enim prauitatis eſt cauſa, ignoratio ſui. quam ſiquis cognita veritate diſcuſſerit, ſciet quo referenda, & quemadmodum ſibi vita degenda ſit. Cuius ſcientiæ ſummam breuiter circumſcribo: vt neque religio vlla ſine ſapientia ſuſcipienda ſit; nec vlla ſine religione probanda ſapientia.

(a) Quod opus nunc nominis tui &c.] *In quinque Codicibus Vaticanis, & in duobus illis Bononienſibus deeſt tota hæc oratio quæ ad Conſtantinum Imperatorem refertur. idem quoque eſt in omnibus aliis libris, vt nulla mentio Conſtantini reperiatur. quod mihi quidem probatur, cum propter auctoritatem tot antiquiſſimorum, atque optimorum Codicum, tum quia eo tempore quo Lactantius hoſce libros ſcribebat, dura ſæuitia ac crudelitas tyrannorum contra Chriſtianos, quod ipſe grauiter de eo conquerens lib. 5. cap. 12. & 13. demonſtrat, de quo etiam lib. 5. cap. 17. ait: ſpectata*

G *ſunt enim, ſpectanturque adhuc per orbem terrarum pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis noua & inuſitata tormenta excogitata ſunt: hanc tamen totam orationem retinendam iudicaui, & quia elegans eſt, ac digna Lactantio, & quia cogitaui, fieri potuiſſe, vt Lactantius ante tempora Conſtantini libros hoſce ſcripſerit, ſed eos tempore Conſtantini ediderit.*

De Prouidentia.

CAPVT II.

SVſcepto igitur illuſtrandæ veritatis officio, non putaui adeo neceſſarium ab illa quæſtione principium ſumere, quæ videtur prima eſſe, natura ſitne prouidentia, quæ rebus omnibus conſulat, an fortuitu vel facta ſint omnia,

H vel * regantur. Cuius ſentẽtiæ auctor eſt Democritus, confirmator Epicurus. Sed & antea Protagoras, qui Deos in dubium vocauit, & poſtea Diagoras, qui excluſit, & alij nonnulli, qui non putauerunt deos eſſe: quid aliud effecerunt, niſi vt nulla eſſe prouidentia putaretur? quos tamen & cæteri philoſophi, ac maximè Stoici acerrimè retuderunt, * dicentes, nec fieri mundum ſine diuina ratione potuiſſe, nec conſtare, niſi ſumma ratione regeretur. Sed & M. Tullius, quamuis academicæ diſciplinæ defenſor eſſet, de prouidentia gubernatrice rerum & multa & ſæpe diſſeruit, Stoicorum argumenta confirmans, & noua ipſe afferens plurima, quod facit tum in omnibus ſuæ philoſophiæ libris, tum maxime in iis, qui ſunt de natura deorum. Nec difficile ſanè fuit, paucorum hominum praue ſentientium redarguere mendacia teſtimonio populorum, at-

Marginal notes: al. aſſertoribus. — al. cui — al. ac — al. gerantur — al. docentes

A que gentium in hac vna re non diſſidentium. Nemo eſt enim tam rudis, tam feris moribus, quin oculos ſuos in cœlum tollens, tametſi neſciat cuius Dei prouidentia regatur hoc omne, quod cernitur, non aliquam tamen eſſe intelligat ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione: nec poſſe fieri, quin id, quod mirabili ratione conſtat, conſilio maiori aliquo ſit inſtructum. al. vtique Et nobis *itaque facillimum eſt, exequi hanc partem quamlibet copioſe. Sed quia multum inter philoſophos agitata res eſt, & prouidentiam tollentibus ſatis reſponſum videtur ab hominibus argutis, & eloquentibus, & de ſolertia diuinæ prouidentiæ per totum hoc opus, quod ſuſcepimus, ſparſim nos dicere neceſſe eſt: omittamus in præſenti hanc quæſtionem: quæ cũ cæteris ſic cohæret, vt nihil à nobis diſſeri poſſe videatur, vt non ſimul de prouidentia diſſeratur.

De mundi rectione.

CAPVT III.

B SIt igitur noſtri operis exordium quæſtio illa conſequẽs ac ſecunda: vtrum poteſtate vnius Dei mundus regatur, anne multorum. Nemo eſt quidem, qui ſapiat, rationeque ſecum putet, qui non vnum eſſe intelligat, qui & condiderit omnia, & eadem, qua condidit, virtute moderetur. Quid enim multis opus eſt ad mundi regimen ſuſtinendum? niſi forte arbitremur, ſi plures ſint, minus habere ſingulos neruorum, atque virium. Quod quidem faciunt ij, qui eſſe multos volunt, quia neceſſe eſt imbecilles eſſe: ſiquidem ſinguli ſine auxilio reliquorum, tantæ molis gubernaculum ſuſtinere non poſſent. Deus autem qui eſt æterna mens, ea omni vtique parte perfectæ, conſummatæque virtutis eſt. Quod ſi verum eſt, vnus ſit, neceſſe eſt. Poteſtas enim, vel virtus abſoluta retinet ſuam propriam firmitatem. Id autem ſolidum exiſtimandum eſt, cui nihil decedere, id perfectum cui nihil poſſit accedere. quis dubitet potentiſſimum eſſe regem, qui totius orbis habeat imperium? neque immerito, cùm illius ſint, quæ vbique ſunt omnia: cum ad eum ſolum omnes vndique C copiæ congerantur. At ſi plures partiantur orbem: minus certe opum, minus virium ſinguli habebunt, cùm intra præſcriptam portionem ſe quiſque contineat. Eodem etiam modo dij, ſi plures ſint minus valebunt, aliis tantundem in ſe habentibus. Virtutis autem perfecta natura nõ poteſt eſſe niſi in eo, in quo totum eſt; non in eo, in quo al. quia pars exigua de toto eſt. Deus vero ſi perfectus eſt (*nam perfectus eſt) vt eſſe debet, non poteſt eſſe niſi vnus, vt in eo ſint omnia. Deorum igitur virtutes, ac poteſtates infirmiores ſint neceſſe eſt: quia tantum ſingulis deerit, quantum in cæteris fuerit. ita quanto plures, tanto minores erunt. Quid, quod ſumma illa rerum poteſtas, ac diuina vis ne ſemel quidem diuidi poteſt? Quidquid enim capit diuiſionem, & interitum capiat neceſſe eſt. Si autem interitus procul eſt à Deo, quia incorruptibilis eſt, & æternus: conſequens eſt, vt diuidi poteſtas diuina non poſſit. Deus ergo vnus eſt, ſi nihil eſſe aliud poteſt quod tantundem capiat poteſtatis, & tamen, qui multos eſſe arbitrantur, officia inter ſe dicunt eſſe partitos, de quibus omnibus ſuo loco diſputabimus. Illud interim, quod ad præſentem locum pertinet, teneo. Si partiti ſunt inter ſe officia, eodem reuoluitur res, vt ea iis quilibet ſufficere omnib. nequeat. D Perfectus igitur non erit, qui ceſſantibus cæteris, non poteſt omnia gubernare. Ita fit, vt ad regendum mundum vnius perfecta virtute magis opus ſit, quam imbecillitate multorum. Qui autem putat hanc tantam magnitudinem non poſſe ab vno regi, fallitur. al. neque *Nec quanta ſit vis, poteſtaſque diuinæ maieſtatis, intelligit, ſi exiſtimat, ſingularem Deum, qui facere mundum potuit, eundem regere non poſſe, quem fecit. At ſi concipiat animo, quanta ſit diuini huius operis immenſitas: cũ antea nihil eſſet, tamen virtute atq; conſilio Dei ex nihilo eſſe conflatam: quod opus niſi ab vno inchoari, perficiq; non potuit: Iam intelliget, multo facilius eſſe ab vno regi quàm eſt ab vno conſtitutũ. Dicat fortaſſe aliquis, ne fabricari quidẽ tam immenſum opus mundi, niſi à plurib. potuiſſe, E quamlibet multos, quamlibet magnos faciat: quicquid in multis magnitudinis, poteſtatis, virtutis, maieſtatiſque poſuerit, id totum in vnum confero, & in vno eſſe dico: vt tantum in eo ſit iſtarum rerum, quantum nec cogitari, nec dici poteſt. Quã in re, quoniam & ſenſu deficimus, & verbis, quia neque al. tantam *tantæ intelligentiæ lucem pectus humanum, neque explanationem tantarum rerum capit lingua mortalis: id ipſũ intelligere nos oportet, & dicere. Video rurſus quid è contrario dici poſſit. Tales eſſe illos plures, qualem nos volumus vnum. At hoc fieri nullo pacto poteſt, al. quoniam *quod ſingulorum poteſtas progredi longius non valebit, occurrentibus ſibi poteſtatibus cæterorum. Neceſſe eſt enim, vt ſuos quiſque limites aut tranſgredi nequeat, aut ſi tranſgreſſus fuerit, ſuis alterum finibus pellat. Non vident, qui Deos multos eſſe credunt, fieri poſſe, vt aliquid diuerſum velint: ex quare diſceptatio inter eos, & certamen oriatur, ſicut Homerus bellantes inter ſe Deos finxit, cum alij Troiam capi vellent, alij repugnarẽt, vnius igitur arbitrio F mundum regi, neceſſe eſt. Niſi enim ſingularum partium poteſtas ad vnam prouidentiam referatur: non poterit ſumma ipſa conſtare, vnoquoque nihil curante amplius, quam quod ad eum proprie pertineat: ſicut ne res quidem militaris, niſi vnum habeat ducem atque rectorem. Quòd ſi in vno exercitu tot fuerint Imperatores, quot legiones, quot cohortes, quot cunei, quot alæ: primum nec inſtrui poterit acies, vnoquoque periculum recuſante, nec regi facilè, aut temperari, quòd ſuis propriis conſiliis vtantur omnes, quorum diuerſitate plus noceãt, quam proſint: ſic in hoc rerum naturæ imperio niſi vnus fuerit, ad quem totius ſummæ cura referatur: vniuerſa ſoluentur, & corruent. Dicere autem, multorum arbitrio regi mundum: tale eſt, quale ſi quis affirmet, in vno corpore multas eſſe mentes, quoniam multa, & varia ſunt miniſteria membrorum, vt ſingulos corporis ſenſus, ſingulę mentes regere credantur: item multi affectus, quibus commoueri ſolemus, vel ad iram, vel ad cupiditatem, vel ad lætitiam, vel ad metum, vel ad miſerationem, vt in his omnibus totidem mentes putentur operari. quod ſi quis pro G fecto dicat: ne ipſam quidem, quæ vna eſt, habere videatur. Quod ſi in vno corpore tantarum rerum gubernationem mens † humana poſſidet, & vniuerſis ſimul intenta eſt: cur aliquis exiſtimet, mundum non poſſe ab vno regi, à pluribus poſſe? Quod quia intelligunt iſti aſſertores deorum: ita eos præeſſe ſingulis rebus ac partibus dicunt, vt † tantum vnus ſit rector eximius. Iam ergo cæteri non Dij erunt, ſed ſatellites, ac miniſtri, quos al. tamen ille vnus maximus, & potens omnium officiis his præfecit, † ipſi eius imperio, ac nutibus † ſeruiant. Si vniuerſi pares non ſunt: non igitur Dij omnes ſunt. Nec enim poteſt hoc idem eſſe, quod ſeruit, & quod dominatur. Nam ſi Deus eſt nomen ſummæ poteſtatis, incorruptibilis eſſe debet, perfectus, impaſſibilis, nulli rei ſubiectus. Ergo Dij non ſunt, quos parẽre vni maximo Deo neceſſitas cogit. Sed quia non fruſtra falluntur, qui hoc ita putant: cauſam huius erroris paulò pòſt aperiemus. Nunc vnitatem diuinæ poteſtatis teſtimoniis comprobemus.

(a) Mens humana] *eſt in libris impreſſis: omnes tamen boni Codices manuſcripti habent,* mens vna, *quod mihi valde probatur, quia tum antecedenti orationi valde conuenit. Nam, vt doceat ab vno Deo omnia, quæ ſunt in mundo gubernari, inter alias ſimilitudines illam, quæ quidem aptiſſima eſt, adducit, quod ab vna mente omnes corporis actiones regantur.* H

De teſtimoniis Prophetarum, de vno vero Deo.

CAPVT IV.

PRophetæ qui fuerunt admodum multi, vnum Deum prædicant vnum loquuntur: quippe qui vnius Dei Spiritu pleni, quæ futura eſſent, pari & conſona voce prædixerunt. At enim veritatis expertes, non putant his eſſe credendum. Illas enim non diuinas, ſed humanas voces fuiſſe aiunt. Videlicet, quia de vno Deo præconium faciût aut inſani, aut * mendaces fuerunt. [al. fallaces] Atque impleta eſſe in pleriſque quotidie illorum vaticinia videmus: & in vnam ſententiam congruens diuinatio, docet non fuiſſe furioſos. Quis enim mentis emotæ, non modo futura prædicere, ſed etiam cohærentia loqui poſſit? Num ergo fallaces erant, qui talia loquebantur? quid ab his tam longe alienum, quam ratio fallendi; cùm cæteros ab omni fraude cohiberent? Idcirco enim à Deo mittebantur, vt & præcones eſſent maieſtatis eius, & correctores prauitatis humanæ. B Præterea voluntas fingendi, ac mentiendi eorum eſt, qui opes appetunt, qui lucra deſiderant. quæ res procul ab iis ſanctis viris abfuit. Ita enim delegato ſibi officio functi ſunt, vt derelictis omnibus ad tutelam vitæ neceſſariis, nô modo in futurum, ſed ne in diem quidem laborarent, côtenti cotemporali cibo, quem Deus ſubminiſtraſſet, & hi non modò quæſtum nullum habuerunt, ſed etiam cruciatus, atque mortem. Amara ſunt enim vitioſis, ac malè viuentibus præcepta iuſtitiæ. Itaque ii, quorum peccata & arguebantur, & prohibebantur, excruciatos eos acerbiſſimè necauerunt. Ergo à quibus abfuit ſtudium lucri, abfuit etiam voluntas, & cauſa fallendi. Quid? quod aliqui eorum principes aut etiam reges fuerunt, in quos cadere non * poſſet [al. poteſt] ſuſpicio cupiditatis, ac fraudis, & tamen præconium Dei ſingularis, eadem, qua cæteri, diuinatione fecerunt?

De teſtimoniis Poetarum & Philoſophorum.

CAPVT V.

C SEd omittamus ſane teſtimonia Prophetarum: ne minus idonea probatio videatur eſſe ab his, quibus omnino non creditur. Veniamus ad auctores: & eos ipſos ad veri probationem teſtes citemus, quibus contra nos vti ſolent: poetas dico, ac philoſophos. ex his vnum Deum probemus neceſſe eſt, non quòd illi habuerint cognitam veritatem: ſed quod veritatis ipſius tanta vis eſt, vt nemo poſſit eſſe tam cæcus, qui non videat ingerentem ſe ſe oculis diuinam claritatem. Poetæ igitur, quamuis deos carminibus ornauerint, & eorû res geſtas amplificauerint ſummis laudibus: ſæpiſſimè tamen confitentur, ſpiritu vel mente vna contineri, regique omnia. Orpheus, qui & vetuſtiſſimus poetarum, & æqualis ipſorum deorum (ſiquidem traditur inter Argonautas cum Tyndaridis & Hercule nauigaſſe) Deum verum & magnum, πρωτόγονον, primogenitû appellat, quod ante ipſum nihil ſit genitum, ſed ab ipſo ſint cuncta generata: eundem etiam Φάνητα nominat, quod cùm adhuc nihil eſſet, primus ex infinito apparuerit, & extiterit. D Cuius originem, atque naturam, quia concipere animo non poterat, ex aere immenſo natum eſſe dixit. πρωτόγονος φαέθων περιμήκεος ἠέρος υἱός. Aliud enim amplius, quod diceret, non habebat. Hunc ait eſſe omnium Deorû parentem, quorum cauſa cœlum côdiderit, liberiſque proſpexerit, vt haberent habitaculum, ſedemque cômunem, [Greek, illegible] Natura igitur & ratione ducente, intellexit eſſe præſtantiſſimam potentiam cœli, ac terræ conditricem. Non poterat enim dicere Iouem eſſe principem rerum qui erat Saturno genitus, neque Saturnum ipſum, qui cœlo natus ferebatur, Cœlum autem tâquam Deum primum conſtituere non audebat, quod videbat eſſe elementum mundi, quod ipſum egeret auctore. Hęc eum ratio perduxit ad illum Deum primogenitum, cui aſſignat, & tribuit principatum. Homerus nihil nobis dare potuit, quod pertineat ad veritatem, qui humana potius quam diuina conſcripſit. potuit Heſiodus, qui Deorû generationem vnius libri opere complexus eſt. Sed tamen nihil dedit, non à Deo conditore ſumens exordium, ſed à Chao, quod eſt rudis, inordinatæque materiæ confuſa côgeries: cùm explanare ante debuerit, Chaos ipſum vnde, quando, quomodo † eſſe, [al. eſſet] aut conſtare cœpiſſet. Nimirum ſicut ab aliquo artifice diſpoſita, ordinata, † effecta [al. facta] ſunt omnia: ſic ipſam materiam † fictam [al. factam] eſſe ab aliquo neceſſe eſt. Quis igitur hanc niſi Deus † fecerit [al. fecit] cuius poteſtati ſubiacent omnia. Sed refugit hoc ille, dum horret incognitam veritatem. Non enim Muſarum inſtinctu, ſicut videri volebat in Helicone carmen illud effudit, ſed meditatus venerat, & paratus. Noſtrorum primus Maro non longe fuit à veritate: cuius de ſummo Deo, quem ſpiritum, ac mentem nominauit, hæc verba ſunt:

Principio cœlum, ac terras, campoſque liquentes
Lucentemque globum lunæ, titaniaque aſtra,
Spiritus intus alit: totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Ac ne quis forte † ignoret, [al. ignoraret] quisnam eſſet ille ſpiritus, qui tantum haberet poteſtatis. declarauit alio loco, dicens: F

Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Ouidius quoque in principio præclari operis ſine vlla nominis diſſimulatione à Deo, quem fabricatorem mundi, quem rerum opificem vocat; mundum fatetur inſtructû. Quòd ſi vel Orpheus, vel hi noſtri, quæ natura ducente ſenſerunt, in perpetuum defendiſſent: eandem, quam nos ſequimur, doctrinam côprehenſa veritate tenuiſſent. Sed hactenus de poetis ad philoſophos veniam*, quorû auhoritas grauior eſt, certiuſq; iudiciû: quia nô rebus commentitiis, ſed inueſtigandæ veritati ſtuduiſſe creduntur. Thales Mileſius, qui vnus è ſeptem ſapientum numero fuit: quique primus omnium quæſiſſe de cauſis naturalibus traditur: aquam eſſe dixit, † à qua nata ſunt omnia: Deum autem eſſe mentem, qui ex aqua cuncta formauerit. Ita materiam omniû poſuit in humore: principium, cauſamq; naſcendi † poſuit in Deo. [al. conſtituit.] G Pythagoras ita definiuit, quid eſſet Deus: Animus qui per vniuerſas mundi partes, omnêque naturam commeans, atque diffuſus; ex quo omnia quæ naſcuntur, animalia vitam capiunt. Anaxagoras Deû eſſe dixit infinitam mentem, quæ per ſeipſum moueatur. Antiſthenes multos quidem eſſe populares Deos, vnum tamen naturalem, id eſt ſummæ totius artificem. Cleanthes & Anaximenes æthera dicunt eſſe ſummum Deum, cui opinioni poeta noſter aſſenſit:

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno permiſtus corpore fœtus.

Chryſippus naturalem vim diuina ratione præditam, interdum diuinam neceſſitatem Deum nuncupat. Item Zenon diuinam, naturalemque legem. Horum omnium ſententia quamuis ſit incerta, eodem tamen ſpectat, vt prouidentiam vnâ eſſe conſentiat. ſiue enim natura, ſiue æther, ſiue ratio, ſiue mens, ſiue fatalis neceſſitas, ſiue diuina lex, ſiue quid aliud dixeris: idê eſt, quod à nobis dicitur Deus, H nec obſtat appellationum diuerſitas, cum ipſa ſignificatione ad vnum omnia reuoluantur. Ariſtoteles, quamuis ſecum ipſe diſſideat, ac repugnantia ſibi & dicat & ſentiat: in ſummum tamen vnam mentem mundo præeſſe teſtatur. Plato, qui omnium ſapientiſſimus iudicatur, monarchiam planè, aperteque defendit: nec æthera aut rationê, aut naturam, ſed vt eſt Deum nominat: ab eo mundum hunc perfectum, atque mirabilem eſſe fabricatum. Quem Cicero ſecutus atque imitatus in plurimis, Deum frequêter confitetur, ac ſupremum vocat in iis libris, quos de legibus ſcripſit: ab eoque regi mundum argumentatur, cùm diſputat de natura Deorum, hoc modo: Nihil eſt præſtantius Deo, ab eo igitur mundum regi neceſſe eſt. Nulli igitur eſt naturæ obediens, aut ſubiectus Deus, omnem ergo regit ipſe naturâ. quid autem ſit Deus, in conſolatione definit. Nec vero Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo

A intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & mouens. Annæus quoque Seneca, qui ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit, quam ſæpe ſummum Deum merita laude proſequitur! Nam cum de immatura morte diſſereret: non intelligis, inquit, *auctorem, ac maieſtatem iudicis tui, rectoris orbis terrarum, cœlique, & Deorum omniū Dei: à quo iſta numina, quæ ſingula adoramus, & colimus, ſuſpenſa ſunt. Item in exhortationibus. Hic cum prima fundamenta molis pulcherrimæ iaceret, & hoc ordiretur, quo neque maius quicquam nouit natura, nec melius, vt omnia ſub ducibus ſuis irent, quamuis ipſe per totum ſe corpus intenderat, tamen miniſtros regni ſui deos genuit. Et quammulta alia de Deo noſtris ſimilia locutus eſt: quæ nunc differo, quòd aliis locis opportuniora ſint. Nunc ſatis eſt demonſtrare, ſummo ingenio viros attigiſſe veritatem, ac* prope tenuiſſe, niſi eos retrorſum fucata prauis opinionibus conſuetudo rapuiſſet: qua & Deos alios eſſe opinabantur, & ea, quæ in vſum hominis Deus fecit, tanquam ſenſu prædita eſſent, pro Diis habenda, & colenda credebant.

al. auctoritatem

al. pene

B

De teſtimoniis diuinis, & de Sibyllis, & earum carminibus

CAPVT VI.

NVNC ad diuina teſtimonia tranſeamus, ſed prius vnum proferam, quod eſt ſimile diuino & ob nimiam vetuſtatem, & quòd is, quem nominabo, ex hominibus *inter Deos relatus eſt. apud Ciceronem Caius Cotta pontifex diſputans contra Stoicos de religionibus, & de varietate opinionum quæ ſolent eſſe de diis: vt more Academicorum omnia faceret incerta, quinque fuiſſe Mercurios ait: & enumeratis per ordinem quatuor, quintum fuiſſe eum, à quo occiſus ſit Argus: ob eamque cauſam in Ægyptum profugiſſe, atque Ægyptiis leges, ac literas tradidiſſe. Hunc Ægyptij *Thoth appellant, à quo apud eos primus anni ſui menſis, id eſt, September nomen accepit. Idem oppidum condidit, quod etiam nunc Græcè vocatur Ἑρμούπολις: & (a) Saitæ colunt eum religioſe. Qui tametſi homo, fuit tamen antiquiſſimus & inſtructiſſimus omni genere doctrinæ: adeo, vt ei multarum rerum, & artium ſcientia, Triſmegiſto cognomen imponeret. Hic ſcripſit libros, & quidem multos, ad cognitionem diuinarum rerum pertinentes, in quibus maieſtatem ſummi ac ſingularis Dei aſſerit, iiſdemque nominibus appellat, quibus nos, Deum & patrem, ac ne quis nomen eius requireret, ἀνώνυμον eſſe dicit, eo quod nominis proprietate non egeat, ob ipſam ſcilicet vnitatem. Ipſius hæc verba ſunt: ὁ δὲ θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται· ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. *Deo igitur nomen non eſt, quia ſolus eſt: nec opus eſt proprio vocabulo, niſi cum diſcrimen exigit multitudo, vt vnamquamq; perſonam ſua nota, & appellatione deſignes, Deo autem quia ſemper vnus eſt propriū nomen eſt Deus. Supereſt de reſponſis, carminibuſque ſacris teſtimonia, quæ ſunt multo certiora, proferre. Nam fortaſſe ij, contra quos agimus, nec poetis putant eſſe credendum, tanquam vana fingentibus, nec philoſophis, quòd errare potuerunt, quia & hi homines fuerunt. M. Varro, quo nemo vnquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, in libris rerum diuinarum, quos ad C. Cæſarem pontificem maximum ſcripſit: cùm de quindecim viris loqueretur, Sibyllinos ait non fuiſſe vnius Sibyllæ, ſed appellari vno nomine Sibyllinos, quòd omnes fœminæ vates, Sibyllæ ſunt à veteribus nuncupatæ, vel ab vnius Delphidis numine, vel à conſiliis Deorum denuntiandis. σιοὺς enim Deos non θεοὺς, & conſilium non βουλὴν, ſed βούλαν appellabant Æolico genere ſermonis. Itaque Sibyllam dictam eſſe quaſi θεοβούλην. Cæterum Sibyllas decem numero fuiſſe: eaſque omnes enumerauit ſub auctoribus, qui de ſingulis ſcripſerunt: Primam fuiſſe de Perſis, cuius mentionem fecerit Nicanor, qui res geſtas Alexandri Macedonis ſcripſit: Secundam Libyſſam, cuius meminit Euripides in Lamiæ prologo: Tertiam Delphicam, de qua Chryſippus loquitur in eo libro, quem de diuinatione cōpoſuit: Quartam Cumæam in Italia, quam Næuius in libris belli Punici, Piſo in annalibus nominat: Quintam Erythræam, quā Apollodorus Erythræus affirmat ſuam fuiſſe ciuem: eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, & perituram eſſe Troiam, & Homerum mendacia ſcripturum: Sextam Samiam, de qua ſcripſit Eratoſthenes in antiquis annalibus Samiorum reperiſſe ſe ſcriptum: Septimam Cumanam, nomine Amaltheam: quæ ab aliis Demophile vel Herophile nominatur: eamque nouem libros attuliſſe ad Regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos philippeos poſtulaſſe, Regemque, aſpernatum pretij magnitudinem, deriſiſſe mulieris inſaniam, illam in conſpectu Regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem pretium* poſtulaſſe. Tarquinium multo magis mulierem inſanire putaſſe. Quæ denuo trib. aliis exuſtis, cùm in eodem pretio perſeueraret, motum eſſe Regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe, quorum poſtea numerus ſit auctus, Capitolio refecto quod ex omnibus ciuitatibus & Italicis, & Græcis, & præcipuè Erythræis coacti allatique ſunt Romam, cuiuſcumque Sibillæ nomine *fuerunt: Octauam Helleſpōticam in agro Troiano natam, vico Marpeſſo, circa oppidum Gergithium, quam ſcribit Heraclides Ponticus Solonis & Cyri fuiſſe temporibus: Nonam Phrygiam, quæ vaticinata ſit Ancyræ: Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur, vt Dea, iuxta ripas amnis Anienis: cuius in gurgite ſimolachrum eius inuentum eſſe dicitur tenēs in manu librum. Cuius ſacra ſenatus in capitolium tranſtulerit. Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur, & habentur præterquam Cumææ: cuius libri à Romanis occuluntur, nec eos ab vllo, niſi à quindecim viris, inſpici fas eſt. Et ſunt ſingularum ſinguli libri: qui quia Sibyllæ nomine inſcribuntur, vnius eſſe creduntur, ſuntq; confuſi: nec diſcerni, ac ſuum cuique aſſignari poteſt, niſi Erythrææ quæ & nomen ſuum verum carmini inſeruit, & Erythræam ſe *nominatum *iri, prælocuta eſt, cùm eſſet orta Babylone: ſed & nos confuſe Sibyllam dicemus, ſicubi teſtimoniis earū fuerit abutēdū. Omnes igitur hæ Sibyllæ vnum Deum prædicant, maximè tamen Erythræa: quæ celebrior inter cæteras, ac nobilior habetur: ſiquidem Feneſtella diligentiſſimus ſcriptor de .15. viris dicens, ait, reſtituto Capitolio retuliſſe ad ſenatum C. Curionem Cos. vt legati Erythras mitterentur qui carmina Sibyllæ conquiſita Romam deportarent: itaque miſſos eſſe, P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valerium, qui deſcriptos à priuatis verſus circa mille Romam deportarunt. idem ſupra oſtendimus dixiſſe Varronem. In iis ergo verſibus, quos legati Romam attulerunt, de vno deo hæc ſunt teſtimonia:

al. iu

al. Thoyth

C

D

E

F

G

al. nomine ſibi

Εἷς θεὸς ὃς μόνος ἐστὶν ὑπερμεγέθης ἀγένητος.

Hunc eſſe ſolum Deum, ſummum, qui cœlum fecerit, luminibuſque diſtinxerit.

Ἀλλὰ θεὸς μόνος εἷς πανυπέρτατος, ὃς πεποίηκεν
Οὐρανὸν ἠέλιόν τε καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου.

Qui quoniam ſolus ſit ædificator mundi, & artifex rerum, vel quibus conſtat, vel quæ in eo ſunt, ſolum ſoli oportere, teſtatur.

H

Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθ' ἡγήτορα κόσμου,
Ὃς μόνος εἰς αἰῶνα καὶ ἐξ αἰῶνος ἐτύχθη.

Item alia Sibylla, quæcunque eſt, cùm perferre ſe ad homines Dei vocem diceret, ſic ait:

Εἷς μόνος εἰμὶ θεὸς, καὶ οὐκ ἔστι θεὸς ἄλλος.

Exequerer nunc teſtimonia cæterarum: niſi & hæc ſufficerent, & illa opportunioribus locis reſeruarem. Sed cùm defendamus cauſam veritatis apud eos, qui aberrantes à veritate, falſis religionibus ſeruiunt: quod genus probationis aduerſus eos magis adhibere debemus, quam vt eos Deorum ſuorum teſtimoniis reuincamus?

A

a Saitæ ſemani & colunt eum, &c.] erat in libro impreſſo, & ſemate colunt eum religioſæ, habet alter ex Codicibus ſancti Saluatoris ex illo autem ſemate ſ. et Pheneatæ. hūc verò locum ex Ciceronis lib. 3. de natura Deorum ſumpſiſſe Lactantium clare apparet, de Mercurio enim loquens Cicero ſic ait: Quintus, quem colunt Pheneatæ, qui & Argum dicitur interemiſſe, ob eamque cauſam Aegypto præfuiſſe, atque Aegyptijs leges, & literas tradidiſſe, hunc Aegyptij Thoyt appellant, eodemque nomine anni primus menſis apud eos vocatur. Porro Pheneatæ populi ſunt Arcadiæ, vt tradit Pauſanias li. 8. Saitæ vero populi ſunt Aegypti, ex quo etiam apparet, legendum eſſe Pheneatæ, quia ſupra dixerat de Aegyptijs, a quibus tranſit ad alios, nempe Pheneatas Arcadios.

Οὐ &c. i. Deus autem vnus. vnus autem nomine non eget. eſt enim qui eſt ſine nomine.

Εἷς &c. i. Vnus Deus qui ſolus eſt excedens omnem magnitudinem, increatus.

B

Ἀλλὰ &c. i. Sed Deus ſolus vnus eminentiſſimus, qui fecit cœlum, ſolemq; & ſtellas, & lunam, fructiferamq; terram, & aquæ maris fluctus.

Αὐτὸν &c. i. Ipſum, qui ſolus eſt, colite principem mundi, qui ſolus eſt in ſeculum, atq; a ſeculo fuit.

Εἷς μόνος &c. i. Solus enim Deus ſum, & non alius.

De teſtimonijs ex reſponſis.

Capvt VII.

al. quo. APollo enim quem præter cæteros diuinum maximeque fatidicum exiſtimant; Colophone reſpondens, a quò Delphis credo emigrauerat, Aſiæ ductus amœnitate: quærenti cuidam, quis eſſet, aut quid eſſet omnino Deus, reſpondit viginti & vno verſibus. Quorum hoc principium eſt:

Αὐτοφυὴς ἀδίδακτος ἀμήτωρ ἀστυφέλικτος
Οὔνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενος ἐν πυρὶ ναίων.
Τοῦτο θεός, μικρὰ δὲ θεοῦ μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς.

C

Nunquid poteſt ſuſpicari de Ioue eſſe dictum, qui & matrem habuit, & nomē? Quid, quòd Mercurius ille ter maximus; cuius ſupra mentionem feci; non modo ἀμήτορα vt Apollo, ſed ἀπάτορα quoque appellat Deum, quòd origo illi non ſit aliunde: Nec enim poteſt ab vllo eſſe generatus, qui ipſe vniuerſa b generauerit. Satis (vt opinor) & argumentis docui, & teſtibus confirmaui, quod per ſe ſatis clarum eſt, Vnum eſſe regem mundi, vnum patrem, vnum Deum. Sed fortaſſe quærat aliquis à nobis idem illud, quod apud Ciceronem quærit Hortenſius. Si Deus vnus eſt: quæ eſſe beata ſolitudo queat? Tanquam nos, qui vnum eſſe dicimus, deſertum ac ſolitarium eſſe dicamus. habet enim miniſtros, quos vocamus nuncios. Et eſt illud verum, quod dixiſſe in exhortationibus Senecam ſupra retuli: genuiſſe regni ſui miniſtros Deum. Verum hi neque Dij ſunt, neque Deos ſe vocari, aut coli volunt: quippe qui nihil præter iuſſum, ac voluntatem Dei faciant. Nec tamen illi ſunt, qui vulgo coluntur: quorum & exiguus, & certus eſt numerus. Quod ſi cultores Deorum, eos ipſos ſe colere putant, quos ſummi Dei miniſtros appellamus: nihil eſt, quod nobis faciant inuidiam, qui vnum Deum dicamus, multos negemus. Si eos multitudo delectat: non duodecim dicimus, aut trecentos ſexaginta quinque (vt Orpheus) ſed innumerabiles eſſe arguimus eorum errores in diuerſum, qui tam paucos putant. Sciant tamen, quo nomine appellari debeant: ne Deum verum violent: cuius nomen b exponunt, dum pluribus tribuunt. Credant Apollini ſuo, qui eodem illo reſponſo vt Ioui principatum, ſic etiam cæteris Dijs abſtulit nomen. Tertius enim verſus oſtendit, Dei miniſtros, non Deos, verùm angelos appellari oportere. De ſe quidem ille mentitus eſt, qui cum ſit è numero dæmonum, angelis ſe Dei aggregauit. denique in alijs reſponſis, dæmonem ſe eſſe, confeſſus eſt. Nam cum interrogaretur, quomodo ſibi ſupplicari vellet, ita reſpondit:

al. explodunt.

D

Πανσοφε [illegible]

E

Item ruſus cum preces in Apollinem Smyntheum rogatus exprimeret, ab hoc verſu exorſus eſt:

Ἁρμονίη κόσμοιο φαεσφόρε πάνσοφε δαῖμον.

Quid ergo ſupereſt, niſi vt ſua confeſſione verberibus veri Dei, ac pœnæ ſubiaceat ſempiternæ? Nam in alio reſponſo ita dixit:

Δαίμονες οἱ φοιτῶσι περὶ χθόνα καὶ περὶ πόντον
Ἀκάματοι δαμνῶνται ὑπὸ μάστιγι θεοῖο.

De vtriſque generibus in II. lib. diſſeremus. Interim nobis ſat eſt, quòd dum ſe honorare vult & in cœlo collocare, confeſſus eſt, id quod res habet, quomodo ſint appellandi, qui Deo aſſiſtunt. Retrahant ergo ſe homines ab erroribus; & abiectis religionibus prauis, parentem ſuum, dominumque cognoſcant: cuius nec virtus æſtimari poteſt, nec magnitudo perſpici, nec principium comprehendi, cùm ad illum mentis humanæ intentio, & acumen, & memoria peruenerit quaſi ſubducta, & conſumptis omnibus vijs: ſubſiſtit, hæret, deficit: nec eſt aliquid vlterius, quo progredi poſſit. a Verum quia fieri non poteſt, quin id, quod ſit, aliquando eſſe cœperit: conſequens eſt, vt b quando nihil ante illum fuit, ipſe ante omnia ex ſe ipſo ſit procreatus. Ideoque ab Apolline αὐτοφυής, à Sybilla αὐτογενής, & ἀγένητος, & ἀποίητος nominatur. Quod Seneca vir acutus in exhortationibus vidit. Nos, inquit, aliunde pendemus, Itaque ad aliquem reſpicimus, cui quod eſt optimum in nobis, animam debeamus. Alius nos edidit; alius inſtruxit: Deus ipſe ſe fecit.

F

al. quoniã. C...m. legi... iſta omnia ad finē vſq; capitis nam vehementer abhorrē à more loquendi Theologorum, neq; enim Deus à ſeipſo genitus eſt, aut procreatus, cū nihil magis impoſſibile, quā aliquid ſeipſum generare, aut procreare. Nec video ut verba Lactā[tij] in bonū aliquē ſenſum poſſe reduci, niſi negatiuè,

αὐτοφυὴς &c. i. Ex ſe ortus, non edoctus, ſine matre concuſſus nomine ne verbo quidem capiendum, in igne habitans. hoc Deus eſt: modica autem Dei portio angeli nos.

πάνσοφε &c. i. Omnia ſapiens, omnia docte, qui per cuncta verſaris exaudi dæmon.

ἁρμονίη &c. i. Concentus mundi lucifer & ſapiens dæmon.

δαίμονες &c. i. Dæmones qui verſantur circa terram & circa pontum indeſeſſi, domantur ſub flagello Dei.

αὐτοφυής, i. Ex ſe ortus, vel ex ſe ingenioſus.

αὐτογενής, i. Ex ſe genitus.

ἀγένητος, i. Ingenitus.

ἀποίητος, i. Non factus.

G

a Quo Delphis, credo, emigrauerat Aſiæ ductus amœnitate] antiquus atq; alij optimi Codices ſic habent, & mihi valde placet. Nam, quod, vt eſt in libris impreſſis, nullo modo legi poteſt, & illud, credo, efficit ironiam quandam elegantem, quaſi illi Dij huiuſmodi eſſent, qui locorum amœnitates ſectarentur.

A ſeipſo genitus, id eſt, non ab alio genitus. Denique in hac cauſa quid illud abſurdius dici nō poteſt quam id quod ſit, aliquando eſſe cœpiſſe.

b Cuius nomen explodunt.] habent aliquot antiqui Codices, non exponunt, & ſane recte dicitur Dei nomen explodere & eijcere, qui illud pluribus tribuit.

De Deorum coitu, & ortu.

Capvt VIII.

HIs igitur tot & tantis teſtibus comprobatur vnius Dei poteſtate, ac prouidentia mundum gubernari, cuius vim, maieſtatemque tantam eſſe dicit in Timæo Plato; vt eam neque mente concipere, neque verbis enarrare quiſquam poſſit ob nimiam & inæſtimabilem poteſtatem. Dubitet ergo aliquis, an quicquam difficile, aut impoſſibile ſit Deo: qui tanta, tamque mirifica opera prouidentia excogitauit, virtute conſtituit, ratione perfecit; nunc autem ſpiritu ſuſtentet, poteſtate moderetur, inexcogitabilis, ineffabilis & nulli alij ſatis notus quàm ſibi? Vnde mihi de tanta maieſtate ſæpius cogitanti, qui deos colunt interdum videri ſolent tam cæci, tam incogitabiles, tam excordes, tam non multum à mutis animalibus differentes, qui credant, eos qui geniti ſunt maris ac fœminæ coitu, aliquid maieſtatis, diuinæq; virtutis habere potuiſſe? cum Sybilla Erythræa dicat,

οὐ δύναται πλάσθαι
Ἐκ μηροῦ ἀνδρὸς καὶ μήτρας σῶμα θεοῖο.

Vide Apparat. ſacrum Poſſeuini an Gilb Genebraran.

H

Quod ſi ita eſt verum, ſicuti res ipſa apparet, Herculem, Apollinē, Liberum, Mercurium, Iouemq; ipſum cum cæteris homines fuiſſe, quoniam ſunt ex duobus ſexibus nati. Quid eſt

A autem tam remotum à Deo, quā id opus, quod ipſe ad propagandam ſobolem mortalibus tribuit? & quod ſine ſubſtantia corporali nullum poteſt eſſe? Dij ergo, ſi ſunt immortales, & æterni; quid opus eſt altero ſexu? a cum ſucceſſione non egeant qui futuri ſunt ſemper? Nam profectò in hominibus, cæteriſq; animantibus diuerſitas ſexus, & coitio, & generatio nullam habet aliam rationem, niſi vt omnia genera viuentium, quando ſunt conditione mortalitatis obitura, mutua poſſint ſucceſſione ſeruari. Deo autē, qui eſt ſempiternus, neque alter ſexus, neque ſucceſſio neceſſaria eſt. Dicet aliquis; vt habeat vel miniſtros, vel in quos ipſe poſſit dominari. Quid igitur opus eſt ſexu fœmineo: cùm Deus, qui eſt omnipotens, * ſine vſu, & opera fœminæ poſſit filios procreare? Nam ſi quibuſdam minutis animalibus id præſtitit; vt ſibi è folijs natos & ſuauibus herbis Ore legant: cur exiſtimet aliquis ipſum Deum niſi ex permiſtione ſexus alterius non poſſe generare? Illos igitur, quos imperiti & inſipientes tanquam Deos & nuncupant B & adorant, nemo eſt tam inconſideratus qui non intelligat fuiſſe mortales. Quomodo ergo, inquiet aliquis, Dij crediti ſunt? Nimirum quia reges maximi, ac potentiſſimi fuerunt ob merita virtutum ſuarum, aut munerum, aut artium repertarum, cùm chari fuiſſent ijs, quibus imperitauerant, in memoriam ſunt conſecrati. Quod ſi quis dubitet, res eorum geſtas, & facta conſideret, quæ vniuerſa tam poëtæ, quàm hiſtorici veteres prodiderunt.

in dénar' &c. i. *Non poteſt ex viri ſemine & matrice Deus formatus eſſe.*

a Dij ergo ſi ſunt immortales & æterni, quid opus eſt altero ſexu cum ſucceſſione non egeant] *antiquus Codex ſic habet & deſunt illa* nimirum vt generent, ipſa progenie quid opus eſt. *quæ ſane lectio mihi placet quia ſententia eſt optima, & oratio eſt efficacior, breui quodam enthymemate concluſa. vt dicat: vtroque ſexu non eſt opus dijs, quia ſucceſſione non egent, qui futuri ſunt ſemper. an quo enthymemate aliquis in margine voluit illa adiungere,* nimirum vt generent, &c.

C *b* Cum Deus qui eſt omnipotens, vt vocatur ſine vſu] *habent impreſſi libri & aliquot manuſcripti.* cum Deus qui eſt omnipotens ſine vſu. *habet antiquus Codex: & vocant illa,* vt vocatur, *quæ iudico omnino eſſe inducenda, quia ante dixit eum eſſe omnipotentem vnde hæc adiectio:* vt vocatur, *inepta eſt & nullo pacto ſtare poteſt.*

De Hercule, & eius vita, & morte.

Capvt IX.

HErcules, qui ob virtutem clariſſimus, & quaſi Africanus inter Deos habetur: nónne orbem terræ, quem peragraſſe, ac purgaſſe narratur, ſtupris, libidinibus, adulterijs, inquinauit? nec mirum: cum eſſet adulterio genitus Alcmenæ. Quid tandem potuit in eo eſſe diuini, qui ſuis ipſe vitijs mancipatus & mares & fœminas contra omnes leges infamia, dedecore, flagitio affecit? Sed ne illa quidem, quæ magna & mirabilia geſſit; talia iudicanda D ſunt; vt virtutibus diuinis tribuenda videantur. Quid enim tam magnificum; ſi leonem, aprumque ſuperauit? ſi aues ſagittis deiecit? ſi regium ſtabulum egeſſit? ſi viraginem vicit; cingulumque detraxit? ſi equos feroces cum domino interemit? Opera ſunt iſta fortis viri, hominis tamen. Illa enim, quæ vicit, fragilia, & mortalia fuerunt. Nulla enim eſt (vt ait Orator) tanta vis; quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique poſſit. At animum vincere, iracundiam cohibere, fortiſſimi eſt, quæ ille nec fecit vnquam, nec potuit. Hæc qui faciat: non modò ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico. Vellem, adieciſſet de libidine, luxuria, cupiditate, inſolentia, vt virtutem eius impleret, quem ſimilem Deo iudicabat. Non enim fortior iudicandus eſt qui leonem, quam qui *a* violentiam in ſeipſo inclusam feram ſuperat iracundiam; aut qui rapaciſſimas volucres deijcit: quàm qui cupiditates auidiſſimas coërcet: aut qui Amazonē bellatricē, E quàm qui libidinem vincit, pudoris, ac famæ debellatricem; aut qui fimum de ſtabulo, quàm qui vitia de corde ſuo egerit quæ magis ſunt perniciosa; quia domeſtica, & propria mala ſunt: quam illa quæ & vitari poterant, & caueri. Ex quo fit, vt ille ſolus vir fortis debeat iudicari, qui temperans eſt, & moderatus, & iuſtus. Quòd ſi cogitet aliquis, quæ ſint Dei opera: iam hæc omnia, quæ mirantur homines ineptiſſimi ridicula iudicabit. Illa enim non diuinis virtutibus, quas ignorant, ſed infirmitate ſuarum virium metiuntur. Nam illud quidem nemo negabit: Herculem non tantum Euryſtheo ſeruiſſe regi, quod aliquatenus honeſtum videri poteſt, ſed etiam impudicæ mulieri Omphalæ: quæ illum veſtibus ſuis indutum, ſedere ad pedes ſuos iubebat penſa facientem. deteſtabilis turpitudo: ſed tanti erat voluptas! Quid tu, inquiet aliquis, poëtisne credendum putas? Quid ni putem? Non enim iſta Lucilius narrat, aut Lucianus; qui Dijs & hominibus non F pepercit: ſed hi potiſſimum, qui Deorum laudes canebant. Quibus igitur credemus, ſi fidem laudantibus non habemus? Qui hos mentiri putat, proferat alios, quibus credamus, auctores: qui nos doceant, qui ſint iſti Dij, quomodo, vnde orti, quæ ſit vis eorum: qui numerus: quæ poteſtas: quid in his admirabile: quid cultu dignum: quod denique certius veriuſque myſterium. nullos dabit. Credamus igitur iſtis, qui non vt reprehenderent, ſunt locuti, ſed vt prædicarent. Nauigauit ergo cum Argonautis; expugnauitque Troiam, iratus Laomedonti ob negatam ſibi pro filiæ ſalute mercedem. Vnde quo tempore fuerit, apparet. Idem furore, atque inſania percitus, vxorem ſuam cum liberis interemit. Hunc homines Deum putant? ſed Philoctetes eius hæres non putauit; qui facem ſuppoſuit arſuro, qui artus eius, & neruos cremari, ac diffluere vidit; qui oſſa eius, ac cineres in Oeta monte ſepeliuit: pro quo munere ſagittas eius accepit.

a Qui leonem, quam qui violentiam & in ſeipſo, &c.] *erat in libris impreſſis.* qui leonem, quam qui violentiam in ſeipſo G incluſam feram ſuperat iracundiam, *habet antiquus Codex, quod mihi valde probatur. Nam oratio ipſa elegantior eſt, ac grauior. quod ſi legamus violentiam, non video, quæ ratio reddi poſſit, cur iracundiam appellauerit feram in ſeipſo incluſam, cur violentia ſit acerbior quadam iracundia. nec enim vnum vni velit tantum comparare, & leonem aſſumat, illum ſine dubio cum violentia illa fera iracundia comparat.*

De Aeſculapij, Apollinis, Martis, Caſtoris, & Pollucis, Mercurij, & Liberi vita, & geſtis.

Capvt X.

AEſculapius & ipſe non ſine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud diuinis honoribus dignū; niſi quod ſanauit Hippolytum? mortem ſane habuit clariorem, quòd à Deo meruit fulminari. Hunc Tarquitius de illuſtribus viris diſſerens, ait, incertis parentibus natum, expoſitum, & à venatoribus inuentum, canino lacte nutritum; Chironi traditum, didiciſſe medicinam: fuiſſe autem Meſſenium, ſed Epidauri moratum. Tullius etiam Cynoſuris ait H ſepultum. Quid Apollo pater eius? Nonne ob amorem, quo * flagrauit, turpiſſime gregem pauit alienum, & muros Laomedonti extruxit, cum Neptuno mercede conductus? *al. flagrabat.* Quæ illi negari potuit impune: ab eoque primo Rex perfidus, quicquid cum Dijs pepigiſſet, didicit abnegare. Idem formoſum puerum & dum amat, violauit, &, dum ludit, occidit. Homicida Mars, & per gratiam cædis crimine ab Athenienſibus liberatus, ne videretur nimis ferus, & immanis; adulterium cum Venere cōmiſit. Caſtor & Pollux, dum alienas ſponſas rapiunt, eſſe gemini deſierūt. nam dolore iniuriæ concitatus Idas alterum gladio tranſuerberauit: & eoſdem poëtæ alternis viuere, & alternis mori narrant: vt iam ſint non Deorum tantùm, ſed omnium mortalium miſerrimi, quibus ſemel mori non licet, hos tamen Homerus ambos ſimpliciter, non vt poëtæ ſolent)

mor-

A mortuos eſſe teſtatur. Nam cùm faceret in muris aſſidentem Priamo Helenam, cunctos Græciæ principes recognoſcere; ſolos autem ſe fratres ſuos requirere: ſubiecit orationi eius huiuſmodi verſum:

Hos autem iam tum retinebat terra ſepultos.

Fur ac nebulo Mercurius, quid ad famam ſui reliquit niſi memoriam fraudum ſuarum? Cœlo ſcilicet dignus; quia palæſtram docuit: & lyram primus inuenit. Liberum patrem, in ſenatu Deorum ſummæ auctoritatis, primæque eſſe ſententiæ, neceſſe eſt: quia præter Iouem ſolus omnium triumphauit, exercitum duxit, Indos debellauit; ſed inuictus ille Imperator Indicus maximus è ab amore ac libidine turpiſſimè victus eſt. Delatus enim * Diam cum ſemiuiro comitatu, nactus eſt impudicam mulierem in littore: ac fiducia victoriæ Indicæ vt eſſe voluit, ne nimium mullis videretur: atque illam patris proditricem, fratris interemptricem, ab alio relictam, & repudiatam, in coniugium ſibi vendicauit & liberam fecit, & cum ea pariter aſcendit in cœlum. Quid horum omnium pater Iupiter, qui in ſolenni precatione Optimus Maximus nominatur? B Nónne à prima ſua pueritia impius, ac pene parricida deprehenditur? cùm patrem regno expulit, ac fugauit: nec expectauit mortem decrepiti ſenis, cupiditate regnandi, & cùm paternum ſolium per vim, per arma cepiſſet, bello eſt à Titanibus laceſſitus, quod humani generis principium fuit malorum: quibus victis, & pace in perpetuum comparata, reliquam ſuam vitam in ſtupris, adulterijſque conſumpſit. Omitto virgines, quas imminuit, id enim tolerabile iudicari ſolet. Amphytrionem ac Tyndarum præterire non poſſum: quorum domos dedecore, atque infamia pleniſſimas reddidit. Illud verò ſummæ impietatis, ac ſceleris, quòd regium puerum rapuit ad ſtuprum. Parum enim videbatur, ſi in expugnanda fœminarum pudicitia maculoſus eſſet, ac turpis: niſi etiam ſexui ſuo iniuriam faceret, hoc eſt verum adulterium: quod ſit contra naturam. Hæc qui fecit; viderimus, an maximus, certè optimus non eſt. Quod nomen à corruptoribus, ab adulteris, ab inceſtis abeſt: niſi forte nos erramus homines; qui talia facientes, ſceleratos vocamus, ac perditos; omnibuſque pœnis digniſſimos iudicamus. Stultus autem M. Tullius, qui C. Verri adulteria obiecit: eadem enim Iupiter, quem colebat, admiſit: qui P. Clodio ſororis inceſtum: at illi Optimo Maximo eadem fuit & ſoror & coniux.

Imperator Indicus maximus ob amorem ac libidinem] *legitur in Codicibus impreſſis* * ab amore & libidine, *legendum eſt, in quo omnes boni Codices cum antiquo concordant. Nam ſi diceremus, Liberum ob amorem fuiſſe victum, videremur indicare, amorem & libidinem ei fuiſſe cauſam, quare ab aliquo victus fuerit, cum tamen neſciamus ab aliquo duce Liberum in illa Indica expeditione victum fuiſſe. libidine tamen, qua in Ariadnen exarſit, victus fuit.*

Quale M. Antonij] *habent libri impreſſi*, quale Pompeij, *habet antiquus Codex, cum quo aliquot manuſcripti concordant, quod mihi probatur. Nam lege Gabinia ad liberandum à prædonibus mare, data eſt Pompeio claſſis præfectura, & vt in omni ora maritima prouinciarum popul. Rom. maius eſſet imperium ipſius, quàm illorum qui prouincias obtinebant. ad quod reſpiciens Lactantius recte id appellauit imperium infinitum, quod poſt ipſum nulli alij legimus fuiſſe decretum. Vide de hac lege Gabinia, & induſtria Pompeij in eo bello conficiendo M. Tullium in orationibus pro lege Manilia, & pro lege Agraria contra Rullum, qui ob felicem eius ſucceſſum ab adulatoribus fuit Neptunus appellatus, quinetiam multa antiquæ imagines Pompeij reperiuntur, in quibus ei Neptuni inſignia attribuuntur.*

De Iouis ortu, vita, regno, nomine, & morte, Saturno, & Vrano.

CAPVT XI.

QVis eſt igitur tam excors, qui hunc in cœlo regnare putet; qui ne in terra quidem debuit? Non inſulsè quidam poëta triumphum Cupidinis ſcripſit. Quo in libro non modò potentiſſimum Deorum Cupidinem, ſed etiam victorem facit. Enumeratis enim amoribus ſingulorum; quibus in poteſtatem Cupidinis, ditionemque veniſſent: inſtruit pompam, in qua Iupiter cum cæteris Dijs ante currum triumphantis ducitur catenatus. eleganter id quidem à poëta figuratum: ſed tamen non multum diſtat à vero. Qui enim virtutis eſt expers; qui * cupiditatibus, ac libidinibus malis vincitur: non Cupidini (vt ille finxit) ſed morti ſubiectus eſt ſempiternæ. Sed omittamus de moribus dicere: rem conſideremus: vt intelligant homines, in quibus miſeri verſentur erroribus. Regnare in cœlo Iouem vulgus exiſtimat: id & doctis pariter, & indoctis perſuaſum eſt. Quod & religio ipſa, & precationes, & hymni, & delubra, & ſimulachra demonſtrant. Eundē tamē Saturno, & Rhea genitum confitentur. Quomodo poteſt Deus videri, aut credi (vt ait poëta) hominum, rerumque repertor, ante cuius ortum infinita hominum millia fuerūt? Eorum ſcilicet, qui Saturno regnante vixerunt, ac priores luce, quàm Iupiter, ſunt potiti. Video alium Deum regem fuiſſe primis tēporibus, alium conſequentibus. Poteſt ergo fieri, vt alius ſit poſtea futurus. Si enim regnum prius mutatum eſt: cur deſperemus etiam poſterius poſſe mutari? niſi forte Saturnus generare potuit fortiorem: Iupiter non poteſt. Atqui diuinum imperium aut ſemper immutabile eſt: aut, ſi eſt mutabile, quod fieri non poteſt: ſemper vtique mutabile eſt. Poteſt ergo Iupiter regnum amittere, ſicut pater eius amiſit. Ita planè. Nam cùm idem neque virginibus, neque maritatis vnquam pepercisſet: abſtinuit ſe tamen vna Thetide: quòd reſponſum fuit maiorem patre ſuo futurum, qui ex illa natus eſſet. Primum in eo prudentia non Dei: cui niſi Themis futura dixiſſet, ipſe neſciret. ſi autem diuinus non ſit, ne Deus quidem ſit, vnde ipſa diuinitas nominatur, vt ab homine humanitas. Deinde conſcientia imbecillitatis, qui timuit vtique maiorem. Quod qui facit; ſcit profectò non eſſe ſe maximum, quandoquidem poteſt aliquid maius exiſtere. Idem per Stygiam paludem ſanctiſſimè iurat,

Vna ſuperſtitio, ſuperis quæ reddita diuis.

Quæ eſt iſta ſuperſtitio? aut à quo reddita? Eſt ergo aliqua poteſtas maxima, quæ peierantes deos puniat? quæ tanta formido eſt paludis infernæ, ſi ſunt immortales? Quid metuunt eam, quam viſitari non ſunt niſi quos mori neceſſe eſt? Quid igitur homines oculos ſuos in cœlum tollunt? quid per ſuperos deierant cùm ipſi ſuperi ad inferos deuoluantur? Ibique habeant quod venerentur, & adorent? Illud verò quale eſt? eſſe fata, quibus dij omnes & ipſe Iupiter pareat. Si Parcarum tanta vis eſt, vt plus poſſint quam cœleſtes vniuerſi, quamque ipſe rector ac dominus: cur non illæ potius regnare dicantur, quarum legibus, ac ſtatutis parere omnes deos neceſſitas cogit? Nunc cui dubium eſt, quin is, qui alicui rei obſequitur, maximus non ſit? nam ſi ſit non accipiat fata ſed faciat. Nunc ad illud, quod omiſeram, redeo. In vna vtique ſolus fuit continentior, cum eam deperiret, & non virtute aliqua, ſed metu ſucceſſoris. Qui timido vtique eius eſt, qui ſit & mortalis & imbecillis, & nihili: quippe qui potuit & tunc, cùm naſceretur, extingui, ſicut frater eius ante genitus extinctus eſt: qui ſi viuere potuiſſet nūquam mori conceſſiſſet imperium. Ipſe autem furto ſeruatus, furtimq; nutritus, Ζεὺς ſiue Ζὴν appellatus eſt: non, vt iſti putant, à feruore cœleſtis ignis, vel quod vitæ ſit dator, vel quòd animantibus inſpiret animas, quæ virtus ſolius dei eſt (quam enim poſſit inſpirare animā qui ipſe accepit aliunde?) ſed quòd primus ex liberis Saturni maribus vixerit. Potuerunt igitur homines alium Deum habere * regē, ſi Saturnus non fuiſſet ab vxore deluſus. At enim poëtæ iſta finxerunt. Errat quiſquis hoc putat:

Margin notes: al. Cretam; al. cupiditate; al. rectore. Margin letters: A, B, C, D (left); E, F, G, H (right).

A

illi enim de hominibus loquebantur: ſed vt eos ornarent, quorum memoriam laudibus celebrabant; deos eſſe dixerunt. Itaque illa potius ficta ſunt, quæ tanquam de dijs, non illa, quæ tanquam de hominibus locuti ſunt. Quod clarum fiet exemplo, quod inferemus. Danaën violaturus, aureos nummos largiter in ſinum eius infudit. Hæc ſtupri merces fuit. At poëtæ, qui quaſi de Deo loquebantur, ne auctoritatem creditæ maieſtatis infringerent: finxerunt ipſum in aureo imbre delapſum, eadem figura, qua imbres ferreos dicunt, cùm multitudinem telorum, ſagittarumque deſcribunt. Rapuiſſe dicitur in aquila Catamitum, poëticus color eſt. Sed aut per legionem rapuit, cuius inſigne aquila eſt: aut nauis, in qua eſt impoſitus, tutelā habuit in aquila figuratam, ſicut taurum, cùm rapuit, & tranſuexit Europam. Eodem modo conuertiſſe in bouem traditur Io Inachi filiam, quæ vt iram Iunonis effugeret; vt erat iam ſetis obſita, iam bos tranaſſe dicitur mare; in Ægyptumque veniſſe; atque ibi recepta priſtina forma, dea facta; quæ

B

nunc Iſis vocatur. Quo igitur argumento probari poteſt, nec Europam in Tauro ſediſſe, nec Io factam bouē? Quòd certus dies habetur in faſtis, quo Iſidis nauigium celebratur: quæ res docet non tranaſſe illam, ſed nauigaſſe. Igitur qui ſapere ſibi videntur: quia intelligunt viuum, terrenumque corpus in cœlo eſſe non poſſe: totam Ganymedeam fabulam pro falſo repudiant: * nec ſentiunt, in terra id eſſe factum, quia res, ac libido ipſa terrena eſt. Non ergo res ipſas geſtas finxerunt poetæ: quod ſi facerent, eſſent vaniſſimi: ſed geſtis addiderunt quendam colorem rebus. Non enim obtrectantes illa dicebant, ſed ornare cupientes. Hinc homines decipiuntur: maximè quòd dum hæc omnia ficta eſſe arbitrantur à poëtis, colunt quod ignorant. neſciunt enim, qui ſit poëticæ licentiæ modus; quouſque progredi fingendo liceat: cùm officium poëtæ ſit in eo, vt ea, quæ geſta ſunt verè in aliquas ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo conuerſa traducat. Totum autem, quod referas, fingere, id eſt, ineptum eſſe, & mendacem potius quā poëtam. ſed * finxerunt iſta, quæ fabuloſa creduntur, num etiam illa, quæ de dijs fœminis deorumque connubijs dicta ſunt? Cur igitur ſic figurantur, ſic coluntur? niſi forte

al. ac

al. finxerunt.

C

non tantum poëtę, ſed pictores etiam imaginum mentiuntur. Si enim hic Iupiter, qui à vobis dicitur Deus, non is eſt, qui ex Saturno, & Ope natus eſt: non oportuit niſi ſolius ſimulachrum in templis omnibus collocari. Quid ſibi mulierum effigies volunt? Quid ſexus infirmus? in quem ſi cecidit Iupiter: * tum verò ipſi lapides hominem fatebuntur. Mentitos aiunt eſſe poetas, & his tamen credunt; immo verò non eſſe mentitos, re ipſa probant. Ita enim deorum ſimulachra confingunt, vt ex ipſa diuerſitate ſexus appareat vera eſſe, quæ dicunt poetæ. Namquod aliud argumentum habet imago Catamiti, & effigies aquilæ; cum ante pedes Iouis ponuntur in templis: & cùm ipſo pariter adorantur: niſi vt nefandi ſceleris, ac ſtupri memoria maneat in æternum? Non igitur à poetis totum fictum eſt, aliquid fortaſſe traductum & obliqua figuratione obſcuratum; quo veritas inuoluta tegeretur: ſicut illud de ſortitione regnorum. Aiunt enim Ioui cœlum obtigiſſe, Neptuno mare, inferna Plutoni, cur non terra potius in ſortem

al. eum.

D

tertiam venit? niſi quòd in terra geſta res eſt. Ergo illud in vero eſt, quòd regnum orbis ita partiti, ſortitique ſunt; vt Orientis imperium Ioui cederet, Plutoni, cui cognomen Ageſilao fuit pars, Occidentis obtingeret: eo quod plaga * Oriens, ex qua lux mortalibus datur, ſuperior, Occidentis autem inferior eſſe videatur. Sic veritatem mendacio velauerunt, vt veritas ipſa perſuaſioni publicæ nihil derogaret. De Neptuni ſorte manifeſtum eſt, cuius regnum tale fuiſſe dicimus, quale * M. Antonij fuit infinitum illud imperium, cui toti * orę maritimæ poteſtatē ſenatus decreuerat, vt prædones perſequeretur, ac mare omne pacaret. Sic Neptuno maritima omnia cum inſulis obuenerunt. Quomodo id probari poteſt? Nimirum veteres hiſtoriæ docent. Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit ex ciuitate Meſſena, res geſtas Iouis, & cæterorum, qui dij putantur, collegit, hiſtoriamque contexuit ex titulis, & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur, maximeque in fano Iouis Triphylij, vbi auream columnam poſitam eſſe

al. Orientis.

al. Pompeii. Quæ in M. Antonij verba, ſunt annotata in huius capitis initio videbuntur.

E

ab ipſo Ioue, titulus indicabat: in qua columna geſta ſua perſcripſit, vt monimentum eſſet poſteris rerum ſuarum. Hanc hiſtoriam interpretatus eſt Ennius, & ſecutus. cuius hæc verba ſunt ibi. Iupiter imperium Neptuno dat maris, vt inſulis omnibus & quæ ſecundum mare loca * ſunt, omnibus regnaret. Vera ſunt ergo, quæ loquuntur poetæ: ſed obtentu aliquo ſpecieque velata. Poteſt & mons Olympus figuram poetis dediſſe, vt Iouem dicerent cœli regnum eſſe ſortitum, quòd Olympus ambiguum nomen eſt & montis, & cœli. In Olympo autem Iouem habitaſſe, docet hiſtoria eadem: quæ dicit: Ea tempeſtate Iupiter in monte Olympo maximam partem vitæ colebat, & eò ad eum in ius veniebant, ſi quæ res in controuerſia erant. Item, ſi quis quid noui inuenerat, quod ad vitam humanam vtile eſſet, eò veniebat, atque Ioui oſtendebat. Multa in hunc modum poetæ transferunt, non vt in deos mentiantur, quos colunt, ſed vt figuris, * varijſque coloribus venuſtatem, ac leporem carminibus ſuis addant. Qui autem non intelligunt, quomodo, aut quare quidque * figuretur: poetas velut mendaces, & ſacrilegos inſequūtur. Hoc

al. ſecundum mare loca eſsēt.

al. verſicoloribus.

F

al. fingatur.

errore decepti etiam philoſophi, quòd ea, quæ de Ioue feruntur, minimè in Deum conuenire videbātur; duos Ioues fecerunt, vnum naturalem, alterum fabuloſum. Viderunt ex parte, quod erat verum, eum ſcilicet, de quo poetæ loquuntur, hominem fuiſſe, in illo autem naturali Ioue, vulgari conſuetudine religionis inducti, errauerunt, quòd in Deum nomen hominis tranſtulerunt, qui (vt ſupra diximus) quia ſolus eſt, non indiget nomine. Iouem autem illum eſſe, qui ſit ex Ope, Saturnoque natus, negari non poteſt. Vana igitur perſuaſio eſt eorum, qui nomen Iouis ſummo Deo tribuunt. Solent enim quidam errores ſuos hac excuſatione defendere, qui conuicti de vno Deo cùm id negare non poſſunt, ipſum ſe colere affirmant: verum hoc ſibi placere, vt Iupiter nominetur. Quo quid abſurdius? Iupiter enim ſine contubernio coniugis, filiæque coli non ſolet. Vnde quid ſit, apparet: nec fas eſt id nomen eò transferri, vbi nec Minerua eſt vlla, nec Iuno. Quid? quòd huius nominis proprietas non diuinam vim exprimit, ſed humanam? Iouem enim, Iunonemque à iuuando eſſe dictos Cicero interpretatur. Et Iupiter, quaſi iuuans

G

pater, dicitur, quod nomen in Deum minimè congruit, quia iuuare hominis eſt, opis aliquid conferentis in eum, qui ſit alienus, & exigui beneficij. Nemo ſic Deū precatur, vt ſe adiuuet, ſed vt ſeruet, vt vitā, ſalutemq; tribuat: quod multo plus, ac maius eſt, quàm iuuare. Et quoniam de patre loquimur, nullus pater dicitur filios iuuare, cùm eos generat, aut educat. Illud enim leuius eſt, quàm vt eo verbo magnitudo paterni beneficij exprimatur. Quanto id magis inconueniens eſt Deo, qui verus eſt pater; per quem ſumus, & cuius toti ſumus; à quo fingimur, animamur, illuminamur, qui nobis vitam impertit, ſalutem tribuit, victum multiplicem ſubminiſtrat. Non intelligit beneficia diuina qui ſe iuuari tantummodo à Deo putat. Ergo non imperitus modò, ſed etiam impius eſt, qui numine Iouis virtutem ſummæ poteſtatis imminuit. Quare ſi Iouem ex rebus geſtis, & ex moribus hominem fuiſſe, in terraque regnaſſe deprehendimus: ſupereſt, vt mortem quoque eius

H

inueſtigemus. Ennius in ſacra hiſtoria, deſcriptis omnibus, quæ in vita ſua geſſit, ad vltimum ſic ait: Deinde Iupiter poſtquam terram quinquies circuiuit, omnibuſque amicis, atque cognatis ſuis imperium diuiſit, reliquitque hominibus leges, mores, frumentaque parauit, multaque alia bona fecit, immortali gloria, memoriaque affectus, ſempiterna monimenta ſuis reliquit. ætate perſuncta, in Creta vitam commutauit, & ad Deos abijt, eumque Curetes filij ſui curauerunt, decorauerunt que eū: & ſepulchrum eius eſt in Creta in oppido Gnoſo, & dicitur Veſta hanc vrbem creauiſſe: inque ſepulchro eius eſt inſcriptum antiquis literis Græcis, ζὰν κρόνου, id eſt Latinè: Iupiter Saturni. Hoc certè non poetæ tradunt, ſed antiquarum rerum ſcriptores. Quæ adeò vera ſunt, vt ea Sibyllinis verſibus confirmentur; qui ſunt tales:

Δαίμονας ἀψύχους νεκύων εἴδωλα καμόντων
Ὧν κρήτα καύχημα τάφοι ἡ δύσμορος ἴσχει.

A Cicero de natura deorum, cum tres Ioues à theologis* nominari diceret, ait tertium fuiſſe Cretenſem, Saturni filiũ: cuius in illa inſula ſepulchrum oſtenditur. Quomodo igitur poteſt Deus alibi eſſe viuus, alibi mortuus? alibi habere templum, alibi ſepulchrum? Sciant ergo Romani Capitolium ſuum, i. ſummum caput religionum publicarum, nihil eſſe aliud, quàm inane monimentum. Veniam nunc ad eius patrem, qui ante regnauit, & qui fortaſſe plus habebat in ſe, quòd ex coitu tantorum elementorum genitus eſſe dicatur. Videamus, quid in eo fuerit Deo dignum: In primis illud, quòd aureũ ſeculum narratur habuiſſe, quòd iuſtitia ſub eo fuerit in terra. Teneo aliquid in* eo, quod in eius filio non fuit. Quid enim tam conueniens Deo, quàm iuſtum regimen, ac pium ſeculum? Sed cùm eadem ratione natum eſſe cogito: non poſſum putare Deum ſummum,* quòd videam eſſe aliquid antiquius, cœlum ſcilicet, atque terram. At ego Deum quæro, vltra quem nihil *eſt omnino: qui fons, & origo ſit rerum. Hic ſit neceſſe eſt,

*al. enumerant.
*al. hoc
*al. quo
*al. ſit

B qui cœlum ipſum condidit, terramque fundauit. Saturnus autem ſi ex his natus eſt (vt putatur) quemadmodum poteſt Deus eſſe principalis, qui alijs ortum ſuum debet? aut quis præfuit mundo, antequam Saturnus gigneretur? Sed hoc poëticum eſt (vt dicebam paulò antè) figmentum. Nec enim fieri poterat, vt elementa inſenſibilia, tantoque interuallo ſeparata, in vnum coirent, ac filium procrearent: aut is, qui natus eſſet potiſſimum genitoribus ſimilis exiſteret, ſed eam formam gereret, quam parentes ſui non habebant. Quæramus ergo, quid veritatis ſub hac figura lateat. Minutius Felix in eo libro, qui Octauius inſcribitur, ſic argumentatus eſt: Saturnum, cùm fugatus eſſet à filio, in Italiamque veniſſet, Cœli filium dictum: quòd ſoleamus eos, quorum virtutem miremur, aut qui* repentino aduenerint, de cœlo cecidiſſe, dicere: terræ autem, quòd ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus. Sunt hæc quidem ſimilia veri, non tamen vera: quia conſtat etiam tunc, cùm regnaret, ita eſſe habitum. Potuit & ſic argumentari: Saturnum, cum potentiſſimus rex eſſet, ad retinendam parentum ſuorum memoriam nomina eorum

*al. repentine.

C cœlo, terræque indidiſſe, cùm hæc prius alijs vocabulis appellarentur. Qua ratione & montibus, & fluminibus nomina ſcimus impoſita. Neque enim cùm dicunt poëtæ de progenie Atlantis, aut Inachi fluminis: id potiſſimũ dicunt, homines ex rebus ſenſu carentibus potuiſſe generari: ſed eos vtique ſignificant, qui nati ſunt ex ijs hominibus, qui vel viui vel mortui, nomina montibus aut fluminibus indiderunt. Nam id apud veteres, maximeque Græcos vſitatum fuit. ſic maria eorum traxiſſe nomina accepimus qui deciderunt in ea, vt Aegeum, Icarium, Helleſponticum, & in Latio Auentinus vocabulum monti dedit, in quo ſepultus eſt: Tiberinus vel Tyberis amni in quo merſus eſt. Non ergo mirandum, ſi nomina eorum cœlo, terræque attributa eſſent, quæ reges genuerant potentiſſimos. Apparet ergo, non ex cœlo natum eſſe: quod fieri non poteſt: ſed ex eo homine, cui nomen Vrano fuit. quod eſſe verum Triſmegiſtus auctor eſt. qui cùm diceret admodum paucos extitiſſe, in quibus eſſet perfecta doctrina, in his Vranum, Saturnum, Mercurium cognatos ſuos nominauit. Hæc ille

D qui ignorauit, aliò traduxit hiſtoriam. Qui quoniam quomodo potuerit argumentari, oſtendi: nunc dicam, quomodo, vbi, à quo ſit hoc dictum. Non enim Saturnus hoc, ſed Iupiter fecit. In ſacra hiſtoria ſic Ennius tradit, Deinde* Panem deducit in montem, qui vocatur cœli ſtella. Poſtquàm eò aſcendit, contemplatus eſt latè terras: ibique in eo monte aram creat cœlo: primuſque in ea ara Iupiter ſacrificauit, in eo loco ſuſpexit in cœlum, quod *c* nunc nos nominamus: idque quod ſupra mundum erat, quod æther* vocatur, de ſui aui nomine cœlo nomen indidit: idque Iupiter quod æther vocatur,* precans, primum cœlum nominauit:* eamque hoſtiam, quam ibi ſacrauit, totam adoleuit. Nec hic tantum ſacrificaſſe Iupiter inuenitur. Cæſar quoque in Arato refert, Aglaoſthenem dicere, Iouem cùm ex inſula Naxo aduerſus Titanas proficiſceretur; & ſacrificium faceret in litore, aquilam ei in auſpicium aduolaſſe quam victor bono omine acceptam tutelæ ſuæ ſubiugarit. Sacra verò hiſtoria etiam ante conſediſſe ei aquilam

*al. vocabatur,
*al. placãs
*al. terræ.

E in capite, atque illi regnum portendiſſe, teſtatur. Cui ergo ſacrificare Iupiter potuit, niſi Cœlo auo? quem dicit Euhemerus in Oceano mortuum, & in oppido Aulatia ſepultum.

a Ibi Iupiter Neptuno imperium dat maris, vt in inſulis omnibus, & quæ ſunt ſecundum mare loca regnaret *ſic habent ferè omnes codices manu ſcripti. hæc enim omnia non ſunt ſumpta ex carminibus Ennij, ſed ex ſacra hiſtoria quam ille ſoluta oratione ſcripſit. quod aliqui non animaduertentes, cum putarent Ennium tãtum carmina ſcripſiſſe, aliqua in ea oratione mutauerunt vt verſus quodammodo fierent.*

b δαίμονας &c. i. *Dæmones inanimes, cadauerum ſimulachra mortuorum, quorum Creta in iactantiam ſepulchra miſera habet.*

c In cœlum quod nominatur *ſic legitur in Codice antiquo. alter Codex ſancti Saluatoris habet,* in cœlum quod nunc nos vocamus: *vtraq; lectio bona eſt, & eundem habet ſenſum, & excludunt illam vocem Græcam,* οὐρανὸς*, quæ ſanè addita eſt, & inepte: nam aiũt partem illam Mundi, quam nunc cælum nominamus, tum primum Iouem eo nomine appellauiſſe.*

F

De interpretatione Deorum, ex ſententia Stoicorum ad phyſicam rationem fabulas traducentium.

Capvt XII.

QVoniam reuelauimus myſteria poëtarum, & Saturni parentes inuenimus: ad virtutes eius, & facta redeamus. Iuſtus in regno fuit. Primùm ex hoc ipſo iam Deus nõ eſt, quod fuit: Deinde quòd ne iuſtus quidem fuit, ſed impius non modò in filios, quos necauit, verùm etiam in patrem; cui dicitur abſcidiſſe genitalia. Quod fortaſſis verè acciderit. Sed homines reſpectu elementi, quod dicitur cœlum, totam fabulam explodunt tanquam ineptiſſimè fictam. Quam tamen Stoici (vt ſolent) ad rationem phyſicam conantur traducere. Quorum ſententiam Cicero, de natura Deorum diſſerens, poſuit. Cœleſtem, inquit, altiſſimam, ætheriamq; naturam, id eſt igneam, quæ per ſeſe omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis, quæ coniunctione alterius egeret ad procreandum. Quæ ratio in

G Veſtam potuit conuenire, ſi mas diceretur. Idcircò enim virginem putant Veſtam, quia ignis inuiolabile ſit elementum, nihilq; naſci poſſit ex eo. Quippe qui omnia, quæ arripuerit, abſumat. Ouidius in Faſtis:

Nec tu aliud Veſtam quam viuam intellige flammam.
Nataq; de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo eſt, quæ ſemina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Vulcano quoque id potuit aſcribi; qui quidem putatur ignis, & tamen* eum poëtæ non abſciderunt. Potuit & Soli, in quo eſt natura, & cauſa gignentium. Nam ſine Solis igneo calore neque naſci quicquam, neque augeri poteſt: vt nulli alij elemento magis opus ſit genitalibus, quàm calori, cuius fotu concipiuntur, naſcuntur, ſuſtentantur omnia. Poſtremo etiamſi ita ſit (vt volunt) cur magis abſciſſum eſſe cœlum putemus, quàm omnino ſine genitalibus natum? Nam ſi per ſe gignit: non indigebat vtique genitalibus, cùm Saturnum ipſum procrearet. Si verò habuit, &

*al. eum.

H à filio abſciſſa ſunt: ortus rerum, & natura omnis interiiſſet. Quid, quòd ipſi Saturno non diuinum modò ſenſum, ſed humanum quoque adimunt? cùm affirmant eſſe eum Saturnum, qui curſum & conuerſionem ſpatiorum, & temporum contineat; eumque Græcè idipſum nomen habere. κρόνος enim dicitur, quod eſt idem quod χρόνος, id eſt, ſpatium temporis. Saturnus autem eſt appellatus, quòd ſaturetur annis. Hæc Ciceronis verba ſunt exponentis ſententiam Stoicorum: quæ quàm vana ſit, cuiuis intelligere promptiſſimum eſt. Si enim Saturnus cœli eſt filius: quomodo potuit aut tempus à cœlo gigni, aut cœlum à tempore abſcidi; aut poſtea tempus imperio ſpoliari à filio Ioue? Aut quomodo Iupiter natus eſt ex tempore? Aut quibus annis ſaturari poſſit æternitas, cui nullus eſt finis?

Stoico-

Stoicorum illa ſententia euerſa, & ibi de Iouis ortu, Saturno, & Ope.

CAPVT XIII.

SI ergo vanæ ſunt iſtæ rationes philoſophorum: quid ſupereſt, niſi vt verè factum eſſe credamus, id eſt, hominē ab homine abſciſſum? niſi fortè aliquis exiſtimet Deum fuiſſe, qui timuit cohæredem: cùm ſiquid diuinitatis habuiſſet, non patris genitalia debuit amputare, ſed propria, ne Iupiter naſceretur. Qui eum regni poſſeſſione priuauit. Idem ſororem ſuam Rheam, quam Latinè Opem dicimus, cum haberet vxorem, reſponſo vetitus eſſe dicitur, mares liberos educare: quòd futurum eſſet, vt à filio pelleretur. Quam rem metuens, natos ſibi filios non vtique deuorabat (vt ferunt fabulæ) ſed necabat. Quanquam ſcriptum ſit in hiſtoria ſacra, Saturnum & Opem, cæteroſque tunc homines humanam carnem ſolitos eſitare: verùm primum Iouem leges hominibus, moreſque condentem, edicto prohibuiſſe, ne liceret eo cibo veſci. Quod ſi verum eſt: quæ poteſt in eo fuiſſe iuſtitia? Sed fictum ſanè putemus, Saturnum filios deuoraſſe, modo cum aliqua ratione: * † non circirco, quod ait vulgus, comediſſe filios ſuos eum qui extulerit, ſepulturæque mandauerit? Ops autem cùm Iouem peperiſſet, ſubtraxit infantem; eumque nutriendum furtim miſit in Cretam. Rurſum imprudentiam reprehendam, neceſſe eſt. Cur enim reſponſum ab alio potius accepit? Cur in cœlo conſtitutus, quæ gerebantur in terra, non videbat? Cur eum Corybantes in cymbalis fefellerunt? Poſtremò, cur extitit aliqua vis potentior, aut maior quæ illius vinceret poteſtatem? Nimirum ſenex à iuuene facilè victus eſt, ac ſpoliatus imperio. Fugit igitur expulſus; & in Italiam nauigio venit, cùm errâſſet diu, ſicut Ouidius in Faſtorum libris refert:

† al. num.

Cauſa ratis ſupereſt. Thuſcum rate venit ad amnem,
Ante pererrato falcifer orbe Deus.

Hunc errantem, atque inopem Ianus excepit, cuius rei argumenta ſunt nummi veteres, in quibus eſt cum duplici fronte Ianus, & in altera parte nauis; ſicut idem poëta ſubiecit:

At bona poſteritas puppim formauit in ære,
Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.

Omnes ergo non tantum poëtæ, ſed hiſtoriarum quoque ac rerum antiquarum ſcriptores, hominem fuiſſe conſentiunt, qui res eius in Italia geſtas memoriæ prodiderunt. Græci, Diodorus, & Thallus: Latini, Nepos, & Caſſius, & Varro. Nam cùm agreſti quodam more in Italia viueretur:

Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit: legeſq; dedit: Latiumq; vocari
Maluit, his quoniam tutus latuiſſet in oris.

Cenſet ne aliquis deum eſſe, qui pulſus eſt, qui fugit, qui latuit? nemo tam ſtultus eſt. qui enim fugit, aut latet: & vim, & mortem timeat, neceſſe eſt. Orpheus, qui temporibus eius recentior fuit, apertè, Saturnum in terra, & apud homines regnaſſe, commemorat.

πρώτιστος μὲν ἄναξ ὁ ἐπιχθονίων κρόνος ἀνδρῶν,
ἐκ δὲ κρόνου γένετ' αὐτὸς ἄναξ μέγας εὐρύοπα Ζεύς.

Item Maro noſter.

Aureus hic vitam in terris Saturnus agebat.

& alio loco,

Aureaq; (vt perhibent) illo ſub rege fuere
Sæcula: ſic placida populos in pace regebat.

Neque ſuperius dixit in cœlo egiſſe vitam; neque inferius ſuperos in pace rexiſſe, vnde apparet, illum regem fuiſſe terrenum, quod alibi apertius declarat:

Aurea condet
Sæcula, qua rurſus Latio regnata per arua
Saturno quondam.

Ennius quidem in Euhemero non primum dicit regnaſſe Saturnum, ſed Vranum patrem. Initio, inquit, primus in terris imperium ſummum Vranus habuit. is id regnum vnà cum fratribus ſuis inſtituit, atque parauit. Non magna diſſenſio, ſiquidem maximorum auctorum de filio, ac patre dubitatio eſt, ſed tamen vtrumque fieri poteſt; vt & primus Vranus eminere inter cæteros potentia cœperit, & principatum habere, non regnum; poſtea Saturnus maiores ſibi opes comparauerit, ac regium nomen aſciuerit.

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

πρώτιστος, &c. i. *Primus quidem regnator erat terreſtrium Saturnus virorum: ex Saturno autem genitus eſt ipſe rex magnus, & latè cuncta intuens Iupiter.*

De Euemeri hiſtoria: & ibi de Saturno, Ope, Cerere, Titane, Neptuno, Iunone, Plutone, Glauca, & eorum ortu, & caſibus.

CAPVT XIV.

NVnc quoniam ab ijs, quæ retulimus, aliquantulum ſacra hiſtoria diſſentit: aperiamus ea, quæ veris literis continentur; ne poëtarum ineptias in accuſandis religionibus ſequi, ac probare videamur. Hæc Ennij verba ſunt: Exin Saturnus vxorem duxit Opem. Titan, qui maior natu erat, poſtulat vt ipſe regnaret. Ibi Veſta mater eorum, & ſorores Ceres, atque Ops ſuadent Saturno, vt de regno non concedat fratri. Ibi Titan, qui facilè deterior eſſet, quàm Saturnus: idcirco, & quòd videbat matrem, atque ſorores ſuas operam dare vt Saturnus regnaret; conceſſit, vt is regnaret. Itaque pactus eſt cum Saturno, vti ſiquid liberum virilis ſexus ei natum eſſet, ne educaret. Id eius rei cauſa fecit, vti ad ſuos gnatos regnum rediret. Tum Saturno filius qui primus natus eſt, eum necauerunt. Deinde poſterius nati ſunt gemini, Iupiter, atque Iuno. Tum Iunonem Saturno in conſpectum dedêre; atque Iouem clàm abſcondunt; dantque eum Veſtæ educandum, celantes Saturnum. Item Neptunum clàm Saturno Ops parit: eumque clanculum abſcondit. ad eundem modum tertio partu Ops parit geminos, Plutonem, & Glaucam. Pluton latinè eſt Dieſpiter, alij Orcum dicunt. Ibi Glaucam filiam Saturno oſtendunt: ac filium Plutonem celant, atque abſcondunt. Deinde Glauca parua emoritur. Hæc (vt ſcripta ſunt) Iouis, fratrumque eius ſtirps, atque cognatio in hunc modum nobis ex ſacra ſcriptione tradita eſt. Item paulò pòſt hæc refert: Deinde Titan, poſtquam reſciuit Saturno filios procreatos, atque educatos eſſe clàm: ſeducit ſecum filios ſuos, qui Titani vocantur: fratremque ſuum Saturnum, atque Opem comprehendit: eoſque muro circumegit: & cuſtodiam his apponit. Hæc hiſtoria quam vera ſit, docet Sibylla Erythræa, eadem ferè dicens: niſi quòd in paucis, quæ ad rem non pertinent, diſcrepat. Iupiter ergo liberatur ſummi ſceleris crimine, quòd patrem vinxiſſe compedibus perhibetur. Id enim Titan patruus fecit: quod ille contra pactionem, iuſque iurandum mares liberos ſuſtuliſſet. Reliqua hiſtoria ſic contexitur: Iouem adultum, cùm audiuiſſet patrem, atque matrem cuſtodijs circumſeptos, atq; in vincula coniectos: veniſſe cum magna Cretenſium multitudine: Titanemque, ac filios eius pugnando viciſſe: parentes vinculis exemiſſe: patri regnum reddidiſſe: atque ita in Cretam remeaſſe: Poſt hæc deinde Saturno datam ſortem, vt caueret, ne filius eum regno expelleret: illum eleuandæ ſortis, atque effugiendi pericli gratia inſidiatum Ioui, vt eum necaret: Iouem cognitis inſidijs regnum ſibi denuo vendicaſſe, ac fugaſſe Saturnum, qui cùm iactatus eſſet per omnes terras, perſequentibus armatis, quos ad eum comprehendendum, vel necandum Iupiter miſerat: vix in Italia locum, in quo lateret, inuenit.

A *Quomodo, cùm fuerint illi homines, Dij fuerint nominati.*

Capvt XV.

Qvibus ex rebus cùm conſtet illos homines fuiſſe, non eſt obſcurum, qua ratione Dij cœperint nominari. Si enim nulli reges ante Saturnum, vel Vranum fuerunt propter hominum raritatem, qui agreſtem vitam ſine vllo rectore viuebant: non eſt dubium, quin illis temporibus homines regem ipſum, totamq; gentem ſummis laudibus, ac nouis honoribus iactare cœperint, vt etiam Deos appellarent, ſiue ob miraculum virtutis (hoc verè putabant rudes adhuc, & ſimplices) ſiue (vt fieri ſolet) in adulationem præſentis potentiæ: ſiue ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compoſiti. Deinde ipſi reges, cum chari fuiſſent ijs, quorum vitam compoſuerant: magnum ſui deſiderium mortui reliquerunt. Itaque homines eorum ſimulachra finxerunt: vt haberent aliquid ex imaginum contemplatione ſolatium. B Progreſſique longius per amorem meriti, memoriam defunctorum colere cœperunt: vt & gratiam referre benemeritis viderentur, & ſucceſſores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditatem, quod Cicero de natura Deorum docet, dicens: Suſcepit autem vita hominum, conſuetudoque communis, vt beneficiis excellentes viros in cœlum fama, ac voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Caſtor, hinc Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber. Et alio loco, atque alio in pleriſque ciuitatibus intelligi poteſt, acuendæ virtutis gratia, aut quo libentius reipublicæ cauſa periculum adiret optimus quiſque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium conſecratam. Hac ſcilicet ratione Romani Cæſares ſuos conſecrauerunt, & Mauri reges ſuos. Sic paulatim religiones eſſe cœpêre: dum illi primi, qui eos nouerant, eo ritu ſuos liberos, ac nepotes, deinde omnes poſteros imbuerunt. Et hi tamen ſummi reges ob celebritatem nominis in prouinciis omnibus colebantur. Priuatim verò ſinguli populi gentis aut vrbis C ſuæ conditores, ſeu viri fortitudine inſignes erant, ſeu fœminæ caſtitate mirabiles, ſumma veneratione coluerunt, vt Ægyptii Iſidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyram, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum. Eodem vtique modo Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi. Sic per populos, atque regiones varia ſacra ſuſcepta ſunt: dum grati homines eſſe in ſuos principes cupiunt: &, quos alios honores vita carentibus deferant, inuenire non poſſunt. Præterea pietas eorum, qui ſucceſſerant, plurimum contulit ad errorem. Qui (vt diuina ſtirpe nati viderentur) diuinos honores parentibus detulerunt, deferrique iuſſerunt. An ne poteſt aliquis dubitare, quomodo religiones deorum ſint inſtitutæ? cùm apud Maronem legat Æneæ verba ſociis imperantis:

Nunc pateras libate Ioui, precibusq; vocate
Anchiſen genitorem.

Cui non tantùm immortalitatem, verùm etiam ventorum tribuit poteſtatem.

D *Poſcamus ventos: atque hæc mea ſacra quotannis,*
Vrbe velit poſita templis ſibi ferre dicatis.

Idem ſcilicet de Ioue Liber, & Pan, & Mercurius, & Apollo, fecerunt: ac poſtea de his ipſis ſucceſſores eorum. Acceſſerunt etiam poetæ, & compoſitis ad voluptatem carminibus, in cælum eos ſuſtulerunt: ſicut faciunt qui apud reges etiam malos panegyricis mendacibus adulantur. Quod malum à Græcis ortum eſt, quorum leuitas inſtructa dicendi facultate, & copia, incredibile eſt quantas mendaciorum nebulas excitauerit. Itaque admirati eos, & ſuſceperunt primi ſacra illorum: & vniuerſis gentibus tradiderunt. Ob hanc vanitatem Sibylla ſic eos increpat:

Ἑλλὰς δὲ τί πέποιθας ἐπ' ἀνδράσιν ἡγεμόνεσσι;
Πρὸς τί δὲ δῶρα μάταια καταφθιμένοις ἀνατίθης;
Θύεις εἰδώλοις. Τίς σοι πλάνον ἔμβαλε τοῦτο,
Ὥς τε τάδ' ἐκποιεῖν μεγάλοιο Θεοῦ προσώπου
Λειπομένου.

E M. Tullius, qui non tantùm perfectus orator, ſed etiam philoſophus fuit: ſiquidem ſolus extitit Platonis imitator: in eo libro, quo ſeipſum de morte filiæ conſolatus eſt: non dubitauit dicere, Deos, qui publicè colerentur, homines fuiſſe. Quod ipſius teſtimonium eò debet grauiſſimum iudicari, quòd & augurale habuit ſacerdotium: & eoſdem ſe colere, venerarique teſtatur. Itaque intra paucos verſiculos duas res nobis dedit. Nam dum imaginem filiæ eodem ſe modo conſecraturum eſſe profitetur, quo illi à veteribus ſunt conſecrati: & illos mortuos eſſe docuit: & originem vanæ ſuperſtitionis oſtendit. Cùm verò, inquit, & mares, & fœminas complures ex hominibus in deorum numero eſſe videamus: & eorum in vrbibus, atque agris auguſtiſſima delubra veneremur: aſſentiamur eorum ſapientiæ: quorum ingeniis, & inuentis omnem vitam legibus, & inſtitutis excultam, conſtitutamque habemus. Quòd ſi vllum vnquam animal conſecrandum fuit: illud profecto fuit. Si Cadmi, aut Amphionis progenies, aut Tyndari in cælum tollenda fama fuit: huic idem honos certè dicandus eſt. Quod quidem faciam: F teque omnium optimam, doctiſſimamque, approbantibus diis immortalibus ipſis in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium conſecrabo. Fortaſſe dicat aliquis, præ nimio luctu deliraſſe Ciceronem. Atqui omnis illa oratio, & doctrina & exemplis, & ipſo loquendi genere perfecta, non ægri, ſed conſtantis animi, ac iudicii fuit. Et hæc ipſa ſententia nullum præfert indicium doloris. Neque enim puto illum tam variè, tam copioſe, tam ornatè ſcribere potuiſſe: niſi luctû eius & ratio ipſa, & conſolatio amicorû, & temporis longitudo mitigaſſet. Quid, quòd idem dicit in libris de Republica, idem de gloria? Nam de Legibus: quo in opere Platonem ſecutus, leges voluit ponere, quibus putaret vſuram eſſe iuſtam, & ſapientem ciuitatem: de religione ita ſanxit: Diuos, & eos, qui cæleſtes ſemper habiti ſunt, colunto: & illos, quos in cælo merita locauerunt, Herculem, Liberum, Æſculapium, Pollucem, Caſtorem, Quirinum. Item in Tuſculanis: cùm diceret totum penè cælum humano genere completum. Si voluero, inquit, ſcrutari vetera, & ex iis ea, quæ ſcriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner: G ipſi illi maiorum gentium Dii qui habentur, hinc à nobis profecti in cælum reperientur. Quære, quorum demonſtrantur ſepulchra in Græcia: reminiſcere, quoniam es initiatus, quæ traduntur myſteriis: tum denique, quàm hoc latè pateat, intelliges. Teſtatus eſt, videlicet Attici conſcientia ex ipſis myſteriis intelligi poſſe, quòd omnes illi homines fuerunt, qui coluntur: & cùm de Hercule, Libero, Æſculapio, Caſtore, Polluce, incunctanter fateretur: de Apolline ac Ioue patribus eorum, item de Neptuno, Vulcano, Marte, Mercurio, quos maiorum gentium Deos appellauit, timuit apertè confiteri. Et icirco ait, latè hoc patere: vt idem de Ioue, cæteriſque antiquioribus diis intelligamus, quorum memoriam ſi eadem ratione veteres conſecrauerunt, qua ſe imaginem nomenque filiæ conſecraturum eſſe dicit: ignoſci mœrentibus poteſt, credentibus non poteſt. Quis enim tam demens, qui conſenſu, & placito innumerabilium ſtultorum, aperiri cælum mortuis arbitretur? aut aliquem, quod ipſe H non habeat, dare alteri poſſe? Apud Romanos Deus Iulius, quia hoc ſcelerato homini placuit Antonio: Deus Quirinus, quia hoc paſtoribus viſum eſt: cùm alter germani fratris extiterit, alter patriæ parricida, quòd ſi Cos. non fuiſſet Antonius: C. Cæſar pro ſuis in rempublicam meritis etiam defuncti hominis honore caruiſſet: & quidê côſilio Piſonis ſoceri, & L. Cæſaris propinqui, qui vetabant funus fieri: & Dolabellæ Cos. qui columnam in foro, id eſt, titulum eius euertit: ac forum expiauit. Nam Romulum deſiderio ſuis fuiſſe, declarat Ennius, apud quem populus amiſſum regem dolens, hæc loquitur:

O Romule Romule dic, ô,
Qualem te patriæ cuſtodem dij genuerunt?
Tu produxiſti nos intra luminis oras.
O pater, ô genitor, ô ſanguen diis oriundum.

A Ob hoc deſiderium facilius creditum eſt Iulio Proculo mentienti; qui ſubornatus à patribus eſt, vt nuntiaret plebi ſuæ, vidiſſe ſe regē humano habitu auguſtiorem; eumque mandaſſe ad populum, vt ſibi delubrū fieret, ſe Deum eſſe, & Quirinum vocari. Quo facto & ipſi populo perſuaſit, Romulum ad deos abiiſſe: & Senatum ſuſpicione cædis regiæ liberauit.

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

a Ἑλλὰς, &c. Græcia quid confidis in viros principes? ad quid donationem mortuis dedicas? immolas idolis? quis tibi tam mentem errorem impoſuit, vt hæc perficias, magni Dei ore relicto?

De deorum ſexu & ortu.

CAPVT XVI.

POteram iis, quæ retuli, eſſe contentus: ſed ſuperſunt B adhuc multa ſuſcepto operi neceſſaria. Nam quamuis ipſo religionum capite deſtructo, vniuerſa ſuſtulerim: libet tamen proſequi cætera, & redarguere plenius inueteratam perſuaſionem; vt tandem homines pudeat ſuorum, ac pœniteat errorum. Magnum hoc opus, & homine dignum.

Religionum animos nodis exoluere pergo, vt ait Lucretius, qui quidem hoc efficere non poterat; quia nihil veri afferebat. Noſtrum eſt hoc officium, qui & verum Deum aſſerimus, & falſos refutamus. Illi ergo, qui poetas finxiſſe de diis fabulas opinantur, & deas fœminas eſſe credunt & colunt: reuoluuntur imprudentes ad id, quod negauerant coire illos, ac parere. Nec enim fieri poteſt, quin duo ſexus generandi cauſa ſint inſtituti. Recepta verò ſexuum diuerſitate, non intelligunt conſequens eſſe, vt concipiant. Quod in Deum cadere non poteſt, vt iſti putant. nam & Iouis eſſe filios dicunt, & cæterorum deorum. Naſcuntur ergo, & quotidie quidem Dii noui: nec enim vincuntur ab hominibus fœcunditate. Igitur Deorum innu- C merabilium plena ſunt omnia, nullo ſcilicet moriente. Nam cùm hominum vis incredibilis, numerus ſit inæſtimabilis; quos tamen, ſicuti naſcuntur, mori neceſſe eſt: quid Deorum eſſe tandem putemus; qui tot ſeculis nati ſunt, immortaleſque manſerunt? Cur ergo tam pauci coluntur? nisi forte arbitramur, non generandi cauſa, ſed tantummodo capiendæ voluptatis duos eſſe ſexus Deorum: & ea exercere, quæ homunculos & facere, & pati pudet. Cum verò dicantur aliqui ex aliquibus nati: conſequens eſt, vt ſemper naſcantur: ſiquidem aliquando ſunt nati: vel, ſi aliquando naſci deſierunt; ſcire nos conuenit, cur, aut quando deſierint. Non illepidè Seneca in libris moralibus philoſophiæ: Quid ergo eſt, inquit, quare apud poetas ſalaciſſimus Iupiter deſierit liberos tollere? Vtrum ſexagenarius factus eſt; & illi lex Papia fibulam impoſuit? an impetrauit ius trium liberorum? An tandem illi venit in mentē, Ab alio expectes, alteri quod feceris? & timet, ne quis ſibi faciat, quod ipſe Saturno? At iſti, qui Deos aſſerunt, videant quomodo reſpondeant D huic argumento, quod inferemus. Si duo ſunt ſexus Deorum: ſequitur concubitus: & ſi coeunt; & domos habeant, neceſſe eſt. Nec enim carent virtute, ac pudore; vt hoc promiſcuè, aut in propatulo faciant, ſicut muta videmus facere animalia. Si domos habent: conſequens eſt, vt & vrbes habeant; & quidem auctore Naſone, qui ait:

Plebs habitat diuerſa locis, hac fronte potentes
Cælicolæ, clariq; ſuos poſuêre penates.

Si habent vrbes: & agros igitur habebunt. Iam, quis non videat, quæ ſequantur? arare illos, & colere: quod quidē victus cauſa fit. Ergo mortales ſunt. Quod argumentum retrorſum idem valet. Si enim agros non habent: ne vrbes quidem: ſi vrbes non habent, ne domos quidem. Si domibus carent: ergo & concubitu. Si concubitus ab his abeſt: & ſexus igitur fœmineus: in diis autem videmus, & fœminas eſſe. Ergo Dii non ſunt. Diſſoluat hoc argumentum, ſi quis poteſt. Ita enim res rem ſequitur: vt hæc vltima neceſſe ſit confiteri. Sed ne illud quidem diſſoluet ali- E quis: Ex duobus ſexibus alter fortior, alter infirmior eſt. Robuſtiores enim mares ſunt, fœminæ imbecilliores. Imbecillitas autem non cadit in Deum: ergo nec fœmineus ſexus. Huic additur ſuperioris argumenti extrema illa cōcluſio: vt Dii non ſint, quoniam in Diis & fœminæ ſunt.

De Stoicorum eadem ſententia: & ibi de Deorum ærumnis, & turpitudinibus.

CAPVT XVII.

OB has rationes Stoici alioueſus Deos interpretantur. Et quia non peruident, quid ſit in vero: conantur eos cum rerum naturalium ratione coniungere. Quos Cicero ſecutus, de Diis, ac religionibus eorum hanc ſententiam tulit: Videtiſne igitur, vt à phyſicis rebus bene atque vtiliter inuentis tracta ratio ſit ad commentitios, ac F fictos deos? quæ res genuit falſas opiniones, erroreſque turbulentos, ſuperſtitiones penè aniles. Et formæ enim deorum nobis, & ætates, & veſtitus, ornatuſque noti ſunt. Genera præterea, coniugia, cognationes omnes, omniaque traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ. Quid planius, quid verius dici poteſt? Romanæ philoſophiæ princeps, & ampliſſimo ſacerdotio præditus, commentitios, ac fictos deos redarguit. Quorum cultus, ſuperſtitiones penè aniles eſſe teſtatur: falſis opinionibus, erroribuſque turbulentis implicatos eſſe homines queritur. Nam totus liber tertius de natura Deorum omnes funditus religiones euertit, ac delet. Quid ergo à nobis expectatur amplius? Num eloquentia ſuperare poſſumus Ciceronem? minimè id quidem: ſed fiducia illi defuit ignoranti veritatem, quod ipſe ſimpliciter in eodem opere confitetur. Ait enim facilius ſe poſſe dicere, quid non ſit, quā quid ſit, hoc eſt, falſa ſe intelligere, vera neſcire. Clarū eſt igitur, homines fuiſſe illos, qui dii putantur: & eorum memoriam poſt mortē conſecratā eſſe. Ideo etiam ætates diuerſæ ſunt, & certè imagines ſingulorū; quod in eo habitu, & ætate ſingulorum ſimulachra configurata ſunt, G in qua quemque mors depræhendit. Conſideremus (ſi placet) ærumnas infelicium deorum. Iſis filium perdidit. Ceres filiam. expulſa, & per orbem terræ iactata Latona, vix inſulam paruam, in qua pareret, inuenit. Deûm mater, & amauit formoſum adoleſcentem: & eundem cum pellice depræhenſum, exectis virilibus ſemiuirum reddidit. Et ideo nunc ſacra eius à Gallis ſacerdotibus celebrantur. Iuno pellices acerrimè perſecuta eſt: quia parere ipſa non potuit ex fratre. Inſulam Samum ſcribit Varro prius Partheniam nominatam, quòd ibi Iuno adoleuerit, ibique etiam Ioui nupſerit. Itaque nobiliſſimum, & antiquiſſimum templum eius eſt Sami, & ſimulachrum in habitu nubentis figuratum: & ſacra eius anniuerſaria nuptiarum ritu celebrantur. Si ergo adoleuit: ſi virgo fuit primò, poſtea mulier: hominem fuiſſe, qui non intelligit, pecudem ſe fatetur. Quid loquar obſcœnitatem. Veneris omnium libidinibus proſtitutæ non Deorum tantum, ſed & hominum? Hæc enim ex famoſo Martis ſtupro genuit Harmoniam, ex Mercurio Hermaphroditum, qui H eſt natus Androgynus. ex Ioue Cupidinem, ex Anchiſe Æneam, ex Bute Erycem: ex Adonide quidem nullum potuit, quòd etiam tum puer ab apro ictus, & occiſus eſt. Quæ prima (vt in hiſtoria ſacra continetur) artem meretriciam inſtituit: auctorque mulieribus in Cypro fuit, vti vulgo corpore quæſtum facerent. Quod idcirco imperauit: ne ſola præter alias mulieres impudica, & virorum appetens videretur. Etiámne habet hæc aliquid numinis? cuius plura numerantur adulteria, quàm partus. Sed ne illæ quidem virgines illibatam caſtitatem ſeruare potuerunt. Vnde enim putemus Erichthonium eſſe natum? an ex terra, vt poetæ videri volunt? At res ipſa clamat. Nam cum Vulcanus diis arma feciſſet: eiq; Iupiter optionem dediſſet præmij, quod vellet, poſtularet: iuraſſetque (vt ſolebat) per infernam paludem, ſe nihil negaturum: tum faber claudus Mineruæ nuptias poſtulauit. Hic Iupiter Opt. Max. tanta religione conſtrictus, ab-

A
ouerenon potuit: Mineruam tamen monunt repugnare: pudicitiamque defendere. Tum in illa colluctatione Vulcanum in terram profudiſſe aiunt ſemen, vnde ſit Erichthonius natus, idque illi nomen impoſitum ἀπὸ τῆς ἔριδος, καὶ χθονός, id eſt, ex certamine, atque humo. Cur igitur virgo eum puerum cum dracone concluſum, & obſignatum, tribus virginibus Cecropidis commendauit? euidens (vt opinor) inceſtum: quod nullo modo poſſit colorari. Altera cùm penè amatorem ſuum perdidiſſet: qui erat turbatis diſtractus equis: præſtantiſſimū medicum Æſculapium curando iuueni aduocauit, eumque ſanatum,

> *Secretis alma recondit*
> *Sedibus: & nympha Egeria, nemoriq́, relegat:*
> *Solus vbi in ſiluis Italis, ignobilis æuum*
> *Exigeret: verſoq́, vbi nomine Virbius eſſet.*

Quid ſibi vult hæc tam diligens, tam ſolicita curatio? quid ſecretæ ſedes? quid relegatio vel tam longè, vel ad mulierem, vel in ſolitudinem? quid deinde nominis commutatio?
B
Poſtremo, quid equorum tam pertinax abominatio? Quid ſignificant hæc omnia niſi conſcientiam ſtupri, & amorem minimè virginalem? Erat plane, cur tantum laborem pro tam fideli iuuene ſuſciperet: qui amanti nouercæ obſequium pernegaret.

De deorum conſecratione propter beneficia.

CAPVT XVIII.

HOc in loco refellendi ſunt etiam ij, qui Deos ex hominibus eſſe factos, non tantum fatentur: ſed vt eos laudent, etiam glorianiur, aut virtutis gratia, vt Herculem: aut munerum, vt Cererem ac Liberum: aut artium repertarum, vt Æſculapium, vel Mineruam. Hæc vero quàm inepta ſint, quamque non digna, propter quæ homines inexpiabili ſe ſcelere contaminent, hoſteſque Deo vero fiant: quo contempto, mortuorum ſacra ſuſcipiunt: ex
C
ſingulis rebus oſtendam. Virtutem eſſe dicunt, quæ hominem tollat in cælum: non illam, de qua philoſophi * diſſerunt, quæ poſita eſt in bonis animi: ſed hanc corporalem, quæ dicitur fortitudo. Quæ quoniam præcipua in Hercule fuit: immortalitatem meruiſſe creditur. Quis tam ſtultè ineptus eſt, vt corporis vires diuinum, vel etiam humanum bonum iudicet: cùm ſint & maiores pecudibus attributæ: & vno morbo ſæpe frangantur, vel ipſa ſenectute minuantur, & corruant? Itaque idem ille, cùm deformari vlceribus totos ſuos cerneret: a nec * ſanari ſe voluit, * nec ſenem fieri: nequando ſeipſo minor, aut deformior videretur. Hunc à rogo quo viuum ſeipſum combuſſerat, aſcendiſſe in cœlum putauerunt: eaque ipſa, quæ ſtultiſſimè admirati ſunt, ſimulachris & imaginibus expreſſa, & conſecrata poſuerunt; vt in perpetuum vanitatis eorum monimenta præſtarent, qui ob necem beſtiarum deos fieri crediddiſſent. Sed hæc Græcorum fortaſſe culpa ſit, qui res leuiſſimas pro maximis ſemper habuerunt. Quid noſtri, num ſapientiores? qui athleticam quidem virtutem contemnunt, quia nihil obeſt: ſed regiam,
D
quia latè ſolet nocere, ſic admirantur, vt fortes, & bellicoſos duces in deorum cœtum locari arbitrentur: nec eſſe vllam aliam ad immortalitatem viam, quàm exercitus ducere, aliena vaſtare, vrbes delere, oppida excîdere, liberos populos aut trucidare, aut ſubijcere ſeruituti. Videlicet quò plures homines afflixerint, ſpoliauerint, occiderint: eò ſe nobiliores, & clariores putant: & inanis gloriæ ſpecie capti, ſceleribus ſuis nomen virtutis imponunt. Iam mallem, vt à ferarum cædibus Deos ſibi fingerent; quam immortalitatem tam cruentam probarent. Si quis vnum hominem iugulauerit: pro contaminato, ac nefario habetur, nec ad terrenum hoc domicilium Deorum admitti eum fas putat. Ille autem, qui infinita hominum millia trucidauerit, cruore campos inundauerit, flumina infecerit: non modo in templum, ſed etiam in cœlum admittitur. Apud Ennium ſic loquitur Africanus:

> *Si fas cadendo cæleſtia ſcandere cuiquam eſt:*
> *Mi ſoli cæli maxima porta patet.*

E
Scilicet eum qui magnam partem generis humani extinxit, ac perdidit. O quantis in tenebris Africane verſatus es: vel potius ô poeta, qui per cædes, & ſanguinem patere hominibus in cœlum aſcenſum putaueris! Cui vanitati & Cicero aſſenſit. Eſt verò, inquit, Africane: nam & Herculi eadem ipſa porta patuit. Tanquam ipſe planè, cùm id fieret, ianitor fuerit in cœlo. Equidem ſtatuere non poſſum, doleamne potius, an ridendum putem, cùm videam graues, & doctos, & (vt ſibi videntur) ſapientes viros, tam in miſerandis errorum fluctibus volutari. Si hæc eſt virtus, quæ nos immortales facit: mori equidem malim, quàm exitio eſſe quamplurimis. Si aliter immortalitas parari non poteſt, niſi per ſanguinē: quid fiet, ſi omnes in concordiam conſenſerint? Quod certe fieri poterit: ſi pernicioſo, & impio furore proiecto, innocentes eſſe ac iuſti velint. Num igitur nemo erit cælo dignus? num peribit virtus, quia hominibus in homines ſæuire non licebit? Sed iſti, qui euerſiones vrbium, populorumque ſummam gloriam computant: otium publicum non ferent, rapient, ſæuient, & iniurijs inſolenter
F
illatis, humanæ ſocietatis fœdus irrumpent: vt habere hoſtem poſſint, quem ſceleratius deleant, quàm laceſſierint. Nunc ad reliqua pergamus. Nomen deorum Cereri, ac Libero traditio munerum fecit. Poſſum diuinis docere literis, vinum atque fruges ante progeniem * cœli, atque Saturni fuiſſe in vſu hominum: ſed ab his ſanè inuenta eſſe fingamus. Num poteſt plus, aut maius videri, collegiſſe fruges: hiſque fractis, panem facere docuiſſe: aut vuas de vitibus lectas expreſſiſſe, vinumque feciſſe: quam fruges ipſas, aut vites generaſſe, aut protuliſſe de terra? Reliquerit hæc ſanè Deus humanis ingenijs eruenda: tamen fieri non poteſt, b quin ipſius ſint omnia, qui & ſapientiam tribuit homini vt inueniret, & ipſa illa, quæ poſſent inueniri. Artes quoque ſuis inuentoribus immortalitatem peperiſſe dicuntur, vt Æſculapio medicina, Vulcano fabrica. Colamus igitur & illos, qui fullonicam, ſutrinamque docuerunt. Cur autem figulinæ repertori honos non habetur? An quia illi diuites vaſa Samia con-
G
temnunt? Sunt & aliæ artes, quarum repertores humanæ vitæ plurimum profuerunt. Cur non etiam illis attributa ſunt templa? ſed nimirum Minerua eſt, quæ omnes repperit: ideoque illi opifices ſupplicant. Ergo ab his ſordibus Minerua aſcendit in cœlum. Eſt verò, cur quiſquam derelinquat eum, qui terram cum animantibus, cælum cum aſtris, & luminibus exorſus eſt: vt eam veneretur, quæ telam docuit ordiri? Quid ille, qui vulnerata corporibus ſanare docuit? num poteſt eſſe præſtantior, quàm qui corpora ipſa formauit? ſentiendi, ac viuendi rationem dedit? herbas denique ipſas, & cætera, quibus medendi ars conſtat, excogitauit, ac protulit?

al. differunt. — al. ſanum. — al. neſenex, aut deformior videretur. — al. vrani.

SCHOLIA.

a Nec ſanum ſe voluit, nec ſenem fieri] *habet Codex antiquus, quod mihi probatur, quia illa ſimilitudo dictionum ſanum & ſenem efficit quandam orationis venuſtatem, alter codex ſancti Saluatoris habet*, nec ſanari ſe voluit, ne ſenex aut deformior videretur, *qua etiam oratio non eſt inepta, neque inconcinna, ſed quia in lectione vulgata eſt optimus ſenſus, eam retinuimus.*
H
b Quin ipſius ſint omnia, qui & ſapientiam tribuit homini, vt inueniret, & ipſa illa, quæ poſſent inueniri primus inuenit] *habent impreſſi libri.* & ipſa illa, quæ poſſent inueniri, artes quoque, &c. *habet codex antiquus: ita vt expungantur verba illa (primus inuenit) quæ ſane expungenda ſunt: nam de Deo ante, & hic loquitur, declarans homines, quamuis aliquem vſum humano generi vtilem multarum rerum inuenerint, tamen omnia in Deum eſſe referenda, qui prudentiam hominibus ad inueniendum ea tribuerit, & res ipſas effecerit, in quibus prudentia hæc poſſet apparere.*

A

De cultu Dei veri & falſorum.

Caput XIX.

AT enim dicet aliquis: & huic ſummo, qui fecit o-
mnia; & illis, qui partim profuerunt, ſuam vene-
rationem eſſe tribuendam. Primum nec factum eſt vn-
al. coluit. quam, vt qui hos * colit, etiam Deum coluerit: neque
fieri poteſt, quoniam ſi honos idem tribuitur aliis: ipſe
omnino non colitur. cuius religio eſt, illum eſſe vnum,
ac ſolum Deum credere. Clamat ſummus poeta, eos o-
mnes qui inuentas vitam excoluere per artes, apud infe-
ros eſſe, ipſumque illum medicinæ artis repertorem ad
ſtygias vndas fulmine eſſe detruſum: vt intelligamus,
quantum valeat Pater omnipotens, qui & Deos fulmini-
bus extinguat. Sed homines ingenioſi hanc ſecum habe-
bant fortaſſe rationem. quia Deus fulminari non poteſt:
apparet non eſſe factum. Immo verò, quia factum eſt: ap-
paret hominem fuiſſe, non Deum. Mendacium enim
B poetarum non in facto eſt, ſed in nomine. Metuebant e-
nim malum, ſi contra publicam perſuaſionem faterentur,
quod erat verum. Quòd ſi hoc conſtat inter ipſos, ex ho-
minibus deos factos: cur ergo non credunt poetis, ſi
quando illorum fugas, & vulnera, & mortes, & bella, & ad-
ulteria deſcribunt? Quibus ex rebus intelligi datur, non
potuiſſe vllo pacto fieri Deos: quia ne homines quidem
probi fuerunt: eaque in vita ſua geſſerunt, quæ mortem
pariunt ſempiternam.

De Diis Romanorum propriis, & eorum ſacris.

Caput XX.

VEnio nunc ad proprias Romanorũ religiones: quo-
niam de communibus dixi. Romuli nutrix Lupa ho-
noribus eſt affecta diuinis. Et ferrem, ſi animal ipſum fuiſ-
ſet, cuius figuram gerit. Auctor eſt Liuius, Larentiæ eſſe
ſimulachrum, & quidem non corporis, ſed mentis, ac
C motum. Fuit enim Fauſtuli vxor, & propter vulgati cor-
poris vilitatem Lupa inter paſtores, id eſt meretrix nun-
cupata eſt, vnde etiam Lupanar dicitur: exemplum ſcili-
cet Athenienſium in eo figuranda Romani ſecuti ſunt, a-
pud quos meretrix quædam nomine Leæna, cùm tyran-
num occidiſſet; quia nefas erat ſimulachrum conſtitui
meretricis in templo, animalis effigiem poſuerunt, cuius
nomen gerebat. Itaque vt illi monumentum ea nomine,
ſic iſti ex profeſſione fecerunt. Huius nomini etiam dies
feſtus dicatus eſt, & Larentinalia conſtituta. Nec hanc
al. ſolam. * ſolum Romani meretricem colunt, ſed Faulam quo-
que: quam Herculis ſcortum fuiſſe, Verrius ſcribit. Iam
quanta iſta immortalitas putanda ſit, quam etiam mere-
trices aſſequantur? Flora, cùm magnas opes ex arte mere-
tricia quæſiuiſſet, populum ſcripſit hæredem; certamque
pecuniam reliquit, cuius ex annuo fœnore ſuus natalis
dies celebraretur, editione ludorum, quos appellant Flo-
ralia. Quod quia ſenatui flagitioſum videbatur: ab ipſo
nomine argumentum ſumi placuit: vt pudendæ rei quæ-
D dam dignitas adderetur. Deam finxerunt eſſe, quæ flori-
bus præſit; eamque oportere placari; vt fruges cum ar-
boribus, aut vitibus bene proſpereque floreſcerent. Eum
colorem ſecutus in Faſtis poeta, non ignobilem nympham
fuiſſe narrauit, quæ ſit Chloris vocitata; eamque Ze-
phyro nuptam, quaſi dotis loco id accepiſſe muneris à
marito, vt haberet omnium florum poteſtatem. Honeſtè
quidem iſta dicuntur: ſed inhoneſtè, turpiterque cre-
duntur. Nec debent (cùm veritas quæritur) huiuſmodi
nos velamenta decipere. Celebrantur ergo illi ludi cum
omni laſciuia, conuenientes memoriæ meretricis. Nam
præter verborum licentiam, quibus obſcœnitas omnis
effunditur, exuuntur etiam veſtibus populo flagitante
meretrices; quæ tunc mimorum funguntur officio: & in
conſpectu populi vſque ad ſatietatem impudicorum lu-
minum cum pudendis motibus detinentur. Cloacinæ ſi-
mulachrum in cloaca maxima repertum Tatius conſecra-
uit: & quia cuius eſſet effigies ignorabat: ex loco illi no- E
men impoſuit. Pauorem, Palloremque Tullus Hoſti-
lius figurauit, & coluit. Quid de hoc dicam, niſi dignum
fuiſſe, qui ſemper deos ſuos, (ſicut optari ſolet) a præſen-
tes haberet? ab hoc illud M. Marcelli de conſecratione
honoris, atque virtutis, honeſtate nominum differt, re
congruit. Eadem vanitate Mentem quoque inter deos
collocauit Senatus, quam profectò ſi habuiſſet, eiuſmodi
ſacra nunquam ſuſcepiſſet. Magnum Cicero, audaxque
conſilium ſuſcepiſſe Græciam dicit, quòd Cupidinum, &
Amorum ſimulachra in gymnaſiis conſecraſſet, adulatus
eſt videlicet Attico; & iriſit hominem familiarem. Non
enim illud magnum, aut omnino conſilium dicendum
fuit, ſed impudicorum hominum perdita, & deplorata
nequitia: qui liberos ſuos, quos erudire ad * honeſta de- al. honeſtatem.
berent: proſtituerunt libidini iuuentutis: à quibus flagi-
tiorum deos & in illis potiſſimum locis, vbi nuda cor-
pora corruptorum luminibus patent; & in illa coli ætate
voluerunt, quæ ſimplex, & improuida prius irretiri, & in
laqueos poteſt cadere, quàm cauere. Quid mirum, ſi ab F
hac gente vniuerſa flagitia manarunt? apud quam ipſa vi-
tia religioſa ſunt, eaque non modo non vitantur, verùm
etiam coluntur. Et ideo huic ſententiæ, tanquam Græ-
cos prudentia vinceret, adiecit: Virtutes enim oportet,
non vitia conſecrari. Quod ſi recipis ò M. Tulli: non vi-
des * fore, vt irrumpant vitia cum virtutibus: quia mala al. fore.
bonis adhærent: & in animis hominum potentiora ſunt.
quæ ſi vetas conſecrari: reſpondebit tibi illa eadem Græ-
cia: ſe alios deos colere, vt proſint: alios, ne noceant.
Hæc enim ſemper excuſatio eſt eorum, qui mala ſua pro
diis habent. vt Romani Rubiginem, ac Febrem. Si ergo
vitia conſecranda non ſunt; in quo tibi aſſentior: ne vir-
tutes quidem. Non enim per ſe ſapiunt, aut ſentiunt: ne-
que intra parietes, aut ædiculas luto factas, ſed intra pe-
ctus collocandæ ſunt, & interius comprehendendæ: ne
ſint falſæ, ſi extra hominem fuerint collocatæ. Itaque
præclaram illam legem tuam derideo, quam ponis his
verbis: Aſt illa, propter quæ datur homini aſcenſus in cæ-
lum: mentem, virtutem, pietatem, fidem: earumque lau- G
dum delubra ſunto. Atqui hæc ſeparari ab homine non
poſſunt. Si enim colenda ſunt: in homine ipſo ſint, ne-
ceſſe eſt. Si autem ſunt extra hominem: quid opus eſt ea
colere, quibus * careamus? Virtus colenda eſt, non ima- al. caret.
go virtutis: & colenda, non ſacrificio aliquo, aut thure,
aut precatione ſolenni, ſed voluntate ſola, atque propoſi-
to. Nam quid eſt aliud colere virtutem, niſi eam compre-
hendere animo, & tenere? quod vnuſquiſque ſimul acce-
pit velle, conſequitur. Hic ſolus virtutis eſt cultus. nam
religio & veneratio nulla alia niſi vnius Dei tenenda eſt.
Quid igitur opus eſt, ò vir ſapientiſſime, ſuperuacuis ex-
tructionibus loca occupare, quæ poſſint humanis vſibus
cedere? quid ſacerdotes conſtituere, vana, & inſenſibilia
culturos? quid immolare victimas? quid tantos ſumptus
vel fingendis, vel colendis imaginibus impendere? Fir-
mius, & incorruptius templum eſt pectus humanum. Hoc H
potius ornetur: hoc veris illis numinibus impleatur! Has
ergo falſas conſecrationes * ſequitur quod neceſſe eſt. Qui al. ſequi quid neceſſe eſt?
enim virtutes ſic colunt: id eſt, qui vmbras, atque imagi-
nes virtutum conſectantur: ea ipſa, quæ vera ſunt, tenere
non poſſunt. Itaque nulla in quoquam virtus eſt, vitiis
vbique dominantibus, nulla fides: omnia pro ſe vnoquoq;
rapiente, nulla pietas, nec conſanguineis, nec parentibus
parcente auaritia, & cupiditate in venenum & ferrum ru-
ente, nulla pax, nulla concordia, publice bellis ſæuientib.
priuatim vero inimicitiis vſque ad ſanguinem furentibus,
nulla pudicitia libidinibus effrenatis omnem ſexum, & o-
mnes corporis partes contaminantibus, nec tamen deſi-
nunt ea colere, quæ fugiunt & oderunt: Colunt enim thu-
re, ac ſummis digitis, quæ a ſenſibus intimis * colere debu- al. horrere.
erunt. qui error omnis ex illius principalis, ac ſummi boni
ignoratione deſcendit. Vrbe à Gallis occupata, obſeſſi in
Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta
feciſſent, ædem Veneri Caluæ conſecrarunt. Non igitur
intelligunt, quàm vanæ ſint religiones, vel ea eo ipſo,
quod eas his ineptiis cauillantur. A Lacedemoniis fortaſ-
ſe didi-

A ſe didicerant, Deos ſibi ex euentis fingere, qui cùm Meſſenios obſiderent: & illi furtim deceptis obſeſſoribus egreſſi, ad diripiendam Lacedæmonem cucurriſſent: à Spartanis mulieribus fuſi, fugatique ſunt. Cognitis autem hoſtium * inſidiis, Lacedæmonij ſequebantur: His armatæ mulieres obuiam longius exierunt. quæ cùm viros ſuos cernerent parare ſe ad pugnam: quòd putarent Meſſenios eſſe: corpora ſua nudauerunt. At illi vxoribus cognitis, & aſpectu in libidinem concitati: ſicut erant armati permixti ſunt vtique promiſcue nec enim vacabat diſcernere: c ſic iuuenes ab iiſdem * ante admiſſi, cum virginibus, ex quibus ſunt Parthenii nati: propter huius facti memoriam ædem Veneri armatæ, ſimulachrumque poſuerunt. Quod tametſi ex cauſa turpi venit, tamen honeſtius videtur, armatam Venerem conſecraſſe, quàm caluam. Eodem tempore Ioui quoque Piſtori ara poſita eſt: quod eos in quiete monuiſſet: vt ex omni frumento, quod * haberent, panem facerent, & in hoſtium caſtra iactarent: eoque facto ſoluta eſt obſidio, deſperantibus Gallis inopia ſubigi poſſe Romanos. Quæ iſta religionum deriſio
B eſt? ſi earum defenſor eſſem: quid tam grauiter queri poſſem: quàm deorum numen in tantum veniſſe contemptũ, vt turpiſſimis nominibus ludibrio habeatur? Quis non rideat Fornacem deam? vel potius doctos viros celebrandis fornacalibus operari? quis, cùm audiat deam Mutam, tenere riſum queat? Hanc eſſe dicunt, ex qua ſint nati Lares: & ipſam, Laram nominant, vel Larundã. Quid præſtare colenti poteſt, qui loqui nõ poteſt? Colitur & Caca: quæ Herculi fecit indiciũ de furto boum: diuinitatẽ conſecuta, quia prodidit fratrem: Et Cunina: quæ infantes in cunis tuetur: ac faſcinum ſummouet: Et * Sterculius, qui ſtercorandi agri rationem primus induxit: Et † Mutinus, in cuius ſinu pudendo nubentes præſident, vt illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur: Et mille alia portenta: vt iam vaniores qui hæc colenda ſuſceperint, quàm Ægyptios eſſe dicamus, qui monſtruoſa, & ridicula quædam ſimulachra venerantur. Et hæc tamen habent aliquam imaginem. Quid, qui lapidem colunt informem,
C atque rudem: cui nomen eſt Terminus? Hic eſt, quem pro Ioue Saturnus dicitur deuoraſſe: nec immerito illi honos tribuitur. Nam cùm Tarquinius Capitolium facere vellet: eoque in loco multorum deorum ſacella eſſent: conſuluit eos per auguria: d vtrum Ioui † cedere, & cedentibus cæteris, ſolus Terminus manſit. Vnde illum poeta Capitoli immobile ſaxum vocat. Iam ex hoc ipſo quàm magnus Iupiter inuenitur, cui non ceſſit lapis, ea fortaſſe fiducia, quod illum de paternis faucibus liberauerat? Facto itaque Capitolio, ſupra ipſum Terminum foramen eſt in tecto relictum: vt, quia non ceſſerat, libero cœlo frueretur. quo ne ipſi quidem fruebantur, qui lapidem frui putauerunt. Et huic ergo publice ſupplicatur, quaſi cuſtodi finium Deo: qui non tantùm lapis, ſed etiam ſtipes interdum eſt. Quid de iis dicam, qui colunt talia? niſi ipſos potiſſimùm lapides, ac ſtipites eſſe?

al. dolis.
al. antea miſſi.
al. habebant.
al. Stercutius.
al. Tutinus.
al. cædenent.

SCHOLIA.

D a Præſentes haberet] *erat in libris impreſſis. Secum haberet, lego ex antiquo codice: nam illud (præſentes) intelligeretur, id eſt, fautores, cum tamen pauor, & pallor fauere non poſſint, ſed nocere.*

b Senſibus intimis colere] *erat in libris impreſſis*, ſenſibus intimis horrere, *habent aliquot codices manuſcripti, cui directo repugnat, ſi legamus, colere: horrere autem, propterea mihi probatur, quia hic redit ad reprehendendos illos, qui vitia imitatione Græcorum colebant, quæ quidem non colere, ſed horrere (vt ipſe ait) debuerunt.*

c Sic iuuenes ab iiſdem ante admiſſi, &c.] *erat in libris impreſſis: aliquot vero manuſcripti habent*, ſic iuuenes ab iiſdem antea miſſi cum virginibus, ex quibus ſunt parthenii nati. *ſanè hic locus me valde torſit, quia in codicibus manuſcriptis varie legebatur, & vix ex vlla lectione poteram ſenſum elicere, re tamen diligenter conſiderata, cognoui hanc eſſe veram lectionem, in qua tres codices Vaticani, & duo mei bonis concordant. Verum, vt ſenſus eliciatur, ponendum eſt, Spartanas mulieres, quando egreſſæ ſunt ad*

E *pugnam contra Meſſenios, domi virgines reliquiſſe, cum ob pudorem virginalem, tum ne vrbem plane nudam relinquerent. Lacedæmonii quoque audita irruptione Meſſeniorum, miſerant ante ad vrbem iuuenes expeditos, poſt quos ipſi cum toto exercitu ea via, qua putabant hoſtes iter eſſe facturos ſequebantur. quibus cum vxores occurriſſent, inter viros & mulieres accidit, quod ſupra narrauit Lactantius: idem quoque in vrbe accidit virginibus, vt ad eas iuuenes promiſcue acceſſerint: ex quo congreſſu natos, vt honeſto aliquo nomine appellarentur, cum re vera ſpurij eſſent, quaſi ex virginibus ortos, parthenios vocauerunt. ita legendum* ante miſſi. *quod ſi legas* ante admiſſi, *nullum ſenſum elicies.*

d Vtrum Ioui cædere vellent] *habent libri impreſſi.* Vtrum Ioui cæderent, *legendum eſt ex antiquo, atque aliis codicibus manuſcriptis. nam, cum de diis illis loquatur, qui nihil velle poterant, nempe qui eſſent inanimes, non recte dixiſſet, vellent.*

De Diis barbarorum quibuſdam propriis & eorum ſacris, & iiſdem de Romanis.

CAPVT XXI.

F DIximus de Diis ipſis, qui coluntur: nunc de ſacris, ac myſteriis eorum pauca dicenda ſunt. Apud Cyprum Salaminem, humanam hoſtiam Ioui Teucrus immolauit: idque ſacrificium poſteris tradidit: quod eſt nuper Hadriano imperante ſublatum. Erat lex apud Tauros, inhumanam, & feram gentem: vt Dianæ hoſpites immolarentur: & id ſacrificium multis temporibus celebratum eſt. Galli Eſum, atque Teutatem humano cruore placabant. Nec Latini quidem huius immanitatis expertes fuerunt, ſiquidem Latialis Iupiter etiã nunc ſanguine colitur humano. Quid ab his boni precantur, qui ſic ſacrificant? Aut quid tales Dii hominibus præſtare poſſunt, quorum pœnis propitiantur? Sed de Barbaris non eſt adeò mirandum, quorum religio cum moribus congruit. Noſtri verò, qui ſemper manſuetudinis, & humanitatis gloriam ſibi vendicarunt: nonne ſacrilegis his ſacris immaniores reperiuntur? Hi enim potius ſcelerati ſunt ha-
G bendi, qui, cùm ſint liberalium diſciplinarum ſtudiis expoliti, ab humanitate deſciſcunt, quàm qui rudes, & imperiti ad mala facinora bonorum ignoratione labuntur. Apparet tamen, antiquum eſſe hunc immolandorum hominum ritum. ſiquidem Saturnus in Latio eodem genere ſacrificii cultus eſt: non quidem vt homo ad aram immolaretur: ſed vti in Tyberim de ponte Miluio mitteretur. quod ex reſponſo quodam factitatum, Varro auctor eſt, cuius reſponſi vltimus verſus eſt talis.

Καὶ κεφαλὰς Ἅιδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Quod quia videtur ambiguum: & fax illi, & homo iaci ſolet. Verùm id genus ſacrificii ab Hercule, cùm ex Hiſpania rediret, dicitur eſſe ſublatum, ritu tamen permanente, vt pro veris hominibus imagines iacerentur ex ſcirpo: vt Ouidius in faſtis docet:

Donec in has venit Tirynthius arua, quotannis
Triſtia Leucadio ſacra peracta modo.
Illum ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites:
Herculis exemplo corpora falſa iace. H

Hæc ſacra Veſtales virgines faciunt: vt ait idem,

Tum quoque priſcorum virgo ſimulacbra virorum
Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.

Nam de infantibus, qui eidem Saturno immolabantur propter odium Iouis, quid dicam, non inuenio. Tam barbaros, tam immanes fuiſſe homines, vt parricidium ſuum, id eſt tetrum, atque execrabile humano generi facinus, ſacrificium vocarent: cùm teneras, atque innocentes animas, quæ maximè eſt ætas parentibus dulcior, ſine vllo reſpectu pietatis extinguerent, immanitatemque omnium beſtiarum, quæ tamen fœtus ſuos amant, feritate ſuperarent? O dementiam inſanabilem! quid illis iſti Dij amplius facere poſſent, ſi eſſent iratiſſimi, quàm faciunt propitij? cùm ſuos cultores parricidiis inquinant, orbitatibus mactant, humanis ſenſibus ſpoliant? Quid poteſt eſſe his

A hominibus ſancti? Aut quid in profanis locis facient, qui inter aras deorum ſumma ſcelera committunt? Peſcennius Feſtus in libris hiſtoriarum per ſatyram refert, Carthagienſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare. & cum victi eſſent, ab Agathocle rege Syculorum: iratum ſibi Deum putauiſſe: itaque vt diligentius piaculum ſoluerent: ducentos nobilium filios immolaſſe.

Tantum religio potuit ſuadere malorum:
Quæ peperit ſæpe ſceleroſa atque impia facta.

Cui ergo dementiſſimi homines illo ſacrificio conſulebant? cum tantam partem ciuitatis occiderent; quantam fortaſſe ne Agathocles quidem victor occiderat. Ab iſto genere ſacrorum nõ minoris inſaniæ iudicanda ſunt publica illa ſacra: quorum alia ſunt matris Deûm: in quibus homines ſuis ipſi virilibus litant: amputato enim ſexu, nec viros ſe, nec fœminas faciunt: Alia Virtutis: quam eandem Bellonam vocant: in quibus ipſi ſacerdotes non
B alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant. Secta namque humeris, & vtraque manu diſtrictos gladios exerentes, currunt: efferuntur: inſaniunt. Optimè igitur Quintilianus in Fanatico, Iſtud, inquit, ſi Deus cogit: iratus eſt. Etiamnè hæc ſacra ſunt? Nunne ſatius eſt pecudum more viuere; quam Deos tam impios, tam profanos, tam ſanguinarios colere? Sed vnde iſti errores, & hæc tanta flagitia manauerunt: ſuo loco diſſeremus. Interim videamus & cætera, quæ carent ſcelere: ne ſtudio inſectandi videamur eligere peiora. Iſidis Ægyptia ſacra ſunt, quatenus filium paruulum vel perdiderit, vel inuenerit. Nam primo ſacerdotes eius deglabrato corpore ſua pectora tundunt: lamentantur, ſicut ipſa, cùm perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quaſi inuentus: & in lætitiam luctus ille mutatur. ideo * Lucanus:

al. Ouidius.

Nunquamq; ſatis quæſitum Oſirin.

Semper enim perdunt: & ſemper inueniunt. Refertur ergo in ſacris imago rei, quæ † vera geſta eſt, quæ profecto, ſi quid ſapimus, declarat mortalem mulierem fuiſſe,

al. verè,

C ac pene orbam: niſi vnicum reperiſſet. quod illum ipſum poetam minimè fugit, apud quem Pompeius adoleſcens, morte patris audita, hæc loquitur:

Euoluam buſto iam numen gentibus Iſim:
Et tectum lino ſpargam per vulgus Oſirim.

Hic eſt Oſiris, quem Seraphin & Serapidem vulgus appellat. Solent enim mortuis conſecratis nomina immutari: credo, ne quis putet eos homines fuiſſe. Nam & Romulus poſt mortem Quirinus dictus eſt: & Leda Nemeſis, & Circe Marica, & Ino, poſtquam ſe præcipitauit, Leucothea: materque, Matuta, & Melicertes filius eius, Palæmon, atque Portunnus. Sacra verò Cereris Eleuſinæ, non ſunt his diſſimilia. Nam ſicut ibi Oſiris puer planctu matris inquiritur: ita hic ad inceſtum patrui matrimonium rapta Proſerpina, quam quia facibus ex Ætnæ vertice accenſis quæſiſſe in Sicilia Ceres dicitur: idcirco ſacra eius ardentium tedarum iactatione celebrantur. Apud Lampſacum Priapo * litabilis victima eſt aſellus. Cuius ſacrificij ratio in Faſtis hæc redditur. Cum Dij omnes ad feſtum matris magnæ conueniſſent: epuliſque ſatiati noctem luſibus ducerent: quieuiſſe humi Veſtam, ſomnumque cepiſſe. ibi Priapum ſomno eius, ac pudicitiæ inſidiatum: ſed illam intempeſtiuo clamore aſelli, qui Silenus vehebatur excitatam: libidinem verò inſidiatoris eſſe detectam: Hac de cauſa Lampſacenos aſellum Priapo quaſi in vltionem mactare conſueuiſſe: apud Romanos verò eundem Veſtalibus ſacris in honorem pudicitiæ conſeruatæ panibus coronari. Quid turpius? quid flagitioſius? quàm ſi Veſta beneficio aſini virgo eſt? At poeta fabulam finxit. Num ergo illud eſt verius, quod referunt ij, qui Φαινόμενα conſcripſerunt: cùm de duabus Cancri ſtellis loquuntur, quas Græci ὄνους vocant, aſellos fuiſſe, qui Liberum patrem tranſuexerint, cùm amnem tranſire non poſſet: quorum alteri hoc præmium dederit: vt humana voce loqueretur: itaque inter eum, Priapumque ortum eſſe certamen de obſcœni magnitudine: Priapum victum, & iratum, interemiſſe victorem. Hoc verò multo magis

al. lætabilis.

D

E ineptum eſt: ſed Poetis licet quicquid velint. Non excutio tam deforme myſterium: nec Priapum denudo: ne quid appareat riſu dignum. Finxerunt hæc ſanè poetæ: ſed neceſſe eſt, alicuius maioris turpitudinis tegendæ gratia ficta ſint. Quæ † ſint ergo quæramus. At ea profecto manifeſta eſt. Nam ſicut Lunæ taurus mactatur: quia ſimiliter habet cornua: & al. ſic.

Placat equo Perſis radijs Hyperiona cinctum:
Ne detur celeri victima tarda Deo

ita in hoc quia magnitudo membri virilis enormis eſt: nõ potuit ei monſtro aptior victima reperiri, quàm quæ ipſum, cui mactatur, poſſet imitari. Apud Lindum, quod eſt oppidum Rhodi, Herculis ſacra ſunt: quorum à cæteris longè diuerſus eſt ritus. ſiquidem non εὐφημίᾳ (vt Græci appellant) ſed maledictis, & execratione celebrantur: eaque pro violatis habent, ſi quando inter ſolennes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum. Cuius rei hæc ratio redditur: ſi tamen vlla eſſe ratio in rebus vaniſſimis poteſt. Hercules, cùm eò delatus eſſet: famemq; pateretur: aratorem quendam aſpexit operantem: ab eoque petere cœpit, vt ſibi vnum bouem venderet. Ille negauit fieri poſſe: quia ſpes ſua omnis colendæ terræ, duobus illis iumentis niteretur. Hercules ſolita violentia vſus, quia vnum accipere non potuit, vtrumque ſuſtulit. at ille infelix, cum boues ſuos mactari videret: iniuriam ſuam F maledictis vltus eſt. quod homini eleganti, & vrbano gratiſſimum fuit. Nam dum comitibus ſuis epulas apparat: dumque alienos boues deuorat: illum ſibi amariſſimè conuiciantem, cum riſu, & cachinnis audiebat. Sed poſtquam Herculi diuinos honores ob admirationem virtutis deferri placuit: a ciuibus ei ara poſita eſt, quam de facto, βούζυγον id eſt, bouis iugum nominauit: ad quam duo iuncti boues immolarentur, ſicut illi, quos abſtulerat aratori. eumque ipſum ſibi conſtituit ſacerdotem: ac præcepit, vt iiſdem maledictis ſemper in celebrandis ſacrificiis vteretur: quod negaret ſe vnquam epulatum eſſe iucundius. Hæc iam non ſacra ſunt, ſed ſacrilegia: in quibus id ſanctum ducitur, quod in aliis ſi fiat, etiam ſeueriſſimè vindicatur. G Ipſius autem Cretici Iouis ſacra quid aliud, quàm quomodo ſit aut ſubtractus patri, aut nutritus, oſtendunt? Capella eſt Amaltheæ nymphæ: quæ vberibus ſuis aluit infantem. de qua Germanicus Cæſar in Aratæo carmine ſic ait:

Illa putatur
Nutrix eſſe Iouis: ſi verè Iuppiter infans
Vbera Cretæa mulſit fidiſſima capra.
Sidere qua claro gratum teſtatur alumnum.

Huius capellæ corio vſum eſſe pro ſcuto Iouem contra Titanas dimicantem, Muſæus auctor eſt. vnde à poetis αἰγίοχος nominatur. Ita quicquid eſt geſtum in abſcondendo puero: id ipſum per imaginem geritur in ſacris. ſed & matris eius myſterium idem continet, quod Ouidius exponit in Faſtis:

Ardua iam dudum reſonat tinnitibus Ide:
Tutus vt infanti vagiat ore puer.
Pars clypeos ſudibus, galeas pars tundit inanes.
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
H *Res latuit: priſciq; manent imitamina facti*
Æra deæ: comites raucaq; terga mouent.
Cymbala pro galeis, pro ſcutis tympana pulſant.
Tibia dat Phrygios, vt dedit ante, modos.

Hanc totam opinionem, quaſi à poetis fictam, Salluſtius reſpuit: voluitque ingenioſè interpretari: cur altores Iouis dicantur Curetes fuiſſe: & ſic ait: Quia principes intelligendi † diuina fuerunt: vetuſtatem vt cætera in maius componentes, altores ſuut celebrauiſſe. Quantum errauerit homo eruditus: iam res ipſa declarat. ſi enim princeps eſt Iupiter & deorum, & religionum: ſi ante illum Dii nulli colebantur vulgo, quia nondum nati fuerant, qui coluntur: apparet, Curetes ex diuerſo principes fuiſſe † diuina non intelligendi: per quos error omnis inductus eſt, & Dei veri memoria ſublata. Ex ipſis itaque myſteriis, & ceremoniis intelligere debuerunt, hominibus ſe mortuis ſupplicare. Non igitur exigo, vt aliquis poetarum fictionibus credat. qui hoc mentiri putat: Pontificum ipſorum ſcripta conſideret: &, quicquid eſt literarum

al. diuini.

al. diuini.

ad ſacra

A ad ſacra pertinentium, reuoluat: plura fortaſſe, quàm nos afferimus, inueniet, *ex* quibus intelligat, inania, inepta, commentitia eſſe omnia, quæ pro ſanctis habentur. Si quis autem percepta ſapientia depoſuerit errorem: profectò ridebit ineptias hominum pene dementium, illos dico, qui vel inhoneſto ſaltatu tripudiant, vel qui nudi, vncti, coronati, perſonati, aut luto oblini currunt. Quid de ſcutis iam vetuſtate putridis dicam? quæ cùm portant, Deos ipſos ſe geſtare humeris ſuis arbitrantur. Nam Furius Bibaculus inter præcipua pietatis exempla numeratur. qui cùm Prætor eſſet: tamen lictoribus præeuntibus, ancyle portauit; cùm haberet magiſtratus beneficio, muneris eius vacationem. Non ergo ille Furius, ſed planè furioſus fuit, qui præturam hoc miniſterio ſe putauit ornare. Meritò igitur, cùm hæc à viris non imperitis, ac rudibus fiant, Lucretius exclamat,

O ſtultas hominum mentes, ò pectora cæca!
B *Quamlibet in tenero vita, quantiſq; periclis*
Degitur hoc æui, quodcunque eſt!

Quis hæc ludibria non derideat, qui habeat aliquid ſanitatis? cùm videat homines velut amente captos ea ſeriò facere, quæ ſi quis faciat *c* in luſu, * nimis laſciuus, & ineptus eſſe videatur. *al. minus ſanus.*

S c h o l i a.

a Nunquamque ſatis quæſitus Oſiris.] *Cum hunc locum prætermiſiſſemus, vir iuris vtriuſque conſultiſſimus atque alias omnibus bonis artibus inſtructiſſimus Didacus Conarrunias Epiſcopus Segobienſis, quo, cum Tridenti eſſemus, familiariter vſus ſum, admonuit me, hic memoria lapſum Lactantium, Lucanum pro Ouidio citaſſe. quod ita eſſe inuenies, cum hic verſus in 9. libro Metamorphoſeos reperiatur.*

b De obſcœni magnitudine.] *Legendum ex antiquo, & tribus Vaticanis codicibus, & inducitur illa vox* membri, *quod mihi probatur, quia verecundius: præſertim, cum infra dicat Lactantius non execrato, non denudo Priapum.*

C *c* In luſu nimis laſciuus.] *Erat in libris impreſsis.* In luſu minus ſanus, *lego ex antiquo codice, quia ſi legamus* laſciuus, *non congruit iis his, quæ paulo ante dixit, vbi non de laſciuia, ſed de inſania Furij loquutus eſt: hoc etenim vnum tantum vitiu proprium eſt, nempe libidinis, cum illud minus ſanum, ad omnia poſsit referri.*

De Numa introductione religionum Fauni, Orphei, Meliſſei.

C a p v t XXII.

HArum vanitatum apud Romanos auctor, & conſtitutor Sabinus ille rex fuit; qui maximè animos hominum rudes, atque imperitos, nouis ſuperſtitionibus implicauit. quod vt faceret aliqua cum auctoritate, ſimulauit cum dea Egeria nocturnos ſe habere congreſſus. Erat quædam ſpelunca peropaca in nemore Aricino, vnde riuus perenni fonte manabat. huc remotis arbitris, ſe inferre conſueuerat, vt mentiri poſſet, monitu Deæ coniugis ea ſacra populo ſe tradere, quæ acceptiſſima Dijs eſſent. videlicet aſtutiam Minois voluit imitari; qui ſe in antrum Iouis recondebat; & ibi diu moratus, leges tanquam ſibi à
D Ioue traditas afferebat, vt homines ad parendum non modò imperio, ſed etiam religione conſtringeret. Nec difficile ſanè fuit perſuadere paſtoribus. Itaque pontifices, flamines, Salios, augures creauit; Deos per familias deſcripſit. ſic noui populi feroces animos mitigauit, & ad ſtudia pacis à rebus bellicis auocauit. Sed cùm alios falleret, ſeipſum tamen non fefellit. Nam poſt annos plurimos, Cornelio, & Bebio coſs. in agro ſcribæ Petilij ſub Ianiculo arcæ duæ lapideæ ſunt repertæ à foſſoribus: quarum in altera corpus Numæ fuit, in altera ſeptem latini libri de iure pontificio, item græci totidem, de diſciplina ſapientiæ ſcripti: quibus religiones, non eas modò, quas ipſe inſtituerat, ſed omnes præterea diſſoluit. Qua re ad Senatum delata, decretum eſt, vt hi libri abolerentur. ita eos Q. Petilius Prætor Vrbis in concione populi concremauit. inſipienter id quidem. quid enim profuit, libros eſſe combuſtos? cum hoc ipſum, quòd ſunt ideo combuſti, quia religionibus derogabant, memoriæ ſit traditum? Nemo ergo tunc in Senatu non ſtultiſſimus. Potuerunt enim & libri aboleri; & res tamen in memoriam non exire. Ita dum
E volunt etiam poſteris approbare, quanta pietate defenderint religiones: auctoritatem religionum ipſarum, teſtando minuerunt. Sed vt Pompilius apud Romanos inſtitutor ineptarum religionum fuit: ſic ante Pompilium Faunus in Latio, qui & Saturno auo nefaria ſacra conſtituit: & Picum patrem inter Deos honorauit: & ſororem ſuam * Fatuam Faunam, eamque coniugem conſecrauit. quam C. Baſſus Fatuam nominatam tradit, quod mulieribus fata canere conſueuiſſet, vt Faunus viris. eandem Varro ſcribit tantæ pudicitiæ fuiſſe, vt nemo eam, quoad viueret, præter virum ſuum mas viderit, nec nomen eius audierit. Idcirco illi mulieres in operto ſacrificant; & Bonam deam nominant. & Sex. Clodius in eo libro, quem græcè ſcripſit, *al. Fatuam.*
F refert Fauni hanc vxorem fuiſſe: quæ quia contra morem, decuſque regium clàm vini ollam ebiberat, & ebria facta erat; virgis myrteis à viro vſque ad mortem cæſa. poſtea verò cum eum facti ſui pœniteret; & deſiderium eius ferre non poſſet: diuinum illi honorem detuliſſe. Idcirco in ſacris eius obuolutam vini amphoram poni. Reliquit ergo poſteris Faunus quoque non paruum erroris, quem tamen prudentes quique perſpiciunt. Nam Lucilius eorum ſtultitiam, qui ſimulachra deos putant eſſe, deridet his * verbis. *al. verſib.*

Terricolas Lamias Fauni quas, Pompilij,
Inſtituêre Numæ; tremit has hic omnia ponit.
Vt pueri infantes credunt ſigna omnia ahena
Viuere, & eſſe homines: ſic iſti omnia ficta,
Vera putant, credunt ſignis cor ineſſe ahenis.
Pergula pictorum, veri nihil: omnia ficta.

Poeta quidem ſtultos homines infantibus comparauit: At ego multo imprudentiores eſſe dico. Illi enim ſimulachra homines putant eſſe, hi Deos. Illos ætas facit pu-
G tare quod non eſt; hos ſtultitia. Illi vtique breui deſinunt falli. horum vanitas & durat, & ſemper creſcit. Sacra Liberi patris primus Orpheus induxit in Græciam, primuſque celebrauit in monte Bœotiæ Thebis, vbi Liber natus eſt proximo. qui cùm frequenter citharæ cantu perſonaret; Citheron appellatus eſt. Ea ſacra etiam nunc Orphica nominantur, in quibus ipſe poſtea dilaceratus, & carptus eſt. & fuit per eadem ferè tempora, quibus Faunus: ſed quis ætate præceſſerit, dubitari poteſt. ſiquidē per eoſdem annos Latinus, Priamuſque regnauerunt, item patres eorum Picus, & Laomedon. quo regnante, Orpheus cum Argonautis ad Ilienſium littus acceſſit. Procedamus igitur vlterius; & quæramus, quis omnino colendorum Deorum primus auctor extiterit. Didymus in libris ἐξηγήσεως πινδαρικῆς ait, Meliſſea Cretenſium regem primum Dijs ſacrificaſſe; ac ritus nouos, ſacrorumque pompas introduxiſſe. Huius duas fuiſſe filias, Amalthæam, & Meliſſam: quæ Iouem puerum caprino lacte, ac melle nutrierunt. vnde poetica illa fabula originem ſumpſit; aduolaſſe apes, atque os pueri melle compleſſe. Meliſſam verò à patre pri-
H mam ſacerdotem Matri magnæ conſtitutam. vnde adhuc eiuſdem Matris antiſtites Meliſſæ nuncupantur. Hiſtoria vero ſacra teſtatur, ipſum Iouem, poſtquam rerum potitus eſt, in tantam inſolentiam veniſſe, vt ipſe ſibi fana multis in locis conſtitueret. Nam cùm terras circuiret, in quamcunque regionem venerat, reges, principéſve populorum hoſpitio ſibi, & amicitia copulabat: & cum à quoque digrederetur; iubebat ſibi fanum creari hoſpitis ſui nomine; quaſi ita poſſet amicitiæ, & fœderis memoria cōſeruari. Sic conſtituta ſunt templa Ioui Atabyrio, Ioui Labradeo. Atabyrius enim & Labradeus hoſpites eius, atq; adiutores in bello fuerunt. Item Ioui Laptio, Ioui Molioni, Ioui Caſſio, & quæ ſunt in eūdem modum. quod ille aſtutiſſimè excogitauit; vt & ſibi honorem diuinum, & hoſpitib. ſuis perpetuum nomē acquireret cum religione coniunctū. Gaudebant ergo illi; & huic imperio eius libenter obſequebantur, & nominis ſui gratia ritus annuos, & feſta celebrabant.

A Simile quiddam in Sicilia fecit Æneas, cùm conditæ vrbi, Aceſtæ hoſpitis nomen impoſuit, vt eam poſt modum lætus, ac libens Aceſtes diligeret, augeret, ornaret. Hoc modo religionum cultus ſui per orbem terræ Iupiter ſeminauit, & exemplum cæteris ad imitandum dedit. Siue igitur à Meliſſeo, ſicut Didymus, colendorum Deorum ritus effluxit, ſiue ab ipſo quoque Ioue, vt Euhemerus tradit: de tempore tamen conſtat, quando Dij coli cœperint. Meliſſeus quidem multum anteceſſit ætate: quippe qui educauerit Iouem * nepotem. Et icirco fieri poteſt, vel vt antè, vel adhuc puero Ioue Deos colere inſtituerit, id eſt alumni ſui matrem, & auiam Tellurem, quæ fuit Vrani coniux; & patrem Saturnum: & ipſe hoc exemplo, atq; inſtituto Iouem ad tantam ſuperbiam prouexerit, vt poſtea ſibi diuinos honores auderet aſſumere.

al. pronepotem.

S c h o l i a.

B a In aperto ſacrificant.] *Habent libri impreſſi.* In operto ſacrificant, *legendum eſt ex antiquo, atque aliis codicibus manuſcriptis, non autem in aperto. quia illud congruit cum ipſa dea, quæ ſe tantopere occultabat.*

De Vanarum ſuperſtitionum ætatibus & temporibus.

C a p v t XXIII.

NVnc quoniam vanarum ſuperſtitionum originem deprehendimus: ſupereſt, vt etiam tempora colligamus, per quæ fuerint illi, quorum memoria colitur. Theophilus in libro de temporibus ad Autolycum ſcripto ait, in hiſtoria ſua Thallum dicere, quòd Belus, quem Babylonij, & Aſſyrij colunt, antiquior Troiano bello fuiſſe inuenitur cccxxii. annis. Belum autem Saturno æqualem fuiſſe, & vtrumque vno tempore adoleuiſſe. Quod adeò verum eſt, vt ratione ipſa colligi poſſit. Nam & Agamemnon, qui geſſit bellum Troicum, Iouis abnepos fuit; & Achilles, Aiaxque pronepotes; & Vlyſſes eodem gradu proximus fuit.
C Priamus quidem longa ſerie. ſed auctores quidam tradūt, Dardanum, & Iaſium Coriti filios fuiſſe, non Iouis. Nec enim, ſi ita fuiſſet, ad vſus impudicos Ganymedem pronepotem ſuum habere potuiſſet. Ita parentibus illorum, quos ſupra nominaui, ſi congruenter annos diuidas, numerus conſentiet. Ab excidio autem Troianæ vrbis colliguntur anni M.CCCCLXX. Ex hac temporum ratione manifeſtum eſt, ante annos non amplius quàm MDCCC. natum eſſe Saturnum, qui & ſator omnium Deorum fuit. Non ergo iſti glorientur ſacrorum vetuſtate: quorum & origo, & ratio, & tempora deprehenſa ſunt. Reſtant adhuc aliqua, quæ ad arguendas religiones falſas plurimum valent. Sed iam finem facere libro decreui; ne modum excedat. Ea enim plenius ſunt exequenda; vt omnibus refutatis, quæ veritati videntur obſtare, homines, qui bonorum ignorantia vagantur incerti, ad religionem veram poſſimus imbuere. Primus autem ſapientiæ gradus eſt, falſa intelligere, ſecundus, vera cognoſcere. Ergo apud quem hæc prima inſtitutio noſtra profecerit, qua falſa deteximus, excitabitur ad veri cognitionem, qua nulla eſt homini iucun-
D dior voluptas: & erit iam ſapientia cæleſtis diſciplinæ dignus, qui ad cognoſcenda cætera libens, ac paratus acceſſerit.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI, DIVINARVM INSTITVTIONVM,

E

DE ORIGINE ERRORIS, LIBER II.

De Dei obliuione,

C a p v t I.

QVanquam primo libro religiones deorum falſas eſſe monſtrauerim, quòd ij, quorum varios, diſſimileſque cultus per vniuerſam terram conſenſus hominum ſtulta perſuaſione ſuſcepit, mortales fuerint, functiq; vita, diuinæ neceſſitati morte conceſſerint: tamē ne qua dubitatio relinquatur; hic ſecundus liber fontem ipſum patefaciet errorum; cauſaſq; omnes explicabit, quibus decepti homines, & primitus deos eſſe crediderunt, & poſtmodum inueterata perſuaſione in ſuſceptis prauiſſimè religionibus perſeuerarunt. Geſtio enim a Conſtantine imperator, conuictis manibus, & hominum impia vanitate detecta, ſingularis Dei aſſerere maieſtatem, ſuſcipiens vtilius, & maius officium reuocandi homines à prauis itineribus, & in gratiam ſecum ipſos reducendi; ne ſe (vt quidam philoſophi faciunt) tantopere deſpiciant; néve ſe infirmos, & ſuperuacuos, & fruſtra omnino natos putent. Quæ opinio pleroſq; ad vitia compellit. Nam dū exiſtimant, nulli Deo nos eſſe curæ; aut poſt mortem nihil eſſe futuros; totos ſe libidinibus addicunt; & dum licere ſibi putant, hauriendis voluptatibus ſitienter incumbunt, per quas imprudenter in laqueos mortis incurrunt. ignorant enim, quæ ſit hominis ratio. quam ſi tenere vellent: in primis Deum ſuum agnoſcerent; virtutem, iuſtitiamq; ſequerentur, terrenis figmentis animas ſuas non ſubſternerent, mortiferas libidinū * voluptates non appeterent: deniq; ſeipſos magni æſtimarent, atq; intelligerent, plus eſſe in homine, quàm videtur, cuius vim, conditionemq; non aliter * poſſe retineri, niſi cultum veri parentis ſui depoſita prauitate, ſuſceperint. Equidem, ſicut oportet, de ſumma rerum ſæpe numero cogitans, admirari ſoleo, maieſtatem Dei ſingularis, quæ cōtinet, regitq; omnia, in tantam veniſſe obliuionem; vt quæ ſola coli debeat, ſola potiſſimùm negligatur: homines autem ipſos ad tantam cæcitatem eſſe deductos, vt vero, ac viuo Deo mortuos præferant, terrenos autem, in terraque ſepultos, ei præponant, qui fundator ipſius terræ fuit. Et tamen huic impietati hominum poſſet venia concedi ſi omnino ab ignorantia diuini nominis veniret hic error. cum vero ipſos deorum cultores ſæpè videamus Deum ſummū & confiteri, & prædicare: quam ſibi veniam ſperare poſſint impietatis ſuæ, qui non agnoſcunt cultum eius, quē prorſus ignorari ab homine fas non eſt? Nam & cum iurant, & cùm optant, & cùm gratias agunt: non Iouem, aut Deos multos, ſed Deum nominant: adeo ipſa veritas, cogente natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpit, quod quidem non faciunt in proſperis rebus. Nam tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cùm beneficijs eius fruentes, honorem dare diuinæ indulgentiæ deberent. At verò ſi qua neceſſitas grauis preſſerit: tunc Deum recordantur. ſi belli terror infremuerit, ſi morborum peſtifera vis incubuerit, ſi alimenta frugibus longa ſiccitas denegauerit, ſi ſæua tempeſtas, ſi grando ingruerit: ad Deum * confugiūt, à Deo petitur auxiliū, Deus, vt ſubueniat, oratur. ſi quis in mari vento ſæuiente iactatur: hūc inuocat. ſi quis aliqua vi afflictatur: hunc protinus implorat. ſi quis ad extremam mendicandi neceſſitatem deductus, victum precib. expoſcit: Deum ſolum obteſtatur, & per eius diuinum, atque vnicum † numen hominum ſibi miſericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, niſi dum in malis ſunt. Poſtquam metus deſeruit, & pericula receſſerunt: tum verò alacres ad Deorum templa concurrunt, his libant, his

F

al. ſuauitates.

G

al. poſſint retinere.

H

al. confugiunt.

A ſacrificantibus coronant. Deo autem, quem in ipſa neceſſitate implorauerant, ne verbo quidem gratias agunt, adeo ex rerum proſperitate luxuria; ex luxuria verò, vt vitia omnia, ſic impietas aduerſus Deum naſcitur. Quianam iſtud ex cauſa fieri putemus? niſi eſſe aliquam peruerſam poteſtatem, quæ veritatis ſit ſemper inimica; quæ humanis erroribus gaudeat, cui vnicum, ac perpetuum ſit opus, * effundere tenebras, & hominum cæcare mentes, ne lucem videant, ne denique in cælum aſpiciant, ac naturam *b* corporis ſui ſeruent, cuius originem ſuo loco narrabimus, nunc fallacias arguamus. Nam cùm cæteræ animantes pronis corporibus in humum ſpectent, quia rationem, ac ſapientiam non acceperunt; nobis autem ſtatus rectus ſublimis vultus ab artifice Deo datus ſit: apparet, iſtas religiones deorum non eſſe rationis humanæ; quia curuant cæleſte animal ad veneranda terrena. Parens enim noſter ille vnus & ſolus, cùm fingeret hominem, i. animal intelligés, & rationis capax: *c* * enimuero ex humo * ſubleuauit, ad contemplationem ſui artificis erexit. quod optime ingenioſus poeta ſignauit.

al. effundet.

B *al. cum vero.* *al ſubleuatum.*

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram:
Os homini ſublime dedit, cælumq; videre
Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Hinc vtique ἄνθρωπον Græci appellarunt, quòd ſurſum ſpectet. Ipſi ergo ſibi renunciant, ſeque hominum nomine abdicant, qui non ſurſum aſpiciunt, ſed deorſum, niſi fortè id ipſum, quod recti ſumus, ſine cauſa homini attributum putant. ſpectare nos cælum Deus voluit, vtique non fruſtra. nam & aues, & ex mutis penè omnia cælum vidēt, ſed nobis propriè datum eſt, cælum rigidis, ac ſtantibus intueri, vt religionem ibi quæramus; vt Deum, cuius ſedes illa eſt, * quem oculis non poſſumus, animo contemplemur, quod profectò non facit, qui æs, aut lapidem, quæ ſunt terrena, veneratur, eſt autem prauiſſimum, cùm ratio corporis recta ſit, quod eſt temporale: ipſum verò animū, qui eſt æternus, humilem fieri: cùm figura, & ſtatus nihil aliud ſignificent, niſi mentem hominis eò ſpectare oportere, quo vultum; & animum tam rectum eſſe debere, quàm corpus; * ne id, cui dominari debet, imitetur. Verum homines & nominis ſui, & rationis obliti; oculos ſuos ab alto deijciunt, ſoloque defigunt; atque timent opera digitorum ſuorum quaſi quicquam eſſe poſſit artifice ſuo maius.

al. quoniā.

C *al. vt*

S C H O L I A.

a Conſtantine Imperator.] *Sicut in principio diximus, in duobus libris ſancti Saluatoris, & in quinq; Vaticanis, ea verba non habentur, ſed parum refert, ſi addantur, modo ſciamus quid in antiquis codicibus reperiatur.*

b Corporis ſui ſeruent, cuius originem ſuo loco narrauimus, nunc fallacias arguamus.] *Hanc poſteriorem clauſulam addit codex antiquus: quæ, quia elegans eſt, & cum re de qua agitur apte congruit, rectè mihi addita videtur.*

c Enimuero ex humo ſubleuauit & ad contemplationem.] *Erat in libris,* eum verò ex humo ſubleuatum ad contemplationem, *habent antiquus, & tres codices Vaticani, quod mihi probatur: quia ex eo, vero, video factum fuiſſe enimuero: & tum neceſſarium fuit vti verbo ſubleuauit, & addere copulam &.*

D

De ſimulacbris, & vero Dei ſimulacbro & cultu.

C A P V T II.

QVÆ igitur amentia eſt, aut ea fingere, quæ ipſi poſtmodum timeant; aut timere, quæ finxerint? Non ipſa, inquiunt, timemus, ſed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus conſecrata ſunt. Nempe ideo timetis, quòd eos eſſe in cælo arbitramini, neque enim, ſi dij ſunt, aliter fieri poteſt. Cur igitur oculos in cælum non tollitis? & aduocatis deorum nominibus, in aperto ſacrificia celebratis? Cur ad parietes, & ligna, & lapides potiſſimùm, quàm illò ſpectatis, vbi eos eſſe creditis? Quid ſibi templa? quid aræ volunt? quid denique ipſa ſimulachra: quæ aut mortuorum, aut abſentium monimenta ſunt? Nam omnino fingendarum ſimilitudinum ratio idcirco ab hominibus inuenta eſt, vt poſſet eorum memoria retineri, qui vel morte ſubtracti, vel abſentia fuerant ſeparati. Deos igitur in quorum numero reponemus? Si in mortuorum: quis tam ſtultus, vt colat? Si in abſentium: colendi ergo non ſunt: ſi nec vident quæ facimus; nec audiunt, quæ precamur. Si autem dij abeſſe non poſſunt, qui, quoniam diuini ſunt, in quacunque mundi parte fuerint, vident, & audiunt vniuerſa: ſuperuacua ergo ſunt ſimulachra, illis vbique præſentibus; cùm ſatis ſit audientium nomina precibus aduocare. At enim præſentes non niſi ad imagines ſuas adſunt. Ita planè: quēadmodum volgus exiſtimat mortuorum animas circa tumulos, & corporum ſuorum reliquias oberrare. Sed tamen poſtquam Deus ille præſto eſſe cœpit, iam ſimulachro eius opus non eſt. Quæro enim, ſi quis imaginem hominis peregrè conſtituti contempletur ſæpius, * vt ex ea ſolatium capiat abſentis, num idem ſanus eſſe videatur, ſi eo reuerſo, atque præſente, in contemplanda imagine perſeueret; eaque potius, quam ipſius hominis aſpectu, frui velit? Minimè profectò. * Etenim hominis imago neceſſaria tum videtur, cum procul abeſt; ſuperuacua futura, cùm præſto eſt: Dei autem, cuius ſpiritus ac numen vbique diffuſum, abeſſe nunquam poteſt; ſemper vtique imago ſuperuacua eſt. ſed verentur, ne omnis eorum religio inanis ſit, & vana, ſi nihil in præſenti videant, quod adorent: & ideo ſimulachra conſtituunt, quæ quia mortuorum ſunt imagines: ſimilia mortuis ſunt. omni enim ſenſu carent. Dei autem in æternum viuentis viuum, & ſenſibile debet eſſe ſimulachrum. quod ſi à ſimilitudine id nomen accepit: quomodo poſſunt illa ſimulachra Deo ſimilia iudicari, quæ * nihil ſentiunt, nec mouentur? Itaque ſimulachrum Dei non illud eſt, quod digitis hominis ex lapide, aut ære, aliáve materia fabricatur; ſed ipſe homo; quoniam & ſentit, & mouetur, & multas magnaſque actiones habet. Nec intelligūt homines ineptiſſimi, quod ſi ſentire ſimulachra, & moueri poſſent; vltro adoratura * homines fuiſſent, à * quibus ſunt expolita: quæ eſſent aut incultus, & horridus lapis, aut materia informis & rudis, niſi fuiſſent ab homine formata. Homo igitur illorū quaſi parens putandus eſt, per cuius manus nata ſunt, per quem ſpeciem, figuram, pulchritudinem habere cœperunt. Et ideo melior eſt, qui fecit, quàm illa, quæ facta ſunt. Et tamen factorem ipſum nemo * ſuſcipit, aut veretur. quæ fecit, timet, tanquam plus poſſit eſſe in opere; quàm in opifice. Rectè igitur Seneca in libris moralibus: Simulachra, inquit, deorum venerantur: illis ſupplicant genu poſito; illa adorant; illis per totum aſſident diem, aut aſtant; illis ſtipem iaciunt, victimas cædunt, & cùm hæc tantopere ſuſpiciant: fabros, qui illa fecêre, contemnunt. Quid inter ſe tam contrarium, quàm ſtatuarium deſpicere, ſtatuam adorare; & eum ne in conuictum quidem admittere, qui tibi deos faciat? Quam ergo vim, quam poteſtatem habere poſſunt, cùm ipſe, qui fecit illa, non habeat? Sed ne hæc quidem dare his potuit, quæ habebat; videre; audire; loqui; moueri. Quiſquamne igitur tam ineptus eſt, vt putet aliquid eſſe in ſimulachro Dei, in quo ne hominis quidem quicquam eſt præter vmbram? ſed hæc nemo conſiderat. infecti ſunt enim perſuaſione: ac mentes eorum penitus * fucum ſtultitiæ *a* perbiberunt. Adorant ergo inſenſibilia, qui ſentiunt; irrationabilia, qui ſapiunt; exanima, qui viuunt; terrena, qui oriuntur è cælo. Iuuat ergo, velut in aliqua ſublimi ſpecula conſtitutum, vnde vniuerſi exaudire poſſint; Perſianum illud proclamare,

E

al. &

F

al. & tamen.

al. nec.

G *al. hominē* *al. quo.*

al. ſuſpicit.

H *al. ſuccum*

b O curuæ in terras animæ, & cæleſtium inanes.

Cælum potius intuemini: ad cuius ſpectaculum vos excitauit ille *c* artifex * verus Deus. Ille vobis ſublimem vultum dedit: vos in terram curuamini: vos altas mentes, & ad * patrem ſuum cum corporibus ſuis erectas, ad inferiora deprimitis; tanquam vos pœniteat, non quadrupedes eſſe natos. Fas non eſt, cæleſte animal cum terrenis, in *d* terramque vergentibus * verſari. quid vos beneficijs

al. veſter. *al. parentem.*

al. coæquari.

cæleſti-

A cæleſtibus † orbari, pronique in humum veſtra ſponte procumbitis? Humi enim miſeri volutamini; cùm deorſum quæritis quod in ſublimi quærere debuiſtis. Nam iſta mortalium digitorum ludicra, & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata, quid aliud ſunt niſi terra, ex qua nata ſunt? quid ergo rebus inferioribus ſubiacetis? quid capitibus veſtris terram ſuperponitis? Cùm enim vos terræ ſubmittitis, humilioreſque facitis: ipſi vos vltrò ad inferos mergitis, ad mortemque damnatis, quia nihil terra inferius & humilius, niſi mors, & inferi, quæ ſi effugere velletis: ſubiectam pedibus veſtris terram contemneretis, corporis ſtatu ſaluo, quod idcirco rectum accepiſtis; quò oculos atque mentem cum eo, qui fecit, conferre poſſetis. Contemnere autem, & calcare terram, nihil aliud eſt, quàm ſimulachra non adorare; quia de terra ficta ſunt: item diuitias non concupiſcere; voluptates corporis ſpernere: quia opes & corpus ipſum, cuius hoſpitio vtimur, terra eſt. Viuum colite, vt viuatis: moriatur enim neceſſe
B eſt, qui ſe ſuamq; animam mortuis adiudicauit.

al. urbana

S C H O L I A.

a Fucum ſtultitiæ perbiberunt.] *habent libri impreſſi.* Fucum ſtultitiæ peruiderunt, *habet codex antiquus: in altero vero codice ſancti Saluatoris, cum quo tres codices Vaticani concordant, legitur,* ſuccum ſtultitiæ perbiberunt. *quod mihi magis placet, vt ſit allegoria quædam à ſucco, & rebus liquidis, quas bibimus, ad hoſce errores & ſtultitiam translata præſtantiſſimo tamen ac doctiſſimo viro Antonio Auguſtino Ilerdæ Epiſcopo, magis placet lectio impreſſorum codicum:* Fucum ſtultitiæ perbiberunt, *vt ſit translatio a coloribus, quibus panni inficiuntur.*

b O curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane.] *In neutro codice ſancti Saluatoris legitur: quod ſanè indicendum eſt, quia nihil facit ad rem ille verſus, cum ille alter tantum faciat, ô curæ, &c*

c Artifex verus] *Habent codices typis excuſi.* Artifex veſter, *legendum eſt ex codice antiquo, cum quo tres Vaticani concordant.*
C *nam cum primum loquutus fuiſſet de ſimulachris, quorum eſt artifex homo, nunc loquens ad homines de Deo, rectè eum veſtrum artificem appellat.*

d Terramq; vergentibus verſari] *Habent impreſſi codices.* In terramq; vergentibus coæquari, *habent antiqui, & quinq; codices Vaticani. nemo enim eſt, qui cum terrenis & brutis animantibus non verſetur: ſed illi dicuntur cum beſtijs coæquari, qui Deum ignorant, & terrenas res tantum appetunt.*

De literarum errore,

C A P. III.

SEd quid prodeſt ad vulgus, & ad homines imperitos hoc modo concionari? cùm videamus etiam doctos, & prudentes viros, cùm religionum intelligant vanitatem, nihilominus tamen in ijs ipſis, quæ damnant, colendis neſcio qua prauitate perſtare. Intelligebat Cicero falſa eſſe, quæ homines adorarent. nam cùm multa dixiſſet, quæ ad euerſionem religionum valerent: ait tamen non eſſe illa vulgo diſputanda, ne ſuſceptas publicè religiones
D diſputatio talis extinguat. Quid ei facies, qui, cùm errare ſe ſentiat, vltrò ipſe in lapides impingat, vt populus omnis offendat? ipſe ſibi oculos eruat, vt omnes cæci ſint? qui nec de alijs bene mereatur, quos patitur errare; nec de ſe ipſo, qui alienis accedit erroribus? nec vtitur tandem ſapientiæ ſuæ bono, vt factis impleat, quod mente percepit; ſed prudens, & ſciens pedem laqueo inſerit, vt ſimul cum cæteris, quos liberare vt prudentior debuit, & ipſe capiatur? Quin potius, ſi quid tibi, Cicero, virtutis eſt; experire, populum facere ſapientem. digna res eſt, vbi omnes eloquentiæ tuæ vires exeras: Non enim verendum eſt, ne te in tam bona cauſa deficiat oratio; qui ſæpè etiam malas copioſe, ac fortiter defendiſti. Sed nimirum Socratis carcerem times: ideoque patrocinium veritatis ſuſcipere non audes. At mortem, vt ſapiens, contemnere debuiſti. Et *a* erat quidem multo pulchrius, vt ob * bene potius dicta, quàm ob maledicta morereris, nec tibi lau-

al. benedicta potius

dis plus Philippicæ afferre potuerunt, quàm diſcuſſus error humani generis, & mentes hominum ad ſanitatem tua diſputatione reuocatæ. ſed concedamus timiditati:
E quæ in ſapiente eſſe non debet. Quid ergo ipſe in eodem verſaris errore? Video te terrena, & manufacta venerari. vana eſſe intelligis: & tamen eadem facis, quæ faciunt ipſi, quos ipſe ſtultiſſimos confiteris. Quid igitur profuit, vidiſſe te veritatem, quam nec defenſurus eſſes, nec ſecuturus? Si libenter errant etiam ij, qui errare ſe ſentiunt: quanto magis vulgus indoctum? quod pompis inanibus gaudet animiſque puerilibus ſpectat omnia; oblectatur friuolis; & ſpecie ſimulachrorum capitur; nec ponderare ſecum vnamquamque rem poteſt, vt intelligat, nihil colendum eſſe, quod oculis mortalibus cernitur; quia neceſſe eſt, mortale ſit. Nec mirandum * eſt, ſi Deum non videant; cùm ipſi ne hominem quidem videant, quem videre ſe credunt. Hoc enim, quod oculis ſubiectum eſt; non homo, ſed hominis receptaculum eſt: cuius qualitas, & figura non ex lineamentis vaſculi, quo continetur, ſed
F ex factis, & moribus peruidetur. Qui ergo colunt ſimulachra; *b* corporia ſunt * animabus carentia; quia ſe corporalibus * dederunt; nec vident plus aliquid mente, quàm corpore; cùm ſit animi officium, ea ſubtilius cernere, quæ acies corporalis non poteſt intueri. Quos homines idem ille philoſophus, ac poeta grauiter accuſat, tanquam humiles, & abiectos, qui contra naturæ ſuæ rationem ad venerandа terrena ſe proſternant. ait enim:

al. eſſe.
al. hominibus.
al. dediderunt.

Et faciunt animos humiles formidine Diuûm,
Depreſſoſq; premunt ad terram.

Aliud quidem ille, cùm * hoc diceret, ſentiebat; nihil vtiq; eſſe colendum; quia Dij humana non curent. Denique alio loco religiones Deorum, & cultus, inane eſſe officium confitetur.

al. hæc.

*Nec pietas vlla eſt, * velatum ſæpe videri*
** Vertier ad lapidem, atq; omnes accedere ad aras,*
** Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas*
Ante Deûm delubra, nec aras ſanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota.

al. vulgarî. al. Vertere ſe. al. Et
G

Quæ profectò ſi caſſa ſunt, non oportet ſublimes, & excelſos animos aduocari, atque in terram premi, ſed nihil aliud, quàm cæleſtia cogitare. Impugnatæ ſunt ergo à prudentioribus falſæ religiones; quia ſentiebant eſſe falſas: ſed non eſt inducta vera: quia, qualis, aut vbi eſſet, ignorabant. Itaque ſic habuerunt, tanquam nulla eſſet omnino; quia veram non poterant inuenire, *c* & eo modo inciderunt in errorem multo maiorem, quàm illi, qui falſam tenebant. Nam iſti fragilium cultores, quamuis ſint inepti, quia cæleſtia conſtituunt in rebus corruptibilibus, atque terrenis, aliquid tantum ſapientiæ retinent; & habere veniam poſſunt; quia ſummum hominis officium etſi non reipſa, tamen propoſito tenent: ſiquidem hominum, atque mutorum vel ſolum, vel certè maximum in religione diſcrimen eſt. Hi verò quanto fuerunt ſapientiores; quòd intellexerunt falſæ religionis errorem: tanto facti ſunt ſtultiores; quòd eſſe aliquam veram non putauerunt. Itaque quoniam facilius eſt, de alienis iudicare, quàm de ſuis: dum aliorum præcipitium vident; non
H proſpexerunt, quid ante ſuos pedes eſſet. In vtraque igitur parte & ſumma ſtultitia inuenitur, & odor quidam ſapientiæ: vt poſſis dubitare, quos dicas potiſſimum ſtultiores, illoſne, qui falſam religionem ſuſcipiunt; an eos, qui nullam. Sed (vt dixi) venia *d* concedi * poſſet imperitis, & qui ſe non eſſe ſapientes fatentur, his verò non poteſt, qui ſapientiam profeſſi, ſtultitiam potius exhibent. Non ſum equidem tam iniquus, vt eos putem diuinare debuiſſe, vt veritatem per ſeipſos inuenirent. quod fieri ego non poſſe confiteor. ſed hoc ab his exigo, quod ratione ipſa præſtare potuerunt. Facerent enim prudentius, ſi & intelligerent *e* eſſe aliquam religionem; & falſis impugnatis, apertè pronuntiarent, eam, quæ vera eſſet, ab hominibus non teneri. Sed mouent eos fortaſſe illud; quòd ſi qua vera eſſet religio, exereret ſe, ac vindicaret.

al. poteſt.

nec pa-

A nec pateretur eſſe aliud quicquam. Videre enim nullo modo poterant, quare, aut à quo, & quemadmodum religio vera opprimeretur, quod eſt diuini ſacramenti, & cæleſtis arcani. Id verò, niſi doceatur, aliquis ſcire nullo pacto poteſt. Summa rei hæc eſt: Imperiti, & inſipientes falſas religiones pro veris habent; quia neque veram ſciunt, neque falſam intelligunt. Prudentiores verò, quia veram neſciunt; aut in ijs, quas falſas eſſe intelligunt, perſeuerant, vt aliquid tenere videantur: aut omnino nihil colunt, ne incidant in errorem: cùm id ipſum maximi ſit erroris, vitá pecudum ſub figura hominis imitari. Falſum verò intelligere; eſt quidem ſapientiæ, ſed humanæ. Vltra hunc gradum procedi ab homine non poteſt. itaq; multi philoſophorum, religiones (vt docui) ſuſtulerunt. verum autem ſcire, diuinæ eſt ſapientiæ. Homo autem per ſeipſum peruenire ad hanc ſcientiam non poteſt, niſi doceatur à Deo.

B Ita philoſophi, quod ſummum fuit humanæ ſapientiæ, aſſecuti ſunt, vt intelligerent, quid non ſit: illud aſſequi nequiuerunt, vt dicerent, quid ſit. Nota Ciceronis vox eſt: Vtinam tam facilè vera inuenire poſſem quàm falſa conuincere! Quod quia vires humanæ conditionis excedit: eius officij facultas nobis eſt attributa, quibus tradidit Deus ſcientiam veritatis, cui explicandæ quatuor poſteriores libri ſeruient. Nunc interim falſa, vt cœpimus, detegamus.

S C H O L I A.

a Erat quidem] *Habent libri impreſſi,* & erat quidem multo pulchrius, vt ob benedicta ponus, *legendum eſt ex antiquo codice, cum quo quinque Vaticani concordant, & ſane niſi copula illa, & addatur, nulla poteſt conſtare ſententia.*

b Corpora ſunt animabus carentia] *Legitur in libris typis excuſis:* corpora ſunt hominibus carentia, *habent duo codices ſancti Saluatoris, cum quibus tres Vaticani concordant. hominibus vero dixit efficacium. & grauium, hoc, cum non placeret aliquibus illiteratis, pro hominibus mutarunt, animabus.*

C c Et eodem modo] *Erat in libris impreſſis,* & eo modo, *legendum eſt ex auctoritate codicis antiqui: vt ſit ſenſus; refutatis falſis religionibus. & nulla certa conſtituta, eo tanquam modo, & via quadam inductos eſſe reprehenſores religionum, vt nullam dicerent eſſe religionem: qui error fuit grauior, quam eorum qui falſam religionem ſectabantur. eodem autem modo, vt eſt in codicibus impreſſis, legi nullo modo poteſt, quia non eodem modo, neq; eiſdem rationibus aliquis efficitur contemptor religionum vel ſectator falſæ religionis; ſed contrario modo, & planè repugnantibus rationibus.*

d Concedi poſſet imperitis, & qui ſe ſapientes eſſe non fatentur] *Habent libri impreſſi,* concedi poteſt imperitis, & qui ſe non eſſe ſapientes fatentur: *legendum eſt ex vtroque codice ſancti Saluatoris, & negatio debet poni ante infinitiuum eſſe, non autem ante verbum fatentur, vt eſt in libris impreſſis.*

e Eſſe aliquam veram religionem] *Habent libri impreſſi,* eſſe aliquam religionem, *habet antiquus codex, & inducenda eſt illa dictio,* veram. *quia, etſi veram religionem ignorarent, tamen aliquam eſſe religionem intelligere potuerunt, ad hoc enim demonſtrandum longa deinceps oratione vtitur Lactantius.*

D *De ſimulachris, ornamentiſq; templorum, & eorum contemptu.*

C A P V T IV.

QVid igitur maieſtatis poſſunt habere ſimulachra quæ fuerunt in homunculi poteſtate, vel * vt aliud fierent, vel vt omnino non fierent? ideirco apud Horatium Priapus ita loquitur: *al. aliquid*

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cùm faber incertus, ſcamnum faceretne Priapum,
Maluit eſſe Deum. Deus inde ego, furum, auiumq;
Maxima formido.

Quis non ſit tanto hoc custode ſecurus?

Fures enim tam ſtulti ſunt, vt Priapi tentiginem timeant: cùm aues ipſæ, quas terrore falcis, aut inguinis abigi exiſtimant, ſimulachris fabrefactis, id eſt, hominum planè ſimilibus, * inſideant, nidificent, inquinent. Sed Flaccus, vt ſatyrici carminis ſcriptor, deriſit hominum vanitatem. Verum ij, qui faciunt, ſeriam ſe facere rem opinantur. Deniq; poeta maximus, homo in cæteris prudens, in hoc ſolum non poeticè, ſed aniliter deſipuit; cùm in illis emendatiſſimis libris etiam fieri hoc iubet: *al. inſidiãt.* E

Et custos furum, atq; auium cum falce ſaligna,
Helleſpontiaci ſeruet tutela Priapi.

Adorant ergo mortalia, vt à mortalibus facta, frangi enim, cremari poſſunt, ac perire. nam & tectis vetuſtate labentibus ſæpe comminui ſolent: & conſumpta incendio, dilabuntur in cinerem: & plerumque (niſi ſua illis magnitudo ſubuenerit, aut cuſtodia diligens ſepſerit) in prædam furibus cedunt. Quæ igitur inſania eſt, ea timere, pro quibus aut ruinæ, aut ignes, aut furta timeantur? Quæ vanitas, aliquam ab his ſpectare tutelam, quæ tueri ſemetipſa non poſſunt? Quæ peruerſitas, ad eorum præſidia decurrere, quæ ipſa, cùm violantur, inulta ſunt, niſi à colentibus vindicentur? Vbi ergo veritas eſt? vbi nulla vis adhiberi poteſt religioni; vbi nihil, quod violari poſſit apparet; vbi ſacrilegium fieri non poteſt. Quicquid autem oculis, manibuſq; ſubiectum eſt; id vero, quia fragile eſt, ab omni ratione immortalitatis eſt alienum. Fruſtra igitur homines auro, ebore, gemmis Deos excolunt, & exornant; quaſi verò ex his rebus vllam poſſint capere voluptatem. Quis vſus eſt pretioſorum munerum nihil ſentientibus? an ille, qui mortuis? pari enim ratione defunctorum corpora odoribus, ac pretioſis veſtibus illita, & conuoluta humi condunt; qua Deos honorant: qui neque, cùm fierent, ſentiebant; neq; cum coluntur, ſciunt. nec enim ſenſum conſecratione ſumpſerunt. Non placebat Perſio, quòd aurea vaſa templis inferantur, ſuperuacuum putanti, eſſe inter religiones, quod non ſanctitatis, ſed auaritię ſit inſtrumentum. Illa enim ſatius eſt Deo, quem rectè colas, inferre pro munere, F

Compoſitum ius, faſq; animi, ſanctoſq; receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

Egregiè, ſapienterque ſenſit. Verùm illud * ridiculum ſubdidit: hoc eſſe aurum in templis, quod ſint Veneri donatæ à virgine pupæ: quas ille ob minutiem fortaſſe contempſerit. Non videbat enim, ſimulachra ipſa, & effigies Deorum, Polycleti, & Euphranoris, & Phidiæ manu ex auro, atque ebore perfectas, nihil aliud eſſe, quam grandes pupas, nõ à virginibus, quarum luſibus venia dari poteſt, ſed à barbatis hominibus conſecratas. Meritò igitur etiam ſenum ſtultitiam Seneca deridet. Non, inquit, bis pueri ſumus (vt vulgo dicitur) ſed ſemper. Verum hoc intereſt, quòd maiora nos ludimus. Ergo his ludicris, & ornatis, & grandibus pupis, & vnguenta, & thura, & odores inferunt, his opimas, & pingues hoſtias immolant: quibus eſt quidem os, ſed carens officio dentium: his peplos, & indumenta pretioſa, quibus vſus velaminis nullus eſt: his aurum, & argentum conſecrant: quæ tam non habent qui accipiunt, quàm qui illa donarunt. Nec immeritò Dionyſios Siciliæ tyrannus poſt victoriam Græcia potitus, Deos tales contempſit, ſpoliauit, illuſit. ſiquidem ſacrilegia ſua iocularibus etiam dictis proſequebatur. Nam cùm Ioui Olympio aureum amiculum detraxiſſet; laneum iuſſit imponi, dicens, æſtate graue eſſe aureum, hyeme, frigidum, laneum verò vtrique tempori aptum. Idem auream barbam detrahens Æſculapio; incongruens, & iniquum eſſe ait, cùm Apollo pater eius imberbis eſſet adhuc, ac læuis; priorem filium, quàm patrem, barbatum videri. Idem pateras, & exuuias, & parua quædam ſigilla, quæ ſimulachrorum protentis manibus tenebantur, detrahebat; & accipere ſe illa, non auferre dicebat. perquam enim ſtultum eſſe, & ingratum, nolle accipere ab his vltrò porrigentibus, à quibus bona ſibi homines precarentur. hæc ille fecit impune; quia rex, & victor fuit. quin etiam ſecuta eſt eum ſolita felicitas. vixit enim vſque ad ſenectutem; regnumque per manus filio tradidit. In eo igitur, quia homines ſacrilegia vindicare non poterant; oportuit Deos ipſos ſui vindices eſſe. At ſi humilis quiſpiam tale quid commiſerit: huic præſto ſunt flagella, ignes, eculei, cruces, & quicquid excogitare iratis, & furentibus licet. Sed G *al. ridicule.* H

A cum puniunt deprehenſos in ſacrilegio: ipſi de Deorum ſuorum poteſtate diffidunt. Cur enim ijs potiſſimùm non relinquant vlciſcendi ſui locum; ſi eos poſſe aliquid arbitrantur? Quin etiam putant illorum numine accidiſſe, vt prædones rerum ſacrarum deprehenſi tenerentur: & ſæuiunt non tam ira, quàm metu; ne ſi deorum iniuriam non vindicauerint, ipſos experiant pœnæ, incredibili ſcilicet vanitate, qui iracutos ſibi Deos putent ob aliena ſcelera, qui ipſis, à quibus violati, ſpoliatique ſunt, per ſeipſos nihil nocere potuerunt. At enim ſæpe ipſi quoque in ſacrilegos vindicauerunt: poteſt id vel caſu accidiſſe: quod aliquando, non ſemper. Sed tamen paulò pòſt, quomodo id acciderit oſtendam. Nunc interim quæro, cur illi tot, & tanta ſacrilegia in Dionyſio non vindicauerunt; qui non furtim, ſed palam Deos ludibrio habuit? Cur hunc tam potentem ſacrilegum à templis, à cæremonijs, ab imaginibus ſuis non arcuerunt? Cur etiam ſacris

B rebus ablatis, proſperè nauigauit? quod ioco ipſe teſtatus eſt (vt ſolebat.) Videtisne, inquit comitibus ſuis naufragium timentibus, quàm proſpera ſacrilegis nauigatio ab ipſis dijs immortalibus tribuatur? Sed hic fortaſſe à Platone didicerat, Deos nihil eſſe. Quid C. Verres? quem Tullius accuſator eius eidem Dionyſio, & Phalaridi, & tyrannis omnibus comparat, nónne omnem Siciliam compilauit, ſublatis Deorum ſimulachris, ornamentiſque fanorum? Otioſum eſt perſequi ſingula, vnum libet commemorare; in quo accuſator omnibus eloquentiæ viribus, omni denique conatu vocis, & corporis deplorauit, de Cerere Catanenſi, vel Ennēſi: quarum alterius tanta fuit religio, vt adire templi eius ſecreta penetralia, viris nefas eſſet: alterius antiquitas tanta, vt omnes hiſtoriæ loquantur, ipſam Deam fruges in Ennæ ſolo primùm reperiſſe; filiamque eius virginem ex eodem loco raptam. Denique Gracchanis temporibus turbata republica & ſeditionibus, & oſtentis, cùm repertum eſſet in carminibus Sibyllinis, antiquiſſimam Cererem debere placari, legati ſunt Ennam miſſi. Hæc igitur Ceres vel religioſiſſima, quā videre maribus ne adorandi quidem gratia licebat; vel an-

C tiquiſſima, quàm S. P. Q. R. ſacrificijs, doniſque placauerat: ex arcanis, & vetuſtis penetralibus, à C. Verre immiſſis latronibus ſeruis, impune ſublata eſt. Idem verò, cùm affirmaret, ſe à Siculis, vt cauſam prouinciæ ſuſciperet, oratum, his verbis vſus eſt: Seſe iam ne deos quidem in ſuis vrbibus, ad quos confugerent, habere; quòd eorum ſimulachra ſanctiſſima C. Verres ea delubris religioſiſſimis ſuſtuliſſet: quaſi verò ſi Verres ea vrbibus, delubriſque ſuſtulerat, de cælo quoque ſuſtuliſſet. Vnde apparet, iſtos deos nihil habere in ſe amplius, quàm materiam, de qua ſunt fabricati. Nec immeritò *a* ad te, M. Tulli, hoc eſt, ad hominem Siculi confugerunt; quoniam triennio ſunt experti, Deos illos nihil valere, eſſent enim ſtultiſſimi, ſi ad eos ob defendendas iniurias hominum confugiſſent, qui C. Verri nec pro ſeipſis irati eſſe poterant. At enim Verres ob hæc facinora damnatus eſt. Non ergo dij vindicauerunt, ſed Ciceronis induſtria: qua vel defenſores eius oppreſſit, vel gratiæ reſtitit. Quid, quòd apud ipſum Verrem non fuit

D illa damnatio, ſed vacatio? vt quemadmodum Dionyſio deorum ſpolia geſtanti, dij immortales bonam dederant nauigationem: ſic etiam Verri bonam quietem tribuiſſe videatur, in qua ſacrilegijs ſuis tranquille frui poſſet. Nam frementibus poſtea ciuilibus bellis, ſub obtentu damnationis ab omni periculo, & metu remotus, aliorum graues caſus, & miſerabiles exitus audiebat: & qui cecidiſſe ſolus omnibus ſtantibus videbatur, is verò vniuerſis cadentibus ſolus ſtetit; donec illum & opibus ſacrilegio partis, & vita ſatiatum, ac ſenectute confectum proſcriptio triumuiralis auferret, eadem. ſ. quæ Tullium violatæ deorum maieſtatis vltorem. Quin etiam felix in eo ipſo fuit, quòd ante ſuam mortem crudeliſſimum exitum ſui accuſatoris audiuit; dijs videlicet prouidentibus, vt ſacrilegus, ac prædo ille religionum ſuarum non antè moreretur, quàm ſolatium de vltione cepiſſet.

E

S c h o l i a.

a Ad te M. Tulli, hoc eſt, ad teipſum hominem.] *Erat in libris impreſſis*, ad te M. Tulli, hoc eſt ad hominem, *lege ex vtroq; codice ſancti Saluatoris, & inducenda ſunt illa voces*, teipſum, *quia eſſet inutilis eiuſdem repetitio.*

De Dei veri cultu, deq; elementis, & aſtris.

C a p v t V.

QVanto igitur rectius eſt, omiſſis inſenſibilibus, & vanis, oculos eò tendere, vbi ſedes, vbi habitatio eſt Dei veri, qui terram ſtabili firmitate ſuſpendit; qui cælum diſtinxit aſtris fulgentibus; qui ſolem rebus humanis clariſſimum, ac ſingulare lumen, in argumentum ſuæ vnicæ ma-

F ieſtatis accendit, terris autem maria circumfudit; flumina ſempiterno lapſu fluere præcepit,

Iuſsit & extendi campos, ſubſidere valles,
Fronde tegi ſiluas, lapidoſos ſurgere montes.

Quæ vtiq; omnia non Iupiter fecit, qui ante annos mille ſeptingentos natus eſt; ſed idem

Ille opifex rerum, mundi melioris origo,

qui vocatur Deus. cuius principium, quoniam non poteſt comprehendi; ne quæri debet quidem. Satis eſt homini ad plenam, perfectamque prudentiam, ſi Deum eſſe intelligat. cuius intelligentiæ vis, & ſumma hæc eſt; vt ſuſpiciat, & honorificet communem parentem generis humani; & rerum mirabilium fabricatorem. Vnde quidam hebetis, obtuſiq; cordis, elementa, & quæ facta ſunt, & carent ſenſu, tanquam Deos adorant, qui cum Dei opera mirarētur, id eſt cælum cum luminibus varijs, terram cum campis & montibus, maria cum fluminibus, & ſtagnis, & fontibus: earum rerum admiratione obſtupefacti, & ipſius artificis obliti, quem videre non poterant, eius opera venerari, & colere cœperunt, nec vnquam intelligere quiuerunt, quāto maior, quantoque mirabilior ſit, qui illa fecit ex nihilo. quæ cum videant diuinis legibus obſequentia, commodis,

G atque vſibus hominum perpetua neceſſitate famulari: tamen illa Deos exiſtimant eſſe, ingrati aduerſus beneficia diuina, qui Deo & patri indulgentiſſimo ſua ſibi opera prętulerunt. Sed quid mirum, ſi aut barbari, aut imperiti homines errant? cum etiam philoſophi Stoicæ diſciplinæ in eadem ſint opinione; vt omnia cæleſtia, quæ mouentur, in Deorum numero habenda eſſe cenſeant. ſiquidem * Lucillus Stoicus apud Ciceronem ſic loquitur: Hanc igitur in ſtellis conſtantiam, hanc tantam tam varijs curſibus in omni æternitate conuenientiam temporum, non poſſum intelligere ſine mente, ratione, conſilio. quæ cum in ſyderibus * eſſe videamus: non poſſumus ea ipſa non in Deorum numero reponere. Item paulo ſuperius, Reſtat, inquit, vt motus aſtrorum ſit voluntarius. quæ qui videat: nō indoctè ſolum, verùm etiam impie faciat, ſi Deos eſſe neget. Nos verò quidē & conſtanter negamus: ac vos ò philoſophi non ſolum indoctos, & impios, verum etiam cæcos, ineptos, deliroſque probamus, qui ignorantiam im-

H peritorum vanitate vicistis. Illi enim Solem & Lunam, vos etiam ſidera Deos putatis. Tradite igitur nobis ſtellarum myſteria; vt aras, & templa ſingulis erigamus, vt ſciamus, quo quemque ritu, quo die colamus; quibus nominibus, quibus precibus aduocemos: niſi forte nullo diſcrimine tam innumerabiles, tam minutos Deos aceruatim colere debemus. Quid quòd argumentum illud, quo colligunt vniuerſa cæleſtia Deos eſſe, in contrarium valet? nam ſi Deos eſſe iccirco opinantur; quia certos, & rationabiles curſus habent: errant. ex hoc enim apparet Deos non eſſe; quod exorbitare illis à præſtitutis itineribus non licet. Cęterum ſi Dij eſſent: huc atque illuc paſſim ſine vlla neceſſitate ferrentur, ſicut animantes in terra, quarum quia liberæ ſunt voluntates: huc atque illuc vagantur, vt libuit; & quo quemque mens duxerit, eò fertur. Non eſt igitur aſtrorum motus voluntarius, ſed neceſſarius; quia præſtitutis legibus, officijſque deſeruiunt. Sed cum diſputaret de curſibus ſiderum, quos ex ipſa rerum, ac temporum

al. Iucillius.

al. ineſſe.

A congruentia intelligebat non eſſe fortuitos: exiſtimauit voluntarios eſſe, tanquam non poſſent tam diſpoſite, tam ordinate moueri, niſi ſenſus illis ineſſet officij ſui ſciens. O quàm difficilis eſt ignorantibus veritas, & quam facilis ſcientibus! Si motus, inquit, aſtrorum fortuiti non ſunt: nihil aliud reſtat, niſi vt voluntarij ſint: immo verò vt non eſſe fortuitos manifeſtum eſt, ita nec voluntarios. Quomodo igitur in conficiendis itineribus conſtantiam ſuam ſeruant? Nimirum Deus vniuerſi artifex ſic illa diſpoſuit, ſic machinatus eſt; vt per ſpatia cæli, diuina, & admirabili ratione decurrerent ad efficiendas ſuccedentium ſibi temporum varietates. An Archimedes Siculus concauo ære ſimilitudinem mundi, ac figuram potuit machinari; in quo ita ſolem, ac Lunam compoſuit, vt inæquales motus & cæleſtibus ſimiles, conuerſionibus ſingulis quaſi diebus efficerent: & non modò acceſſus ſolis, & receſſus, vel incrementa, diminutioneſque lunæ, verùm etiam ſtellarum vel errantium, vel vagarum diſpares curſus, B orbis ille dum vertitur, exhiberet? Deus ergo illa vera non potuit machinari, & efficere, quæ potuit ſolertia hominis imitatione ſimilare? Vtrumne igitur Stoicus, ſi aſtrorum figuras in illo ære pictas, effictaſque vidiſſet; ſuo illa conſilio moueri diceret, ac non potius artificis ingenio? Ineſt ergo ſyderibus ratio, ad peragendos meatus ſuos apta: ſed Dei eſt illa ratio, qui & fecit, & regit omnia; non ipſorum ſyderum, quæ mouentur. Nam ſi ſolem ſtare voluiſſet: perpetuus dies vtique eſſet. Item ſi motus aſtra non haberent: quis dubitet, ſempiternam noctem fuiſſe futuram? Sed vt diei, ac noctis vices eſſent; moueri ea voluit, & tam variè moueri, vt non modò lucis, ac tenebrarum mutuæ viciſſitudines fierent, quibus laboris, & quietis alterna ſpatia conſtarent; ſed etiam frigoris, & caloris, vt diuerſorum temporum vis, ac poteſtas vel generandis, vel maturandis frugibus conueniret. Quam ſolertiam diuinæ poteſtatis in machinandis itineribus aſtrorum quia philoſophi non videbant; animalia eſſe ſydera putauerunt; tanquam pedibus & ſponte, non diuina ratione procederent. Cur autem excogitauerit illa Deus, quis non intelligit? Scilicet C ne ſolis lumine decedente, nimium cæca nox terris, atque horrentibus tenebris ingraueſceret, noceretque viuentibus. Itaque & cœlum ſimul mira varietate diſtinxit: & tenebras ipſas multis, minutiſque luminibus temperauit. Quanto igitur Naſo prudentius, quàm illi, qui ſapientiæ ſtudere ſe putant; qui ſenſit à Deo lumina illa, vt horrorem tenebrarum depellerent, inſtituta. Is eum librum, quo φαινόμενα breuiter comprehendit, his tribus verſibus terminauit:

Tot numero, taliq́, Deus ſimulachra figura
Impoſuit cælo: perq́, atras ſparſa tenebras
Clara pruinoſa iuſſit dare lumina nocti.

Quòd ſi fieri non poteſt, vt ſtellæ Dij ſint: ergo nec ſol quidem, nec luna Dij eſſe poſſunt, quoniam luminibus aſtrorum non ratione differunt, ſed magnitudine. Quòd ſi hi Dij non ſunt: ergo nec cælum quidem, in quo illa omnia continentur. Simili modo ſi terra, quam calcamus, quam ſubigimus ad victum, Deus non eſt: nec campi quidem, ac montes Dij erunt. ſed ſi hi non ſunt: ergo ne tellus quiD dem vniuerſa Deus videri poteſt. Item ſi aqua, quæ ſeruit animantibus ad vſum bibendi, aut lauandi, Deus non eſt: nec fontes quidem, ex quibus aqua profluit, ſi fontes non ſunt; ne flumina quidem, quæ de fontibus colliguntur. ſi flumina quoque Dij non ſunt: ergo & mare, quod ex fluminibus conſtat, Deus haberi non poteſt. Quòd ſi neque cælum, neque terra, neque mare, quæ mundi partes ſunt, Dij eſſe poſſunt: ergo ne mundus quidem totus Deus eſt; quem iidem ipſi Stoici & animantem, & ſapientem eſſe contendunt, & propterea Deum, in quo tam inconſtantes fuerunt, vt nihil dictum ſit ab his, quod non ab iiſdem fuerit euerſum. Sic enim argumentantur: Fieri non poſſe, vt ſenſu careat, quod ſenſibilia ex ſe generat. Mundus autem generat hominem, qui eſt ſenſu præditus: ergo & ipſum ſenſibilem eſſe. Item, Sine ſenſu eſſe non poſſe, cuius pars habeat ſenſum: igitur quia homo ſenſibilis eſt, E etiam mundo, cuius pars homo eſt, ineſſe ſenſum. Propoſitiones quidem veræ ſunt; & ſenſibile eſſe, quod ſenſu præditum gignat, & habere ſenſum, cuius pars ſenſu aucta ſit: ſed aſſumptiones falſæ, quibus argumenta concludunt, quia neque mundus generat hominem: neque mundi homo pars eſt. nam hominem à principio idem Deus fecit; qui & mundum: & non eſt mundi pars homo, ſicut corporis membrum. poteſt enim mundus eſſe ſine homine, ſicut vrbs, & domus. Atqui vt domus, vnius hominis habitaculum eſt, & vrbs vnius populi: ſic & mundus domicilium totius generis humani. Et aliud eſt, quod incolitur; aliud, quod * colit. *al. incolit.* Sed illi, dum ſtuderent id, quod falſo ſuſceperant, cõfirmare, & ſenſibilem eſſe mundum, & Deum, argumentorum ſuorum conſequentia non viderunt. Nam ſi mundi pars eſt homo, & ſenſibilis eſt mundus, quia homo ſentit: ergo quia mortalis eſt homo, mortalis ſit & mundus, neceſſe eſt; nec tantùm mortalis, ſed etiam omnibus morbis, & paſſionibus ſubiectus. Et è contrario, ſi Deus eſt mundus, & partes eius vtique imF mortales ſunt: ergo & homo Deus eſt, quia pars eſt (vt dicitis) mundi. ſi homo: ergo iumenta, & pecudes, & cætera genera beſtiarum, & auium, & piſcium, quoniam & illa eodem modo ſentiunt, & mundi partes ſunt. At hoc tolerabile eſt, nam & hæc colunt Ægyptij. Sed res eò peruenit, vt ranæ, & culices, & formicæ Dij eſſe videantur; quia & ipſis ineſt ſenſus, & partes mundi ſunt. Ita ſemper argumenta ex falſo petita, ineptos, & abſurdos exitus habent. Quid, quòd iidem ipſi aiunt, Deorum & hominum cauſa mundum eſſe conſtructum, quaſi communem domum? ergo nec mundus Deus eſt, nec animans, ſi conſtructus eſt, animans enim non conſtruitur, ſed naſcitur. Et ſi eſt ædificatus ſic vtique tanquam domus, tanquam nauis: eſt ergo aliquis artifex mundi Deus. & ſeorſum erit mundus, qui factus eſt, ſeorſum ille, qui fecit. *al qui.* Iam, illud quàm repugnans & abſurdum? quòd * cùm cæleſtes ignes, cæteraque mundi elementa Deos eſſe affirmant: item ipſum Deum mundum dicunt. Quomodo poteſt ex deorum multorum aceruo vnus Deus confici? Si aſtra dij ſunt: mundus ergo non Deus, ſed domicilium Deorum eſt. Si verò G Deus mundus eſt: ergo omnia illa, quæ ſunt in eo, Dij non ſunt, ſed Dei membra; quæ vtique ſolius Dei nomen accipere non poſſunt. Nec enim rectè quis dixerit, membra hominis vnius, multos homines eſſe, ſed tamen non eſt ſimilis comparatio animalis, & mundi. Animal enim quia ſenſu præditum eſt: etiam membra eius habent ſenſum; nec, niſi à corpore diuulſa, putreſcunt. Cuius igitur rei ſimilitudinem gerit mundus? Nimirum ipſi docent, cùm factum eſſe non diffitentur, vt eſſet Dijs, & hominib. quaſi communis domus. Si ergo eſt conſtructus, vt domus: nec ipſe Deus eſt, nec elementa, quæ ſunt partes eius, quia a neque domus habere * dominum ſui poteſt; neque illa, de *al. dominium.* quibus domus conſtat. Non tantùm igitur veritate, ſed etiam verbis ſuis reuincuntur. Sicut enim domus in vſum habitandi facta, per ſe nihil ſentit, dominoq; ſubiecta eſt, qui eam fecit, aut incolit: ita mundus per ſe nihil ſentiens, factori Deo ſubiacet, qui eum in vſum ſui fecit.

S C H O L I A.

H a Neque domus habere dominum ſui.] *Legitur in libris typis excuſis*: neque domus habere dominium ſui poteſt. *omnino legendum eſt, ex vtroque ſancti Saluatoris, & quinque Vaticanis, nam ex eo, quod domus non poteſt habere ſui dominum, probat neque mundum habere ſui dominum: vnde nec Deum eſſe, aut dici poſſe. Facile vero potuit ab imperito ſcriptore omitti, s.*

A

De Deo, & religionibus inſipientium, & malorum auctoritate.

C A P V T VI.

DVplici ergo ratione peccatur ab inſipientibus: Primum, quod elementa, id eſt, Dei opera Deo præferunt: Deinde, quòd elementorum ipſorum figuras humana ſpecie comprehenſas colunt. Nam ſolis, lunæque ſimulachra humanum in modum formant: item ignis, & terræ, & maris: quæ illi Vulcanum, Veſtā, Neptunum vocant, nec elementis ipſis in aperto litant. Tanta hominis imaginum cupiditas tenet; vt iam viliora ducantur illa, quæ vera ſunt: auro ſ. gemmis, & ebore delectantur. Horum pulchritudo, ac nitor præſtringit oculos: nec vllam religionem putant, vbicunque illa non fulſerint. Itaque ſub obtentu deorum, auaritia, & cupiditas colitur. Credunt

B

enim Deos amare, quicquid ipſi concupiſcunt; quicquid eſt, propter quod furta, & latrocinia, & homicidia quotidie ſæuiunt; propter quod bella per totum orbem populos, vrbeſque ſubuertunt. Conſecrant ergo dijs manubias, & rapinas ſuas, quos certè neceſſe eſt imbecilles eſſe, ac ſummæ virtutis expertes, ſi ſubiecti ſunt cupiditatib. Cur enim cæleſtes eos putemus; ſi deſiderant aliquid de terra? vel beatos, ſi aliqua re indigent: vel incorruptos, ſi voluptati habent ea, in quibus appetendis cupiditas hominum non immeritò damnatur? Veniunt igitur ad deos non tam religionis gratia, quæ nulla poteſt eſſe in rebus malè partis, & corruptibilib. quàm vt aurum oculis hauriant; nitorem leuigati marmoris, aut eboris aſpiciant; vt inſignes lapillis, & coloribus veſtes, vel diſtincta gemmis fulgentibus pocula inſatiabili contemplatione contrectent, & quanto fuerint ornatiora templa, & pulchriora ſimulacbra: tanto plus maieſtatis habere credantur. adeò religio * Deo-

al. eorum.

C

rum nihil aliud eſt, quàm quod cupiditas humana miratur. Hæ ſunt religiones, quas ſibi à maioribus ſuis traditas, pertinaciſſimè tueri, ac defendere perſeuerant: nec conſiderāt quales ſint, ſed ex hoc probatas, atq; veras eſſe confidunt, quòd eas veteres tradiderunt: tantaque eſt auctoritas vetuſtatis, vt inquirere in eam, *a* ſcelus eſſe * ducatur. Itaque creditur ei paſſim, tanquam cognitæ veritati.

al. dicatur.

Denique apud Ciceronem ſic dicit Cotta Lucillo: Habes Balbe, quid Cotta, quid pontifex ſentiat, fac nunc ego intelligam, quid tu ſentias. à te enim philoſopho rationem religionis accipere debeo. Maioribus autem noſtris, etiam nulla ratione reddita, rationis eſt credere. Si credis, cur ergo rationem requiris, quæ poteſt efficere, ne credas? Si verò rationem requiris, & quærendam putas: ergo non credis. ideo enim quæris, vt eam ſequaris, cùm inueneris. Docet ecce te ratio nō eſſe veras religiones deorum. Quid facies? maioresne potius, an rationem ſequeris? quæ quidem tibi non ab alio inſinuata, ſed à teipſo inuenta, & * e-

al. elata.

lecta eſt; cùm omnes religiones radicitus eruiſti. Si rationem mauis, diſcedere te neceſſe eſt ab inſtitutis, & auctoritate maiorum: quoniam id ſolum rectum eſt, quod ratio

D

præſcribit. Sin autem * pietas maiores ſequi ſuadet: fateris

al. veritas maior eſt quæ ſuadet ſatere,

igitur & ſtultos illos fuiſſe, qui excogitatis contra rationem religionibus * ſeruierint; & te ineptum, qui id colas,

al. ſeruierunt

quod *d* falſum eſſe * conuinceris. Sed tamen quoniam no-

al. conuiceris.

bis tantopere maiorum nomen opponitur: videamus tandem, qui fuerint maiores illi, à quorum auctoritate diſcedi, nefas ducitur. Romulus vrbem conditurus, paſtores, inter quos adoleuerat, conuocauit. cumq; is numerus cōdendæ vrbi parum idoneus videretur, conſtituit aſylum. Eò paſſim confugerunt ex finitimis locis peſſimi quiq; ſine vllo conditionis diſcrimine. Ita conflauit ex his omnibus populum; legitque in ſenatum eos, qui ætate antestabant; & patres appellauit: quorum conſilio gereret omnia, de quo ſenatu Propertius elegiarum ſcriptor hæc loquitur:

Curia prætexto quæ nunc nitet alta ſenatu,
Pelliteos habuit ruſtica corda patres.
Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites,
Centum illi in prato ſæpe ſenatus erat.

Hirti ut patres; quorum decretis eruditi, ac prudentes viri deuotiſſimè ſeruiunt, idque verum, ac immutabile omnis poſteritas iudicet, quod centum pelliti ſenes ſtatutum eſſe voluerunt. quos tamen (vt in primo libro dictum eſt) Pompilius illexit, vt vera crederent eſſe ſacra, quæ ipſe tradebat. Eſt verò, cur illorum auctoritas tanti habeatur à poſteris; quos nemo, cùm viuerent, neq; ſummus, neque infimus affinitate dignos iudicauit.

E

S C H O L I A.

a Scelus eſſe ducatur.] *Habent libri impreſſi.* ſcelus eſſe dicatur, *habet vterque codex ſancti Saluatoris, cum quibus tres Vaticani concordant; quod mihi probatur. quia docti, & ſapientes. cum ſimularent ſe magnifacere veterum auctoritatem, ducebant quidem ſcelus eſſe in eam inquirere, non tamen id ſcelus eſſe ducebant, cum ſæpe ipſi multa ſuorum maiorum irriderent.*

b Quæ quidem tibi ab alio inſinuata, ſed à teipſo inuenta & electa eſt.] *Legitur in libris impreſſis,* quæ quidem tibi ab alio inſinuata, ſed à teipſo inuenta & elata eſt. *habet vterque codex ſancti Saluatoris, & negationem illam quinq; codices Vaticani adiungunt, quæ neceſſario adiungenda fuit. illa autem vox elata, potius quam electa, legenda videtur.*

F

c Sin autem veritas maior eſt, quæ ſuadet, fatere igitur.] *In antiquo codice cum ſcriptum eſſet literis maiuſculis:* ſin autem pietas maiores ſequi ſuadet, fateris, &c. *vt eſt in impreſſis, atque in alijs omnibus manuſcriptis codicibus, tamen ſupra illam vulgatam lectionem literis minoribus, ſed perinde antiquis ſcriptum erat, vt in principio poſuimus, quam orationem, ob antiquiſſimi codicis auctoritatem, & quia ſenſum bonum efficit, noluimus prætermittere, quin eam in margine notaremus: quamuis mihi vulgaris magis probatur.*

d Falſum eſſe conuinceris.] *Legitur in libris typis excuſis* quod falſum eſſe conuiceris, *habet codex antiquus, cum quo quinq; Vaticani concordant. omnino autem ſic legendum eſt, vt ſit præteritum ſubiunctiui, & referatur ad Ciceronem, qui ea ob pietatem ſequebatur quæ falſa eſſe conuicerat.*

G

De rationis vſu in religione: deq; ſomniis, auguriis, oraculis, talibuſque portentis.

C A P. VII.

QVare oportet, in ea re maximè, in qua vitæ ratio verſatur, ſibi quemque confidere, ſuoq; iudicio, ac proprijs ſenſibus niti ad inueſtigandam, & perpendendam veritatem; quàm credentem alienis erroribus, decipi, tanquam ipſum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam, vt & inaudita inueſtigare poſſent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus anteceſſerunt, ſapientia quoque anteceſſerunt. quæ ſi omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non poteſt. Illibabilis eſt tanquam lux, & claritas ſolis. quia vt ſol oculorum, ſic ſapientia lumen eſt cordis humani. Quare cùm ſapere, id eſt, veritatem quærere, omnibus ſit innatum: ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine vllo iudicio inuenta maiorum probant, & ab alijs pecudum more ducuntur.

H

Sed hoc eos fallit, quòd maiorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, vt aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur; aut illi deſipuerint, quia maiores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipſis ſumamus exemplum; vt quomodo illi, qui falſa inuenerant, poſteris tradiderūt: ſic nos, qui verum inuenimus, poſteris meliora tradamus? Supereſt ingens quæſtio: cuius diſputatio non ab ingenio, ſed à ſcientia venit. quæ pluribus explicanda erit, ne quid dubium omnino relinquatur. Nam fortaſſe aliquis ad illa confugiat, quæ à multis, & non dubijs traduntur auctoribus: Eos ipſos, quos docuimus Deos non eſſe, maieſtatem ſuam perſæpè oſtendiſſe & prodigijs, & ſomniis, & augurijs, & oraculis. Et ſanè multa enumerari poſſunt digna miraculo. in primis illud, quòd Accius Nauius ſummus Augur, cùm Tarquinium Priſcum commoneret, vt nihil noui facere inciperet, niſi prius eſſet inauguratum: eique rex artis eius eleuans fidem diceret, vt conſultis auibus renuntiaret ſibi, vtrumne fieri poſſet id, quod ipſe animo conce-

piſſet,

A piſſet, affirmareique Nauius poſſe: Cape igitur hanc, inquit, cotem, eamque nouacula diſiice. At ille incunctanter accepit, ac ſecuit. Deinde illud, quòd Caſtor, & Pollux bello Latino apud Lacum Iuturnæ viſi ſunt equorum ſudorem abluentes; cùm ædes eorum, quæ iunctæ fonti erant, ſua ſponte patuiſſent. Iidem bello Macedonico equis albis inſidentes, P. Vatinio Romam nocte venienti ſe obtuliſſe dicuntur, nuntiantes, eo die regem Perſen victum, atque captum. quod paucis poſt diebus literæ Pauli verum fuiſſe docuerunt. Illud etiam mirabile, quod ſimulacrum Fortunæ muliebris non ſemel locutum eſſe traditur. Item Iunonis Monetæ; cùm captis Veiis vnus ex militibus ad eam transferendam miſſus, iocabundus, ac ludens interrogaret, vtrum ne Romam migrare vellet: reſpondit, velle. Claudia quoque proponitur in exemplũ miraculi. Nam cùm ex libris Sibyllinis Idæa mater eſſet accita; & in vado Tyberini fluminis nauis, qua vehebatur, hæſiſſet; nec vlla vi commoueretur: Claudiam ferunt, quæ ſemper impudica eſſet habita ob nimios corporis cultus, Deam ſubmiſſis B genibus oraſſe, vt, ſi ſe caſtam iudicaret, ſuum cingulum ſequeretur: ita nauim, quæ ab omni iuuentute non valuit commoueri, ab vna muliere eſſe commotam. Illud æquè mirum, quòd lue ſæuiente Æſculapius Epidauro accitus, vrbem Romam diuturna peſtilentia liberaſſe perhibetur. Sacrilegi quoque numerari poſſunt, quorum præſentibus pœnis iniuriam ſuam dij vindicaſſe creduntur. Appius Claudius Cenſor, cùm aduerſus reſponſum ad ſeruos publicos ſacra Herculis tranſtuliſſet: luminibus orbatus eſt; & Potitiorum gens, quæ prodidit intra xxx annitempus extincta eſt. Item Cenſor Fuluius, cùm ex Iunonis Laciniæ templo marmoreas tegulas abſtuliſſet, quibus ædem Fortunæ equeſtris, quam Romæ fecerat, tegeret: & mente captus eſt; & amiſſis duobus filijs in Illyrico militantibus, ſummo animi mœrore conſumptus eſt. Præfectus etiam M. Antonij Turullius, cùm apud Coos euerſo Æſculapij luco claſſem feciſſet; eodem poſtea loco à militibus Cæſaris eſt interfectus. His exemplis adiungitur Pyrrhus; qui C ſublata ex theſauro Proſerpinæ Locrenſis pecunia, naufragium fecit; ac vicinis Deæ litoribus illiſus eſt; vt nihil, præter eam pecuniam, incolume reperiretur. Ceres quoq; Mileſia multum ſibi apud homines venerationis adiecit. Nã cùm ab Alexandro capta ciuitas eſſet, ac milites ad eam ſpoliandam irrupiſſent: omnium oculos repentè obiectus fulgor ignis extinxit. Reperiuntur etiam ſomnia, quæ vim Deorum videantur oſtendere. Tiberio namque Attinio, homini plebeio, per quietem obuerſatus eſſe Iupiter dicitur, & præcepiſſe, vt Coss. & ſenatui nuntiaret, ludis Circenſibus proximis præſulirorem ſibi diſplicuiſſe, quòd Antronius Maximus quidam diuerberatum ſeruum ſub furca medio circo ad ſupplicium duxerat; ideoque ludos inſtaurari oportere. quod cùm ille neglexiſſet, eodem die filium perdidiſſe; ipſum autem graui morbo eſſe correptum. & cùm rurſus eandem imaginem cerneret, quærentem ſatiſne pœnarum pro neglecto imperio pependiſſet: lectica delatus ad Coss. & omni re in ſenatu expoſita, recepiſſe corporis firmitatem, ſuiſque pedibus domum rediiſſe. Illud quoque ſomnium non minoris fuit admirationis, quo D Cæſar Auguſtus dicitur eſſe ſeruatus. Nam cùm bello ciuili Brutiano implicitus graui morbo, abſtinere prælio ſtatuiſſet: medico eius Artorio Mineruæ ſpecies obuerſata eſt, monens, ne propter corporis imbecillitatem caſtris ſe contineret Cæſar. Itaque in aciem lectica perlatus eſt: & eodem die à Bruto caſtra capta ſunt. Multa præterea exempla ſimilia poſſunt proferri: ſed vereor, ne, ſi fuero in

propoſitione rerum contrariarum diutius immoratus, aut oblitus eſſe propoſiti videar, aut crimen loquacitatis incurram.

De diabolo, mundo, Deo, prouidentia, homine & eius ſapientia.

Capvt VIII.

E Xponam igitur omnium iſtorum rationem: quò faciliùs ea, quæ difficiles, & obſcuræ intelligantur. & has omnes ſimulati numinis præſtigias reuelabo; quibus inducti homines, à veritatis via longius receſſerunt. ſed repetam longe altius; vt ſi quis ad legendum expers veri, & ignarus acceſſerit, * inſtituatur, atq; intelligat, quod tandem ſit caput horum, & cauſa malorum, & lumine accepto, ſuos, ac totius generis humani perſpiciat errores. *a* Cum eſſet Deus ad excogitandum prudentiſſimus, ad faciendum ſolertiſſimus, antequam ordiretur hoc opus mundi: *b* quoniam pleni, & conſummati boni fons in ipſo erat, ſicut eſt ſemper; vt ab eo * bono tanquam riuus oriretur, longeque proflueret, produxit ſimilem ſui ſpiritum, qui eſſet virtutibus Dei patris præditus. Quomodo autem id * fecerit, in quarto libro docere conabimur. Deinde fecit alterum, in quo indoles diuinæ ſtirpis non permanſit. Itaque ſuapte inuidia tanquam veneno infectus eſt, & ex bono ad malũ tranſcendit, ſuoq; arbitrio, quod à Deo illi liberum datum fuerat, contrarium ſibi nomen aſciuit. Vnde apparet, cũctorum malorum fontem eſſe liuorem. Inuidit enim illi anteceſſori ſuo, qui Deo patri perſeuerando, * tum probatus, tum etiam charus eſt. Hunc ergo ex bono per ſe malũ effectum Græci διάβολον appellant, nos criminatorem vocamus, quòd crimina, in quæ ipſe illicit, ad Deum deferat. *c* Exorſus igitur Deus fabricam mundi, illum primum, & maximum filium præfecit operi vniuerſo, eoque ſimul & conſiliatore vſus eſt & artifice, in excogitandis, ornandis, perficiendiſq; rebus: quoniam is & prouidentia, *d* & ratione, & poteſtate perfectus eſt. de quo nunc parcius, quòd alio loco & virtus, & nomen eius, & ratio enarranda nobis erit. Nemo quærat, ex quibus iſta materijs tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit, omnia enim fecit ex nihilo. Neq; audiendi ſunt poetæ, qui aiunt chaos in principio fuiſſe, i. confuſionem rerum, atq; elementorum; poſtea verò Deum diremiſſe omnem illam congeriem; ſingulisq; rebus ex confuſo aceruo ſeparatis, in ordinemque deſcriptis, inſtruxiſſe mundum pariter, & ornaſſe. Quibus facile eſt reſpondere poteſtatem Dei non intelligentibus; quem * credunt nihil efficere poſſe, niſi ex materia ſubiacente, ac parata, in quo errore etiam philoſophi fuerunt. Nam Cic. de natura Deorum diſputans, ſic ait: Primùm igitur non eſt probabile, eam materiam rerum, vnde orta ſunt omnia, eſſe diuina prouidẽtia effectam; ſed habere, & habuiſſe vim, & naturam ſuam. Vt igitur faber, cùm quid ædificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed ea vtitur, quæ ſit parata; fictorq; item cera: ſic iſti prouidentiæ diuinæ materiam præſto eſſe oportuit, non quam ipſe faceret, ſed quam haberet paratam. Quòd ſi non eſt à Deo materia facta; ne terra quidem, & aqua, & aer, & ignis à Deo factus eſt. O quàm multa ſunt vitia in his decem verſibus: Primum, quòd is, qui in alijs diſputationibus, & libris fere omnibus prouidentiæ fuerit aſſertor, & qui acerrimis argumentis impugnauerit eos, qui prouidentiam non eſſe dixerunt, idem nunc quaſi proditor aliquis, aut transfuga, prouidentiam conatus eſt tollere. in quo ſi contradicere velis: nec cogitatione opus eſt, nec labore: ſua illi dicta recitanda ſunt. Nec enim ab vllo poteſt Cicero, quàm à Cicerone vehementius refutari. Sed concedamus hoc * more, & inſtituto Academicorum; vt liceat hominibus valde liberis dicere, ac ſentire quæ velint: * ſententias ipſius conſideremus. Non eſt, inquit, probabile, materiam rerum à Deo factam. Quibus hoc argumentis * probas? Nihil enim dixiſti, quare hoc nõ ſit probabile. Itaque mihi è contrario vel maximè probabile videtur: nec tamen temerè videtur, cogitanti plus eſſe aliquid in Deo, quem profectò ad imbecillitatem hominis redigis: cui nihil aliud, quàm opificium concedis. Quo igitur ab homine diuina illa vis * differet; ſi vt homo, ſic etiam Deus ope * indigeat aliena? Indiget autem, ſi nihil moliri poteſt, niſi ab altero illi materia mini-

E

al. inſtruatur.

al. bonum

F

volue-

al. cum.

G

al. credit.

H

al. mori,

al. docuiſti

al. differt.

al. indiget.

ſtretur. quod ſi fit: imperfectæ vtique virtutis eſt: & erit iam potentior iudicandus materiæ ſubſtitutor. Quo igitur nomine appellabitur, qui potentia Deum vincit? ſiquidem maius eſt, propria facere, quàm aliena diſponere. Si autem fieri non poteſt, vt ſit potentius Deo quicquam; quem neceſſe eſt perfectæ eſſe virtutis, poteſtatis, rationis: idem igitur materiæ fictor eſt, qui & rerum ex materia conſtantium. Neque enim Deo non faciente, & inuito, eſſe aliquid aut potuit, aut debuit. Sed probabile eſt, inquit, materiam rerum habere, & habuiſſe ſemper naturam ſuam, & vim. Quam vim potuit habere, nullo dante? quam naturam, nullo generante? Si habuit vim: ab aliquo eam aſſumpſit. A quo autem ſumere, niſi à Deo, potuit? *e* Porro ſi habuit naturam; quæ vtique à naſcendo dicitur: nata eſt. A quo autem, niſi à Deo, potuit procreari? Natura enim qua dicitur orta eſſe omnia, ſi conſilium non habet, efficere nihil poteſt. ſi autem generandi, * aut faciendi potens eſt: habet ergo conſilium; & propterea Deus ſit, neceſſe eſt. Nec alio nomine appellari poteſt ea vis; in qua ineſt & prouidentia excogitandi, & ſolertia, poteſtaſque faciendi. Melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutiſſimus: qui vidit nil aliud eſſe naturam, quam Deum. Ergo, inquit, Deum non laudabimus, cui naturalis eſt virtus? nec illam didicit ex vllo. Immo laudabimus. quamuis enim naturalis * illa ſibi illam dedit: quoniam Deus * ipſa natura eſt. Cum igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac detrahis Deo; in eodem luto hæſitans, verſuram ſoluis. A quo enim fieri mundum negas; ab eodem planè fieri mutato nomine confiteris. Sequitur ineptiſſima comparatio. Vt faber, inquit, cùm quid ædificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed vtitur ea, quæ ſit parata; fictorque item cera: ſic iſti prouidentiæ diuinæ materiam eſſe præſto oportuit, non quam ipſe faceret, ſed quam haberet paratam. Immo verò non oportuit. erit enim Deus minoris poteſtatis, ſi ea parato facit, quod eſt hominis. faber enim ſine ligno nihil * ædificat: quia lignum ipſum facere non poteſt, non poſſe autem, imbecillitatis eſt humanæ. Deus verò facit ſibi ipſe materiam; quia poteſt. Poſſe enim, Dei eſt: nam ſi non poteſt; Deus non eſt. Homo facit ex eo, quod eſt, quia per mortalitatem imbecillis eſt, per imbecillitatem, definitæ, ac modicæ poteſtatis. Deus autem facit ex eo, quod non eſt, quia per æternitatem fortis eſt; per fortitudinem, poteſtatis immenſæ, quæ fine, ac modo caret, ſicut vita factoris. Quid ergo mirum, ſi facturus mundum Deus, prius materiam, de qua faceret, præparauit, & *f* præparauit ex eo, quod non erat? quia nefas * eſſet Deum aliunde aliquid mutuari; cùm in ipſo, vel ex ipſo ſint omnia. *g* Nam ſi eſt aliquid ante illum, ſi eſt factum; & quicquam non ab illo iam poteſtatem ei, & nomen amittet. At enim materia nunquam facta eſt, ſicut Deus, qui ex materia fecit hunc mundum. Duo igitur conſtituuntur æterna, & quidem inter ſe contraria; quod fieri ſine diſcordia, & pernicie non poteſt. Collidant enim neceſſe eſt ea, quorum vis, & ratio diuerſa eſt, ſic vtraque æterna eſſe non * potuerunt, ſi repugnant, quia ſuperare alterum, neceſſe eſt. Ergo fieri non poteſt, quin æterni natura ſit ſimplex; vt inde omnia, velut ex fonte, deſcenderint. Itaque aut Deus ex materia ortus eſt, aut materia ex Deo, quid horum ſit verius, facile eſt intelligi. Ex his enim duobus alterum ſenſibile eſt; alterũ caret ſenſu. Poteſtas faciendi aliquid non poteſt eſſe, niſi in eo, quod ſentit quod ſapit quod cogitat, quod mouetur. Nec incipi, aut fieri, aut conſummari quicquã poteſt, niſi fuerit ratione * præuiſum, aut quemadmodum fiat ante quàm eſt, *h* * aut quemadmodum conſtet poſtquam fuerit effectum. Denique is facit aliquid, qui habet voluntatem ad faciendum, & manum ad id, quod voluit, implendum. Quod autem inſenſibile eſt, iners, & torpidum ſemper iacet, & nihil inde oriri poteſt, vbi nullus eſt motus voluntarius. nam ſi omne animal ratione conſtat: certè naſci ex eo non poteſt, quod ratione præditum non eſt, nec aliunde accipi poteſt id, quod ibi, vnde petitur, non eſt. Nec tamen commoueat aliquem, quòd animalia quædam de terra naſci videntur. Hæc enim non etia per ſe gignit, ſed ſpiritus Dei: ſine quo nihil gigni-

tur. Non ergo Deus ex materia, quia ſenſu præditum ex inſenſibili, ſapiens ex bruto, impatibile de patibili, expers corporis de corporali nunquam poteſt oriri: ſed materia potius ex Deo eſt. Quicquid enim eſt ſolido, & contrectabili corpore: accipit externam vim: quod accipit vim, diſſolubile eſt: quòd diſſoluitur, interit: quod interit; ortum ſit, neceſſe eſt: quod ortum eſt; habuit fontem, vnde oriretur, id eſt factorem aliquem ſentientem, prouidum, peritumque faciendi. is eſt profectò, nec vllus alius quàm Deus. Qui quoniam ſenſu, ratione, * prouidentia, poteſtate, virtute præditus eſt: & animantia, & inanima creare, & efficere poteſt. quia tenet, quomodo quidque ſit faciendum. Materia verò ſemper fuiſſe non poteſt. quia mutationem non caperet, ſi fuiſſet. Quod enim ſemper fuit; non deſinit. & vnde abfuit principium: abeſſe hinc etiam finem, neceſſe eſt. Quin etiam facilius eſt, vt id, quod habuit initium, fine careat, quàm vt habeat finem, quod initio caruit. Materia ergo ſi facta non eſt: nec fieri ex ea quicquam poteſt. Si fieri ex ea non poteſt: nec materia quidem erit. Materia enim eſt, ex qua fit aliquid. Omne autem, ex quo fit, quia recepit opificis manum, deſtruitur; & aliud eſſe incipit. Ergo quoniam finem habuit materia, tum, cùm factus eſt ex ea mundus: & initium quoque habuit. Nam quod deſtruitur; ædificatum eſt, quod ſoluitur, alligatum; quod finitur, inceptum eſt. Si ergo ex commotatione, ac fine materia colligitur habuiſſe principium: à quo alio fieri, niſi à Deo, potuit? Solus igitur Deus eſt, qui factus non eſt: & iccirco deſtruere alia poteſt; ipſe deſtrui non poteſt. permanebit ſemper in eo, quod fuit: quia non eſt aliunde generatus: nec ortus, nec natiuitas eius ex aliqua re pendet, quæ illum mutata diſſoluat. Ex ſeipſo eſt, vt in primo diximus libro. & ideo talis eſt, qualem ſe eſſe voluit; impaſſibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, æternus. Iam verò illa concluſio, qua ſententiam terminauit Tullius; multo abſurdior. Quòd ſi materia, inquit, à Deo non eſt facta: nec terra quidem, & aqua, & aer, & ignis à Deo factus eſt. Quàm callidè periculum prætervolauit. Sic enim ſuperius illud aſſumpſit; tanquam probatione non indigeret: cùm id multo eſſet incertius, quàm illud, propter quod aſſumptum eſt. Si non eſt, inquit, à Deo facta materia: nec mundus à Deo factus eſt. Ex falſo maluit colligere, quod falſum eſt; quàm ex vero, quod verum. Et cum debeant incerta de certis probari: hic probationem ſumpſit ex incerto, ad euertendum, quod erat certum. Nam diuina prouidentia effectum eſſe mundum, vt taceam de Triſmegiſto, qui hoc prædicat; taceam de carminibus Sibyllarum, quæ idem nunciant; taceam de Prophetis, qui opus mundi, ac opificium Dei vno ſpiritu, ac pari voce teſtantur: etiam inter philoſophos penè vniuerſos conuenit. *i* * idem etiam Pythagorici, Stoici, Peripatetici, *k* * qui ſunt principes † omnis diſciplinæ. Deniq; à primis illis ſeptem ſapientibus, à Socrate vſque ad Platonem pro confeſſo, & indubitato habitum eſt: donec vnus multis poſt ſæculis extitit delirus Epicurus, qui auderet negare id, quod eſt euidentiſſimum, ſtudio ſcilicet inueniendi noua; vt nomine ſuo conſtitueret diſciplinam. Et quia nihil noui potuit reperire: vt tamen diſſentire à cæteris videretur; vetera voluit euertere, in quo illum circumlatrantes philoſophi omnes coarguerunt. Certius eſt igitur, mundum prouidentia inſtructum, *l* quàm materiæ † prouidentia conglobatam. Quare non oportuit putare, iccirco mundum non eſſe diuina prouidentia factum, quia materia eius diuina prouidentia facta non ſit: ſed quia mundus diuina prouidentia ſit effectus; & materiam eſſe factam diuinitus. Credibilius eſt enim, materiam potius à Deo factam; quia Deus omnia poteſt: quàm mundum à Deo non eſſe factum: quia ſine mente, ratione, conſilio nihil fieri poteſt. Verum hæc non Ciceronis eſt culpa, ſed ſectæ. Cum enim ſuſcepiſſet diſputationem, qua Deorum naturam tolleret de qua philoſophi garriebant: omnem diuinitatem ignorantia veri putauit eſſe tollendam. Itaq; Deos potuit tollere; quia non erant. Cùm autẽ prouidentiam diuinam, quæ eſt in vno Deo, conaretur euertere: qui contra veritatem niti cœperat; deficienti-

bus ar-

Left margin: A — al. & — B — al. illi ſit — al. ipſe. — al. ædificabit: — C — al. eſt — al. poterũt — D — al. prouiſum, — al. &

Right margin: E — al. prudentia. — F — G — al. id enim Pythagorici. — al. quæ — al. omnia. — H — al. prouidentiam conglobatam.

A bus argumentis, in hanc foueam neceſſario decidit, vnde ſe extricare non poſſet. Hic ergo illum teneo hærentem, tenco defixum, * quo Lucilius, qui contra diſſerebat, obmutuit. Hic eſt ergo cardo rerum, hic vertuntur omnia. Explicet C. Cotta, ſi poteſt, ex hac voragine. proferat argumenta, quibus doceat, ſemper fuiſſe materiam, quam nulla prouidentia effecerit. Oſtendat, quomodo quicquam ponderoſum, & graue aut eſſe potuerit ſine auctore, aut immutari valuerit, ac deſierit eſſe, quod ſemper fuit; vt inciperet eſſe, quod nunquam fuit. Quæ ſi docuerit: tum demum aſſentiar, ne mundum quidem diuina prouidentia conſtitutum: & tamen ſic aſſentiar, vt alijs illum laqueis teneam. Eodem enim, quò nullet, reuoluetur, vt dicat & materiam, de qua mundus eſt, & mundum, qui de materia eſt, natura extitiſſe: cùm ego ipſam naturam Deū eſſe contendam. nec enim poteſt facere mirabilia, id eſt magna ratione conſtantia, niſi qui habet mentem, prouidentiam, poteſtatem. Ita fiet, vt Deus fecerit omnia, nec quicquam eſſe poſſit omnino, quod non originem à Deo traxerit. At idem quoties Epicureus eſt, & non vult à Deo B factum eſſe mundum, quærere ſolet, quibus manibus, quibus machinis, quibus vectibus, qua molitione hoc tantum opus fecerit. * Videret fortaſſe ſi eo tempore * potuiſſet eſſe, quo fecit. Sed ne perſpiceret homo Dei opera; noluit eum inducere in hunc mundum, niſi perfectis omnibus. ſed ne induci quidem poterat. quomodo enim ſubſiſteret, cùm fabricaretur deſuper cælum, terraq; ſubterfundaretur; cùm fortaſſe humida vel nimiis rigoribus * corporata concreſcerent; vel igneis caloribus incocta, & ſolidata, dureſcerent. Aut quomodo viueret, m * ſole nondum inſtituto, nec frugibus, nec animalibus natis? Itaque neceſſe fuit hominem poſtremo fieri, cùm iam mundo, cæteriſq; rebus manus ſumma eſſet impoſita. Deniq; ſanctæ literæ docent, hominem fuiſſe vltimum Dei opus: & ſic inductum fuiſſe in hunc mundum, quaſi in domum iam paratam, & inſtructam. illius enim cauſa facta ſunt omnia. C Idem etiam poetæ fatentur. Ouidius perfecto iam mundo, & vniuerſis animalibus figuratis, hoc addidit:

> *Sanctius his animal, mentiſq; capacius altæ*
> *Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.*
> *Natus homo eſt.*

adeò nefas exiſtimandum eſt, ea ſcrutari, quæ Deus voluit eſſe celata. Verùm ille non audiendi, aut diſcendi ſtudio requirebat, ſed refellendi: quia confidebat, neminem id poſſe dicere. Quaſi verò ex hoc putandum ſit, non eſſe hæc diuinitus facta; quia quomodo facta ſint, non poteſt peruideri. An tu, ſi educatus in domo fabrefacta, & ornata, nullam vnquam fabricari vidiſſes: domum illam putaſſes non ab homine eſſe ædificatam; quia, quomodo ædificatur, ignorares? idem profectò de domo quæreres, quod nunc de mundo requiris: quibus manibus, quibus ferramentis homo tanta eſſet opera molitus, maximè ſi ſaxa ingentia, immenſa cementa, vaſtas columnas, opus totum ſublime, & excelſum videres, nonne hæc tibi humanarum virium modum viderentur excedere, quia illa non tam viribus, quàm ratione, atq; artificio facta eſſe neſcires? Quòd D ſi homo, in quo nihil perfectum eſt, tamē plus efficit ratione, quàm vires eius exiguæ patiantur; quid eſt, cur incredibile tibi eſſe videatur, cum mundus dicitur factus à Deo? in quo, quia perfectus eſt; nec ſapientia poteſt habere terminum, nec fortitudo menſuram. Opera ipſius videntur oculis. quomodo autem illa fecerit, ne mente quidem videtur, quia (vt Hermes ait) mortale immortali, temporale perpetuo, corruptibile incorrupto propinquare non poteſt, id eſt propius accedere, & intelligentia ſubſequi. & ideo terrenum adhuc animal rerum cæleſtium perſpectionē nō capit, quia corpore quaſi cuſtodia ſeptum tenetur, quò minus ſoluto, ac libero ſenſu cernat omnia. Sciat igitur quàm ineptè faciat, qui res inenarrabiles quærit. Hoc eſt enim modum conditionis ſuæ tranſgredi; nec intelligere, quouſq; homini liceat accedere. Deniq; cùm aperiret hominum veritatem Deus; ea ſola ſcire nos voluit, quæ intererat hominem ſcire ad vitam conſequendam, quæ verò ad curioſam & profanam cupiditatem pertinebant, reticuit, vt E arcana eſſent. Quid ergo quæris, quæ nec potes ſcire; nec ſi ſcias, beatior ſis? Perfecta eſt in homine ſapientia; ſi & Deum eſſe vnum, & ab ipſo eſſe facta vniuerſa cognoſcat.

al. quia Lucilius.
al. Videre potuiſſes.
al. potuiſſes.
al. corporata
al. ſolo.

S c h o l i a.

a Poſt illa generis humani perſpiciat errores.] *Continenter ſequuntur hæc in antiquo, & in quinq; codicibus Vaticanis:* cum eſſet Deus ad excogitandum prudentiſſimus, &c. *Vacant autem illa omnia,* ſicut mater ſine exemplo, &c. *vſque* credat ſingulare, *& illa,* fecit in principio bonum & malum, &c. *vſque* adhuc eſſent, *quæ ſanè omnino expungenda ſunt. quia clarè cognoſcitur, ipſa eſſe ab hæreticis adiecta. nam in priori loco eſt manifeſtus Arianiſmus. & in altero eſt error Manichæorum, & vtrobiq; oratio eſt inconcinna, ac perturbata, & Lactantio indigna, vt clarè appareat iſta ab hæreticis eſſe adfixa.*

b Id fecerit.] *Legitur in libris typis excuſis,* id voluerit, *habent duo codices ſancti Saluatoris, & tres Vaticani, & ſanè multo melius eſt, quam ſi legamus fecerit, nam hic loquitur de diuinis perſonis, & de æterna filii generatione, in qua nulla factio reperitur.* F

c *Poſt illa verba,* ad Deum deferat, *ſequitur,* exorſus igitur Deus fabricam mundi, &c.] *reliqua vero omnia deſunt, quæ ſine dubio adiecta ſunt ab aliquo Manichæo, quia continent apertiſſime fontem erroris illorum, cùm illa quæ paulò ante annotauimus, eundem obſcurius indicarent. quod autem ea non fuerit ſententia Lactantii, vt Deus duo principia, ſiue duos ſpiritus crearerit, vnum bonum, alterum malum; ex his verbis quæ ſine dubio ſunt Lactantii clarè apparet: ſic enim paulo ante dixit: Itaque ſuapte inuidia tanquam veneno infectus eſt, & ex bono ad malum tranſcendit. & paulo inferius: hunc ergo ex bono per ſe malum effectum, Græci διάβολον appellant. ex quibus clarè conſtat, quæ fuerit in hac re ſententia Lactantio, & ipſam contrariam adiectam eſſe ab hæreticis, vt ſe tanti viri auctoritate tuerentur. nec vero ſolum hic, ſed in aliis locis hæc, vel ſimilia fuerunt ab eiſdem adiecta, quod ſuis locis annotabimus, quia nihil huiuſmodi in antiquis codicibus reperitur. quæ ſane res tam mihi iucunda fuit, vt ea ſola potuiſſet me ad ſuſcipiendum laborem emendandi hunc librum impellere, etiam ſi alia defuiſſent, vt ſcriptorem optimum, & antiquiſſimum ab iſta calumnia liberarem.* G *In quo, non nego aliquos errores reperiri, qui etiā in antiquis codicibus reperiuntur, tamen hic Manichæorum, qui ei multis in locis erat aſcriptus, in illis antiquis codicibus non inueniuntur. Verum quia hic obſcurius de diuinitate filii loquitur, & fortaſſe non adeo rectè ac debuit, quamuis in aliis locis rectè de ea loquatur, propterea hæc aliunde, & præſertim ex libro 4. quem citat, ſunt interpretanda. capite enim 8. quarti libri, aperte diuinitatem, & æternitatem verbi explicat, & quare verbum, & ratio Dei dicatur, ſubtiliter declarat, atque manare filium à patre, tanquam à fonte riuum: & tandem illum locum Ioannis citat: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, in quo omnis diuinitas & æternitas filii continetur. Cap. etiam 19. eius libri ait: quid de hu’ſmoi crucis indignitate dicemus, in qua Deus à cultoribus Dei ſuſpenſus eſt, atque ſuffixus. Sed clariſſime ipſam Chriſti diuinitatem eiuſdem libri 4. capite penultimo demonſtrauit. ita, ſi cui ea, quæ in hoc loco dicuntur non adeo placent, quæ ſane melius ac clarius dici potuiſſent, alia loca legat, vbi hoc ipſum aperte explicatur. nec te moueat, quod ea oratio elegans ſit & digna Lactantio, ac propterea non fuerit reiicienda: hoc enim non temerè, quò facimus. Nam primum ſeptem codicum antiquiſſimorum auctoritatem in eo ſequuti ſumus, & ſi diligenter conſideraueris, intelliges, vel illam totam orationem* fabricaturus Deus hunc mundum, &c. *eſſe inducendam, vel hanc:* Exorſus igitur Deus fabricam mundi. *nam de eodem in vtraque tractatur, nempe de prima illa mundi creatione, cum tamen longè aliud in hac, & in altera dicatur: in hac enim quæ verè eſt Lactantii, dicitur: Deum patrem Filium vniuerſo orbi præfeciſſe, quod eſt veriſſimum: in ea dicebatur, Deum ante omnia feciſſe duos fontes, & duos principes ſpirituum, alterum rectum, & alterum prauum, quod ab omni veritate alieniſſimum eſt, & eſt propria hæreſis Manichæorum.* H

d Is & prouidentia, & prudentia & ratione.] *Legitur in libris impreſſis,* prouidentia & ratione, *habet vterq; codex ſancti Saluatoris, cum quibus concordant tres codices Vaticani, & deeſt,* & prudentia, *& ſanè rectè, quia prudentia refertur ad homines propriè, prouidentia ad Deum.*

e Porrò ſi habuit naturam.] *Habet antiquus codex, & addit coniunctionem illam, porrò, ſine qua vix conſtare ea oratio poteſt.*

A *f* Præparauit ex eo.] *Erat in libris impreſſis.* præparauit, & præparauit ex eo, *habet vterque codex ſancti Saluatoris, cum quibus vnus Vaticanorum concordat, & ſane multo concinnior eſt oratio, vt repetatur.*

g Nam ſi eſt aliquid ante illum, ſi factum eſt aliquid non ab ipſo, iam poteſtatem Dei, &c.] *Habet codex antiquus. quæ oratio habet optimum ſenſum, & conuenientem ſuſceptæ diſputationi. quod ſi legas, vt eſt in libris impreſſis,* nam ſi eſt aliquid ante illum factum, &c. *non videtur facere cum eo, quod ſupra dixit: illud enim ſatis erat, ſi concederemus materiam ſimul cum Deo fuiſſe, & factam à Deo non fuiſſe, & contra hoc diſputandum erat Lactantio. nam illud, quod materia ante Deum fuerit, nemo, quod ſciã, ex philoſophis alicuius nominis dixit. illi enim, qui æternitatem docuerunt, ſimul Deum & materiam fuiſſe, hoc eſt ſemper fuiſſe, dixerunt.*

B *h* Niſi fuerit rationi præuiſum, aut quemadmodum fiat antequam eſt, aut quemadmodum conſtet.] *Legitur in libris typis excuſis,* niſi fuerit ratione prouiſum & quemadmodum fiat antequam eſt, & quemadmodum conſtet, &c. *habet vterque codex ſancti Saluatoris, cum quibus tres Vaticani concordant. & ſanè ita legendum eſt, quia disiunctiones hic locum habere non poſſunt.*

i Idem etiam Pythagorici.] *Legitur in libris impreſſis.* Id enim Pythagoræi. *habet vterque codex ſancti Saluatoris, cum quibus tres Vaticani concordant. & ſane ita legendum eſſe, ipſe orationis ordo demonſtrat.*

k Qui ſunt principes omnis diſciplinæ.] *Habetur in libris typis excuſis.* quæ ſunt principes omnium diſciplinæ, *habet vterque codex ſancti Saluatoris, cum quibus duo Vaticani concordant. quod mihi probatur, quia ante non tam Principes ipſos philoſophorum retulit, quam ipſas principes ſectas, & familias philoſophorum.*

C *l* Quam materiæ prouidentia conglobatam.] *Legitur in libris impreſſis.* quàm materiæ prouidentiam conglobatam, *habet antiquus codex, cum quo tres Vaticani concordant. prouidentiam autem cum materia conglobatam ait ille, qui prouidentiam eodem tempore cum materia fuiſſe exiſtimat: & putat nihil potuiſſe efficere prouidentiam, niſi ante, vel ſimul materiam habuiſſet. in quo quidem multum prouidentiæ detrahitur. hoc vero genere ſermonis vtitur ſæpe M. Tullius in libro de fato: fatum globum cauſarum inuicem dependentium appellans.*

m Sole nondum inſtituto.] *Erat in libris impreſſis.* Solo nondum inſtituto, *habet codex antiquus, quod mihi probatur: quia optime conuenit cum ijs, quæ continenter ſequuntur: vt e frugibus, nec animalibus natu. quæ omnia in ſolo verſantur.*

De mundo, eiuſq; partibus, elementis, & tempeſtatibus,

CAPVT IX.

NVnc quoniam refutauimus eos, qui de mundo & factore eius Deo aliter ſentiunt, quàm veritas habet; ad diuinam mundi fabricam reuertamur: de qua in arcanis ſanctæ religionis literis traditur. Fecit igitur Deus
D primum omnium cælum, & in ſublime ſuſpendit: quòd eſſet ſedes ipſius Dei conditoris. Deinde terram fundauit, ac cælo ſubdidit: quam homo cum cæteris animalium generibus incoleret. Eam voluit humore circunflui, & contineri. Suum verò habitaculum diſtinxit claris luminibus, & impleuit; ſole ſcilicet, lunæque orbe fulgenti, & aſtrorum micantium ſplendentibus ſignis adornauit: tenebras autem, quod eſt his contrarium, conſtituit in terra. nihil enim per ſe continet luminis, niſi accipiat à cælo, in quo poſuit lucem perennem, & ſuperos & vitam perpetuam: & contrà in terra tenebras, inferos, & mortem. Tanto enim hæc ab illis ſuperioribus diſtant, quantum mala à bonis, & vitia à virtutibus. Ipſius quoque terræ binas partes contrarias inter ſe, diuerſaſq; conſtituit, ſcilicet orientem, occidentemq;, ex quibus à oriens, Deo * cenſetur; quia ipſe luminis fons, & illuſtrator eſt rerum, & quod oriri nos faciat ad vitam ſempiternam. Occidens autem conturbatæ illi, prauæque menti adſcribitur; quòd lumen abſcondat; quòd tenebras ſemper inducat; & quòd homines faciat occidere, atq; interire peccatis. Nam ſicut lux orientis eſt; *al. adorirent.*

E in luce autẽ vitæ ratio verſatur: ſic occidentis tenebræ ſunt: in tenebris autem & mors, & interitus continetur. Deinde alteras partes eadem ratione dimenſus eſt, meridiem, ac ſeptentrionem, quæ partes illis duabus ſocietate iunguntur. Ea enim, quæ eſt Solis calore flagrantior, proxima eſt, & cohæret orienti. At illa, quæ frigoribus, & perpetuo gelu torpet, eiuſdem eſt, cuius extremus occaſus. Nam ſicut contrariæ ſunt lumini tenebræ, ita frigus calori. Vt igitur calor lumini eſt proximus, ſic meridies orienti: vt frigus tenebris, ita plaga eſt ſeptentrionis occaſui. Quibus ſingulis partibus ſuum tempus attribuit. Ver ſcilicet orienti, æſtas meridionali plagæ, occidenti autumnus eſt, ſeptentrioni hyems. In his quoque duabus partibus, * meridionali, & ſeptentrionali, figura vitæ & mortis continetur: quia vita in calore eſt, mors in frigore. ſicut autem calor ca igne eſt, ita frigus ea aqua. Secundum harum partium dimenſionem, diem quoq; fecit, ac noctem; qui ſpatia, & orbes temporum perpetuos, ac volubiles, quos vocamus annos, alterna per vices ſucceſſione cõficiant. dies, quem primus Oriens ſubminiſtrat; Dei ſit, neceſſe eſt, vt omnia, quæcunque meliora ſunt. Nox autem, quam Occidens extremus inducit, eius, ſ. quem Dei eſſe æmulum dicimus. Quæ duo præſcitia futurorum Deus fecit vt ex ijs & veræ religionis, & falſarum ſuperſtitionum imago quædam oſtenderetur. Nam ſicut ſol, qui oritur in die, licet ſit vnus, vnde ſolem eſſe appellatum Cicero vult videri; quòd obſcuratis ſideribus, ſolus appareat. tamen quia verum, ac perfectæ plenitudinis lumen eſt, & calore * potiſſimo, & fulgore clariſſimo illuſtrat omnia: ita in Deo, licet ſit vnus, & maieſtas, & virtus, & claritudo perfecta eſt. Nox autem, quam prauo illi antitheo dicimus attributam, eius ipſius multas, & varias religiones per ſimilitudinem demonſtrat. Quamuis enim ſtellæ innumerabiles micare, ac radiare videantur: tamen, quia non ſunt plena, ac ſolida lumina; nec caloris * perferunt quicquam, nec tenebras multitudine ſua vincunt. Duo igitur illa principalia inueniuntur, quæ diuerſam, & contrariam ſibi habent poteſtatem: calor, & humor, quæ mirabiliter Deus ad ſuſtentanda, & gignenda omnia excogitauit. Nam cùm virtus Dei ſit in calore, & igni: niſi ardorem, vimq; eius admiſta humoris, ac frigoris materia temperaſſet; nec naſci quicquam, nec cohærere potuiſſet: quin ſtatim conflagratione interiret, quicquid eſſe cœpiſſet. Vnde & philoſophi quidam, & poetæ diſcordi concordia mundum conſtare dixerunt: ſed rationem penitus non viderunt. Heraclitus ex igne nata eſſe omnia dixit; Thales Mileſius ex aqua. Vterque vidit aliquid: ſed errauit tamen vterque: quod alterutrum ſi ſolum fuiſſet, neque aqua naſci ex igne potuiſſet, neque rurſus ignis ex aqua. Sed eſt verius, ſimul ex vtroque permiſto cuncta generari. Ignis quidem permiſceri cum aqua non poteſt: quia ſunt vtraque inimica, & ſi cominus venerint, alterutrum, quod ſuperauerit, conficiat alterum, neceſſe eſt: ſed eorum ſubſtantiæ permiſceri poſſunt. Subſtantia ignis, calor eſt, aquæ, humor. Rectè igitur Ouidius:

al. meridiana. F *al. potentiſſimo.* *al. præferunt.* G H

Quippe, vbi temperiem ſumpſere humorq́;, calorq́;,
Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumq; ſit ignis aquæ pugnax: vapor humidus omnes
Res creat. & diſcors concordia fœtibus apta eſt.

Alterum enim quaſi maſculinum elementum eſt, alterum quaſi fœmininum, alterum actiuum, alterum patibile. Ideoque à veteribus inſtitutum eſt, vt ſacramento ignis, & aquæ nuptiarum fœdera ſanciantur; quòd fœtus animantium calore, & humore corporentur, atq; animentur ad vitam. Cùm enim conſtet omne animal ex anima, & corpore: materia corporis in humore eſt, animæ in calore, quod ex auium fœtibus datur ſcire: quos craſſi humoris plenos, niſi opifex calor fouerit, nec humor à poteſt * corporare, nec corpus * animare. Exulibus quoque ignis, & aqua interdici ſolebat. adhuc enim videbatur nefas, quamuis malos tamen, homines ſupplicio capitis afficere. Interdicto igitur vſu earum rerum, quibus vita conſtat hominum, perinde habebatur, ac ſi eſſet, qui eam ſententiam acceperat, morte multatus. adeò iſta duo elementa prima ſunt habita, vt nec ortum hominis, nec ſine his vitam crediderint *al. corporari.* *al. animare.*

A diderint poſſe conſtare. Horum alterum nobis commune eſt cum cæteris animantibus: alterum ſoli homini datum. Nos enim quoniam cæleſte, atque immortale animal ſumus, igne vtimur: qui nobis in argumentum immortalitatis datus eſt: quoniam ignis è cælo eſt. cuius natura, quia mobilis eſt, & ſurſum oritur, vitæ continet rationem. Cætera verò animalia, quoniam tota ſunt mortalia, tantummodo aqua vtuntur, quod eſt elementum
al. immobilis. corporale, atque terrenum. Cuius natura, [c] quia * mobilis eſt, ac deorſum vergens, figurā mortis oſtendit. Ideo pecudes neque in cælum ſuſpiciunt, neque religiones ſentiunt, quoniam ab his vſus ignis alienus eſt. Vnde autem, vel quomodo Deus hæc duo principalia, ignem, & aquam vel accenderit, vel eliquauerit, ſolus ſcire poteſt, qui fecit.

Scholia.

a Oriens Deo ſimilis cenſetur] *habent libri impreſſi.* Oriens Deo adcenſetur, *legendum eſt auctoritate antiquorum codicum. Significat autem idem, quod adſcribitur, & attribuitur:*
B *quod, cum aliqui non intelligerent, abſtulerunt ad, vt maneret cenſetur, & addiderunt ſimilis, vt aliquem ſenſum poſſent elicere. quod autem ſic legendum exiſtimem, facit, quia poſtea de occidente ait: occidens autem conturbatæ illi, prauæque menti adſcribitur.*
b Poteſt corporare, nec corpus animare] *legitur in libris impreſſis.* nec humor poteſt corporari, nec corpus animari, *habet vterque codex ſancti Saluatoris, cum quibus tres Vaticani conueniunt. ſenſus vero eſt, in aniбus humorē ad craſſitiem ſuam non poſſe corporari, nec corpus poſſe animari, niſi fotu caloris hoc in ipſis fiat,*
c Quia immobilis eſt ac deorſum vergens] *habet antiquus codex, in quo cum prius eſſet ſcriptum mobilis, fuit additum, in, vt eſſet immobilis, quod mihi placet, quia re vera aqua ex ſui natura quieta eſt, & immobilis, niſi vi ventorum agitetur. ex eo etiam, quod cum morte comparatur, debet dici immobilis, quia mortem nemo vnquam dixit eſſe mobilem.*

De animantibus, homine, Prometheo, Deucalione, Parcis.

C
Capvt X.

Conſummato igitur mundo, animalia varii generis diſſimilibus formis, & magna, & minora vt fierent, imperauit. Et facta ſunt bina; id eſt diuerſi ſexus ſingula: ex quorum fœtibus & aer, & terra, & maria completa ſunt. Deditque his omnibus generatim Deus alimenta de terra, vt vſui hominibus eſſe poſſent: alia nimirum ad
al. veſtitū. cibos, alia verò ad † veſtimentum: quæ autem magnarum ſunt virium, vt in excolenda terra iuuarent, vnde dicta ſunt iumenta. Ita rebus omnibus mirabili deſcriptione compoſitis regnum ſibi æternum parare conſtituit: & innumerabiles animas procreare, quibus immortalitatem daret. Tum fecit ipſe ſibi ſimulachrum ſenſibile, atque intelligens, id eſt ad imaginis ſuæ formam, qua nihil poteſt eſſe perfectius: hominem figurauit ex limo terræ. vnde homo nuncupatus eſt: quòd ſit factus ex humo. Denique Plato humanam formam θεοειδῆ eſſe ait: & Sibylla,
D quæ dicit:

Εἰκὼν ἔστ' ἄνθρωπος ἐμὴ λόγῳ ὀρθὸν ἔχουσα.

De hac hominis fictione poetæ quoque, quamuis corruptè, tamen non aliter tradiderunt. namque hominem de luto à Prometheo factum eſſe dixerunt. Res eos non fefellit. ſed nomen artificis. Nullas enim literas veritatis attigerant: ſed quæ prophetarum vaticinio tradita, in ſacrario Dei continebantur: ea de fabulis & obſcura opinione collecta & deprauata, vt veritas à vulgo ſolet variis ſermonibus diſſipata corrumpi, nullo non addente aliquid ad id, quod audierant, carminibus ſuis comprehenderunt. & hoc quidem ineptè: quòd tam mirabile, tamq; diuinum opificium homini dederunt. Quid enim opus fuit, hominem de luto fingi, cùm poſſet eadem ratione generari, qua ipſe Prometheus ex Iapeto natus eſt? qui ſi fuit homo, generare hominem potuit, facere non potuit. De Deus autem illum non fuiſſe, pœna eius in Caucaſo monte declarat. Sed neque patrem ipſius Iapetum, patruumque Titana quiſquam Deos nuncupauit: quia re- E
gni ſublimitas penes Saturnum ſolum * fuerit: per quam al. fuit.
diuinos honores cum omnibus ſuis poſteris conſecutus eſt. Multis argumentis hoc figmentum poetarum coargui poteſt. Factum eſſe diluuium ad perdendam, tollendamque ex orbe terræ malitiam, conſtat inter omnes. Idem enim & philoſophi, poetæ, ſcriptoreſque rerum antiquarum loquuntur; in eoque maximè cum prophetarum ſermone conſentiunt. Si ergo cataclyſmus à Deo ideo factus eſt, vt malitia, quæ per nimiam multitudinē increuerat, perderetur: quomodo fictor hominis Prometheus fuit? cuius filium Deucalionem iidem ipſi ob iuſtitiam ſolum eſſe dicunt ſeruatum. quomodo vnus gradus, & vna progenies orbem terræ tam celeriter potuit hominibus implere? Sed videlicet hunc quoque ſic corruperunt, vt illud ſuperius: cū ignorarent, in quo tempore cataclyſmus ſit factus in terra: & quis ob iuſtitiam meruerit genere humano pereunte ſaluari; & quomodo, aut cum quibus ſeruatus ſit: quæ omnia propheticæ literæ docent. Ap- F
paret ergo falſum eſſe, quod de opificio iidem Promethei narrant. Verùm quia poetas dixeram non omnino mentiri ſolere, ſed figuris inuoluere, & obſcurare quæ dicant: non dico eſſe mentitos, ſed primum omnium Prometheum ſimulacbrum hominis formaſſe de pingui, & molli luto, ab eoque natam primo artem, & ſtatuas, & ſimulachra fingendi. ſiquidem Iouis temporibus fuit, quibus primum templa conſtituit: & noui Deorum cultus eſſe cœperunt. ſic veritas fucata mendacio eſt: & illud, quod à Deo factum ferebatur, homini, qui opus diuinum imitatus eſt, etiam cœpit adſcribi. Cæterùm fictio veri, ac viui hominis è limo, Dei eſt, quod Hermes quoque tradit: qui non tantùm hominem ad imaginem Dei factum eſſe dixit à Deo: ſed etiam illud explanare tentauit, quàm ſubtili ratione ſingula quæque in corpore hominis membra formauerit, cum eorum nihil ſit, quod non tantumdem ad vſus neceſſitatem, quantum ad pulchritudinem valeat. Id verò etiam Stoici, cùm de prouidentia diſſerunt, facere conantur: & ſecutus eos Cicero pluribus quidem locis. Sed tamen materiam tam copioſam, & vbe- G
rem ſtrictim contigit. quam ego nunc iccirco prætereo, quia nuper proprium de ea re librum ad Demetrianum auditorem meum ſcripſi. Illud hoc loco præterire non poſſum; quòd errantes philoſophi quidam aiunt, homines, cæteraque animalia ſine vllo artifice orta eſſe de terra. vnde illud Virgilianum eſt:

Terreaq; progenies duris caput extulit aruis.

& ij maximè fuerunt in ea ſententia, qui eſſe prouidentiam negant. Nam Stoici animantium fabricam diuinæ ſolertiæ tribuunt. Ariſtoteles autem labore ſe, ac moleſtia liberauit, dicens, ſemper mundum fuiſſe: itaque & humanum genus, & cætera, quæ in eo ſunt, initium non habere, ſed fuiſſe ſemper, ac ſemper fore. Sed cum videamus, ſingula quæque animalia, quæ ante non fuerant, incipere eſſe, & eſſe deſinere: neceſſe eſt, totum genus ali- H
quando eſſe cœpiſſe, & aliquando deſiturum eſſe, quia cœperit. Omnia enim tribus temporibus contineri neceſſe eſt, præterito, præſenti, & futuro. Præteriti eſt origo, præſentis ſubſtantia, futuri diſſolutio. Quæ omnia in ſingulis hominibus apparent. & incipimus enim, cùm naſcimur: & ſumus, cùm viuimus: & deſinimus, cum interimus. Vnde etiam tres Parcas eſſe voluerunt: vnam, quæ vitam hominibus ordiatur: alteram, quæ contexat: tertiam, quæ rumpat, ac finiat. In toto autem genere hominum quia ſolum præſens tempus apparet: ex eo tamen & præteritum, id eſt, origo colligitur; & futurum, id eſt, diſſolutio. Nam quoniam eſt, apparet aliquando cœpiſſe. eſſe enim nulla res ſine exordio poteſt. & quia cœpit, apparet quandoque deſitura. Nec enim poteſt id totum eſſe immortale, quod ex mortalibus conſtat. Nam ſicut vniuerſi per ſingulos interimus: fieri poteſt, vt aliquo caſu omnes ſimul, vel ſterilitate terrarum, quæ accidere particulatim ſolet, vel peſtilentia vbique diffuſa, quæ ſingulas vrbes, atque regiones plerunque populatur; vel in-

A cendio in orbem miſſo, quale iam fuiſſe ſub Phaetonte dicitur: vel diluuio aquarum, quale ſub Deucalione traditur, cum præter vnum hominem genus omne deletum eſt. Quod diluuium ſi caſu accidit, profectò potuit accidere, vt & vnus ille, qui ſupeſuit, interiret. Si autem diuinæ prouidentiæ nutu, quod negari non poteſt, ad reparandos homines reſeruatus eſt: apparet, in Dei poteſtate eſſe vel vitam, vel interitum generis humani. quod ſi poteſt occidere in totum: quia per partes occidit: apparet, aliquando eſſe ortum: & vt fragilitas initium, ſic declarat & terminum. Quæ ſi vera ſunt: non *potuit defendere Ariſtoteles, quò minus habuerit & mundus ipſe principium. quod ſi Ariſtoteli Plato, & Epicurus extorquent: & Platoni, & Ariſtoteli, qui ſemper fore mundum putauerunt, licet ſint eloquentes, *ingrate tamen idem Epicurus eripiet, quia ſequitur, vt habeat & finem. Sed hæc in vltimo libro pluribus exequemur. Nunc ad hominis originem recurramus.

al. potuit.

al. ingrate

B

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

ἀνὴρ, &c. i. *Imago eſt homo mea rationem rectam habens.*

De animantium ortu, & hominum.

CAPVT XI.

AIunt, certis conuerſionibus cæli, & aſtrorum motibus maturitatem quandam extitiſſe animalium ſerendorum: itaque terram nouam ſemen genitale retinentem, folliculos ex ſe quoſdam in vterorum ſimilitudinem protuliſſe. de quibus Lucretius:

Creſcebant vteri terræ radicibus apti.

eoſque, cùm maturaſſent, natura cogente ruptos animalia tenera profudiſſe. Deinde terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe: eoque alimento animantes eſſe nutritos. a Quomodo *autem vim frigoris, aut caloris ferre, aut vitare potuerunt: aut omnino naſci, cùm ſol exureret, frigus aſtringeret? Non erant, inquiunt, in principio mundi hyems, & æſtas, ſed perpetua temperies, & ver æquabile. Cur ergo nihil horum fieri etiam nunc videmus? Quia ſemel, aiunt, fieri neceſſarium fuit, vt animalia naſcerentur. poſtquam verò eſſe cœperunt; conceſſa his facultate generandi, & terra parere deſiit, & temporis conditio mutata eſt. O quam facile eſt, mendacia redarguere! Primùm, quòd nihil poteſt eſſe in hoc mundo, quod non ſic permaneat, vt cœpit. nec enim ſol & luna, & aſtra tunc non erant: aut cùm eſſent, meatus non habebant, aut non diuina moderatio, quæ curſus eorum temperat, & gubernat, cum ipſis ſimul cœperit. Deinde, quòd ſi ita ſit, vt dicunt: prouidentiam eſſe, neceſſe eſt, & in idipſum incidunt, quod maximè fugiunt. Nondum enim natis animalibus, aliquis vtique prouidit, vt naſcerentur: ne orbis terræ deſertus atque incultus horreret. vt autem de terra ſine officio parentum naſci poſſent, neceſſe eſt magna ratione eſſe prouiſum: deinde vt humor ille concretus de terra in varias imagines corporum fingeretur: item vt è folliculis, quibus tegebantur, accepta videndi, ſentiendique ratione, tanquam ex aluo matrum profunderentur. Mira, *inexplicabiliſque prouiſio eſt, ſed putemus id quoque caſu accidiſſe: illa certè, quæ ſequuntur, fortuita eſſe non poſſunt: vt terra continuo lacte manaret: vt aeris temperies eſſet æqualis. Quæ ſi conſtat idcirco eſſe facta, vt animalia recens edita vel haberent alimentum, vel non haberent periculum: neceſſe eſt, vt aliquis diuina neſcio qua ratione prouiderit. quis autem poteſt prouidere, niſi Deus? Videamus tamen, an idipſum, quod dictitant, fieri potuerit: vt homines naſcerentur è terra. Si conſideret aliquis, quamdiu, & quibus modis educetur infans: intelliget profectò, non potuiſſe terrigenas illos pueros ſine vllo educatore nutriri. Fuit enim neceſſe, quampluribus menſibus iacere proiectos, donec confirmatis neruis mouere ſe, locumque mutare poſſent. quod vix intra vnius anni ſpatium fieri poteſt. Iam, vide vtrumne infans eodem modo, & eodem loco, quo eſt effuſus, iacere per multos menſes valuerit. An non humore illo terræ, quod alimenti gratia miniſtrabat, & ſui corporis purgamentis in vnum mixtis obrutus, corruptuſque moreretur? Itaque nullo modo fieri poteſt, quin ab aliquo fuerit educatus. niſi fortè animalia omnia non tenera nata ſunt, ſed excreta. quod vt dicerent, nunquam venit illis in mentem. Omnis ergo illa ratio impoſſibilis, & vana eſt: ſi tamen ratio dici poteſt, qua id agitur, vt nulla ſit ratio. Qui enim dicit omnia ſua ſponte eſſe nata: nihilque diuinæ prouidentiæ tribuit: hic profectò rationem non aſſerit, ſed euertit. Quòd ſi neque quicquam fieri ſine ratione, neque naſci poteſt: apparet diuinam eſſe prouidentiam: cuius eſt proprium, quod dicitur ratio. Deus igitur rerum omnium machinator fecit hominem: quod Cicero quamuis expers cæleſtium literarum, vidit tamen; qui libro de Legibus primo, hoc idem tradidit, quod prophetæ. cuius verba ſubieci: Hoc animal prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſſe à ſummo Deo: ſolum eſt enim ex tot animantium generibus, atque naturis, particeps rationis, & cogitationis, cùm cætera ſint omnia expertia. Videſne hominem quamuis longè à veritatis notitia remotum: tamen, quoniam imaginem ſapientiæ tuebatur, intellexiſſe non niſi à Deo hominem potuiſſe generari? Sed tamen diuinis opus eſt teſtimonijs: ne minus humana ſufficiant. Sibylla hominem Dei opus eſſe teſtatur:

C al. igitur.

D

al. inextricabilis.

E

F

> Ὃς μόνος ἐστὶ θεὸς κτίστης ἀκράτητος ὑπάρχων.
> Αὐτὸς δ' ἐστήριξε τύπον μορφῆς μερόπων,
> Αὐτὸς ἔμιξε φύσιν πάντων γενετῆρα βίοιο.

Eadem ſanctæ literæ continent. Deus ergo veri patris officio functus eſt. Ipſe corpus effinxit: ipſe animam, qua ſpiramus, infudit. Illius eſt totum, quicquid ſumus. Quomodo id fecerit, ſi nos oporteret ſcire, docuiſſet, ſicut docuit cætera, quæ cognitionem nobis & priſtini erroris, & veri luminis attulerunt.

G

SCHOLIA.

a Quomodo autem] *Legitur in libris impreſſis.* quomodo igitur, *habet vterque codex ſancti Saluatoris, cum quibus tres codices Vaticani concordant, quod mihi probatur, quia hæc eſt interrogatio quædam ipſius Lactantij, cui ſubnectit reſponſionem de ſententia Epicureorum.*

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

ὃς μόνος, &c. i. *Qui ſolus eſt Deus creator inuictus exiſtens, ipſe autem firmauit figuram formæ, hominumque. Ipſe miſcuit naturam omnium generationis vitæ.*

De hominis ortu, morte, cælo & terra, & peccato primorum parentum, & annis, & menſibus.

H

CAPVT XII.

CVm ergo marem ad ſimilitudinem ſuam primùm finxiſſet, tum etiam fœminam configurauit ad ipſius hominis effigiem: vt duo inter ſe permixti ſexus propagare ſobolem poſſent, & omnem terram multitudine opplere. In ipſius autem hominis fictione, illarum duarum † materiarum, quas inter ſe diximus eſſe contrarias, ignis, & aquæ concluſit, perfecitque rationem. Ficto enim corpore inſpirauit ei animam de vitali fonte ſpiritus ſui, qui eſt perennis, vt ipſius mundi ex contrarijs conſtantis elementis ſimilitudinem gereret. Conſtat enim ex anima, & corpore, id eſt, quaſi è cælo & terra. quandoquidem anima, qua viuimus, velut è cælo oritur à Deo: corpus è terra, cuius è limo diximus eſſe formatum. Empedocles, quem

al. materiarum.

A neſcias vtrumne inter poetas, an inter philoſophos nomines, quòd de rerum natura verſibus ſcripſit, vt apud Romanos Lucretius, & Varro: quatuor elementa conſtituit, id eſt, Ignem, Aerem, Aquam, & Terram, fortaſſe Triſmegiſtum ſecutus, qui noſtra corpora ex his quatuor elementis conſtituta eſſe dixit à Deo. habere namque in ſe aliquid ignis, aliquid aeris, aliquid aquæ, aliquid terræ: & neque igneum eſſe, neque aerem, neque aquam, neque terram. quæ quidem falſa non ſunt. Nam terræ ratio in carne eſt: humoris, in ſanguine: aeris, in ſpiritu: ignis, in calore vitali. Sed neque ſanguis à corpore ſecerni poteſt, ſicut humor à terra, neque calor vitalis à ſpiritu, ſicut ignis ab aere. adeo rerum omnium duo ſola reperiuntur elementa. quorum omnis ratio in noſtri corporis fictione concluſa eſt. Ex rebus igitur diuerſis, ac repugnantibus homo factus eſt, ſicut ipſe mundus ex luce, ac tenebris, ex vita, & morte. quæ duo inter ſe pugnare in homine præcepit: vt ſi anima ſuperauerit, quæ ex Deo oritur, ſit immortalis, & in perpetua luce verſetur: ſi autem corpus vicerit B animam, ditionique ſubiecerit: ſit in tenebris ſempiternis, & in morte. Cuius non ea vis eſt, vt iniuſtas animas extinguat omnino, ſed vt puniat in æternum. Eam pœnam, ſecundam mortem nominamus: quæ eſt & ipſa perpetua ſicut & mortalitas. Primam ſic definimus: Mors eſt naturæ animantium diſſolutio. vel ita: Mors eſt corporis, animæque ſeductio. Secundam verò ſic: Mors eſt æterni doloris perpeſſio. vel ita: Mors eſt animarum pro meritis ad æterna ſupplicia damnatio. Hæc mutas pecudes non attingit: quarum animæ non ex Deo conſtantes, ſed ex communi aere, morte ſoluuntur. In hac igitur ſocietate cæli, atque terræ, quorum effigies in homine expreſſa eſt, ſuperiorem partem tenent ea, quæ ſunt Dei, anima ſcilicet, quæ dominium corporis habet: *a* inferiorē autem ea, quæ ſunt diaboli, corpus vtique. quod quia terrenum eſt: animæ debet eſſe ſubiectum, ſicut terra cælo. *b* Eſt enim quaſi vaſculum, quo tanquam domicilio temporali ſpiritus cæleſtis vtatur: vtriuſq; officia ſunt, vt hoc, quod eſt ex cælo, & Deo, imperet: illud verò, quod ex terra * eſt, diabolo ſeruiat. Quod quidem non fugit hominem C nequam Salluſtium, qui ait: Sed omnis noſtra vis in animo, & corpore ſita eſt. animi imperio, corporis ſeruitio, magis vtimur. Rectè, ſi ita vixiſſet, vt locutus eſt. Seruiuit enim fœdiſſimis voluptatibus: ſuamque ipſe ſententiam vitæ prauitate diſſoluit. Quòd ſi anima ignis eſt, vt oſtendimus: in cælum debet eniti, ſicuti ignis, ne extinguatur, hoc eſt, ad immortalitatem, quæ in cælo eſt. Et ſicut ardere, ac viuere non poteſt ignis, niſi aliqua pingui materia teneatur, in qua habeat alimentum: ſic animæ materia, & cibus eſt ſola iuſtitia, qua tenetur ad vitam. Poſt hęc Deus hominem, qua expoſuimus ratione generatum, poſuit in Paradiſo, id eſt, in horto fœcundiſſimo, & amœniſſimo: quem in partibus Orientis omni genere ligni, arborumque * conſeruit; vt ex earum varijs fructibus aleretur, expersque omnium laborum, Deo patri ſumma deuotione ſeruiret. Tum dedit ei certa mandata: quæ ſi obſeruaſſet, immortalis maneret: ſi tranſcendiſſet, morte afficeretur. Id autem præceptum fuit, vt ex arbore vna, quæ fuit in medio Paradiſi, non guſtaret: in qua poſuerat intel- D ligentiam boni, & mali. Tum criminator ille inuidens operibus Dei, omnes fallacias, & calliditates ſuas ad decipiendum hominem intendit: vt ei adimeret immortalitatem. Et primo mulierem dolo illexit, vt vetitum cibum ſumeret: & per eam ipſi quoque homini perſuaſit, vt tranſcenderet Dei legem. Percepta igitur ſcientia boni, & mali, pudere eum nuditatis ſuæ cœpit, abſconditque ſe à facie Dei: quod antea non ſolebat. *c* * Tum Deus eiecit hominem de Paradiſo, ſententia in peccatores lata, vt victum ſibi labore conquireret: ipſumque Paradiſum igni circumuallauit, ne homo poſſet accedere: donec ſummum iudicium faciat in terra: & iuſtos viros cultores ſuos in eundem locum reuocet morte ſublata: ſicut ſacræ literæ docent, & Sibylla Erythræa, cùm dicit:

οἱ δὲ θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν, ἀέναόν τε
ζωὴν κληρονομοῦσι τὸν αἰῶνος χρόνον αὐτοὶ
οἰκοῦντες παραδείσου ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον.

al. &.

al. conſueuit.

al. Tum Deus ſententia in peccatoreſ lata, eiecit hominem de paradiſo.

E Verùm quoniam hæc extrema ſunt, in extrema operis huius parte tractabimus. Nunc ea, quæ prima ſunt, explicemus. Mors itaque ſecuta eſt hominem ſecundum Dei ſententiam. quod etiam Sibylla in carmine ſuo docet, dicens:

ἄνθρωπον πλασθέντα θεοῦ παλάμαις, ὃν ἐσώπασ'
ἐξαπάτησεν ὄφις δολίως, ἐπὶ μοῖραν ἀπελθεῖν
τοῦ θανάτου, γνῶσίν τε λαβεῖν ἀγαθοῦ τε κακοῦ τε.

Sic facta hominis vita eſt temperantia, ſed tamen longa, quæ in mille annos propagaretur. quod diuinis literis proditum, & per omnium ſcientiam publicatum cùm Varro non ignoraret: argumentari niſus eſt, cur putarentur antiqui mille annos vixiſſe. Ait enim, apud Ægyptios pro annis menſes haberi, vt non Solis per XII. ſigna circuitus faciat annum, ſed luna, quæ orbem illum ſigniferū XXX. dierum ſpatio illuſtrat. quod argumentum perſpicuè falſum eſt. Nemo enim tunc milleſimum annū tranſgreſſus eſt. Nunc verò qui ad centeſimū perueniunt, quod F fit ſæpiſſime: mille ccitè, ac ducentis menſibus viuunt. Et auctores idonei tradunt, ad CXX. annos perueniri ſolere. Sed quia ignorabat Varro, cur, aut quando vita hominis eſſet diminuta: ipſe diminuit: cùm ſciret mille & quadringentis menſibus poſſe viuere hominem.

Scholia.

a Inferiorem autem ea quæ ſunt diaboli, corpus vtique] *hoc loco aperte ſpiritum refert ad Deum, & corpus ad diabolū: quod, ſi benignum volumus interpretari, præſertim cum antea Lactantius clare dixerit omnia à Deo eſſe creata, dicere poſſumus, pro corpore intelligi partem illam ſenſitiuam, in qua fomes eſt peccati, quam etiam propterea Apoſtolus nominat peccatum: quo quidem ipſo nomine ad diabolum referenda eſt, cum Deus nullius peccati ſit auctor. Vel dicere poſſumus, loqui hic Lactantium* ὑπερβολικῶς, *quemadmodum ſupra fecit, cum Deo attribuit orientem, diabolo occidentem: & ita etiam hic facere videtur, ad hoc tantum, vt oſtendat corpus animo eſſe deterius. quocunque tamen modo eum defendamus, mihi hic modus loquendi nullo modo placet, & notandum hunc locum puto, vt errorem caueamus.*

G *b* Eſt enim terra quaſi vaſculum] *legebatur in libris impreſſis*, eſt enim quaſi vaſculum, *habet antiquus codex, & deeſt* terra: *quod mihi probatur. quia referendum eſt ad corpus, quod eſt, quaſi vaſculum, quo tanquam domicilio temporali ſpiritus vtatur, vt ipſe continenter adiungit.*

c Tum Deus ſententia in peccatorem lata, eiecit hominem de Paradiſo, vt victum ſibi labore conquireret] *legendum eſt auctoritate antiquorum codicum. in hac enim oratione ponitur primum id, quod re vera præceſſit, ſcilicet latam fuiſſe ſententiam, ob quam homo de Paradiſo eiectus fuit, & cum in ſingulari dicat hominem, non poterat dicere peccatores, præſertim cum per hominem vterque ſexus commode intelligatur.*

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

H οἱ δὲ. &c. i. *Qui autem Deum honorant verum, ſempiternam vitamque vitam hæreditario iure poſſident, per ſeculi tempus ipſi habitantes paradiſum atque peramœnum hortum.*

ἄνθρωπον, &c. i. *Hominem formatum è Dei manibus, quem etiam ſeduxit ſerpens doloſe, vt ad fatum accederet mortis, notionemq; acciperet boni & mali.*

De Noe, & curſibus ſyderum, & ortu falſarum religionum.

Capvt XIII.

DEus autem poſtea, cùm videret orbem terræ malitia & ſceleribus oppletum, ſtatuit humanum genus diluuio perdere: ſed tamen ad multitudinem reparandam

delegit

A delegit vnum, quod corruptis omnibus ſingulare iuſtitiæ ſupererat exemplum. Hic cùm ſexcentorum eſſet annorum, fabricauit arcam, ſicut præceperat ei Deus; in qua ipſe cum coniuge, ac tribus filijs, totidemque nuribus ſeruatus eſt: cùm aqua vniuerſos montes altiſſimos operuiſſet. Deinde orbe ſiccato, execratus iniuſtitiam prioris ſeculi Deus, ne rurſus longitudo vitæ, cauſa eſſet excogitandorum malorum; paulatim per ſingulas progenies diminuit hominis ætatem, * atque in centum & 20. annis metam collocauit, quam tranſgredi non liceret. Ille verò, cùm egreſſus eſſet ex arca, vt ſanctæ literę docent, terram ſtudioſè coluit, atque vineam ſua manu ſeuit. Vnde arguuntur, qui auctorem vini Liberum putant. Ille enim non modò Liberum, ſed etiam Saturnum, atque Vranum multis anteceſſit ætatibus, qua ex vinea cùm primum fructum cepiſſet; lætus factus, bibit vſque ad ebrietatem, iacuitque nudus. Quod cùm vidiſſet vnus ex filijs, cui nomen fuit Cham: non texit patris nuditatem; ſed egreſſus, etiam fratribus indicauit. At illi ſumpto pallio, intrauerunt auerſis vultibus, patremque texerunt. Quæ cùm facta recognouiſſet pater: abdicauit, atque expulit filium. At ille profugus in eius terræ parte conſedit, quæ nunc Arabia nominatur. eaque terra de nomine ſuo Chanaan dicta eſt: & poſteri eius Chananæi. Hæc fuit prima gens, quæ Deum ignorauit: quoniam princeps eius, & conditor cultum Dei à patre non accepit, maledictus ab eo. itaque ignorantiam diuinitatis minoribus ſuis reliquit. Ab hac gente proximi quique populi multitudine increſcente fluxerunt. Ipſius autem patris poſteri, Hebræi dicti: penes quos religio Dei reſedit. ſed & ab his poſtea multiplicatis in immenſum numero, cum eos anguſtiæ locorum ſuorum capere non poſſent: tum adoleſcentes vel miſſi à parentibus, vel ſua ſponte, cùm rerum penuria cogeret, profugi ad quærendas ſibi nouas ſedes, huc atque illuc diſperſi, omnes inſulas, & orbem totum repleuerunt; & à ſtirpe ſanctæ radicis auulſi, nouos ſibi mores, ac inſtituta pro arbitrio condiderunt. Sed omnium primi Ægyptum occupauerunt: cœleſtia ſuſcipere, atque adorare cœperunt. Et quia neque domicilijs tegebantur propter aeris qualitatem, a nec enim vllis in ea regione nubibus ſubtexitur cœlum: curſus ſiderum, & defectus notauerunt: dum ea ſæpè venerantes, curioſius, atque liberius intuentur. Poſtea deinde portentificas animalium figuras, quas colerent, commenti ſunt, quibuſdam prodigijs inducti, quorũ mox auctores aperiemus. Cæteri autẽ, qui per terram diſperſi fuerunt, admirantes elementa mundi, cœlum, ſolem, terram, mare, ſine vllis imaginibus, ac templis venerabantur: & his ſacrificia in aperto celebrabant, donec proceſſu temporum potentiſſimis regibus templa, & ſimulachra fecerunt: eaque victimis, & odoribus colere inſtituerunt, ſic aberrantes à notitia Dei, gentes eſſe cœperunt. Errant igitur, qui Deorum cultus ab exordio rerum fuiſſe contendunt, & priorem eſſe gentilitatem, quã Dei religionem, quam putant poſterius inuentam: quia fontem, atque originem veritatis ignorant. Nunc ad principium mundi reuertamur.

Diſſentiunt ab hac Lactantij opinione, quę etiam fuit Ioſephi, S. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Gen. 6. S. Chryſoſtomus Homil. 20 in Geneſ. & plerique fermè omnes. vide Sixtum lib. 5. Biblioth. annotat. 75. & Recentiores interpretes in 6. Gen.

B

C

D

Scholia.

a Nec enim vllis in ea regione &c.] *erat in libro impreſſo.* nec vllis in ea regione, *habet vterque codex ſancti Saluatoris, cum quibus tres Vaticani concordant: & vacat* enim, *neque debet eſſe vlla parentheſis, vt oratio rectè ſequatur. non ſunt autem in illis regionibus imbres, quia Nili inundatione Deus illis prouidit.*

De dæmonibus.

Capvt XIIII.

[*Circumſpectè legendum hoc caput: nam nonnullos perſpicuos errores Lactantius implicat. Primus eſt, Deum ab initio tribuiſſe Diabolo terræ poteſtatem. Secundus, Angelos non miſſos ad hominum tutelam, niſi poſtquam genus humanum cœpiſſet increſcere. Tertius, præcepiſſe Deum bonis Angelis ne terræ contagione macularentur, ne ſubſtantiæ cœleſtis amitterent dignitatem. Quartus, Diabolum paulatim pellexiſſe bonos Angelos ad vitia, & eos mulierum congreſſibus inquinaſſe. Quintus, hoc eſſe peccatum ob quod Angeli è cœlo ceciderint. Sextus, ex congreſſu illo Angelorum cum fœminis natum eſſe tertium genus eorum, qui neque Angeli cœleſtes, neque homines, neque Dæmones inferni fuêre: ſed ſobolem quandam terreſtrium dæmonum, qui ſunt hominum tentatores, deceptores, magicarum artium, & humanarum calamitatum, ac malorum auctores. Sunt omnia iſta dogmata abſurda, erronea, & à ſincera Theologorum doctrina prorſus aliena.* Conſule Sixtum lib. 5. Biblioth. annotat. 77. & alios interpretes cap. 6. Geneſeos.]

E

Cvm ergo numerus hominum cœpiſſet increſcere; prouidens Deus, ne fraudibus ſuis Diabolus, cui ab initio terræ dederat poteſtatem, vel corrumperet, a vel diſpergeret homines, * quos in exordio rerum fecerat: miſit angelos ad tutelam, cultumque generis humani. quib. quia liberum arbitrium erat datum, præcepit ante omnia, ne terræ contagione maculati, ſubſtantiæ cœleſtis amitterent dignitatem. ſcilicet id eos facere prohibuit, quòd ſciebat eſſe facturos, vt veniam ſperare non poſſent. Itaque illos cum hominibus commorantes dominator ille terræ fallaciſſimus, conſuetudine ipſa paulatim ad vitia pellexit, & mulierum congreſſibus inquinauit. Tum in cœlum ob peccata quibus ſe immiſerant, non recepti, ceciderunt in terram. ſic eos diabolus ex Angelis Dei ſuos fecit ſatellites, ac miniſtros. Qui autem ſunt ex his procreati: quia neque angeli, neque homines fuerunt, ſed mediam quandã naturam gerentes: non ſunt ad inferos recepti, ſicut in cœlum parentes eorum. Ita duo genera dęmonum facta ſunt, vnum cœleſte, alterum terrenum. Hi ſunt immundi ſpiritus malorum, quæ geruntur, auctores. quorum idem Diabolus eſt princeps. Vnde Triſmegiſtus illum δαιμονιάρχην vocat. Dæmonas autem grammatici dictos aiunt, quaſi δαήμονας, id eſt, peritos, ac rerum ſcios. hos autẽ putant Deos eſſe. Sciunt illi quidem futura multa, ſed nõ omnia: quippe quibus penitus conſilium Dei ſcire non licet, & ideo ſolent reſponſa in ambiguos exitus temperare. Eos poetæ & ſciunt eſſe dæmonas, & loquuntur. Heſiodus ita tradit.

al. diſperderet.

al. quod.

F

οἱ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
ἐσθλοὶ ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

G

Quod idcirco verum eſt: quoniam cuſtodes eos humano generi Deus miſerat. ſed ipſi, cùm ſint perditores hominum; cuſtodes tamen ſe videri volunt, vt ipſi colantur, & Deus non colatur. Philoſophi quoque de his diſſerunt. Nã Plato etiam naturas eorum in ſympoſio exprimere conatus eſt. Et Socrates eſſe circa ſe aſſiduum dæmona loquebatur: qui ſibi puero adhæſiſſet: cuius arbitrio, & nutu ſua vita regeretur. Magorum quoque ars omnis, ac potentia horum aſpirationibus conſtat. à quibus inuocati, viſus hominum præſtigijs obcæcantibus fallunt; vt nõ videant ea, quæ ſunt: & videre ſe putent illa, quæ non ſunt. Hi, vt dico, ſpiritus contaminati, ac perditi per omnem terram vagantur: & ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur. itaque omnia inſidijs, fraudibus, dolis, erroribus complent. adhærent enim ſingulis hominibus: & omnes oſtiatim domos occupant: ac ſibi geniorum nomen aſſumunt. ſic enim Latino ſermone dæmonas interpretantur. Hos in ſuis penetralibus * conſecrant. his quotidie † profundunt: & ſcientes, dæmonas venerantur, quaſi terreſtres Deos, & quaſi depulſores malorum, quę ipſi faciunt & irrogant. Qui quoniam ſunt ſpiritus tenues, & incomprehenſibiles: inſinuant ſe corporibus hominum: & occultè in viſceribus * operti valetudinem vitiant, morbos citant: ſomnijs animos terrent: mentes furoribus quatiunt: vt homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.

H

al. collocant.

al. procumbunt

al. operati.

Scholia.

a Vel diſpergeret homines, quos in exordio rerum fecerat] *legitur in libro impreſſo.* vel, vt perderet homines, quod in exordio rerum fecerat, *habet antiquus codex, cum quo quinque Vaticani conueniunt. referendum autem eſt ad peccatum originis, in quo omnes peccauimus, & periremus, niſi nos Chriſtus ſua benignitate liberaſſet. poſt quæ verba ait Angelos ſeſe cum mulieribus miſcuiſſe, in quo eſt error manifeſtus, & deteſtandus, in quem multi antiqui ſcriptores lapſi ſunt.*

A

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

&c. i. Siquidem dæmones ſunt Iouis magni propter voluntatem boni terreſtres cuſtodes mortalium hominum.

De dæmonum poteſtate, iiſque ſuperandis.

CAPVT XV.

QVarum omnium fallaciarum ratio expertibus veritatis obſcura eſt. Prodeſſe enim eos putant, cùm nocere deſinunt: qui nihil aliud poſſunt, quàm nocere. Dicat fortaſſe aliquis, colendos eſſe ergo, ne noceant, ſiquidem poſſunt nocere. Nocent illi quidem: ſed iis, à quibus timentur; quos manus Dei potens & excelſa non protegit: qui profani ſunt à ſacramento veritatis. Iuſtos autem, id eſt cultores Dei metuunt: cuius nomine adiurati, de corporibus excedunt, quorum verbis, tanquam

B

flagris verberati, non modò dæmonas ſe eſſe confitentur: ſed etiam nomina ſua edunt, illa, quæ in templis adorantur, & quod plerunque coram cultoribus ſuis faciunt, non vtique in opprobrium religionis, ſed honoris ſui. quia nec Deo, per quem adiurantur: nec iuſtis, quorum voce torquentur, mentiri poſſunt. Itaque maximis ſæpè vlulatibus editis, verberari ſe, & ardere, & iam, iamque exire proclamant. tantum habet Dei cognitio, ac iuſtitia poteſtatis. Cui ergo nocere poſſunt, niſi iis, quos habent in ſua poteſtate? Denique affirmat eos Hermes, qui cognouerint Deum, nō tantùm ab incurſionibus dæmonū tutos eſſe: verum etiam ne fato quidem teneri. [illegible], inquit, [illegible]. Quid ſit autem [illegible], alio loco his verbis teſtatur, dicens: [illegible]. Aſclepius quoque auditor eius, eandem ſententiam latius explicauit in illo ſermone perfecto, quem ſcripſit ad regem. Vterque

C

verò dæmonas eſſe affirmat inimicos, & vexatores hominum: quos ideo Triſmegiſtus ἀγγέλους πονηρούς appellat, adeò non ignorauit ex cæleſtibus deprauatos terrenos eſſe cœpiſſe.

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

Μία, inquit, &c. i. Vna, inquit, cuſtodia, pietas: pium enim hominem nec dæmon malus, nec fatum tenet. nam Deus liberat pium ab omni malo. quod enim vnum, & ſolum in hominibus bonum, eſt pietas.

ἡ γὰρ, &c. i. Pietas enim notitia eſt Dei.

ἀγγέλους, &c. i. Angelos malignos.

De dæmonum fallacibus inuentis, & portentis.

CAPVT XVI.

D

EOrum inuenta ſunt aſtrologia, & aruſpicina, & auguratio, & ipſa, quæ dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica, quicquid præterea malorum exercent homines vel palam, vel occultè. quæ omnia per ſe falſa ſunt: vt Sibylla Erythræa teſtatur:

[illegible]

ſed iidem ipſi auctores præſentia ſua faciunt, vt vera eſſe credantur. Ita hominum credulitatem mentita diuinitate deludunt: quòd illis verum aperire non expedit. Hi ſunt, qui imagines, & ſimulachra fingere docuerunt: qui, vt hominum mentes à cultu veri Dei auerterent, & fictos mortuorum regum vultus, & ornatos, exquiſita pulchritudine ſtatuas, conſecrarique fecerunt: & illorum ſibi nomina quaſi perſonas aliquas * induerunt. Sed eos magi, & ij, quos verè maleficos vulgus appellat, cùm artes ſuas execrabiles exercent: veris ſuis nominibus cient, illis cæleſtibus, quæ in literis ſanctis leguntur. Hi porro inceſti,

al. induxerunt.

ac vagi ſpiritus, vt turbent omnia, & errores humanis pectoribus † infundant: ſerunt, ac miſcent falſa cum veris. ipſi enim cæleſtes multos eſſe finxerunt, vnumque omnium regem Iouem: eo quòd multi ſunt ſpiritus angelorum in cælo, & vnus parens, ac Dominus omnium Deus: ſed veritatem mentitis nominibus inuolutam ea oculis abſtulerunt. Nam Deus (vt principio docui) neque nomine, cùm ſolus ſit, eget: neque angeli, cùm ſint immortales, dici ſe Deos aut patiuntur, aut volunt. quorum vnum, ſolumque officium eſt ſeruire nutibus Dei: nec omnino quicquam niſi * iuſſu facere. Sic enim mundum regi à Deo dicimus, vt à rectore prouinciam. cuius apparitorem nemo ſocios eſſe in regenda prouincia dixerit. quamuis illorum miniſterio res † geratur. Et hi tamen poſſunt aliquid præter iuſſa rectoris, per ipſius ignorantiam, quæ eſt conditionis humanæ. ille autem præſes mundi, & rector vniuerſi, qui ſcit omnia: cuius diuinis oculis nihil ſeptum eſt: ſolus habet rerum omnium cum filio ſuo poteſtatem: nec eſt in angelis quicquam, niſi parendi neceſſitas. Itaque nullum ſibi honorem tribui volunt: quorum omnis honor in Deo eſt. Illi autem, qui deſciuerunt à Dei miniſterio, quia ſunt veritatis inimici, & præuaricatores Dei, nomen ſibi, & cultum Deorum vendicare conantur: non quòd vllum honorem deſiderent (quis enim honor perditis eſt?) nec vt Deo noceant, cui noceri non poteſt, ſed vt hominibus, quos nituntur à cultu, & notitia veræ maieſtatis auertere, ne immortalitatem adipiſci poſſint, quam ipſi ſua nequitia perdiderunt. Offundunt itaque tenebras, & veritatem caligine obducunt: ne dominum, ne parentem ſuum norint. & vt illiciant, facilè in templis ſe occulunt, & ſacrificiis omnibus præſto adſunt: eduntque ſæpè prodigia, quibus obſtupefacti homines, fidem commodent ſimulachris diuinitatis, ac numinis. Inde eſt, quod ab augure lapis nouacula inciſus eſt: & quòd Iuno Veienſis migrare ſe Romam velle reſpondit: quòd Fortuna muliebris periculum denuntiauit: quòd Claudiæ manum nauis ſecuta eſt: quòd in ſacrilegos & Iuno nudata, & Locrenſis Proſerpina, & Ceres Mileſia vindicauit: & Hercules de Appio, & Iupiter de Atinio, & Minerua de Cæſare. Hinc, quòd ſerpens vrbem Romam peſtilentia liberauit Epidauro acceſſitus. Nam illuc δαιμονιάρχης ipſe in figura ſua ſine vlla diſſimulatione perductus eſt. ſiquidem legati ad eam rem miſſi, draconem ſecum miræ magnitudinis attulerunt. In oraculis autem vel maximè fallunt. quorum præſtigias profani à veritate intelligere non poſſunt: ideoque ab illis attribui putant & imperia, & victorias, & opes, & euentus proſperos rerum: denique ipſorum nutu ſæpè rempublicam periculis imminentibus liberatam. quæ pericula & reſponſis denuntiauerunt, & ſacrificiis placati, auerterunt. Sed omnia iſta fallaciæ ſunt. Nam cùm diſpoſitiones Dei præſentiant, quippe qui miniſtri eius fuerunt: interponunt ſe in his rebus: vt quæcumque à Deo vel facta ſunt, vel fiunt, ipſi potiſſimum facere, aut feciſſe videantur. & quoties alicui populo, vel vrbi ſecundum Dei ſtatum boni quid impendet: illi ſe id facturos vel prodigiis, vel ſomniis, vel oraculis pollicentur; ſi ſibi templa, ſi honores, ſi ſacrificia tribuantur: quibus datis, cum illud acciderit, quod neceſſe eſt, ſummam ſibi pariunt venerationem. Hinc templa deuouentur, & nouæ imagines conſecrantur, mactantur greges hoſtiarum. Sed cùm hæc facta ſunt; nihilominus tamen & vita, & ſalus eorum, qui hæc fecerint, immolantur. Quoties autem pericula impendent, ob aliquam ſe ineptam, & leuem cauſam profitentur iratos; ſicut Iuno Varroni, quòd formoſum puerum in templo Iouis ad † excubias tenendas collocarat: & ob hanc cauſam Romanum nomen apud Cannas penè deletum eſt. Quòd ſi Iuno alterum Ganymedem verebatur: cur iuuentus Romana luit pœnas? Vel ſi dij tantummodo duces curant, cæteram multitudinem negligunt: cur Varro ſolus euaſit, qui hoc fecit? & Paulus, qui nihil meruit, occiſus eſt? Videlicet nil tunc Romanis accidit fatis Iunonis iniquæ: cùm Annibal duos exercitus populi Romani & aſtu, & virtute confecit. Nam Iuno audere non poterat aut Carthaginem defen-

E al. offundant.

al. iuſſum.

al. gerantur.

F

G

H

al. etunis.

A defendere, vbi arma eius, & currus fuit: aut Romanis nocere, quia

progeniem Troiano à ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.

Sed illorum ſunt iſti luſus: qui ſub nominibus mortuorum deliteſcentes, viuentibus plagas tendunt. itaque ſiue illud periculum, quod imminet, vitari poteſt: videri volunt id placati auertiſſe: ſiue non poteſt, id agunt, vt propter illorum contemptum accidiſſe videatur. ita ſibi apud homines, qui eos neſciunt, auctoritatem, ac timorem pariunt. Hac verſutia, & his artibus notitiam veri, ac ſingularis Dei apud omnes gentes inueterauerunt. Suis enim vitiis perditi, ſæuiunt, & graſſantur, vt perdant. Iccirco etiam humanas hoſtias excogitauerunt ipſi hoſtes humani generis, vt quàm multas deuorarent animas.

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

B ... &c. i. *Quia error hæc omnia ſunt, quæ ſtulti homines ſcrutantur quotidie.*

De Dei patientia, & vltione, dæmonum cultu, & falſis religionibus.

CAPVT XVII.

Dicet aliquis, Cur ergo Deus hæc fieri patitur? nec tam malis ſuccurrit erroribus? Vt mala cum bonis pugnent: vt vitia ſint aduerſa virtutibus: vt habeat alios, quos puniat, alios quos honoret. Vltimis enim temporibus ſtatuit de viuis ac mortuis iudicare: de quo iudicio mihi erit in vltimo libro diſputatio. Differt ergo, donec veniat temporum finis: quo effundat iram ſuam in poteſtate, ac virtute cœleſti, ſicut Vatum prædicta priorum terribili monitu horrificant. Nunc autem patitur homines errare, & aduerſum ſe quoque impios eſſe, ipſe iuſtus, & mitis, & patiens. Nec enim fieri poteſt, vt non is, in quo C perfecta ſit virtus, ſit etiam perfecta patientia. Vnde quidam putant, ne iraſci quidem Deum omnino: quòd affectibus, qui ſunt perturbationes animi, ſubiectus non ſit: quia fragile eſt omne animal, quod afficitur, & commouetur. Quæ perſuaſio veritatem, atque religionem funditus tollit. Sed ſeponatur interim locus hic nobis de ira Dei differendi: quòd & vberior eſt materia, & opere proprio latius exequenda. Illos ergo nequiſſimos ſpiritus quiſquis veneratus fuerit, & ſecutus: nec cælo, nec luce potietur: quæ ſunt Dei: ſed in illa decidet, quæ in diſtributione rerum attributa eſſe ipſi malorum principi diſputauimus, in tenebras ſcilicet, & inferos, & in ſupplicium ſempiternum. Docui, religiones Deorum triplici ratione
al. iſta. vanas eſſe: vna, quòd ſimulachra * ipſa, quæ coluntur, ef-
al. eſſe. figies ſint hominum mortuorum. * eſt autem peruerſum, & incongruens, vt ſimulachrum hominis à ſimulachro Dei colatur. colit enim quod eſt deterius, & imbecillius. tum inexpiabile facinus eſſe, deſerere viuentem, vt defunctorum monimentis ſeruias: qui nec vitam, nec lu-
D cem dare cuiquam poſſunt, qua ipſi carent. nec eſſe alium quenquam Deum, præter vnum, cuius iudicio, ac poteſtati omnis anima ſubiecta ſit. Altera, quòd ipſæ imagines ſacræ, quibus inaniſſimi homines ſeruiunt, omni ſenſu carent, quoniam terra ſint. Quis autem non intelligat, nefas eſſe rectum animal curuari, vt adoret terram? quæ iccirco pedibus noſtris ſubiecta eſt, vt calcanda no-
al. ea. bis, non adoranda ſit: a qui ſumus ideo excitati, ex * eo ſtatumque ſublimem præter cæteras animantes accepimus: vt non reuoluamur deorſum: ne hunc cœleſtem vultum proiiciamus ad terram: ſed oculos eò dirigamus, quò illos naturæ ſuæ conditio duxit, nihilque aliud ado-
al. ſolius. remus, nihil colamus, niſi * ſolum artificis, parentiſque
al. nomē. noſtri vnicum † numen, qui propterea hominem rigidum figurauit, vt ſciamus nos ad ſuperna, & cæleſtia prouocari. Tertia, quòd ſpiritus, qui præſunt ipſis religionibus, condemnati, & abiecti à Deo, per terrã voluntantur, qui nõ tantũ nihil præſtare cultoribus ſuis poſſint, quoniam rerũ

E poteſtas penes vnũ eſt: verũ etiam mortiferis eos illecebris, & erroribus perdant; quoniã hoc illis quotidianũ eſt opus, tenebras hominibus obducere, ne quæratur ab illis verus Deus. Non igitur colendi ſunt: quia ſententiæ Dei ſubiacent. Eſt enim piaculum maximum, addicere ſe poteſtati eorum, quibus, ſi iuſtitiam ſequare, potentior eſſe poſſis, & eos adiuratione diuini nominis expellere, ac fugare. Quòd ſi apparet, religiones iſtas tot modis eſſe vanas, quibus docui: manifeſtum eſt, eos, qui vel mortuis ſupplicant, vel terram venerantur, vel ſpiritibus impuris animas ſuas mancipant: rationem hominum non tenere: eoſque impietatis, ac ſceleris ſui ſupplicia penſuros, qui rebelles aduerſus parentem generis humani Deum, ſuſceptis inexpiabilibus ſacris fas omne violarunt.

SCHOLIA.

a Qui ſumus ideo excitati, & ex eo] *Legitur in libris impreſſis*, qui ſumus ideo excitati ex ea, *habet antiquus codex*, F *cum quo tres Vaticani concordant. excitatos enim ait nos eſſe e terra, vt non amplius terrena ſpectemus. quod ſi legamus, & ex eo, non video ad quod referri poſſit.*

De ſimulachrorum, & terrenarum rerum cultu.

CAPVT XVIII.

Qvicunque igitur ſacramentum hominis tueri: rationemque naturæ ſuæ nititur obtinere: ipſe ſe ab humo ſuſcitet: & erecta mente oculos ſuos tendat in cælum: non ſub pedibus quærat Deum: nec à veſtigiis ſuis eruat, quod adoret (quia quicquid homini ſubiacet, infra hominem ſit, neceſſe eſt) ſed quærat in ſublimi, quærat in ſummo: quia nihil poteſt homine maius eſſe, niſi quod ſupra hominem fuerit. Deus autẽ maior eſt homine, ſupra ergo, non infra eſt, nec in ima potius, ſed in ſumma regione quærendus eſt. Quare non eſt dubium, quin religio nulla ſit, vbicunque ſimulachrum eſt. Nam ſi religio ex diuinis rebus eſt: diuini autẽ nihil eſt niſi in cæleſtibus rebus: G carent ergo religione ſimulachra, quia nihil poteſt eſſe cæleſte in ea re, quæ fit ex terra. Quicquid enim ſimulatur, id falſum ſit, neceſſe eſt. nec poteſt vnquam veri nomen accipere, quod veritatem fuco, & imitatione mentitur. Si autem omnis imitatio, non res potiſſimùm ſeria, ſed quaſi ludus, ac iocus eſt: non religio in ſimulachris, ſed mimus religionis eſt. Præferendum eſt igitur verum omnibus falſis, calcanda terrena, vt cæleſtia conſequamur. Ita enim res ſe habet, vt quiſquis animã ſuam, cuius origo de cælo eſt, ad inferna, & ima proſtrauerit: eò cadat, quò ſe ipſe deiecerit. ideoque oportet rationis, ac ſtatus ſui memorem, non niſi ad ſuperna niti ſemper, ac tendere. quod qui fecerit: hic planè ſapiens, hic iuſtus, hic homo, a hic * Deo, cæloque dignus iudicabitur: quem ſuus al. denique. parens non humilem, nec ad terram more quadrupedum abiectum, ſed ſtantem potius, ac rectum, ſicut eum fecit, agnouerit.

H

SCHOLIA.

a Hic cælo Deoque dignus] *Legitur in libris impreſſis*, hic denique cælo dignus, *habet vterque codex ſancti Saluatoris, cum quibus tres Vaticani conueniunt. ex illo enim* denique, *facile potuit fieri* Deoque, *quamuis non erat neceſſe hoc addere, quia ex eo, quod cælo dignus dicatur, Deo quoque dignus intelligitur*

De Philoſophis: deque veritate.

CAPVT XIX.

PEracta eſt igitur (ni fallor) magna & difficilis ſuſcepti operis portio: & maieſtate cæleſti ſuggerente nobis dicendi facultatem, inueteratos depulimus errores. Nunc verò maior nobis, ac difficilior cum philoſophis propoſita luctatio eſt, quorum ſumma doctrina & eloquentia quaſi moles aliqua mihi opponitur. Nam vt illic

multitu-

A multitudine, ac prope conſenſu omnium gentium veritas premebatur; ita hic auctoritate præſtantium omni genere laudis virorum. Quis autem neſciat, plus eſſe momenti in paucioribus doctis, quàm in pluribus imperitis? Sed non eſt deſperandum, iſtos quoque de ſententia, Deo, ac veritate ducibus, poſſe depelli. nec tam pertinaces eſſe arbitror, vt clariſſimum ſolem ſanis, ac patentibus oculis videre ſe negent. Modo illud verum ſit, quod ipſi ſolent profiteri, ſtudio inueſtigandæ veritatis ſe teneri: efficaciam profectò, vt quæſitam veritatem diu & aliquando inuentam eſſe credant; & humanis ingenijs inueniri non potuiſſe fateantur.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI, DIVINARVM INSTITVTIONVM,

DE FALSA SAPIENTIA, LIBER III.

De veritate, & eloquentia.

CAPVT I.

B VELLEM mihi, quando veritas in obſcuro latere adhuc æſtimatur, vel errore, atque imperitia vulgi, varijs & ineptis ſuperſtitionibus ſeruientis; vel philoſophis prauitate ingeniorum turbantibus eam potius, quàm illuſtrantibus; etſi non qualis in M. T. fuit; quia præcipua, & admirabilis fuit: aliquam tamen proximam eloquentiæ contingere facultatem: vt quantum veritas vi ſua propria valeat, tantum ingenij quoque viribus nixa, exereret ſe aliquando; & diſcuſſis, conuictiſque tam publicis, quàm eorum, qui ſapientes putantur, erroribus, humano generi clariſſimum lumen inferret. Quod quidem duabus ex cauſis fieri vellem; vel quòd magis poſſent credere homines

C ornatæ veritati, qui etiam mendacio credunt, capti orationis ornatu, lenocinioque verborum; vel certè, vt ipſi philoſophi ſuis armis potiſſimùm, quibus placere ſibi, & confidere ſolent, opprimerentur à nobis. Sed quoniam Deus hanc voluit rei eſſe naturam, vt ſimplex, & nuda veritas eſſet luculentior, quia ſatis ornata per ſe eſt; ideoque ornamentis extrinſecus additis fucata, corrumpitur; mendacium verò ſpecie placet aliena: quia per ſe corruptum

al. diffluit, al. ornetur

vaneſcit, ac a * defluit, niſi aliunde * ornatu: æquo animo fero, ingenium mihi mediocre fuiſſe conceſſum. Verùm ego non eloquentiæ, ſed veritatis fiducia ſuſcepi hoc opus, fortaſſe maius, quàm vt poſſim meis viribus ſuſtinere: quod tamen etiamſi ego defecerim, Deo, cuius eſt hoc munus, adiuuante, veritas ipſa complebit. Etenim cùm ſciam maximos quoque oratores à cauſidicis mediocribus ſæpe victos; quòd tanta eſt potentia veritatis, vt ſeipſam, quamuis in rebus exiguis, ſua claritate defendat: cur hanc ego in maxima cauſa ab ingenioſis quidem illis, ac diſertis viris, ſed tamen falſa dicentibus opprimi putem? ac nõ illa, ſi minus oratione noſtra, quæ de tenui fonte admodũ

D exilis emanat; lumine tamen ſuo clara, & illuſtris appareat? Nec ſi philoſophi doctrina literarum mirabiles extiterunt: ego etiam illis ſcientiam veri, cognitionemq́; conceſſerim, quam nemo cogitando, aut diſputando aſſequi poteſt. b Neque ego nunc reprehendo eorum ſtudium, qui veritatem ſcire voluerunt; quia naturam hominis Deus veri adipiſcendi cupientiſſimam fecit: ſed id arguo, id reuinco; quòd honeſtam illorum & optimam voluntatem non ſit ſecutus effectus; quia neque, quid eſſet verum ipſum, ſciebant, neque quomodo, aut vbi, aut qua mente quærendum. Ita dum ſuccurrere humanis erroribus cupiunt; ipſi ſe in plagas, & errores maximos induxerunt. Ad hoc igitur me opus coarguendi philoſophiam, ſuſceptæ materiæ ordo ipſe deducit. Nam cum error omnis aut ex religione falſa oriatur, aut ex ſapientia: in eo conuincendo neceſſe eſt vtramque ſubuertere. Cùm enim ſit nobis, diuinis literis traditum, c cogitationes philoſophorum ſtultas eſſe: id ipſum re, & argumentis docendum eſt: ne quis

E honeſto ſapientiæ nomine inductus, aut inanis eloquentiæ ſplendore deceptus, humanis malit quàm diuinis credere: quæ quidem tradita ſunt breuiter, ac nudè. nec enim decebat aliter, vt cùm Deus ad hominem loqueretur, argumẽtis aſſereret ſuas voces, tanquam fides ei nõ haberetur: ſed vt oportuit, eſt locutus, quaſi rerum omnium maximus iudex; cuius eſt non argumentari, ſed pronuntiare verum. Ipſe vt Deus, nos autem, cùm ad res ſingulas teſtimonia diuinæ vocis habeamus: profectò monſtrauimus, quanto certioribus argumentis poſſint vera defendi; cùm etiam falſa ſic defendantur, vt vera ſoleant videri. Quare non eſt, quòd philoſophis tantum honoris habeamus; aut eorum eloquentiam pertimeſcamus. Loqui enim bene potuerunt, vt homines eruditi; verè autem loqui nullo modo; quia veritatem non didicerant ab eo, qui eius poteſtatem

F tens, ſtet. Nec ſanè magnum aliquid efficiemus; quòd illos ignorantiæ redarguemus, quam ipſi ſæpiſſimè confitentur in eo ſolo, quoniam eis non creditur, in quo ſolo credi debuit. conabor oſtendere nunquam illos tam veridicos fuiſſe; quàm cùm ſententiam in ſe de ſua ignoratione dixerunt.

SCHOLIA.

a Diffluit, niſi ornetur] *ſic habet codex antiquus. reliqua,* aliũde ornatu quæſito circumlitum fuerit ac politum, *deſunt alij tamen codices qui illa habeant.*

b Neque ego nũc reprehendo] *ſic eſt in codice antiquo, quod mihi valde probatur. quia hic, enim, poni non poteſt, cum nulla cauſa reddatur, ſed ſimpliciter ſuam ſententiam Lactantius exponit.*

c Cogitationes philoſophorum ſtultas eſſe] *ſic habet vterque codex ſancti Saluatoris, cum quibus tres Vaticani concordant, & deeſt illa dictio, omnium. nam Diuus Paulus à quo hoc ſumptum eſt, non hoc dicit de omnibus philoſophis.*

De Philoſophia, eaq́; reprehenſa.

CAPVT II.

NVnc quoniam duobus ſuperioribus libris religionũ

G falſitas demonſtrata eſt, nec non origo ipſa totius erroris expoſita: huius libri munus eſt philoſophiam quoque oſtendere, quàm inanis, & falſa ſit, vt omni errore ſublato, veritas patefacta clareſcat. Ordiamur itaque à communi philoſophiæ nomine; vt ipſo capite deſtructo, facilior nobis aditus pateat ad excindendum omne corpus: ſi tamen poteſt corpus vocari, cuius partes, ac membra diſcordent; nec vlla compage inter ſe cohæreant; ſed quaſi diſiecta, & diſſipata, palpitare potius quàm viuere videantur. Philoſophia eſt (vt nomen indicat, ipſique definiunt) ſtudium ſapientiæ. Vnde igitur probem magis philoſophiam non eſſe ſapientiam, quàm ex ipſius nominis ſignificatione? Qui enim ſapientiæ ſtudet, vtique nondum ſapit; ſed, vt ſapere poſſit, ſtudet. In cæteris artibus, ſtudium quid efficiat, & quo tendat, apparet. quas cùm diſcendo aliquis aſſecutus eſt; iam non ſtudioſus artificij, ſed artifex nominatur. At enim verecundiæ cauſa ſtudioſos ſe ſapientiæ, nõ ſapientes vocauerunt. Immo verò Pythagoras, qui hoc primus nomen inuenit, cùm paulò plus ſaperet, quàm

H illi priores, qui ſe ſapientes putauerunt; intellexit, nullo humano ſtudio poſſe ad ſapientiam perueniri; & ideo non oportere incomprehenſæ, atque imperfectæ rei perfectum nomen imponi. Itaque cum ab eo quæreretur, quemnam ſe profiteretur, reſpõdit, philoſophum, id eſt, quæſitorem ſapientiæ. Si ergo philoſophia ſapientiam quærit, nec ipſa ſapientia eſt; quia neceſſe eſt aliud eſſe, quod quærit; aliud, quod quæritur: a nec quæſitio ipſa recta eſt, quia nihil poteſt inuenire. Ego verò ne ſtudioſos quidẽ ſapientiæ philoſophos eſſe conceſſerim, quia illo ſtudio ad ſapientiam non peruenitur. Nam ſi facultas inueniendæ veritatis huic ſtudio ſubiaceret, & ſi eſſet id ſtudium tanquam iter ad ſapientiam, aliquando eſſet inuenta. Cùm verò tot temporibus, tot ingenijs in eius inquiſitione contritis, non ſit comprehenſa: apparet, nullam eſſe ibi ſapientiam. Non ergo ſapientiæ ſtudent, qui philoſophantur: ſed ipſi ſtudere ſe putant: quia illud, quod quærunt, vbi, aut quale ſit,

A neſciunt. Siue ergo ſapientiæ ſtudent, ſiue non ſtudent, ſapientes nõ ſunt. quia nunquã reperiri poteſt, quod aut non rectè quæritur, aut omnino non quæritur. Videamus tamẽ id ipſum, poſſitne hoc ſtudio reperiri aliquid, an nihil.

Scholia.

a Nec quæſito ſapientiæ rectè eſt] *legitur in libris typis excuſis tamen nec quæſitio ipſa recta eſt, legendum eſt ex vtroque codice ſancti Saluatoris, & tribus codicibus Vaticanis. nam, vt oratio ſibi conſtet, de quæſtione in vniuerſum intelligendum eſt.*

De Philoſophia & Academia.

Capvt III.

DVabus rebus videtur philoſophia conſtare, ſcientia, & opinatione, nec vlla alia re. Scientia ab ingenio venire non poteſt, nec cogitatione comprehendi. quia in ſeipſo habere propriam ſcientiam, non hominis, ſed Dei
B eſt. Mortalis autem natura non capit ſcientiam, niſi quæ veniat extrinſecus. Idcirco enim oculos, & aures, & cæteros ſenſus patefecit in corpore diuina ſolertia, vt per eos aditus ſcientia perueniret ad mentem. Nam cauſas naturalium rerum diſquirere, aut ſcire velle: Sol vtrum ne tantus, quantus videtur, an multis partibus maior ſit, quàm omnis hæc terra: item, Luna globoſa ſit, an concaua: & ſtellæ vtrumne* cohæreant cœlo, an per aërem libero curſu ferantur: cœlum ipſum qua magnitudine, qua materia conſtet, *a* vtrum quietũ ſit,* an mobile; an incredibili celeritate voluatur: quanta ſit terræ craſſitudo; aut quibus fundamentis librata, & ſuſpenſa ſit. Hæc inquam diſputando, & coniecturis velle comprehendere; tale eſt profectò; quale ſi diſſerere velimus, qualem eſſe arbitramur cuiuſpiam remotiſſimæ gentis vrbem, quam nunquam vidimus, cuiuſque nihil aliud, quàm nomen, audiuimus. Si nobis in ea re ſcientiam vendicemus; quæ non poteſt ſciri: nonne inſanire videamur, qui id affirmare audeamus, in quo reuinci poſ-
C ſimus? Quanto magis, qui naturalia, quæ ſciri ab homine non poſſunt, ſcire ſe putant, furioſi, dementeſque ſunt iudicandi? Rectè ergo Socrates, & eum ſecuti Academici, ſcientiam ſuſtulerunt, quæ non diſputantis, ſed diuinantis eſt. Supereſt, vt opinatio in philoſophia ſola ſit. Nam vnde abeſt ſcientia; id totum poſſidet opinatio. Id enim opinatur quiſque quod neſcit. Illi autem, qui de rebus naturalibus diſputant; opinantur ita eſſe, vt diſputant. Neſciunt igitur veritatem: quoniã ſcientia, certi eſt: opinatio, incerti. Redeamus ad illud ſuperius exemplum. Age, opinemur de ſtatu, & qualitate vrbis illius, quę nobis rebus omnibus præter nomen ignota eſt. Veriſimile eſt, in plano ſitam, lapideis mœnibus, ædificijs ſublimibus, vijs pluribus, magnificis, ornatiſq; delubris. Deſcribantur, ſi placet, mores, habitumque ciuium. Sed cùm hæc dixerimus; alius cõtraria diſputabit, & cùm hic quoque perorauerit, ſurget & tertius, & alij deinceps, & opinabuntur multo diſparia, quàm nos ſumus opinati. Quid ergo erit ex omnibus certius? fortaſſe nihil. At omnia ſunt dicta, quæ in rerum natura cadunt, vt neceſſe ſit aliquid eorum eſſe verum. At neſcietur,
D quis verum dixerit. Poteſt fieri, vt omnes ex parte aliqua errauerint, ex parte attigerint veritatẽ. Stulti ergo ſumus, ſi hoc diſputatione quærimus. poteſt enim ſuperuenire aliquis, qui opiniones noſtras derideat, nosque pro inſanis habeat, qui velimus id, quod neſcimus, quale ſit opinari. Verùm non opus eſt longè poſita conquirere: vnde nemo fortaſſe veniat, qui nos redarguat. Age, opinemur, quid nunc in foro geratur, quid in curia. longum eſt id quoque. dicamus, interpoſito vno pariete quid fiat: nemo poteſt id ſcire, niſi qui audierit, aut viderit. Nullus etiam audet id dicere: quia ſtatim non verbis, ſed re ipſa præſenti refutabitur. Atqui hoc idem faciunt philoſophi, qui diſputant, in cœlo quid agatur. ſed eo ſe id impunè facere arbitrantur; quia nullus exiſtit, qui errores eorum coarguat. Quòd ſi exiſtimarent deſcenturum eſſe aliquem, qui eos delirare, ac mentiri doceret: nunquam quicquam de iis rebus, quas ſcire non poſſunt, diſputarent. Nec tamen ideo felicior putanda eſt eorum impudentia, & audacia, quia non redarguuntur. redarguit enim Deus; cui ſoli veritas
E nota eſt: *b* licet* conniuere videatur; eamque hominum ſapientiam pro ſummã ſtultitia computat. al. conticere

Scholia.

a Verum quietum ſit immobile] *lego ex antiquo codice. Nam ſi legamus mobile, (vt eſt in omnibus alijs codicibus tam manuſcriptis quã impreſſis) hæc quæſtio haberet tres partes: vna ſi quietum, altera ſi mobile, & tertia an valde mobile, ita, vt incredibili celeritate voluatur: & tam ea ſecunda, ſi ſit mobile, eſſet quæſtio quadam inepta cum hoc tertium ſit. ſi dicamus, cœlum quieſcere, necesse eſſe, vt dicamus terram incredibili celeritate volui. quod quidem, quamuis ſit, παράδοξον, hoc tamẽ Cælius Calcagninus auſus eſt in commentatione quadam ſua aſſeuerare: & contra ſi dicimus terram quieſcere, neceſſario idem erit de incredibili motu cœli dicendum. Nam videmus maxima ſpatia breuiſsimo tempore pertranſire, ita vt ad id maxima celeritas requiratur. vnde omnino illa quæſtio, an ſit mobile, eſſet inepta, & præter rem. & vt maxime hanc lectionem probem, facit, quia in antiquo codice ſic erat ſcriptum, vt eſt in alijs; ſed poſt minoribus literis, atque tamen antiquis, ſic erat, vt adſcripſimus, correctum. tamen quia omnes codices vidi in ea vulgari lectione conuenire, eam retinui, hac alia in margine annotata.*

F

b Licet conticere videatur] *habet vnus ex codicibus Vaticanis, quod mihi valde probatur. nam ſupra dicebat impudentiam eorum non eſſe propterea minorem, quia ſermone alicuius non redarguuntur; & addit Deum eam redarguere, licet conticere videatur. conniuere autem, vel cohibere, quod aliqui codices habent, nihil ſignificat, quod ad rem facere poſſit.*

De Philoſophorum varietate.

Capvt IV.

REctè igitur Zeno, ac Stoici opinationem repudiarunt. Opinari enim te ſcire, quod neſcias, non eſt ſapientis, ſed temerarij potius, ac ſtulti. Ergo ſi neque ſciri quicquam poteſt (vt Socrates docuit) nec opinari oportet (vt Zeno)
G tota philoſophia ſublata eſt. Quid, quòd non tantum ab his duobus euertitur, qui philoſophiæ principes fuerunt, ſed ab omnibus? vt iam videatur, iampridem ſuis armis eſſe confecta. In multas ſectas philoſophia diuiſa eſt: & omnes varia ſentiunt. In qua ponimus veritatem? in omnibus certè non poteſt. Deſignemus quamlibet. nempe in cæteris omnibus ſapientia non erit. Tranſeamus ad ſingulas. eodem modo, quicquid vni dabimus; cæteris auferemus. Vnaquæque enim ſecta omnes alias euertit, vt ſe, ſuaque confirmet: nec vlli alteri ſapere concedit; ne ſe deſipere fateatur. ſed ſicut alias tollit; ſic ipſa quoque ab alijs tollitur omnibus. Nihilo minus enim philoſophi ſunt, qui eam ſtultitiæ accuſant. Quamcunque laudaueris, veramque dixeris; à philoſophis vituperatur, vt falſa. Credemus igitur vni ſeſe ſuamque doctrinam laudãti, an multis vnius alterius ignorantiam culpantibus? Rectius ſit neceſſe eſt, quod plurimi ſentiunt, quàm quod vnus. Nemo enim poteſt de ſe rectè iudicare. quod nobilis poëta teſtatur: Ita enim comparatam eſſe hominum naturam omnium; vt aliena melius videant, & diiudicent, quàm ſua. Cum igitur omnia incerta ſint; aut omnibus credendum eſt, aut nemi-
H ni: ſapientes ergo non ſunt: quia ſinguli diuerſa affirmantes, ſapientes eſſe ſe putant. ſi omnibus æquè non ſunt ſapientes: quia ſinguli ab omnibus eſſe negantur ſapientes. Pereunt igitur vniuerſi hoc modo; & tanquam Spartiatæ illi poëtarum, ſic ſe inuicem iugulant, vt nemo ex omnibus reſtet. quod eo fit, quia gladium habent, ſcutum non habent. Si ergo ſingulæ ſectæ multarum ſectarum iudicio ſtultitiæ conuincuntur: omnes igitur vanæ, atque inanes reperiuntur. ita ſeipſam philoſophia conſumit, & conficit. Quod cùm intelligeret Arceſilas Academiæ conditor; reprehenſiones omnium inter ſe collegit, confeſſionemque ignorantiæ clarorum philoſophorum, armauitque ſe aduerſus omnes. ita conſtituit nouam non philoſophandi philoſophiam. Eo igitur auctore duo philoſophiæ genera eſſe cœperunt: Vnum illud vetus; quod ſcientiam ſibi vendicat. Alterum, nouum repugnans; quod eam diſtrahit. In his duobus generibus video diſſidium, & quaſi ciuile bellum. Sapientiam, quæ diſtrahi non poteſt in qua parte ponemus? Si natura rerum ſciri poteſt;

hæc

A hæc tironum caterua interibit: ſi non poteſt, veterani conficientur. ſi pares fuerint, nihilo minus perihit dua omniũ philoſophia; quia diſtracta eſt. nihil enim poteſt ſine interitu ſibi eſſe contrarium. Si autem (vt docui) nulla poteſt eſſe in homine interna, & propria ſcientia ob fragilitatem cõditionis humanæ: Arceſilæ manus vicit. Sed ne ipſa quidem ſtabit, quia non poteſt omnino nihil ſciri.

De vſu, & Academicis.

Capvt V.

SVnt enim multa, quæ natura ipſa nos ſcire & vſus frequens, & vitæ neceſſitas cogit. Itaque pereundum eſt, niſi ſcias: quæ ad vitam ſunt vtilia, vt appetas: quæ periculoſa, vt fugias, & vites. Præterea multa ſunt, quę vſus inuenit. Nam ſolis, ac lunæ varij curſus, & meatus ſiderum, & ratio temporum deprehenſa eſt: & natura corporum à medicis, herbarumque vires: & ab agricolis natura terrarum, nec non imbrium futurorum, ac tempeſtatum ſigna collecta ſunt. Nulla denique ars eſt, quæ non ſcientia conſtet. B Debuit ergo Arceſilas, ſi quid ſaperet, diſtinguere, quæ ſciri poſſent, quæve neſciri. Sed ſi id feciſſet; ipſe ſe in populum redegiſſet. Nam vulgus interdum plus ſapit: quia tantum, quantum opus eſt, ſapit. A quo ſi quæras, vtrum ſciat aliquid, an nihil: dicet ſe ſcire, quæ ſciat, fatebitur ſe neſcire, quæ neſciat. Rectè ergo aliorum ſuſtulit diſciplinas: ſed non rectè fundauit ſuam. Ignoratio enim rerum omnium non poteſt eſſe ſapientia: cuius eſt ſcire proprium. Ita cùm philoſophos expugnauerit, ac docuerit, eos nihil ſcire: ipſe quoque nomen philoſophi perdidit: quia doctrina eius eſt, nihil ſcire. Nam qui alios reprehendit, quòd neſciant; ipſe debet ſciens eſſe. cùm autem nihil ſciat, quæ peruerſitas, quæve inſolentia eſt, ob id ipſum ſe philoſophum conſtituere, propter quod cæteros tollat? Poſſunt enim ſic reſpondere: Si nihil nos ſcire conuiceris, & ideo non eſſe ſapientes, quia nihil ſciamus: ergo ne tu quidem es ſapiens: quia te quoque confiteris nihil ſcire. Quid ergo promouit Arceſilas; niſi quòd cõfectis omnibus philoſophis, ſeipſum quoque eodem mucrone transfixit?

C *De Sapientia, Academicis & Phyſicis.*

Capvt VI.

NVſquam ne igitur ſapientia eſt? Immo vero inter[a] philoſophos fuit: ſed nemo vidit. Alij putauerunt, ſciri poſſe omnia. hi ſapientes vtique non fuerunt. Alij nihil. ne hi quidem ſapientes fuerunt. illi, quia plus homini dederunt: hi, quia minus. vtriſque in vtrãque partem modus defuit. Vbi ergo ſapientia eſt? Vt neque te omnia ſcire putes, quod Dei eſt: neque omnia neſcire: quod pecudis. Eſt enim aliquid medium, quod ſit hominis, id eſt, ſcientia cum ignoratione coniuncta, & temperata. Scientia in nobis ab animа eſt, quæ oritur è cœlo: ignoratio à corpore: quod eſt è terra. vnde nobis & cum Deo, & cum animalibus eſt aliqua communitas. Ita quoniam ex his duobus conſtamus elementis, quorum alterum luce præditum eſt, alterum tenebris: pars nobis data eſt ſcientiæ, pars ignorantiæ. per hunc quaſi pontem tranſire ſine cadendi periculo licet. nam illi omnes, qui ſe in alteram partem inclinauerunt, aut dextro, aut ſiniſtrouerſus ceciderunt. vtraque autem pars quomodo errauerit, dicam: D Academici contra phyſicos ea rebus obſcuris argumentati ſunt, nullam eſſe ſcientiam, & exemplis paucarum rerum & incomprehenſibilium contenti, amplexi ſunt ignorantiam; tanquam ſcientiam totam ſuſtuliſſent, quia in parte ſuſtulerant. Phyſici contra ea ijs, quæ aperta ſunt, argumentum trahebant, omnia ſciri poſſe, contentique perſpicuis, retinebant ſcientiam; tanquam totam defendiſſent, quia ex parte defenderant. itaque neque hi clara, neque illi obſcura viderunt, ſed vtrique, dum ſolam ſciẽtiam conſertis manibus vel retinent, vel eripiunt, non viderunt, in medio conſtitutam fore, quę illos ad ſapientiam tranſmitteret. Verum Arceſilas ignorantiæ magiſter, cùm Zenoni obtrectaret principi Stoicorum; vt totam philoſophiam euerteret (auctore Socrate) ſuſcepit hanc ſententiam, vt affirmaret nihil ſciri poſſe. Itaque coarguit æſtimationem

[a] al. ipſos

E philoſophorum, qui putaſſent ingenijs ſuis erutam eſſe, atque inuentam veritatem. videlicet, quia mortalis fuerat illa ſapientia; paucisque ante temporibus inſtituta, ad ſummum iam incrementum peruenerat, vt iam neceſſariò cõſeneſceret, ac periret: repentè extitit Academia tanquam ſenectus philoſophiæ, quæ illam conficeret iam deflorеſcentem. Rectèque vidit Arceſilas, arrogantes, vel potius ſtultos eſſe, qui putent, ſcientiam veritatis coniectura poſſe comprehendi. Sed tamen falſa dicentem redarguere non poteſt, niſi qui ſcierit antè, quid ſit verum. quod Arceſilas veritate non cognita facere conatus, introduxit genus philoſophię ἀσύστατον, quod Latinè inſtabile, ſiue inconſtans poſſumus dicere. Vt enim, nihil ſcire poſſe, ſciendum ſit; aliquid ſciri, neceſſe eſt. Nã ſi omnino nihil ſcias, id ipſum, nihil ſciri poſſe, tolletur. Itaque qui velut ſententiæ loco pronuntiat, nihil ſciri, tanquam præceptum profitetur, & cognitum; ergo aliquid ſciri poteſt. Huic ſimile eſt iſtud, quod in ſcholis proponi ſolet in aſyſtati generis exemplũ; ſomniaſſe quẽdam, ne ſomnijs crederet. Si enim crediderit, tum ſequitur, vt credendum non ſit. Si autem non crediderit, tunc ſequitur, vt credendum ſit. Ita ſi nihil ſciri po- F teſt, neceſſe eſt, id ipſum ſciri, quòd nihil ſciatur. Si autem ſcitur, poſſe nihil ſciri. falſum eſt ergo, quod dicitur, nihil poſſe ſciri. Sic inducitur dogma ſibiipſi repugnans, ſeque diſſoluens. Sed homo verſutus, cæteris philoſophis voluit ſcientiam eripere, vt eam domi abſconderet. nam ſibi illam profectò non adimit, qui aliquid affirmat, vt cæteris adimat: ſed nihil agit. apparet enim, ac furtũ ſuum prodit. Quanto faceret ſapientius, ac verius, ſi exceptione facta, diceret, cauſas, rationeſque duntaxat rerum cęleſtium, ſeu naturalium, quia ſunt abditę, neſciri poſſe, quia nullus doceat; nec quæri oportere, quia inueniri quærendo non poſſunt. Qua exceptione interpoſita, & Phyſicos admonuiſſet, ne quærerent ea, quæ modum excederent cogitationis humanæ; & ſeipſum calumniæ inuidia liberaſſet: & nobis certè dediſſet aliquid, quod ſequeremur. Nũc autem cum ab[b] his ſequendis nos retraxerit, ne velimus plus ſcire, quàm poſſimus: non minus à ſe quoque ipſo retraxit. Quis enim velit laborare, ne quicquam ſciat? aut eiuſmodi ſuſcipere doctrinam, vt etiam communem ſcientiam perdat? G Quæ ſi doctrina eſt, ſcientia conſtet, neceſſe eſt: ſi non eſt quis tam ſtultus eſt, vt diſcendum id putet, in quo aut nihil diſcitur, aut omnino dediſcitur? Quare ſi neque omnia ſciri poſſunt, quod phyſici putauerunt: neque nihil, quod academici: philoſophia omnis extincta eſt.

De Philoſophia ethica, & ſummo bono.

Capvt VII.

TRanſeamus nunc ad alteram philoſophiæ partem: quam ipſi moralẽ vocant; in qua totius philoſophiæ ratio continetur. ſiquidem in illa phyſica ſola oblectatio eſt, in hac etiam vtilitas. Et quoniam in diſponendo vitæ ſtatu, formandiſque moribus, periculo maiori peccatur: maiorem diligẽtiam neceſſe eſt adhiberi, vt ſciamus, quomodo nos oporteat viuere. Illic enim poteſt venia concedi. quia ſiue aliquid dicunt, nihil proſunt: ſiue delirant; nihil nocent. Hic verò nullus diſſidio, nullus errori eſt locus. omnes vnum ſentire oportet, ipſamque philoſophiam vno quaſi ore præcipere. quia ſi quid fuerit erratum; vita o- H mnis euertitur. In illa priori parte vt periculi minus ita plus difficultatis eſt; quòd obſcura rerum ratio cogit diuerſa, & varia ſentire. Hic vt periculi plus, ita minus difficultatis quòd ipſe vſus rerum, & quotidiana experientia poſſunt docere, quid ſit verius, & melius. Videamus ergo, vtrumne conſentiant, aut quid nobis afferant, quo rectius vita degatur. Non neceſſe eſt omnia circuire: vnum eligamus, ac potiſſimum; quod eſt ſummum, ac principale; in quo totus ſapientiæ cardo verſatur. Epicurus ſummum bonum in voluptate animi eſſe cenſet: Ariſtippus in voluptate corporis. Calliphon, & Dinomachus Cyrenaici, honeſtatem cum voluptate iunxerunt. Diodorus in priuatione doloris ſummum bonum poſuit: Hieronymus in non dolendo: Peripatetici autem in bonis animi, & corporis, & fortunæ. Herilli ſummum bonum eſt ſcientia: Zenonis, cum

A natura congruenter viuere: quorundam Stoicorum, virtutem ſequi. Ariſtoteles in honeſtate, ac virtute ſummum bonum collocauit. Hæ ſunt ferè omniũ ſententiæ. In tanta diuerſitate quem ſequimur? cui credimus? Par eſt in omnibus auctoritas. Si eligere poſſumus, quod eſt melius; iam non eſt philoſophia nobis neceſſaria; quia ſapientes iam ſumus, qui de ſapientum ſententijs iudicemus. Cùm verò diſcendæ ſapientiæ cauſa veniamus, quî poſſumus iudicare, qui nondum ſapere cœperimus? maximè cùm præſtò ſit academicus, qui nos pallio retrahat, ac vetet cuiquam credere; nec tamen afferat ipſe, quod ſequamur.

De ſummo bono, & animi & corporis voluptatibus, & virtute.

Capvt VIII.

B Quid ergo ſupereſt, niſi vt omiſſis* litigationibus ſuperſtitionis, ac pertinacibus, veniamus ad iudicem illum, ſcilicet datorem ſimplicis, & quietæ ſapientiæ?* qui non tantùm formare nos, ac inducere in viam poſſit; verùm etiam de controuerſijs iſtorum ferre ſententiam.* Hic nos docet, quid ſit hominis verum, ac ſummũ bonum. de quo prius quàm dicere incipio, illæ omnes ſententiæ ſunt refellendæ; vt appareat, neminem illorum fuiſſe ſapientem. Cum de officio hominis agatur; oportet ſummum ſummi animalis bonum in eo conſtitui, quod commune cum cæteris animalibus eſſe non poſſit. Sed vt feris dentes, armentis cornua, volucribus pennæ, propria ſunt: ſic homini aliquid ſuum debet adſcribi, ſine quo rationem ſuæ conditionis amittat. Nam quod viuendi, aut generandi cauſa datum eſt omnibus; eſt quidem bonum naturale, ſummum tamen non eſt; niſi quod eſt vnicuique generi proprium. Sapiens ergo non fuit, qui ſummum bonum credidit animi voluptatem, quoniam illa ſiue ſecuritas, ſiue gaudium eſt, communis eſt omnibus.

C Ariſtippo ne reſpondendum quidem duco; quem in corporis ſemper voluptates ruentem, nihilque aliud quàm ventri, & Veneri ſeruientem, nemini dubium eſt, hominem non fuiſſe. ſic enim viuit, vt nihil inter eum, pecudemque diſtaret, niſi vnum, quòd loquebatur. Quòd ſi aſino, aut cani, aut ſui facultas loquendi tribuatur, quæraſque ab his, quid ſibi velint, cùm fœminas tam rabidè conſectantur, vt vix diuelli queant, cibos etiam, potumque negligant; cur aut alios mares violenter abigant, aut ne victi quidem abſiſtant, ſed à fortioribus ſæpe contriti, eò magis inſectentur; cur nec imbres, nec frigora pertimeſcant; laborem ſuſcipiant; periculum non recuſent: Quid aliud reſpondebunt, niſi ſummum bonum eſſe corporis voluptatem? eam ſe appetere, vt afficiantur ſuauiſſimis ſenſibus; eoſque eſſe tanti, vt aſſequendorum cauſa, nec laborem ſibi vllum, nec vulnera, nec mortē ipſam recuſandam putent. Ab hiſne igitur præcepta viuendi petemus, qui hoc idem ſentiunt, quod animæ rationis expertes?

D Aiunt Cyrenaici, virtutem ipſam eo eſſe laudãdam, quòd ſit efficiens voluptatis. Verum inquit obſcœnus canis, aut ſus ille lutulentus: nam ideo cum aduerſario ſumma virium contentione depugno, vt virtus mea pariat mihi voluptatem: cuius expers ſim neceſſe eſt, ſi victus abſceſſero. Ab his ergo ſapere diſcemus, quos à pecudibus, ac belluis non ſententia, ſed lingua diſcernit? Priuationem doloris ſummum bonum putare, non planè Peripateticorum, ac Stoicorum, ſed Clinicorum philoſophorum eſt. Quis enim non intelligat, ab ægrotis, & in aliquo dolore poſitis eſſe hoc diſputatum? Quid tam ridiculum, quàm id habere pro ſummo bono, quod medicus poſſit dare? Dolendum eſt ergo, vt fruamur bono, & quidem grauiter, ac ſæpe; vt ſit poſtea, non dolere, iucundius. Miſerrimus eſt igitur, qui nunquam doluit; quia bono caret: quem nos feliciſſimum putabamus, quia malo caruit. Ab hac vanitate non longè abfuit, qui, omnino nihil dolere, ſummum bonum dixit: Nam præter quòd omne animal doloris eſt fugiens;* quis poteſt ſibi hoc bonum præſtare, quod nobis vt eueniat, nihil aliud poſſumus quàm optare? Summum autem bonum non poteſt efficere quenquam beatum, niſi ſemper fuerit in ipſius poteſtate. hoc autem non virtus homini, non doctrina, non labor, ſed natura ipſa cunctis animantibus præſtat.

E Qui voluptatem cum honeſtate iungere voluerunt, communionem hanc effugere voluerunt, ſed effecerunt repugnans bonum, quoniam qui voluptati deditus eſt, honeſtate careat, neceſſe eſt: qui honeſtati ſtudet, voluptate. Peripateticorũ bonum nimium multiplex, exceptis animi bonis, quæ ipſa quæ ſint, magna contentio eſt: commune cum belluis poteſt videri. Nam corporis bona, id eſt, incolumitas, indolentia, valetudo, nõ minus ſunt mutis, quàm homini neceſſaria, ac neſcio, an etiam magis. quia homo & medelis, & miniſterijs ſubleuari poteſt, muta non poſſunt. Item, quæ appellant fortunæ bona, bona? nam ſicut homini opibus ad vitam tuendam,* ita illis præda, & pabulis eſt opus. ita inducendo bonum, quod non ſit in hominis poteſtate, totum hominē alienæ ditioni ſubiugarunt. Audiamus etiam Zenonem, nam is interdum virtutem ſomniat. Summum, inquit, eſt bonum, cum natura conſentaneè viuere.

F Belluarum igitur nobis more viuendum eſt. Nam quæ abeſſe debent ab homine, in his* omnibus deprehenduntur. voluptates appetunt, metuunt, fallunt, inſidiantur, occidunt: &, quod ad rem maximè attinet, Deum neſciunt. Quid ergo me docet, vt viuam ſecundum naturã,* quia ipſa in deterius prona eſt; & quibuſdam blandimentis lenioribus in vitia præcipitat?* Sed ſi aliam mutorum, aliam hominis dicit eſſe naturam; quòd homo ad virtutem ſit genitus: non nihil dicit: ſed tamen non erit definitio ſummi boni. quia nullum eſt animal, quod non ſecundum naturam ſuam viuat. Qui ſcientiam ſummum bonum fecit, aliquid homini proprium dedit. ſed ſcientiam alterius rei gratia homines appetunt, non propter ipſam. Quis enim ſcire contentus eſt, non expetens aliquem fructum ſcientiæ? Artes ideo diſcuntur, vt exerceantur, exercentur autem vel ad ſubſidia vitæ, vel ad voluptatem, vel ad gloriam.

G Non eſt igitur ſummum bonum, quod non propter ſe expetitur. Quid ergo intereſt, vtrum ſcientiam ſummum bonum putemus, an illa ipſa, quæ ſcientia ex ſe parit, id eſt, victum, gloriam, voluptatem? quæ non ſunt homini propria, & ideo ne ſumma quidem bona. Nam voluptatis, & victus appetentia non homini ſolùm, ſed etiam mutis ineſt. Quid cupiditas gloriæ? nonne in equis deprehenditur, cum victores exultant, victi dolent?

Tantus amor laudum, tanta eſt victoria curæ!

Nec immeritò ſummus poëta experiendum eſſe ait,

Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.

Quòd ſi ea, quæ parit ſcientia, communia ſunt cum alijs animalibus; non eſt ergo ſummum bonum ſcientia. Præterea non mediocre huius* diſputationis eſt vitium, quòd ſcientia nuda ponitur. Incipient enim* beatiores videri, qui artem aliquam ſciunt, immo verò qui & res malas ſciunt; vt tam beatus ſit, qui venena didicerit temperare, quàm qui mederi. Quæro igitur, ad quam rem ſcientia referenda ſit? ſi ad cauſas rerum naturalium: quæ beatitudo erit mihi propoſita, ſi ſciero vnde Nilus oriatur, vel quicquid de cœlo Phyſici delirant?

H Quid, quòd earum rerum non eſt ſcientia, ſed* opinio; quæ pro ingenijs varia eſt? Reſtat, vt ſcientia bonorum, ac malorum ſummum bonum ſit. Cur ergo ſcientiam maluit, quàm ipſam ſapientiam ſummum bonum dicere; cùm ſit vtriuſque ſignificatio, & vis eadem? Nemo tamen vſque adhuc ſummum bonum dixit eſſe ſapientiam. quod melius dici potuit. Nam ſcientia parum eſt ad bonum ſuſcipiendum, malumque fugiendum, niſi accedat & virtus. Multi enim philoſophorum, cùm de bonis, maliſque diſſererent; aliter tamen, quàm loquebantur, natura cogente vixerunt, quia virtute caruerunt. Virtus autem cum ſcientia coniuncta, eſt ſapientia. Supereſt, vt eos etiam refellamus, qui virtutem ſummum bonum putauerunt, in qua opinione etiam M. Tullius fuit, in quo multum inconſiderati fuerunt. non enim virtus ipſa eſt ſummum bonum, ſed effectrix, & mater eſt ſummi boni: quoniam peruenīri ad illud ſine virtute non poteſt. Vtrumque intellectu eſt facile: Quæro enim, vtrumne ad præclarum illud bonum facile perueniri putent; an cum difficultate, ac labore? Expediant acumen ſuum, erroremque defendant. Si facile ad illud, ac ſine labore perueniri poteſt; ſummum bonum non eſt. quid enim nos cruciemus, quid conficiamus enitendo

al. litigationibus

al. quæ

al. hæc

al. quis

al. ſic

al. omnia

al. quæ

al. vel

al. definitionis.

al. beati omnes.

al. opinatio

diebus

A diebus, & noctibus? quandoquidem tam in promptu id, quod quærimus, iacet; vt illud quilibet *d* ſine vlla contentione animi * deprehendat. Sed ſi commune quoque, ac mediocre quodlibet bonum non niſi labore aſſequimur: quoniam bonorum natura in arduo poſita eſt, malorum in præcipiti: ſummo igitur labore ſummum bonum aſſequi neceſſe eſt. quod ſi veriſſimum eſt: ergo altera virtute opus eſt, vt perueniamus ad eam virtutē, quæ dicitur ſummum bonum, quod eſt incongruens, & abſurdum; vt virtus per ſeipſam perueniat ad ſeipſam. Si non poteſt ad vllum bonum niſi per laborem perueniri: apparet virtutem eſſe, per quam peruenitur: quoniam in ſuſcipiendis, perferendiſque laboribus, vis, officiumque virtutis eſt. Ergo ſummum bonum non poteſt eſſe id, * *e* propter quod neceſſe eſt ad aliud perueniri. Sed illi, cùm ignorarent quid efficeret virtus, aut quò tenderet; honeſtius autem nihil reperirent: ſubſtiterunt in ipſius virtutis nomine; quam nullo propoſito emolumento, appetendam eſſe dixerunt; & bonum ſibi conſtituerunt, quod bono indigeret. Ariſtoteles ab iis non longè receſſit; qui virtutem cum honeſtate ſummum bonum putauit: quaſi vlla virtus poſſit eſſe inhoneſta; ac non, ſi quid habuerit turpitudinis, virtus eſſe deſinat. ſed vidit fieri poſſe, vt de virtute prauo iudicio malè ſentiatur, & ideo exiſtimationi hominum ſeruiendum putauit. quod qui facit, à recto, bonoque diſcedit. quia non eſt in noſtra poteſtate, vt virtus pro ſuis meritis honeſtetur. Nam quid eſt honeſtas, niſi honor perpetuus, ad aliquem ſecundo populi rumore delatus? Quid ergo fiet, ſi errore, ac prauitate hominum, mala exiſtimatio ſubſequatur? abiiciemuſne virtutem, quia flagitioſa, & turpis ab inſipientibus iudicetur? Quæ quoniam inuidia premi, ac vexari poteſt, vt ſit ipſum proprium, ac perpetuum bonum, nullo extrinſecus adiumento indigere debet, quin ſuis per ſe viribus nitatur, & conſtet. Itaque nec vllum ei ab homine bonum ſperandum eſt, nec vllum malum recuſandum.

al. comprehendat.

al. per

Scholia.

a Niſi vt omiſſis litigatoribus furioſis] *legendum eſt ex omnibus antiquis codicibus. nam hic de hominibus contentioſis loquitur, non de contentionibus ipſis, nec de litigationibus, vt eſt in libris impreſſis.*

b Huius diſputationis] *legitur in codicibus impreſſis.* huius definitionis eſt vitium, *habent omnes codices antiqui. quod mihi placet, quia ſupra nullam diſputationem, expoſuerat, ſed hanc eandem ſententiam, quam hic definitionē appellat: ſcientiā eſſe ſummū bonū.*

c Beatiores videri] *habent libri impreſſi. verùm* beati omnes videri, *lego ex antiquo codice, quamuis alij cum libris impreſſis conueniant. Nam hic non loquitur de maiori beatitudine, ſed ſimpliciter docet neceſſariò ſequi ex illius ſententia, qui ſcientiam ſummum bonum putabat, vt omnes, qui aliquā artem, licet turpem ſciuerint, beati ſint appellati.*

d Sine vlla animi contentione comprehendat] *legendum eſt ex omnibus codicibus manuſcriptis, non autem, deprehendat. quia cōprehendere magis refertur ad intelligentiam, de qua hic tractatur.*

e Per quod neceſſe eſt] *ſic lego ex omnibus antiquis codicibus, nam id vult docere: quia per virtutem ad ſummum bonum peruenitur, propterea ipſam non poſſe dici ſummum bonum. propter quod legi non poteſt, quia hic nulla cauſa ſignificatur.*

C

D

De ſummo bono, & cultu Dei veri.

Caput IX.

VEnio nunc ad veræ ſapientiæ ſummum bonum. cuius natura hoc modo determinanda eſt: Primùm, vt ſolius hominis ſit, nec cadat in vllum aliud animal: Deinde, vt ſolius ſit animi, nec communicari poſſit cùm corpore: Poſtremò, vt non poſſit cuiquam ſine ſcientia, & virtute contingere. Quæ circumſcriptio illas omnes ſententias excludit, ac ſoluit, *a* eorum enim, * qui dixerunt, nihil tale eſt. Dicam nunc, quid ſit: vt doceam (quod inſtitui) philoſophos omnes cæcos, atque inſipientes fuiſſe; qui, quod eſt homini ſummum bonum conſtituturum, nec videre, nec intelligere, nec ſuſpicari aliquando potuerunt. Anaxagoras, cùm ab eo quæreretur, cuius rei cauſa natus eſſet, reſpondit, Cœli, ac Solis videndi. Hanc vocem admirantur omnes, ac philoſopho dignam iudicant. At ego hunc puto non inuenientem quid reſponderet, effudiſſe hoc paſſim, ne taceret. quod quidem ſecum, ſi ſapiens fuiſſet, commentatum, & meditatum habere debuit. quia ſi quis rationem ſui neſciat, non homo ſit quidem. ſed putemus non ex tempore dictum illud effuſum. Videamus, in tribus verbis quot, & quanta peccauerit: Primum, quòd omne hominis officium in ſolis oculis poſuit, nihil ad mentem referens, ſed ad corpus omnia. Quid ſi cæcus fuiſſet? officiumne hominis amitteret; quod fieri ſine occaſu animæ non poteſt? Quid cæteræ corporis partes? * *b* anne carebunt ſuis * quoque muneribus? Quid, quòd plus eſt in auribus, quàm oculis ſitum? quoniam & doctrina, & ſapientia percipi auribus ſolis poteſt, oculis ſolis non poteſt. Cœli, ac Solis videndi cauſa natus es? Quis te in hoc ſpectaculum induxit? aut quid cœlo, rerumque naturæ viſio tua confert? Nimirum vt hoc immenſum, & admirabile opus laudes. Confitere ergo rerum omnium eſſe conſtitutorem Deum: qui te in hunc mundum quaſi teſtem, laudatoremque tanti ſui operis induxit. Magnum eſſe credis, videre Cœlum, ac Solem. cur ergo gratias non agis ei, qui huius beneficij auctor eſt? cur non ipſius virtutem, prouidentiam, poteſtatem metiris animo, cuius opera miraris? etenim neceſſe eſt, vt multo mirabilior ſit, qui mirabilia perfecit. Si te quiſpiam vocaſſet ad cœnam, in eaque optimè acceptus eſſes: * non inſanus videtere, ſi pluris faceres ipſam voluptatem, quàm voluptatis auctorem? Adeo philoſophi ad corpus omnia referunt, nihil prorſus ad mentem: nec vident ampliùs, quàm quod ſub oculos venit. Atqui remotis omnibus officijs corporis, in ſola mente ponenda eſt hominis ratio. Non ergo ideo naſcimur, vt ea, quæ ſunt facta, videamus; ſed vt ipſum factorem rerum omnium contemplemur, id eſt, mente cernamus. Quare ſi quis hominem, qui verè ſapit, interroget, cuius rei gratia natus ſit, reſpondebit intrepidus, ac paratus, colendi ſe Dei gratia natum, qui nos ideo generauit, vt ei ſeruiamus. Seruire autem Deo, nihil aliud eſt, quàm bonis operibus tueri, & conſeruare iuſtitiam. Sed ille, vt homo diuinarum rerum imperitus, rem maximam redegit ad minimum, duo ſola * deligens, quæ ſibi diceret intuenda. Quòd ſi natum ſe eſſe dixiſſet, vt mundum intueretur: quanquam omnia comprehenderet, ac maiori vteretur ſono; tamen non impleſſet hominis officium: quia quanto pluris eſt anima, quàm corpus: tanto pluris eſt Deus, quàm mundus: quia mundum Deus fecit, & regit. Non ergo mundus oculis, quia vtrumque eſt corpus, ſed Deus animo contemplandus eſt: quia Deus, vt eſt ipſe immortalis, ſic animum voluit eſſe ſempiternum. Dei autem contemplatio eſt, venerari, & colere communem parentem generis humani. Quod ſi à philoſophis abfuit proiectique in terram fuerunt diuina ignorando: exiſtimandus eſt Anaxagoras ad ea, ad quæ videnda natum ſe eſſe dixit, nec cœlū vidiſſe, nec Solem. Expedita eſt igitur hominis ratio, ſi ſapiat, cuius propria eſt humanitas. nā ipſa humanitas quid eſt, niſi iuſtitia? quid eſt iuſtitia, niſi pietas? pietas autem nihil aliud eſt, quàm Dei parentis agnitio.

al. quæ

E

al. nam

al. quoque

F

al. non ſanus

G

al. diligendo.

Scholia.

a Eorum enim, quæ dixerunt] *habet vterque codex ſancti Saluatoris, & duo codices Vaticani, ſenſus vero eſt, nihil eorum, quæ illi dixerunt eſſe ſummum bonum, eſt tale: & quì, legi non poteſt.*

b Anne carebunt ſuis quoq. muneribus] *habent libri impreſſi.* num carebunt ſuis quæque muneribus, *legendum eſt ex omnibus antiquis codicibus: in qua oratione plana eſt & aperta ſententia.*

H

De ſummo bono, & religione, & hominum natura & pecudum.

Caput X.

SVmmum igitur bonum hominis in ſola religione eſt. nam cætera, etiam quæ putantur eſſe homini propria, in cæteris quoque animalibus reperiuntur. Cùm enim ſuas voces proprijs inter ſe notis diſcernunt, atque dignoſcunt; colloqui videntur, ridendi * quæ ratio apparet in his

al. quoque

A aliquis, cùm demulſis auribus, contractoque rictu, & oculis in laſciuiam reſolutis, aut homini alludunt, aut ſuis quiſque coniugibus, ac fœtibus proprijs. Nonne aliquid amori mutuo, & indulgentiæ ſimile impartiunt? Iam illa, quæ ſibi proſpiciunt in futurum, & cibos reponunt, habẽt vtique prouidentiam. Rationis quoque ſigna in multis deprehenduntur. Nam quando vtilia ſibi appetunt, mala cauent, pericula vitant, lanbula ſibi parant in plures exitus diſpatentia: profectò aliquid intelligunt. Poteſt aliquis negare illis ineſſe rationem, cum hominem ipſum ſæpe deludant? Nam quibus generandi mellis officium eſt, cum aſſignatas incolunt ſedes, caſtra muniunt, domicilia inenarrabili arte componunt, regi ſuo ſeruiunt, neſcio, an in his perfecta ſit prudentia. Incertum eſt igitur, vtrumne illa, quæ homini tribuuntur, communia ſint cum alijs viuentibus: religionis certe ſint expertia. Equidem ſic arbitror, vniuerſis animalibus eſſe datam rationem, ſed mutis tantúmodo ad vitam muendam, homini autem ad propagandã. Et quia in homine ipſa ratio perfecta eſt, ſapientia nominatur. quæ in hoc eximium facit hominem, quod ſoli

D datum eſt intelligere diuina. Qua de re Ciceronis vera eſt ſententia. Ex tot, inquit, generibus nullum eſt animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei, ipſiſq; in hominibus nulla gens eſt *a* neque tam manſueta, neque tam fera, quæ non etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat. Ex quo efficitur, vt is agnoſcat Deum, qui, vnde ortus ſit, quaſi recordetur. Qui ergo philoſophi volunt animos omni metu liberare, tollunt etiam religionem, & orbant hominem ſuo proprio, ac ſingulari bono. quod eſt à rectè viuendo, atque ab omni humanitate disiunctum. quia vt Deus cuncta viuentia ſubiecit homini, ſic ipſum hominem ſibi. Nam quid eſt, cur iidem ipſi diſputent, eò dirigendam eſſe mentem, quò vultus erectus eſt? Si enim nobis in cœlum ſpectandum eſt, ad nihil aliud vtique, quam ob religionem. Si religio tollitur, nulla nobis ratio cum cœlo eſt. Itaque aut eò eſt ſpectandum, aut in terram procumbendum. In terrã procumbere,* *b* niſi velimus, quidem poſſumus: quorum ſtatus rectus eſt. In cœlum igitur ſpectandum eſt, quo natura corporis prouocat. quod ſi conſtat eſſe faciendum: aut ideo *al. ne ſi*

C eſt faciendum, vt religioni ſeruiamus, aut ideo, vt rationem rerum cœleſtium cognoſcamus. Sed rationem rerum cœleſtium cognoſcere nullo modo poſſumus. quia nihil eiuſmodi poteſt cogitando inueniri, ſicut ſupra docui. Religioni ergo ſeruiendum eſt. quam qui non ſuſcipit, ipſe ſe proſternit in terram, & vitam pecudum ſecutus, humanitate ſe abdicat. Sapientiores ergo imperiti: qui etiamſi errant in religione deligenda: tamen naturæ ſuæ, conditioniſque meminerunt.

Scholia.

a Neque tam immanſueta] *legitur in libris typis excuſis.* neque tam manſueta neque tam fera, *habent vterque codex ſancti Saluatoris, & tres Vaticani. quod mihi placet, vt ſic vniuerſas gẽtes ſit complexus: vel eam, quæ ob nimiam manſuetudinem ſtolidior & timidior iudicari poteſt, vel eam, quæ ob feritatem poteſt æſtimari audacior. quod ſi legamus immanſuetam, ad vnum tantum genus referri poterit.*

b Niſi velimus quidem non poſſumus] *habent libri impreſſi.* ne ſi velimus quidem poſſumus, *lego ex antiquo codice.*

D *Significat autem, quod, cum natura vultum ad cœlum erectum habeamus, non poſſumus, etiamſi velimus, ad terram procumbere.*

Capvt XI.

De religione, & ſapientia, & ſummo bono.

CONſtat igitur totius humani generis conſenſu, religionem ſuſcipi oportere, ſed quomodo in ea erretur, explicandum eſt. Naturam hominis hanc Deus eſſe voluit, vt duarum rerum cupidus, & appetens eſſet, religionis, & ſapientiæ. Sed homines ideo falluntur, quod aut religionem ſuſcipiunt omiſſa ſapientia, aut ſapientiæ ſoli ſtudẽt omiſſa religione, cum alterum ſine altero eſſe non poſſit verum. Caduot ergo ad multiplices religiones, ſed ideo

falſas, quia ſapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat, deos multos eſſe non poſſe, aut ſtudent ſapientiæ, ſed ideo falſæ, quia religionem ſummi Dei omiſerunt: qui eos ad veri ſcientiam potuit erudire. Sic homines, qui alterutrum ſuſcipiunt, vitam deuiam, maximiſque erroribus plenam ſequuntur: quoniam in his duobus inſeparabiliter conneais & officium hominis, & veritas omnis incluſa eſt. E

Miror itaque nullum omnino philoſophorum extitiſſe, qui ſedem, ac domicilium ſummi boni reperiret. Potuerũt enim ſic quærere. Quodcunque eſt ſummum bonum, neceſſe eſt omnibus eſſe propoſitum. Voluptas eſt, quæ appetitur à cunctis: ſed hæc & communis eſt cum belluis, & honeſti vim non habet, & ſatietatem affert, & nimia nocet, & proceſſu minuitur ætatis, & multis non contingit. nam qui opibus carent, quorum maior eſt numerus, etiam voluptate careant neceſſe eſt. Non eſt igitur ſummum bonum, ſed ne bonum quidem voluptas. Quid diuitiæ? multo magis. Nam & paucioribus, & plerumque caſu, & inertibus ſæpe, & nonnunquam ſcelere contingunt, & optantur ab iis, qui eas iam tenent. Quid regnum ipſum? Ne id quidem. Non enim cuncti homines regnare poſſunt: & neceſſe eſt vniuerſos ſummi boni capaces eſſe. Quæramus igitur aliquid, quod propoſitum ſit omnibus. Num virtus? F

Negari non poteſt, quin & bonum ſit, & omnium certe bonum. Sed ſi beata eſſe non poteſt; quia vis, & natura eius in malorum perferentia poſita eſt: nõ eſt profectò ſummũ bonum. Quæramus aliud. At nihil virtute pulchrius, nihil ſapiẽtia dignius inueniri poteſt. Si enim vitia ob turpitudinem fugienda ſunt: virtus igitur appetenda eſt ob decorem. quid ergo? poteſtne fieri, vt quod bonum, quod honeſtum eſſe conſtat, mercede, ac præmio careat? ſitque tam ſterile, vt nihil ex ſe commodi pariat? Labor ille magnus, & difficultas, & eluctatio aduerſus mala, quibus hæc vita plena eſt, aliquid magni boni pariat, neceſſe eſt. Id vero quid eſſe dicemus? num voluptatem? at nihil turpe ex honeſto naſci poteſt. Num diuitias? num poteſtates? At ea quidem fragilia ſunt, & caduca. Num gloriam? num honorem? num memoriam nominis? At hæc omnia non ſunt in ipſa virtute, ſed in aliorum exiſtimatione, atque arbitrio poſita. Nam ſæpe virtus & inuiſa eſt, & malo afficitur.

G Debet autem id bonum, quod ex eo naſcitur, ita cohærere: vt diuelli, atque * diſtrahi nequeat. nec aliter ſummum bonum videri poteſt, quàm & ſi proprium ſit virtutis, & tale, vt neque adijci quicquam, nec detrahi poſſit. Quid, quòd in his omnibus contemnendis virtutis officia conſiſtunt? Nam voluptates, opes, potentias, honores, atq; omnia, quæ pro bonis habentur, non concupiſcere, non appetere, non amare, quod cæteri faciunt victi cupiditate, id eſt profectò † virtutis. aliud ergo ſublimius, atque præclarius efficit, nec fruſtra his præſentibus bonis reluctatur: niſi quòd maiora, & veriora deſiderat. non deſperemus inueniri poſſe, modò verſet ſe cogitatio in omnia. Neque enim leuia, aut ludicra petuntur præmia. *al. abſtrahi* *al. virium,*

Scholia.

a Deum beatum & incorruptum vocat quia ſempiternus eſt] *habent omnes codices antiqui, in qua oratione eſt ſenſus, cum in vulgari lectione, non ita apertus eſſe videatur.*

H

De anima &, corpore, & virtute.

Capvt XII.

SEd quæritur quid ſit, propter quod naſcimur; quid efficiat virtus. poſſumus ſic inueſtigare. Duo ſunt, ex quibus homo conſtat, animus, & corpus. Multa ſunt propria animi, multa propria corporis, multa vtrique communia; ſicut eſt ipſa virtus: quæ quoties ad corpus refertur; diſcernendi gratia fortitudo nominatur. Quoniam igitur vtrique ſubiacet fortitudo; vtrique propoſita dimicatio eſt, & vtrique ex dimicatione victoria: corpus, quia ſolidum eſt, & comprehenſibile, cum ſolidis, & comprehenſibilibus confligat neceſſe eſt: animus autem, quia tenuis, & inuiſibilis eſt, cum iis congreditur hoſtibus, qui videri, tangique non poſſunt. Qui ſunt autem hoſtes animi, niſi

A cupiditates, vitia, peccata? quæ ſi vicerit virtus, ac fugauerit, immaculatus erit animus, ac purus. Vnde ergo colligi poteſt, quid efficiat animi fortitudo? Nimirum ex coniuncto, & pari, hoc eſt, ex corporis fortitudine. quod cùm in aliquam congreſſionem, certamenque venerit, quid aliud ea victoria, quàm vitam petit? Siue enim cum homine, ſiue cum beſtia dimicet, pro ſalute certatur. Ergo vt corpus vincendo id aſſequitur, vt non intereat: ſic etiam animus, vt permaneat. & ſicut corpus ab hoſtibus ſuis victum, morte multatur, ita ſuperatus à vitijs animus, moriatur neceſſe eſt. Quid ergo intererit inter animi, corporiſque dimicationem, niſi quòd corpus temporalem vitam expetit, animus ſempiternam? Si ergo virtus per ſeipſam beata non eſt, quoniam in perferendis (vt dixi) malis, tota vis eius eſt, ſi omnia, quæ pro bonis concupiſ- B cuntur, negligit, ſi ſummus eius gradus ad mortem patet, quandoquidem vitam, quæ optatur à cæteris, ſæpe reſpuit, mortemque, quam cæteri timent, fortiter ſuſcipit: ſi neceſſe eſt, aliquid ex ſe magni boni pariat, quia ſuſcepti, & ſuperati vſque ad mortem labores, ſine præmio eſſe non poſſunt: ſi nullum præmium, quod ea dignum ſit, in terra reperitur, quandoquidem cuncta, quæ fragilia ſunt, & caduca, ſpernit: quid aliud reſtat, niſi vt cœleſte aliquid efficiat, quia terrena vniuerſa contemnit; & ad altiora nitatur, quia humilia deſpicit? Id verò nihil aliud poteſt eſſe, quàm immortalitas. Meritò ergo philoſophorum non obſcurus Euclides, qui fuit conditor Megaricorum diſciplinæ, diſſentiens à cæteris, id eſſe ſummum bonum dixit, quod ſimile ſit, & idem ſemper. Intellexit profectò, quæ ſit natura ſummi boni, licet id non explicauerit quid ſit. id eſt autem immortalitas, nec aliud omnino quicquam. quia ſola nec imminui, nec augeri, nec immutari poteſt. C Seneca quoque imprudens incidit, vt fateretur, nullum eſſe aliud virtutis præmium, quàm immortalitatem. Laudans enim virtutem in eo libro, quem de immatura morte conſcripſit, Vna, inquit, res eſt virtus, quæ nos immortalitate donare poſſit, & pares Dijs facere. Sed & Stoici, quos ſecutus eſt, negant ſine virtute effici quenquam beatum poſſe. Ergo virtutis præmium beata vita eſt, ſi virtus (vt rectè dictum eſt) beatam vitam facit. Non eſt igitur (vt aiunt) propter ſeipſam virtus expetenda, ſed propter vitam beatam, quæ virtutem neceſſariò ſequitur. Quod argumentum docere eos potuit, quod eſſet ſummum bonum. Hæc autem vita præſens, & corporalis, beata eſſe non poteſt, quia malis eſt ſubiecta per corpus. Epicurus Deum beatum & incorruptum vocat, quia ſempiternus eſt. Beatitudo enim perfecta eſſe debet, vt nihil ſit, quod eam vexare, * ac imminuere, aut immutare poſſit. Nec aliter quicquam exiſtimari beatum poteſt, niſi fuerit incor- D ruptum. Incorruptum autem nihil eſt, niſi quod eſt immortale. Sola ergo immortalitas beata eſt: quia corrumpi, ac diſſolui non poteſt. Quòd ſi cadit in hominem virtus, quod negare nullus poteſt, cadit & beatitudo. Non poteſt enim fieri, vt ſit miſer, qui virtute eſt prædictus. Si cadit beatitudo, ergo & immortalitas cadit in hominem, quæ beata eſt. Summum igitur bonum ſola immortalitas inuenitur, quia nec aliud animal nec corpus attingit, nec poteſt cuiquam ſine ſcientiæ virtute, id eſt ſine Dei cognitione, ac iuſtitia * peruenire. *al. peruenire.* cuius appetitio quàm vera, quàm recta ſit, ipſa vitæ huiuſce cupiditas indicat: quæ licet ſit temporalis, & labore pleniſſima, expetitur tamen ab omnibus, & optatur. hanc enim tam ſenes quàm pueri, tam reges quàm infimi, tum denique ſapientes quàm ſtulti cupiunt. Tanti eſt (vt Anaxagoræ viſum eſt) contemplatio cœli, ac lucis ipſius, vt quaſcunque miſerias libeat ſuſtinere. Cum igitur laborioſa hæc, & breuis vita, non tantùm hominum, ſed etiam cæterorum animantium conſenſu magnum bonum eſſe ducatur: manifeſtum eſt, eandem ſummum, ac perfectum fieri bonum, ſi & fine careat, & omni malo. Denique nemo vnquam extitiſſet, qui hanc ipſam breuem contemneret, aut ſubiret mortem, niſi ſpe vitæ longioris. nam illi, qui * propter ſalutem ciuium, voluntariæ ſe neci obtulerunt, ſicut Thebis Menœceus, Athenis Codrus, Romæ Curtius, *a* * Mures & duo *al. pro ſa... al. Mutius.* Decij, nunquam mortem vitæ commodis prætuliſſent, E niſi ſe immortalitatem opinione ciuium conſequi putauiſſent. qui tametſi neſcierunt immortalitatis viam: res tamen eos non fefellit. Si enim virtus diuitias, & opes ideo contemnit, quia fragiles ſunt, voluptates ideo, quia breues: ergo & vitam fragilem, breuemque ideo contemnit, vt ſolidam, & perpetuam conſequatur. Ipſa ergo cogitatio per ordinem gradiens, & vniuerſa conſiderans, perducit nos ad eximium illud, & ſingulare, cuius cauſa naſcimur, bonum. quod ſi feciſſent philoſophi, ſi non, quod ſemel apprehenderant, tueri pertinaciter maluiſſent: profectò perueniſſent ad verum hoc, vt oſtendi modò. quod ſi non fuit eorum, qui cœleſtes animas vnà cum corporibus extinguũt: illi tamen, qui de immortalitate diſputant animæ intelligere debuerunt, ideo propoſitam nobis eſſe virtutem, vt perdomitis libidinibus, rerumq; terreſtrium F cupiditate ſuperata, puræ, ac victrices animæ ad Deum, id eſt, ad originem ſuam reuertantur. Idcirco enim ſoli animantium ad aſpectum cœli erecti ſumus, vt ſummum bonum noſtrum in ſummo eſſe credamus. Ideo religionem ſoli capimus, vt ex hoc ſciamus, humanum ſpiritum non eſſe mortalem, quòd Deum, qui eſt immortalis, & deſiderat, & agnoſcit. Igitur ex omnibus philoſophis, qui aut pro ſummo bono ſcientiam, aut virtutem ſunt amplexi, tenuerunt quidem viam veritatis, ſed non peruenerunt ad ſummum. Hæc enim duo ſunt, quæ ſimul efficiant illud, quod quæritur. Scientia id præſtat, vt quomodo, & quò perueniendum ſit, nouerimus; virtus, vt perueniamus. Alterum ſine altero nihil valet. ex ſcientia enim virtus, ex virtute ſummum bonum naſcitur. Beata igitur vita, quam philoſophi quæſierunt ſemper, & quærunt, ſiue in cultu deorum, ſiue in philoſophia nulla eſt, & ideo ab his non potuit reperiri, quia ſummum bonum, non in G ſummo quæſierunt, ſed in imo. Summum autem quid eſt, niſi cœlum, & Deus, vnde animus oritur? Imum quid eſt, niſi terra, vnde corpus eſt? Itaque licet quidam philoſophi ſummum bonum non corpori, ſed animo dederint: tamen, *b* quoniam * ad illum hanc vitam retulerunt, quæ *al. illud ad.* cum corpore terminatur, ad corpus reuoluti ſunt: cuius eſt omne hoc tempus, quod tranſigitur in terra. Quare non immeritò ſummum bonum non cõprehenderunt. quia quicquid ad corpus ſpectat, & immortalitatis eſt expers, vanum ſit, neceſſe eſt. Non cadit ergo in hominem beatitudo illo modo, quo philoſophi putauerunt, ſed ita cadit, non vt tunc beatus ſit, cùm viuit in corpore, quod vtique, vt diſſoluatur, neceſſe eſt corrumpi, ſed tunc, cum anima ſocietate corporis liberata, in ſolo ſpiritu viuit. Hoc vno beati eſſe in hac vita poſſumus, ſi minimè beati eſſe videamur, ſi fugientes illecebras voluptatum, ſoliſque virtuti ſeruientes, in omnibus laboribus, miſerijſque viuamus: quæ ſunt exercitia, & corroboramenta virtutis: ſi denique aſperam illam viam, difficilemque teneamus, quæ nobis ad beatitudinem patefacta eſt. Summum H igitur bonum, quod beatum facit, non poteſt eſſe, niſi in ea religione, atque doctrina, cui ſpes immortalitatis adiuncta eſt.

SCHOLIA.

a Et Mures duo Decij] *legitur in libris impreſſis.* Mutius & duo Decij, *habent codices antiqui. de Mutio enim Scæuola nota eſt hiſtoria, quod ſe morti deuouerat, vt Regem Porſennam occideret. qui cum pro Rege alterum occidiſſet, ob fortitudinem, qua vſus eſt, manum dexteram igni immittendo, à Rege fuit liberatus. de Decijs etiam eſt vulgata hiſtoria, quod ſe hoſtiis pro populo Romano deuouerunt.*

b Quoniam ad illum in hanc vitam] *habent libri typis excuſi.* quoniam illud ad hanc vitam retulerunt, *lego ex antiquo codice. quod mihi valde placet, & eſt facilis, ac connexa ſententia diſputationi quam tractat. cum ex vulgari lectione nullus bonus ſenſus eliciatur.*

A

De ſummo bono in immortalitate, ſapientia, philoſophia & eloquentia.

CAPVT XIII.

RES exigere videtur hoc loco, vt quoniam docuimus immortalitatem eſſe ſummum bonum, id ipſum immortalem eſſe animam comprobemus. Qua de re ingens inter philoſophos diſceptatio eſt: nec quicquam tamen explicare, aut probare potuerunt ij, qui verum de anima ſentiebant. expertes enim huius diuinæ eruditionis, nec argumenta vera, quibus vincerent, attulerunt, nec teſtimonia, quibus probarent. ſed opportunius hanc quæſtionem tractabimus in vltimo libro, cùm de vita beata nobis erit diſſerendum. Supereſt pars illa philoſophiæ tertia, *a* quam vocant * logicam: in qua tota dialectica, & omnis loquendi ratio continetur. (al. λογικὴν) B Hanc diuina eruditio non deſiderat: quia non in lingua, ſed in corde ſapientia eſt: nec intereſt, quali * vtatur ſermone. res enim, non verba quæruntur. (al. vtare.) & nos non de grammatico, aut oratore, quorum ſcientia eſt, quomodo loqui deceat, ſed de ſapiente diſſerimus, cuius doctrina eſt, quomodo viuere oporteat. Quod ſi neque phyſica illa ratio neceſſaria eſt, neque hæc logica, quia beatum facere non poſſunt: reſtat, vt in ſola ethica totius philoſophiæ vis contineatur: ad quam ſe abiectis omnibus Socrates contuliſſe dicitur. In qua etiam parte quoniam philoſophos errasſe docui, qui ſummum bonũ, cuius capiendi gratia generati * ſunt, (al. ſumus.) non comprehenderunt: apparet, falſam, & inanem eſſe philoſophiam, quia nec inſtruit ad iuſtitiæ munera, nec officium hominis, rationemque confirmat. Sciant igitur errare ſe, qui philoſophiam putant eſſe ſapientiam, non trahantur auctoritate cuiuſquam, ſed veritati potius faueant, & accedant. Nullus hic temeritati locus eſt: in æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit. Homo autem, qualiſcunque eſt, ſi ſibi credit, hoc eſt, ſi homini credit (vt non dicam ſtultus, qui ſuum non videat errorem) certè arrogans eſt, C qui ſibi audeat vendicare, quod humana conditio non recipit. Ille ipſe Romanæ linguæ ſummus auctor quantum fallatur, licet ex illa ſententia peruidere. qui cum in libris officiorum philoſophiam nihil aliud eſſe dixiſſet, quàm ſtudium ſapientiæ, ipſam autem ſapientiam, rerum diuinarum, & humanarum ſcientiam, tum adiecit, cuius ſtudium qui vituperat, haud ſane intelligo quidnam ſit, quod laudandum putet. Nam ſi oblectatio quæritur animi, requieſque curarum, quæ conferri cum eorum ſtudijs * poſſunt, (al. poteſt.) qui ſemper aliquid inquirunt, quod ſpectet, & valeat ad bene, beateque viuendum? Si verò ratio conſtantiæ, virtutiſque ducitur, aut hæc ars eſt, aut nulla omnino, per quam eas aſſequamur. nullam dicere maximarum rerum artem eſſe, cum minimarum ſine arte nulla ſit, hominum eſt parum conſideratè loquentium, atque in maximis rebus errantium. Si autem eſt aliqua diſciplina virtutis, vbi D ea quæretur, cùm ab iſto genere diſcendi diſceſſeris? Equidem tametſi operam dederim, vt quantulamcunque dicendi aſſequerer facultatem propter ſtudium docendi, tamen eloquens nunquam fui: quippe qui forum ne attigerim quidem. ſed neceſſe eſt, ipſa me faciat cauſæ bonitas eloquentem, ad quam diſertè, copioſeque defendendam, ſcientia diuinitatis, & ipſa veritas ſufficit. Vellem igitur Ciceronem paulisper ab inferis ſurgere, vt vir eloquentiſſimus ab homunculo non diſerto doceretur: Primùm quidnam ſit, quod laudandum putet, qui vituperat id ſtudium, quod vocatur philoſophia. Deinde neque illam eſſe artem, qua virtus, & iuſtitia diſcatur, nec aliam vllam, ſicut putauit. Poſtremò quoniam eſt virtutis diſciplina, vbi quærenda ſit, cum ab illo diſcendi genere diſceſſeris. quod ille non audiendi, diſcendique gratia quærebat. A quo enim poſſet audire, cum ſciret id nemo? Sed, vt in cauſis facere ſolebat, interrogatione voluit vrgere, ad confeſſionemque * deducere, (al. perducere.) tanquam confideret, reſponderi prorſus nihil poſſe, quo minus philoſophia eſſet magiſtra virtutis, quod quidem in Tuſculanis diſputationibus apertè profeſſus eſt, ad eam ipſam conuerſa oratione, tanquam ſe declamatorio dicendi genere iactaret. O vitæ philoſophia dux, inquit, ò virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum: quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu inuentrix legum, tu magiſtra morum, ac diſciplinæ fuiſti. Quaſi verò aliquid per ſe ipſa ſentiret, ac non potius ille laudandus eſſet, qui eam tribuit. Potuit eodem modo gratias agere cibo, & potui, quia ſine his rebus vita conſtare non poſſit, in quibus vt ſenſus, ita beneficij nihil eſt. Atqui vt illa, corporis alimenta ſunt, ſic animæ, ſapientia.

E

SCHOLIA.

a Quam vocant λογικὴν, in qua tota dialectica] *legendum eſt ex omnibus antiquis codicibus. nam grauius ſic dicitur, & in ſingulis græcis vocabulis nunquam in antiquis codicib. adiungitur interpretatio. itaque illud, id eſt, rationalem, expungendum eſt.*

F

De Epicuro, & philoſophia, & Cicerone.

CAPVT XIV.

RECTIUS itaque Lucretius, cùm eum laudat, qui ſapientiam primus inuenit: ſed hoc ineptè, quòd ab homine inuentam putauit. Quaſi vero illam alicubi iacentem homo ille, quem laudabat, inuenerit, tanquam tibias ad fontem, vt poëtæ aiunt, quòd ſic repertorem ſapientiæ, vt Deum, laudauit. ita enim dicit:

Nemo (vt opinor) erit mortali corpore cretus.
Nam ſi vt ipſa petit maieſtas cognita rerum,
Dicendum eſt: Deus ille fuit, Deus, inclyte Memmi.

Tamen non erit ſic laudandus Deus, quod ſapientiam inuenerit, ſed quòd hominem fecerit, qui poſſet capere ſapientiam. Minuit enim laudem, qui partem laudat ex toto. Sed ille, vt hominem, laudauit. qui tamen ob id ipſum deberet pro Deo haberi, quòd ſapere inuenerit. G nam ſic ait:

Nonne decebit,
Hunc hominem numero diuûm dignarier eſſe?

Vnde apparet, aut Pythagoram voluiſſe laudare, qui ſe primus (vt dixi) philoſophum nominauit, aut Mileſium Thalem, qui de rerum natura primus traditur diſputaſſe. Sed dum hominem quærit extollere, rem ipſam depreſſit, non eſt enim magna, ſi ab homine potuit inueniri. Verum poteſt, vt poëtæ, dari venia. At ille idem perfectus orator, idem ſummus philoſophus, a ne Græcos * reprehendat, (al. & reprehendat.) quorum leuitatem ſemper accuſat, & tamen ſequitur, ipſam ſapientiam, quam aliàs donum, aliàs inuentum Deorum poëticè vocat, figuratam laudat in faciem. Grauiter etiam queritur extitiſſe aliquos, qui eam vituperarent. Quiſnam ne, inquit, vitæ parentem, & hoc parricidio ſe inquinare audeat, & tam impiè ingratus eſſe? Nos ergo M. Tulli parricidæ ſumus, & inſuendi te iudice in culeum, qui philoſophiam negamus parentem eſſe vitæ? H Aut tu, qui aduerſus Deum tam impie ingratus es (non hunc, cuius effigiem venerar is in capitolio ſedentem, ſed illum, qui mundum fecit, *b* hominemque * figurauit, (al. generauit) qui ſapientiam quoque ipſam inter cætera cœleſtia beneficia largitus eſt) magiſtram tu virtutis, aut parentem vitæ vocas, ad quam ſi quis acceſſerit, multo ſit incertior neceſſe eſt, quàm prius fuerit? cuius enim virtutis? quæ ipſa, vbi ſita ſit, adhuc philoſophi non expediunt, cuius vitæ? cùm ipſi doctores ante fuerint ſenectute, ac morte confecti, quàm conſtituerint, quomodo viui deceat. cuius veritatis indagatricem promere potes, qui ſæpe teſtatus, cùm tanta multitudo fuerit philoſophorum, ſapientem tamen extitiſſe adhuc neminem? Quid ergo te magiſtra illa vitæ docuit? An vt potentiſſimum conſulem maledictis inceſſeres? eumque hoſtem patriæ venenatis orationibus faceres? Sed omittamus illa, quæ poſſunt excuſari fortunæ nomine. Studuiſti nempe philoſophiæ, & quidem, ſicut nullus vnquam diligentius: quippe qui omnes cognoueris diſciplinas, ſicut ipſe gloriari ſoles, eamque ipſam Latinis literis illuſtraueris, imitatoremque te

A Platonis oſtenderis. Cedo igitur, quid didiceris, aut in qua ſecta veritatem deprehenderis. In academia ſcilicet, quam ſecutus es, quam probaſti. At hæc nihil docet, niſi vt ſcias, te nihil ſcire. Tui ergo te libri arguunt, quàm nihil à philoſophia diſci poſſit ad vitam. Hæc tua verba ſunt: Mihi autem non modò ad ſapientiam cæci videmur, ſed ad ea ipſa, quæ aliqua ea parte cerni videantur, hebetes, & obtuſi. Si ergo philoſophia eſt magiſtra vitæ: cur tibi ipſe cæcus, & hebes, & obtuſus videbare, quem oportuit illa docentem, & ſentire, & ſapere, & in clariſſima luce verſari? *c* At quam* confeſſus fueris philoſophiæ veritate, docent ad filium compoſita præcepta: quibus mones, philoſophiæ quidem præcepta noſcenda, viuendum autem eſſe ciuiliter. Quid tam repugnans dici poteſt? Si noſcenda ſunt præcepta philoſophiæ, ideo vtique noſcenda ſunt, vt rectè, ſapienterque viuamus. Vel, ſi ciuiliter viuendum eſt: non eſt igitur philoſophia ſapientia: ſiquidem melius eſt ciuiliter, quàm philoſophicè viuere. B Nam ſi ſapiẽtia eſt, quæ dicitur philoſophia, ſtultè profectò viuit, qui non ſecundum philoſophiam viuit. Si autem non ſtultè viuit, qui ciuiliter viuit: ſequitur vt ſtultè viuat, qui philoſophicè viuit. Tuo itaque iudicio philoſophia ſtultitiæ, inanitatiſque damnata eſt. Idem in conſolatione, id eſt, in opere non ioculari, hanc de philoſophia ſententiam tuliſti. Sed neſcio quis nos teneat error, ac miſerabilis ignoratio veri. Vbi eſt ergo philoſophiæ magiſterium? aut quid te docuit illa vitæ parens, ſi verum miſerabiliter ignoras? Quòd ſi hæc erroris, ignorationiſque confeſſio, penè inuito tibi ab intimo pectore expreſſa eſt: cur non tibi verum* fatebaris aliquando philoſophiam, quam tu nihil docentem in cœlum laudibus extuliſti, magiſtram virtutis eſſe non poſſe?

[al. confeſſus.] [al. fatearis.]

S C H O L I A.

a Et Græcos reprehendit] *habet codex antiquus, quod mihi probatur, quia re vera hoc ſæpe facit Cicero, etiam cum nulla eſt cauſa reprehenſionis. quod ſi legamus* ne Græcos reprehendam, *non video, ad quem poſſit referri, cum nec conueniat cum priore ratione Lactantij, nec ad Ciceronem pertinere poſſit.*

b Hominemque generauit] *legendum eſt ex omnibus antiquis codicibus. eſt vero frequentiſſimus modus loquendi apud Ciceronem, vt Deus dicatur hominem generare, id eſt creare: cuius vocabuli vim, cum aliqui non intelligerent, mutauerunt, figurauit,*

C *c* At quam confeſſus fueris philoſophiæ veritatem] *legitur in libris impreſſis.* at quam confiſus fueris philoſophiæ veritate, *habet codex antiquus. alij conueniunt cum lectione vulgari. Sed lectionem antiqui codicis valde probo. ſic tamen, vt ironice dictum videatur. quod quidem valde conuenit cum his, quæ adiungit, cum docet, ipſum monuiſſe filium, vt ſciret quidem præcepta philoſophiæ, ſed tamen ciuiliter viueret.*

De Philoſophia, & vera ſapientia.

C A P V T XV.

D EOdem ductus errore Seneca: (quis enim veram viam teneret, errante Cicerone?) Philoſophia, inquit, nihil aliud eſt, quàm recta viuendi ratio, vel honeſtè viuendi ſcientia, vel ars rectæ vitæ agendæ. Non errabimus, ſi dixerimus philoſophiam eſſe legem, benè honeſtèque viuendi. Et qui* dixit illam regulam vitæ: ſuum illi nomen reddidit. Hic planè non reſpexit ad commune philoſophiæ nomen. quæ cùm ſit in plures ſectas, diſciplinaſque diffuſa, nihilque habeat certi, nihil denique, de quo vniuerſi vna mente, ac voce conſentiant: quid poteſt eſſe tam falſum, quàm regulam vitæ, philoſophiam* vocari, in qua diuerſitas præceptorum ſectum iter impediat, & turbet? aut legem bene viuendi, cuius capita longè diſtonãt? aut ſcientiam vitæ agendæ, in qua nihil aliud efficitur, contraria ſæpe dicendo, quàm vt nemo quicquam ſciat? Quæro enim, vtrumne academiam philoſophiam putet eſſe, an non? Negaturum non arbitror. quod ſi eſt, nihil ergo illorum cadit in philoſophiam. quæ vt omnia reddat incerta, legem abrogat, artem nullam putat, rationem ſubuertit, regulam deprauat, ſcientiam funditus tollit. Falſa igitur illa omnia. quia in rem ſemper incertam, & adhuc nihil explicantem cadere non poſſunt. Nulla itaque ratio, vel ſcientia, vel lex bene viuendi, niſi in hac vnica & vera, & cœleſti ſapientia conſtituta eſt, quæ philoſophis fuit ignota. E Nam illa terrena, quoniam falſa eſt, varia, & multiplex, ſibique tota contraria eſt. & ſicut vnus eſt huius mundi conſtitutor, & rector Deus, vna veritas: ita vnam eſſe, ac ſimplicem ſapientiam; neceſſe eſt: quia quicquid eſt verum, ac bonum, id perfectum eſſe non poteſt, niſi fuerit ſingulare. Quòd ſi philoſophia vitam poſſet inſtruere: nulli alij niſi philoſophi eſſent boni: & qui eam non didiciſſent, eſſent omnes ſemper mali: cùm verò innumerabiles exiſtant, & ſemper extiterint, qui ſint, aut fuerint ſine vlla doctrina boni, ex philoſophis autem perrarò fuerit, qui aliquid in vita fecerit laude dignũ: Quis eſt tandem, qui non videat, eos homines virtutis, quia ipſi egent, non eſſe doctores? F Nam ſi quis mores eorum diligenter inquirat, inueniet iracundos, cupidos, libidinoſos, arrogantes, proteruos, & ſub obtentu ſapientiæ ſua vitia celantes, domi facientes ea, quæ in ſcholis arguiſſent. Fortaſſe mentior accuſandi gratia. nónne id ipſum Tullius & fatetur, & queritur? Quotus quiſque, inquit, philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo, & vita conſtitutus, vt ratio poſtulat? *a* qui diſciplinam, non oſtentationem ſuæ ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis pareat ſuis? Videre* liceat alios tanta leuitate, & iactatione, vt his fuerit non didiciſſe melius: alios pecuniæ cupidos: alios gloriæ, multos libidinũ ſeruos, vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Nepos* que Cornelius ad eundem Ciceronem ita ſcribit: Tantum abeſt, vt ego magiſtram eſſe putem vitæ philoſophiam, beatæque vitæ perfectricem, vt nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris viuendi, quàm pleriſque, qui in ea diſputanda verſantur. G Video enim magnam partem eorum, qui in ſchola de pudore, & continentia præcipiant argutiſſimè, eoſdem in omnium libidinum cupiditatibus viuere. Item Seneca in exhortationibus: Plerique, inquit, philoſophorum tales ſunt, diſerti in conuitium ſuum, quos ſi audias in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, *b* *, indicium profeſſos putes, adeo redundant ad ipſos maledicta in publicũ miſſa, quos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Quoſdã verò nec pudor vitiorum tenet, ſed patrocinia turpitudini ſuæ fingunt, vt etiam honeſtè peccare videantur. Faciet ſapiens (inquit idem Seneca) etiam quæ non probabit, vt etiam ad maiora tranſitum inueniat: nec relinquet bonos mores, ſed tempori aptabit: * vt quibus alij vtuntur in gloriam, aut voluptatem, * vtatur agendæ rei cauſa. Deinde paulò pòſt: Omnia, quæ luxurioſi faciunt, quæque imperiti, faciet & ſapiens, ſed non eodem modo, eodemque propoſito. Atqui nihil intereſt, quo animo facias, quod feciſſe vitioſum eſt. quia facta cernuntur, animus non videtur. H Ariſtippo Cyrenaicorum magiſtro cum Laide nobili ſcorto fuit conſuetudo. quod flagitium grauis ille philoſophiæ doctor ſic defendebat, vt diceret, multum inter ſe, & cæteros Laidis amatores intereſſe, quòd ipſe haberet Laidem, alij verò à Laide haberentur. O præclara, & imitanda bonis ſapientia! Huic vero liberos in diſciplinam dares, vt diſcerent habere meretricem. Aliquid inter ſe, ac perditos intereſſe dicebat, ſcilicet quòd illi bona ſua perderent, ipſe gratis luxuriaretur. In quo * ſane ſapientior meretrix fuit, quæ philoſophum habuit pro lenone, vt ad ſe omnis iuuentus doctoris exemplo, & auctoritate corrupta, ſine vllo pudore concurreret. Quid ergo interfuit, quo animo philoſophus ad meretricem famoſiſſimam commearet, cum eum populus, & riuales ſui viderent omnibus perditis nequiorem? Nec ſatis fuit ita viuere, ſed docere etiam libidines cœpit, ac mores ſuos de lupanari ad ſcholam tranſtulit, diſſerens, voluptatem corporis eſſe ſummum bonum. Quæ doctrina execrabilis, & pudenda, non in corde philoſophi, ſed in ſinu meretricis eſt nata. Nam quid ego de Cynicis loquar? quibus in propatulo coire cum coniugibus mos fuit.

[al. dixerit.] [al. nominari.] [al. licet] [al. quoque] [al. iudicium.] [al. &.] [al. vtetur.] [al. tamen]

A Quid mirum, ſi à canibus quorum vitam imitantur, etiam vocabulum, nomenque traxerunt? Nullum igitur in hac diſciplina magiſterium virtutis eſt, cùm etiam illi, qui honeſtiora præcipiunt, aut non faciant ipſi quæ ſuadent, aut ſi faciunt (quod rarò accidit) non diſciplina eos ad rectũ, ſed natura perducat, quæ ſæpius etiam indoctos impellit ad laudem.

SCHOLIA.

a Qui diſciplinam non oſtentationem ſuæ ſcientiæ] *habet codex antiquus. alij codices habent*, qui diſciplinam veram non oſtentationem ſcientiæ. *mihi lectio antiqui codicis magis placet.*

B b In iudicium ſui putes profeſſos] *legitur in libris impreſsis* Iudicium profeſſos putes, *habet codex antiquus. alij partim conueniunt cum lectione vulgari, partim diſcrepant. Sed mihi lectio antiqui codicis ſola probatur iudicium vero ait eos eſſe profeſſos, quia cum ea vitia reprehendebant, quibus ipſi maximè irretiti tenebantur, iudicabant ipſi, quibus maledictis eſſent digni. profiteri vero iudicium dixit, metaphora quadam ſumpta à participibus criminum, qui ſæpe, vt eis impunitas criminum concedatur, profitentur iudicium apud magiſtratum, hoc eſt, deferunt crimina, quorum ipſi etiam ſunt ſocij: ſic philoſophi faciebant, cum ipſi libidinoſi libidinoſos, aut auari auaros accuſarent, vt ea delatione impunitatem ſuorum criminum conſequerentur. corrumpi vero hic locus facile potuit, cum pro iudicium, eſſet ſcriptum iudicium, cui poſtea illæ duæ dictiones, in & ſui, adiunctæ ſunt, vt aliquis ſenſus eliceretur.*

De præcipiendo, & agendo, & philoſophia.

CAPVT XVI.

C VErùm enim cùm ſe perpetuæ deſidiæ tradant, nullamque virtutem capeſſant, & omnem ſuam vitam nihil aliud, quàm in eloquendo peragant: quid aliud quàm inertes putari debent? Sapientia autem niſi in aliquo actu fuerit, quo vim ſuam exerceat, inanis, & falſa eſt. recteque Tullius ciuiles viros, qui rempublicam gubernent, qui vrbes aut nouas conſtituant, aut conſtitutas æquitate tueantur, qui ſalutem, libertatemque ciuium, vel bonis legibus, vel ſalubribus conſilijs, vel iudicijs grauibus conſeruent: philoſophiæ doctoribus præfert. Bonos enim facere oportet potius, quàm incluſos in angulis facienda præcipere, quæ ne ipſi quidem faciunt, qui loquuntur. & quoniam ſe à veris actibus remouerunt: apparet, eos exercendæ linguæ cauſa, vel oblectandi gratia, artem ipſam philoſophiæ reperiſſe. qui autem docent

D tantùm, nec faciunt, ipſi præceptis ſuis detrahunt pondus. quis enim obtemperet, cùm ipſi præceptores doceant non obtemperare? Bonum eſt autem recta, & honeſta præcipere: ſed niſi & facias, mendacium eſt: & incongruens, atque ineptum eſt, non in pectore, ſed in labijs habere bonitatem. Non ergo vtilitatem ex philoſophia, ſed oblectationem petunt. Quod quidem Cicero teſtatus eſt. Profectò, inquit, omnis * iſtorum diſputatio, quanquam vberrimos fontes virtutis, & ſcientiæ contineat, tamen collata cum horum actis, perfectiſque rebus, vereor ne tantùm videatur attuliſſe negotijs hominum vtilitatis, quantum oblectationem quandam otij. Vereri quidem non debuit, cùm verum diceret: ſed quaſi timeret, ne proditi myſterij reus à philoſophis citaretur, non eſt auſus confidenter pronunciare, quod fuit verum, illos non ideo diſputare, vt doceant; ſed vt ſe oblectent in otio, qui quoniam auctores ſunt rerum gerendarum, nec ipſi quicquam gerunt: pro loquacibus ſunt habendi. Sed profectò, quia nihil boni ad vitam afferebant: nec ipſi decretis ſuis obtemperauerunt, nec quiſquam per tot ſecula inuentus eſt, qui eorum legibus viueret. Abijcienda eſt igitur omnis philoſophia: quia non ſtudendum eſt ſapientiæ, quòd fine, ac modo careat, ſed ſapiendum eſt, & quidem maturè. Non enim nobis altera vita conceditur, vt, cùm in hac ſapientiam quæramus, in illa ſapere poſſimus. in hac vtrunque fieri neceſſe eſt. cito

al. iſtorũ.

inueniri debet, vt cito ſuſcipi poſſit, nequid pereat ea vita, cuius finis incertus eſt. Ciceronis Hortenſius contra philoſophiam diſſerens, circumuenitur arguta concluſione, quòd cùm diceret philoſophandum non eſſe, nihilo minus philoſophari videbatur: quoniam philoſophi eſt, quid in vita faciendum, vel non faciendum ſit, diſputare. Nos ab hac calumnia immunes, ac liberi ſumus, qui philoſophiam tollimus, quia humanæ cogitationis inuentio eſt, ſophiam defendimus, quia diuina traditio eſt, eamque ab omnibus ſuſcipi oportere teſtamur. Ille, cum philoſophiam tolleret, nec melius aliquid afferret: ſapientiam tollere putabatur: eoque facilius de ſententia pulſus eſt, quia conſtat hominem non ad ſtultitiam, ſed ad ſapientiam naſci. Præterea illud quoque argumentum contra philoſophiam valet plurimum, quo idem eſt vſus Hortenſius, ex eo poſſe intelligi, philoſophiam non eſſe ſapientiam, quòd principium, & origo eius appareat. Quando, inquit, philoſophi eſſe cœperunt? Thales (vt opinor) primus. recens hæc quidem ætas. vbi ergo apud antiquiores latuit amor ille inueſtigandæ veritatis? idem Lucretius ait:

Denique natura hæc rerum, ratioq; reperta eſt
Nuper. & hanc, primus cum primis ipſe repertus
Nunc ego ſum, in patrias qui poſſum vertere voces.

Et Seneca, Nondum ſunt, inquit, mille anni, ex quo initia ſapientiæ nota ſunt. Multis ergo ſeculis humanum genus ſine ratione vixit. Quod irridens Perſius, Poſtquam, inquit, ſapere vrbi Cum pipere, & palmis venit: tanquam ſapientia cum ſaporis mercibus fuerit inuecta. quæ ſi ſecundum hominis naturam eſt, cum homine ipſo cœperit, neceſſe eſt: ſi verò non eſt, nec capere quidem illam poſſet humana natura. Sed quia recepit, igitur à principio fuiſſe ſapientiam neceſſe eſt. ergo philoſophia, quia non à principio fuit, non eſt eadem vera ſapientia. ſed videlicet Græci, qui ſacras veritatis literas non attigerant, quemadmodum deprauata eſſet ſapientia, neſcierunt. Et ideo cùm vacare ſapientia humanam vitam putarent, philoſophiam commenti ſunt, id eſt, latentem, atque ignotam ſibi veritatem diſſerendo eruere voluerunt. quod ſtudium per ignorantiam veri, ſapientiam putauerunt.

De Philoſophia, & indulgentia Epicuri.

CAPVT XVII.

DIxi de philoſophia ipſa, quàm breuiter potui: nunc ad philoſophos veniamus, non vt cum his decertemus, qui ſtare non poſſunt, ſed vt eos fugientes, atque deiectos noſtro campo inſequamur. Epicuri diſciplina multo celebrior ſemper fuit, quã cæterorum: non quia veri aliquid afferat, ſed quia multos populare nomen voluptatis inuitat. Nemo enim non in vitia pronus eſt. * Propterea, vt ad ſe multitudinẽ contrahat, appoſita ſingulis quibuſq; moribus loquitur: Deſidioſum vetat literas diſcere, auarum populari largitione liberat, ignauum prohibet accedere ad remp. pigrum exercere, timidum militare. irreligioſus, audit deos nihil curare, inhumanus, & ſuis commodis ſeruiens, iubetur nihil cuiquam tribuere: omnia enim ſua cauſa facere ſapientem. fugienti turbam, ſolitudo laudatur, qui nimium parcus eſt, diſcit aqua, & polenta vitam poſſe tolerare. qui odit vxorem, huic enumerantur cœlibatus bona: habenti malos liberos, orbitas prædicatur: aduerſus impios parentes nullum eſſe vinculum naturę. impatienti ac delicato, dolorem eſſe omnium malorum maximum dicitur: forti, etiam in tormentis beatum eſſe ſapientem. qui claritati, ac potentiæ ſtudet, huic præcipitur reges colere: qui moleſtiã ferre non poteſt, huic regiam fugere. Ita homo aſtutus ex varijs, diuerſiſq; * modis circulum cogit, & dum ſtudet placere omnibus, maiore diſcordia ſecũ ipſe pugnauit, quã inter ſe vniuerſi. Vnde autem diſciplina eius tota deſcendat, quam originem habeat, explicandum eſt. Videbat Epicurus bonis aduerſa ſemper accidere, paupertatem, labores, exilia, carorum amiſſiones: malos contrà, beatos eſſe, augeri potentia, honoribus affici: videbat innocentiam minus tutam,

B F G H

al. Præterea.

al. morib.

A ſcelera impunè committi: videbat, ſine delectu morum, ſine ordine, ac diſcrimine annorum ſæuire mortem, ſed alios ad ſenectutem peruenire, alios infantes rapi, alios iam robuſtos interire, alios in primo adoleſcentiæ flore immaturis funeribus extingui, in bellis potius meliores & vinci, & perire, maximè autem commouebat, homines in primis religioſos grauioribus malis affici. iis autem qui aut deos omnino negligerent, aut non piè colerent, vel minora incommoda euenire, vel nulla: ipſa etiam ſæpè templa fulminibus conflagrare. Quod Lucretius queritur, cùm dicit de Deo:

Tum fulmina mittat: & ædis
Ipſe ſuas diſturbet: & in deſerta recedens,
Sæuiat exercens telum: quod ſæpe nocentes
Præterit, exanimatq; indignos, inque merentes.

Quòd ſi vel exiguam veritatis notam colligere potuiſſet, nunquam diceret, ædes illum ſuas diſturbare, cùm ideo
B diſturbet, quòd non ſunt ſuæ. Capitolium, quod eſt Romanæ vrbis, & religionis caput ſummum, non ſemel, ſed ſæpius fulmine ictum conflagrauit. Homines autem ingenioſi quid de hoc exiſtimauerint, ex dicto Ciceronis apparet: qui ait, diuinitus extitiſſe illam flammam, non quæ terreſtre illud domicilium Iouis deleret, ſed quæ ſublimius, magnificentiuſque depoſceret. Qua de re etiam in libris conſulatus ſui eadem dixit, quæ Lucretius:

Nam pater altitonans ſtellanti nixus Olympo,
Ipſe ſuas arces, atque inclyta templa petiuit,
Et Capitolinis iniecit ſedibus ignes.

Pertinaci ergo ſtultitia non modò vim, maieſtatemque veri Dei non intellexerunt, ſed etiam impietatem ſui erroris auxerunt, qui templum cæleſti iudicio ſæpe damnatum reſtituere contra fas omne contenderint. Cum hæc igitur cogitaret Epicurus, earum rerum velut iniquitate inductus (ſic enim, cauſam rationemque ignoranti videbatur) exiſtimauit nullam eſſe prouidentiam. quod cùm
C ſibi perſuaſiſſet, ſuſcepit etiam defendendum. ſic in errores inextricabiles ſe ipſe coniecit. Si enim prouidentia nulla eſt, quomodo tam ordinatè, tam diſpoſitè mundus effectus eſt? Nulla, inquit, diſpoſitio eſt. multa enim facta ſunt aliter, quàm fieri debuerunt. & inuenit homo diuinus, quæ reprehenderet. Quæ ſingula ſi vacaret refellere, facilè oſtenderem, nec ſapientem hunc fuiſſe, nec ſanum. item ſi nulla prouidentia eſt, quomodo animalium corpora tam prouidenter ordinata ſunt, vt ſingula quæque membra mirabili ratione diſpoſita, ſua officia conſeruent? Nihil, inquit, in procreandis animalibus prouidentiæ ratio molita eſt. nam neque oculi facti ſunt ad videndum, neque aures ad audiendum, neque lingua ad loquendum, neque pedes ad ambulandum: quoniam prius hæc nata ſunt, quàm eſſet, loqui, audire, videre, ambulare. Itaque non hæc ad vſum nata ſunt, ſed vſus ex illis natus eſt. Si nulla prouidentia eſt, cur imbres cadunt, fruges oriuntur, arbuſta frondeſcunt? Non, in-
D quit, ſemper animantium cauſa iſta fiunt: quoniam prouidentiæ nihil proſunt, ſed omnia ſua ſponte fieri, neceſſe eſt. Vnde ergo naſcuntur, aut quomodo fiunt omnia, quæ geruntur? Non eſt, inquit, prouidentiæ opus, ſunt enim ſemina per inane volitantia, quibus inter ſe temerè conglobatis, vniuerſa gignuntur, atque concreſcunt. Cur igitur illa non ſentimus, aut cernimus? Quia nec colorem habent, inquit, nec calorem vllum, nec odorem, ſaporis quoque, & humoris expertia ſunt, & tam minuta, vt ſecari, ac diuidi nequeant. Sic eum, quia in principio falſum ſuſceperat, conſequentium rerum neceſſitas ad deliramenta perduxit. Vbi enim ſunt, aut vnde iſta corpuſcula? Cur illa nemo præter vnum Leucippum ſomniauit? à quo Democritus eruditus, hæreditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro. Quæ ſi ſunt corpuſcula, & quidem ſolida, vt dicunt, ſub oculos certè venire poſſunt. Si eadem eſt natura omnium, quomodo res varias efficiunt? Vario, inquit, ordine, ac poſitione conueniunt, ſicut literæ: quæ cùm ſint paucæ, variè tamen collocatæ, innumerabilia verba conficiunt. At literæ varias formas habent: ita, inquit, & hæc ipſa primordia. nam ſunt aſpera, ſunt hamata, ſunt læuia. Secari ergo, & diuidi poſſunt,

ſi aliquid ineſt illis, quod emineat. a Si autem leuia ſunt, E
& * humoris indigent, cohærere non poſſunt. Hamata igitur eſſe oportet, vt poſſint inuicem concatenari. Cùm al. hamis
verò tam minuta eſſe dicatur, vt nulla ferri acie diſſici valeant, quomodo hamos, aut angulos habent? Quos, quia extant, neceſſe eſt poſſe diuelli. Deinde quo fœdere inter ſe, qua mente conueniunt, vt ex his aliquid conſtituatur? ſi ſenſu carent, nec coire tam diſpoſitè poſſunt. quia non poteſt quicquam rationale perficere niſi ratio. Quàm multis coargui hæc vanitas poteſt! ſed properat oratio.

Hic eſt ille,
Qui genus humanum ingenio ſuperauit, & omnes
Reſtinxit ſtellas, exortus vti æthereus ſol.

quos equidem verſus nunquam ſine riſu legere poſſum. Non enim de Socrate, aut Platone hoc ſaltem dicebat, qui velut reges, habentur philoſophorum: ſed de homine: quo ſano, & vigente nullus æger ineptius delirauit.
F Itaque poëta inaniſſimus leonis laudibus murem non ornauit, ſed obruit, & obtriuit. At idem nos metu liberat mortis. de qua hæc ipſius verba ſunt expreſſa. Quando nos ſumus, mors non eſt. quando mors eſt, nos non ſumus, mors ergo nihil ad nos. Quàm argutè nos fefellit, quaſi verò tranſacta mors timeatur, quia iam ſenſus ereptus eſt, ac non ipſum mori, quo ſenſus eripitur. Eſt enim tempus aliquod, quo & nos iam non ſumus, & mors tamen nondum eſt, idque ipſum videtur miſerum eſſe, * cùm al. quo.
& mors eſſe incipit, & nos eſſe deſinimus. Nec fruſtra dictum eſt: MORS miſera non eſt. aditus ad mortem eſt miſer, hoc eſt, morbo tabeſcere, ictum perpeti, ferrum corpore excipere, ardere igni, dentibus beſtiarum laniari. Hæc ſunt, quæ timentur, non quia mortem afferant, ſed quia dolorem magnum. Quæ res potius efficit, vt dolor malum ſit. Omnium, inquit, malorum maximum eſt. Qui ergo non poſſum non timere, ſi id, quod mortem antecedit, aut efficit, malum eſt? Quid, quod totum illud argumentum falſum eſt? quia non intereunt animæ. Verè inquit, nam
G quod cum corpore naſcitur, cum corpore intereat, neceſſe eſt. Iam ſuperius dixi, differre me hunc locum melius, & operi vltimo reſeruare, vt hanc Epicuri perſuaſionem, ſiue illa Democriti, ſiue Dicæarchi fuit, & argumentis, & diuinis teſtimoniis redarguam. Verùm ille totiaſſe impunitatem vitiis ſuis ſpopondit. fuit enim turpiſſimæ voluptatis aſſertor: cuius capiendæ cauſa, naſci hominem putauit. Quis, cùm hoc affirmari audiat, vitiis, & ſceleribus abſtineat? Nam ſi perituræ ſunt animæ, appetamus diuitias, vt omnes ſuauitates capere poſſimus, quæ ſi nobis deſunt, ab iis qui habent, auferamus clàm, dolo, vi, eo magis, ſi humanas res Deus nullas curat, quandocunque ſpes impunitatis arriſerit, rapiamus, necemus. Sapientis eſt enim, malefacere, ſi & vtile ſit, & tutum: quoniam ſi quis in cælo Deus eſt, non iraſcitur cuiquam. Æquè ſtulti eſt, & benefacere: quia ſicut ira non commouetur, ita nec gratia tangitur. Voluptatibus igitur, quoquomodo
H poſſumus, ſeruiamus. Breui enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis ſine voluptate patiamur, ne, quia ipſi quandoque perituri ſumus, id ipſum, quod viximus, pereat. Hoc ille tametſi non dicit verbo, re tamen ipſa docet. Nam cùm diſputat, omnia ſapientem ſua cauſa facere, ad vtilitatem ſuam refert omnia, quæ agit. Itaque qui audit hæc flagitia, nec boni quicquam faciendum putabit, quoniam bene facere ad vtilitatem ſpectat alienam: nec à ſcelere abſtinendum: quia maleficio præda coniuncta eſt. Archipirata quiſquam, vel latronum ductor, ſi ſuos ad graſſandum cohortetur, quo alio ſermone vti poteſt, quàm vt eadem dicat, quæ dicit Epicurus? Deos nihil curare, non ira, non gratia tangi: inferorum pœnas non eſſe metuendas, quod animæ poſt mortem occidant, nec vllos omnino eſſe inferos: voluptatem eſſe maximum bonum: nullam eſſe humanam ſocietatem: ſibi quemque conſulere: neminem eſſe, qui alterum diligat, niſi ſua cauſa: mortem non eſſe metuendam forti viro, nec vllum dolorem, qui, etiamſi torqueatur, ſi vratur, nihil ſe curare dicat. Eſt planè, cur quiſquam

puter

A puter hanc vocem viri eſſe ſapientis, quæ poteſt latronibus aptiſſimè accommodari.

Scholia.

a Si autem leuia ſunt, & humoris indigent] *habent libri impreſſi & multi manuſcripti.* ſi autem leuia ſunt & hamis indigent, cohærere non poſſunt, *legendum puto, vt eſt in antiquo codice, nam ante, & poſt loquitur de hamatis. leuia enim, cum diceret eſſe primordia illa Epicurus, conſequebatur, vt cohærere non poſſent, quod, vt euitaret, adiungebat eis hamos, humoris autem legi nullo modo poteſt quia humor additus leuitati, non ſolum nullam cohæſionem, ſed lapſum potius efficeret, intelligenda vero ſunt hæc, vt ſit antecedens ab Epicuro datum: atoma leuia eſſe, & hamata. quia aliter cohærere non poſſunt. ex his vero Lactantius, mutatis potius verbis, quam ſententia colligit: hamata igitur eſſe oportet, vt poſſint catenari. quæ repetitio valet ad hoc, vt abſurditas ipſa ſententiæ Epicuri melius intelligatur.*

B

De Pythagoricorum, & Stoicorum diſciplina, & morte voluntaria.

CAPVT XVIII.

ALij autem contraria his diſſerunt; ſupereſſe animas poſt mortē, & hi ſunt maximè Pythagorici, ac Stoici: quibus etſi ignoſcendum eſt, quia verum ſentiunt: non poſſum tamen non reprehendere eos, quia non ſcientia, ſed caſu inciderunt in veritatem. itaque in eo ipſo, quod rectè ſentiebant, aliquid errarunt. Nam cùm timerent argumentum illud, quo colligitur, neceſſe eſſe, vt occidant animæ cum corporibus, quia cum corporibus naſcuntur: dixerunt non naſci animas, ſed inſinuari potius in corpora, & de alijs in alia migrare. Non putauerunt aliter fieri poſſe, vt ſuperſint animæ poſt corpora, niſi C videantur fuiſſe ante corpora. Par igitur, ac prope ſimilis error eſt partis vtriuſque. Sed hæc in præterito falſa eſt, illa in futuro. Nemo enim vidit, quod eſt veriſſimum, & naſci animas, & non occidere: quia, cur id fieret, aut a quæ ratio eſſet * homines neſcierunt. Multi ergo ex ijs, quia æternas eſſe animas ſuſpicabantur, tanquam in cælum migraturi eſſent, ſibi ipſis manus intulerunt, vt Cleanthes, vt Chryſippus, vt Zenon, vt Empedocles, qui ſe in ardentis Ætnæ ſpecum intempeſta nocte deiecit, vt, cùm repentè non appáruiſſet, abijſſe ad Deos crederetur: & ex Romanis Cato, qui fuit in omni ſua vita Socraticæ vanitatis imitator. Nam Democritus in alia fuit perſuaſione. Sed tamen Sponte ſua leto caput obuius obtulit ipſe, quo nihil ſceleratius fieri poteſt. Nam ſi homicida, nefarius eſt, quia hominis extinctor eſt. eidem ſceleri obſtrictus eſt, qui ſe necat, quia hominem necat. Immo verò maius eſſe id facinus exiſtimandum eſt, cuius vltio Deo D ſoli ſubiacet. Nam ſicut in hanc vitam non noſtra ſponte venimus, ita ruſſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſſignatum eſt, eiuſdem iuſſu recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec iubeat emitti, & ſi vis aliqua inferatur, æqua mente id ferendum eſt, cùm extincta innocentis anima multa eſſe non poſſit, habeamuſque * vindicem magnum, cui ſoli vindicta integra ſemper eſt. Homicidæ igitur illi omnes philoſophi, & ipſe Romanæ ſapientiæ princeps Cato: qui antequam ſe occideret, perlegiſſe Platonis librum dicitur, qui eſt ſcriptus de æternitate animarum, & ad ſummum nefas philoſophi auctoritate compulſus eſt. & hic tamen aliquam moriendi cauſam videtur habuiſſe, odium ſeruitutis. Quid Ambraciotes ille, qui, cum eundem librum perlegiſſet. præcipitem ſe dedit, nullam aliam ob cauſam, niſi quod Platoni crediderit? Execrabilis prorſus, ac fugienda doctrina, ſi abigit homines à vita. Quòd ſi ſciſſet Plato, atque docuiſſet, à quo, & quomodo, & quibus, & quæ ob facta, & quo tempore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotum impegiſſet in mortem voluntariam, nec Catonem, ſed eos ad vitam, & iuſtitiam potius erudiiſſet. Nam Cato videtur mihi cauſam quæſiſſe moriendi, non tam vt Cæſarem fugeret, quam vt

Margin: al. hominis. — al. inuicē.

E Stoicorum decretis obtemperaret, quos ſectabatur. nomenque ſuum grandi aliquo facinore clarificaret. cui quid mali accidere potuerit, ſi viueret, non inuenio. C. enim Cæſar, vt clemens erat, nihil aliud efficere volebat, etiam in ipſo belli ciuilis ardore, quàm vt bene mereri de Repub. videretur, duobus optimis ciuibus, Cicerone & Catone, ſeruatis. Sed redeamus ad eos, qui mortem pro bono laudant. De vita quæreris: quaſi viaeris, aut vnquam tibi ratio conſtiterit, cur omnino ſis natus. Nonne igitur tibi verus ille, & communis omnium pater Terentianum illud iure increpauerit? Prius diſce, quid ſit viuere. ſi diſplicebit vita, tum iſtoc vtitor. Indignaris te malis eſſe ſubiectum: quaſi quicquam merearis boni, qui patrem, qui dominum, qui regem tuum neſcis: qui quamuis clariſſimam lucem intuearis oculis, mente tamen cæcus es, & in profundis ignorantiæ tenebris iaces, quæ ignorantia effecit, vt quoſdam dicere non puderet, ideo nos eſſe natos, vt ſcelerum pœnas lueremus, quo quid F delirius dici poſſit, non * inuenio. Vbi enim, vel quæ ſcelera potuimus admittere, qui omnino non fuimus? Niſi forte credemus inepto illi ſeni, qui ſe in priori vita Euphorbum fuiſſe mentitus eſt. Hic credo, quòd erat ignobili genere natus, familiam ſibi ex Homeri carminibus adoptauit. O miram, & ſingularem Pythagoræ memoriam! O miſeram obliuionem noſtram omnium, qui neſciamus, qui antè fuerimus! Sed fortaſſe vel errore aliquo, vel gratia ſit effectum, vt ille ſolus lethæum gurgitem non attigerit, nec obliuionis aquam guſtauerit. videlicet ſenex vanus (ſicut otioſæ aniculæ ſolent) fabulas tanquam infantibus credulis finxit. Quòd ſi bene ſenſiſſet de ijs, quibus hæc locutus eſt, ſi homines eos exiſtimaſſet: nunquam ſibi tam petulantes mentiendi licentiam vindicaſſet, ſed deridenda eſt hominis leuiſſimi vanitas. Quid Ciceroni faciemus? qui cùm in principio conſolationis ſuæ dixiſſet, luendorum ſcelerum cauſa naſci homines. iterauit id ipſum poſtea, quaſi obiurgans G eum, qui vitam, pœnam non eſſe putet. rectè ergo * profatus eſt, errore, ac miſerabili veritatis ignorantia ſe teneri. At illi, qui de mortis bono diſputant, quia nihil veri ſciunt, ſic argumentantur: Si nihil eſt poſt mortem, non eſt malum mors, aufert enim ſenſum mali. Si autem ſuperſint animæ, eſt etiam bonum, quia immortalitas ſequitur. Quam ſententiam Cicero de Legibus ſic explicauit: Gratulamurque nobis, quoniam mors aut meliorem, quàm qui eſt in vita, aut certè non deteriorem allatura eſt ſtatum. Nam ſine corpore animo vigente, diuina vita eſt, ſenſu * carente, nihil profectò eſt mali. Arguitè, vt ſibi videbatur, quaſi nihil eſſe aliud poſſit. Atqui vtrumque hoc falſum eſt. Docent enim diuinæ literæ, non extingui animas, ſed aut pro iuſtitia præmio affici, aut pœna pro ſceleribus ſempiterna. Nec enim fas eſt, aut eum, qui ſceleratus in vita fœliciter fuerit, effugere quod meretur, aut eum, qui ob iuſtitiam miſerrimus fuerit, ſua mercede fraudari. Quod adeo verum eſt, vt idem H Tullius in conſolatione, non eaſdem ſedes incolere iuſtos, atque impios, prædicauerit. Nec enim omnibus, inquit, ijdem illi ſapientes arbitrati ſunt eundem curſum in cælum patere. nam vitijs, & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno iacere docuerunt, caſtos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam ſtudijs, atque artibus expolitos, leui quodam, & facili lapſu ad deos, id eſt, ad naturam ſui ſimilem peruolare. Quæ ſententia ſuperiori illi argumento repugnat. Illud enim ſic aſſumptum eſt, tanquam neceſſe ſit, omnem hominem natum, immortalitate donari. Quod igitur erit diſcrimen virtutis, ac ſceleris, ſi nihil intereſt, vtrumne Ariſtides ſit aliquis, an Phalaris? vtrum Cato, an Catilina? Sed hanc repugnantiam rerum, ſententiarumque non cernit, niſi qui tenet veritatem. Si quis igitur nos roget, vtrumne bonum ſit mors, an malum: reſpondebimus, qualitatem eius ex vitæ ratione pendere. Nam ſicut vita ipſa bonum eſt, ſi cum virtute viuatur, malum, ſi cum ſcelere: ſic & mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda eſt. Ita fit, vt ſi vita in Dei religione tranſacta ſit, mors malum non ſit, quia tranſlatio eſt ad immortali-

Margin: al. video. — al. præfatum. — al. percunctè.

A tatem. Sin aliter, malum ſit, neceſſe eſt, quoniam ad æterna (vt dixi) ſupplicia tranſmittit. Quid ergo dicemus, niſi errare illos, qui aut mortem appetunt, tanquam bonum, aut vitam fugiunt, tanquam malum? Niſi quòd ſunt iniquiſſimi, qui pauciora mala non penſant bonis pluribus. Nam cùm omnem vitam per exquiſitas, & varias traducant voluptates, mori cupiunt, ſi quid fortè his amaritudinis ſuperuenerit: & ſic habent, tanquam illis nunquam fuerit bene, ſi aliquando fuerit malè. Damnant igitur vitam omnem, plenamque nihil aliud, quàm malis opinantur. Hinc nata eſt inepta illa ſententia: hanc eſſe mortem, quam nos vitam putemus, illam vitam, quam nos pro morte timeamus: ita primum bonum eſſe, non naſci, ſecundum, citius mori. Quæ, vt maioris ſit auctoritatis, Sileno attribuitur. Cicero ſic in conſolatione: Non naſci, inquit, longè optimum, nec in * his ſcopulos incidere vitæ: Proximum autem, ſi natus ſis, quàm primum, (al. hos.)

B tanquam ex incendio effugere fortunæ. Credidiſſe illum vaniſſimo dicto exinde apparet, quòd adiecit aliquid de ſuo, vt ornaret. Quæro igitur, cui eſſe optimum putet non naſci, cùm ſit nullus omnino, qui ſentiat. nam vt bonum ſit aliquid, aut malum, ſenſus efficit. Deinde cur omnem vitam nihil aliud eſſe, quàm ſcopulos, & incendium putauerit, quaſi aut in noſtra fuerit poteſtate, ne naſceremur, aut vitam nobis fortuna tribuat, non Deus, aut viuendi ratio quicquam ſimile incendio habere videatur. Non diſſimile Platonis illud eſt, quòd aiebat, ſe gratias agere naturæ: Primùm, quòd homo natus eſſet, potius quàm mutum animal: Deinde, quòd * maſculus potius, quàm fœmina: quod Græcus, quàm Barbarus: Poſtremò, quòd Athenienſis, & quòd temporibus Socratis. Dici non poteſt, quantam mentibus cæcitatem, quantoſque pariat errores ignoratio veritatis. Ego planè contenderim, nunquam quicquam dictum eſſe in rebus humanis delirius. Quaſi verò ſi aut Barbarus, aut mulier, aut (al. mas.)

C aſinus denique natus eſſet, idem ipſe Plato eſſet, ac non ipſum illud, quod natum fuiſſet. Sed videlicet Pythagoræ credidit, qui vt vetaret homines animalibus veſci, dixit, animas de corporibus in aliorum animalium corpora commeare. quod & vanum, & impoſſibile eſt: Vanum, quia neceſſe non fuit, veteres animas in noua corpora inducere, cùm idem artifex, qui primas aliquando fecerat, potuerit ſemper nouas facere: Impoſſibile, quia recta rationis anima, tam immutare naturam ſtatus ſui non poteſt, quàm ignis aut deorſum niti aut in tranſuerſum, fluminis modo, flammam ſuam fundere. Exiſtimauit igitur homo ſapiens, potuiſſe fieri, vt anima quæ tunc erat in Platone, in aliquod mutum animal includeretur, eſſetque humano ſenſu prædita, vt intelligeret, ac doleret, incongruenti ſe corpore oneratam. Quanto ſanius faceret, ſi gratias agere ſe diceret, quòd ingenioſus, quòd do-

D cilis natus eſſet, quòd in iis opibus, vt liberaliter erudiretur. Nam quòd Athenis natus eſt, quid in eo beneficij fuit? An non plurimi extiterunt in alijs ciuitatibus excellenti ingenio, atque doctrina viri, qui meliores ſinguli, quàm omnes Athenienſes fuerunt? Quanta hominum millia fuiſſe credantur, qui & Athenis nati, & temporibus Socratis, indocti tamen, ac ſtulti fuerunt? Non enim aut parietes, aut locus, in quo quiſque eſt effuſus ex vtero, conciliat homini ſapientiam. Quid verò attinuit, Socratis ſe temporibus ᵇ natum * gloriari? Num Socrates ingenia diſcentibus potuit commodare? Non venit in mentem Platoni, Alcibiadem quoque, & Critiam eiuſdem Socratis aſſiduos auditores fuiſſe, quorum alter hoſtis patriæ acerrimus fuit, alter crudeliſſimus omnium tyrannorum. (al. gratulari.)

S c h o l i a.

ᵃ Quæ ratio eſſet hominis neſcierunt] *habet antiquus codex, & mihi probatur, vt legamus hominum, non hominis. quia de hominibus vniuerſim non tractant, quod illa neſcirent, ſed de Pythagoricis, & Stoicis, aut eos, qui rationem hominum neſcierunt, quæ eſt: vt homo ex duobus principijs, altero terreno, altero æterno conſtare debeat. non potuiſſe intelligere animas eſſe æternas, ſi cum corporibus crearentur.*

E ᵇ Natum gratulari] *legendum eſt ex omnibus antiquis codicibus, nam paulo inferius ait: cuius temporibus natum eſſe ſe homo ſapiens gratulatur. & prius dixerat, gratias agere naturæ: nullibi tamen legitur gloriari.*

De Socratis diſciplina, & dictis.

C A P V T XIX.

Videamus nunc, quid in Socrate ipſo tam magnum fuerit, vt homo ſapiens meritò gratias ageret, illius ſe temporibus eſſe natum. Non inficior, fuiſſe illum paulò cordatiorem, quàm cæteros, qui naturam rerum putauerunt ingenio poſſe comprehendi. In quo illos non excordes tantùm fuiſſe arbitror, ſed etiam impios, quòd in ſecreta cœleſtis illius prouidentiæ, curioſos oculos voluerint immittere. Romæ, & in pleriſque vrbibus ſcimus eſſe quædam ſacra, quæ aſpici à viris nefas habeatur. Ab-

F ſtinent igitur aſpectu, quibus contaminare illa non licet: & ſi fortè vel errore, vel caſu quiſpiam vir aſpexerit, primò pœna eius, deinde inſtauratione ſacrificij ſcelus expiatur. Quid his facias, qui inconceſſa ſcrutari volunt? Nimirum multò ſceleratiores, qui arcana mundi, & hoc cœleſte templum profanare impijs diſputationibus quærunt, quàm qui ædem Veſtæ, aut Bonæ deæ, aut Cereris intrauerint. Quæ penetralia, quamuis adire viris non liceat, tamen à viris fabricata ſunt. Hi verò non tantùm impietatis crimen effugiunt, ſed, quod eſt multò indignius, eloquentiæ famam, & ingenij gloriam conſequuntur. Quid, ſi aliquid inueſtigare poſſent? Sunt enim tam ſtulti in aſſeuerando, quàm improbi in quærendo, cùm neque inuenire quicquam poſſint, nec defendere, etiamſi inuenerint. Nam ſi verum vel fortuito viderint, quod ſæpius contingit, committunt, vt ab alijs id pro fal-

G ſo refellatur. Non enim deſcendit aliquis de cœlo, qui ſententiam de ſingulorum opinionibus ferat. quapropter nemo dubitauerit, eos, qui iſta conquirant, ſtultos, ineptos, inſanos eſſe. Aliquid ergo Socrates habuit cordis humani, qui cùm intelligeret hæc non poſſe inueniri, ab eiuſmodi quæſtionibus ſe remouit. vereorque ne in eo ſolo. Multa enim ſunt eius non modò laude indigna, ſed etiam reprehenſione digniſſima: in quibus fuit ſuorum ſimillimus. Ex his vnum eligam, quod ab omnibus ſit probatum. celebre hoc prouerbium Socrates habuit: Q v o d ſupra nos, nihil ad nos. Procumbamus igitur in terram, & manus nobis ad præclara opera datas conuertamus in pedes. Nihil ad nos cœlum, ad cuius contemplationem ſumus excitati, nihil denique lux ipſa pertineat. certè victus noſtri cauſa de cœlo eſt. Quòd ſi hoc ſenſit, non eſſe de rebus cœleſtibus diſputandum, ne illorum

H quidem rationem poterat comprehendere, quæ ſub pedibus habebat. Quid ergo? num errauit in verbis? Veriſimile non eſt: ſed nimirum id ſenſit, quod locutus eſt, religioni minimè ſeruiendum. quod ſi aperte diceret, nemo pateretur. Quis enim non ſentiat, hunc mundum tam mirabili ratione perfectum, aliqua prouidentia gubernari? quandoquidem nihil eſt, quod poſſit ſine vllo moderatore conſiſtere. Sic domus ab habitatore deſerta dilabitur. nauis ſine gubernatore abit peſſum, & corpus relictum ab anima defluit: nedum putemus tantam illam molem aut conſtrui ſine artifice, aut ſtare tamdiu ſine rectore potuiſſe. Quòd ſi publicas illas religiones voluit euertere, non improbo, quin etiam laudabo, ſi ipſe quod eſt melius inuenerit. Verum idem per canem, & anſerem deierabat. O hominem ſcurram (vt ait Zeno Epicureus) ineptum, perditum deſperatum! ſi cauillari voluit religionem, dementem, ſi hoc ſerio fecit, vt animal turpiſſimum pro Deo haberet. Quis iam ſuperſtitiones Ægyptiorum audeat reprehendere, quas Socrates Athenis auctoritate confirmauit ſua? Illud verò nonne ſummæ vanitatis, quòd ante mortem familiares ſuos rogauit, vt Æſculapio gallum, quem vouerat, pro ſe ſacrarent? Timuit videlicet, ne apud Rhadamanthum * recuperatorem, voti reus fieret ab Æſculapio. Dementiſſimum hominem putarem, ſi morbo affectus periſſet. Cùm verò (al. receptorem.)

A hoc ſanus fecerit, eſt ipſe inſanus, qui eum putet eſſe ſapientem. En, cuius temporibus natum eſſe ſe homo ſapiens gratulatur.

De Platonis diſciplina & præceptis.

CAPVT XX.

Videamus tamen, quid illum Socrates docuerit: qui cùm totam Phyſicam repudiaſſet, eò ſe contulit, vt de virtute, atque officio quæreret. itaque non dubito, quin auditores ſuos iuſtitiæ præceptis erudierit. Docente igitur Socrate, non fugit Platonem, iuſtitiæ vim in æquitate conſiſtere: ſiquidem omnes pari conditione naſcuntur. Ergo nihil, inquit, priuati ac proprij habeant, ſed vt pares eſſe poſſint, quod iuſtitiæ ratio deſiderat, omnia in commune poſſideant. Ferri hoc poteſt, quamdiu de pecunia dici videtur. Quod ipſum quàm impoſſibile ſit, & quàm

B iniuſtum, poteram multis rebus oſtendere. Concedamus tamen, vt poſſit fieri. Omnes enim ſapientes erunt, & pecuniam contemnent. Quò ergo illum communitas iſta perduxit? Matrimonia quoque, inquit, communia eſſe debebunt: ſcilicet vt ad eandem mulierem multi viri, tanquam canes confluant, & is vtique obtineat, qui viribus vicerit: aut ſi ſapientes ſunt, vt philoſophi, expectent, *& vicibus tanquam lupanar obeant. O miram Platonis æquitatem! Vbi eſt igitur virtus caſtitatis? vbi fides coniugalis? quæ ſi tollas, omnis iuſtitia ſublata eſt. at idem dixit, beatas ciuitates futuras fuiſſe, ſi aut philoſophi regnarent, aut reges philoſopharentur. Huic verò tam iuſto, tam æquo viro regnum dares: alijs abſtuliſſet ſua, alijs condonaſſet aliena: proſtituiſſet pudicitiam fœminarum. quæ nullus vnquam non modo rex, ſed ne tyrannus quidem fecit. *Cum verò intulit rationem turpiſſimi huius conſilij, ſic inquit: Ciuitas concors erit, & mutui amoris conſtricta vinculis, ſi omnes omnium fuerint &

al. vt

al. Quam

C mariti, & patres, & vxores, & liberi. Quæ iſta confuſio generis humani eſt? Quomodo ſeruari poteſt caritas, vbi nihil eſt certum quod ametur? Quis aut vir mulierem, aut mulier virum diliget, niſi habitauerint ſemper vnà? niſi deuota mens, & ſeruata inuicem fides indiuiduam fecerit caritatem? quæ virtus in illa promiſcua voluptate locum non habet. Item ſi omnes omnium liberi ſint, quis amare liberos, tanquam ſuos, poterit, cùm ſuos eſſe aut ignoret, aut dubitet? quis honorem tanquam patri deferet, cum vnde natus ſit, neſciat? Ex quo fit, vt non tantùm alienum pro patre habeat, ſed etiam patrem pro alieno. Quid, quòd vxor poteſt eſſe communis, filius non poteſt? quem concipi non niſi ex vno neceſſe eſt. Perit ergo illi vna communitas, ipſa reclamante natura. Supereſt, vt tantummodo concordiæ cauſa vxores velint eſſe communes. At nulla vehementior diſcordiarum cauſa eſt, quàm

D vnius fœminæ à multis maribus appetitio. In quo Plato ſi ratione non potuit, exemplis certè potuit admoneri & mutorum animalium, quæ ob hoc vel acerrimè pugnant, & hominum, qui ſemper ob eam rem grauiſſima inter ſe bella geſſerunt.

De Platonis præceptis: ibique ea reprehenſa.

CAPVT XXI.

Reſtat, vt communio iſta nihil aliud habeat, præter adulteria, & libidines, propter quas funditus eruendas, virtus eſt vel maximè neceſſaria. Itaque non inuenit concordiam, quam quærebat, quia non videbat, vnde oriatur. Nam iuſtitia in extra poſitis nihil momenti habet, ne in corpore quidem, ſed tota in hominis mente verſatur. Qui ergo vult homines adæquare, non matrimonia, non opes ſubtrahere debet, ſed arrogantiam, ſuperbiam, tumorem, vt illi potentes, & elati pares eſſe ſe etiam mendiciſſimis ſciant. Detracta enim diuitibus inſolentia, & iniquitate, nihil intererit, vtrumne alij diuites, alij pauperes ſint, cùm animi pares ſint, quod efficere nulla res alia præter religionem Dei poteſt. Putauit igitur ſe inueniſſe

E iuſtitiam, cùm eam prorſus euerterit, quia non rerum fragilium, ſed mentium debet eſſe communitas. Nam ſi iuſtitia virtutum omnium mater eſt, cùm illæ ſingulæ tolluntur, ipſa ſubuertitur. Tulit autem Plato ante omnia frugalitatem, quæ vtique nulla eſt, vbi proprij nihil habeatur. Tulit abſtinentiam, *a* ſiquidem * nihil fuerit, quod abſtineatur, alienum. Tulit temperantiam, tulit caſtitatem, quæ virtutes in vtroque ſexu maximæ ſunt. Tulit verecundiam, pudorem, modeſtiam, ſi honeſta, & legitima eſſe incipiunt, quæ ſolent flagitioſa, & turpia iudicari. Sic virtutem dum vult omnibus dare, omnibus ademit. Nam rerum proprietas, & vitiorum, & virtutum materiam continet, communitas autem nihil aliud quam vitiorum licentiam. Nam viri, qui multas mulieres habent, nihil aliud dici poſſunt, quàm luxurioſi, ac nepotes. Item mulieres, quæ à multis habentur, non vtique adulteræ, quia certum matrimonium nullum eſt, ſed proſtitutæ, ac

al. nullus fuerit qui abſtineat alieno.

F meretrices ſint neceſſe eſt. Redegit ergo humanam vitam ad ſimilitudinem non dico mutorum, ſed pecudum, ac belluarum. Nam volucres penè omnes faciunt matrimonia, & paria iungunt, & nidos ſuos tanquam geniales toros concordi mente defendunt, & fœtus ſuos, quia certi ſunt, amant, & ſi alienos obijcias, abigunt. At homo ſapiens contra morem hominum, contraque naturam, ſtultiora ſibi, quæ imitaretur, elegit. Et quoniam videbat in cæteris animalibus officia marium, fœminarumque non eſſe diuiſa, exiſtimauit oportere etiam mulieres militare, & conſilijs publicis intereſſe, & magiſtratus gerere, & imperia ſuſcipere, itaque his arma, & equos aſſignauit, conſequens eſt, vt lanam, & telam viris, & infantium geſtationes. Nec vidit impoſſibilia eſſe, quæ diceret, ex eo, quòd adhuc in orbe terræ neque tam ſtulta, neque tam ſapiens vlla gens extiterit, quæ hoc modo viueret.

SCHOLIA.

G *a* Siquidem nihil fuerit quod abſtineatur alienum] *legitur in libris impreſſis, & in multis manuſcriptis.* ſiquidem nullus fuerit, qui abſtineat alieno. *habet codex antiquus, quæ oratio Latina eſt, & planum ſenſum habet, cum altera clarè videatur fuiſſe corrupta.*

De erroribus quorundam philoſophorum. & ibi de Sole, & Luna.

CAPVT XXII.

Cvm igitur in tanta vanitate ipſi philoſophorum principes deprehendantur, quid illos minores putabimus, qui nunquam ſibi tam ſapientes videri ſolent, quàm cum pecuniæ contemptu glorientur? Fortis animus. Sed expecto quid faciant, & quò ille contemptus

H euadat. Tradita ſibi à parentibus patrimonia, tanquam malum fugiunt, ac deſerunt. Et ne in tempeſtate naufragium faciant, in tranquillo ſe vltrò præcipitant, non virtute, ſed peruerſo metu fortes, ſicut illi, qui, cùm timent ne ab hoſte iugulentur, ipſi ſe iugulant, vt mortem morte deuitent. Sic iſti, vnde * putant gloriam liberalitatis acquirere, ſine honore, ſine gratia perdunt. Laudatur Democritus, quòd agros ſuos reliquerit, eoſque paſcua publica fieri paſſus ſit. Probarem, ſi donaſſet. Nihil autem ſapienter fit, quod ſi ab omnibus fiat, inutile eſt, ac malum. Sed hæc negligentia tolerabilis. Quid ille, qui patrimonium in numos redactum effudit in mare? Ego dubito vtrumne ſanus, an demens fuerit. Abite, inquit, in profundum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis. Si tantus pecuniæ contemptus eſt, fac illam beneficium, fac humanitatem, largire pauperibus. poteſt hoc, quod perditurus es, multis ſuccurrere, ne fame, aut ſiti, aut nuditate moriantur. Imitare inſaniam ſaltem, furoremque Tuditani, ſparge populo diripienda. Potes & pecuniam effugere, & tamen bene collocare, quia ſaluum eſt quicquid pluribus profuit. Zenonis autem paria peccata quis probat? Sed omittamus id, quod eſt ab omnibus ſemper iriſum. Illud ſatis eſt ad coarguendum ſtulti

al. poſſunt

hominis errorem, quòd inter vitia, & morbos, miſericordiam ponit. Adimit nobis affectum, quo ratio humanæ vitæ penè omnis continetur. Cùm enim natura hominis imbecillior ſit, quàm cæterorum animalium, quæ vel ad perferendam vim temporum, vel ad incurſiones à ſuis corporibus arcendas, naturalibus munimentis prouidentia cœleſtis armauit, homini autem quia nihil iſtorum datum eſt, accepit pro iſtis omnibus miſerationis affectum, qui planè vocatur humanitas, qua noſmet inuicem tueremur. a Nam ſi homo* ad conſpectum alterius hominis* efferaretur, quod facere* videmus animantes, quarum natura ſoliuaga eſt, nulla eſſet hominum ſocietas, nulla vrbium condendarum vel cura, vel ratio. ſic neque vita quidem ſatis tuta, cùm & cæteris animalibus expoſita eſſet imbecillitas hominum, & ipſi inter ſemetipſos belluarum more ſæuirent. Non minor in alijs dementia. Quid enim dici poteſt de illo, qui nigram dixit eſſe niuem? quam conſequens erat, vt etiam picem albam eſſe diceret? Hic eſt ille, qui ſe idcirco natum eſſe dicebat, vt cœlum, ac ſolem videret, qui in terra nihil videbat ſole lucente. Xenophanes dicentibus Mathematicis orbem lunæ duodeuiginti partibus maiorem eſſe, quàm terram, ſtultiſſimè credidit. & quod huic leuitati fuit conſentaneum, dixit, intra concauum lunæ ſinum eſſe aliam terram: & ibi aliud genus hominum ſimili modo viuere, quo nos in hac terra viuimus. Habent igitur illi lunatici homines alteram lunam, quæ illis nocturnum lumen exhibeat, ſicut hæc exhibet nobis. Et fortaſſe noſter hic orbis alterius inferioris terræ luna ſit. Fuiſſe Seneca inter Stoicos ait, qui deliberaret, vtrumne Soli quoque ſuos populos daret. inepte ſcilicet qui dubitauerit. Quid enim perderet, ſi dediſſet? Sed, credo, calor deterrebat, ne tantam multitudinem periculo committeret, ne ſi æſtu nimio periſſent, ipſius culpa euenisse tanta calamitas diceretur.

al. à conſpectu.
al. auferretur.
al. videntur.

Scholia.

a Nam ſi homo à conſpectu alterius hominis auferretur, quod facere videntur] *habet codex antiquus, quod mihi omnino probatur, quia ea quæ ſequuntur de ſoliuaga natura animantium, & de ſolitudine ipſarum, demonſtrant omnino ſic eſſe legendum. Verum, quia alij omnes codices cum vulgari lectione concordant, nolui eam omnino rejcere.*

De Antipodibus, & cœlo, & ſyderibus.

Admonitio ad lectorem.

[Quod Antipodes cum priſcis alijs auctoribus Lactantius tollat refellitur euidentia perſpicua noui orbis, & auctoritate quoque inſignium ex antiquitate ſcriptorum, vt fuſè demonſtrat F. Tho. *Maluen. lib. 3. de Antichriſto cap.* 14. Quæ verò contra cœli volubilem rotunditatem diſſerit, etſi eadem quoque nonnulli Philoſophi, & Patres docuiſſe reperiuntur, at reuincuntur apertè, & Auctorum teſtimonijs, & claris Philoſophiæ, Aſtronomiæque demonſtrationibus. Vide quæ eodem loco notantur.]

CAPVT XXIII.

QVid illi, qui eſſe contrarios veſtigijs noſtris Antipodas putant, num aliquid loquuntur? aut eſt quiſquam tam ineptus, qui credat eſſe homines, quorum veſtigia ſint ſuperiora, quam capita? aut ibi quæ apud nos iacent, inuerſa pendere? fruges, & arbores deorſum verſus creſcere? pluuias, & niues, & grandinem ſurſum verſus cadere in terram? Et miratur aliquis hortos penſiles inter ſeptem mira narrari, cum philoſophi & agros, & maria, & vrbes, & montes penſiles faciant? Huius quoque erroris aperienda nobis origo eſt. Nam ſemper eodem modo falluntur. Cùm enim falſum aliquid in principio ſumpſerint, veri ſimilitudine inducti, neceſſe eſt, eos in ea, quæ conſequuntur, incurrere. Sic incidunt in multa ridicula, quia neceſſe eſt falſa eſſe, quæ rebus falſis congruunt. Cùm autem primis habuerint fidem, qualia* ſunt ea, quæ ſequuntur, non circumſpiciunt, ſed defendunt omni modo, cùm debeant prima illa, vtrumne vera ſint, an falſa, ex conſequentibus iudicare. Quæ igitur illos Antipodas ratio perduxit? Videbant ſiderum curſus in occaſum meantium, ſolem, atque lunam in eandem partem ſemper occidere, atque oriri ſemper ab eadem. Cùm autem non perſpicerent, quæ machinatio curſus eorum temperaret, nec quomodo ab occaſu ad orientem remearent, cœlum autem ipſum in omnes partes putarent eſſe deuexum, quod ſic videri, propter immenſam latitudinem neceſſe eſt: exiſtimauerunt, rotundum eſſe mundum, ſicut pilam, & ex motu ſiderum opinati ſunt cœlum volui,† ſic aſtra, ſolemque, cum occiderint, volubilitate ipſa mundi ad ortum referri. Itaque & æreos orbes fabricati ſunt, quaſi ad figuram mundi, eoſque cælarunt portentoſis quibuſdam ſimulachris, quæ aſtra eſſe dicerent. Hanc igitur cœli rotunditatem illud ſequebatur, vt terra in medio ſinu eius eſſet *concluſa. Quod ſi ita eſſet, etiam ipſam terram globo ſimilem. neque enim fieri poſſet, vt non eſſet rotundum, quod rotundo concluſum teneretur. Si autem rotunda etiam terra eſſet, neceſſe eſſet, vt in omnes cœli partes eandem faciem gerat, id eſt montes erigat, campos tendat, maria conſternat. Quod ſi eſſet, etiam ſequebatur illud extremum, vt nulla ſit pars terræ, quæ non ab hominibus, cæteriſque animalibus incolatur. Sic pendulos iſtos Antipodas cœli rotunditas adinuenit. Quòd ſi quæras ab ijs, qui hæc portenta defendunt, quomodo non cadunt omnia in inferiorem illam cœli partem: reſpondent, hanc rerum eſſe naturam, vt pondera in medium ferantur, & ad medium connexa ſint omnia, ſicut radios videmus in rota: quæ autem leuia ſunt, vt nebula, fumus, ignis, à medio differantur, vt cœlum petant. Quid dicam de ijs, neſcio, qui, cùm ſemel aberrauerint, conſtanter in ſtultitia perſeuerant, & vanis vana defendunt, niſi quòd eos interdum puto aut ioci cauſa philoſophari, aut prudentes, & ſcios mendacia defendenda ſuſcipere, quaſi vt ingenia ſua in malis rebus exerceant, vel oſtentent. At ego multis argumentis probare poſſem, nullo modo fieri poſſe, vt cœlum terra ſit inferius, niſi & liber iam concludendus eſſet, & adhuc aliqua reſtarent, quæ magis ſunt præſenti operi neceſſaria. & quoniam ſingulorum errores percurrere non eſt vnius libri opus: ſatis ſit pauca enumeraſſe, ex quibus poſſit, qualia ſint cætera, intelligi.

al. ſint.

† De Cœli quiete, & ſtellarum motu, Vide Xiſti Senenſis, Biblioth. lib. 6. Annotat. 3. & 4.

al. incluſa.

De philoſophia, & gradibus ad illam.

Admonitio ad lectorem.

[Cautè lege hoc caput, nam ſi Lactantius omnem Antiquorum Gentilium philoſophiam reprehendit, non ſatis conſultè facit, cum multa & vera, & recta illa philoſophia contineret, quæ vſui, & vtilitati humanæ vitæ eſſent. ſi vero philoſophiam in vniuerſum damnat, nullo pacto ferendus eſt: & repugnat communi Patrum, & Eccleſiæ ſenſui. *Vide Alphonſum Caſtrum, lib. 13. aduerſus hæreſes, verbo ſcientia.*]

CAPVT XXIV.

NVnc pauca nobis de philoſophia ro *communi dicenda ſunt, vt confirmata cauſa peroremus. Summus ille noſter Platonis imitator exiſtimauit philoſophiam non eſſe vulgarem, quòd eam non niſi docti homines aſſequi poſſent. Eſt, inquit, philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens. Non eſt ergo ſapientia, ſi ab hominum cœtu abhorret: quoniam ſi ſapientia homini data eſt, ſine vllo diſcrimine omnibus data eſt, vt nemo ſit prorſus, qui eam capere non poſſit. At illi virtutem humano generi datam ſic amplexantur, vt ſoli omnium publico bono frui velle videantur, tam inuidi, quàm ſi velint deligare oculos, aut effodere cæteris, ne ſolem videant. Nam quid eſt aliud hominibus negare ſapientiam, quam mentibus eorum verum, ac diuinum lumen auferre? Quòd ſi natura hominis, ſapientiæ capax eſt, oportuit opifices, & ruſticos, & mulieres, & omnes denique qui humanam formam gerunt, doceri, vt ſapiant, populumque ex omni lingua,

al. communis.

A & conditione, & ſexu, & ætate conſtari. Maximum itaque argumentum eſt, philoſophiam neque ſapientiam * tendere, neque ipſam eſſe ſapientiam, quòd myſterium eius barba tantum celebratur, & pallio. Senſerunt hoc adeo Stoici, qui & ſeruis, & mulieribus philoſophandum eſſe dixerunt. Epicurus quoque, qui rudes omnium literarum ad philoſophiam inuitat: item Plato, qui ciuitatem de ſapientibus voluit componere. Conati quidem illi ſunt facere, quod veritas exigebat, ſed non potuit vltra verbo procedi. Primùm, quia multis artibus opus eſt, vt ad philoſophiam poſſit accedi. Diſcendæ iſtæ communes literæ, propter vſum legendi, quia in tanta rerum varietate, nec diſci audiendo poſſunt omnia, nec memoria contineri. Grammaticis quoque non parum operæ dandum eſt, vt rectam loquendi rationem ſcias. Id multos annos auferat neceſſe eſt. Nec oratoria quidem ignoranda eſt, vt ea, quæ didiceris, proferre, atque eloqui poſſis. Geometria quoque ac Muſica, & Aſtrologia neceſſaria eſt, quòd hæ artes cum philoſophia habent aliquam ſocietatem.

al. oſtendere.

B quæ vniuerſa perdiſcere neque fœminæ poſſunt, quibus intra puberes annos officia mox vſibus domeſticis profutura diſcenda ſunt, neque ſerui, quibus per eos annos vel maximè ſeruiendum eſt, quibus poſſunt diſcere; neque pauperes, aut opifices, aut ruſtici, quibus in diem victus labore eſt quærendus. Ob eam cauſam Tullius ait, abhorrere à multitudine philoſophiam. At enim rudes Epicurus accipiet. Quomodo ergo illa, quæ de principijs rerum dicuntur, intelligent? quæ perplexa, & inuoluta, vix etiam politi homines aſſequuntur. In rebus igitur obſcuritate implicitis, & ingeniorum varietate confuſis, & eloquentium virorum exquiſito ſermone fucatis, quis imperito, ac rudi locus eſt? Denique nullas vnquam mulieres philoſophari docuerunt, præter vnam ex omni memoria Themiſten, neque ſeruos, præter vnum Phædonem, quem malè ſeruientem redemiſſe, ac docuiſſe Cebetem tradunt.

C Enumerant etiam Platonem, ac Diogenem: qui tamen ſerui non fuerunt: ſed his ſeruitus euenerat: ſunt enim capti. Platonem quidem redemiſſe Anicens quidam traditur HS VIII. itaque inſectatus eſt conuicijs hunc ipſum redemptorem Seneca, quod paruo Platonem æſtimauerit: furioſus, vt mihi quidem videtur, qui homini fuerit iratus, quòd non * multum pecuniæ perdidit. ſcilicet aurum * pendere debuit, tanquam pro mortuo Hectore, aut tantum ingerere numorum, quantum venditor non popoſcit. Ex Barbaris verò nullum præter vnum Anacharſim Scytham: qui philoſophiam ne ſomniaſſet quidem, niſi & linguam, & græcas literas ante didiciſſet.

al. multam pecuniam.
al. appendere.

De Dei doctrina, & philoſophia difficultate.

CAPVT XXV.

QVod ergo illi poſcente natura faciendum eſſe ſenſerunt, ſed tamen neque ipſi facere potuerunt, neque

D à philoſophis fieri poſſe viderunt: ſola hæc efficit doctrina cœleſtis, quia ſola ſapientia eſt. Illi ſcilicet perſuadere cuiquam potuerunt, qui nihil perſuadent etiam ſibi, aut cuiuſquam cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coërcebunt, cum ipſi & cedant vitijs, & fateantur, plus valere naturam. Dei autem præcepta, quia & ſimplicia, & vera ſunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonſtrant. Da mihi virum, qui ſit iracundus, maledicus, effrenatus: paucisſimis Dei verbis tam placidum, quàm ouem, reddam. Da cupidum, auarum, tenacem: iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam ſuam plenis manibus largientem. Da timidum doloris, ac mortis: iam cruces, & ignes, * taurum contemnet. Da libidinoſum, adulterum, ganeonem: iam ſobrium, caſtum, continentem videbis. Da crudelem, & ſanguinis appetentem: iam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da iniuſtum, inſipientem, peccatorem: continuò & æquus, & prudens, & innocens erit. Vno enim lauacro malitia omnis abolebitur. Tan-

al. periculum omne.

E ta diuinæ ſapientiæ vis eſt, vt in hominis pectus infuſa, matrem delictorum ſtultitiam vno ſemel impetu expellat. ad quod efficiendum, non mercede, non libris, non lucubrationibus opus eſt. Gratis iſta fiunt, facilè, citò, modò pateant aures, & pectus ſapientiam ſitiat. Nemo vereatur nos. aquam non vendimus, nec ſolem mercede præſtamus. Dei fons vberrimus, atque pleniſſimus patet cunctis, & hoc cœleſte lumen vniuerſis oritur, quicumque oculos habent. Num quis hæc philoſophorum aut vnquam præſtitit, aut præſtare, ſi velit, poteſt? Qui cum ætates ſuas in ſtudio philoſophiæ conterant, neque alium quemquam, neque ſeipſos (ſi natura paululum obſtitit) poſſunt facere meliores. Itaque ſapientia eorum, vt plurimum efficiat, non excindit vitia, ſed abſcondit. Pauca verò Dei præcepta ſic totum hominem immutant, & expoſito vetere nouum reddunt, vt non cognoſcas eundem eſſe.

De philoſophorum præceptis, & eorum varietate.

F

CAPVT XXVI.

QVid ergo? nihilne illi ſimile præcipiunt? Immo permulta: & ad verum frequenter accedunt. ſed nihil ponderis habent illa præcepta, quia ſunt humana, & auctoritate maiori, id eſt diuina illa carent. Nemo igitur credit, quia tam ſe hominem putat eſſe, qui audit, quam eſt ille, qui præcipit. Præterea nihil apud eos certi eſt, nihil, quod à ſcientia veniat. Sed cum omnia coniecturis agamur, multa etiam diuerſa, & varia proferantur: ſtultiſſimi eſt hominis, præceptis eorum velle parere: quæ vtrum vera ſint, an falſa, dubitatur. & ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare. Virtutem eſſe, Stoici aiunt, quæ ſola efficiat vitam beatam. Nihil poteſt verius dici. Sed quid, ſi cruciabitur, aut dolore afficietur? Poteritne quiſquam inter carnifices beatus eſſe?

G Immo verò illatus corpori dolor, materia virtutis eſt. Itaque ne in tormentis quidem miſer eſt. Epicurus multo fortius. Sapiens, inquit, ſemper beatus eſt, & vel incluſus in Phalaridis tauro hanc vocem emittet: Suaue eſt, & nihil curo. Quis enim non irriſerit? Maximè, quòd homo voluptarius perſonam ſibi viri fortis impoſuit, & quidem ſupra modum. Non enim fieri poteſt, vt quiſquam cruciatus corporis pro voluptatibus ducat, cum ſatis ſit ad officium virtutis implendum, perferre, ac ſuſtinere. Quid dicitis Stoici? Quid tu Epicure? Beatus eſt ſapiens, etiam cùm torquetur. Si propter gloriam * patientia non fruetur: in tormentis enim fortaſſe morietur. Si propter memoriam; aut non ſentiet, ſi occidunt animæ, aut ſi ſentiet, nihil ex ea conſequetur. Quis ergo alius fructus eſt in virtute? quæ beatitudo vitæ, vt æquo animo moriatur? Bonum mihi affertis vnius horæ, aut fortaſſe momenti, propter quod non expediat in tota vita miſerijs, & laboribus confici.

al. patientiæ.

H Quantum autem temporis mors occupat? quæ cùm venit, vtrum æquo animo eam ſubieris, iam nihil refert. Ita fit, vt nihil aliud ex virtute capiatur niſi gloria. Sed hæc aut ſuperuacua, & breuis eſt, aut prauis hominum iudicijs non * ſequenda. Nullus igitur ex virtute fructus eſt, vbi virtus mortalis eſt, & caduca. Ita qui hæc locuti ſunt, vmbram quandam virtutis viderunt, ipſam virtutem non viderunt. Defixi enim fuerunt in terram, nec vultus ſuos in altum erigebant, vt eam poſſent intueri, quæ ſeſe à cœli regionibus oſtentabat. Hæc cauſa eſt, cur præceptis eorum nullus obtemperet, quoniam aut ad vitia erudiunt, ſi voluptatem defendunt, aut ſi virtutem aſſerunt, neque peccato pœnam minantur, niſi ſolius turpitudinis, neque virtuti vllum præmium pollicentur, niſi ſolius honeſtatis, & laudis, cum dicant, non propter aliud, ſed propter ſeipſam expetendam eſſe virtutem. Beatus eſt igitur ſapiens in tormentis: ſed cùm torquetur pro fide, pro iuſtitia, pro Deo, illa patientia doloris beatiſſimum faciet. Eſt enim Deus, qui ſolus poteſt honorare virtutem, cuius merces immortalitas ſola eſt. quam qui non appetunt, nec religio-

al. ſequetur.

nem

A nem tenent, cui æterna ſubiacet vita, profectò neque virtutis vim ſciunt, cuius præmium ignorant, neque in cœlum ſpectant, quod ipſi ſe facere putant, cùm res non veſtigabiles quærunt, quia ratio in cœlum ſpectandi nulla alia eſt, niſi aut religionem ſuſcipere, aut animam ſuam immortalem eſſe credere. Quiſquis enim aut Deum colendum eſſe intelligit, aut immortalitatis ſpem ſibi propoſitam habet, mens eius in cœlo eſt: & licet id non aſpiciat oculis, animæ tamen lumine aſpicit. Qui autem religionem non ſuſcipiunt, terreni ſunt, quia religio de cœlo eſt. & qui animam putant cum corpore interire, æquè in terram ſpectant, quia vltra corpus, quod eſt terra, nihil amplius vident, quod ſit immortale. Nihil igitur prodeſt, hominem ita eſſe fictum, vt recto corpore ſpectet in cœlum, niſi erecta mente Deum cernat, & cogitatio eius in ſpe vitæ perpetuæ tota verſetur.

B

Scholia.

a Si propter gloriam patientiæ, non fruetur] *lego ex antiquo codice. quod quidem ſic interpretor: ſi propter gloriam patientia eſt beatus, non fruetur ea gloria, mortuum ſiluet, vt inferius dixit. quod ſi dicamus patientia non fruetur, nulla, iudicio meo, erit ſententia.*

b Prauis hominum iudicijs non ſequitur] *legendum eſt ex antiquis codicibus, in quo hic ſenſus, vt dicat praua hominum iudicia effectura eſſe, vt nulla inde gloria oriatur, vbi fuerit vera & ſolida gloria, vel vita digna hac gloria: quod ſi legas, non ſequenda, nulla eſt apta ſententia.*

c Res non veſtigabiles quærunt] *lego ex antiquis codicibus. vult vero dicere, eos, qui nullam religionem habent, & animam putant eſſe mortalem, nihil cauſæ habere, cur in cœlum ſpectent, quia ſi ibi mortalitatem animarum, & impietatem quærunt. res quærunt non veſtigabiles, hoc eſt, quæ inueniri non poſſunt. quod ſi legeres, non inueſtigabiles, eſſet contrarius ſenſus, & plane nullus.*

C

De vera religione, natura, fortuna, & philoſophia.

CAPVT XXVII.

QVapropter nihil aliud eſt in vita, quo ratio, quo conditio noſtra nitatur, niſi Dei, qui nos genuit, agnitio, & religioſus ac pius cultus. vnde quoniam philoſophi aberrauerunt, ſapientes vtique non fuerunt. Quæſierunt illi quidem ſapientiam: ſed quia non ritè quærebant, prolapſi ſunt longius, & in tantos errores inciderunt, vt etiam communem ſapientiam non tenerent. Non enim tantùm religionem aſſerere noluerunt, verùm etiam ſuſtulerunt, dum ſpecie virtutis falſæ inducti, conantur a-
D nimos omni metu liberare. quæ religionis euerſio, naturæ nomen inuenit. Illi enim, cùm aut ignorarent, à quo eſſet effectus mundus, aut perſuadere vellent, nihil eſſe diuina mente perfectum, naturam eſſe dixerunt rerum omnium matrem, quaſi dicerent, omnia ſua ſponte eſſe nata? quo verbo planè imprudentiam ſuam confitentur. Natura enim, remota prouidentia & poteſtate diuina, prorſus nihil eſt. Quòd ſi Deum naturam vocant, quæ peruerſitas eſt, naturam potius quàm Deum nominare? Si autem natura ratio eſt, vel neceſſitas, vel conditio naſcendi, non eſt per ſeipſam ſenſibilis, quia neceſſe eſt, mentem eſſe diuinam, quæ ſua prouidentia naſcendi principium rebus omnibus præbeat. Aut ſi natura eſt cœlum, atque terra, & omne, quod natum eſt, non eſt Deus natura, ſed Dei opus. Non diſſimili errore credunt eſſe fortunam, quaſi deam quandam res humanas varijs caſibus illudentem, quia neſciunt, vnde ſibi bona, & mala eueniant. Cum hac ſe compoſitos ad præliandum putant, nec vllam tamen rationem reddunt, a quo, & quam ob cauſam, ſed tantùm cum fortuna ſe digladiari momẽtis omnibus gloriantur. Iam quicumque aliquos conſolati ſunt ob interitum, amiſſionemq; charorum, fortunæ nomen acerrimis accuſationibus proſciderunt: nec omnino vlla eorum diſputatio de virtute eſt, in qua non

E fortuna vexetur. M. Tullius in ſua conſolatione pugnaſſe ſe ſemper contra fortunam loquitur, eamque à ſe eſſe ſuperatam, cum fortiter inimicorum impetus retudiſſet, ne tum quidem ſe ab ea fractum, cùm domo pulſus patria caruit. tum autem, cùm amiſerit chariſſimam filiam, victum ſe à fortuna turpiter confitetur. Cedo, inquit, * en manum tollo. Quid hoc homine miſerius, qui ſic iacet? Inſipienter, inquis, ſed qui profitetur ſe eſſe ſapientem. Quid ergo ſibi vult aſſumptio nominis? Quid contemptus ille rerum, qui magnificis verbis prætenditur? Quid diſpar cæteris habitus? Aut cur omnino præcepta ſapientiæ * dantur, ſi nemo, qui ſapiat, adhuc inuentus eſt? Et quiſquam nobis inuidiam facit, quia philoſophos negamus eſſe ſapientes? cùm ipſi nec ſcire ſe quicquam, nec ſapere fateantur. Nam ſi quando ita defecerint, vt ne effingere quidem quicquam poſſint, quod faciunt in rebus cæteris: tum verò ignorantiæ admonentur, & quaſi furibundi exiliunt, & exclamant, ſe cæcos eſ-
F ſe, & excordes. Anaxagoras pronuntiat, circumfuſa eſſe tenebris omnia. Empedocles anguſtas eſſe ſenſuum ſemitas queritur, tanquam illi ad cogitandum rheda, & quadrigis opus eſſet. Democritus quaſi in puteo quodam ſic alto, vt fundus ſit nullus, veritatem iacere demerſam: nimium ſtultè, vt cætera. Non enim tanquam in puteo demerſa eſt veritas, quò vel deſcendere, vel etiam cadere illi licebat, ſed tanquam in ſummo montis excelſi vertice, vel potius in cœlo. quod eſt veriſſimum. Quid enim eſt, cur eam potius in imum depreſſam diceret, quàm in ſummum leuatam? niſi fortè mentem quoque in pedibus, aut in imis calcibus conſtituere malebat potius quàm in pectore, aut in capite. Adeò remotiſſimi fuerunt ab ipſa veritate, vt eos ne ſtatus quidem ſui corporis admoneret, veritatem in ſummo illis eſſe quærendam. Ex hac deſperatione confeſſio illa Socratis nata eſt, qua ſe nihil ſcire dixit, niſi hoc vnum, quòd nihil ſciat. Hinc Academiæ diſciplina manauit: ſi tamen diſciplina
G dici poteſt, in qua ignoratio & diſcitur, & docetur. Sed ne illi quidem, qui ſcientiam ſibi aſſumpſerunt, id ipſum, quod ſe ſcire putabant, conſtanter defendere potuerunt. Qui, quoniam ratio illis non quadrabat, per ignorantiam rerum diuinarum tam varij, tam incerti fuerunt, ſibique ſæpè contraria diſſerentes, vt quid ſentirent, quid vellent, ſtatuere, ac dijudicare non poſſis. Quid igitur pugnes aduerſus eos homines qui ſuo ſibi gladio pereunt? Quid labor eſt vt eos deſtruas, quos ſua ipſos deſtruit, atque affligit oratio? Ariſtoteles (inquit Cicero) veteres philoſophos accuſans, ait eos aut ſtultiſſimos, aut glorioſiſſimos fuiſſe, qui exiſtimaſſent philoſophiam ſuis ingenijs eſſe perfectam: ſed ſe videre, quòd paucis annis magna acceſſio facta eſſet, breui tempore philoſophiam planè abſolutam fore. Quod igitur fuit illud tempus? quando eſt, aut à quibus abſoluta? Nam quòd ait ſtultiſſimos fuiſſe, qui putaſſent ingenijs ſuis perfectam eſſe ſapientiam, verum eſt:
H ſed ne ipſe quidem ſatis prudenter, qui aut à veteribus cœptam, aut à nouis auctam, aut mox à poſterioribus perfectum iri putauit. nunquam enim poteſt inueſtigari, quod non per viam ſuam quæritur.

De fortuna, & virtute.

CAPVT XXVIII.

SEd reperamus id, quod omiſimus. Fortuna ergo per ſe nihil eſt: nec ſic habendum eſt, tanquam ſit in aliquo ſenſu. Siquidem fortuna eſt accidentium rerum ſubitus, atque inopinatus euentus. Verùm philoſophi, ne aliquando non errent, in re ſtulta volunt eſſe ſapientes, qui fortunæ ſexum mutant, eamque non deam, ſicut vulgus, ſed Deum eſſe dicunt. Eundem tamen interdum naturam interdum fortunam vocant, quòd multa (inquit idem Cicero) efficiat inopinata nobis propter obſcuritatem, ignorationemque cauſarum. Cùm igitur cauſas ignorent, propter quas fiat aliquid, & ipſum, qui faciat, ignorent, neceſſe eſt. Idem in opere valde ſerio, in quo

al. &

al. datis

A præcepta vnæ deprompta ex philoſophia filio dabat, magnam, inquit, eſſe fortunæ vim in vtramque partem, quis neſciat? Nam &, cùm proſpero flatu eius vtimur, ad exitus peruenimus optatos, &, cùm reflauerit, affligimur. Primùm, qui negat ſciri poſſe quicquam, ſic hoc dixit, tanquam & ipſe, & omnes ſciant. Deinde, qui, etiam quæ clara ſunt, dubia conatur efficere, hoc putauit eſſe clarum, quod illi eſſe debuit vel maximè dubium, nam ſapienti omnino falſum eſt. Quis, inquit, neſcit? Ego verò neſcio. Doceat me (ſi poteſt) quæ ſit illa vis, qui flatus iſte, & qui reflatus. Turpe igitur eſt, hominem ingenioſum dicere id, quod, ſi neges, probare nõ poſſit. Poſtremò, quòd is, qui dicit, aſſenſus eſſe retinendos, quòd ſtulti ſit hominis, rebus incognitis temerè aſſentiri, is planè vulgi, & imperitorum opinionibus credidit, qui fortunam putant eſſe, quæ hominibus tribuat bona, & mala. nam ſimulachrum eius cum copia, & gubernaculo fingunt, tanquam B hæc & opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat. Cui opinioni & Virgilius aſſentit, qui fortunam omnipotentem vocat: & hiſtoricus, qui ait: Sed profectò fortuna in omni re dominatur. Quid ergo cæteris dijs loci ſupereſt? Cur non aut ipſa regnare dicitur, ſi plus poteſt, aut ſola colitur, ſi omnia? Vel, ſi tantùm mala immittit, aliquid cauſæ proferant, cur, ſi dea ſit, hominibus inuideat, eoſque perditos cupiat, cum ab his religioſe colatur: cur æquior ſit malis, iniquior autem bonis. cur inſidietur, affligat, decipiat, & exterminet: quis illam generis hominum vexatricem perpetuam conſtituerit: cur denique tam malam ſortita ſit poteſtatem, vt res cunctas ex libidine magis, quàm ex vero celebret, obſcuretque. Hæc inquam philoſophos inquirere oportuit potius, quàm temerè innocentem accuſare fortunam: quæ etiamſi ſit aliqua, nihil tamen afferri ab his poteſt, cur hominibus tam inimica ſit, quàm putatur. Itaque illæ omnes orationes, C quibus iniquitatem fortunæ lacerant, ſuaſque virtutes contra fortunam ſuperbiſſimè iactant, nihil aliud ſunt, quàm deliramenta inconſideratæ leuitatis. Quare non inuideant nobis, quibus aperuit veritatem Deus: qui ſicut ſcimus, nihil eſſe fortunam, ita ſcimus, eſſe prauum ac ſubdolum ſpiritum, qui ſit inimicus bonis, hoſtiſque iuſtitiæ, qui contraria faciat, quàm Deus. cuius inuidiæ cauſam in ſecundo libro explicauimus. Hic ergo inſidiatur vniuerſis: ſed eos, qui neſciunt Deum, errore impedit, ſtultitia obruit, tenebris circũfundit, ne quis poſſit ad diuini nominis peruenire notitiam: in quo vno & ſapientia continetur, & vita perpetua. Eos autem, qui Deum ſciunt, dolis, & * aſtutia aggreditur, vt cupiditate, ac libidine irretiat, ac * peccati blandimentis deprauatos, impellat ad mortem, vel, ſi dolo nihil profecerit, vi & violentia deijcere conatur. Idcirco enim in primordijs tranſgreſſionis non ſtatim ad pœnam detruſus à Deo eſt, vt hominem malitia ſua exerceat ad virtutem. quæ niſi agitetur, ni aſſidua vexatione roboretur, non poteſt eſſe perfecta. ſiquidem virtus eſt perferendorum malorum fortis ac inuicta D patientia. Ex quo fit, vt virtus nulla ſit, ſi aduerſarius deſit. Huius itaque peruerſæ poteſtatis cum vim ſentirent virtuti repugnantem, nomenque ignorarent, fortunæ vocabulum ſibi inane finxerunt. Quod quàm longe à ſapientia ſit remotum, declarat Iuuenalis his verſibus:

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: ſed nos
Te facimus Fortuna deam, cœloq; locamus.

Stultitia igitur, & error, & cæcitas, (& vt Cicero ait) ignoratio rerum, atque cauſarum, Naturæ, ac Fortunæ nomina induxit. Sed vt aduerſarium ſuum neſciunt, ſic nec virtutem quidem ſciunt, cuius ſcientia ab aduerſarij notione deſcendit. Quæ ſi coniuncta eſt cum ſapientia, vel, (vt ipſi dicunt) eadem ipſa ſapientia eſt: ignorent neceſſe eſt, in quibus rebus ſita ſit. Nemo enim poteſt veris armis inſtrui, ſi hoſtem, contra quem fuerit armandus, ignorat: nec aduerſarium vincere, qui in dimicando non hoſtem verum, ſed vmbram petit. Proſternetur enim, qui aliò intentus, venientem vitalibus ſuis ictum nec præuiderit antè, nec cauerit.

De Dei veri cognitione, & ea ſapientia.

CAPVT XXIX.

DOcui, quantum mea mediocritas tulit, longè deuium philoſophos iter à veritate tenuiſſe. Scio tamen, quàm multa prætierim, quia non erat mihi propria contra philoſophos diſputatio. Sed huc neceſſario diuertendum fuit, vt oſtenderem, tot, & tanta ingenia in rebus falſis eſſe conſumpta, ne quis forte à prauis religionibus exclusus, ad eos ſe conferre vellet, tanquam certi aliquid reperturus. Vna igitur ſpes homini, vna ſalus in hac doctrina, quam defendimus, poſita eſt. Omnis ſapientia hominis in hoc vno eſt, vt Deum cognoſcat, & colat. hoc noſtrum dogma, hæc ſententia eſt. Quanta itaque voce poſſum, teſtificor, proclamo, denuntio. * Hoc eſt illud, quod philoſophi omnes in tota ſua vita quæſierunt, nec vnquam tamen inueſtigare, comprehendere, tenere valuerunt, quia religionem aut prauam * tenuerunt, aut totam penitus ſuſtulerunt. Faceſſant igitur illi omnes, qui humanam vitam non inſtruunt, ſed turbant. Quid enim docent? aut quem inſtruunt, qui ſeipſos nondum inſtruxerunt? Quem ſanare ægroti, quem regere cæci poſſunt? Huc ergo nos omnes, quibus eſt cura ſapientiæ, conferamus. An expectabimus donec Socrates aliquid ſciat? aut Anaxagoras in tenebris lumen inueniat? aut Democritus veritatem de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi ſui ſemitas? aut Arceſilas, & Carneades videant, ſentiant, percipiant? Ecce vox de cœlo veritatem docens, & nobis ſole ipſo clarius lumen oſtendens. Quid nobis iniqui ſumus? & ſapientiam ſuſcipere cunctamur, quam docti homines contritis in quærendo ætatibus ſuis, nunquam reperire potuerunt. Qui vult ſapiens, ac beatus eſſe, audiat Dei vocem, diſcat iuſtitiam, ſacramentum natiuitatis ſuæ norit, humana contemnat, diuina ſuſcipiat, vt ſummum illud bonum, ad quod natus eſt, poſſit adipiſci. Diſſolutis religionibus vniuerſis, & omnibus, quæcunque in earum defenſionem dici vel ſolebant, vel poterãt, refutatis, deinde conuictis philoſophiæ diſciplinis, ad veram nobis religionem, ſapientiamq; veniendum eſt, quoniam eſt (vt docebo) vtrumque coniunctum, vt eam vel argumentis, vel exemplis vel idoneis teſtibus aſſeramus, & ſtultitiam, quam nobis iſti Deorum cultores obiectare non deſinunt, vt nullam penes nos, ſic totam penes ipſos eſſe doceamus. Et quamquam prioribus libris, cum falſas arguerem religiones, & * hic, cum falſam ſapientiam tollerem, vbi veritas ſit oſtenderim: planius tamen, quæ religio, & quæ ſapientia vera ſit, liber proximus indicabit.

al. Hic hæc. | al. tenuerunt. | al. hoc.

L. COELII FIRMIANI LACTANTII DIVINARVM INSTITVTIONVM,

De vera ſapientia & religione,

LIBER IV.

De priore religione, & defectione à Deo, & ſeptem ſapientibus.

CAPVT I.

COGITANTI * mihi, Conſtantine Imp. & cum animo meo ſæpe reputanti priorem illum generis humani ſtatum, & mirum pariter, & indignum videri ſolet, quòd vnius ſeculi ſtultitia, religiones varias ſuſcipientis, Deoſque multos eſſe credentis, in tantam ſubito ignorationem ſui ventum eſt, vt ablata ex oculis veritate, neque religio Dei veri, neque humanitatis ratio teneretur,

al. Conſideranti.

homi-

A hominibus non in cœlo ſummum bonum quærentibus, ſed in terra. Quam ob cauſam profectò ſeculorum veterum mutata felicitas eſt. Cœperunt enim relicto parente, & conſtitutore omnium Deo, inſenſibilia digitorum ſuorum figmenta venerari. quæ prauitas quid effecerit, aut quid malorum attulerit, res ipſa declarat. auerſi namque à ſummo bono. quod ideo beatum, ac ſempiternum eſt, quia videri; tangi, comprehendi non poteſt; & à virtutibus ei bono congruentibus, quæ ſunt æquè immortales; ad hos corruptos, & fragiles Deos lapſi & ſtudentes iis rebus, quibus ſolum corpus ornatur, alitur, delectatur, mortem ſibi perpetuam cum Dijs, & cum bonis corporalibus quæſierunt, quia morti corpus omne ſubiectū eſt. Inſecuta eſt igitur huiuſmodi religiones iniuſtitia, & impietas; ſicuti fuerat neceſſe, deſierunt enim vultus ſuos in cœlum tollere,* ſed deorſum mentes hominum depreſſæ, terrenis vt religionibus, ſic etiam bonis * inhærebant. ſecutum eſt diſſidium generis humani, & fraus, & nefas omne, quia ſpretis æternis, atque incorruptis bonis, quæ ſola debent ab homine concupiſci; temporalia, & breuia maluerunt; maiorque hominibus ad malum fides fuit; qui prauum recto, quia præſentius fuerat, prætulerunt. Sic humanam vitam prioribus ſeculis in clariſſima luce verſatam caligo, ac tenebræ comprehenderunt. &, quod huic prauitati congruens erat; poſtquam ſublata ſapientia eſt; tum demum ſibi homines ſapientum nomen vendicare cœperunt. Tum autem nemo ſapiens vocabatur, cùm omnes erant. Vtinamque nomen illud aliquando publicum quamuis ad paucos redactum, tamen vim ſuam retineret? Poſſent enim fortaſſe pauci illi vel ingenio, vel auctoritate, vel aſſiduis hortamentis liberare populum vitijs, & erroribus. ſed adeò in totum ſapientia ceciderat; vt ex ipſa nominis arrogantia nullum eorum, qui vocarentur,* apparuerit fuiſſe ſapientem. Et tamen priùs, quàm hæc Philoſophia quæ dicitur eſſe, inueniretur; ſeptem fuiſſe traduntur; qui primi omnium, quia de rebus naturalibus quærere, ac diſputare ſunt auſi, ſapientes haberi, appellatique meruerunt. O miſerum, calamitoſumque ſeculum; quo per orbem totum ſeptem ſoli fuerunt, qui hominum vocabulum cierentur. nemo enim poteſt iure dici homo, niſi qui ſapiens eſt. Sed ſi cæteri omnes, præter ipſos, ſtulti fuerunt; ne illi quidem ſapientes; quia nemo ſapiens eſſe verè, iudicio ſtultorum poteſt. Adeò ab his abfuit ſapientia; vt ne poſtea quidem increſcente doctrina, & multis, magniſque ingenijs in idipſum ſemper intentis, potuerit perſpici veritas, & comprehendi. Nam poſt illorum ſeptem ſapientum gloriam, incredibile eſt, quanto ſtudio inquirendæ veritatis Græcia omnis exarſerit. Ac primùm, nomen ipſum * ſapientiæ arrogans putauerunt; ſeque non ſapientes, ſed ſtudioſos ſapientiæ vocauerunt. Quo facto & illos, qui temerè ſapientum ſibi nomen aſciuerant, erroris, ſtultitiæque damnauerunt, & ſe quoque ipſos ignorantiæ; quam quidem non diffitebantur. Nam vbicunque rerum natura ingenijs eorum quaſi manus oppoſuerat, ne rationem poſſent aliquam reddere; teſtificari ſolebant, nihil ſcire ſe, nihil cernere. Vnde multo ſapientiores inueniuntur, qui ſe aliqua ex parte viderunt; quàm illi, qui ſe ſapere crediderunt.

al. & al. adhæſerunt.

B

al. appareat

C

al. ſapiens

De ſapientiæ inuentione.

D

CAPVT II.

QVare, ſi neque illi fuère ſapientes, qui ſunt appellati; neque poſteriores, qui non dubitauerunt inſipientiam confiteri; quid ſupereſt, niſi vt alibi ſit quærenda ſapientia, quando non eſt, vbi quærebatur, inuenta? Quid autem putemus fuiſſe cauſæ, cur tot ingenijs, totque temporibus ſummo ſtudio, & labore quæſita non repertiretur; niſi quòd eam philoſophi extra fines ſuos quæſierunt? Qui quoniam peragratis, & exploratis omnibus, nuſquam nullam ſapientiam comprehenderunt; & alicubi eſſe illam neceſſe eſt: apparet, illic potiſſimùm eſſe quærendam, vbi ſtultitiæ titulus apparet; cuius velamento Deus, ne arcanum ſummi ſui diuini operis in propatulo eſſet, theſaurum ſapientiæ, ac veritatis abſcondit. Vnde equidem ſoleo mirari, quòd cùm Pythagoras, & poſtea Plato, amore

E indagandæ veritatis accenſi, ad Ægyptios, & Magos, & Perſas vſque penetraſſent, vt earum gentium ritus, & ſacra cognoſcerent (ſuſpicabantur enim, ſapientiam in religione verſari) ad Iudæos tantum non acceſſerint; penes quos tunc ſolos erat, & quò faciliùs ire potuiſſent. Sed auerſos eſſe arbitror diuina prouidentia, ne ſcire poſſent veritatem: quia nondum fas erat alienigenis hominibus, religionem Dei veri, iuſtitiamq;* cognoſcere. Statuerat enim Deus, appropinquante vltimo tempore, Ducem magnum cœlitus mittere, qui eam perfido, ingratoque populo ablatam,* cæteris gentibus reuelaret. Qua de re in hoc libro aggrediar diſputare; ſi prius oſtendero ſapientiam cum religione ſic cohærere, vt diuelli vtrumque non poſſit.

al. noſceſcere.

al. cæteris.

De ſapientia & religione: Deque iure patris & Domini.

CAPVT III.

DEorum cultus, vt in priore libro docui, non habet ſapientiam; non modò quia diuinum animal hominem terrenis, fragilibuſque ſubſternit; ſed quia nihil ibi diſſeritur, quod proficiat ad mores excolendos, vitamque formandam, nec habet inquiſitionem aliquam veritatis, ſed tantummodo ritum colendi, qui non officio mentis, ſed miniſterio corporis conſtat. Et ideo non eſt illa religio vera iudicanda; quia nullis iuſtitiæ, virtutiſque præceptis erudit, efficitque meliores. Itaque philoſophia, quia veram religionem, id eſt, ſummam pietatem non habet, non eſt vera ſapientia. Nam ſi diuinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficentia genus hominum ſuſtentat, & quaſi paterna indulgentia fouet; vult profectò gratiam ſibi referri, & honorem dari. nec conſtare homini ratio pietatis poteſt. ſi cæleſtibus beneficijs extiterit ingratus; quod non eſt vtique ſapientis. Quoniam igitur (vt dixi) philoſophia, & religio Deorum, diſiuncta ſunt, longeque diſcreta, ſi quidem alij ſunt profeſſores ſapientiæ, per quos vtique ad Deos non aditur; alij religionis antiſtites, per quos ſapere non diſcitur: apparet, nec illam eſſe veram ſapientiam, nec hanc religionem. Idcirco nec philoſophia potuit veritatem comprehendere; nec religio deorum, rationem ſui, qua caret, reddere. Vbi autem ſapientia cum religione, inſeparabili nexu cohæret; vtrumque verum eſſe neceſſe eſt. quia & in colendo ſapere debemus, id eſt ſcire, quid nobis, & quomodo ſit colendum; & in ſapiendo colere, id eſt re, & actu, quod ſcierimus, implere. Vbi ergo ſapientia cum religione coniungitur? ſcilicet, vbi Deus colitur vnus; vbi vita, & actus omnis ad vnum caput, & ad vnam ſummam refertur. Denique iidem ſunt doctores ſapientiæ, qui & Dei ſacerdotes. Nec tamen moueat quemquam, quia ſæpe factum eſt, & fieri poteſt, vt philoſophus aliquis, Deorum ſuſcipiat ſacerdotium. quod cum fit, non tamen coniungitur philoſophia cum religione; ſed & philoſophia inter ſacra ceſſabit; & religio, quando philoſophia tractabitur. Illa enim religio muta eſt; non tantùm, quia indecora eſt; ſed quia ritus eius in manu, & digitis eſt; non in corde, aut lingua, ſicut noſtra, quæ vera eſt. Idcirco & in ſapientia religio, & in religione ſapientia eſt. Ergo non poteſt ſegregari; quia ſapere nihil aliud eſt, niſi Deum verum iuſtis, ac pijs cultibus honorare. Multorum autem Deorum cultus non eſſe ſecundum naturam, etiam hoc argumento colligi poteſt, & comprehendi: Omnem Deum, qui ab homine colitur; neceſſe eſt inter ſolennes ritus, & precationes, patrem nuncupari, non tantùm honoris gratia, verùm etiam rationis; quòd & antiquior eſt homine; & quòd vitam, ſalutem, victum præſtat, vt pater. Itaque vt Iupiter à precantibus pater vocatur, & Saturnus, & Ianus, & Liber, & cæteri deinceps; quod Lucilius in Deorum concilio irridet:

F

G

H

Vt nemo ſit noſtrum, quin pater optimus diuum,
Vt Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars,
Ianus, Quirinus pater nomen dicatur ad vnum.

Quòd ſi natura non patitur, vt ſint vnius hominis plures patres (ex vno enim procreatur) ergo Deos etiam multos colere, contra naturam eſt contraq; pietatem. Vnus igitur

A colendus eſt: qui poteſt verè pater nominari. Idem etiam dominus ſit, neceſſe eſt; quia ſicut poteſt indulgere, ita etiam coërcere. Pater ideo appellandus eſt, quia nobis multa, & magna largitur: dominus ideo, quia caſtigandi, ac puniendi habet maximam poteſtatem. Dominum verò eundem eſſe, qui ſit pater; etiam iuris ciuilis ratio demonſtrat. Quis enim poterit filios educare, niſi habeat in eos domini poteſtatem? Nec immeritò paterfamilias dicitur, licet tantum filios habeat. videlicet nomen patris complectitur etiam ſeruos, quia familias ſequitur: & nomẽ familiæ complectitur etiam filios, quia pater antecedit. vnde apparet, eundem ipſum & patrem eſſe ſeruorum, & dominum filiorum. Denique & filius manumittitur tanquam ſeruus; & ſeruos liberatus, patroni nomen accipit, tanquam filius. quòd ſi propterea paterfamilias nominatur, vt appareat, eum duplici poteſtate præditum; quia & indulgere debet, quia pater; & coërcere, quia dominus: ergo idem ſeruus B eſt, qui & filius; idem dominus, qui & pater. Sicut igitur naturæ neceſſitate non poteſt eſſe niſi vnus pater, ita nec Dominus niſi vnus. quid enim faciat ſeruus, ſi multi domini diuerſa imperauerint? Ergo contra rationem, contraque naturam ſunt religiones multorum Deorum. ſiquidẽ nec patres multi poſſunt eſſe, nec domini. Deos autem, & patres, & dominos nuncupari, neceſſe eſt. Teneri ergo veritas non poteſt, vbi homo idem multis patribus, dominiſque ſubiectus eſt; vbi animus in multa diſperſus, huc atq; illuc diuagatur. Nec habere vllam firmitatem religio poteſt, quando certo, & ſtabili domicilio caret. Cultus igitur Deorum veri eſſe non poſſunt; eodem modo, quo matrimonium dici non poteſt, vbi mulier vna multos viros habet; ſed hæc aut meretrix, aut adultera nominabitur. à qua enim pudor, caſtitas, fides abeſt, virtute careat neceſſe eſt. C Sic & religio Deorum impudica eſt, & inceſta; quia fide caret; quia honos ille *a* inſtabilis, & * inceſtus, caput, atque originem non habet.

al. incertus,

S c h o l i a.

a Inſtabilis & inceſtus) *habẽt libri impreſſi* Inſtabilis & incertus, *legendum eſt ex antiquis codicibus. nam religionem Deorum duobus argumentis refutat: altero quia eſt impudica & inceſta, vt ſuperius dixit, nempe quia ad multos Deos pertinet. altero, quia eſt inſtabilis & incerta; quod etiam venit ex eadem Deorum multitudine.*

De ſapientia itidem & religione: & iure patris ac domini.

C a p v t IV.

QVibus rebus apparet, quam inter ſe coniuncta ſint ſapientia, & religio. Sapientia ſpectat ad filios, quæ exigit amorem; religio ad ſeruos, quæ exigit timorem. Nam ſicut illi patrem diligere debent, & honorare; ſic hi dominum colere, ac vereri. Deus autem, qui vnus eſt, quoniam vtramque perſonam ſuſtinet, & patris, & domini; & amare eum debemus, quia filij ſumus, & timere, quia ſerui. Non poteſt igitur nec religio à ſapientia ſeparari, nec ſapientia à religione ſecerni; quia idem Deus eſt, qui & in- D telligi debet, quod eſt ſapientiæ; & honorari, quod eſt religionis. Sed ſapientia præcedit; religio ſequitur: quia prius eſt, Deum ſcire; conſequens, colere. Ita in duobus nominibus vna vis eſt, quamuis diuerſa eſſe videatur. Alterum enim poſitum eſt in ſenſu, alterum in actu. Sed tamen ſimilia ſunt duobus riuis ex vno fonte manantibus. Fons autem ſapientiæ, & religionis Deus eſt: à quo hi duo riui ſi * aberrauerint, areſcant neceſſe eſt: quem qui neſciunt, nec ſapientes eſſe poſſunt, nec religioſi. ſic fit, vt philoſophi, & qui Deos colunt, ſimiles ſint aut filijs abdicatis, aut ſeruis fugitiuis, quia neque illi patrem quærunt neque hi dominum. & ſicut abdicati, hæreditatem patris non aſſequuntur, & fugitiui impunitatem; ita neque philoſophi immortalitatem * accipiunt, quæ eſt regni cæleſtis hæreditas, id eſt, ſummum bonum; quod illi maximè quærunt, neque cultores Deorum, pœnam ſempiternæ mortis effugient; quæ eſt animaduerſio veri domini aduerſus fugitiuos ſuæ maieſtatis, ac nominis. Deum verò eſſe patrem, eundemque dominum, vtrique ignorauerunt, tam cultores deorum, quàm ipſi ſapientiæ profeſſores: quia aut nihil omnino colendum putauerunt; aut religiones falſas

al. oberrauerint,

al. accipient,

E approbauerunt; aut, etiam ſi vim, poteſtatemque ſummi Dei intellexerunt, vt Plato, qui ait vnum eſſe fabricatorem mundi Deum; & M. Tullius, qui fatetur hominem præclara quadam conditione à ſummo Deo eſſe generatum; tamen ei debitum cultum tanquam ſummo patri non reddiderunt: quod erat conſequens, ac neceſſarium. Deos autem neque patres, neque dominos eſſe poſſe, non tantum multitudo (vt ſupra oſtendi) ſed etiam ratio declarat: quia neque, fictum eſſe à Dijs hominem, traditur, neque Deos ipſos antecedere originem hominis, inuenitur. ſiquidem fuiſſe in terra homines ante quàm Vulcanus, & Liber, & Apollo, & ipſe Iupiter naſcerentur, apparet. Sed neque Saturno fictio hominis, neque Cœlo patri eius aſſignari ſolet. Quòd ſi nullus eorum, qui coluntur, formaſſe à principio, atque inſtituiſſe hominem traditur, nullus igitur ex his pater hominis nuncupari poterit, ita ne Deus qui- F dem. Ergo fas non eſt, venerari eos, à quibus non ſit homo generatus; quia neque à multis generari poteſt. Vnus igitur, ac ſolus coli debet, qui Iouem, qui Saturnum, qui Cœlum ipſum, terramque anteceſſit. Is enim neceſſe eſt hominem figurauerit, qui ante hominem, cœlum, terramque perfecit. Solus pater vocandus eſt, qui creauit; ſolus dominus nuncupandus, qui regit, qui habet vitæ, ac necis veram, & perpetuam poteſtatem. quem qui non adorat, & inſipiens ſeruus eſt, qui dominum ſuum aut fugiat, aut neſciat, & impius filius, qui ſuum verum patrem vel oderit, vel ignoret.

De Prophetis, & eorum temporibus.

C a p v t V.

NVnc, quoniam docui ſapientiam, & religionem non poſſe diduci; ſupereſt, vt de ipſa religione, ac ſapien- G tia diſſeramus. Sentio quidem, quam ſit difficilis de rebus cæleſtibus diſputatio: ſed tamen audendum eſt; vt illuſtrata veritas pateat, multique ab errore, atque interitu liberentur; qui eam ſub velamine ſtultitiæ latentem aſpernantur, ac reſpuunt. Sed prius quàm incipiam de Deo, & operibus eius dicere; mihi pauca de prophetis ante dicenda ſunt, quorum teſtimonijs nunc vti neceſſe eſt, quod in prioribus libris ne facerem, temperaui. Ante omnia, qui veritatem ſtudet comprehendere, non modò intelligendis prophetarum vocibus animum debet intendere; ſed etiam tempora, per quæ quiſque illorum fuerit, diligentiſſimè inquirere: vt ſciat & quæ futura prædixerint; & poſt quot annos prædicta completa ſint. Nec difficultas in his colligendis ineſt vlla: teſtati ſunt enim, ſub quo quiſque rege diuini ſpiritus fuerit paſſus inſtinctum. Multiq; ſcriptores libros de temporibus ediderunt, initium facientes à propheta Moyſe: qui *a* Troianum bellum nongentis ferè annis anteceſſit. Is autem cùm per annos quadraginta populum rexiſſet, ſucceſſorẽ habuit * Ioſuem; qui ſeptem, & viginti annis tenuit principatum. Exinde ſub iudicibus H *b* fuerunt per annos trecentos ſeptuaginta. tum *c* mutato ſtatu reges habere cœperunt. quibus imperium tenentibus per annos quadringentos * LX. vſque ad Sedechiæ regnum, oppugnati à rege Babylonio, captique Iudæi, diuturnum ſeruitium pertulerunt; donec ſeptuageſimo poſt anno eos Cyrus maior terris, ac ſedibus ſuis redderet; qui per idem tempus in Perſas ſuſcepit imperium, quo Romæ Tarquinius Superbus. Quare cùm omnis temporum ſeries & ex Iudaicis, & ex Græcis, Romaniſq; hiſtorijs colligatur; etiam ſingulorum prophetarum tempora colligi poſſunt; quorum ſanè vltimus Zacharias fuit; quem conſtat ſub Dario rege, ſecundo anno regni eius, octauo menſe cecinisse. Adeò antiquiores etiam Græcis ſcriptoribus prophetæ reperiuntur. Quæ omnia eo profero, vt errorem ſuum ſentiant, qui ſcripturam ſacram coarguere nituntur, tanquam nouam, & recens fictam, ignorantes e quo fonte ſanctæ religionis origo manauerit. Quòd ſi quis collectis, perſpectiſque temporibus, fundamentum doctrinæ ſalubriter iecerit, & veritatem penitus comprehenderit; & errorem cognita veritate, deponet.

al. Ieſum.

al. quinquaginta;

(∴)

A

Scholia.

a *Ex aliquibus locis, quæ hic ordine notabo, apparet Lactantium in chronologia non fuiſſe valde diligentem. Primum ait Moyſen nongentis fere annis excidium Troianum anteceſſiſſe. Verum, Euſebius a quo Beda parum differt, aſſerit trecentis quinquaginta annis tantum præceſſiſſe Moyſen Troianum excidium. ab his non multum diſcrepat Eutropius, qui putat quadringentos & decem annos interceſſiſſe. Lactantius tamen in hac re videtur eſſe ſecutus opinionem impij Porphyrij, quem tamen Euſebius in eo loco refutat.*

b Exinde ſub iudicibus fuerunt per annos trecentos ſeptuaginta] *aperte hic ſignificat reliquos Iudices, exceptis Moyſe, & Ioſue rexiſſe populum eo tempore. quare ſi his addas etiam illos annos Moyſis & Ioſue, efficies 437. ab hoc numero Beda nõ multum diſcrepat. nam, quamuis dicat Iudices imperaſſe annis 405. tamen ſi numeres ſingulos annos, quos cuicunque iudici attribuit, efficiuntur anni 417. Verum in Euſebio video multo maiorem diſcrepantiam, qui inter Moyſen & Regnum Saulis non numerat niſi 390 annos. aduertendum tamen hoc eſt, quod Beda, & Lactantius referunt ad annos Iudicum 32. annos, quibus poſt Heli præfuit Samuel cum Saule, cum Euſebius deinceps poſt Heli numeret Regnum Saulis, & ita illos 32. vel 40 annos refert ad reges.*

c Tum mutato ſtatu Reges habere cœperunt, quibus imperium tenentibus per annos quadringentos ſexaginta vſque ad Sedechiæ Regnum, &c.] *Euſebius, & fere omnes chronologiæ ſcriptores numerant annos quingentos & quindecim, in quibus Reges vſque ad captiuitatem Babylonicam imperarunt. ac Beda conuenit cum Euſebio, hoc tantum excepto, quod aſſerit Saulem regnaſſe tantum 32. annis, cum Euſebius, & alij dicant regnaſſe 40. Ita iuxta Bedam, ſi annis quartæ ætatis, qui ſunt 473. addas 12. ex ſeptuaginta, quos ſequitur Euſebius, & 32. ex Regno Saulis quem Beda poſuit in fine tertiæ ætatis, habebis numerum annorum 507. Itaque Euſebius, & Beda omnino conueniunt, exceptis illis octo annis Regni Saulis. Verum in hoc loco erit minor error Lactantij, ſi conſideres, & ab his numeris Euſebij, ac Bedæ detrahendos eſſe 32. annos Regni Saulis, quos Lactantius ad Samuelem, & ad tempora Iudicũ refert.*

B

C

De Dei filio, deque eo teſtimonia.

Caput VI.

Deus igitur machinator, conſtitutorque rerum, ſicuti in ſecundo libro diximus, antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur, ſanctum, & incorruptibilem ſpiritum genuit, quem filium nuncuparet. Et quamuis alios poſtea innumerabiles per ipſum creauiſſet, quos angelos dicimus, hũc tamẽ ſolum primogenitũ diuini nominis appellatione dignatus eſt, patria ſ. virtute, ac maieſtate pollentem. eſſe autem ſummi Dei filium, qui ſit poteſtate maxima præditus, nõ tñ cõgruẽtes in vnũ voces prophetarũ ſed etiã Triſmegiſti prędicatio & Sibyllarũ vaticinia demõſtrãt. Hermes in eo libro qui ὁ λόγος τέλειος inſcribitur, his vſus eſt verbis: [illegible] Sibylla Erythræa in carminis ſui principio, quod a ſummo Deo exorſa eſt, filium Dei Ducem & Imperatorem omnium his verſibus prædicat:

[illegible]
[illegible]

Et rurſus in fine carminis:

[illegible]

Et alia Sibylla præcipit hunc oportere cognoſci:

[illegible]

Videlicet ipſe eſt Dei filius, qui per Solomonem ſapientiſſimum regem diuino ſpiritu plenum locutus eſt, ea quæ ſubiecimus: Deus condidit me in initio viarum ſuarum, in opera ſua ante ſecula. Fũdauit me in principio, antequam terram faceret, & antequam abyſſos conſtitueret, priuſquã prodirent fontes aquarum: ante omnes colles genuit me Dominus: fecit regiones, & terras inhabitabiles ſub cœlo. Cum pararet cœlum, aderam illi, & cum ſecerneret ſuam ſedem, cum ſuper ventos faceret validas nubes, & cũ confirmatos poneret montes ſub cœlo, quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penes illum diſponens. Ego eram cui adgaudebat, quotidie autem iucundabar ante faciem eius, cum lætaretur orbe perfecto. Idcirco autem Triſmegiſtus δημιουργὸν τοῦ θεοῦ dixit. & Sibylla σύμβουλον appellat[*] qui tanta ſapientia, & virtute ſit inſtructus à Deo patre, vt & conſilio eius, & manibus vteretur in fabricatione mundi.

D

E

al. quod

Græcorum Latina interpretatio.

ὁ κύριος, &c. i. *Dominus atque omnium creator, quem Deum vocare cenſemus, quia ſecundũ Deum fecit viſibilẽ, & ſenſibilem. Senſibilẽ autẽ aſſero nõ ideo, quia ipſe ſentit (hoc enim nõ eſt verũ ipſe ſentiat) ſed quia ipſe in ſenſum mittit, & mentem. Quoniam ergo hunc fecit primum & ſolum: & vnum, pulcher autem ei viſus eſt, & pleniſſimus omnium bonorum, ſanctificauitque & amauit valde quaſi proprium filium.*

[illegible] &c. i. *Omnium nutritorem creatoremque, qui dulcem ſpiritum omnibus appoſuit, ac principem omnium deorum fecit.*

[illegible] &c. i. *Eum dedit Deus fidelibus viris honorare.*

[illegible] &c. i. *Ipſum tuum cognoſce Deum, qui Dei filius eſt.*

δημιουργὸν, &c. i. *Opificem Dei.*

σύμβουλον, i. *Cõſiliarium.*

F

De nomine Iesv Christi.

Capvt VII.

Fortaſſe quærat aliquis hoc loco, quis ſit iſte tam potens, tam Deo carus, & quod nomen habeat, cuius prima natiuitas non modo anteceſſerit mundum, verum etiam prudentia diſpoſuerit, virtute conſtruxerit?

Primum ſcire nos conuenit, nomen eius ne quidem angelis quidem notum eſſe, qui morantur in cœlo, ſed ipſi ſoli, ac Deo patri. nec ante id publicabitur, vt eſt ſanctis litteris traditum, quam diſpoſitio Dei fuerit impleta. Deinde nec enunciari poſſe hominis ore ſicut Hermes docet, hæc dicens.

G

[illegible]

Et paulo poſt ad filium:

[illegible]

al. Dei

Sed quamuis nomẽ eius, quod ei à principio pater ſummus impoſuit, nullus alius præter ipſum ſciat, habet tamẽ & inter angelos aliud vocabulum & inter homines aliud. Ieſus quippe inter homines nominatur. nam Chriſtus non proprium nomen eſt, ſed nuncupatio poteſtatis, & regni. ſic enim Iudæi reges ſuos appellabant. Sed exponenda huius nominis ratio eſt, propter ignorantium errorem, qui eum immutata litera Chreſtum ſolent dicere. Erat Iudæis antè præceptum, vt ſacrum conficerent vnguentum quo perungi poſſent ij, qui vocabantur ad ſacerdotium vel ad regnum. Et ſicut nunc Romanis indumentum purpuræ, inſigne eſt regiæ dignitatis aſſumptæ; ſic illis vnctio ſacri vnguenti, nomen, ac poteſtatem regiam conferebat. Verùm quoniam Græci veteres χρίεσθαι dicebant vngi, quod nunc ἀλείφεσθαι, ſicut indicat Homericus verſus ille:

[illegible]

H

Ob hanc rationem nos eum Chriſtum nuncupamus, id eſt, vnctum, qui Hebraicè Meſſias dicitur. Vnde in quibuſdam Græcis ſcripturis, quæ malè de Hebraicis interpretatæ ſunt, ἠλειμμένος, id eſt, vnguendo curatus, ſcriptum inuenitur, ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι. Sed tamen vtrolibet nomine rex ſignificatur: non quòd ille regnum hoc terrenum fuerit adeptus, cuius capiendi nondum tempus aduenit, ſed quòd cæleſte, ac ſempiternum. de quo diſſeremus in vltimo libro. nunc vero de prima eius natiuitate dicamus.

Græcorum Latina interpretatio.

[illegible] &c. id eſt. *Cauſa autem huius cauſæ eſt diuini boni voluntas, quæ Deum protulit, cuius nomen non poteſt humano ore dici.*

[illegible] &c. id eſt. *Eſt enim fili ſecretus quidam ſermo ſapientiæ ſanctus de ſolo Domino, quem dicere ſupra hominem eſt.*

[illegible] &c. id eſt, *Eos autem famulæ lauerunt, & vnxerunt oleo.*

[illegible] &c. id eſt, *Ab vngendo.*

De ortu Ieſu in Spiritu, & in carne de Spiritibus & ibi teſtimonia prophetarum.

CAPVT VIII.

IN primis enim teſtificamur, illum bis eſſe natum; primùm in ſpiritu, poſtea in carne. Vnde apud Hieremiam ita dicitur: Prius quàm te formarem in vtero noui te. Et item apud ipſum: Beatus qui erat ante, quàm naſceretur; quod nulli alij contigit, præter Chriſtum. Qui cum eſſet à principio filius Dei, regeneratus eſt denuo ſecundum carnem, quæ duplex natiuitas eius magnum intulit humanis pectoribus errorem; circumfuditque tenebras etiam ijs, qui veræ religionis ſacramenta retinebant. Sed nos id planè, dilucideque monſtrabimus; vt amatores ſapientiæ facilius, ac diligentius inſtituantur. Qui audit Dei filium dici, non debet tantum nefas mente concipere. vt exiſtimet ex connubio, ac permiſtione fœminæ alicuius Deum procreaſſe; quod non facit niſi animal corporale, mortique ſubiectum. Deus autem cùm ſolus ſit, cui permiſcere ſe potuit? aut cum eſſet tantæ poteſtatis, vt quicquid vellet, efficeret; vtique ad creandum ſocietate alterius non indigebat, niſi fortè exiſtimabimus: Deum, ſicut Orpheus putauit, & marem eſſe, & fœminam; quòd aliter generare nequiuerit, niſi haberet vim ſexus vtriuſque; quaſi aut ipſe ſecum coierit; aut ſine coitu non potuerit procreare. Sed Hermes in eadem fuit opinione, cum dicit αὐτοπάτορα καὶ αὐτομήτορα. Quod ſi ita eſſet; vt à prophetis pater dicitur, ſic etiã mater diceretur. Quomodo igitur procreauit? Primùm nec ſciri à quoquam poſſunt, nec narrari opera diuina; ſed tamen ſanctæ literæ docent; in quibus cautum eſt illum Dei filium, Dei eſſe ſermonem; itemque cæteros angelos Dei ſpiritus eſſe. Nam ſermo eſt ſpiritus cum voce aliquid ſignificante prolatus. Sed tamen quoniam ſpiritus, & ſermo diuerſis partibus proferuntur; ſiquidem ſpiritus naribus, ore ſermo procedit; magna inter hunc Dei filium, & cæteros angelos differentia eſt. Illi enim ex Deo taciti ſpiritus exierunt; quia non ad doctrinam Dei tradendam, ſed ad miniſterium creabantur. Ille verò cùm ſit & ipſe ſpiritus; tamen cum voce ac ſono ex Dei ore proceſſit, ſicut verbum, ea ſcilicet ratione, quia voce eius ad populum fuerat vſurus; id eſt, quòd ille magiſter futurus eſſet doctrinæ Dei, & cœleſtis arcani ad homines perferendi, quod ipſum primo locutus eſt, vt per eum ipſe ad nos loqueretur, & ille vocem Dei ac voluntatem nobis reuelaret. Meritò igitur ſermo, & verbum Dei dicitur; quia Deus procedentem de ore ſuo vocalem ſpiritum, quem non vtero, ſed mente conceperat, inexcogitabili quadam maieſtatis ſuæ virtute ac potentia in effigiem, quæ proprio ſenſu, ac ſapientia vigeat, comprehendit; & alios item ſpiritus in angelos figurauit. Noſtri ſpiritus diſſolubiles ſunt, quia mortales ſumus. Dei autem ſpiritus & viuunt, & manent, & ſentiunt, quia ipſe immortalis eſt, & ſenſus, & vitæ dator. Noſtræ voces licet auræ miſceantur, atque euaneſcant; tamen plerunque permanent literis comprehenſæ. quanto magis Dei vocem credendum eſt manere in æternum; & ſenſu, ac virtute comitari, quam de Deo patre tanquam riuus de fonte traduxerit? Quòd ſi quis miratur ex Deo Deum prolatione vocis, ac ſpiritus potuiſſe generari; ſi ſacras voces prophetarum cognouerit, deſinet profectò mirari. Solomonem, patremque eius Dauid potentiſſimos reges fuiſſe, & eoſdem prophetas, etiam ijs fortaſſe ſit notum, qui diuinas literas non attigerunt; quorum alter, à qui poſterius regnauit, Troianæ vrbis* excidium centum & quadraginta annis anteceſſit. Huius pater diuinorum ſcriptor hymnorum in pſalmo 32. ſic ait: Verbo Dei cœli ſolidati ſunt, & in ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Item rurſus in pſalmo quadrageſimoquarto: Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Conteſtans videlicet, nulli alij opera Dei eſſe nota, niſi filio ſoli; qui eſt verbum Dei; & quem regnare in perpetuum, neceſſe eſt. Item Solomon ipſum, verbum Dei eſſe demonſtrat, cuius manibus opera iſta mundi fabricata ſint. Ego, inquit, ex ore altiſſimi prodiui ante omnem creaturam; ego in cœlis feci vt oriretur lumen indeficiens, & nebula texi omnem terram. Ego in altis habitaui; & thronus meus in columna nubis. Ioannes quoque ita tradidit: In principio erat verbum; & verbum erat apud Deum; & Deus erat verbum. Hoc fuit in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

αὐτοπάτορα, &c. id eſt. *Ipſum ſui patrem, & ipſum matrem ſui.*

De Verbo.

CAPVT IX.

SEd melius Græci λόγον dicunt, quàm nos verbum ſiue ſermonem. λόγος enim & ſermonem ſignificat & rationem; quia ille eſt & vox, & ſapientia Dei. Hunc ſermonem diuinum ne philoſophi quidem ignorauerunt. ſiquidem Zeno rerum naturæ diſpoſitorem, atque opificem vniuerſitatis λόγον prædicat; quem & fatum, & neceſſitatem rerum, & Deum, & animum Iouis nuncupat, ea ſcilicet conſuetudine, qua ſolent Iouem pro Deo accipere. Sed nihil obſtant verba; cum ſententia congruat veritati. Eſt enim ſpiritus Dei; quem ille animum Iouis nominauit. nam Triſmegiſtus, qui veritatem penè vniuerſam neſcio quomodo inueſtigauit, virtutem, maieſtatemque verbi ſæpe deſcripſit; ſicut declarat ſuperius illud exemplum in quo fatetus eſſe ineffabilem quendam, ſanctumque ſermonem, cuius enarratio modum hominis excedat. Dixi de natiuitate prima breuiter, vt potui. Nunc de ſecunda, quoniam controuerſia eſt in ea maxima, latius diſſerendum eſt, vt veritatem ſcire cupientibus, lumen intelligentiæ præferamus.

De Ieſu aduentu & Iudæorum caſibus, & vocatione.

CAPVT X.

IN primis igitur ſcire homines oportet, ſic à principio proceſſiſſe diſpoſitionem ſummi Dei, vt eſſet neceſſe, appropinquante ſeculi termino, Dei filium deſcendere in terram: vt conſtitueret Deo templum, doceretque iuſtitiam: veruntamen non in virtute angeli, aut poteſtate cœleſti, ſed in figura hominis, & conditione mortali: vt cum magiſterio functus fuiſſet; traderetur in manus impiorum, mortemque ſuſciperet; vt ea quoque per virtutem domita reſurgeret; & homini, quem induerat, quem gerebat, & ſpem vincendæ mortis afferret, & ad præmia immortalitatis admitteret. Hanc ergo diſpoſitionem ne quis ignoret, docebimus prædicta eſſe omnia, quæ in Chriſto videmus eſſe completa. Nemo aſſeuerationi noſtræ fidem commodet; niſi oſtendero prophetas ante multam* temporum ſeriem prædicaſſe, fore aliquando vt filius Dei naſceretur ſicut homo, & mirabilia faceret, & cultum Dei per totam terram ſeminaret; & poſtremò, patibulo figeretur, & tertia die reſurgeret. Quæ omnia cum probauero eorum ipſorum literis, qui Deum ſuum mortali corpore vtentem violauerunt; quid aliud obſtabit, quo minus veram ſapientiam, clarum ſit, in hac ſola religione verſari? Nunc à principio totius ſacramenti origo narranda eſt. Maiores noſtri, qui erant principes Hebræorum, cùm ſterilitate, atque inopia laborarent, tranſierunt in Ægyptum rei frumentariæ gratia; ibique diutius commorantes, intolerabili ſeruitutis iugo premebantur. tum miſertus eorum Deus, eduxit eos, ac liberauit de manu regis Ægyptiorum, poſt annos* trecẽtos triginta, duce Moyſe; per quem poſtea illis lex à Deo data eſt. in qua eductione oſtendit virtutem ſuæ maieſtatis Deus. Traiecit enim populum medio mari rubro, præcedente angelo, & ſcindẽte aquam, vt populus per ſiccũ gradi poſſet: quẽ verius (vt ait poëta)

Curuata in montis faciem circumſtetit vnda.

Qua re audita, tyrannus Ægyptiorum cum magna ſuorum manu inſecutus, & mare adhuc patens temerè ingreſſus, coeuntibus aquis cum omni exercitu deletus eſt. Hebræi verò egreſſi, in ſolitudine multa mirabilia viderunt. Nam cum ſitim paterentur; ictu virgæ rupe percuſſa, profilijt fons aquæ, populumque recreauit. Quo rurſus eſuriente, cœleſtis alimenti pluuia deſcendit. quin

al. annorum

al. quadringentos.

A al. induxit. etiam coturnices in caſtra eorum ventus * induxit; vt non modò pane cæleſti, ſed etiam inſtructioribus epulis ſaturarentur. Pro his tamen diuinis beneficijs honorem Deo non reddiderunt, ſed depulſa iam ſeruitute, iam ſiti, fameque depoſita, in luxuriam prolapſi, ad prophanos Ægyptiorum ritus animos tranſtulerunt. Cùm enim Moyſes dux eorum aſcendiſſet in montem, atque ibi 40. diebus moraretur, aureum caput bouis, quem vocant Apin, quod eos ſigno præcederet, figurarunt. Quo peccato, ac ſcelere offenſus Deus; impium, & ingratum populum pro merito pœnis grauibus affecit; & legi, quam per Moyſen dederat ſubiugauit. Poſtea verò cum in deſerta quadam parte Syriæ conſediſſent, amiſerunt vetus nomen Hebræi & quoniam princeps exercitus eorum Iudas erat, Iudæi ſunt appellati; & terra, quam incoluere, Iudæa. Et primò quidem non dominio regum ſubiecti fuerunt; ſed populo, ac legi iudices præſidebant; non tamen in annuũ conſtituti ſunt, ſicut Romani conſules, ſed perpetua iuriſdictione ſubnixi.

B Tum ſublato iudicum nomine poteſtas regalis inducta eſt. Verum iudicibus regimen eorum tenentibus, prauas al. ſuſceperunt. religiones ſæpè * ſuſceperant; atque offenſus ab his Deus, toties eos alienigenis ſubiugabat, donec rurſus pœnitentia populi mitigatus, liberaret eos ſeruitute. Item ſub regibus ſimili modo, bellis ob delicta vexati, poſtremo capti, abductique Babylonem, pœnas impietatis ſuæ, graui ſeruitio penderunt; donec Cyrus veniret in regnum; qui ſtatim Iudæos reſtituit edicto. Exinde Tetrarchas habuerunt vſque ad Herodem, qui fuit ſub imperio Tiberij Cæſaris; cuius anno quintodecimo, id eſt, duobus geminis al. decimum. conſulibus, *b* ante diem * ſeptimam Calendarum Aprilium Iudæi Chriſtum cruci affixerunt. hic rerum textus, hic ordo in arcanis ſanctarum literarũ, continetur. Sed prius oſtendam, qua de cauſa in terram venerit Chriſtus; vt fundamentum diuinæ religionis, & ratio clareſcat.

SCHOLIA.

C *a* Tum miſertus eorum Deus, eduxit eos, ac liberauit de manu Regis Ægyptiorum poſt annos quadringentos triginta] *erat in libris impreſſis.* poſt annos quadringentos triginta, *legendum eſt ex antiquis codicibus. ſic enim habetur Exod. c. 12. habitatio autem filiorum Iſrael, qua manſerunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Idem ait Apoſtolus ad Galat. c. 3. hoc autem dico teſtamentum confirmatum à Deo: quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex. Verum, vt habeamus hos omnes annos, non ſolum numerandi ſunt illi anni quibus populus Iſrael fuit in Aegypto, ſed ſumendum eſt initium à ſeptuageſimo-quinto anno natiuitatis Abrahæ, quando ipſe ingreſſus eſt terrã Chanaan. ſic enim in loco Exodi quem citaui, habet verſio LXX. vt refert Beda: habitatio autem filiorum Iſrael, qua habitauerunt in Aegypto, & in terra Chanaan ipſi, & patres eorum, anni, 430. Nam ſi tantum numeremus tempus proprium ſeruitutis, quæ verè incœpit poſt obitum Ioſeph, ab hoc tempore vſque ad exitum ex Aegypto ſunt tantum 144. ſicut Euſebius, & Beda clare teſtantur. & ſi addamus tempus, quo Iacob cum omnibus filijs ingreſſi ſunt in Aegyptum iuxta ſupputationem Euſebij, non ſunt niſi 215. anni. Itaque quod hoc ait Lactantius intelligendum eſt iuxta illam ſupputationem LXX. Interpretum.*

b Ante diem ſeptimam Kalendarum Aprilium Iudæi Chriſtũ cruci affixerunt] *in libris antiquis eſt,* ante 1. Kal. &c.

D *nolo in hac nota diſputare, quis ſit verus Dies paſsionis Domini: ſcio enim, quam variæ ſint de ea veterum, ac recentiorum opiniones; quod tamen ad hunc locum Lactantij intelligendum attinet, dico ſi legamus, ante diem ſeptimam Kal. perinde eſſe ac ſi dicatur octauo Kal. & tum conſentire videbitur Lactantius cum Tertulliano, Hieronymo, Auguſtino, Beda, & omnibus ferè Latinis, ac ex Græcis Chryſoſtomo, ac Cyrillo, qui omnes octaua Kalend. Aprilis, hoc eſt, 25. die Martij, eo die quo in mundum Chriſtus fuit editus, cruci affixum fuiſſe. quod ſi legamus ante diem x. vt eſt in libris antiquis, & vt videtur legiſſe in* lib. v. c. 4. diſputationis quam Pauli nũcupauit. *Lactantio à Paulus de Midelburgo, qui longiſſimam de hac re diſputationem edidit, tum videbitur Lactantius ad opinionem Theophili accedere, qui putauit Chriſtum Dominum xi Kal. Aprilis fuiſſe crucifixum, & parum differet ab opinione Nicetæ, & ferè omnium Græcorum, qui x. Kalend. Apriles putant Chriſtum Dominum fuiſſe crucifixum, vt colligant octauo Kal. eo nempe die, quo fuit natus, à mortuis reſurrexiſſe. Ita cum vtraque lectio habeat grauiſſimos auctores, cum quibus poſsit conuenire, alteram in textu, alteram in margine iuſsi notari.*

E *De Ieſu aduentu, & prædictis Prophetarum.*

CAPVT XI.

CVm ſæpe Iudæi præceptis ſalutaribus repugnarent, atque à diuina lege deſciſcerent aberrantes ad impios cultus Deorum, tum Deus iuſtos, & electos viros Spiritu ſancto implebat, prophetas in media plebe conſtituens, per quos peccata ingrati populi verbis minacibus increparet; & nihilominus hortaretur ad pœnitentiam ſceleris agendam, quam niſi egiſſent, atque abiectis vanitatibus ad Deum ſuum rediſſent, fore, vt teſtamẽtum ſuum mutaret, id eſt, hæreditatem vitæ immortalis ad exteras conuerteret nationes; aliumque ſibi populum fideliorem ex alienigenis congregaret. Illi autem à prophetis increpati, non

F modò verba eorum reſpuerunt; ſed quòd ſibi peccata exprobrarentur, offenſi, eos ipſos exquiſitis cruciatibus necauerunt. quæ omnia diuinæ literæ ſignata conſeruant. Dicit enim Propheta Ieremias: *Miſi ad vos ſeruos meos Prophetas, ante lucem mittebam, & non audiebatis me, neque intendebatis auribus veſtris, cùm dicerem vobis. Conuertatur vnuſquiſque à via ſua mala; & à nequiſſimis affectionibus veſtris & habitabitis in terra iſta, quam dedi vobis, & patribus veſtris; à ſeculo vſque in ſeculũ. Nolite ambulare poſt Deos alienos, vt ſeruiatis eis. & ne incitetis me in operibus manuum veſtrarum ad diſperdendos vos.* Heſdras etiam propheta, qui fuit eiuſdem Cyri temporibus, à quo Iudæi ſunt reſtituti, ſic loquitur: *Deſciuerunt à te; & abiecerunt legem tuam poſt * cor ſuum; & prophetas tuos interfecerunt, qui obteſtabantur eos, vt reuerterentur ad te.* Item Helias in libro al. corpus βασιλειῶν tertio: *Aemulans æmulatus ſum Domino Deo omnipotenti, quia dereliquerunt te filij Iſrael; & altaria tua demolierunt, & prophetas tuos interfecerunt gladio; & remanſi ego ſolitarius; & quærunt animam meam auferre à me.* Propter has illorum impietates abdicauit eos in perpetuum, itaque deſiit prophetas mittere ad eos. Sed illum filium ſuum primogenitum, illum opificem rerum, & conſiliatorem ſuum deſabi iuſſit

G è cœlo, vt religionem ſanctam Dei transferret ad gentes, id eſt, ad eos, qui Deum ignorabant; doceretque iuſtitiam, quam perfidus populus abiecerat, quod iampridẽ denuntiauerat ſe facturum: ſicut Malachias Propheta indicat dicens: *Non eſt mihi voluntas circa vos, dicit Dominus, & ſacrificium acceptum non habeo ex manib. veſtris; quoniam à ſolis ortu vſque ad occaſum clarificabitur nomen meum apud gentes.* Item Dauid in pſalmo 17. *Conſtitues me in caput gentium: populus, quem non cognoui, ſeruiet mihi.* Eſaias quoque ſic loquitur: *Venio colligere omnes gentes, & linguas, & venient, & videbunt claritatem meam; & dimittam ſuper eos ſignum; & mittam ex his conſeruatos in gentes, quæ longe ſunt; quæ non audierunt gloriam meam, & nũtiabunt claritatem meam in gentes.* Volens igitur Deus metatorem templi ſui mittere in terrã, noluit eum in poteſtate, & claritate cæleſti mittere, vt ingratus in Deum populus in errorem maximũ induceretur; ac pœnas pro facinoribus ſuis lueret; qui Dominum, ac Deum ſuum nõ recepiſſet; quòd olim prophetæ cecinerant, ſic eſſe facturum. Eſaias enim quem ipſi Iudæi ſerra conſectum crudeliſſimè necauerunt; ita dicit: *Audi cælum, & percipe auribus terra, quoniam Dominus*

H *locutus eſt: filios genui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepium Domini ſui, Iſrael autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit.* Hieremias quoque ſimiliter ait: *Cognouit tempus ſuum turtur, & hirundo: & agri paſſeres cuſtodierunt tempora introitus ſui populus autẽ meus non cognouit iudicium Domini.* Quomodo dicitis, Sapientes ſumus, & lex Domini nobiſcũ eſt? In caſſum facta eſt metatura, falſi ſcribæ, & cõfuſi ſunt, ſapientes trepidauerunt, & capti ſunt, quoniã verbũ Domini reprobauerunt. Ergo (vt cœperã dicere) cũ ſtatuiſſet Deus, doctorẽ virtutis mittere ad homines; renaſci eum denuo in carne præcepit; & ipſi homini ſimilẽ fieri; cui dux, & comes, & magiſter eſſet futurus. Sed tamen quoniã clemens eſt, & pius erga ſuos Deus, ad eos ipſos eum miſit, quos oderat, ne illis in perpetuum ſalutis viam clauderet, ſed daret his liberam facultatem ſequendi Deum; vt & præmium vitæ adipiſcerentur, ſi ſecuti fuiſſent; quod plurimi eorũ faciunt, atq. fecerũt: & culpa ſua in

pœnam

pœnam mortis incurrerent, ſi regem ſuum repudiaſſent, quod ſciebat eſſe facturos. Apud illos igitur, & ex eorum ſemine regenerari eum iuſſit, ne, ſi fuiſſet alienigena, iuſtã poſſent excuſationem de lege prætendere, quòd eum non ſuſcepiſſent: ſimul, vt nullo omnino gens eſſet in terra, cui ſpes immortalitatis negaretur.

De Ieſu ortu ex Virgine, & vita, & morte, reſurrectione: deque ijs rebus teſtimonia prophetarum.

Capvt XII.

DEſcendens itaque de cœlo ſanctus ille ſpiritus Dei, ſanctam Virginem, cuius vtero ſe inſinuaret elegit. At illa diuino ſpiritu hauſto repleta concepit, & ſine vllo attactu viri repente virginalis vterus intumuit. Quòd ſi animalia quædam vento * aut aura concipere ſolere, omnibus notum eſt; cur quiſquã mirum putet, cùm ſpiritu Dei, cui facile eſt quicquid velit; grauatam eſſe Virginem dicimus? Quod ſanè incredibile, niſi hoc futurum ante multa ſecula prophetæ cecinissent. Solomon ita dicit: *Infirmatus eſt vterus Virginis, & accepit fœtum; & grauata eſt, & facta eſt in multa miſeratione mater Virgo.* Item propheta Eſaias; cuius verba ſunt hæc: *Propter hoc dabit Deus ipſe vobis ſignum; Ecce Virgo accipiet in vterum, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Hemanuel.* Quid hoc manifeſtius dici poteſt? Legebant iſta Iudæi, qui eum negauerunt. ſi quis nos hæc fingere arbitratur, ab his requirat, ab his potiſſimum ſumat. Satis firmum teſtimonium eſt ad probandam veritatem, quod ab ipſis perhibetur inimicis. Hemanuel autem nunquam vocitatus eſt, ſed Ieſus, qui latinè dicitur ſalutaris, ſiue ſaluator: quia cunctis gentibus ſalutifer venit. Sed propheta declarauit hoc nomine, quòd Deus ad homines in carne venturus eſſet. Hemanuel enim ſignificat, nobiſcum Deus; ſcilicet quia illo per virginẽ nato, confiteri homines oportebat, Deum ſecum eſſe, id eſt, in terra, & in carne mortali. Vnde Dauid in pſalmo 84. *Veritas*, inquit, *de terra orta eſt*; quia Deus, in quo veritas eſt, terrenum corpus accepit; vt terrenis viam ſalutis aperiret. Item Eſaias ipſe: *Ipſi autem non crediderunt, & exacerbarunt Spiritum ſanctum.* & cõuerſus eſt eis ad inimicitiam. Et ipſe expugnauit, & recordatus eſt dierum ſeculi, qui ſuſcitauit de terra paſtorem ouium. Quis autem futurus eſſet ille paſtor, declarauit alio loco, dicens: *Exultent cœli deſuper, & nubes induant iuſtitiam; aperiatur terra, & pullulet ſaluatorem.* Ego enim Dominus Deus creaui eum. Saluator verò eſt (vt ſupra diximus) Ieſus. Sed & alio loco idem propheta ſic prædicauit: *Ecce natus eſt nobis puer, & datus eſt nobis filius cuius imperium ſuper humeros eius: & vocatum eſt nomen eius magni conſilij nuntius.* Iccirco enim miſſus eſt à Deo patre, vt vniuerſis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt, ſingularis, & veri Dei ſanctum myſterium reuelaret, ablatum perfido populo, qui aduerſus Deum ſæpe deliquit. Daniel quoque ſimilia prælocutus eſt: *Videbam*, inquit, *in viſu noctis; & ecce in nubibus cœli vt filius hominis veniens, & vſque ad vetuſtum dierum peruenit. Et qui aſſiſtebant, obtulerunt eum, & datum eſt ei regnum, & honor, & imperium, & omnes populi, tribus, linguæ ſeruient ei; & poteſtas eius æterna, quæ nunquam tranſibit, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Quomodo igitur Iudæi & confitentur, & ſperant Chriſtum Dei? qui hunc iccirco reprobauerunt, quia ex homine natus eſt. Nam cùm ita ſit à Deo conſtitutum, vt idem Chriſtus bis veniat in terram: ſemel, vt vnum Deum gentibus nuntiet, deinde rurſus, vt regnet: quomodo in ſecundum eius aduẽtum credunt, qui in primum non crediderunt? Atqui propheta vtrũq; aduentus eius paucis verbis comprehendit: *Ecce*, inquit, *in nubibus cœli, vt filius hominis veniens*, nõ dixit, vt filius Dei, ſed filius hominis vt oſtenderet, quòd carne indui haberet in terra, vt ſuſcepta hominis figura, & cõditione mortali, doceret homines iuſtitiam: & cum mãdatis Dei functus, veritatem gentibus reuelaſſet, mactaretur etiam morte; vt inferos quoq; vinceret, ac reſignaret; atque ita demum reſurgens, ad Patrem proficiſceretur in nube ſublatus. Adiecit enim propheta, & ait: *Et vſque ad antiquum dierum peruenit, & oblatus eſt ei.* *Antiquum dierum appellauit Deum ſummum, cuius ætas & origo non poteſt comprehendi, quia ſolus à ſeculis fuit, & erit ſemper in ſecula.* Chriſtum autem poſt paſſionem, ac reſurrectionem aſcenſurum eſſe ad Deum patrem, Dauid in pſalmo 109. conteſtatus eſt his verbis: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: quoad vſque ponam inimicos tuos ſuppedaneum pedum tuorum*, qui propheta cũ rex eſſet; quem appellare Dominum ſuum poſſet, qui ſederet ad dexteram Dei, niſi Chriſtum filiũ Dei; qui eſt Rex regum, & Dominus dominorũ? Quod Eſaias apertius oſtendit dicens: Sic dicit Dominus Deus Chriſto Domino meo, cuius tenui dexteram: *Obaudire ante eum gentes faciam: & fortitudinem regum diſrumpam. Aperiam ante illum portas & ciuitates nõ claudentur. Ego ante ibo & montes deplanabo; & fores æreas conteram; & ſerras ferreas confringã: & dabo tibi theſauros abſconditos & inuiſibiles; vt ſcias, quia ego ſum Dominus Deus, qui voco nomen tuum, Deus Iſrael.* Deniq; ob virtutem, ac fidem, quam in Deo exhibuit in terra; datum eſt ei regnum, & honor, & imperium; & omnes populi, tribus, linguæ, ſeruient ei; & poteſtas eius æterna, quæ nunquam tranſibit; & regnum eius non corrumpetur. Quod quidem duobus modis intelligitur; quia & nũc habet perpetuam poteſtatem, cum omnes gentes, & omnes linguæ nomen eius venerantur, maieſtatẽ confitentur, doctrinam ſequuntur, virtutem imitantur: habet imperium, atq; honorem, cum omnes tribus terræ præceptis eius obtemperant. & idem poſtea, cùm rurſus aduenerit, in poteſtate, ac claritate, vt omnem animam iudicet, & iuſtos reſtituat ad vitam: tunc verè totius terræ regimen obtinebit: tunc ſublato rebus humanis omni malo, aureum ſeculum (vt poëtæ vocant) id eſt, iuſtum, ac pacificum tempus orietur. Sed hæc vberius in vltimo libro diſſeremus, cùm de ſecundo aduẽtu loquemur, nũc de primo, vt cœpimus, explicemus.

De Ieſu Deo & homine: deque eo teſtimonia Prophetarum.

Capvt XIII.

SVmmus igitur Deus, ac parens omnium, cùm religionem ſuam transferre voluiſſet; doctorem iuſtitiæ miſit è cęlo; vt nouis cultoribus nouam legem in eo, vel per eum daret: non ſicut antè fecerat per hominem; ſed tamen naſci eum voluit tanquam hominem vt per omnia ſummo patri ſimilis exiſteret. Ipſe enim pater Deus, & origo, & principium rerum, quoniam parentibus caret, ἀπάτωρ, atq; ἀμήτωρ à Triſmegiſto veriſſimè nominatur; quód ex nullo ſit procreatus. Iccirco etiam filium bis naſci oportuit, vt ipſe fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim natiuitate ſpiritali ἀμήτωρ fuit; quia ſine officio matris, à ſolo Deo patre generatus eſt, in ſecunda verò carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam ſine patris officio, virginali vtero procreatus eſt; vt mediam inter Deum, & hominem ſubſtantiam gerens, noſtram hanc fragilem, imbecillemque naturam quaſi manu ad immortalitatẽ poſſet educere. factus eſt & Dei filius per ſpiritum, & hominis per carnem, id eſt, & Deus, & homo. Dei virtus in eo ex operibus, quæ fecit, apparuit; fragilitas hominis, ex paſſione, quam pertulit, quam cur ſuſceperit, paulò pòſt docebo. Interim & Deum fuiſſe, & hominem ex vtroque genere permiſtum, prophetis vaticinantibus diſcimus. Eſaias Deum fuiſſe teſtatur his verbis: *Fatigata eſt Aegyptus, & natio Aethiopum, & Saba; viri alti ad te tranſgredientur: & tui erunt ſerui, & poſt te ambulabunt vincti compedibus, & adorabunt te, & te precabuntur; quoniam in te Deus eſt; & non alius Deus præter te. Tu enim Deus es, & neſciebamus, Deus Iſrael Saluator. Cõfundentur, & reuerebuntur omnes qui aduerſantur tibi; & cadent in confuſionem.* Item Propheta Hieremias ſic ait: *Hic Deus noſter eſt, & non deputabitur alius abſque illo; qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſibi.* Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus verſatus eſt. Item Dauid in pſalmo 44. *Thronus tuus Deus in ſecula ſeculorum, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odio habuiſti iniuſtitiã: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis.* Quo verbo etiam nomen oſtendit. ſiquidem (vt ſuprà docui) ab vnctione appellatus eſt Chriſtus. Deinde hominem fuiſſe eundem, Hieremias docet dicens: *Et homo eſt; & quis cognouit eum:* Item Eſaias: *Et mittet eis Deus hominem, * & ſaluabit eos. & iudicans ſanabit eos.* al. qui. Sed & Moyſes in Numeris ita loquitur: *Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael.* Propterea Mileſius Apollo conſultus, vtrumne Deus, an homo fuerit, hoc modo reſpondit.

A

Θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα, σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις.
ἀλλ' ὑπὸ Χαλδαίων κεράτων ὅπλοισιν ἁλωθεὶς,
γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὸν τέλος ἐξετέλεσσε.

Primo verſu verum quidem dixit, ſed argutè conſultorem fefellit, ſacramentum veritatis penitus neſcientem. Videtur enim negaſſe illum Deum, ſed cum fatetur ſecundum carnem fuiſſe mortalem, quod etiam nos prædicamus, conſequens eſt, vt ſecundum ſpiritum Deus fuerit, quod nos affirmamus. Quid enim fuerat neceſſe carnis facere mentionem? cùm ſatis eſſet dicere, fuiſſe mortalé. Sed veritate preſſus negare non potuit, quemadmodum res ſe haberet, ſicut illud, quod ait, fuiſſe ſapientem. Quid ad hoc, Apollo, reſpondes? Si ſapiens eſt, ergo doctrina eius ſapientia eſt, nec vlla alia, & ſapientes, qui ſequuntur, nec vlli alij. Cur igitur vulgò pro ſtultis, & vanis, & ineptis, qui ſectamur magiſtrum, etiam ipſorum deorum confeſſione ſapientem? Nam quòd ait, portentifica illum opera feciſſe, quo maximè diuinitatis fidem meruit, aſſentiri nobis iam videtur, cùm dicit eadem, quibus nos gloriamur. Sed colligit ſe tamen, & ad dæmoniacas fraudes redit. Cùm enim verum neceſſitate dixiſſet, iam deorum ac ſui proditor videbatur, niſi quod ab eo veritas extorſerat, mendacio fallente celaſſet. Ait ergo, illum feciſſe quidem opera miranda, verum non diuina virtute, ſed magica. Quid mirum, ſi hoc Apollo veritatem ignorantibus perſuaſit, cùm Iudæi quoque cultores (vt videbantur) ſummi Dei idem putauerint? cùm ante oculos eorum quotidie fierent illa miracula *a*, quæ eis prophetæ futura prædixerant, nec tamen tantarum virtutum contemplatione impelli potuerunt, vt Deum crederent, quem videbant. Propterea Dauid, quem inter cæteros prophetas vel maxime legunt, in Pſalmo 27. ſic eos damnat: *Redde illis retributionem eorum, quoniam non intellexerunt opera Domini.* Ex huius ipſius domo Chriſtum generatum iri ſecundum carnem, & ipſe Dauid, & alij Prophetæ annuntiauerunt. Apud Eſaiam ita ſcriptum eſt: *Et erit illa die radix Ieſſe, & qui exurget principari in nationes, in eum gentes ſperabunt, & erit requies eius in honore.* Et alio loco: *Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Dei, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & implebit eum ſpiritus timoris Domini.* Ieſſe autem fuit pater Dauid, ex cuius radice aſcenſurum eſſe florem, prælocutus eſt, eum ſcilicet, de quo Sibylla dicit:

ἀνθήσει δ' ἄνθος καθαρόν.

Item in *Βασιλειῶν* libro ſecundo Propheta Nathan miſſus eſt ad Dauid volentem Deo templum fabricare, & fuit verbum Domini ad Nathan dicens: *Vade, & dic ſeruo meo Dauid. Hæc dicit Dominus omnipotens. Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum, ſed cum impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, & parabo* † *regnum eius.* Hic ædificabit mihi domum in nomine meo, & erigam thronum eius vſque in ſeculum, & ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium, & fidem conſequetur domus eius, & regnum eius vſque in ſeculum. Sed hæc vt Iudæi non intelligerent, illa fuit cauſa, quòd Solomon filius Dauid Deo templum ædificauit, & ciuitatem, quam de ſuo nomine Hieroſolyma nuncupauit. Itaque ad ipſum, quæ à Propheta dicta ſunt, retulerunt. Solomon autem ab ipſo patre ſuo imperij regimen accepit. Prophetæ verò de eo loquebantur, qui tum naſceretur, poſtquam Dauid cum patribus ſuis requieuiſſet. Præterea Solomonis imperium perpetuum non fuit. annis enim quadraginta regnauit.

al. regnū.

Deinde, quòd nunquam filius Dei dictus eſt, ſed filius Dauid: & domus, quam ædificauit, non eſt fidem conſecuta, ſicut eccleſia, quæ eſt verum templum Dei, quod nō in parietibus eſt, ſed in corde ac fide hominum, qui credũt in eum, ac vocantur fideles. Illud verò Solomonium templum quia manu factum eſt, manu cecidit. Denique pater eius in Pſal. 127. de operibus filij ſui prophetauit hoc modo: *Si Dominus non ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui illam ædificauerunt. Si Dominus non cuſtodierit ciuitatem, in vanum vigilauit, qui eam cuſtodiunt.*

B C D

SCHOLIA.

a Poſt fierent illa miracula.] *Additur in codice antiquo,* quæ eis Prophetæ futura prædixerant, *quod mihi valde probatur, nam hoc modo clarius malitia Iudæorum demonſtratur, & explicantur talia fuiſſe illa miracula, quibus ipſos fidem habere oportuit.*

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

Θνητὸς, &c. id eſt, *Mortalis erat ſecundum carnem, ſapiens portentificis operibus, ſed ſub iudicibus Chaldæis armis comprehenſus clauis, & cruce, amarum tolerauit finem.*

ἀνθήσει, &c. Id eſt, *Floreſcet autem flos purus.*

E F

De IESV Sacerdotio, deque eo ipſo teſtimonia Prophetarum.

CAPVT XIV.

QVibus ex rebus apparet, Prophetas omnes denunciaſſe de Chriſto, fore aliquando, vt ex genere Dauid corporaliter natus conſtitueret æternum templum Deo, quod appellatur eccleſia, & vniuerſas gentes ad religionē Dei veram cōuocaret. Hæc eſt domus fidelis, hoc immortale templũ, in quo ſi quis nō ſacrificauerit, immortalitatis præmiũ non habebit. Cuius tēpli & magni & æterni quoniā Chriſtus fabricator fuit, idē neceſſe eſt habeat in eo ſacerdotiũ ſempiternũ. Nec poteſt niſi per eum, qui cōſtituit ad *templũ, & ad conſpectũ Dei peruenire. Dauid in pſal. 109. id ipſum docet dicēs: *Ante luciferum genui te. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Tu es ſacerdos in æternũ, ſecundũ ordinem Melchiſedech.* Item in *Βασιλειῶν* lib. 1. *Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelē, qui omnia, quæ ſunt in corde meo, faciat, & ædificabo ei domum fidelem, & tranſibit in conſpectu meo omnibus diebus.* Quis autem futurus eſſet, cui Deus æternum ſacerdotiũ pollicebatur, Zacharias etiam nomine poſito, apertiſſimè docuit: *Et oſtendit mihi Dominus Deus Ieſum ſacerdotem magnum ſtantē ante faciem angeli Domini, & diabolus ſtabat ad dexteram ipſius, vt aduerſaretur ei. Et dixit Dominus ad diabolum: Imperet Dominus in te, qui elegit Hieruſalem. Et ecce titio eiectus ab igne. & Ieſus erat indutus veſtimenta ſordida, & ſtabat ante faciē Angeli, & reſpondit, & dixit ad circumſtantes ante faciem ipſius dicens: Auferte veſtimēta ſordida ab eo, & induite eum tunica talari, & ponite cydarim mundam ſuper caput ipſius, & cooperuerunt eum veſtimento, & impoſuerunt cydarim mundam ſuper caput eius, & Angelus Domini ſtabat, & teſtificabatur, ad Ieſum dicens: Hæc dicit Dominus omnipotens, ſi in viis meis ambulaueris, & præcepta mea ſeruaueris, tu iudicabis domum meam, & dabo tibi qui conuerſentur in medio horum circumſtantium.* Audi itaq; Ieſu ſacerdos magne. Quis non igitur captus mentib. eum fuiſſe Iudæos arbitretur, qui cũ hæc legerent & audirent, nefandas manus Deo ſuo intulerunt? Atqui ab eo tempore, quo Zacharias fuit, vſque ad annum 15. imperij Tiberij Cæſaris, quo Chriſtus crucifix* eſt, propè quingenti anni numerantur, ſiquidem Darij & Alexandri adoleſcit ætate, qui fuerunt non multò poſt, quā Tarquini* Superb* exact* eſt. Sed illi rurſus eodē modo falſi deceptiq; ſunt, putantes, hæc de Ieſu eſſe dicta filio Naue, qui ſucceſſor fuit Moſi, aut de ſacerdote Ieſu filio Ioſedech; in quos nihil congruit eorum, quæ propheta narrauit. Non enim ſordidati illi vnquam fuerunt, cùm alter eorum princeps potentiſſimus fuerit, alter ſacerdos; aut perpeſſi ſunt aliquid aduerſi, vt, tanquam titio eiectus ex igne, putarentur. Aut aliquando in conſpectu Dei & Angelorũ ſteterunt, aut propheta de præteritis loquebatur potius, quām de futuris. Locutus eſt igitur de Ieſu filio Dei, vt oſtenderet, eum primò in humilitate & carne eſſe venturũ. Hæc enim eſt veſtis ſordida, vt pararet templum Deo, & ſicut titio igni combureretur, id eſt, ab hominib. cruciamēta perferret, & ad vltimum extingueretur. Titionem enim vulgus appellat extractum foco torrem ſemiuſtum, extinctum. Quo modo autem, & cum quibus mandatis à Deo mitteretur in terram, declarauit ſpiritus Dei per pro-

G H

A

phetam, docens futurum, vt cùm voluntatem ſummi patris fideliter & conſtanter impleſſet, acciperet iudicium atque imperium ſempiternum. Si in vijs meis, inquit, ambulaueris, & præcepta mea ſeruaueris, tu iudicabis domum meã. Quæ fuerint viæ Dei, & q̃ præcepta eius, nec ambiguũ nec obſcurum eſt. Deus enim cùm videret malitiam, & falſorum deorum cultus per orbem terræ ita inualuiſſe, vt iam nomen eius ea hominum memoria fuiſſet penè ſublatum (ſiquidem Iudæi quoque, quibus ſolis arcanum Dei creditum fuerat, relicto Deo viuo, ad colenda figmenta irretiti dæmonum fraudibus aberraſſent, nec increpiti per prophetas reuerti ad Deum vellent) *b* filium ſuum legauit ad homines, vt eos conuerteret ab impijs & vanis cultibus, ad cognoſcendum & colendum Deum verum: item, vt eorum mentes à ſtultitia ad ſapientiam, ab iniquitate ad iuſtitiæ opera traduceret. Hæ ſunt viæ Dei, in quibus ambulare eum præcepit. Hæc præcepta, quæ ſeruanda mandauit. Ille verò exhibuit Deo fidem; docuit enim quòd vnus

B

Deus ſit, eumque ſolum coli oportere: nec vnquam ſe ipſe Deum dixit: quia non ſeruaſſet fidem, ſi miſſus, vt deos tolleret, & vnum aſſereret, induceret alium præter vnum. Hoc erat non de vno Deo facere præconium, nec eius, qui miſerat, ſed ſuum proprium negocium gerere, ac ſe ab eo, quem * illuſtratum venerat, ſeparare. Propterea quia tam fidelis extitit, quia ſibi nihil prorſus aſſumpſit, vt mandata mittentis impleret, & ſacerdotis perpetui dignitatem, & regis ſummi honorem, iudicis poteſtatem, & Dei nomen accepit.

*al. illuſtratus.

SCHOLIA.

a Qui conſtituit templum ad aditum templi & ad conſpectum Dei.] *Legitur in libris impreſſis*, qui conſtituit ad templum & ad conſpectum Dei, *lego ex antiquo codice. nam cum hic templum pro Eccleſia accipiatur, non ſufficit ad conſpectum Eccleſiæ venire, vt quis ſaluus fiat, ſed neceſſe eſt in ipſam eccleſiam ingredi, & membrum ipſius effici: qua etiam via ad conſpectum Dei peruenitur.*

C

b Filium ſuum legauit.] *legendum eſt ex antiquo codice, ita vt duæ illæ dictiones*, principem angelorum, *expungantur, quæ nihil ad rem faciunt, & videntur ab aliquo Ariano addita, vt aliquid diuinitati Chriſti detraheretur.*

De IESV vita & miraculis, deque iis teſtimonia.

CAPVT XV.

QVoniam de ſecunda natiuitate diximus, qua ſe hominib. in carne monſtrauit, veniamus ad opera illa miranda, quæ cũ eſſent cœleſtis indicia virtutis, magũ Iudæi putauerunt. Cum primùm cœpit adoleſcere, tinctus eſt à Ioanne propheta in Iordane flumine, vt lauacro ſpiritali peccata non ſua, quæ vtiq; non habebat, ſed carnis, quam gerebat, aboleret: vt quemadmodum Iudæos ſuſcepta circumciſione, ſic etiam gentes baptiſmo, id eſt, † purificati roris perfuſione ſaluaret. Tũc vox audita de cœlo eſt, Fili* me* es tu: ego hodie genui te. Quæ vox apud Dauid prædicta inuenitur: & deſcendit ſuper eum ſpiritus Dei formatus in ſpeciem columbæ candidæ. Exinde maximas virtutes cœpit operari, non præſtigijs magicis, quæ nihil veri ac ſolidi oſtentant, ſed vi ac poteſtate cœleſti: quæ iampridem prophetis nunciantibus canebãtur. Quę opera tam multa ſunt, vt vn* liber ad cõplectẽda omnia ſatis nõ ſit. Enumerabo igitur illa breuiter, & generatim ſine vlla perſonarũ ac locorum deſignatione, vt ad exponendam paſſionis eius, crucisque rationem poſſim peruenire, quò iamdudum feſtinat oratio. Virtutes eius fuerunt, quas Apollo portentificas appellauit, quòd quacunque iter faciebat, ægros & debiles, & omni morborum genere laborantes vno verbo vnoque momento reddebat incolumes, adeo vt membris omnibus capti, receptis repentè virib. roborati, ipſi lectulos ſuos reportarent, in quibus fuerant paulò antè delati. Claudis verò, ac pedum vitio afflictis, non modò gradiendi, ſed etiam currendi dabat facultatem. Tunc quorum cæca lumina in altiſſimis tenebris erant, eorum oculos in

†al. purifico.

D

E

priſtinum reſtituebat aſpectum. Mutorum quoque linguas in eloquium ſermonemque ſoluebat. Item ſurdorum patefactis auribus inſinuabat auditum: pollutos ac ſparſos maculis repurgabat. Et hæc omnia non manibus, aut aliqua medela, ſed verbo ac iuſſione faciebat, ſicut etiam Sibylla prædixerat:

> πάντα λόγῳ πράττων, πᾶσάν τε νόσον θεραπεύων.

Nec vtique mirum, quòd verbo faciebat mirabilia, cum ipſe eſſet Dei verbum, cœleſti virtute ac poteſtate ſubnixũ. Nec ſatis fuit, quòd vires imbecillis redderet, q debilib. integritatem, quod ægris & languentibus ſanitatem, niſi etiam mortuos ſuſcitaret, velut è ſomno ſolutos, ad vitamq; reuocaret. Quæ videntes tunc Iudæi, dæmoniaca potentia fieri arguebant: cum omnia ſic futura, vt facta ſunt, arcanæ illorum literæ continerent. Legebant quippe cùm aliorum prophetarum, tùm Eſaiæ verba dicentis. Confortamini manus reſolutæ, & genua debilia conſolamini. Qui eſtis puſilli animi, nolite timere, nolite metuere, Dominus noſter iudicium retribuet, ipſe veniet, & ſaluos faciet nos.

F

Tunc *aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum audient. Tunc ſaliet claudus ſicut ceruus, & plana erit lingua mutorum, quia rupta eſt in deſerto aqua, & riuus in terra ſitienti.* Sed & Sibylla eadem cecinit his verſibus.

> — νεκρῶν δ' ἀνάστασις ἔσται,
> καὶ χωλῶν δρόμος ὠκὺς, καὶ ὁ κωφὸς ἀκούσει,
> καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ' οὐ λαλέοντες.

Ob has eius virtutes & opera diuina, cùm magna illum multitudo ſequeretur vel debilium, vel ægrotorum, vel eorum, qui curandos ſuos offerre cupiebant, aſcendit in mõtem quendam deſertum, vt ibi adoraret: vbi cùm triduo moraretur, ac fame populus laboraret, vocauit diſcipulos, quærens, quantos ſecum cibos geſtarent. At illi quinque panes, & duos piſces in pera ſe habere dixerunt. Afferri ea iuſſit, ac multitudinem per quinquagenos diſtributam diſcumbere. Quod cùm diſcipuli facerent, frangebat ipſe panem minutatim, carnemque piſcium comminuebat, &

G

vtraque in manibus eius augebantur. Et cùm apponi illa populo, diſcipulis imperaſſet, ſaturata ſunt quinque hominum millia, & inſuper duodecim cophini de reſiduis fragminibus impleti. Quid aut dici aut fieri poteſt mirabilius? At id Sibylla futurum cecinerat olim, cuius verſus tales feruntur:

> ἐξ ἄρτων ἅμα πέντε, καὶ ἰχθύος ἐνναλίοιο
> ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσσει,
> καὶ τὰ περισσεύσαντα λαβὼν μετὰ κλάσματα πάντα
> δώδεκα πληρώσει κοφίνους, εἰς ἐλπίδα λαῶν.

Quæro igitur, quid hic potuerit ars magica moliri, cuius peritia nihil aliud, quàm ad circumſcribendos oculos valet. Idem ſeceſſurus orandi gratia, ſicut ſolebat, in montem, præcepit diſcipulis, vt nauiculam ſumerent, ſeq; præcederent. At illi vrgente iam veſpere profecti, contrario vento laborare cœperunt, cũq; iam mediũ fretũ tenderent, tum pedib. mare ingreſſus, conſecutus eſt eos, tanquã in ſolido gradiens, non vt poetæ Orionem mentiuntur in pelago incedentem, qui demerſa corporis parte, humero

H

ſupereminet vndas. Et rurſus cùm obdormiſſet in naui, & ventus vſque ad extremum periculum ſæuire cœpiſſet, excitatus ſomno, ſilere ventum protinus iuſſit, & fluctus, qui maximi ferebantur, conquieſcere: ſtatimque ſub verbo eius tranquillitas inſecuta eſt. Mentiuntur fortaſſe literæ ſanctæ, docentes tantam fuiſſe in eo poteſtatem, vt imperio ſuo cogeret ventos obſequi, maria ſeruire, morbos cedere, inferos obedire. Quid quòd eadem Sibyllæ carminibus ſuis antè docuerunt? quarum vna, cuius ſuprà fecimus mentionem, ſic ait:

> τοὺς ἀνέμους παύσει τε λόγῳ, στορέσει δὲ θάλασσαν
> μαινομένην ποσὶν εἰρήνης πίστει τε πατήσας.

Et rurſus alia, quæ dicit:

> κύματα πεζεύσει, νόσον ἀνθρώπων λύσει τε,
> στήσει τεθνειῶτας, ἀπώσεται ἄλγεα πολλά,
> ἐκ δὲ μιᾶς πήρης ἄρτου κόρος ἔσσετ' ἀνδρῶν.

His teſtimonijs quidam reuicti, ſolent eò confugere, vt aiant, non eſſe illa carmina Sibyllina, ſed à noſtris conficta atque compoſita. Quod profectò non putabit, qui Ciceronem Varronemque legerit, aliosque veteres, qui Ery-

A thræam Sibyllam, cæterasque commemorant, quarum ex libris iſta exempla proferimus, qui auctores antè obierunt, quàm Chriſtus ſecundum carnem naſceretur. Verùm non dubito, quin illa carmina prioribus temporibus pro deliramentis habita ſint, cùm ea nemo tum intelligeret. Denunciabant enim monſtruoſa quædam miracula, quorum nec ratio, nec tempus, nec auctor deſignabatur. Denique Erythræa fore ait, vt diceretur inſana & mendax. Ait enim:

[illegible]

Latuerunt igitur multis ſeculis, poſtea verò animaduerſa ſunt, quàm Chriſti natiuitas & paſſio patefecit arcana; ſicut etiam voces prophetarũ, quæ cùm per annos 1500. & eò ampliùs lectæ fuiſſent à populo Iudæorum, nec tamen intellectæ ſunt, niſi poſtquam illas Chriſtus & verbo & o-
B peribus interpretatus eſt. Illum enim prophetæ annunciauerunt, nec vllo modo poterant, quæ illi loquebantur, intelligi, niſi fuiſſent vniuerſa completa.

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

[illegible] &c. i. e. Omnia verbo agens, omnem infirmitatẽ curans.

[illegible] &c. id eſt, Mortuorum autem reſurrectio erit, & claudorum curſus erit velox, & ſurdus audiet, & cæci videbunt, & muti loquentur.

[illegible] &c. i. e. In panib ſimul quinque, & piſcibus duobus hominũ millia in deſerto quinque ſatiabat, & reliquias tollens poſt fragmenta omnia duodecim cophinos implebit in ſpem multorum.

[illegible] &c. i. e. Ventos compeſcet, ſternet autem inſanum mare pedibus pacis, fideque calcatum.

[illegible] &c. i. e. Fluctus perambulabit, morbos hominum ſoluet, viuificabit mortuos, arcebit dolores multos; ex vno autem fonte panis, ſatietas erit vera.

C *[illegible] &c. i. e. Dicunt inſanam vatem & mendacem. Cùm autem facta fuerint vniuerſa, tum mei meminerites, neque me nemo quiſquam mendacem dicet Dei magni prophetam.*

De IESV paſſione, & ea prædicta.

CAPVT XVI.

VEnio nunc ad ipſam paſſionem, quæ velut opprobriũ nobis obiectari ſolet, quòd & hominem, & ab hominib. inſigni ſupplicio affectum, & excruciatum colamus, vt doceam, eam ipſam paſſionem ab eo cum magna & diuina ratione ſuſceptam, & in ea ſola & virtutem, & veritatem, & ſapientiã contineri. Neq; enim ſi beatiſſimus in terra fuiſſet, & per omnem vitam in ſumma felicitate regnaſſet, quiſquam illum ſapiens aut Deum credidiſſet, aut ho-
al. diuinitatis. nore diuino dignum iudicaſſet, quod faciunt veræ † religionis expertes, qui caducas opes & fragilem potentiam, & alieni beneficij bona non tantùm ſuſcipiunt, verùm etiam conſecrant, & ſcientes memoriæ mortuorum deſer-
D uiunt, fortunam iam extinctam colentes; quàm ne viuam quidem præſentemque ſapientes colendam ſibi vnquam putauerunt. Nec. n. poteſt aliquid in rebus terrenis eſſe venerabile cœloq; dignũ: ſed ſola eſt virtus, ſola iuſtitia, quæ poteſt verũ bonũ & cœleſte & perpetuũ iudicari, quia nec datur cuiquã, nec aufertur. qua virtute ac iuſtitia quoniã Chriſtus inſtructus venit in terram: imò verò, quoniã ipſe virtus & ipſe iuſtitia eſt, deſcendit, vt eam doceret hominemq; formaret, quo magiſterio ac Dei legatione perfunctus, ob eam ipſam virtutem, quam ſimul & docuit & fecit, ab omnibus gentibus & meruit & potuit Deus credi. ergo cùm magnus populus ad eum vel ob iuſtitiam, quam docebat, vel ob miracula, quę faciebat, ſubinde conflueret, & præcepta eius audiret, & à Deo miſſum, Deiq; filium crederet, tum primores Iudæorum & ſacerdotes ira ſtimulati, quòd ab eo tanquam peccatores increpabantur, & inuidia deprauati, quòd cõfluente ad eũ multitudine contemni ſe, ac deſeri videbant, & (quod caput ſceleris illorũ fuit) ſtultitia & errore cæcati, & immemores præceptorũ cœleſtium ac prophetarũ, coierunt aduerſus eũ impiumq; conſiliũ de
E eo tollendo cruciandoq; ceperunt, quod prophetæ multò antè deſcripſerant. Nam & Dauid in principio pſalmorum ſuorum præuidens in ſpiritu, quantum facinus admiſſuri eſſent, beatum eſſe ait, qui non abierit in conſilio impiorum. Et Solomon in libro ſapientiæ his verbis vſus eſt: *Circumueniamus iuſtum, quoniam inſuauis eſt nobis, & exprobrat nobis peccata legis.* Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat: factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum: grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius, & immutatæ ſunt viæ illius. tanquam nugaces æſtimati ſumus ab eo. continet ſe à vijs noſtris quaſi ab immunditijs, & præfert nouiſſima iuſtorum, & gloriatur, patrem ſe habere Deum. Videamus ergo, ſi ſermones illius veri ſunt, & tentemus quæ ventura ſunt illi, contumelijs & tormentis interrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam illius,
F & probemus patientiam illi⁹, morte turpiſſima cõdemnemus eũ. Hæc cogitauerunt & errauerunt. Excæcauit. n. illos ſtultitia ipſorũ: & neſcierunt ſacramenta Dei. Nõne ita deſcripſit nefarium illud conſilium ab impijs initum contra Deũ vt planè interfuiſſe videatur? Atqui à Solomone, qui hæc cecinit, vſque ad id tempus, quo geſta res eſt, mille ac decem anni fuerunt. Nihil nos affingimus, nihil addimus. Habebant hæc, qui fecerunt. legebant, in quos hæc dicta ſunt. ſed & nunc hæredes nominis ac ſceleris illorum hæc & habent, & damnationem ſuam prophetarum voce prædictam quotidianis lectionibus perſonant, nec aliquando in cor ſuum, quæ pars eſt & ipſa damnationis, admittunt. Increpiti ergo à Chriſto ſæpe Iudæi, exprobrante illis peccata & iniuſtitias, & à populo penè deſerti, concitati ſunt ad eum necandũ. Cuius rei audaciam dedit illis humilitas eius. Nam cùm legerent, cum quanta virtute & claritate filius Dei venturus eſſet è cœlo, Ieſum autem cernerent humilem, quietum, ſordidum, informem; non credebant, filium Dei eſſe, ignorantes, duos eius aduentus à prophetis
G eſſe prædictos. Primum in humilitate carnis obſcurũ: ſecundum in fortitudine maieſtatis manifeſtum. De primo Dauid in pſal. 71. ſic ait: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec extollatur luna.* Sicut enim pluuia, ſi deſcendat in vellus, animaduerti nõ poteſt, quia ſtrepitum non facit: ita Chriſtum in terram ſine cuiuſquam ſuſpicione venturum eſſe dixit, vt iuſtitiam doceret & pacem. Eſaias quoque ita tradidit: *Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Annunciauimus coram ipſo ſicut pueri, & ſicut radix in terra ſitienti. Non eſt figura eius, neque claritas: & vidimus illum, & non habuit figuram neque decorem, ſed figura eius ſine honore, & deficiens præter cæteros homines, homo in plaga poſitus eſt, ſciens ferre imbecillitatem, quia auerſus eſt & non eſt cõputatus. Hic peccata noſtra portat, & pro nobis hic dolet, & nos putauimus ipſum eſſe in dolore & in plaga, & in vexatione. Ipſe autem vulneratus eſt propter facinora noſtra, & infirmatus eſt propter peccata noſtra. doctrina pacis noſtra ſuper illum, liuore eius nos ſanati ſumus. Omnes ſicut oues errauimus: & Deus tradidit illum pro peccatis noſtris.* Et Sibylla eodem modo locuta eſt.
H
[illegible]

Propter hanc humilitatem Deum ſuum non agnoſcentes, inierunt conſilium deteſtandum, vt priuarent eum vita, qui, vt eos viuificaret, aduenerat.

SCHOLIA.

a Veræ religionis expertes.] *Legitur in libris typis excuſis,* quod faciunt veræ diuinitatis expertes, *habet vterque codex ſancti Saluatoris, quod mihi probatur, quia referendum eſt ad cognitionem, quam nos Chriſtiani habemus, diuinitatis Chriſti. Hunc verò, atque alios locos, in quibus tam clare de diuinitate Chriſti loquebatur, puto ab aliquo Ariano corruptos atque immutatos fuiſſe, ne tam aperte contra ipſos hic auctor diſputare videretur.*

A

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

ἀναξὴς, &c. id eſt, *Miſerabilis, ignominioſus, informis, vt miſerabilibus ſpem præbeat.*

De Iudæorum religionibus, odio in IESVM, & ibi teſtimonia.

CAPVT XVII.

SEd iræ atque inuidiæ ſuæ, quam in cordibus ſuis gerebant, intus incluſa malitia, cauſas præferebant, quòd legem Dei per Moſem datam ſolueret, id eſt, quòd ſabbatis non vacaret, operans in ſalutem hominum: quòd circumciſionem vacuè faceret, quòd abſtinentiam ſuillæ carnis auferret. In quibus rebus Iudaicæ religionis ſacramenta conſiſtunt. Ob hæc itaque cætera pars populi, quæ nondum ad Chriſtum † ſeceſſerat, à ſacerdotib. incitabatur, vt impium iudicaret eum, quòd legem Dei ſolueret, cùm hoc ille non ſuo iudicio, ſed ex Dei voluntate, & ſecundùm prædicta faceret prophetarum. Micheas enim nouam legem daturum denunciauit hoc modo: *Lex de Sion proficiſcetur, & ſermo Domini ex Hieruſalem, & iudicabit inter plurimos populos, & reuincet, & deliget validas nationes.* Illa enim prior lex, quæ per Moſen data eſt, non in monte Sion, ſed in mõte Oreb data eſt, quam Sibylla, fore vt à filio Dei ſolueretur, oſtendit:

B al. acceſſerat.

ἀλλ' ὁπόταν ταῦτ' ἄπαντα τελειωθῇ, ἅπερ εἶπον,
εἰς αὐτὸν πάντα λύεται νόμος.

Sed & ipſe Moſes, per quem datam ſibi legem dum pertinaciter tuentur, exciderunt à Deo, & Deum non agnouerunt: prædixerat, fore, vt propheta maxim⁹ mitteretur à Deo, qui ſit ſupra legem, qui voluntatem Dei ad homines perferat. In Deuteronomio ita ſcriptum reliquit: *Et dixit Dominus ad me. Prophetam excitabo eis de fratribus eorum ſicut te, & dabo verbum meum in os eius, & loquetur ad eos ea, quæ præcepero ei: & quiſquis non audierit ea, quæ loquetur ille in nomine meo, ego vindicabo in eum.* Denunciauit ſcilicet Dominus per ipſum legiferum, quòd filium ſuum, id eſt, viuam præſentemque legem miſſurus eſſet, & illam veterem per mortalem datã ſoluturus, vt denuo per eum, qui eſſet æternus, legem ſanciret æternam. Item de circumciſione ſoluenda Eſaias ita prophetauit: *Hæc dicit Dominus viris Iuda, qui inhabitant Hieruſalem: Renouate inter vos nouitatem, & ne ſeminaueritis in ſpinis. Circumcidite vos Domino Deo veſtro & circumcidite præputium cordis veſtri, ne exeat ira mea ſicut ignis, & exurat, & non ſit qui extinguat.* Item Moſes ipſe: *In nouiſſimis diebus circumcidet Dominus cor tuum ad Dominum Deum tuum amandum.* Item Ieſus Naue ſucceſſor eius: *Et dixit Dominus ad Ieſum: Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & ſede, & circumcide ſecundò filios Iſrael.* Secundam circumciſionem futuram eſſe dixit, non carnis, ſicut fuit prima, qua etiamnunc Iudæi vtuntur, ſed cordis ac ſpiritus, quam tradidit Chriſtus, qui verus Ieſus fuit. Nõ enim propheta dicit: Et dixit Ieſus ad me, ſed ad Ieſum, vt oſtenderet, quod non de † eo loqueretur, ſed de Chriſto, ad quem tunc Deus loquebatur. Chriſti enim figuram gerebat ille Ieſus: qui cùm primùm Auſes vocaretur, Moſes futura præſentiens, iuſſit eum Ieſum vocari; vt quoniã dux militiæ delectus eſſet aduerſus Amalech, qui oppugnabat filios Iſrael, & aduerſarium debellaret per Domini figuram, & populum in terram promiſſionis induceret. Et ideo etiam Moſi ſucceſſit, vt oſtenderet, nouam legem per Chriſtum Ieſum datam, veteri legi ſucceſſuram, quæ data per Moſem fuit. Nam illa carnis circumciſio caret vtique ratione: quia ſi Deus id vellet, ſic à principio formaſſet hominem, vt præputium non haberet. ſed huius ſecũdæ circumciſionis figura erat, ſignificans, nudandum eſſe pectus, id eſt, aperto & ſimplici corde oportere nos viuere, quoniam pars illa corporis, quæ circumciditur, habet quandam ſimilitudinem cordis, & eſt pudenda. Ob hanc cauſam Deus nudari eam iuſſit, vt hoc argumento nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus, id eſt, ne quod pudendum facinus intra conſcientię ſecreta velemus. Hæc eſt cordis circumciſio, de qua prophetæ loquuntur, quam Deus à carne mortali ad animam tranſtulit, quæ ſola manſura eſt. Volens enim vitæ ac ſaluti noſtræ pro æterna ſua pietate conſulere, pœnitentiam nobis in illa circumciſione propoſuit, vt ſi corda nudauerimus, id eſt, peccata noſtra confeſſi ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur, quæ contumacibus, & admiſſa ſua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem ſicut homo, ſed intima & arcana pectoris intuetur. Eodem ſpectat etiam carnis ſuillæ interdictio, à qua cùm eos abſtinere Deus iuſſit, id potiſſimùm voluit intelligi, vt ſe à peccatis atque immunditijs abſtinerent. Eſt enim lutulentum hoc animal & immundum, nec vnquam cœlum aſpicit, ſed in terra toto & corpore & ore proiectum, ventri ſemper & pabulo ſeruit, nec vllum aliud, dum viuit, præſtare vſum poteſt, ſicut cæteræ animãtes, quæ vel ſedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum iuuant, vel plauſtra collo trahunt, vel onera tergo geſtant, vel indumentum exuuijs ſuis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel cuſtodiendis domibus inuigilant. Interdixit ergo, ne porcina carne vterentur, id eſt, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad ſolam mortem nutriuntur, ne ventri ac voluptatibus ſeruientes, ad faciendam iuſtitiam inutiles eſſent, ac morte afficerentur. Itẽ ne ſe fœdis libidinibus immergerent, ſicut ſus, quæ ſe ingurgitat cœno, vel ne terrenis ſeruiant ſimulachris, ac ſe luto inquinent. Luto enim ſe oblinunt, qui deos, id eſt, qui lutum terramque venerantur. Sic vniuerſa præcepta Iudaicæ legis ad exhibendam iuſtitiam ſpectant, quoniam per ambagem data ſunt, vt per carnalium figuram ſpiritalia noſcerentur.

C

D al. ſe.

E

F

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

ἀλλ', &c. id eſt, *Sed quando hæc omnia perfecta erunt, quæ dixi, in ipſum omnis lex ſoluetur.*

εἰς &c. id eſt, *In manus iniquorum, & infidelium poſtea veniet. Dabunt et alapas manibus inceſtis, & faucibus immundis expuent ſalinas virulentas. dabit autem in verbera ſimpliciter innocens tunc dorſum.*

ᾗ, &c. i. e. *Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat quod verbum, & vnde venit, vt mortuis loquatur. & coronam portabit ſpineam.*

εἰς, &c. i. e. *In cibum autem fel, in ſitim acetum dabunt, inhoſpitalitatis hanc monſtrabunt menſam.*

αὐτὴ, &c. i. e. *Ipſa enim ſtulta Deum tuum non cognouiſti, ludentem inter mortales cogitationes: ſed & ſpinis coronaſti corona, horridumque fel miſcuiſti.*

G

De IESV paſſione, & ea prædicta.

CAPVT XVIII.

CVm igitur ea, quæ Deus fieri voluit, quæque per prophetas ſuos multis ſæculis antè prędixit, Chriſtus impleret, ob ea incitati, & diuinas literas neſciẽtes, coierunt, vt Deum ſuum condemnarent. Quòd cùm ſciret futurum, ac ſubinde diceret, oportere ſe pati ac interfici pro ſalute multorum; ſeceſſit tamen cum diſcipulis ſuis, non vt vitaret, quod neceſſe erat perpeti ac ſuſtinere, ſed vt oſtenderet, quòd ita fieri oporteat in omni perſecutione, ne ſua quis culpa incidiſſe videatur, ac denunciauit fore, vt ab vno eorum proderetur. Itaque Iudas præmio illectus tradidit eum Iudæis. At illi comprehenſum, ac Pontio Pilato, qui tum legatus Syriam regebat oblatum, cruci affigi poſtulauerunt, obijcientes ei nihil aliud, niſi quòd diceret ſe filium Dei eſſe, & regem Iudæorum: item quod dixerat: *Si ſolueritis hoc templum, quod ædificatum eſt annis* * 46. *ego illud in triduo ſine manibus ſuſcitabo*, ſignificans, breui futuram paſſionem ſuam, & ſe à Iudæis interfectum, tertio die reſurrecturum. Ipſe enim erat verum Dei templum. Has voces eius tanquam infauſtas & impias inſectabantur. Quæ cùm Pilatus audiſſet, & ille in defenſionem ſui nihil diceret, pronunciauit, nihil in eo damnatione dignum videri. At illi iniuſtiſſimi accuſatores cũ populo, quem incitauerant, ſuccIamare cœperunt, & crucem eius violentis vocibus flagitare. Tum Pontius & illorum clamoribus, & Herodis tetrarchæ inſtigatione, metuentis ne regno pelleretur, vi-

H

ctus

A ctus eſt. Nec tamen ipſe ſententiam protulit, ſed tradidit eum Iudæis, vt ipſi de illo ſecundum legem ſuam iudicarent. Duxerunt ergo eum flagellis verberatum, & priuſquã cruci affigerent, illuſerunt: indutum enim coloris punicei veſte, ac ſpinis coronatum, quaſi regem ſalutauerunt, & dederunt ei cibum fellis, & miſcuerunt ei aceti potionem. Poſt hæc conſpuerunt faciem eius, & palmis ceciderunt. Cumque ipſi carnifices de veſtimentis eius contenderent, ſortiti ſunt inter ſe de tunica & pallio. Et cum hæc omnia fierent, nullam vocem ex ore ſuo, tanquam ſi mutus eſſet, emiſit. Tum ſuſpenderunt eum inter duos noxios medium, qui ob latrocinia damnati erant, crucique affixerunt. Quid ego hic in tanto facinore deplorem? aut quib. verbis tantum nefas conquerar? Non enim Gauianam crucem deſcribimus, quam M. Tullius vniuerſæ eloquentiæ ſuæ neruis ac viribus, velut effuſis totius ingenij fontibus proſecutus eſt, facinus indignum eſſe proclamans, ciuem Romanum contra omnes leges in crucem eſſe ſublatum.
B Qui quamuis innocens fuerit, & illo ſupplicio indignus, mortalis tamen, & ab homine ſceleſto, qui iuſtitiam ignoraret, affectus eſt. Quid de huius crucis indignitate dicemus, in qua Deus à cultoribus Dei ſuſpenſus eſt atque ſuffixus? Quis tam facundus, & tanta rerum verborumque copia inſtructus exiſtet? Quæ oratio tantæ affluentiæ vbertate decurrens, vt illam crucem meritò deploret, quam mundus ipſe, & mundi tota elementa luxerunt? Hæc autem ſic futura fuiſſe, & prophetarum vocibus & Sibyllinis carminibus denunciatum eſt. Apud Eſaiam ita ſcriptum inuenitur: *Non ſum contumax, neque contradico: dorſum meum poſui ad flagella, & maxillas ad manus palmas: faciẽ autem meã non auerti à fœditate ſputorum.* Similiter Dauid in pſalmo trigeſimoquarto: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignorauerunt: diſſoluti ſunt, nec compuncti ſunt: tentauerunt me, & deriſerunt deriſu, & ſtriduerunt ſuper me dentibus ſuis.* Sibylla quoque eadem futura monſtrauit:

Εἰς ἀνόμους χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει,
δώσουσιν δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,
καὶ στόμασιν μιαροῖς ἐμπτύσματα φαρμακόεντα,
δώσει δ' εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.

C Item de ſilentio eius, quod vſque ad mortem pertinaciter tenuit, Eſaias iterum ſic locutus eſt: *Sicut ouis ad immolandum ductus eſt, & ſicut agnus coram tondentibus ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum.* Et Sibylla ſupradicta:

καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει, μή τις ἐπιγνῷ
τίς λόγος, ἢ πόθεν ἦλθεν, ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ,
καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον. ——

De cibo verò & potu, quem, antequam eum figerent, illi obtulerunt, Dauid in pſalmo ſexageſimooctauo ſic ait: *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potum mihi dederunt acetum.* Idem hoc futurum etiam Sibylla concionata eſt:

Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, καὶ εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν·
τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.

Et alia Sibylla Iudæam terram his verſibus increpat:

Αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας
παίζοντα, θνητοῖσι νοήμασιν, ἀλλ' ἀπ' ἀκάνθης
ἔστεψας στεφάνῳ, φοβερὴν δὲ χολὴν ἐκέρασσας.

D Fore autem vt Iudæi manus inferrent Deo ſuo, eumq; interficerent, teſtimonia prophetarum hæc anteceſſerunt: Apud Eſdram ita ſcriptum eſt: *Et dixit Eſdras ad populum: Hoc paſcha Saluator noſter eſt, & refugium noſtrum cogitate, & aſcendat in cor veſtrum, quoniam habemus humiliare eum in ſigno: & poſt hæc ſperabimus in eum, ne deſeratur hic locus in æternum tempus, dicit Dominus Deus virtutum. Si non credideritis ei, neque exaudieritis annunciationem eius, eritis deriſio in gentibus.* Vnde apparet, Iudæos nullam aliam ſpem habere, niſi ſe abluerint eius ſanguine, ac ſperauerint in eum ipſum, quem † negauerunt. Eſaias quoque facinus eorum deſignat, & dicit: *In humilitate eius iudicium ſublatum eſt. Natiuitatem eius quis enarrabit? quoniam auferetur à terra vita eius:* à facinoribus populi mei adductus eſt ad mortem, & dabo malos pro ſepultura eius, & diuites pro morte eius: quia facinus non fecit, neq; inſidias ore ſuo locutus eſt. Propterea ipſe cõſequetur multos, & fortium diuidet ſpolia: propterea quòd traditus eſt ad mortem, & inter facinoroſos deputatus eſt: & ipſe † peccatum multorum pertulit, & propter facino-

al. necauerunt.

al. peccata.

E ra illorum traditus eſt. Dauid quoque in pſalmo nonageſimotertio: *Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt, & factus eſt mihi Dominus in refugium.* Et Hieremias: *Domine ſignifica mihi, & cognoſcam. Tunc vidi meditationes eorum: ego ſicut agnus ſine macula perductus ſum ad victimam: in me cogitauerunt cogitationem dicentes: Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus è terra vitam eius, & nomen eius non erit in memoria amplius.* Lignum autem crucem ſignificat, & panem corpus eius, quia ipſe eſt cibus, & vita hominum, qui credunt in carnem, quam portauit & in crucem, in qua pependit. De qua tamen apertius ipſe Moſes in Deuteronomio ita prædicauit: *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ.* Idem rurſus in Numeris: *Non quaſi homo Dominus ſuſpenditur, neque quaſi filius hominis minas patitur.* Zacharias etiam ſic tradidit: *Et intuebuntur in me, quem transfixerunt.* Item Dauid in pſalmo vigeſimoprimo: *Effoderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea: ipſi autem contemplati ſunt, & viderunt me: diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam ſortem miſerunt.*
F Quæ vtique Propheta non de ſe locutus eſt. Fuit enim rex, & nunquam perpeſſus eſt illa. Sed ſpiritus Dei per eum loquebatur, qui fuerat illa paſſurus poſt annos mille & quinquaginta. Tot enim colliguntur anni à regno Dauid vſque ad crucem Chriſti. Sed & Solomon filius eius, qui Hieroſolymam condidit, eam ipſam periturã eſſe in vltionem ſanctæ crucis prophetauit: *Quòd ſi auerteritis à me, dicit Dominus, & non cuſtodieritis veritatem meam, reijciam Iſrael à terra, quam dedi illis, & domum hanc, quam ædificaui illis in nomine meo, proijciam illam ex omnibus, & erit Iſrael in perditionem, & in opprobrium populo, & domus hæc erit deſerta, & omnis, qui tranſibit per illam, admirabitur, & dicet: Propter quam rem fecit Dominus terræ huic & huic domui hæc mala? Et dicent: Quia reliquerunt Dominum Deum ſuum, & perſecuti ſunt regem ſuum dilectiſſimum in Deo & cruciauerunt illum in humilitate magna: propter hoc importauit illis Deus mala hæc.*

G

De IESV paſſione, & ea prædicta.

CAPVT XIX.

QVid amplius iam de facinoribus Iudæorum dici poteſt, quàm excæcatos tum fuiſſe, atque inſanabili furore correptos, qui hæc quotidie legentes neque intellexerunt, neque quin facerent, cauere potuerunt? Suſpenſus igitur atque affixus exclamauit ad Dominum voce magna, & vltrò ſpiritum poſuit. *Et eadem hora terræmotus factus eſt. Et velum templi,* quod ſeparabat duo tabernacula, *ſciſſum eſt in duas partes, & ſol repente ſubductus eſt, & ab hora ſexta vſque in nonam tenebræ fuerunt.* Qua de re Amos Propheta teſtatur: *Et erit in illo die, dicit Dominus, occidet Sol meridie, & obtenebrabitur dies lucis, & conuertam dies feſtos veſtros in luctum, & cantica veſtra in lamentationem.* Item Hieremias: *Exterrita eſt quæ parit, & tæduit animam, & occidit Sol ei cum adhuc medius dies eſſet: confuſa eſt, & maledicta, reliquos eorum in gladium dabo, in conſpectu inimicorum eorum.* Et Sibylla:

H

Ναοῦ δὲ σχισθῇ τὸ πέτασμα, καὶ ἤματος μέσσου
νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις.

Cùm hæc facta eſſent, ne prodigijs quidem cœleſtibus facinus ſuum intelligere quiuerunt. Sed quoniam prædixerat, ſe tertio die ab inferis reſurrecturum, metuentes, ne à diſcipulis ſurrepto & amoto corpore, vniuerſi reſurrexiſſe eum crederent, & fieret multò maior in plebe confuſio: detraxerunt eum cruci, & concluſum in monumento firmiter militari cuſtodia circumdederunt.

Verùm tertio die ante lucem terræmotu facto, repentè patefactum eſt ſepulchrum, & cuſtodibus, quos attonitos obſtupefecerat pauor, nihil videntib⁹, integrè è ſepulchro ac viuus egreſſus, in Galilæam profectus eſt, vt diſcipulos ſuos quæreret: in ſepulchro autem nihil repertum eſt, niſi exuuiæ, quibus conuolutum corpus incluſerant. Illum autem apud inferos non remanſurum, ſed die tertio reſurrecturum, prophetæ cecinerant. Dauid in pſalmo deci-

A moquioto: *Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis ſanctum tuum videre interitum.* Item in tertio: *Ego dormiui & ſomnum cepi, & reſurrexi, quoniam Dominus auxiliatus eſt mihi.* Oſeas quoque primus duodecim prophetarum de reſurrectione eius teſtificatus eſt: *Hic filius meus ſapiens propter quod nunc reſiſtet in contribulatione filiorum ſuorum, & de manu inferorum eruam eum. Vbi eſt iudicium tuum mors, aut vbi eſt aculeus tuus?* Idem alio loco: *Viuificabit nos poſt biduum die tertio.* Et ideo Sibylla, impoſiturum eſſe morti terminum, dixit poſt tridui ſomnum.

καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας,
καὶ τότ' ἀπὸ φθιμένων ἀναλύσας εἰς φάος ἥξει
πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.

Vitam enim nobis acquiſiuit morte ſuperata.

Nulla igitur ſpes alia conſequendæ immortalitatis homini datur, niſi crediderit in eum, & illam crucem portandam patiendamque ſuſceperit.

B

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

ναοῦ, &c. id eſt, *Templi verò ſcindetur velum, & medio die Nox erit tenebroſa ingens tribus horis.*

καὶ, &c. id eſt, *Mortis fatum finiet triduum ſopitus, & tunc à mortuis egreſſus in lucem veniet,*
Primus reſurrectionis vocatis initium oſtendens.

De Ieſu morte, ſepultura & reſurrectione: ibique de iis rebus prædicta.

CAPVT XX.

PRofectus ergo in Galilæam (noluit enim ſe Iudæis oſtendere, ne adduceret eos in pœnitentiam, atque impios reſanaret) diſcipulis iterum congregatis, ſcripturæ ſanctæ literas, id eſt, prophetarum arcana patefecit, quæ antè quàm pateretur, perſpici nullo modo poterant; quia ipſum paſſionemque eius annunciabant. Idcirco Moſes,
C & ijdem ipſi prophetæ, legem, quæ Iudæis data erat, teſtamentum vocant; quia niſi teſtator mortuus fuerit, nec confirmari teſtamentum poteſt, nec ſciri quid in eo ſcriptum ſit; quia clauſum & obſignatum eſt. Itaque niſi Chriſtus mortem ſuſcepiſſet, aperiri teſtamentum, id eſt, reuelari & intelligi myſterium Dei non potuiſſet. Verùm ſcriptura omnis in duo teſtamenta diuiſa eſt. Illud, quod aduentum Domini paſſionemque anteceſſit, id eſt, lex & prophetæ, vetus dicitur. Ea verò, quæ poſt reſurrectionem eius ſcripta ſunt, nouum teſtamentum nominatur. Iudæi vetere vtuntur, nos nouo. ſed tamen diuerſa non ſunt; quia nouum veteris adimpletio eſt, & in vtroque idem teſtator eſt Chriſtus, qui pro nobis morte ſuſcepta, nos hæredes regni æterni fecit, abdicato & exhæredato populo Iudæorum, ſicut Hieremias propheta teſtatur, cùm loquitur talia: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & conſummabo domui Iſrael, & domui Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum,*
D *quod diſpoſui patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti; quia ipſi non perſeuerauerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.* Item alio loco ſimiliter ait: *Dereliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam in manus inimicorum eius. Facta eſt hæreditas mea mihi ſicut leo in ſilua: dedit ipſa ſuper me vocem ſuam, ideo odi eam.* cùm ſit hæreditas eius cœleſte regnum, non vtique ipſam hæreditatem ſe dicit odiſſe, ſed hæredes, qui aduerſus eum ingrati & impij extiterunt. *Facta eſt,* inquit, *mihi hæreditas mea ſicut leo,* id eſt, præda & deuoratio factus ſum hæredibus meis, qui me immolauerunt ſicut pecus. dedit ſuper me vocem ſuam, id eſt, ſententias aduerſus me mortis crucisque dixerunt. Nam quod ſuperius ait, conſummaturũ ſe domui Iudæ teſtamentum nouum, oſtendit, vetus illud teſtamentum, quod per Moſen eſt datum, non fuiſſe perfectum; id autem, quod per Chriſtum dari haberet, conſummatũ fore. Domum autem Iuda & Iſrael non vtique Iudæos ſignificat, quos abdicauit, ſed nos, qui ab eo conuocati ex gentibus, in illorum locum adoptione ſucceſſimus, & appellamur filij Iudæorum, quod declarat Sibylla, cùm dicit:

E *Ἰουδαίων μακάρων θεῖον γένος οὐρανιώνων.*

Quod autem futurum eſſet id genus, Eſaias docet, apud quem pater ſummus ad filium loquitur, dicens: *Ego Dominus Deus, vocaui te in iuſtitiam, & tenebo manum tuam, & confirmabo, & dedi te in teſtamentum generis mei, in lucem gentium, aperire oculos cæcorum, producere ex vinculis alligatos, & de domo carceris ſedentes in tenebris.* Cùm igitur nos antea, tanquam cæci, & tanquam carcere ſtultitiæ incluſi ſederemus in tenebris, ignorantes Deum & veritatem, illuminati ab eo ſumus, qui nos teſtamento ſuo adoptauit, & liberatos malis vinculis, atque in lucem ſapientiæ productos, in hæreditatem regni cœleſtis aſſeruit.

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

F Ἰουδαίων, &c. id eſt, *Iudæorum beatorum diuinum genus cœleſtium.*

De Ieſu aſcenſione, eaque prædicta, & diſcipulorum prædicatione, & geſtis.

CAPVT XXI.

ORdinata verò diſcipulis ſuis euangelica, ac nominis ſui prædicatione, circumfudit ſe repentè nubes, eumque in cœlum ſuſtulit, quadrageſimo poſt paſſionem die, ſicut Daniel fore oſtenderat, dicens: *Et ecce in nubibus cæli vt filius hominis veniens, vſque ad vetuſtum dierum peruenit.* Diſcipuli verò per prouincias diſperſi, fundamenta Eccleſiæ vbique poſuerunt, facientes & ipſi nomine magiſtri Dei magna, & penè incredibilia miracula, quia diſcedens inſtruxerat eos virtute ac poteſtate, qua poſſet nouæ annunciationis ratio fundari & confirmari; ſed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicauerunt:
G & ea prædicatio in memoriam ſcripta permanſit, in qua cũ multa alia mira, tum etiam hoc futurum eſſe dixerunt, vt poſt breue tempus immitteret Deus regem, qui expugnaret Iudæos, & ciuitates eorum ſolo adæquaret, ipſos autem fame ſitique confectos obſideret. Tum fore, vt corporibus ſuorum veſcerentur, & conſumerent ſe inuicem. Poſtremò, vt capti venirent in manus hoſtium, & in conſpectu ſuo vexari acerbiſſimè coniuges ſuas cernerent, violari ac proſtitui virgines, diripi pueros, allidi paruulos, omnia denique igni ferroque vaſtari, captiuos in perpetuum terris ſuis exterminari, eò quòd exultauerint ſuper amantiſſimum, & probatiſſimum Dei filium. Itaque poſt illorum obitum, cùm eos Nero interemiſſet, Iudæorum nomen & gentem Veſpaſianus extinxit, fecitque omnia, quæ illi futura prædixerant.

Argumenta contra Ieſu incarnationem.

H

CAPVT XXII.

COnfirmata ſunt, vt opinor, quæ falſa & incredibilia putantur ab iis, quos vera cœleſtium literarum doctrina non imbuit, ſed tamen vt refellantur à nobis etiam illi, qui nimium non ſine malo ſuo ſapiunt, rebusque diuinis fidem detrahunt, argumentis quoque illorum coarguamus errorem, vt tandem aliquando peruideant ita fieri oportuiſſe, ſicut nos oſtendimus factum. Et quanquam apud bonos iudices ſatis habeant firmitatis vel teſtimonia ſine argumentis, vel argumenta ſine teſtimonijs, nos tamẽ non contenti alterutro ſumus, cùm ſuppetat nobis vtrumque, ne cui peruerſè ingenioſo aut non intelligendi, aut contrà diſſerendi locum relinquamus. Negant fieri potuiſſe, vt naturæ immortali quicquam decederet. Negant denique Deo dignum, vt homo fieri vellet, ſeque infirmitate carnis oneraret, vt paſſionibus, vt dolori, vt morti ſeipſe ſubijceret, quaſi non facile illi eſſet, citra corporis imbecillitatem, ſe hominibus oſtendere, eosque iuſtitiam docere (ſiquidem id volebat) maiore auctoritate

A tate *a* vt * profeſſi Dei. Tunc enim cunctos fuiſſe præceptis cæleſtibus parituros; ſi ad ea virtus, ac poteſtas Dei præcipientis accederet. Cur igitur (aiunt) ad docendos homines non vt Deus venit? Cur ſe tam humilem, imbecillemque conſtituit; vt ab hominibus & contemni, & pœna affici poſſet? cur vim ab imbecillis, & mortalibus paſſus eſt? cur non manus hominum aut virtute repulit, aut diuinitate vitauit? cur non maieſtatem ſuam ſub ipſa ſaltem morte patefecit? ſed vt inualidus in iudicium ductus eſt, vt nocēs damnatus, vt mortalis occiſus. Refutabo hæc diligenter, nec quenquam patiar errare. Illa enim magna, & mirabili ratione ſunt facta. * quæ quicunque perceperit, non tantum mirari deſinet Deum ab hominibus eſſe cruciatum, verum etiam facile peruidebit, ne Deum quidem potuiſſe credi, ſi ea ipſa, quæ arguit, facta non eſſent.

al. præceptis.

al. quam.

S c h o l i a.

a Vt præceptis Dei] *lego ex antiquo codice, vt ſit ſenſus: Chriſtum, ſi ſuam diuinitatem præcipue oſtendiſſet, neque aſſumpſiſſet humanitatem, maiore auctoritate potuiſſe docere doctrinam ſuam, vtpote præcepta Dei inſtructam, & confirmatam: quod ſi legamus* profeſſi Dei, *vt eſt in impreſſis codicibus, nulla erit ſententia: quem locum Ariani quoque corruperunt. ſane valde lætatus ſum, cum hæc loca in antiquis exemplaribus inueni incorrupta, & catholicæ doctrinæ conuenientia. recordor enim, & non ſine graui dolore, ante paucos annos, miſerum adoleſcentem Lactantij ſtudioſum ob hæc loca corrupta male de diuinitate Chriſti ſenſiſſe, qui ob hunc, & alios errores, quos pertinaciſſime defendebat, Romæ iuſtiſſime fuit combuſtus. ex quo quiuis poteſt intelligere, quanti momenti ſit collatio hæc antiquorum codicum.*

B

De præcipiendo, & agendo.

C A P V T XXIII.

QVicunque præcepta dat hominibus, ac vitam, moresque fingit aliorum, quæro, debeatne ipſe facere, quæ præcipit, an non debeat? Si non fecerit, ſoluta præcepta ſunt. Si enim bona ſunt, quæ præcipiuntur, ſi vitam hominum in optimo ſtatu collocant, non ſe debet ipſe præceptor à numero, cœtuque hominum ſegregare, inter quos agit, & ipſi eodem modo viuendum eſt, quo docet eſſe viuendum, ne ſi aliter vixerit, ipſe præceptis ſuis fidem detrahat, leuioremque doctrinam ſuam faciat, ſi re ipſa reſoluat, quod verbis nitatur aſtruere. Vnuſquiſq; enim, cum audit præcipientem, non vult imponi ſibi neceſſitatem parendi, tanquam ſibi ius libertatis adimatur. † reſpondebit itaque doctori hoc modo. Non poſſum facere, quæ iubes, quoniam ſunt impoſſibilia. Vetas me iraſci, vetas cupere, vetas libidine commoueri, vetas dolorem, vetas mortem timere: ſed hoc adeo contra naturam eſt, vt his affectibus animalia vniuerſa ſubiecta ſint: vel ſi adeo putas repugnari poſſe naturæ, tu ipſe * quæ præcipis, fac vt ſciam, fieri poſſe. Cum autem ipſe non facias, quæ inſolentia eſt, vt homini libero imponere velis leges, quibus ipſe non pareas? Prius diſce, qui doces, & antequam mores aliorum corrigas, tuos corrige. Quis neget iuſtam eſſe hanc reſponſionem? quin etiam in contemptum veniet huiuſmodi doctor, & deludetur viciſſim, quia videbitur & ipſe deludere. Quid ergo faciet ille præceptor, ſi hæc ei fuerint oppoſita? quomodo adimet excuſationem contumacibus, niſi vt præſentibus factis doceat, poſſibilia ſe docere? Inde euenit, vt philoſophorum præceptis nullus obtemperet. Homines enim malunt exempla, quam verba, quia loqui facile eſt, præſtare difficile. Vtinamque tam multi bene facerent, quàm multi loquuntur bene. Sed qui præcipiunt, nec faciunt, abeſt ab ijs fides. Etſi homines fuerint, contemnentur, vt leues; ſi Deus, opponetur ei excuſatio fragilitatis humanæ. Supereſt, vt factis verba firmentur, quod philoſophi facere nequeunt: itaq; cum ipſi præceptores vincantur affectibus, quos vinci prædicant oportere: neminem poſſunt ad virtutem, quam falſo prædicant, erudire, ob eamq; cauſam putant, neminem adhuc perfectum † eſſe ſapientem, id eſt, in quo ſummæ doctrinæ, ac ſcientiæ ſumma virtus, & perfecta iuſtitia conſenſerit. quod quidem verum fuit. Nemo enim poſt mundum conditum talis extitit, niſi Chriſtus, qui & verbo ſapientiam tradidit, & doctrinam præſenti virtute firmauit.

C

al. reſpondet.

al. qui.

D

al. extitiſſe.

Euerſio eorum argumentorum: itidemq́; de præcipiendo & agendo.

C A P V T XXIV.

E AGe nunc conſideremus, an doctor è cælo miſſus, poſſit non eſſe perfectus. Nondum de hoc loquor, quē veniſſe à Deo negant. Fingamus aliquem de cælo eſſe mittendum, qui vitam hominum, rudimentis virtutis inſtituat, & ad iuſtitiam formet. Nemini dubium poteſt eſſe, quin is doctor, qui cælitus mittitur, tam ſcientia ſit rerum omnium, quam virtute perfectus, ne nihil inter cæleſtem, terrenumque differat. Nam in homine interna, & propria doctrina eſſe nullo pacto poteſt. Nec enim mens terrenis viſceribus incluſa, & tabe corporis impedita, aut comprehendere per ſe poteſt, aut capere veritatem, niſi aliūde doceatur. Et ſi maxime poſſit; ſummam tamen virtutem capere nequeat, & omnibus vitijs reſiſtere, quorum materia in viſceribus continetur. Eo fit, vt terrenus doctor perfectus eſſe non poſſit. At vero cæleſtis, cui ſcientiam diuinitas, virtutem immortalitas tribuit, in docendo quoque, ſicut in cæteris, perfectus, & conſummatus ſit neceſſe eſt. At id omnino fieri non poteſt, niſi mortale ſibi corpus aſſumat. cur autem fieri non poſſit, ratio clara eſt. Nam ſi veniat ad homines, vt Deus, vt omittam, quod mortales oculi claritatem maieſtatis eius conſpicere ac ſuſtinere non poſſunt, ipſe certe Deus virtutem docere non poterit; quia expers corporis non faciet, quæ docebit; ac per hoc doctrina eius, perfecta non erit. Alioqui ſi ſumma virtus eſt, dolorem patienter pro iuſtitia, officioque perferre, ſi virtus eſt, mortem ipſam & intentatam non metuere, & illatam fortiter ſuſtinere: debet ergo doctor ille perfectus & docere iſta præcipiendo, & confirmare faciendo: quia qui dat præcepta viuendi, amputare debet omnium excuſationū vias, vt imponat hominibus parendi neceſſitatem, non vi aliqua, ſed pudore, & tamen libertatem relinquat, vt & præmium ſit conſtitutum parentibus, quia poterant non parere, ſi vellent, & non parentibus pœna, quia poterant parere ſi vellent. Quomodo ergo poterit amputari excuſatio, niſi vt qui docet, faciat quæ docet, & ſit quaſi præuius, & manum porrigat ſecuturo? quemadmodum autem poteſt facere quæ docet, ſi non ſit ſimilis ei quem docet? nam ſi nulli ſubiectus ſit paſſioni, poteſt ei docenti homo ſic reſpondere: Volo quidem non peccare, ſed vincor. indutus ſum enim carne fragili, & imbecilla, hæc eſt, quæ concupiſcit, quæ † iraſci, quæ dolet, quæ mori timet. Itaque ducor inuitus, & pecco, non quia volo, ſed quia cogor. Sentio me & ipſe peccare, ſed neceſſitas fragilitatis impellit: cui repugnare non poſſum. Quid ad hæc reſpondebit præceptor ille iuſtitiæ? quomodo refutabit, ac redarguet hominē, qui delictis ſuis excuſationem carnis obtendet, niſi & ipſe carne fuerit indutus, vt oſtendat, etiā carnem poſſe capere virtutem? Contumacia enim redargui nō poteſt, niſi exēplo. Nam habere non poſſunt, quæ doceas, firmitatem, niſi ea prior feceris, quia natura hominū procliuis in vitia, videri vult non modo cum venia, ſed etiam cum ratione peccare. Oportet magiſtrū, doctoremq; virtutis, hominum ſimillimum fieri, vt vincendo peccatum, doceat hominem, vinci ab eo poſſe peccatum. Si vero ſit immortalis, exemplum proponere homini nullo modo poteſt. Exiſtet.n. conſtans aliquis, ac dicet: Tu quidem non peccas, quia liber es ab hoc corpore, non cōcupiſcis, quia immortali nihil eſt neceſſariū. Mihi vero multis reb. opus eſt, vt tuear hāc vitam. Mortē non times, quia valere in te non poteſt. Dolorem contemnis, quia nullam vim pati potes. At ego mortalis vtrumque timeo, quia cruciatus mihi grauiſſimus inferūt, quos tolerare carnis infirmitas non poteſt. Doctor itaque virtutis etiam hanc excuſationem debuit hominibus auferre, ne quis, quod peccat, neceſſitati potius aſcribat, quā culpæ ſuæ. Ergo vt perfectus eſſe poſſit, nihil ei debet opponi ab eo, qui docēdus eſt vt ſi forte dixerit, impoſſibilia præcipis, reſpondeat, ecce ipſe facio. At ego carne indutus ſum, cuius eſt peccare proprium. Et ego eandē carnē gero, & tamē peccatū in me dominatur. Mihi opes cōtēnere difficile eſt, quia aliter nō poteſt in hoc corpore. Ecce & mihi corpus, & tamē pugno contra omnem cupiditatem. Non

F

G

al. iraſcit.

H

A poſſum pro iuſtitia nec dolorem ferre, nec mortem, quia fragilis ſum. Ecce & in me dolor, ac mors habet poteſtatem, & ea ipſa, quæ times, vinco, vt victorem te faciam doloris, ac mortis. Prior vado per ea, quæ ſuſtineri non poſſe, prætendis, ſi præcipientem ſequi non potes, ſequere antecedentem. Sublata eſt hoc modo omnis excuſatio, & fateri hominem neceſſe eſt, ſua culpa iniuſtum eſſe, qui doctorem virtutis, & eundem ducem non ſequatur. Vides ergo quanto perfectior ſit mortalis doctor, quia dux eſſe mortali poteſt, quam immortalis, quia patientiam docere non poteſt, qui ſubiectus paſſionibus non eſt. Nec hoc tamen eo pertinet, vt hominem Deo præferam, ſed vt oſtendam, neque hominem perfecta doctrina eſſe poſſe, niſi ſit idem Deus, vt authoritate cæleſti neceſſitatem parendi, hominibus imponat, neque Deum, niſi mortali corpore induatur, vt præcepta ſua factis adimplendo, cæteros parendi neceſſitate conſtringat. Liquido ergo apparet, eum, qui vitæ dux, & iuſtitiæ ſit magiſter, corporalem eſſe oportere,
B nec aliter fieri poſſe, vt ſit illius plena & perfecta doctrina, habeatq; radicem, & fundamentum, ſtabiliſque apud homines, ac fixa permaneat: ipſum autem ſubire carnis, ac corporis imbecillitatem, virtutemque in ſe recipere, cuius doctor eſt, vt eam ſimul & verbis doceat, & factis. Item, ſubiectum eſſe morti, & paſſionibus cunctis; quoniam & in paſſione toleranda, & in morte ſubeunda, virtutis officia verſantur, quæ omnia, vt dixi, conſummatus doctor perferre debet, vt doceat poſſe perferri.

De Ieſu Aduentu, & carne, & Spiritu.

CAPVT XXV.

Diſcant igitur homines, & intelligant, quare Deus ſummus, cum legatum, ac nuntium ſuum mitteret, ad erudiendam præceptis iuſtitiæ ſuæ mortalitatem, mortali voluerit eum carne indui, & cruciatu affici, & morte multari. Nam cum iuſtitia nulla eſſet in terra, doctorem miſit, quaſi viuam legem, vt nomen, ac templum nouum conderet, vt verum, ac pium cultum per omnem terram
C verbis, & exemplo ſeminaret. Sed tamen, vt certum eſſet, à Deo miſſum, non ita illum naſci oportuit, ſicut homo naſcitur, ex mortali vtroque concretus, ſed vt appareret, a etiam † in homine illum eſſe cæleſtem b creatus eſt ſine opera genitoris. b Habebat enim * ſpecialem patrem Deum. & ſicut pater ſpiritus eius Deus ſine matre, ita mater corporis eius virgo ſine patre. Fuit igitur & Deus, & homo, inter Deum, atque hominem medius conſtitutus. Vnde illum Græci μεσίτην vocant, vt hominem perducere ad Deum poſſet, id eſt ad immortalitatem: quia ſi Deus tantum fuiſſet (vt ſupra dictum eſt) exempla virtutis homini præbere nõ poſſet; ſi homo tantum, non poſſet homines ad iuſtitiam cogere, niſi auctoritas, ac virtus homine maior accederet. Etenim cum conſtet homo ex carne, & ſpiritu, & oporteat ſpiritum iuſtitiæ operibus emereri, vt fiat æternus: caro, quoniam terrena eſt, ideoque mortalis, copulatum ſibi ſpiritum trahit ſecum, & ab immortalitate ducit ad mortẽ. Ergo ſpiritus carnis expers, dux eſſe homini ad immortalitatem nullo pacto poterat, quoniam caro impedit ſpiritũ, quo minus Deũ ſequatur. Eſt enim fragilis, & ſubiecta peccato: peccatum autem pabulũ mortis eſt. Itaq; iccirco mediator aduenit, id eſt Deus in carne, vt caro eum ſequi poſſet; & vt eriperet morti hominem, cuius eſt dominatio in
D carne. Ideo carne ſe induit, vt deſiderijs carnis edomitis, doceret, non neceſſitatis eſſe peccare, ſed propoſiti, ac voluntatis. Vna enim nobis, & magna, & præcipua cum carne luctatio eſt, cuius infinitæ cupiditates premunt animam, nec dominium retinere patiuntur, ſed eam voluptatibus, & illecebris ſuauibus mancipatam, morte afficiunt ſempiterna. Quibus vt repugnare poſſemus, Deus nobis viam ſuperandæ carnis & aperuit, & oſtendit. Quæ virtus perfecta, & omnibus numeris abſoluta, coronam vincentibus, & c mercedem nobis immortalitatis impetrit.

al. hominem.
al. ſpiritalem.

Scholia.

a Etiam hominem illum] *lego ex antiquo codice. in qua lectione ſenſus eſt apertus, & optimus, illud autem* in homine, *quod eſt in impreſſis codicibus, & in aliquibus manuſcriptis, factum eſt ſic: vt litera, m, quæ vltima erat, fuerit præpoſita, & factu in, minima mutatione, vt clare quiuis poteſt intelligere.*

b Habebat enim ſpiritalem] *legendum eſt ex antiquis codicibus. quod vero loco, ſpiritalem, in multis codicibus legatur, ſpecialem, cauſa fuit, quia erat ſcriptum ſpãlem, per quod poteſt intelligi ſpecialem, & ſpiritalem. indocti vero ſcriptores poſuerunt illud, ſpecialem, quod hoc in loco nil poteſt ſignificare.*

c Mercedem nobis immortalitatis] *habent plerique codices manuſcripti, & deeſt vox illa* capetẽdæ, *quæ ſane inducenda eſt, quia quando nobis immortalitas, vt merces dabitur, non amplius expetetur. quia nemo expetit id quod habet.*

E

De cruce Ieſu, & cæteris tormentis.

CAPVT XXVI.

Dixi de humilitate, & fragilitate, & paſſione, cur hæc Deus ſubire maluerit: nunc ipſius crucis ratio reddẽda eſt, & vis enarrãda. Quid ſummus pater à principio diſpoſuerit, & quemadmodum cuncta, quæ geſta ſunt, ordinarit, non tantum diuinatio prophetarum, quæ in Chriſtũ vera præceſſit, ſed etiam ratio ipſius paſſionis docet. Quæcunque enim paſſus eſt, non fuerunt inania, ſed habuerũt figuram, & ſignificantiam magnam, ſicut etiam diuina illa opera, quæ fecit: quorum vis, & potentia valebat quidem in præſens, ſed declarabat aliquid in futurum. Aperuit cæcorum lumina cæleſtis virtus, & lucem non vidẽtibus reddidit. Et hoc facto ſignificabat fore, vt conuerſus ad gentes, quæ Deum neſciebant, inſipientium pectora illuminaret luce ſapientiæ, & ad veritatem contemplandam oculos cordis aperiret. Vere enim cæci ſunt, qui cæleſtia nõ videntes, & tenebris ignorantiæ circunfuſi, terrena, & fragilia venerantur. Patefecit aures ſurdorum. Non vtique hactenus vis illa cæleſtis operata eſt: ſed declarabat breui fore, vt qui erant veritatis expertes, & audirent, & intelligerent diuinas Dei voces. Vere enim ſurdos dixeris, qui cæleſtia, & vera, & facienda non audiunt. Mutorum linguas in eloquium ſoluit: admirabilis, etiam cum fieret, potentia: ſed inerat huic virtuti alia ſignificatio, quæ oſtenderet, mox futurum, vt rerum cæleſtium nuper ignari, percepta ſapientiæ diſciplina, de Deo, & veritate diſſererent. Nam qui rationem diuinitatis ignorat, is vere elinguis, & mutus eſt, licet omnium diſertiſſimus. Lingua enim cum verum loqui cœperit, id eſt virtutem, maieſtatemque Dei ſingularis interpretari, tum demum officio naturæ ſuæ fungitur. quandiu autem falſa loquitur, in vſu ſuo non eſt: & ideo infans ſit, neceſſe eſt, qui diuina proloqui non poteſt. Pedes quoque claudorum ad officium gradiẽdi reformauit. Laudabilis diuini operis fortitudo: ſed figura id continebat: quod cohibitis erroribus vitæ ſecularis, ac deuiæ, iter veritatis aperiretur, per quod gradierẽtur homines ad Dei gratiam conſequendam. Is enim vere claudus exiſtimandus eſt, qui caligine, ac tenebris inſipientiæ implicatus, & quo tendat ignarus, offenſilibus & caducis greſſibus per viam mortis incedit. Item labes, & maculas inquinatorum corporum repurgauit. non exigua immortalis potentiæ opera. verum id portendebat hæc vis, quod peccatorum labibus, ac vitiorum maculis inquinatos, doctrina eius purificatura eſſet, eruditione iuſtitiæ. Leproſi enim vere, atq; *elephantici debent haberi, quos vel infinitæ cupiditates ad ſcelera, vel inſatiabiles voluptates ad flagitia compellunt, & dedecorũ maculis iniuſtos, labe afficiunt ſempiterna. Iacentia mortuorũ corpora erexit, eoſq; nominib. ſuis inclamatos à morte reuocauit. Quid congruentius Deo? Quid miraculo dignius omniũ ſeculorũ, quã decurſam vitam reſignaſſe, cõpletiſq; hominũ temporib. tẽpora adiecisse, arcana mortis reuelaſſe? Sed hæc inenarrabilis poteſtas, imago virtutis maioris fuit, quæ demonſtrabat, tantã vim habiturã eſſe doctrinã ſuã, vt gentes in orbe toto, quæ alienæ à Deo, ſubiectæ morti fuerũt, cognitione veri luminis animatæ ad immortalitatis præmia peruenirẽt. Eos. n. recte mortuos exiſtimaueris, qui datorem vitæ Deũ neſciẽtes, atq. animas ſuas à cœlo in terrã deprimẽtes, in laqueos æternæ mortis incurrunt. Quæ igitur tum faciebat in præ-

F

G

al. elephantiaci.

H

ſens,

A ſens, imagines erant futurorum. quæ illæſis, affectiſq; corporibus *adhibebat, ea ſpiritalium figuram gerebant, vt & in præſenti, virtutis nobis non terrena opera monſtraret, & in futurum, poteſtatem cęleſtis ſuæ maieſtatis oſtēderet. Ergo ſicut opera eius ſignificantiam quoq; maioris poteſtatis habuerunt, ita etiam paſſio non ſimplex, nec ſuperuacua, nec fortuita præceſſit. Sed vt illa, quæ fecit, magnā virtutem, ac poteſtatem doctrinæ eius ſignificabant, ſic ea, quæ paſſus eſt, odio futuram eſſe ſapientiam nuntiabant: aceti enim potus, ac fellis cibus, acerbitates, & amaritudines in hac vita, ſectatoribus veritatis pollicebatur. Et quāquam paſſio ipſa per ſe acerba, & amara, ſpecimen nobis futurorum tormentorum dabat, quæ morantibus in hoc ſeculo, virtus ipſa proponit. tamen illiuſmodi potus, & cibus, in os doctoris noſtri veniens, preſſurarum nobis ac laborum, & miſeriarum præbebat exemplum. Quæ omnia tolerare, ac perpeti neceſſe eſt eos, qui veritatem ſequūtur.
B quoniam veritas acerba eſt, & inuiſa omnibus, qui virtutis expertes, vitam ſuam mortiferis voluptatibus dedunt. Nā corona ſpinea, capiti eius impoſita, id declarabat; fore, vt diuinam ſibi plebem de nocentibus congregaret. Corona enim dicitur, circumſtans in orbem populus. Nos autem, qui ante cognitionem Dei fuimus, iniuſti, ſpinæ, id eſt mali, & nocentes eramus, ignorantes, quid eſſet bonum, & à iuſtitiæ notione, atque operibus alieni, omnia ſcelere, ac libidine polluebamus. Electi ergo ex dumis, & ſentib. ſanctum Dei caput cingimus; quia conuocati ab ipſo, & circūfuſi vndique ad eum, magiſtro, ac doctori Deo aſſiſtimus, regemque illum mundi, & omnium viuentium Dominū coronamus. Quod vero ad crucem ſpectat, magna in ea vis, ac ratio eſt, quam nunc conabor oſtendere. Deus namque (ſicut ſuperius expoſui) cum ſtatuiſſet hominem liberare, magiſtrum virtutis legauit in terram; qui & præceptis ſalutaribus formaret homines ad innocentiam, & operibus, factis præſentibus, iuſtitiæ vim panderet, qua gradiens homo, & doctorem ſuum ſequens, ad vitam æternā perueniret. Is igitur corporatus eſt, & veſte carnis indutus, vt homini, ad quem docendum venerat, virtutis & exempla, & incitamenta præberet. Sed cum in omnib. vitæ officijs,
C iuſtitiæ ſpecimen præbuiſſet, vt doloris quoq; patientiam, mortiſque contemptum, quibus perfecta, & conſummata fit virtus, traderet homini, venit in manus impiæ nationis, cum & vitare potuiſſet, ſcientia futuri, quam gerebat, & repellere eadem virtute, qua mirabilia faciebat. Suſtinuit ergò cruciatus, & verbera, & ſpinas. Poſtremo etiam mortem ſuſcipere non recuſauit, vt homo illo duce ſubactam, & catenatam mortem cum ſuis terroribus triumpharet. Cur autem ſummus pater id potiſſimum genus mortis elegerit, quo affici eum ſineret, hæc ratio eſt: Dicat enim fortaſſe aliquis, cur ſi Deus fuit, & mori voluit, non ſaltem honeſto aliquo mortis genere affectus eſt? cur potiſſimum cruce? cur infami genere ſupplicij? quod etiam homine libero, quāuis nocente videatur indignum. Primum quod
al. & is, qui humilis aduenerat, *vt humilibus, *& infimis opem
al. ac *ferret, & omnibus ſpem ſalutis* oſtenderet, eo genere af-
al. ferebat ficiendus fuit, quo humiles & infimi ſolent, ne quis eſſet
al. oſtendebat omnino, qui eum non poſſet imitari. Deinde, vt integrum corpus eius conſeruaretur, quem die tertio reſurgere ab inferis oportebat. Nec enim hoc cuiquam ignorandum eſt, quod ipſe ante de ſua paſſione prædicans, etiam id notum fecerit, habere ſe poteſtatem, cum vellet, deponendi ſpiri-
D tum, & reſumendi. a fixus itaque † cum ſpiritum † depo-
al. quia ſuiſſet, neceſſarium carnifices non putauerunt, oſſa eius
al. depoſuerat ſuffringere, ſicut mos eorum ferebat) ſed tantummodo latus eius perforauerunt. Sic integrum corpus patibulo detractum eſt, & ſepulchro diligenter incluſum. Quæ omnia idcirco facta ſunt, ne læſum, ac diminutum corpus ad reſurgendum inhabile redderetur. Illa quoque præcipua fuit cauſa, cur Deus crucem maluerit, quod illa exaltari eum fuit neceſſe, & omnibus gentibus paſſionem Dei noteſcere. Nam quoniam is, qui patibulo ſuſpēditur, & conſpicuus eſt omnibus, & cæteris altior, crux potius electa eſt, quæ ſignificaret illū tam conſpicuū, tamque ſublimem futurum, vt ad eum cognoſcendum pariter & colendum, cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent. Deniq; nul-

E la gens tam inhumana eſt, nulla regio tam remota, cui aut paſſio eius, aut ſublimitas maieſtatis ignota ſit. Extendit ergo in paſſione manus ſuas, orbemque dimenſus eſt, vt iam tunc oſtenderet, ab ortu ſolis, vſque ad occaſum, magnum populum ex omnibus linguis, & tribubus congregatum, ſub alas ſuas eſſe venturum; ſignumque illud maximum, atque ſublime, frontibus ſuis ſuſcepturum. Cuius rei figuram Iudæi etiamnunc exhibent, cum limina ſua de cruore agni notant. Deus enim percuſſurus Ægyptios, vt ab ea plaga immunes faceret Hebræos, præceperat his, vt agnum candidum, ſine macula immolarent, ac ſignum liminibus ſuis de ſanguine eius imponerent. Itaque cum Ægyptiorum primogeniti vna nocte interiſſent, Hebræi ſoli, ſigno ſanguinis, tuti fuerunt, non quia cruor pecudis tantam in ſe vim gerebat, vt hominib. ſaluti eſſet, ſed imago fuerat rerum futurarum. Nam agnus candidus, ſine macula, Chriſtus fuit, id eſt innocens, & iuſtus, & ſanctus, qui
F ab iiſdem Iudæis immolatus, ſaluti eſt omnibus, qui ſignū ſanguinis, id eſt crucis, qua ſanguinem fudit, in ſua fronte conſcripſerint. Frons enim ſummum limen eſt hominis, & lignum ſanguine delibutum, crucis ſignificatio eſt. Denique immolatio pecudis ab iis ipſis, qui faciunt, paſcha nominatur, quia paſſionis figura eſt, quam Deus præſcius futurorum, tradidit per Moſen populo ſuo celebrādam. Sed tum figura valuit in præſenti ad depellendum periculum, vt appareret, quantum veritas ipſa valitura ſit, ad plebem Dei protegēdam, in extrema totius orbis neceſſitate. Quomodo autem, vel in qua plaga tuti omnes ſint futuri, qui ſignum hoc veri, & diuini ſanguinis in ſummo corporis ſui notauerint, in nouiſſimo libro docebo.

S c h o l i a.

a Suffixus itaque cum ſpiritum ſponte depoſuiſſet] *habent libri impreſſi.* fixus itaque quia ſpiritum depoſuerat, *legendum eſt ex antiquo codice, vt deſit illa dictio. ſponte. nam verbum ipſum vim in ſe aduerbij illius habet, cum ea dicamus deponere, quæ ſponte noſtra relinquimus, & quæ facile per nos ipſos poſſumus accipere.*

G *De Crucis virtute: & ibi de dæmonibus.*

CAPVT XXVII.

NVnc ſatis eſt, huius ſigni potentiam, quantum valeat, exponere. Quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignū, ſciet, qui viderit, quatenus adiurati per Chriſtum, de corporibus, quæ obſederint, fugiāt. Nam ſicut ipſe, cum inter homines ageret, vniuerſos dęmones verbo fugabat; hominumq; mentes emotas, & malis incurſib. furiatas, in ſenſus priſtinos reponebat; ita nunc ſectatores eius, eoſdē ſpiritus inquinatos, de hominibus, & nomine magiſtri ſui, & ſigno paſſionis excludunt. Cuius rei non difficilis eſt probatio. Nam cū dijs ſuis immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatā frontem gerens, ſacra nullo modo litant. Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates. Et hæc ſæpe cauſa præcipua iuſtitiam perſequendi, malis regibus fuit. Cū enim quidam miniſtrorum noſtrorū ſacrificantib. dominis aſſiſterent, impoſito frontib. ſigno, Deos illorū fugauerūt; ne poſſent in
H viſceribus hoſtiarum futura depingere. Quod cum intelligerent aruſpices, inueſtigātibus iiſdem dæmonibus, quibus proſecrant, conquerētes, profanos homines ſacris intereſſe, egerunt principes ſuos in furorem, vt † a expurga- al. expiarent
rent Dei tēplū, ſeque vero ſacrilegio contaminarent, quod grauiſſimis perſequentium pœnis expiaretur. Nec tamen ex hoc ipſo cæci homines intelligere poſſunt, aut hanc eſſe veram religionem, cui ad vincendum tanta vis ineſt, aut illam falſam, quæ ſubſiſtere, aut congredi non poteſt. Sed aiunt, hoc Deos non metu, verum odio facere. quaſi quiſquā poſſit odiſſe niſi eū, qui aut noceat, aut poſſit nocere. immo vero congruens maieſtati fuit, vt eos, quos oderant præſentibus pœnis afficerent potius, quam fugerent. Sed quoniam neque accedere ad eos poſſunt in quibus cæleſtem notam viderint, nec iis nocere, quos ſignum immortale munierit, tanquā inexpugnabilis murus, laceſſunt eos per homines, & manib. perſequuntur alienis, quos *[figure: præcto]*

A ſi eſſe confitemur, vicimus. Neceſſe eſt enim veram eſſe hanc religionem, quæ & rationem dæmonum nouit, & aſtutiam intelligit, & vim retundit, & eos ſpiritalibus armis domitos, ac ſubactos, cedere ſibi cogit. Si negant, teſtimonijs poetarum, ac philoſophorum refellentur. Quod ſi eſſe, & malos eſſe, inficias non eunt, quid ſupereſt, niſi vt alios dicant eſſe Deos, alios dæmones? Exponant igitur nobis differentias generis vtriuſque, vt ſciamus quid colendũ quid execrandum ſit. Habeantne inter ſe aliquod conſortium, an vero inimici ſint. Si ſunt aliqua neceſſitudine copulati, quatenus eos diſcernemus? aut quomodo vtriuſq; generis honorem, cultumque miſcebimus? Si autem ſunt inimici, cur aut dæmones Deos non timent, aut Dij dæmones fugare non poſſunt? Ecce aliquis inſtinctu dæmonis percitus dementit, effertur, inſanit: ducamus hunc in Iouis optimi maximi templum, vel, quia ſanare homines Iupiter neſcit, in Æſculapij, vel Apollinis fanum. Iubeat vtriuſlibet ſacerdos, Dei ſui nomine, vt nocens ille ſpiritus excedat ex homine: nullo id pacto fieri poteſt.

B Quæ igitur vis Deorum eſt ſi ſubiectos ſibi dæmonas non habent? At vero ijdem dæmones adiurati per nomen Dei veri, protinus fugiunt. Quæ ratio eſt, vt Chriſtum timeant, Iouem autem non timeant, niſi quod ijdem ſunt dæmones, quos vulgus Deos eſſe opinatur? Denique ſi conſtituatur in medio & is, quem conſtat incurſum dæmonis perpeti, & Delphici Apollinis vates, eodem modo Dei nomen horrebunt, & tam celeriter excedet de vate ſuo Apollo, quam ex homine ſpiritus ille dæmoniacus; & adiurato, fugatoque Deo ſuo, vates in perpetuum conticeſcet. Ergo ijdem ſunt dæmones, quos fatentur execrandos eſſe; ijdem dij, quibus ſupplicãt. Si nobis credẽdum eſſe non putant, credant Homero; qui ſummum illum Iouem dæmonibus aggregauit; ſed & alijs poetis, ac philoſophis, qui eoſdem modo dæmonas, modo Deos nuncupant, quorum alterum verum, alterum falſum eſt. Illi enim nequiſſimi ſpiritus, vbi adiurantur, ibi ſe dæmonas confitentur; vbi coluntur, ibi ſe Deos mẽtiuntur, vt errores hominibus immittant, & auocent à veri Dei notione; per quam ſolam poteſt mors æterna vitari. Iidem ſunt, qui deijciendi hominis cauſa, varios ſibi cultus,

C per diuerſa * regionum condiderunt, mentitis tamen, aſſumptiſque nominibus, vt fallerent. Nam quia diuinitatem per ſeipſos affectare non poterant; aſciuerunt ſibi nomina potentium regum, ſub quorum titulis honores ſibi deorum vendicarent. Qui error diſcuti poteſt, & in lucem veritatis protrahi. Nam ſi quis ſtudet altius inquirere, congreget eos quibus peritia eſt ciere ab inferis animas. Euocent Iouem, Neptunum, Vulcanum, Mercurium, Apollinem, patremque omnium Saturnum. Reſpondebunt ab inferis omnes, & interrogati loquentur, & de ſe ac Deo fatebuntur. Poſt hæc euocent Chriſtum, non aderit, non apparebit, quia non amplius quam biduo apud inferos fuit. Quid hac probatione certius proferri poteſt? Ego vero nõ dubito, quin ad veritatem Triſmegiſtus * hac aliqua ratione peruenerit, b qui de Deo patre * omnia, de filio locutus eſt multa, quæ diuinis continentur arcanis.

al. religianum.

al. hanc

al. omnium &

Scholia.

D a Expugnarent Dei templum] *lego ex antiquis codicibus: templum vero Dei appellat viros illos Chriſtianos, qui ſacrificium interterant, qui martyrio affecti ſunt ob querelas dæmonum, & eorum ſacerdotum: quo facto principes ſe vero ſacrilegio contaminarunt. quod ſi legeremus, expugnarent, per Dei templum eſſet intelligendum Apollinis, vel alterius huiuſmodi, quod Lactantius non templum Dei, ſed dæmonis profanum domicilium nominaſſet.*

b Qui de Deo patre omnium] *habet codex antiquus.* omnia *vero legi mihi non placet, quia non puto Triſmegiſtum omnia, quæ de patre diuinis literis continentur, ſuis ſcriptis comprehendiſſe, multa tamen & de patre, & de filio video eum in ſuis dialogis dixiſſe, puto etiam coniunctionem,* &, *addendam, vt dicamus* patre omnium & de filio *quæ tamen in antiquis codicibus non reperitur.*

De ſpe, & vera religione, & ſuperſtitione.

CAPVT XXVIII.

E Quæ cum ita ſe habeant vt oſtendimus; apparet, nullam aliam ſpem vitæ, homini eſſe propoſitam, niſi vt abiectis vanitatibus, & errore miſerabili, Deũ cognoſcat, & Deo ſeruiat; niſi huic temporali renunciet vitæ; ac ſe rudimentis iuſtitiæ ad cultum veræ religionis inſtituat. Hac enim conditione gignimur, vt generanti nos Deo, iuſta, & debita obſequia præbeamus; hunc ſolum nouerimus, hũc ſequamur. Hoc vinculo pietatis obſtricti, Deo religati ſumus; vnde ipſa religio nomen accepit; non vt Cicero interpretatus eſt, à relegendo; qui in libro de natura Deorum ſecundo dicit ita: Non enim philoſophi ſolum, verum etiam maiores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparauerũt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, vt ſui ſibi liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati. Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, retra-

F ctarent, & tanquam relegerent; ij dicti ſunt religioſi ex relegendo, tanquam ex eligendo elegantes, & ex deligendo diligentes, intelligendo intelligentes. His enim omnibus ineſt vis legendi, eadem, quæ in religioſo. ita factum eſt in ſuperſtitioſo, & religioſo alterum vitij nomen; alterũ laudis. Hæc interpretatio quam inepta ſit, ex re ipſa licet noſcere. Nam ſi in iiſdem dijs colendis & ſuperſtitio, & religio verſatur exigua, vel potius nulla diſtantia eſt. Quid enim mihi afferet cauſæ, cur precari pro ſalute filiorum ſemel, religioſi; & idem decies facere, ſuperſtitioſi eſſe hominis arbitretur? Si enim ſemel facere optimũ eſt, quanto magis ſæpius? Si hora prima; ergo & tota die. Si vna hoſtia placabilis, placabiliores vtiq; hoſtiæ plures, quia multiplicata obſequia demerentur potius, quam offendunt. Non enim nobis odioſi videntur ij famuli, qui aſſidui, & frequẽtes ad obſequium fuerint, ſed magis chari. Cur igitur ſit in culpa, & nomen reprehenſibile ſuſcipiat, qui aut filios ſuos magis diligit, aut Deos * ſatis honorat; laudetur autem qui minus? Quod argumentũ etiam ex contrario valet. Si enim totos dies precari, & immolare criminis eſt; ergo & ſemel. Si ſuperſtites filios ſubinde optare, vitioſum

G eſt; ſuperſtitioſus igitur & ille, qui etiam raro id optauerit. Aut cur vitij nomen ſit ex eo tractum, quo nihil honeſtius, nihil iuſtius optari poteſt? Nam quod ait, religioſos à relegendo appellatos, qui retractent ea diligenter, quæ ad cultum Deorum pertineant: cur ergo illi, qui hoc ſæpe in die faciant, religioſorum nomen amittant, cum multo vtique diligentius ex aſſiduitate ipſa relegant ea, quibus dij coluntur? Quid ergo eſt? Nimirum religio veri cultus eſt, ſuperſtitio falſi. Et omnino quid colas, intereſt; non quemadmodum colas, aut quid precere. Sed quia Deorum cultores religioſos ſe putant, cum ſint ſuperſtitioſi: nec religionem poſſunt à ſuperſtitione diſcernere; nec ſignificantiam nominum exprimere. Diximus nomen religionis à vinculo pietatis eſſe deductum; quod hominem ſibi Deus religauerit, & pietate conſtrinxerit: quia ſeruire nos ei, vt domino; & obſequi, vt patri, neceſſe eſt. melius ergo id nomen Lucretius interpretatus eſt, qui ait, religionum ſe nodos exſoluere. Superſtitioſi autem vocantur, non qui filios ſuos ſuperſtites optant (omnes enim optamus) ſed aut ij, qui ſuperſtitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus ſuis ſuperſtites, a colebant imagines eorum domi tanquam Deos penates. Nam qui nouos ſibi ritus aſſumebant, vt deorum vice mortuos honorarẽt, quos ex

H hominibus in cælum receptos putabant, hos ſuperſtitioſos vocabant. Eos vero, qui publicos & antiquos Deos colerent, religioſos nominabant. Vnde Virgilius:

Vana ſuperſtitio, veterumque ignara Deorum.

Sed cum veteres quoq; Deos inueniamus eodem modo cõſecratos eſſe poſt obitum; ſuperſtitioſi ergo qui multos, ac falſos Deos colunt. Nos autem religioſi, qui vni, & vero Deo ſupplicamus.

al. magis.

Scholia.

a Superſtites vero colebant imagines] *legendum eſt ex pleriſque antiquis codicibus, colere vero imagines Latine & eleganter dicitur, celebrare nihil ſignificat, quod ad hanc rem facere poſſit. hic locus in libro à Paulo Manutio impreſſo nondum erat emendatus.*

De religione Chriſtiana, & de Ieſu cum Patre coniunctione.

CAPVT XXIX.

A

FOrtaſſe quærat aliquis, quomodo, cum Deum nos vnum colere dicamus, duos tamen eſſe aſſeueremus, Deum patrem, & Deum filium; quæ aſſeueratio pleroſque in maximum* impingit errorem. Quibus cum probabilia videantur eſſe, quæ dicimus; in hoc vno labare nos arbitrantur, [a] quod & alterum, & mortalem Deum fateamur. De mortalitate iam diximus: nunc de vnitate doceamus. Cum dicimus Deum patrem, & Deum filium, non diuerſum dicimus, nec vtrunq; ſecernimus: quia nec pater ſine filio poteſt; nec filius à patre ſecerni; ſiquidem nec pater ſine filio nuncupari, nec filius poteſt ſine patre generari. Cum igitur & pater filium faciat, & filius patrē; vna vtriq; mens, vnus ſpiritus, vna ſubſtantia eſt. ſed ille quaſi exuberans fons eſt, hic tanquam defluens ex eo riuus: ille tanquam ſol; hic quaſi radius à ſole porrectus, qui quoniam ſummo patri & fidelis, & carus eſt, non ſeparatur, ſicut nec riuus à fonte, nec radius à ſole, quia & aqua fontis in riuo eſt, & ſolis lumen in radio. æque neque vox ab ore ſeiungi, nec virtus, aut manus à corpore diuelli poteſt. Cum igitur à prophetis idem manus Dei, & virtus, & ſermo dicatur, vtique nulla diſcretio eſt, quia & lingua ſermonis miniſtra eſt, & manus, in qua eſt virtus, indiuiduæ ſunt corporis portiones. Propiore vti exemplo libet. Cū quis habet filium, quem vnice diligit, qui tamen ſit in domo, & manu patris, licet ei nomen domini, poteſtatemque concedat, ciuili tamen iure & domus vna, & vnus dominus nominatur. Sic hic mundus, vna Dei domus eſt, & filius ac pater, qui vnanimes incolunt mundum, Deus vnus, quia & vnus eſt tanquam duo, & duo tanquam vnus. Neque id mirum, cum & filius ſit in patre, quia pater diligit filium, & pater in filio, quia voluntati patris fideliter paret, nec vnquam faciat aut fecerit, niſi quod pater aut voluit, aut iuſſit. Denique vnū Deum eſſe tam patrem quam filium, Eſaias in illo exemplo, quod ſuperius poſuimus, oſtendit, cum diceret: *Adorabunt te, & in te precabuntur, quoniam in te Deus eſt; & non eſt alius Deus præter te.* Sed & alio loco ſimiliter ait: *Sic dicit Deus Rex Iſrael, & qui eruit eum Deus æternus. ego primus, & ego nouiſſimus, & præter me nemo eſt Deus.* Cum duas perſonas propoſuiſſet Dei regis, id eſt Chriſti, & Dei patris, qui eum poſt paſſionem ab inferis excitauit, ſicut oſtendiſſe diximus Oſeam Prophetam, qui ait, *Et de manu inferorum eruam eum:* tamen ad vtramque perſonam referens, intulit, & præter me non eſt Deus, cum poſſet dicere, præter nos. ſed fas nō erat plurali numero, ſeparationem tantæ neceſſitudinis fieri. Vnus eſt enim ſolus, liber, Deus ſummus, carens origine, quia ipſe eſt origo rerum, & in eo ſimul & filius & omnia continentur. Quapropter cum mens, & voluntas alterius in altero ſit, vel potius vna in vtroque, merito vnus Deus vterque appellatur, quia quicquid eſt in patre, ad filium tranſfluit, & quicquid in filio, à patre deſcendit. Non poteſt igitur ille ſummus, ac ſingularis Deus niſi per filium coli. qui ſolum patrem ſe colere putat, ſicut filium non colit, ita nec patrem quidem. Qui autem filium ſuſcipit, & nomen eius gerit, is vero cum filio ſimul & patrem colit, quoniam legatus, & nuntius, & ſacerdos ſummi patris eſt filius. Hic templi maximi ianua eſt, hic lucis via, hic dux ſalutis, hic oſtium vitæ.

Margin notes: al. impegit. — B — C — D

SCHOLIA.

[a] Quod & alterum mortalem] *legendum eſt ex antiquis codicibus, quod in libris à Paulo Manutio excuſis habetur. in alijs tamen ab alijs impreſſis,* quod & æternum & mortalem, *legitur, quod nihil ad rem facit. eſt enim hæc obiectio quædam gentilium, quibus inepta videbatur noſtra doctrina, eo, quod duos Deos, vt illi dicebant, faceremus, & horum alterum faceremus mortalem. cui obiectioni Lactantius in hoc capite ita reſpondet, vt clare oſtendat ſe de filij diuinitate recte ſenſiſſe. & ex hoc capite aperte intelligi poteſt, ea loca, quæ ante notauimus, ab Arianis fuiſſe corrupta.*

De hæreſibus, & ſuperſtitionibus deque ijs vitandis.

CAPVT XXX.

SEd quoniam multæ hæreſes extiterunt, & inſtinctibus dæmonum, populus Dei ſciſſus eſt, determinanda eſt nobis veritas breuiter, & in ſuo proprio domicilio collocanda, vt ſi quis aquam vitæ cupiet haurire, non ad detritos lacus deferatur, qui non habent venam, ſed vberrimū Dei nouerit fontem, quo irrigatus, perenni luce potiatur. Ante omnia ſcire nos conuenit, & ipſum, & legatos eius prædixiſſe, quod plurimæ ſectæ, & hæreſes haberēt exiſtere, quę concordiam ſancti corporis rumperent: ac monuiſſe, vt ſumma prudentia caueremus, ne quando in laqueos, & fraudes illius aduerſarij noſtri, cum quo nos Deus luctari voluit, incideremus. Tum dediſſe certa mandata, quæ in perpetuum cuſtodire deberemus. Quorum pleriq; immemores, deſerto itinere cæleſti, vias ſibi deuias per anfract*, & pręcipitia condiderunt, per quas partē plebis incautam, & ſimplicem, ad tenebras, mortemque deducerent. Quod quatenus acciderit, exponam. Fuerunt quidam noſtrorū vel minus ſtabilita fide, vel minus docti, vel minus cauti, qui diſſidium facerent vnitatis, & eccleſiam diſſiparent. Sed ij, quorū fides fuit lubrica, cum Deum noſſe ſe, & colere ſimularent, augendis opibus, & honori ſtudentes, affectabant maximum ſacerdotium; & à potioribus victi, ſecedere cum ſuffragatoribus ſuis maluerunt, * quam eos ferre præpoſitos, quibus concupierant ipſi ante præponi. Quidam vero non ſatis cæleſtibus literis eruditi, cum veritatis accuſatoribus reſpondere non poſſent, obijcientibus vel impoſſibile, vel incongruens eſſe, vt Deus in vterum ſe mulieris includeret, nec cæleſtem illam maieſtatem ad tantam infirmitatem potuiſſe deduci, vt hominibus contemptui, deriſui, contumeliæ, & ludibrio eſſet, poſtremo etiam cruciamenta perferret, atque execrabili patibulo figeretur: quæ omnia cum neque ingenio,* ne doctrina defendere, ac refutare poſſent (nec enim vim, rationemque penitus peruidebant) deprauati ſunt ab itinere recto, & cæleſtes literas corruperunt, vt nouā ſibi doctrinā ſine vlla radice, ac ſtabilitate componerent. Nonnulli autem falſorum prophetarum vaticinio illecti, de quibus & veri prophetæ, & ipſe prædixerat, exciderunt à doctrina Dei, & traditionem veram reliquerunt. Sed illi omnes dæmoniacis fraudibus irretiti, quas proſpicere, & cauere debuerant, diuinum nomen & cultum per imprudentiam perdiderunt. Cum enim Phryges, aut Nouatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, *aut Anthropiani, ſeu quilibet alij nominantur, Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti nomine amiſſo, humana, & externa vocabula induerunt. Sola igitur Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet. Hic eſt fons veritatis, hoc eſt domicilium fidei: hoc templum Dei: quo ſi quis non intrauerit, vel à quo ſi quis exiuerit, à ſpe vitę, ac ſalutis æternæ alienus eſt. Neminem ſibi oportet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vita, & ſalute: cui niſi caute, ac diligenter conſulatur, amiſſa & extincta erit. Sed tamen, quia ſinguli quique cœtus hæreticorum, ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant, ſciendum eſt, illam eſſe veram, in qua eſt confeſſio, & pœnitentia; quæ peccata, & vulnera, quibus ſubiecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat. Hæc interim paucis admonendi gratia retuli; ne quis errorem fugere cupiens, maiori implicetur errore, dum penetrala veritatis ignorat. Poſtea plenius, & verius contra omnes mendaciorum ſectas proprio, ſeparatoque opere pugnabimus. Sequitur, vt, quoniam ſatis de religione vera & ſapientia locuti ſumus, in proximo libro de iuſtitia diſſeramus.

Margin notes: E — F — al. nec. — al. nec. — G — H

* *Michaelem Thomaſium contra veterum Codicum conſenſum, contra veritatem ipſam expunxiſſe Lactantio duas haſce voculas, aut Arianis, lectionemq; ſinceram huius loci eſſe, aut Antropiani, aut Ariani, ſeu quilibet alij nominantur, &c.* docet Baronius To. 3. Annal. Anno Chriſti 315. ca. 20.21.22. *Lactantium tempore, quo ſcribebat Lactantius exortam hereſim Arianam pluribus argumentis oſtendit.*

A

L. COELII FIRMIANI LACTANTII DIVINARVM INSTITVTIONVM,

DE IVSTITIA, LIBER V.

De iudicando, pertinacia perfidorum, eloquentia, & veritate.

CAPVT I.

NOn eſt apud me dubium, (Conſtantine Imperator Maxime) quin hoc opus noſtrũ, quo ſingularis ille rerum cõditor & huius immẽſi

B rector aſſeritur, ſi quis attigerit ex iſtis inepte religioſis (vt ſunt nimia ſuperſtitione impatiẽtes) inſectetur etiam maledictis, & vix lecto fortaſſe principio, affligat, proijciat, execretur, ſeque inexpiabili ſcelere contaminari, atque aſtringi putet; ſi hæc aut legat patienter, aut audiat. Ab hoc tamen, ſi fieri poteſt, humanitatis iure poſtulamus, vt non prius damnet, quam vniuerſa cognouerit. nam ſi ſacrilegis, & proditoribus, & veneficis poteſtas defendendi ſui datur; nec prædamnari quẽquam incognita cauſa licet; non iniuſte petere videmur, vt ſi quis erit ille, qui inciderit in hæc; ſi leget, perlegat; ſi audiet, ſententiam differat in extremum. Sed noui hominum pertinaciam; nunquam impetrabimus. Timent enim ne à nobis reuicti, manus dare aliquando, clamante ipſa veritate, cogantur. Obſtrepunt igitur, & intercedunt, ne audiant; & oculos ſuos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus. Quo plane ipſi diffidentiam ſuæ perditę rationis oſtẽdunt; cum neque cognoſcere, neque congredi audent, quia ſciũt ſe facile ſuperari. Et iccirco diſceptatione ſublata,

Pellitur è medio ſapientia, vi geritur res,

C Vt ait Ennius: & quia ſtudent damnare tanquam nocentes, quos vtique ſciunt innocentes; conſtare de ipſa innocentia nolunt. quaſi vero maior iniquitas ſit, probatam innocentiam damnaſſe, quam inauditam. Sed, vt dixi, verentur, ne ſi audierint, damnare non poſſint. Et ideo cultores Dei ſummi, hoc eſt, iuſtos homines torquent, interficiunt, exterminant; nec cauſas odiorum reddere ipſi poſſunt, qui tam vehementer oderunt; quia ipſi errant, iraſcuntur ijs, qui veram viã ſequuntur; & cũ corrigere ſe poſ-

al. coacerbant.

ſint, errores ſuos inſuper *a* crudelibus factis * coacernant; innocentium cruore maculantur; & dicatas Deo mentes euiſceratis corporibus extorquent. cum talibus nunc congredi, & diſputare contendimus; hos ad veritatem ab inepta perſuaſione traducere; qui ſanguinem facilius hauſerint, quam verba iuſtorum. Quid igitur? operamne perdemus? Minime. Nam ſi lucrari hos à morte, ad quam concitatiſſime tendunt, non poterimus; ſi ab illo itinere deuio ad vitam, lucemq; reuocare, quoniam ipſi saluti ſuæ repugnant: noſtros tamen confirmabimus, quorum non eſt ſtabilis, ac ſolidis radicibus fundata, & fixa ſententia. Nutant

al. attigerunt.

D enim plurimi, ac maxime qui literarũ aliquid * attigerunt. Nam & in hoc philoſophi, & oratores, & poetæ pernicioſi ſunt; quod incautos animos facile irretire poſſunt ſuauitate ſermonis, & carminum dulci modulatione currentium. Mella ſunt hæc venenum tegentia. Ob eamq; cauſam volui ſapientiam cum religione coniungere, nequid ſtudioſis inanis illa doctrina poſſit officere; vt iam ſcientia litterarũ non modo nihil noceat religioni, atque iuſtitiæ, ſed etiam proſit quamplurimũ, ſi is, qui eas didicerit, ſit virtutib. inſtructior, & in veritate ſapiẽtior. Præterea, etiã ſi nulli alij, nobis certe prodent. delectabit ſe conſcientia, gaudebitq; mens, in veritatis ſe luce verſari; quod eſt animæ pabulum, incredibili quadam iucunditate perfuſum. Verum non eſt deſperandum. Fortaſſe non canimus ſurdis. Nec enim tam in malo ſtatu res eſt, vt deſint ſanæ mentes; quibus & veritas placeat; & monſtratum ſibi rectum iter & videant,

E & ſequantur. Circumlinatur modo poculum cæleſti melle ſapientiæ; vt poſſint ab imprudentibus amara remedia ſine offenſione potari; dum illiciens prima dulcedo acerbitatem ſaporis aſperi, ſub prætextu ſuauitatis occultat. Nam hæc in primis cauſa eſt, cur apud ſapientes, & doctos, & principes huius ſeculi, ſcriptura ſancta fide careat; quod Prophetæ communi, ac ſimplici ſermone, vt ad populum, ſunt locuti. Contemnuntur itaque ab ijs, qui nihil audire, vel legere niſi expolitum, ac diſertum volunt; nec quicquã inhærere animis eorum poteſt, niſi quod aures blandiori ſono permulcet. Illa vero, quæ ſordida videntur, anilia, inepta, vulgaria exiſtimantur. Adeo nihil verum putant, niſi quod auditu ſuaue eſt; nihil credibile, niſi quod poteſt incutere voluptatem: nemo rem veritate ponderat, ſed ornatu. Non credunt ergo diuinis, quia fuco carent; ſed ne illis quidem, qui ea interpretantur, quia ſunt & ipſi aut omnino rudes, aut certe parum docti. Nam vt plane ſint eloquentes, perraro contingit; cuius rei cauſa in aperto eſt.

F Eloquentia enim ſeculo ſeruit; populo ſe iactare, & in rebus malis placere geſtit. ſiquidem veritatem ſæpius expugnare conatur, vt vim ſuam monſtret; opes expetit; honores concupiſcit; ſummum denique gradum dignitatis expoſcit. Ergo hæc quaſi humilia deſpicit; arcana tanquam contraria ſibi fugit; quippe quæ publico gaudeat, & multitudinem, celebritatemque deſideret. Eo fit, vt ſapientia, & veritas idoneis præconibus indigeat. Et ſi qui forte literatorum ſe ad eam contulerunt, defenſioni eius non ſuffecerunt. Ex ijs, qui mihi noti ſunt, Minutius Felix, non ignobilis inter cauſidicos loci fuit. Huius liber, cui Octauio titulus eſt, declarat, quam idoneus veritatis aſſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet. Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere literarum peritus; ſed in eloquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obſcurus fuit. Ergo ne hic quidem ſatis celebritatis inuenit. Vnus igitur pręcipuus, & clarus extitit Cyprianus, quoniam & magnam ſibi gloriam ex artis oratoriæ profeſſione quæſierat, & admodum multa conſcripſit in ſuo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioſo, ſuaui, & (quæ ſermonis maxima eſt virtus) aperto, vt diſcernere nequeas, vtrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit. Hic tamen

G placere vltra verba, ſacramentum ignorantibus non poteſt, quoniam myſtica ſunt, quæ locutus eſt, & ad id præparata, vt à ſolis fidelibus audiantur. Denique à doctis huius ſeculi, quibus forte ſcripta eius innotuerunt, derideri ſolet. Audiui ego quendam hominem ſane * diſertum, qui eum immutata vna litera Coprianũ * vocaret, quaſi quod elegans ingenium, & melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contuliſſet. Quod ſi accidit huic, cuius eloquentia non inſuauis eſt, quid tandem putemus eis accidere, quorum ſermo ieiunus eſt, & ingratus, qui neque vim perſuadendi, neque ſubtilitatem argumẽtandi, neque vllam prorſus acerbitatem ad reuincendum habere potuerunt?

al. ſacrilegum.

* i. ridiculatorem & ſcurram (Copreas enim, Scurras vocabit) quaſi qui ad Christianorum fabellas voluiſſet homines à Pagana religione auertere.

SCHOLIA.

a Crudelibus factis coacerbant] *legendum eſt ex antiquo codice. nam verba ipſa acerbare, & exacerbare ſunt valde latina, ſenſus vero ipſe eſt optimus, vt dicat, eos non contentos eſſe, quod ſuos errores ſequantur, niſi eos crudelitate ſua acerbiores faciant. quod ſi legas errores coacernant, nulla eſt apta ſententia: & apparet manifeſte, hoc ex illo, b, in u, mutato factum eſſe.*

H

b Non enim in tam malo ſtatu] *lego ex pleriſq, antiquis codicibus, vt inducatur tota illa oratio,* plus impuris ſpiritibus quã ſancto licet, aut, *& ſane hæc omnia confundunt planam huius loci ſententiam.*

De impugnatione Christianæ religionis.

CAPVT II.

ERgo quia defuerunt apud noſtros idonei, peritique doctores, qui vehementer, qui acriter errores publicos redarguerent, qui cauſam omnem veritatis ornate, copioſeque defenderent: prouocauit quoſdam hæc ipſa penuria

A nuria, vt auderent ſcribere contra ignotam ſibi veritatem. Omitto eos, qui prioribus eam temporibus nequicquam laceſſerunt. Ego cum in Bithynia oratorias literas accitus docerem, contigiſſetque, vt eodem tempore Dei templũ euerteretur: duo extiterunt ibidem, qui iacenti, atque abiectæ veritati, neſcio vtrum ſuperbius, an importunius inſultarent, quorum alter antiſtitem ſe philoſophiæ profitebatur: verum ita vinoſus, vt continentiæ magiſter, non minus auaritia, quam libidinibus arderet, in victu tam ſumptuoſus, vt in ſchola virtutis aſſertor, parſimoniæ, paupertatisq́; laudator, in palatio peius cœnaret, quam domi. tamen vitia ſua capillis, & pallio, & (quod maximum eſt velamentum) diuitijs prætegebat, quas vt augeret, ad amicitias iudicum miro ambitu penetrabat, eoſque ſibi repente auctoritate falſi nominis obligabat, non modo, vt eorum ſententias venderet, verum etiam vt confines ſuos, quos ſedibus, agriſq́; pellebat, à ſuo reperendo, hac potentia retardaret. Hic vero, qui ſuas diſputationes moribus deſtruebat, vel mores ſuos diſputationib. arguebat, ipſe aduerſus ſe grauis cenſor, & accuſator acerrimus, eodem ipſo tempore, quo iuſtus populus nefarie lacerabatur, tres libros euomuit contra religionem, nomẽq́; Chriſtianum. Profeſſus ante omnia, philoſophi officium eſſe erroribus hominum ſubuenire, atque illos ad veram viam reuocare, id eſt, ad cultus deorum, quorum numine, ac maieſtate (vt ille dicebat) mundus gubernetur, nec pati, homines imperitos quorumdam fraudibus illici, ne ſimplicitas eorum, prædę, ac pabulo ſit hominib. aſtutis. Itaque ſe ſuſcepiſſe hoc munus philoſophia dignum, vt præferret non videntib. lumẽ ſapientiæ, non modo vt ſuſceptis deorum cultibus reſaneſcant; ſed etiam vt pertinaci obſtinatione depoſita, corporis cruciamenta deuitent, nec ſæuas membrorum lacerationes fruſtra perpeti velint. Vt autem appareret, cuius rei gratia opus illud elaboraſſet, effuſus eſt in principium laudes, quorum pietas, & prouidentia (vt quidem ipſe dicebat) cum in cæteris rebus humanis, tum præcipue in defendendis deorum religionibus claruiſſet, conſultum eſſe tandem rebus humanis, vt cohibita impia, & anili ſuperſtitione, vniuerſi homines legitimis ſacris vacarent, ac propitios C ſibi deos experirentur. Vbi autem religionis eius, contra quam perorabat, infirmare voluit rationẽ, ineptus, vanus, ridiculus apparuit; quia grauis ille conſultor vtilitatis alienæ, non modo quid oppugnaret, ſed etiam quid loqueretur neſciebat. Nam ſi qui noſtrorum affuerũt, quamuis tẽporis gratia conniuerent, animo tamen deriſere, vtpote cum viderent hominem profitentem, ſe illuminaturum alios, cum ipſe cæcus eſſet, reducturum alios ab errore, cum ipſe ignoraret, vbi pedes ſuos poneret, erudíturum alios ad veritatem, cuius ille ne ſcintillam quidem vnam vidiſſet aliquando; quippe cum ſapientiæ profeſſor, profligare ſapientiam niteretur. Omnes tamen id arguebant, quod illo potiſſimum tempore id operis eſſet aggreſſus, quo furebat odioſa crudelitas. O philoſophum adulatorem, ac tempori ſeruientem! Verum hic pro ſua inanitate cõtemptus eſt, qui & gratiam, quam ſperauit, non eſt adeptus, & gloria, quam captauit, in culpam, reprehenſionemque conuerſa eſt. Alius eandem materiam mordacius ſcripſit, qui erat tũ è numero iudicum, & qui auctor in primis faciendæ perſecutionis fuit: quo ſcelere nõ contentus, etiam ſcriptis eos, quos afflixerat, inſecutus eſt. cõpoſuit enim libellos duos, D non contra Chriſtianos, ne inimice inſectari videretur, ſed ad Chriſtianos, vt humane, ac benigne conſulere putaretur. in quibus ita falſitatem ſcripturæ ſacræ arguere conatus eſt, tanquam ſibi eſſet tota contraria: nam quædam capita, quæ repugnare ſibi videbantur, expoſuit, adeo multa, adeo intima enumerans, vt aliquando ex eadem diſciplina fuiſſe videatur. Quod ſi fuit, quis eum Demoſthenes poterit ab impietate defendere? qui religionis, cui fuerat aſſenſus, & fidei, cuius nomen induerat, & ſacramenti, quod acceperat, proditor factus eſt, niſi forte caſu in manus eius diuinæ literæ inciderunt. Quæ igitur temeritas erat, id audere diſſoluere, quod illi nemo interpretatus eſt? Bene, quod aut nihil didicit, aut nihil intellexit. Tantum enim abeſt à diuinis literis repugnantia: quantum ille abfuit à veritate, & fide. præcipue tamen Paulum, Petrumq́; E lacerauit, cæteroſque diſcipulos, tanquam fallacię ſeminatores, quos eoſdem tamen rudes, & indoctos fuiſſe, teſtatus eſt. nam quoſdam eorum piſcatorio artificio feciſſe quæſtum: quaſi ægre ferret, quod illam rem non Ariſtophanes aliquis, aut Ariſtarchus commentatus ſit.

De veritate Chriſtianorum, & aduerſariorum vanitate.

CAPVT III.

ABſuit ergo ab his fingendi voluntas, & aſtutia, quoniam rudes fuerunt. Aut quis poſſit indoctus, apta inter ſe, & cohærentia fingere, cum Philoſophorum doctiſſimi Plato, & Ariſtoteles, & Epicurus, & Zenon, ipſi ſibi repugnantia, & contraria dixerint? Hæc eſt enim mendaciorum natura, vt cohærere non poſſint. Illorum autem traditio, quia vera eſt, quadrat vbique, ac ſibi tota conſentit, & ideo perſuadet, quia conſtanti ratione ſuffulta eſt. F non *igitur quæſtus, & commodi gratia, religionem iſtam commenti ſunt; quippe qui & præceptis, & re ipſa eam vitam ſecuti ſunt, quæ & voluptatibus caret; & omnia, quæ habentur in bonis, ſpernit, & qui non tantũ pro fide mortem ſubierint, ſed etiam morituros eſſe ſe & ſcierint, & prędixerint, & poſtea vniuerſos, qui eorum diſciplinam ſecuti eſſent, acerba, & nefanda paſſuros. Ipſum autem Chriſtum affirmauit à Iudæis fugatum, collecta nongentorum hominum manu, latrocinia feciſſe. Quis tantæ auctoritati audeat repugnare? Credamus hoc plane. nam fortaſſe hoc illi in ſomnis Apollo aliquis nuntiauit. Tot ſemper latrones perierunt, & quotidie pereunt, vtique multos & ipſe damnaſti, quis eorum poſt crucem ſuam, non dicam Deus, ſed homo appellatus eſt? Verum tu fortaſſe ex eo credidiſti, quia vos homicidam Martem conſecraſtis, vt Deum: quod tamen non feciſſetis, ſi illum Areopagitę in crucem ſuſtuliſſent. Item cum facta eius mirabilia deſtrueret, nec tamen negaret, voluit oſtendere, Apollonium vel paria, vel etiam maiora feciſſe. Mirum quod Apuleium prætermiſit, cuius ſolent & multa, & mira memorari. Cur igitur ô delirum caput, nemo Apollonium pro Deo colit? G niſi forte tu ſolus, illo ſcilicet Deo dignus, cum quo te in ſempiternum verus Deus puniet. Si magus Chriſtus, quia mirabilia fecit, peritior vtique Apollonius, qui (vt deſcribis) cum Domitianus eum punire vellet, repente in iudicio non comparuit; quam ille, qui & comprehenſus eſt, & cruci affixus. At eum ex hoc ipſo fortaſſe inſolentiã Chriſti voluit arguere, quod Deum ſe conſtituerit, vt ille verecundior fuiſſe videatur, qui cum maiora faceret, vt hic putat, tamen id ſibi non arrogauerit. Omitto nunc ipſa opera * computare, quia in ſecundo, & ſuperiore libro de fraude, ac præſtigijs artis magicæ dixi. Nego eſſe quenquam, qui non optet in primis id ſibi poſt mortem contingere, quod etiam Reges maximi concupiſcunt. Cur enim ſibi homines ſepulchra magnifica, cur ſtatuas, cur imagines cõparant? cur aliquibus claris factis, aut etiam pro ciuibus morte ſuſcepta, ſtudent opiniones hominum promereri? Cur denique ipſe ingenij tui monimentum hoc deteſtabile, ſtultitia, tanquam cœno ædificatum, conſtituere voluiſti, niſi quod immortalitatem de memoria nominis ſperas? Stultum igitur eſt, id putare Apollonium noluiſſe, quod optaret vtique, ſi poſſet, quia nemo eſt, qui immortalitatem recuſet, maxime cum eum dicas & adoratum eſſe à H quibuſdam, ſicut Deũ, & ſimulachrũ eius ſub Herculis Alexicaci nomine conſtitutũ, ab Epheſijs etiamnunc honorari. Non potuit ergo poſt mortem Deus credi, quia & hominem & magum fuiſſe conſtabat; & ideo alieni nominis titulo affectauit diuinitatem, quia ſuo nec poterat, nec audebat. Noſter vero & potuit Deus credi, quia magus non fuit, & creditus eſt, quia verus fuit. Non, inquit, hoc dico; icccirco Apollonium non haberi Deum, quia noluerit; ſed vt appareat nos ſapientiores eſſe, qui mirabilibus factis nõ ſtatim fidem diuinitatis adiunximus, quam vos, qui ob exigua portenta Deum credidiſtis. Non eſt mirum. ſi tu, qui à Dei ſapientia longe remotus es, nihil protſus intelligis eorum, quæ legiſti, cum Iudæi, qui à principio prophetas lectitauerant, quibuſque ſacramentum Dei fuerat aſſignatum,

al. enim

* comparare.

A al. verum etiam. al. videmus.

gnatum, tamen quid legerint, ignorauerint. Diſce igitur, ſiquid tibi cordis eſt *b* non ſolum icirco à nobis Deú creditum Chriſtum, quia mirabilia fecit; *ſed quia * vidimus in eo facta eſſe omnia, quæ nobis annuntiata ſunt vaticinio prophetarum. Fecit mirabilia: magum putaſſemus; vt & vos nunc putatis; & Iudæi tunc putauerunt; ſi non illa ipſa facturum Chriſtum prophetæ omnes vno ſpiritu prædicaſſent. Itaq; Deum credimus, non magis ex factis, operibuſq; mirandis, quam ex illa ipſa cruce, quam vos ſicut canes lambitis, quoniam ſimul & illa prædicta eſt. Non igitur ſuo teſtimonio (cui enim de ſe dicenti poteſt credi?) ſed prophetarum teſtimonio, qui omnia, quæ fecit, ac paſſus eſt, multo ante cecinerunt; fidem diuinitatis accepit; quod neq; Apollonio, neque Apuleio, neq; cuiquam magorum potuit, aut poteſt aliquando contingere. Cum igitur talia ignorantiæ ſuæ deliramenta fudiſſet, eum veritatem penitus *excidere connixus eſſet, auſus eſt libros ſuos nefarios, ac Dei hoſtes φιλαλήθεις annotare. O cæcum pectus, ó mentem cimmerijs, vt aiunt, tenebris atriorem! Diſcipulus hic fortaſſe Anaxagoræ fuerit, cui niues atramentum fuerunt. Atqui eadem cæcitas eſt, & vero falſitatis, & mendacio, veritatis nomen imponere. Videlicet homo ſubdolus voluit lupum ſub ouis pelle celare, vt fallaci titulo poſſet irretire lectorem. Verum eſto, inſcitia hoc, non malitia, feceris. Quam tandem nobis attuliſti veritatem? niſi quod aſſertor Deorum, eos ipſos ad vltimum prodidiſti. Proſecutus enim ſummi Dei laudes, qué Regem, quem maximum, quem opificem rerum, quem fontem bonorũ, quem parentem omnium, quem factorem, altoremq; viuentium confeſſus es, ademiſti Ioui tuo regnum, eumque ſumma poteſtate depulſum, in miniſtrorum numerum redegiſti. Epilogus itaque te tuus arguit ſtultitiæ, vanitatis, erroris. Affirmas deos eſſe, & illos tamen ſubijcis, & mancipas ei Deo, cuius religionem conaris euertere.

al. exſcindere. B

S C H O L I A.

a Omittam nunc ipſa opera comparare] *lego ex pleriſque antiquis codicibus. nam hic loquitur de comparatione operum Chriſti & Apollonij: qui vero mutauit* computare *hoc fortaſſe fecit, quia continenter loquitur de ſecundo, & quarto libro. Sed illa erant Chriſti, & Apollonij opera, quæ comparare volebat: hoc alterum ad libros ipſius Lactantij pertinet.*

C

b Non idcirco &c.] *habent codices impreſſi. Sed mihi magis placet lectio antiqui codicis,* non ſolum idcirco à nobis Deum creditum Chriſtum quia mirabilia fecit, verum etiam quia videmus, &c. *vt dicatur, illam quidem effectionem miraculorum cauſam quandam fuiſſe, cur Chriſtus Deus creditus ſit, ſed non eam ſolam fuiſſe cauſam, ſed hanc quoq;, quod videmus in eo facta eſſe omnia, quæ multo ante erant à Prophetis prædicta.*

De ſe, & Tertulliano, & Cypriano.

C A P V T IV.

II ergo, de quibus dixi, cum præſente me, ac dolente, ſacrilegas ſuas literas explicaſſent: & illorum ſuperba impietate ſtimulatus, & veritatis ipſius conſcientia, & (vt ego arbitror) Deo, ſuſcepi hoc munus, vt omnibus ingenij mei viribus accuſatores iuſtitiæ refutarem, non vt contra hos ſcriberem, qui paucis verbis obteri poterãt; ſed vt omnes, qui vbique idem operis efficiunt, aut effecerunt, vno ſemel impetu profligarem. Non dubito enim, quin & alij plurimi, & multis in locis, & non modo græcis, ſed etiam latinis literis, monimentum iniuſtitię ſuæ *ſtruxerint. Quibus ſingulis quoniam reſpondere non poteram, ſic agendam mihi hanc cauſam putaui, vt & priores cum omnibus ſuis ſcriptis peruerterem, & futuris omnẽ facultatem ſcribendi, aut reſpondendi amputarem. præbeant modo aures. efficiam profecto, vt quicunque iſta cognouerit aut ſuſcipiat quod ante damnauit, aut, quod eſt proximum, deridere aliquando deſiſtat. Quanquam Tertullianus candẽ cauſam plene perorauerit in eo libro, cui Apologetico nomen eſt: tamen quoniam aliud eſt, accuſantibus reſpondere, quod in defenſione, aut negatione ſola poſitum eſt, aliud inſtituere, quod nos facimus, in quo neceſſe eſt, doctrinæ totius ſubſtantiam contineri; non defugi hunc laborem, vt implerem materiam, quam Cyprianus non exequutus eſt in ea oratione, qua Demetrianum (ſicut ipſe ait) oblatrantem, atq; obſtrepentem veritati, redarguere conatur. qua materia non eſt vſus, vt debuit. non enim ſcripturæ teſtimonijs, quam ille vtique vanam, fictam, commentitiamque putabat, ſed argumentis, & ratione fuerat refellendus. Nã cum ageret contra hominẽ veritatis ignarum, dilatis pauliſper diuinis lectionibus, formare hunc à principio tanquam rudem debuit, eique paulatim lucis principia † monſtrare, ne toto lumine obiecto caligaret. Nam ſicut infans, ſolidi, ac fortis cibi capere vim non poteſt, ob ſtomachi teneritudinẽ, ſed liquore lactis, ac mollitudine alitur; donec firmatis viribus, veſci fortiorib. poſſit: ita & huic oportebat, quia nondum poterat capere diuina, prius humana teſtimonia offerri, id eſt, philoſophorum & hiſtoricorum, vt ſuis potiſſimum refutaretur autoribus. Quod quia ille non fecit, raptus eximia eruditione diuinarum literarum; vt ijs ſolis contentus eſſet, quibus fides conſtat: acceſſi Deo inſpirante, vt ego facerem, & ſimul viam cæteris ad imitandum pararem. † At ſi hortatu noſtro docti homines, ac diſerti huc ſe conferre cœperint; & ingenia ſua, vimque dicendi in hoc veritatis campo iactare maluerint: euanituras breui religiones falſas, & occaſuram eſſe omnem philoſophiam, nemo dubitauerit, ſi fuerit omnibus perſuaſum, cum hanc ſolam religionem, tum etiam ſolam veram eſſe ſapientiam. Sed euagatus ſum longius, quam volebam.

D

al. inſtruxerunt.

E

al. demonſtrare.

F

al. Ac.

De iuſtitia primis ſeculis, & poſterioribus.

C A P V T V.

NVnc reddenda eſt de Iuſtitia propoſita diſputatio; quæ aut ipſa eſt ſumma virtus; aut fons eſt ipſa virtutis: quã nõ modo philoſophi quęſierunt, ſed poetæ quoq;, qui & priores multo fuerunt, & ante natum philoſophiæ nomen pro ſapientibus habebantur. Hi plane intellexerunt, abeſſe hanc à rebus humanis, eamque finxerunt offenſam vitijs hominum, ceſſiſſe terra, in cœlumque migraſſe: atq; vt doceant, quid ſit iuſte viuere (ſolent enim præcepta per ambages dare) à Saturni temporibus, quæ illi vocant aurea, repetunt exempla iuſtitiæ; narrantque in quo ſtatu fuerit humana vita, dum illa in terra moraretur. Quod quidem non pro poetica fictione, ſed pro vero habendum eſt. Saturno enim regnante, nondum deorum cultibus inſtitutis, nec adhuc vlla gente ad diuinitatis opinionem conſecrata, Deus vtique colebatur. Et ideo non erant neq; diſſenſiones, neque inimicitiæ, neque bella.

G

Nondum veſanos rabies nudauerat enſes,

Vt Germanicus Cæſar in Aratæo loquitur carmine:

Nec conſanguineis fuerat diſcordia nota:

Imo ne alienigenis quidem. ſed neque vlli omnino gladij, qui nudarentur, fuerunt. Quis enim præſente ac vigente Iuſtitia, aut de tutela ſui, cum nemo inſidiaretur, aut de pernicie alterius cogitaret, cum nemo quicquam concupiſceret?

Malebant tenui contenti viuere cultu,

vt Cic. in ſuo narrat, quod eſt proprium noſtræ religionis.

H

Ne ſignare quidem, aut partiri limite campum

Fas erat: in medium quærebant. quippe cum Deus communem omnibus terram dediſſet, vt communem degerent vitam; non vt rabida, & furens auaritia ſibi omnia vẽdicaret, nec vlli deeſſet, quod omnibus naſceretur. Quod poetæ dictum ſic accipi oportet; non vt exiſtimemus nihil omnino tum fuiſſe priuati; ſed more poetico figuratum: vt intelligamus, tam liberales fuiſſe homines, vt natas ſibi fruges non includerent, nec ſoli abſconditis incubarent, ſed pauperes ad communionem proprij laboris admitterent.

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.

Nec mirum, cum promptuaria iuſtorum benigne paterẽt omnibus, nec auaritia intercipiens beneficia diuina, famem, ſitimque vulgo faceret, ſed omnes æqualiter abundarent;

A darent, cum habentes non habentibus large, copioſeque donarent. Sed poſtquam Saturnus à filio pulſus, in Latiũq; delatus eſt,

Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis,

Cum iam populus vel noui regis metu, vel ſua ſponte deprauatus, Deum colere deſiſſet; Regemque pro Deo habere cœpiſſet, cum ipſe propemodum parricida, exemplū cæteris eſſet ad violandam pietatem:

Deſeruit propere terras iuſtiſſima virgo.

Sed non, ait Cicero:

Et Iouis in regno, cœlique in parte reſedit.

Quomodo enim poterat in eius regno reſidere, aut commorari, qui patrem regno expulit, bello perſecutus eſt, exulem toto orbe iactauit?

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,

prædarique lupos iuſſit. id eſt, odium, & inuidiam, & dolum hominibus inſeuit, vt tam eſſent, quam ſerpentes venenati; tam rapaces, quam lupi. Quod quidem vere faciunt ij, B qui iuſtos, ac fideles Deo, perſequuntur, dantque iudicibus ſæuiendi aduerſus innocuos poteſtatem. Fortaſſe aliquid eiuſmodi Iupiter * fecerit ad expugnandam, tollendamque iuſtitiam, & idcirco efferaſſe ſerpentes, ac lupos acuiſſe tradatur. [al. fecerat.]

Tum belli rabies, & amor ſucceſſit habendi:

Neque immerito. ſublata enim Dei religione, boni quoque, ac mali ſcientiam perdiderunt. ſic hominib. intercidit communitas vitæ; & diremptum eſt fœdus ſocietatis humanæ. Tum inter ſe manus conſerere cœperunt, & inſidiari, & gloriam ſibi ex humano ſanguine comparare.

De vitiis temporum deprauatorum.

CAPVT VI.

QVarum omnium malorum fons, cupiditas erat: quæ ſcilicet ex contemptu veræ maieſtatis erupit. nō tantum enim non participabant alijs ij, quibus aliquid affluebat, ſed aliena quoque rapiebant, in priuatum lucrum trahentes omnia, & quæ antea in vſus hominum etiam ſinguli laborabant, in paucorum domos conferebãtur. Vt enim C ſeruitio cæteros ſubiugarent, in primis neceſſaria vitæ ſubducere, & colligere cœperunt; eaque firmiter concluſa ſeruare, vt beneficia cœleſtia, facerent ſua; non propter humanitatem, quæ nulla in ipſis erat; ſed vt omnia cupiditatis, & auaritiæ inſtrumenta corraderent. a leges etiam * ſibi nomine iuſtitiæ, iniquiſſimas, iniuſtiſſimaſque ſanxerunt; [al. ſub.] quibus rapinas, & auaritiam ſuam contra vim multitudinis tuerentur. Tantum igitur auctoritate, quãtum viribus, aut opibus, aut malitia præualebant. Et quoniam nullum in his veſtigium iuſtitiæ fuit, cuius officia ſunt humanitas, æquitas, miſericordia: iam ſuperba & tumida inæqualitate gaudebant, altioreſque ſe cæteris hominibus, ſatellitum comitatu, & ferro, & inſigni veſte faciebant. Hinc honores ſibi, & purpuras, & faſces inuenerunt; vt ſecurium, gladiorumque terrore ſubnixi, quaſi iure dominorum perculſis, ac pauentibus imperarent. In hac conditione humanam vitam rex ille conſtituit, qui debellato, ac fugato parente, non regnum, ſed impiam tyrannidem vi, & hominibus armatis occupauit, & aureum illud, iuſtumque ſeculum ſuſtulit, coegitque homines, malos & impios fieri, vel ex hoc ipſo; ꝙ ipſos auertit à Deo ad ſe adorandum: D quod terror inſolentiſſimæ poteſtatis expreſſerat. Quis enim non metueret eum, quem arma cingebant, quem ferri, & gladiorum fulgor inſuetus circundabat? aut cui parceret alieno, qui ne patri quidem ſuo pepercerat? Quem vero metueret, qui Titanum robuſtam, & excellentem viribus gentem bello vicerat, occidione deleuerat? Quid mirum, ſi omnis multitudo, inſolito metu preſſa, in vnius adulationem conceſſerat? hunc venerabantur; huic honorem maximum deferebant. Et quoniam mores, ac vitia regis imitari, genus obſequij iudicatur, abiecerũt omnes pietatem; ne exprobrare regi ſcelus viderentur, ſi pie viuerent. Sic aſſidua imitatione corrupti, diuinum fas reliquerunt; & paulatim male viuendi conſuetudo, mos factus eſt. Nec iam quicquam ex antecedentis ſeculi pio, atque optimo ſtatu manſit, ſed exploſa iuſtitia, & veritatem ſecum trahens, reliquit hominibus errorem, ignorantiam, cæcitatem. E Imprudenter igitur poetę, qui eam confugiſſe cecinerunt ad Iouis regnum. Si enim ſeculo, quod vocant aureū, iuſtitia in terra fuit; à Ioue vtique pulſa eſt, qui aureum ſeculum commutauit. Seculi autem commutatio, & expulſio iuſtitiæ, nihil aliud, vt dixi, quam deſertio diuinæ religionis putanda eſt; quæ ſola efficit, vt homo hominem carum habeat, eumque ſibi fraternitatis vinculo ſciat eſſe conſtrictum: ſiquidem pater idem omnibus Deus eſt, vt Dei, patriſque communis beneficia cum ijs, qui nō habẽt, partiatur; nulli noceat, nullum premat, non fores claudat hoſpiti, non aurem precanti, ſed ſit largus, beneficus, liberalis: quas regias eſſe laudes Tullius exiſtimauit. Hæc eſt profecto iuſtitia, & hoc aureum ſeculum, quod Ioue primum regnante corruptum, mox & ipſo, & omni eius progenie conſecrata, Deorumque multorum ſuſcepto cultu, fuerat omne ſublatum. F

SCHOLIA.

a Leges etiam ſibi iuſtitiæ nomine munitas] *legitur in libris impreſſis*, leges etiam ſub iuſtitiæ nomine iniquiſſimas, *habet codex antiquus, quod mihi probatur. & cauſſa mutationis apparet, quia ex*, ſub, *factum eſt*, ſibi, u, *in duplex*, i, *mutato, quæ tamen dictio in eo loco non bene eſt adiecta, aliud vero*, munitas, *additum eſt, vt oratio eſſet Latina.*

De Ieſu Aduentus fructu: & virtute & vitiis.

CAPVT VII.

SEd Deus, vt parens indulgentiſſimus, appropinquante vltimo tempore, nuntium ſuum miſit, qui vetus illud ſeculum, fugatamque iuſtitiam reduceret, ne humanum genus maximis, & perpetuis agitaretur erroribus. Redijt ergo ſpecies illius aurei temporis, & reddita quidem terræ, ſed paucis aſſignata iuſtitia eſt, quæ nihil aliud eſt, quam Dei vnici pia & religioſa cultura. Sed moueat aliquem fortaſſe; cur ſi hæc ſit iuſtitia, non omni humano generi ſit data, nec in ea multitudo vniuerſa conſenſerit. Magnæ hoc G diſputationis eſt, cur à Deo, cum iuſtitiam terræ daret, ſit retenta diuerſitas: quod & alio loco declaraui, & vbicunq; opportune inciderit, explicabitur. Nunc deſignare id breuiſſime ſatis eſt: Virtutem aut cerni non poſſe, niſi habeat vitia contraria, aut non eſſe perfectam, niſi exerceatur aduerſis. Hanc enim Deus bonorum, ac malorum voluit eſſe diſtantiam, vt qualitatem boni ex malo ſciamus, item mali ex bono, nec alterius ratio intelligi ſublato altero poteſt. a Deus ergo non excluſit malum; vt ratio virtutis conſtare poſſet. Quomodo enim patientia vim ſuam, nomenque retineret, ſi nihil eſſet, quod pati cogeremur? Quomodo laudem mereretur deuota Deo ſuo fides, niſi eſſet aliquis, qui à Deo vellet auertere? Nam ideo potentiores eſſe iniuſtos permiſit, vt cogere ad malum poſſent, ideo plures, vt virtus eſſet pretioſa, † quod rara eſt. [al. quæ] Quod quidem ipſum Quintilianus egregie, ac breuiter oſtendit in capite obuoluto. Nam quæ, inquit, virtus eſſet innocentia niſi laudem raritas dediſſet? Verum quia natura ſic comparatum eſt, vt odium, cupiditas, ira, in id, quod incubuerint, agant cęcos, ſupra hominem videtur culpa vacare. H Alioqui ſi natura pares omnibus † affectibus dediſſet, pietas nihil erat. [al. affectus.] Hoc quam verum ſit, docet neceſſitas ipſa rationis. Si enim virtus eſt, malis, ac vitijs fortiter repugnare, apparet, ſine malo, ac vitio nullam eſſe virtutem, quam Deus, vt abſolutā, perfectamque redderet, retinuit id, quod erat ei contrariū; cum quo depugnare poſſet. Agitata enim malis quatientibus, ſtabilitatem capit, & quanto frequentius impellitur, tanto firmius roboratur. Hæc nimirum cauſa efficit, vt quamuis ſit hominibus miſſa iuſtitia, tamen aureum ſeculum non eſſe dicatur, quia malum non ſuſtulit, vt retineret diuerſitatem; quę ſacramentum diuinæ religionis continet ſola.

A

Scholia.

a Deus ergo non excluſit malum] *habent pleriq; codices antiqui, ſic vt duæ illæ dictiones, iuſtitiam reducturus, expungantur, quæ ſane ex margine videntur fuiſſe tranſlatæ. In hoc ſane capite multa videtur dicere Lactantius, quibus videatur quodam modo auctorem mali facere Deum. Verum ſi recte ſingula conſiderentur, hoc ipſe non aſſerit: namque aut dicit Deum malum non excludere, vel permittere, vt virtus tam quo pugnet habeat. hoc etiam in loco atque alibi, tam de malis agit, nomine malorum, ſæpe non tam res ipſas turpes, vel turpitudinem earum intelligit, quam res aduerſas, & naturæ contrarias, vt infelices euentus, venena, & ſimilia: quæ proprie, & per ſe mala nõ ſunt, ſed quia nobis ſunt noxia, vulgo mala vocantur. Idẽ vero, quod hic ait Lactantius, dixit Ambroſius in expoſitione Pſal. 128. Ser. 16. tantum quæ Lactantius more vulgi vocauit mala, illa nominauit auſtera: & mala, inquit, non creauit Deus, ſed hæc, quæ videntur nobis auſtera, verbera, mors, & huiuſmodi alia quæ propter emẽ-*

B *dationem præſcripta ſunt noxiorum. In malo etiam & quoniam peccato, ſicut Theologi, & in primis Auguſt. l. 5. c. 3. contra Iulianum late diſputat, duo conſiderari poſſunt, turpitudo ipſa, & pœna: ac turpitudo nihil pertinet ad Deum, pœna tamen recte dicitur Deus auctor eſſe, & hac quidem diuiſione poterit vere defendi hoc loco Lactantius, quamuis quod ante diximus commodius videatur verbis Lactantij poſſe aptari. Si cui tamen videtur hic Lactantius dicere Deum ſimpliciter eſſe mali auctorem, ſciat nos eam opinionem quam maxime execrari, ac propterea hunc laborem ſuſcipere, vt videatur ea opinio nullos auctores, præter Manichæos habuiſſe.*

De iuſtitia, continentia: & veri Dei cultu.

CAPVT VIII.

QVi ergo putant, iuſtum eſſe neminem, ante oculos habent iuſtitiam, ſed eam nolunt cernere. Quid eſt enim, cur illam vel in carminibus, vel in omni ſermone deſcribant, conquerentes eius abſentiam; cum ſit facillimũ, bonos eſſe, ſi velint? Quid vobis inanem iuſtitiam depingitis, & optatis cadere de cælo tanquam in aliquo ſimulachro figuratam? Ecce in conſpectu veſtro eſt, ſuſcipite, ſi poteſtis; eamque in domicilio veſtri pectoris colloca-
C te. nec difficile, aut alienum à temporibus exiſtimetis. Eſtote æqui, ac boni, & ſequetur vos ſua ſponte iuſtitia, quam quæritis. Deponite omnem malam cogitationem de cordibus veſtris & ſtatim vobis illud tempus aureum reuertetur, quod aliter conſequi non poteſtis, quàm ſi Deum verum colere cœperitis. Vos autem manente cultu Deorum, iuſtitiam deſideratis in terra? quod fieri nullo pacto poteſt, ſed ne tum quidem potuit, cum putatis, quia nondum natis Dijs eſtis, quos impie colitis, neceſſe eſt vnius Dei cultum fuiſſe per terram, eius ſcilicet qui execratur malitiam, exigitque bonitatem: cuius templum eſt, non lapides, aut lutum, ſed homo ipſe, qui figurã Dei geſtat. Quod templum non auro, & gemmarum donis corruptibilibus, ſed æternis virtutum muneribus ornatur. diſcite igitur (ſiquid vobis reliquæ mentis eſt) homines ideo malos, & iniuſtos eſſe, quia Dij coluntur, & ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingraueſcere, quia Deus huius mundi effector, & gubernator derelictus eſt; quia ſuſceptæ ſunt contraquam fas eſt, impiæ religiones: poſtremo quia ne
D coli quidem vel à paucis Deum ſinitis. Quod ſi ſolus Deus coleretur, non eſſent diſſenſiones, & bella; cum ſcirent homines vnius ſe Dei filios eſſe, ideoque diuinæ neceſſitudinis ſacro, & inuiolabili vinculo copulatos. nullæ fierent inſidiæ, cum ſcirent cuiuſmodi pœnas Deus animarum interfectoribus præparet, qui clandeſtina ſcelera, & ipſas etiam cogitationes præuidet. non eſſent fraudes, neque rapinæ, ſi Deo præcipiente didiciſſent & ſuo & paruo eſſe cõtenti, fragilibus, & caducis ſolida, & æterna præferrent. Nõ eſſent adulteria, & ſtupra, & mulierum proſtitutiones, ſi omnibus notum eſſet damnari à Deo, quicquid appetitur vltra generandi cupiditatem. Nec fœminam neceſſitas cogeret pudorem ſuum profanare vt victum ſibi obſcœniſſimum quærat, cum & mares libidinem * contemnerẽt,
conti- & habentium pia & religioſa collatio, non habentib. ſub-

E uenirec. Non eſſent multa, vt dixi, hęc omnia in terris mala, ſi ab hominibus in legem Dei conuraretur; ſi ab vniuerſis fierent, quæ vnus noſter populus operatur. quam beatus eſſet, quamque aureus humanarum rerum ſtatus, ſi per totum orbem manſuetudo, & pietas, & pax, & innocentia, & æquitas, & temperantia, & fides moraretur! Deniq; ad regendos homines, non opus eſſet tam multis, & tam varijs legibus; cum ad perfectam innocentiam, Dei lex vna ſufficeret: neque carceribus, neque gladijs præſidium, neque terrore pœnarum; cum præceptorum cæleſtium ſalubritas, humanis pectorib. infuſa, vltro iuſtitiæ opera homines erudiret. Nunc autem mali ſunt ignoratione recti, ac boni. quod quidem Cicero vidit. diſputans enim de legibus; Sicut vna, inquit, eademque natura, mundus omnibus partibus inter ſe congruentibus cohæret, ac nititur, ſic omnes homines inter ſe natura confuſi, prauitate diſſentiunt, nec ſe intelligunt eſſe conſanguineos, & ſubiectos omnes ſub vnam, eandemque tutelam. quod ſi teneretur,
F Deorum profecto vitam homines viuerent. Vniuerſis igitur mala, quibus humanum genus ſeipſum inuicem conficit, iniuſtus, atque impius Deorum cultus induxit. Nec enim poterant retinere pietatem, qui communem omniũ patrem Deum tanquam prodigi, ac rebelles liberi abnegaſſent.

De ſceleribus impiorum, & Chriſtianorum cruciatibus.

CAPVT IX.

NOnnunquam tamen ſentiunt, ſe malos eſſe, & veterum ſeculorum ſtatum laudant, & de ſuis moribus, meritiſq; coniectant, abeſſe iuſtitiam: quam obuerſantem oculis ſuis non tantum non ſuſcipiunt, nec agnoſcunt; verum etiam violenter oderunt, & perſequuntur, & exterminare contendunt. Fingamus hanc interim non eſſe iuſtitiam, quam nos ſequimur, quomodo, ſi illa venerit, quã veram putant, eam recipient? qui laniant, & occidunt eos, quos & ipſi fatentur, imitatores eſſe iuſtorum, quia bona operentur, & iuſta, cum ſi tantummodo malos occiderẽt,
G digni eſſent, ad quos iuſtitia non veniret, cui nulla fuit alia cauſa linquendi terram, quã humani cruoris effuſio. Quãto magis, cum pios interficiant & ipſos iuſtitiæ ſectatores pro hoſtibus ducant, imo vero plus quam pro hoſtibus? quib. vtiq; cũ animas eorũ, & opes, & liberos ferro, & igni appetant, tamen parcitur victis; & eſt locus inter arma clementię: aut ſi adeo ſæuire placuit, nihil plus in eos fit, quã vt occidantur, vel in ſeruitutem abducantur. Hoc vero inenarrabile eſt, quod fit aduerſus eos, qui male facere neſciũt. Et nulli nocentiores habentur, quam qui ſunt ex omnib. innocẽtes. Audent igitur homines improbiſſimi, iuſtitiæ facere mentionem, qui feras immanitate vincunt, qui placidiſſimum Dei gregem vaſtant, lupi ceu Raptores atra in nebula, quos improba ventris Exegit cæcos rabies. Verum hos non ventris, ſed cordis rabies efferauit, nec atra in nebula, ſed aperta prędatione graſſantur, nec eos vnquam conſcientia ſcelerum reuocat, ne ſanctum ac pium nomẽ iuſtitiæ, ore illo violent, quod cruore innocentium tanquam rictus beſtiarum madet. Huius tanti, & tam per-
H tinacis odij quam potiſſimum cauſam eſſe dicamus? Vtrũne veritas odium parit, vt ait Poeta, quaſi diuino ſpiritu inſtinctus: an erubeſcunt coram iuſtis, & bonis eſſe nequã? an potius vtrumque? Nam & veritas ideo ſemper inuiſa eſt, quod is, qui peccat, vult habere liberum peccandi locum, nec aliter ſe putat malefactorum voluptate ſecurius perfrui poſſe, quam ſi nemo ſit, cui delicta non placeant. Ergo tanquam ſcelerum, & malitiæ ſuæ teſtes exturpare funditus oriuntur, & tollere, grauesq; ſibi putant tanquam vita eorum coarguatur. Cur enim ſint aliqui intempeſtiue boni, qui corruptis moribus publicis, conuitium bene viuendo faciant? cur non omnes ſint æque mali, rapaces, impudici, adulteri, periuri, cupidi, fraudulenti? quin potius auferantur, † quos coram male viuere, pudet, qui peccantium frontem, & ſi non verbis, quia tacent, tamen ipſo viuẽ- al. quibus
genere diſſimili feriunt, & verberant. Caſtigare enim videtur,

A dctur, quicunque diſſentit. Nec eſt magnopere mirãdum, ſi aduerſus homines iſta fiunt; cum aduerſus ipſum Deum, propter eandem cauſam, inſurrexerit etiam populus in ſpe conſtitutus, nec Dei neſcius, ſequiturque iuſtos eadem neceſſitas quæ ipſum iuſtitiæ violauit auctorem. Vexant ergo, & exquiſitis pœnarum generibus excruciant: parumque habent interficere, quos oderunt, niſi etiam crudelitas corporibus illudat. Si qui autem doloris, vel mortis metu, vel ſuapte perfidia, cæleſte ſacramentum deſeruerint, & ad funeſta ſacrificia conſenſerint, eos laudant, & honoribus mactant, vt eorum exemplo cæteros illiciant. Qui autem magni æſtimauerint fidem, cultoreſque ſe Dei non abnegauerint, in eos vero totis carnificinæ ſuæ viribus, velut ſanguinem ſitiant, incumbunt, & deſperatos vocant, quia corpori ſuo minime parcunt: quaſi quicquã deſperatius eſſe poſſit, quam torquere, ac dilaniare eum, quem ſcias eſſe innocentem. Adeo nec pudor vllus apud eos ſupereſt, à quibus abeſt omnis humanitas: & retorquẽt

B in homines iuſtos conuitia ſibi congruentia. Impios enim vocant ipſi ſcilicet pij, & ab humano ſanguine abhorrentes, cum ſi & actus ſuos conſiderent, & illorum, quos tanquam impios damnant, iam † intelligant, quam mendaces ſint, & iis omnibus, quæ aduerſus bonos aut dicunt, aut faciunt, digniores. Non enim de noſtro, ſed ex illorum numero ſemper exiſtunt, qui vias obſideant armati, maria prædentur, vel ſi palam graſſari non licuit, venena clã temperent, qui vxores necent, vt dotes earum lucrentur, aut maritos vt adulteris nubant, qui natos ex ſe pueros aut ſtrangulent, aut ſi nimium pij fuerint, exponant, qui libidines inceſtas nec à filia, nec à ſorore, nec à matre, nec à ſacerdote contineant, qui aduerſus ciues ſuos, patriamq; coniurent, qui nec culeum metuant, qui denique ſacrilegia committant, & Deorum, quos colunt, templa diſpolient, &, vt quæ leuia ſunt, atque ᵃ inuſitata dicamus, qui hæreditates captent, teſtamenta ſupponant, iuſtos hæredes vel auferant, vel excludant, qui corpora ſua libidinibus proſtituant, qui denique immemores, quid nati ſint, cum fœminis patientia certent, qui ſanctiſſimam quoque corporis ſui partem contra fas omne polluant, & profanent, qui virilia ſua ferro metant, &, quod eſt ſceleratius, vt ſint religionis antiſtites, qui ne vitæ quidem ſuæ parcant, ſed ex-

C tinguendas publice animas ſuas vendant: qui ſi iudices ſedeant, aut immeritos perdant mercede corrupti, aut noxios impune dimittant, qui cælum quoque ipſum veneficijs appetãt, tanquã illorũ malitiam terra non capiat. Hęc inquam, & his plura ſcelera vtique ab ijs fiunt, qui Deos colunt. Quis inter hæc tot, ac tanta iuſtitiæ locus eſt? Et ego de multis pauca collegi, non vt arguerem, ſed vt oſtenderem. Qui volent ſcire omnia, Senecæ libros in manũ ſumant, qui morum, vitiorumque publicorum & deſcriptor veriſſimus, & accuſator acerrimus fuit. Sed Lucilius tenebroſam iſtam vitam circumſcripſit, breuiterque depinxit his verſibus:

Nunc vero à mane ad noctem, feſto, atque profeſto
Totus item pariterque die, populuſque, patreſque
Iactare, † induſtriſe omnes; decidere nuſquam.
Vni ſe atque eidem ſtudio omnes dedere, & arti,
Verba dare vt caute poſsint; pugnare, doloſe
Blandiri, certare, bonum ſimulare virum ſe;
Inſidias facere, vt ſi hoſtes ſint omnibus omnes.

Noſtro autem populo quid horum poteſt obijci, cuius omnis religio eſt, ſine ſcelere, ac ſine macula viuere? Cum igitur videant & ſe, ac ſuos ea, quæ diximus gerere, noſtros

D autem nihil aliud operari, niſi æquum, & bonum, poterant, ſi quid ſaperent, ex hoc intelligere, & illos, qui bonũ faciunt, pios eſſe, & ſe impios, qui nefanda committunt. neque enim fieri poteſt, vt qui in omnibus vitæ ſuæ actib. non errant, in ipſa ſumma errent, hoc eſt, in religione; quæ rerum omnium caput eſt. ᵇImpietas enim ſuſcepta in eo, quod eſt ſummum per cætera vniuerſa * ſequeretur. Atque fieri non poteſt, vt ipſi, qui errant in omni vita, & in religione fallantur. quoniam pietas in ſummo regulam tenẽs, tenorem ſuum ſeruaret in cæteris. Ita fit vt in vtraque parte de conditione rerum, quæ geruntur, qualis ſit ſumma ipſa noſcatur.

al. intelligent.

al. illis vſitata.

al. induſtrioſi.

al. ſequitur eoque. al. quæreretur? atqui.

E

S c h o l i a.

a Leuia ſunt, atque inuſitata] *erat in libris impreſsis.* leuia ſunt, atque illis vſitata, *lego ex antiquo codice. nam hæc teſtamentorum ſuppoſitio apud gentiles valde erat vſitata. quo nomine M. Craſſus, qui vnus erat ex Principibus Rom. reipub. male audiuit. quod cum in Principe accideret, quid de alijs credendum eſt? cumque ante dixerit leuia, neceſſario legendum eſt, vſitata.*

b Impietas enim ſuſcepta in eo quod eſt ſummum per cætera vniuerſa quæreretur? atqui fieri non poteſt) *legitur in antiquo codice, cuius loci ſenſum, quia viſum eſt aliquibus ad intelligendum difficile, ij eo aliqua mutarunt, cui tandem recentiores vlceriſcum impegerant. ſenſus hic eſſe videtur in priori parte vt doceat eos, qui in religione errant, in omnibus quoque vitæ rationibus errare. legendũ vero eſt hoc prius membrum per interrogationem: quaſi dicat, impietas ſuſcepta in religione, in alijs vitæ rationibus deſiderari poterit? quod perinde eſt, ac ſi dicat: non quæretur, vel non deſiderabitur. atqui fieri non poteſt, &c. hæc alia pars probat ex prauitate aliarũ actionum, prauitatem religionis. Itaque docet hæc valde inuicem eſſe coniuncta, vt qui peccat in omnibus vitæ actionibus, in religione peccet: & contra qui errat in religione, in alijs quoq; omnibus erret. Antonio tamen Auguſtino Epiſcopo Ilerdæ viro doctiſſimo, cum quo hæc & omnes notas communicaui, magis placet vulgaris lectio:* per cætera vniuerſa ſequitur, eoque fieri non poteſt, &c. *vt ſit ſenſus, impietatem in ſummo ſuſceptam, id eſt, errorem in religione, per cætera vniuerſa ſequi. ex quo colligit:* eoque. *&c. quæ ſane lectio mihi quoque, re melius conſiderata, multum probatur.*

F

De falſa pietate: & ibi reprehenſio Aeneæ: & de falſa & vera religione.

CAPVT X.

Operæ pretium eſt, cognoſcere illorum pietatem, vt ex ijs, quæ clementer, ac pie faciũt, poſſit intelligi, qualia ſint, quæ ab his contra iura pietatis geruntur. Ac ne quẽ videar inclementer inceſſere, aliquã mihi perſonam poeticam ſumam, quæ ſit vel maximum pietatis exemplum. Apud Maronem rex ille,

G

—Quo iuſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis,
Quæ nobis documenta iuſtitiæ protulit?
Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret vmbris
Inferias cæſo ſparſurus ſanguine flammas.

Quid poteſt eſſe hac pietate clementius: quam mortuis humanas victimas immolare: & ignem cruore hominum, tanquam oleo paſcere? Sed fortaſſe hoc non ipſius vitium fuerit, ſed poetæ, qui illum inſignem pietate virum, inſigni ſcelere fœdauerit. Vbi eſt igitur, ô poeta, pietas illa, quã ſæpiſſime laudas?

al. tum.

*Ecce plus Æneas,

—Sulmone creatos
Quattuor hic iuuenes, totidem quos educat Vphens,
Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris;
Captiuoque rogi perfundat ſanguine flammas.

Cur ergo dicebat eodem ipſo tempore, quo vinctos homines ad immolationem mittebat: Equidem & viuis concedere vellem; cum quos viuos habebat in poteſtate, vice pecudum iuberet occidi? Sed hæc, vt dixi, culpa non illius fuit; qui literas fortaſſe non didicerat, ſed tua, qui, cum eſſes eruditus, ignoraſti tamen, quid eſſet pietas, & illud ipſum, quod nefarie, quod deteſtabiliter fecit, pietatis eſſe officium credidiſti. videlicet ob hoc vnum pius vocatur, quia patrem dilexit. Quid quod bonus Æneas haud aſpernanda precanteis trucidauit? adiuratus enim per eundem patrem, & ſpes ſurgentis Iuli, nequaquam pepercit, furijs accenſus, & ira. Quiſquamne igitur hunc putet aliquid in

H ſe virtutis habuiſſe, qui & furore, tanquam ſtipula, exarſerit, & manium patris, per quem rogabatur, oblitus, iram frenare nequiuerit? Nullo igitur modo pius, qui non tantum non repugnantes, ſed etiam precantes interemit. Dicet hic aliquis: Quæ ergo, aut vbi, aut qualis eſt pietas? Nimirum apud eos, qui bella neſciunt, qui concordiam cum omnibus ſeruant, qui amici ſunt etiam inimicis, qui om-

A oes homines pro fratribus diligũt; qui cohibere irã ſciunt, omnemque animi furorem tranquilla moderatione lenire. Quanta igitur caligo, quanta tenebrarum, & errorum nubes, hominum pectora obduxit, qui cũ ſe maxime pios putant, tum maxime fiunt impij. Quanto enim religioſius terrenis iſtis ſimulachris inſeruiunt, tanto magis ſcelerati aduerſus nomen veræ diuinitatis exiſtunt. Itaq; pro merito impietatis ſuæ grauioribus malis ſæpe vexãtur, quorum cauſam quia neſciunt, fortunæ culpa omnis aſcribitur, & locum inuenit Epicuri philoſophia, nihil ad deos pertinere cenſentis, nec gratia eos tangi, nec ira moueri: quia & contemptores eorum ſæpe videant beatos, & cultores ſæpe miſeros. Quod eo fit, quia cum religioſi videantur, & natura boni, nihil tale credunt ſe mereri, quale ſæpe patiuntur. Conſulantur ſe tamen accuſatione fortunæ; nec ſentiunt, quod ſi eſſet vlla, cultoribus ſuis nunquam noceret. Merito igitur huiuſmodi pietatem pœna conſequitur, & offenſa diuinitas ſcelere hominum prauè religioſorum

B grauiter eos infortunio mactat; qui licet ſanctis moribus viuant, in ſumma fide, atque innocentia; tamen, quia deos colunt, quorum ritus impios, ac profanos Deus verus odio habet, à iuſtitia, & nomine veræ pietatis alieni ſunt. Nec eſt difficile docere, cur Deorum cultores, boni, & iuſti eſſe non poſſint. Quomodo enim ſanguine abſtinebunt, qui colunt cruentos Deos, Martem, atque Bellonam? quomodo aut parentibus parcent, qui expulſorem patris ſui Iouem? aut natis ex ſe infantibus, qui Saturnum? quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt deam nudam, & adulteram, & quaſi apud Deos proſtitutam? quomodo ſe à rapinis, & fraudibus abſtinebunt, qui Mercurij furta nouerunt, docentis, non fraudis eſſe, decipere, ſed aſtutiæ? quomodo libidines coercebunt, qui Iouem, Herculem, Liberum, Apollinem, cæteroſque venerantur; quorum adulteria, & ſtupra in mares, & fœminas non tantum doctis nota ſunt, ſed exprimuntur etiam in theatris, atque cantantur, vt ſint omnibus notiora? Poſſuntne inter hæc iuſti eſſe homines, qui etiamſi natura ſint boni, ab ipſis tamen dijs erudiantur ad * iuſtitiam? Ad placandum enim Deum, quem

al. iniuſtitiam.

C colas, ijs rebus opus eſt, quibus illum gaudere, ac delectari ſcias. Sic fit, vt vitam colentium Deus pro qualitate numinis ſui formet, quoniam religioſiſſimus eſt cultus; imitari.

De crudelitate aduerſus Chriſtianos.

CAPVT XI.

IIs igitur hominibus, qui Deorum ſuorum moribus congruunt, quia grauis eſt, & acerba iuſtitia, eandem impietatem ſuam, qua in cæteris rebus vtuntur, aduerſus iuſtos violenter exercent. Nec immerito à prophetis beſtiæ nominantur. Præclare itaque M. Tullius: Etenim ſi nemo eſt, inquit, quin emori malit, quam conuerti in aliquam figuram beſtiæ, quamuis hominis mentẽ ſit habiturus, quanto eſt miſerius, in hominis figura, animo eſſe efferato? mihi quidem tanto videtur, quanto præſtabilior eſt animus corpore. Aſpernantur itaque corpora belluarum quibus ſunt ipſi ſæuiores, ſibiq; adeo placent, quod homines nati ſunt, quorum nihil, niſi lineamenta, & ſummam figuram gerũt.

D Nam quis Caucaſus, quæ India, quę Hyrcania tam immanes, tam ſanguinarias vnquam beſtias aluit? Quoniam ferarum omnium rabies vſq; ad ventris ſatietatem furit; fameque ſedata, protinus conquieſcit. Illa eſt vera beſtia, cuius vna iuſſione

Funditur ater vbique cruor, crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Nemo huius tantæ belluæ immanitatem poteſt pro merito deſcribere, quæ vno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis ſæuit, & non tantum artus hominum diſſipat, ſed & oſſa ipſa comminuit, & in cineres furit, ne quis exiet ſepulturæ locus. quaſi vero id affectẽt, qui Deum confitentur, vt ad eorum ſepulchra veniatur, ac nõ vt ipſi ad Deum perueniant. Quænam illa feritas, quæ inſania eſt, lucem viuis, terram mortuis denegaſſe? Dico

E igitur, nihil eſſe miſerius ijs hominibus, quos miniſtros furoris alieni, quos ſatellites impiæ iuſſionis neceſſitas aut inuenit, aut fecit. Non enim honor ille, aut prouectu dignitatis fuit, ſed hominis damnatio ad carnificinam, Dei vero ad pœnam ſempiternam. Quæ autem per totum orbem ſinguli geſſerint, enarrare, impoſſibile eſt. Quis enim voluminum numer⁹ capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? Accepta enim poteſtate pro ſuis morib. quiſque † ſæuit. Alij præ nimia timiditate, plus auſi ſunt, quam iubebantur. Alij ſuo proprio aduerſus iuſtos odio; quidam naturali mentis feritate, nonnulli vt placerent, & hoc officio viam ſibi ad altiora munirent, aliqui ad occidendum præcipites extiterunt, ſicut vnus in Phrygia, qui vniuerſum populum cum ipſo pariter conuenticulo concremauit. Sed hic quanto ſæuior, tanto clementior inuenitur. Illud vero peſſimum genus eſt, cui clementiæ ſpecies falſa blanditur, ille grauior, ille ſæuior eſt carnifex, qui neminem ſtatuit occidere. Itaque dici non poteſt, huiuſmodi iudices quanta, & quam grauia tormentorum genera excogitauerint, vt

al ſæuit.

F ad effectum propoſiti ſui peruenirent. Hæc autem nõ tantum ideo faciunt, vt gloriari poſſint, nullum ſe innocentium peremiſſe (nã & ipſe audiui aliquos gloriantes, † quia administratio ſua, in hac parte, fuerit incruenta) ſed & inuidiæ cauſa, ne aut ipſi vincantur, aut illi virtutis ſuæ gloriã conſequantur. Itaque in excogitandis pœnarũ generibus, nihil aliud, quam victoriam excogitant. Sciunt enim, certamen eſſe illud, & pugnam. Vidi ego in Bithynia, præſidem gaudio mirabiliter elatum, tanquam Barbarorum gentem aliquam ſubegiſſet, quod vnus, qui per biennium magna virtute reſtiterat, poſtremo cedere viſus eſt. Contendunt igitur, vt vincant, & exquiſitos dolores corporib. immittunt, & nihil aliud deuitant, quam vt ne torti moriantur. Quaſi vero mors tantummodo beatos faciat, ac non etiam tormenta, quæ quanto fuerint grauiora, tanto *maiorem virtutis gloriam pariant. Illi autem pertinaci ſtoltitia iubent, curam tortis diligenter adhiberi, vt ad alios cruciatus membra renouẽtur, & reparetur nouus ſanguis ad pœnam. Quid tam pium, tam beneficum, tam humanum fieri poteſt? non curaſſent tam ſolicite, quos amarent. Hæc eſt Deorum diſciplina. Ad hæc opera cultores

quod.

al. maiora

G ſuos erudiunt, hæc ſacra deſiderant. Quin etiam ſceleratiſſimi homicidæ contra pios iura impia condiderunt. nam & conſtitutiones ſacrilegæ, & diſputationes Iuriſperitorum leguntur iniuſtæ. Domitius de officio Proconſulis * a libris ſeptem reſcripta principum nefaria collegit, vt doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confiterentur.

a.. libro ſeptimo. l

S C H O L I A.

a Libro ſeptimo reſcripta] *legendum eſt ex antiquis codicibus. nam ſi de his reſcriptis libros ſeptem confeciſſet, totum opus de officio proconſulis contineret centum libros, quod mihi abſurdum videtur. fuit autem facilis occaſio errandi, cum ſic eſſet ſcriptum lib. vij vt imperitus ſcriptor iudicarit, libris ſeptem eſſe ſcribendum. fuit autem is Domitius Vlpianus, cuius multa ſunt capita in titulo de offi. proconſulis.*

De veritate virtutis, & exiſtimatione.

CAPVT XII.

H QVid ijs facias, qui ius vocant carnificinas veterũ tyrãnorum aduerſus innocentes rabide ſæuientiũ? Et cum ſint iniuſtitiæ, crudelitatiſq; doctores; iuſtos ſe eſſe tamen, ac prudentes videri volunt, cæci, & hebetes, & rerũ, & veritatis ignari. Adeone vobis, ô perditæ mentes, inuiſa iuſtitia eſt, vt eam ſummis ſceleribus adæquetis? Adeone apud vos perit innocentia. vt ne morte quidem ſimplici dignã iudicetis? Sed ſupra omnia facinora habeatur, nullum facinus admittere; pectuſque purum ab omni ſceleris contagione præſtare. Et quoniam communiter cum Deorum cultoribus loquimur, liceat per vos benefacere vobiſcum. Hæc eſt enim lex noſtra, hoc opus, hæc religio.

Si vo-

A Si vobis ſapientes videmur, imitamini: ſi ſtulti, contemnite, aut etiam ridete, ſi libet: nobis enim ſtultitia noſtra prodeſt. Quid laceratis? quid affligitis? non inuidemus ſapientiæ veſtræ. Hanc ſtultitiam malumus, hanc amplectimur. Hoc nobis credimus expedire, vt vos diligamus, & in vos ipſos, qui odiſtis, omnia conferamus. Eſt apud Ciceronem non abhorrens à vero locus, in ea diſputatione, quæ habetur à Furio contra iuſtitiam. Quæro, inquit, ſi duo ſint, quorum alter optimus vir, æquiſſimus, ſumma iuſtitia, ſingulari fide; alter inſigni ſcelere & audacia, & ſi in eo ſit errore ciuitas, vt bonum illum virum ſceleratum, facinoroſum, nefarium putet; contrà autem, qui ſit improbiſſimus, exiſtimetur eſſe ſumma probitate, ac fide, proque hac opinione omnium ciuium bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, vratur, exterminetur, egeat: poſtremò, iure etiam optimo omnibus miſerrimus eſſe videatur: contrà autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes denique copiæ conferantur: vir B denique optimus omnium exiſtimatione, & digniſſimus omni fortuna iudicetur. Quis tandem erit tam demens, qui dubitet, vtrum ſe eſſe malit? Profectò quaſi diuinaret quæ nobis mala, & quomodo ventura eſſent propter iuſtitiam, hoc poſuit exemplum. Hæc enim populus noſter patitur omnia, errantium prauitate. Ecce in eo eſt errore ciuitas, vel potius orbis ipſe totus, vt bonos & iuſtos viros tanquam malos perſequatur, excruciet, damnet, occidat. Nam quod ait, neminem eſſe tam dementem qui dubitet, vtrum ſe eſſe malit: ille quidem, vt is, qui contra iuſtitiam differebat, hoc ſenſit, malle ſapientem malum eſſe cum bona exiſtimatione, quàm bonum cum mala. A nobis autem abſit hæc amentia, vt falſum vero anteponamus. An boni noſtri qualitas ex populi potius pendebit erroribus, quàm ex conſcientia noſtra & iudicio Dei? Aut aliqua nos illiciet vnquam felicitas, vt non potius veram bonitatem cum omni malo, quàm falſam cum omni proſperi-C tate malimus? Sua ſibi habeant regna reges, ſuas diuitias diuites (vt loquitur Plautus) ſuam verò prudentiam prudentes, relinquant nobis ſtultitiam noſtram, quam vel ex hoc apparet eſſe ſapientiam, quod eam nobis inuident. Quis enim ſtulto inuideat, niſi qui ipſe ſit ſtultiſſimus? Illi autem non ſunt adeo ſtulti, vt ſtultis inuideant, ſed ex eo, quod accuratè, quod ſolicitè perſequuntur, ſtultos non eſſe concedunt, cur enim tam crudeliter ſæuiant, niſi quia metuunt, ne in dies inualeſcente iuſtitia, cum dijs ſuis † cariolis relinquantur? Si ergo cultores deorum ſapientes ſunt, & nos ſtulti, quid metuant, ne ſapientes illiciantur à ſtultis?

al. narinoſis.

SCHOLIA.

a Cum dijs ſuis narinoſis.] *Lego ex vtroque codice ſancti Saluatoris & ex alijs libris antiquis. quod vocabulum in margine ſic declaratur. narinoſos appellauit, quod odoribus thuris colantur.*

D

De Chriſtianorum incrementis & ſupplicijs.

CAPVT XIII.

CVm autem noſter numerus ſemper deorum cultoribus augeatur, nunquam verò, ne in ipſa quidem perſecutione minuatur (quoniam peccare homines, & inquinari ſacrificio poſſunt, auerti autem non poſſunt à Deo: valet enim vi ſua veritas) quis eſt tam demens, tam excors tamque cæcus, qui non videat, in vtra ſit parte ſapientia? Sed illi malitia & furore cæcantur, ne videant, ſtultosque arbitrantur eſſe, qui cùm habeant in ſua poteſtate ſupplicia vitare, cruciari tamen & emori malunt. cum poſſint ex eo ipſo peruidere, non eſſe ſtultitiam, in quam tanta hominum millia, per orbem totum, vna & pari mente conſentiant. Si enim fœminæ ſexus infirmitate labuntur (nam interdum iſti muliebrem aut anilem ſuperſtitionem vocant) viri certè ſapiunt. Si pueri, ſi adoleſcentes, im-E prouidi ſunt per ætatem, maturi certè ac ſenes, habent ſtabile iudicium. Si vna ciuitas deſipuerit, cæteræ vtique innumerabiles ſtultæ eſſe non poſſunt. Si vna prouincia, vna natio † prouidentia caret, cæteras omnes habere intelligentiam recti neceſſe eſt. Cùm verò ab ortu ſolis vſque ad occaſum lex diuina ſuſcepta ſit, & omnis ſexus, omnis ætas, & gens, & regio vnitis ac paribus animis Deo ſeruiãt, eadem ſit vbique patientia, idem contemptus mortis: intelligere debuerant, aliquid in ea eſſe rationis, quod nõ ſine cauſa vſque ad mortem defendatur, aliquid fundamẽti ac ſoliditatis, quòd eam religionem non tantùm iniurijs ac vexatione non ſoluat, ſed augeat ſemper & faciat firmiorem. Nam & in hoc quoque malitia illorum conuincitur, qui euertiſſe ſe funditùs religionem Dei opinantur, ſi homines inquinauerint, cùm & Deo ſatisfacere liceat: & nullus ſit tam malus Dei cultor, qui data facultate ad placandum Deum non reuertatur, & quidem deuotione F maiori. Peccati enim conſcientia, & metus pœnæ religioſiorem facit, & ſemper multò firmior eſt fides, quam reponit pœnitentia. Si ergo iſti, cùm deos ſibi arbitrantur iratos, tamen donis & ſacrificijs, & odoribus placari eos credunt: quid eſt tandem, quòd Deum noſtrum tam immitem, tam implacabilem putent, vt videatur is iam Chriſtianus eſſe non poſſe, qui dijs eorum coactus inuitusque libauerit? niſi fortè contaminatos ſemel putant, animum tranſlaturos, vt ſua ſponte iam facere incipiant, quod per tormenta fecerunt. Quis id officium libens obeat, quod ab iniuria cœpit? Qui cùm videat laterum ſuorum cicatrices, non magis oderit deos, propter quos æterna pœnarũ inſignia, & impreſſas viſcerib. ſuis notas geſtet? Ita fit, vt data diuinitus pace, & qui fuerint, vniuerſi redeant, & alius propter miraculum virtutis nouus populus accedat. Nam cùm videat vulgus, dilacerari homines varijs tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices inuictam tenere patientiam, exiſtimant, id quod res eſt, nec conſenſum tam multorum nec perſeuerantiam morientium vanam eſſe, nec ipſam patientiam ſine Deo cruciatus G tantos poſſe ſuperare. Latrones & robuſti corporis viri eiuſmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant, & gemitus edunt. vincuntur enim dolore, quia deeſt illis inſpirata patientia. Noſtri autem (vt de viris taceam) pueri, & mulierculæ tortores ſuos taciti vincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis poteſt. Eant Romani, & Mutio glorientur, aut Regulo: quorum alter necandum ſe hoſtibus tradidit, quòd captiuum puduit viuere; alter ab hoſtibus deprehenſus, cùm videret mortem ſe vitare non poſſe, manum foco iniecit, vt pro facinore ſuo ſatisfaceret hoſti, quẽ voluit occidere, eaque pœna veniam, quam non meruerat, accepit. Ecce ſexus infirmus & fragilis ætas dilacerari ſe toto corpore, vrique perpetitur, non neceſſitate, quia licet vitare, ſi vellent, ſed voluntate, quia confidunt Deo. Hæc eſt vera virtus, quam philoſophi quoque glorIabundi, non re ſed verbis inanibus iactant, diſſerentes nihil eſſe tam congruens viri ſapientis grauitati atque conſtantiæ, quàm nullis terroribus de ſententiæ propoſito poſſe de-H pelli, ſed tanti eſſe, cruciari & emori, ne fidem prodat, ne ab officio diſcedat, ne metu mortis aut dolore acerbo ſubactus, aliquid faciat iniuſtum, niſi fortè delirare illis videtur Flaccus in Lyricis, cum dicit:

Iuſtum, & tenacem propoſiti virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida.

Quo nihil verius dici poteſt, ſi hoc ad eos referatur, qui nullos cruciatus, nullam mortem recuſant, ne à fide iuſtitiaque declinent, qui non tyrannicas iuſſiones, non præſidum gladios tremunt, quo minus veram & ſolidam libertatẽ conſtanti mente defendant, quæ in hoc ſolo tuẽda ſapiẽtia eſt. Quis enim tam inſolens, tam elatus eſt, qui me vetet oculos in cœlum tollere? quis imponat mihi neceſſitatem vel colendi, quod nolim, vel quod velim non colendi? Quid iam nobis vlterius relinquetur, ſi etiam hoc, quod voluntate fieri oportet, libido extorquet aliena? Nemo iſtud efficiet, ſiquid nobis ad contemnendam mortem doloremq; virtutis eſt. Quoniam cõſtantiã ſi

al. prouidentia.

A tenemus, cur ſtulti iudicamur, facientes ea, quæ philoſophi laudant? Rectè igitur Seneca incongruentiam hominibus obiectans, ait: Summa virtutis illis videtur magnus animus. Eundem eum, qui contemnit mortem, pro furioſo habent, quod eſt vtique ſummæ peruerſitatis. Sed ijs vanarum religionum cultores, eadem ſtultitia id obijciũt, qua verum Deum non intelligunt, quos Sibylla Erythræa κωφοὺς καὶ ἀνοήτους vocat, ſurdos ſcilicet & excordes, qui nec audiant diuina, nec ſentiant, ſed terram digitis ſuis imaginatam metuant & adorent.

De ſtultitia, ſapientia, pietate, æquitate, & iuſtitia.

CAPVT XIV.

QVæ verò cauſa ſit, vt eos, qui ſapientes ſunt, ſtultos putent, magna ratio eſt. neque enim fruſtra falluntur. Quæ nobis diligenter eſt explicanda, vt errores ſuos tandem (ſi fieri poſſit) agnoſcant.
B Iuſtitia ſuapte natura ſpeciem quandam ſtultitiæ habet, quod ego & diuinis & humanis teſtimonijs confirmare poſſum. Sed nihil fortaſſe apud iſtos agemus, niſi eos de ſuis doceamus auctoribus, non poſſe quemquam iuſtum eſſe, quod eſt coniunctum cum vera ſapientia, niſi idem ſtultus eſſe videatur. Carneades, Academicæ ſectæ philoſophus, cuius in diſſerendo quæ vis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, qui neſcit, † (al. ipſum.) is ea prædicatione Ciceronis intelliget, aut Lucilij, apud quem diſſerens Neptunus de re difficilima, oſtendit non poſſe id explicari, nec ſi Carneadem ipſum orcus remittat. Is cum legatus ab Athenienſibus Romam miſſus eſſet, diſputauit de iuſtitia copioſè, audiente Galba, & Catone Cenſorio, maximis tunc oratoribus. Sed idem diſputationem ſuam poſtridie contraria diſputatione ſubuertit, & iuſtitiam, quam pridie laudauerat, ſuſtulit, non quidem philoſophi grauitate, cuius firma & ſtabilis debet eſſe ſententia, ſed quaſi oratorio exercitij genere, in vtramque partem diſſerendi. Quod ille facere ſolebat, vt alios † (al. quidlibet.)
C quodlibet aſſerentes poſſet refutare. Eam diſputationem, qua iuſtitia euertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur: credo, quoniam de Republica diſſerebat, vt defenſionem laudationemque eius induceret, ſine qua putabat regi non poſſe Rempublicam. Carneades autem, vt Ariſtotelem refelleret ac Platonem, iuſtitiæ patronos, prima illa diſputatione collegit ea omnia, quæ pro iuſtitia dicebantur, vt poſſet illa, ſicut fecit, euertere. Erat enim facillimum, iuſtitiam radices non habentem labefactare, quia tum nulla in terra fuit, vt, quid eſſet, aut qualis à philoſophis cerneretur. Atque vtinam tot, ac tales viri quantum eloquentiæ, quantumque animi, tantum etiam ſcientiæ ad implendam defenſionem ſummæ virtutis habuiſſent, cuius origo in religione, ratio in æquitate eſt. Sed ij, qui primam illam partem neſcierunt, ne ſecundam quidem tenere potuerunt. Volo autem prius circumſcriptè, ac breuiter, quid ſit, oſtendere, vt intelligatur, philoſophos ignoraſſe iuſtitiam, nec id, quod minimè nouerant, potuiſſe defendere. Iuſtitia quamuis omnes ſimul virtutes
D amplectatur, tamen omnium ſunt duæ principales, quæ ab illa diuelli ſepararique non poſſunt, pietas & æquitas: nã & fides, temperantia, probitas, innocentia, integritas, & cætera huiuſmodi, vel natura, vel inſtitutis parentum poſſunt eſſe in ijs hominibus, qui iuſtitiam neſciunt, ſicuti ſemper fuerunt. nam Romani veteres, qui iuſtitia gloriari ſolebant, ijs vtique virtutibus gloriabantur, quæ (vt dixi) proficiſci à iuſtitia poſſunt, & ab ipſo fonte ſecerni. Pietas verò & æquitas, quaſi venæ ſunt eius. his enim duob. fontibus conſtat tota iuſtitia. Sed caput eius & origo in illo primo eſt, in ſecundo vis omnis ac ratio. Pietas autem nihil aliud eſt, quàm Dei notitia, ſicut Triſmegiſtus veriſſimè definiuit, vt alio loco diximus. Si ergo pietas eſt, cognoſcere Deum, cuius cognitionis hæc ſumma eſt, vt eum colas: ignorat vtique iuſtitiam, qui religionem Dei nõ tenet. Quomodo enim poteſt eam noſſe, qui vnde oriatur, ignorat? Plato quidem multa de vno Deo locutus eſt, à quo ait conſtitutum eſſe mundum, ſed nihil de religione: ſomniauerat enim Deum, non cognouerat. quòd ſi iuſtitiæ
E defenſionem vel ipſe, vel quilibet alius implere voluiſſet, inprimis religiones deorum euertere debuit, quia contrariæ ſunt pietati. Quod quidem Socrates quia facere tentauit, in carcerem coniectus eſt, vt iam tunc appareret, quid eſſet futurum ijs hominibus, qui iuſtitiam veram defendere, Deoque ſingulari ſeruire cœpiſſent. Altera iuſtitiæ pars eſt æquitas: æquitatem dico non vtique benè iudicandi, quod & ipſum laudabile eſt in homine iuſto, ſed ſe cum cæteris coæquandi, quam Cicero æquabilitatem vocat. Deus enim qui homines generat, & inſpirat, omnes æquos, id eſt, pares eſſe voluit. Eandem conditionem viuendi omnibus poſuit, omnes ad ſapientiam genuit, omnibus immortalitatem ſpopondit: nemo à beneficijs eius cœleſtibus ſegregatur. Nam ſicut omnibus vnicum ſuum lumen æqualiter diuidit, emittit omnibus fontes, victum ſubminiſtrat, quietem ſomni dulciſſimam tribuit; ſic omnibus æquitatem virtutemque largitur. Nemo apud eum ſeruus eſt, nemo dominus. Si enim cunctis idem pater eſt, æquo iure omnes liberi ſumus. Nemo Deo pauper eſt, niſi qui iuſtitia indiget, nemo diues, niſi qui virtu- F tibus plenus eſt; nemo denique egregius, niſi qui bonus, & innocens fuerit; nemo clariſſimus, niſi qui opera miſericordiæ largiter fecerit; nemo perfectiſſimus, niſi qui omnes gradus virtutis impleuerit. Quare neque Romani, neque Græci iuſtitiam tenere potuerunt, quia diſpares multis gradibus homines habuerunt, à pauperibus ad diuites, ab humilibus ad potentes, à priuatis denique vſque ad regem ſublimiſſimas poteſtates. Vbi enim non ſunt vniuerſi pares, æquitas non eſt, & excludit inæqualitas ipſa iuſtitiam, cuius vis omnis in eo eſt, vt pares faciat eos, qui ad huius vitæ conditionem pari ſorte venerunt.

De officiis viri iuſti.

CAPVT XV.

DVobus igitur illis iuſtitiæ fontibus immutatis, omnis virtus, & omnis veritas tollitur, & ipſa iuſtitia remigrat in cœlum. G Ideo non eſt illud verum bonum à philoſophis repertum, quia ignorabant, vel vnde oriretur, vel quid efficeret. Quod nullis alijs, præterquam noſtro populo reuelatum eſt. Dicet aliquis: Nonne ſunt apud vos alij pauperes, alij diuites, alij ſerui, alij domini? Nonne aliquid inter ſingulos intereſt? nihil, nec alia cauſa eſt, cur nobis inuicem fratrum nomen impertiamus, niſi quia pares eſſe nos credimus. Nam cum omnia humana non corpore, ſed ſpiritu metiamur; tametſi corporum ſit diuerſa conditio, nobis tamen ſerui non ſunt, ſed eos & habemus & dicimus ſpiritu fratres, religione conſeruos. Diuitiæ quoque non faciunt inſignes, niſi † quos poſſunt bonis operibus facere clariores. (quod.) Diuites ſunt enim, non quia diuitias habent, ſed quia vtuntur illis ad opera iuſtitiæ. Et qui pauperes videntur, eo tamen diuites ſunt, quia & non egent, & nihil concupiſcunt. Cum igitur & liberi ſeruis, & diuites pauperibus, humilitate animi pares ſimus, apud Deum tamen virtute diſcernimur. H Et tantò quiſque ſublimior eſt, quantò iuſtior. Si enim iuſtitia eſt, parem ſe etiam minoribus facere, quanquam hoc ipſo præcellat, quod ſe inferioribus coæquauit: tamen ſi non tantùm quaſi parem, ſed etiã quaſi minorem ſe geſſerit, vtique multò altiorem dignitatis gradum, Deo iudice, conſequetur. Nam profectò in hac vita ſeculari quoniam breuia & caduca ſunt omnia, & præferunt ſe alteris homines, & de dignitate contendunt: quo nihil fœdius, nihil arrogantius, & nihil à † ſapientis ratione remotius. (al. ſapientia.) Rebus enim cœleſtibus contraria ſunt iſta vniuerſa terrena. Sicut enim ſapientia hominum ſumma ſtultitia eſt apud Deũ: ſtultitia autem (vt docui) ſumma ſapientia eſt: ſic Deo humilis & abiectus eſt, qui fuerit conſpicuus & ſublimis in terra: nam vt taceam, quod hæc præſentia terræ bona, quibus magnus honos tribuitur, virtuti contraria ſunt, & vigorem mentis eneruant, quæ tandem † poſt firma eſſe nobilitas, quæ (al. poteſt) opes, quæ potentia, cùm poſſit Deus reges quoq; ipſos, inferiores etiam infimis facere? Et ideo conſulens nobis

A Deus, inter diuina præcepta illud præcipuè poſuit: *Qui ſe extollit, humiliabitur. & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Cuius præcepti ſalubritas docet, quod quis ſe apud homines planum fecerit, humilemque præbuerit, hic apud Deum præcellens & inſignis habeatur. Nec enim falſa eſt illa ſententia, quæ apud Euripidem fertur in hunc modum: *Quæ hic mala putantur, hæc ſunt in cælo bona.*

De Chriſtianorum æquitate, ſapientia & ſtultitia.

CAPVT XVI.

Expoſui cauſam, cur philoſophi nec inuenire iuſtitiam nec defendere potuerunt. Nunc redeo ad id, quod intenderam. Carneades ergo, quoniam erant infirma, quæ à philoſophis afferebantur, ſumpſit audaciam refellendi, quia refelli poſſe intellexit. Eius diſputationis ſumma hæc B fuit, iura ſibi homines pro vtilitate ſanxiſſe, ſcilicet varia pro moribus, & apud eoſdem pro temporibus ſæpè mutata; ius autem naturale eſſe nullum: Omnes & homines, & alias animantes ad vtilitates ſuas natura ducente ferri: proinde aut nullam eſſe iuſtitiam; aut, ſi ſit aliqua, ſummam eſſe ſtultitiam, quoniam ſibi noceret, alienis commodis conſulens. & inferebat hæc argumenta: Omnibus populis, qui florerent imperio, & Romanis quoque ipſis, qui totius orbis potirentur, ſi iuſti velint eſſe, hoc eſt, ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum, & in † neceſſitate ac miſerijs iacendum. *(al. neceſſitate.)* Tum omiſſis communibus ad propria veniebat. Bonus vir, inquit, ſi habeat ſeruum fugitiuum, vel domum inſalubrem ac peſtilentem, quæ vitia ſolus ſciat, & ideo proſcribat, vt vendat: vtrumne profitebitur, fugitiuum ſeruum ac peſtilentem domum ſe vendere, an celabit emptorem? a Si profitebitur, bonus quidem, quia non fallet, ſed tamen ſtultus iudicabitur; quia vel paruo vendet, vel omnino non vendet. Si celauerit, erit quidem ſapiens, quia † rei conſulet, ſed idem malus, quia fallet. *(al. ſibi.)* C Rurſus, ſi reperiat aliquem, qui aurichalcum ſe putet vendere, cùm ſit illud aurum, aut plumbum, cùm ſit argentum, tacebitne, vt id paruo emat? an indicabit, vt magno? Stultum planè videtur, malle magno. Vnde intelligi volebat, & eum, qui ſit iuſtus ac bonus, ſtultum eſſe; & eum, qui ſapiens, malum. Et tamen ſine pernicie fieri † poſſe, vt ſint homines paupertate contenti. *(al. poteſt.)* Tranſcendebat ergo ad maiora, in quibus nemo poſſet ſine periculo vitæ iuſtus eſſe. Dicebat enim, Nempe iuſtitia eſt, hominē non occidere, alienum prorſus non attingere. Quid ergo iuſtus faciet, ſi fortè naufragium fecerit, & aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? nonne illum tabula deturbabit, vt ipſe conſcendat, eaque nixus euadat? maximè cū ſit nullus medio mari teſtis? Si ſapiens eſt, faciet; ipſi enim pereundum eſt, niſi fecerit. Si autem mori maluerit, quam manus inferre alteri, iam non iuſtus ille, ſed ſtultus eſt, qui vitæ ſuæ non parcat, dum parcit alienæ. Item, ſi acie ſuorum fuſa, hoſtes inſequi cœperint, & iuſtus ille nactus fuerit aliquem ſaucium equo inſidentem, eine parcet, vt ipſe D occidatur, an deijciet ex equo, vt ipſe poſſit hoſtem effugere? Quod ſi fecerit ſapiens, ſed idem malus; ſi non fecerit, iuſtus, ſed idem ſtultus ſit neceſſe eſt. Ita ergo iuſtitiam, cum in duas partes diuiſiſſet, alteram ciuilem eſſe dicens, alteram naturalem; vtramque ſubuertit, quod illa ciuilis, ſapientia ſit quidē, ſed iuſtitia non ſit: naturalis autem illa, iuſtitia ſit quidem, ſed non ſit ſapientia. Arguta hæc planè, ac venenata ſunt, & quæ M. Tullius non potuerit refellere. Nam cum faciat Lælium Furio reſpondentem, proque iuſtitia dicentem, irrefutata hæc, tanquam foueam, prætergreſſus eſt, vt videatur idem Lælius non naturalem, quæ in crimen ſtultitiæ veniret, ſed illam ciuilem defendiſſe iuſtitiam, quam Furius ſapientiam quidem eſſe conceſſerat, ſed iniuſtam.

E

SCHOLIA.

a Si profitebitur emptori fugitiuum eſſe, bonus quidem.] *Habent codices impreſſi. Verùm legendum eſt,* Si profitebitur, bonus quidem, *ex antiquo codice, ſic, vt reducantur illa verba, emptori fugitiuum eſſe. Nam illa profeſſio non ſolum ad ſeruum fugitiuum, ſed ad peſtilentem domum & ſimilia referenda eſt.*

De iuſtitia, ſapientia & ſtultitia.

CAPVT XVII.

Qvod ad præſentem diſputationem pertinebat, oſtēdi, quomodo iuſtitia ſimilitudinem ſtultitiæ gerat, vt appareat, non ſine cauſa decipi eos, qui putant, noſtræ religionis homines ſtultos eſſe, qui talia facere videantur, F qualia ille propoſuit. Nunc maius à me exigi ſentio, vt oſtendam, quare iuſtitiam Deus, ſtultitiæ ſpecie conuolutam, ex oculis hominum voluerit auferre, ſi prius Furio reſpondero, quia parum plenè reſpondit Lælius: qui profectò licet ſapiens fuerit, vt vocabatur, patrocinari tamen veræ iuſtitiæ nullo modo poterat, qui caput ipſum fontēque iuſtitiæ non tenebat. Nobis autem facilior eſt iſta defenſio, quibus cœleſti beneficio familiaris eſt, ac penitus nota iuſtitia, quique illam non nomine, ſed re nouimus. Nam Plato & Ariſtoteles honeſta quidem voluntate iuſtitiam defendere cupierunt, effeciſſentque aliquid, ſi conatus eorum bonos, ſi eloquētiam, ſi virtutem animi & ingenij, diuinarum quoque rerum doctrina iuuiſſet. Itaque opus illorum inane atque inutile iacuit, nec cuiquam hominum perſuadere potuerunt, vt eorum præſcripto viueret: quia fundamentum à cœlo diſciplina illa non habuit. Noſtrum opus certius ſit neceſſe eſt, quos Deus docuit. Illi enim depingebant verbis, & imaginabantur iuſtitiam, G quæ in conſpectu non erat, nec præſentibus exemplis confirmare poterant, quæ † aſſerebant. Reſponderi enim poſſe ab audientibus, non poſſe ita viui, ſicut illi ſua diſputatione ſua præſcriberent, adeo vt nulli adhuc extiterint, qui id genus vitæ ſequerentur. Nos autem non verbis modo, ſed etiā exēplis ex vero petitis, vera eſſe, quæ à nobis dicuntur, oſtendimus. Senſit igitur Carneades, quæ ſit natura iuſtitiæ, niſi quod parum altè proſpexit, ſtultitiam non eſſe, quanquam intelligere mihi videor, qua mente id fecerit, non enim verè exiſtimauit, eum ſtultum eſſe, qui iuſtus eſt, ſed cùm ſciret, non eſſe, & rationem, cur ita videretur, non comprehenderet, voluit oſtendere, latere in abdito veritatem, vt decretum diſciplinæ ſuæ tueretur, cuius ſumma ſententia eſt, nihil percipi poſſe. Videamus ergo, vtrumne iuſtitia fœdus aliquod habere cum ſtultitia poſſit. Iuſtus, inquit, ſi aut equum ſaucio, aut tabulam naufrago non ademerit, vt ipſe animam ſuam liberet, ſtultus eſt. Primùm omnium nego vllo modo fieri poſſe, vt homini, qui quidem verè iuſtus ſit, eiuſmodi caſus eueniat: quia iuſtus neque cuiquam nato inimicus eſt, neque quicquam omnino appetit alienum. Cur enim nauiget, aut quid petat ex aliena terra, cui ſufficit ſua? Cur H autem belligeret, ac ſe alienis furoribus miſceat, in cuius animo pax cum hominibus perpetua verſetur? Scilicet peregrinis mercibus, aut humano ſanguinē delectabitur, qui nec lucrum ſciat appetere, cui ſufficit victus, & non modò ipſe cædem facere, ſed intereſſe facientibus, ac ſpectare, ducat nefas.

Sed omitto iſta: quoniam fieri poteſt, vt vel inuitus ad hæc ſubeunda cogatur. Adeone ergo iuſtitiam, ô Furi, vel potius, o Carneade, cuius eſt illa omnis oratio, tam inanem, tam ſuperuacuam, tamq́; contemptam Deo putas, vt nihil poſſit nihilq́; habeat in ſeſe, quod ad cuſtodiam ſui valeat? Sed videlicet, † qui ſacramentum hominis ignorant, ideoque ad hanc vitam temporalem referunt omnia, quanta ſit vis iuſtitiæ, ſcire non poſſunt. *(al. quia.)* Nam & cum de virtute diſputant, quamuis intelligant ærumnis ac miſerijs eſſe pleniſſimam, tamen expetendam eſſe aiunt ſua cauſa: eius enim præmia, quæ ſunt æterna & immortalia

nullo

A nullo modo videat. ſic rebus omnibus ad hanc præſentem vitam relatis, virtutem planè ad ſtultitiam redigunt. ſic quidem tantos huius vitæ labores fruſtra & inaniter ſuſcipit. Sed hæc alio loco plenius. interim de iuſtitia, vt cœpimus, cuius tanta vis eſt, vt cùm oculos in cœlum ſuſtulerit, à Deo mereatur omnia. Rectè igitur Flaccus tantam eſſe dixit innocentiæ vim, vt ad tutelam ſui non egeat nec armis, nec viribus, quacunque iter fecerit:

Integer vitæ, ſcelerisque purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida ſagittis,
Fuſce, pharetra.
Siue per Syrtes iter æſtuoſas,
Siue facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

B Non poteſt ergo fieri, quin hominem iuſtum inter diſcrimina tempeſtatum atque bellorum cœleſtis tutela cuſtodiat, ac non, etiamſi cum parricidis, & nocentibus nauiget, aut malis quoque parcatur, vt vna iuſta & innocens anima liberetur, aut certè pereuntibus cæteris ſola ſeruetur. ſed concedamus poſſe fieri, quod proponit philoſophus: quid ergo iuſtus faciet, ſi nactus fuerit aut in equo ſaucium, aut in tabula naufragum? non inuitus confiteor, morietur potiùs, quàm † occidet. (al. occidat.) Nec ideo tamen iuſtitia, quod eſt ſingulare hominis bonum, ſtultitiæ nomen accipiet. quid enim melius, quid carius eſſe homini debet, quàm innocentia? quæ vtique tantò perfectior ſit neceſſe eſt, quantò illam perduxeris ad extremum, morique malueris ne quid de innocentiæ ratione minuatur. Stultitia eſt, inquit, alienæ animæ parcere cum pernicie ſuæ. Num etiam pro amicitia perire, ſtultum † iudicabitur? (al. iudicabis.) Quid ergo illi familiares Pythagoræi laudantur à vobis, quorum alter ſe tyranno vadem mortis pro altero dedit, alter ad præſtitutum tempus, cùm iam ſponſor eius duceretur, præſentiam ſui fecit, eumque interuentu ſuo liberauit? Quorum virtus in tanta gloria non haberetur, quòd alter pro amico,

C alter etiam pro fide mori voluit, ſi ſtulti putarentur. Denique ob hanc ipſam virtutem tyrannus his gratiam retulit, vtrumq; ſeruando, & hominis crudeliſſimi natura mutata eſt. Quin etiam deprecatus eſſe dicitur, vt ſe tertium in amicitiam reciperent, non vtique tanquam ſtultos, ſed tanquam bonos & ſapientes viros. Itaque non video, quare cùm pro amicitia & fide mori, ſumma gloria computetur, non etiam pro innocentia perire, ſit homini glorioſum. Ergo ſtultiſſimi ſunt, qui nobis crimini dant, mori velle pro Deo, cum ipſi eum qui pro homine mori voluit, in cœlum ſummis laudibus tollant. Denique, vt concludam diſputationem, non poſſe eundem iuſtum eſſe, ac ſtultum, eundem ſapientem, & iniuſtum docet ipſa ratio. Qui enim ſtultus eſt, quid ſit iuſtum ac bonum, neſcit, & ideo ſemper peccat. Ducitur enim quaſi captiuus à vitijs, nec reſiſtere vllo modo poteſt, quia caret virtute, quam neſcit. Iuſtus autem ab omni peccato ſe abſtinet, quod aliter facere non poteſt, quàm ſi habeat recti praui que notitiam. Rectum autem diſcernere à prauo quis poteſt, niſi ſapiens? Ita fit, vt nunquam

D poſſit eſſe iuſtus, qui ſtultus eſt; neque ſapiens, qui fuerit iniuſtus. Quod ſi eſt veriſſimum, manifeſtum eſt, eum, qui aut naufrago tabulam, aut equum ſaucio non ademerit, ſtultum non eſſe; quia hæc facere peccatum eſt, à quo ſe ſapiens abſtinet. Videri tamen & ipſe confiteor, per hominum errorem ignorantium cuiusque rei proprietatem. Itaque omnis hæc quæſtio non tam argumentis, quàm definitione diſſoluitur. Stultitia igitur eſt in factis dictisq; per ignorantiam recti ac boni, erratio. Ergo ſtultus non eſt, qui ne ſibi quidem parcit, dum ne noceat alteri, quod eſt malum. Quod quidem nobis & ratio & veritas ipſa præſcribit: In omnibus enim videmus animalib. quia ſapientia carent, conciliatricem ſui eſſe naturam. Nocent igitur alijs, vt ſibi proſint. neſciunt enim, quia malum eſt, nocere. Homo verò, † quia ſcientiam boni ac mali habet, abſtinet ſe à nocendo, (al. qui.) etiam cum incommodo ſuo, quod animal irrationale facere non poteſt, & ideo inter ſummas hominis virtutes innocentia numeratur. Quibus rebus apparet, ſapientiſſimum eſſe, qui mauult perire, ne noceat, vt id officium,

E quod à mutis diſcernitur, ſeruet. Nam qui videntis errorem non redarguit, vt aurum paruo emat, aut qui non profitetur, fugitiuum ſeruum, vel peſtilentem ſe domum vendere, lucro & commodo ſuo conſulens, non eſt ille ſapiens, vt Carneades videri volebat, ſed callidus & aſtutus. Calliditas & aſtutia in mutis quoq; animalibus ſunt, vel cùm inſidiantur, & dolo capiunt, vt deuorent, vel cùm inſidias aliorum vario genere deludunt. Sapientia verò in hominem ſolum cadit. Sapientia eſt enim intelligentia vel ad bonum rectumque faciendum, vel abſtinentia dictorum factorumque improborum. Lucro autem nunquam ſapiens ſtudet, quia bona hæc terrena contemnit: nec quemquam falli patitur; quia boni viri officium eſt, errores hominum corrigere, eosque in viam reducere. Siquidem ſocialis eſt hominis, ac benefica natura, quo ſolo cognationem cum Deo habet.

De virtute & Chriſtianorum cruciatibus, & iure patris, & domini.

F

CAPVT XVIII.

SEd nimirum hæc cauſa efficit, vt ſtultus eſſe videatur qui egere aut mori malit, quàm noceat, vel eripiat aliquid alteri, quod hominem morte deleri putant. Ex qua perſuaſione omnes tum vulgi, tum etiam philoſophorum naſcuntur errores. Si enim poſt mortem nihil ſumus, profectò ſtultiſſimi eſt hominis, non huic vitæ conſulere, vt ſit quàm diutina, & commodis omnibus plena. Quod qui faciet, à iuſtitiæ regula diſcedat neceſſe eſt. Si autem ſupereſt homini vita melior & longior, quod & philoſophorum magnorum argumentis, & vatum reſponſis, & prophetarum diuinis vocib. diſcimus, hanc præſentem cum ſuis bonis contemnere, ſapientis eſt, cuius omnis iactura immortalitate penſatur. Apud Ciceronem idem ille iuſtitiæ defenſor, Lælius, vult, inquit, planè virtus honorem, nec eſt virtutis vlla alia merces. Eſt planè, & quidem virtute digniſſima, quam

G tu Læli † nequaquam poteras ſuſpicari, nihil enim diuinarum noueras literarum. († nunquam) Quam tamen illa, inquit, accipit facilè, exigit non acerbè. Erras vehementer, ſi putas, ab homine præmium ſolui poſſe virtuti, cum ipſe alio loco veriſſimè dixeris: Huic tu viro quas diuitias obijcies? quæ imperia? quæ regna? qui iſta putat humana, ſua bona diuina iudicat. Quis ergo te ſapientem, Læli, putet, cùm ipſe tibi loquare contraria? & paulò pòſt virtuti adimas, quæ dediſti? Sed videlicet ignorantia veri facit incertam, labantemque ſententiam. Deinde quid adiungis? Sed ſi aut ingrati vniuerſi, aut inuidi multi aut inimici potentes, ſuis virtutem præmijs ſpoliant. O quàm fragilem, quàm inanem virtutem induxiſti, ſi ſpoliari præmio ſuo poteſt. quæ ſi bona ſua diuina iudicat, vt aiebas, qui poſſunt exiſtere tam ingrati, tam inuidi, tam potentes, qui virtutem ſpoliare valeant ijs bonis, quæ fuerint in eam collata diuinitùs? Næ illa ſe, inquit, multis ſolatijs oblectat, maximeque ſuo decore ſe ipſa ſuſtentat. Quibus ſolatijs? quo decore? cùm in crimen ſæpè veniat, & in pœnam

H decor ille vertatur. Quid enim, ſi (vt Furius dicebat) rapiatur, vexetur, exterminetur, egeat, auferantur ei manus, effodiantur ei oculi, damnetur, vinciatur, vratur, miſeris etiam modis necetur: perdetne præmium ſuum virtus? An potius peribit ipſa? Minimè. Sed & mercedem ſuam Deo iudice accipiet, & viuet, & ſemper vigebit. Quæ ſi tollas, nihil poteſt in vita hominum tam inutile, tam ſtultum videri eſſe, quàm virtus, cuius naturalis bonitas, & honeſtas docere non poteſt, animam non eſſe mortalem, diuinumque illi à Deo præmium conſtitutum. Sed ideirco virtutem ipſam Deus, ſub perſona ſtultitiæ voluit eſſe celatam, vt myſterium veritatis ac religionis ſuæ eſſet arcanum, vt has religiones ſapientiamque terrenam extollentem ſe altiùs, ſibique multùm placentem, vanitatis, erroriſque damnaret, vt propoſita denique difficultate, anguſtiſſimus trames ad immortalitatis præmium ſublime perduceret. Docui, vt opinor, cur populus noſter apud ſtultos ſtultus habeatur. Nam cruciari atque interfici malle, quàm thura tribus digitis comprehenſa, in focum

iactare,

A iactare, tam ineptum videtur, quàm in periculo vitæ, alterius animam magis curare, quam ſuam. Neſciunt .n. quantum ſit nefas adorare aliud præterquã Deum, qui condidit cœlum atque terram, qui humanum genus finxit, inſpirauit, luce donauit. Quòd ſi ſeruorum nequiſſimus habetur, qui Dominum ſummum fuga deſerit, isque verberib. & vinculis, & ergaſtulo, & cruce, & omni malo digniſſim⁹ iudicatur, & ſi filius eodem modo perditus, atque impius exiſtimatur, qui patrem ſuum derelinquit, ne illi obſequatur; ob eamque cauſam dignus putatur, qui ſit exhæres, & & cuius nomen in perpetuum de familia deleatur: quantò magis, qui Deum deſerit, in quem duo vocabula, Domini & Patris, æquè veneranda conueniunt? nam ille, qui ſeruum precio comparat, quid in eum beneficij confert, præterquam alimenta, quæ illi vtilitatis ſuæ gratia ſubminiſtrat? Et qui filium generat, non habet poteſtatem, vt concipiatur, vt naſcatur, vt viuat. Vnde apparet, non eſſe illum patrem, ſed tantummodò generandi miniſtrũ. Qui- B bus ergo ſupplicijs dignus eſt deſertor eius, qui & Domin⁹ verus, & pater eſt, niſi quæ Deus ipſe conſtituit? qui ſpiritibus iniuſtis æternum parauit ignem, quod ipſe per vates ſuos impijs ac rebellibus comminatur.

De vanitatibus & ſceleribus impiarum religionum, & Chriſtianorum cruciatibus.

CAPVT XIX.

DIſcant igitur & ſuarum & alienarum interfectores animarum, quàm inexpiabile facinus admittant: Primùm, quòd ſeipſos iugulant, perditiſſimis dæmonibus ſeruiendo, quos Deus in æterna ſupplicia damnauit: Deinde, quod nec ab alijs Deum coli patiuntur, ſed auertere C homines ad mortiferã ſacra cõtendunt, nituntur q; ſumma diligẽtia, ne qua ſit anima incolumis in terra, quæ ſaluo ſtatu ſuo ſpectet in cœlum. Quid aliud dicam, quàm miſeros, qui prædonum ſuorum inſtigationibus parent, quos deos eſſe opinantur? Quorum neque conditionem, neq; originem, neque nomina, neq; rationem ſciunt, ſed inhærentes perſuaſioni vulgari, libenter errant, & ſtultitiæ ſuæ fauent. À quibus ſi perſuaſionis eius rationem requiras, nullam poſſint reddere, ſed ad maiorum iudicia confugiant, quòd illi ſapientes fuerint, illi probauerint, illi ſcierint, quid eſſet optimum, ſeq; ipſos ſenſibus ſpoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt. Sic implicati rerum omnium ignorantia, nec ſe, nec deos ſuos norunt. Atque vtinam ſoli errare, ſoli deſipere vellent. Alios etiam in conſortium mali ſui rapiunt, quaſi habituri ſolatium de perditione multorum. Sed hæc ipſa ignoratio efficit, vt in perſequendis ſapientibus tam mali ſint, finguntque ſe illis conſulere, illos ad bonam mentem velle reuocare. Nũ D igitur hoc ſermone, aut aliqua ratione reddita facere nituntur? Minimè, ſed vi atque tormentis. O mira, & cæca dementia! in ijs putatur mala mens eſſe, qui fidem ſeruare conantur, in carnificibus autem bona. in ijs ne mala mens eſt, qui contra ius humanitatis contra fas omne lacerantur? an potius in ijs, qui ea faciunt in corporibus innocentum, quæ nec ſæuiſſimi latrones, nec iratiſſimi hoſtes, nec immaniſſimi barbari aliquando fecerunt? Adeo ne etiam ſibi mentiuntur, vt viciſſim boni ac mali nomina transferant & immutent? Quid ergo, non diem noctem vocant? ſolem tenebras? Alioquin eadem impudentia eſt, bonis malorum nomen imponere, ſapientibus ſtultorum, iuſtis impiorum. quinimmò, ſi qua illis fiducia eſt vel in philoſophia, vel in eloquentia; arment ſe ac refellant hæc noſtra, ſi poſſunt, congrediantur cominus, & ſingula quæque diſcutiant.

Decet eos ſuſcipere defenſionem deorum ſuorum, ne, ſi noſtra inualuerint (vt quotidie inualeſcunt) cum delubris ac ludibrijs ſuis deſerantur. Et quoniam vi nihil poſſunt (augetur enim religio Dei, quantò magis premitur) ratione potius & hortamentis agant. Procedant in medium pontifices, ſeu minores, ſeu maximi, flamines, augures, item reges, ſacrificuli, quique ſunt ſacerdotes, & antiſtites religionum. Conuocent nos ad concionem, cohortentur ad ſuſcipiendos cultus deorum, perſuadeant, multos eſſe, quorum numine ac prouidentia regantur omnia, oſtendant origines & initia ſacrorum ac deorum, quomodo ſint mortalibus tradita, qui fons, quæ ratio ſit, explicent. proferant, quæ merces in cultu, quæ pœna in cõtemptu maneat: quare ab hominibus coli ſe velint, quid illis, ſi beati ſunt, humana pietas conferat. quæ omnia non aſſeueratione propria (nec enim valet quicquam mortalis hominis auctoritas, ſed diuinis aliquibus teſtimonijs confirment, ſicuti nos facimus. Non eſt opus vi & iniuria, quia religio cogi non poteſt. verbis potius quàm verberibus res agenda eſt, vt ſit voluntas. diſtringant aciem ingeniorum ſuorum; ſi ratio eorum vera eſt, afferatur. parati ſumus audire, ſi doceant. tacentibus certè nihil credimus, ſicut ne ſæuientibus quidem cedimus. Imitentur nos, * aut rationem rei totius exponant. Nos enim al. vt. non illicimus, vt ipſi obiectant, ſed docemus, probamus, F oſtendimus. Itaque nemo à nobis retinetur inuitus. inutilis eſt enim Deo, qui deuotione ac fide caret. Et tamen nemo diſcedit, ipſa veritate retinente. Doceant iſti hoc modo, ſi qua illis fiducia veritatis eſt, loquantur, hiſcant: audeant, inquam, diſputare nobiſcum aliquid eiuſmodi: iam profectò ab aniculis, quas contemnunt, & à pueris noſtratibus error illorum ac ſtultitia irridebitur. Cùm enim ſint peritiſſimi, deorumq́ue progeniem, & res geſtas, & imperia, & interitus, & ſepulchra de libris nouerint: ipſosque ritus, quibus ſunt initiati, vel ex rebus geſtis hominum, vel ex caſib. vel etiã ex mortib. natos ſciant, incredibilis dementia eſt, deos putare, quos fuiſſe mortales negare non audeant. vel ſi tam impudentes fuerint, vt negent, ſuæ illos ac ſuorum literæ coarguant, ipſa denique illos ſacrorum initia conuincant. Sciant igitur vel ex hoc ipſo, quantum interſit inter verum & falſum, quando ipſi quũ ſint eloquentes, perſuadere non poſſunt, imperiti ac rudes poſſunt, quia res ipſa & veritas loquitur. Quid ergo ſæuiunt? vt ſtultitiam ſuam dum minuere volunt, augeant? G longè diuerſa ſunt, carnificina, & pietas, nec poteſt aut veritas cum vi, aut iuſtitia cum crudelitate coniungi. Sed meritò non audent de rebus quicquam docere diuinis, ne à noſtris derideantur, & à ſuis deſerantur. Nam ferè vulgus, cui ſimplex incorruptumq́ue iudicium eſt, ſi myſteria illa cognoſcat, in memoriam mortuorum conſtituta, damnabit, aliudq́ue verius, quod colat, quæret. Hinc fida ſilentia ſacris inſtituta ſunt ab hominibus callidis, ne ſciat populus, quid colat.

Cum autem nos in eorum doctrinis verſemur, cur nobis aut non credunt, qui vtrumque nouimus? aut inuident, quia falſis vera prætulimus? Sed defendenda ſunt, inquiunt, ſuſcepta publicè ſacra. O quàm honeſta voluntate miſeri errant! Sentiunt enim, nihil eſſe in reb. humanis religione præſtantius, eamque ſumma vi oportere defendi. ſed vt in ipſa religione, ſic in defenſionis genere falluntur. Defendenda enim religio eſt, non occidendo, ſed moriendo, non ſæuitia, ſed patientia, non ſcelere, ſed fide: H illa enim malorum ſunt, hæc bonorum. Et neceſſe eſt, bonum verſari in religione, non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis, iam non defendetur illa, ſed polluetur atque violabitur. Nihil eſt enim tam voluntarium, quàm religio: in qua ſi animus ſacrificantis auerſus eſt, * iam ſublata, iam nulla eſt. Recta al. iam ſupplicatio nulla eſt. igitur ratio eſt, vt religionem patientia vel morte defendas. in qua fides conſeruata, & ipſi Deo grata eſt, & religioni addit auctoritatem. Nam ſi is, qui in hac terreſtri militia regi ſuo fidem ſeruat in aliquo egregio facinore, ſi poſtea vixerit, acceptior ſit & charior: ſi perierit, ſummam gloriam conſequitur, quod pro duce ſuo mortem occubuerit: quantò magis imperatori omnium Deo fides ſeruanda eſt, qui non tantùm viuentibus, ſed etiam mortuis al. mortis exoluet. præmium † poteſt virtutis exoluere

Igitur Dei cultus, quoniam † militiæ cœleſtis eſt, deuo- al. militia tionem maximam fidemq́ue deſiderat. Quomodo enim Deus aut amabit colentem, ſi ipſe non ametur ab eo, aut quomodo præſtabit precanti, quicquid orauerit, cùm ad precandum neq; ex animo, neq; obſeruanter accedat?

Illi

A Iſti † autem, cum ad ſacrificandum veniunt, nihil intimũ, nihil proprium dijs ſuis offerunt, non integritatem mentis, non reuerentiam, non timorem. Peractis itaque ſacrificiis inanibus, omnem religionem in templo, & cum templo, ſicut inuenerant, relinquunt, nihilque ſecum ex ea neque afferunt, neque referunt. Inde eſt, quòd eiuſmodi religiones neque bonos facere poſſunt, a neque † firmos atque immutabiles. Traducuntur itaque ab his homines facilè, quia nihil ibi ad vitam, nihil ad ſapientiam, nihil ad fidem diſcitur. Quæ eſt enim ſuperſtitio illorum deorum? quæ vis? quæ diſciplina? quæ origo? quæ ratio? quod fundamentum? quæ ſubſtantia? quò tendit? aut quid pollicetur, vt ab homine poſſit fideliter ſeruari, fortiterque defendi. In qua nihil aliud video, quàm ritum ad ſolos digitos pertinentem.

al. enim.

al. firmæ atque immutabiles eſſe.

Noſtra verò religio eò firma eſt & ſolida, & immutabilis, quia iuſtitiam docet, quia nobiſcum ſemper eſt, quia tota in animo colentis eſt, quia mentem ipſam pro ſacrificio habet. B illic nihil exigitur aliud, quàm ſanguis pecudũ, & fumus, & inepta libatio: hic bona mens, purum pectus innocens vita. illuc veniunt ſine delectu adulteræ impudicæ, lenæ procaces, obſcœnæ meretrices, veniunt gladiatores, latrones, fures, venefici, & precantur nihil aliud, quàm vt ſcelera impunè committant. Quid enim latro ſacrificans, aut gladiator roget, niſi occidant? Quid veneñarius, niſi vt fallat? Quid meretrix, niſi vt plurimum peccet? Quid adultera, niſi aut mortem viri, aut vt ſua impudicitia celetur? Quid lena, niſi vt multos bonis exuat? Quid fur, niſi vt plura compilet? Hic verò etiam leui communique peccato locus eſt nullus. Et ſi quis ad ſacrificium non integra conſcientia venerit, audit, quæ illi Deus comminetur, ille, qui latebras cordis videt, qui peccatis ſemper infeſtus eſt, qui exigit iuſtitiam, qui fidem poſcit. Quis hic malæ menti, aut malæ preci locus eſt? At illi infelices, nec ex ſceleribus ſuis intelligunt, quàm malum ſit, quod colunt; quandoquidem flagitijs omnibus C inquinati, veniunt ad precandum, & ſe piè ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem lauerint: tanquam libidines intra pectus incluſas vlli amnes abluant, aut vlla maria purificent. Quantò ſatius eſt, mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus ſordidatur, & vno virtutis ac fidei lauacro vniuerſa vitia depellere. Quod qui fecerit, quamlibet inquinatum ac ſordidum corpus gerat, ſatis purus eſt.

SCHOLIA.

a Neque firmæ atque immutabiles eſſe.] *Habet codex antiquus, ita vt hæc referantur ad religiones, in quo optimus eſt ſenſus. Sed quia vulgata lectio ipſa etiam optima eſt, nihil in ea mutaui, ſed hanc tantum in margine notaui.*

De cultu deorum & Dei veri, & Aegyptiarum beſtiarum.

D

CAPVT XX.

Ipſi autem quia neſciunt, vel quid, vel quomodo ſit colendum, cæci & imprudentes in contrarium cadũt. Adorant itaque hoſtes ſuos, latrones & interfectores ſuos victimis placant, & animas ſuas cum thure ipſo cremandas aris deteſtabilibus imponunt. Iraſcuntur etiam miſeri, quòd non ſimiles alii pereant, incredibili mentium cæcitate. Quid enim videant, qui ſolem non vident? Quaſi verò ſi dij eſſent, indigerent hominum auxilio, aduerſus contemptores ſuos. quid ergo nobis iraſcuntur, ſi illi nihil poſſunt? niſi quòd ipſi deos ſuos deſtruunt, quorum poteſtati diffidunt, magis irreligioſi, quàm qui omnino non colunt. Cicero in ſuis legibus, cùm caſtè ad ſacrificia præciperet accedere: Pietatem, inquit, adhibento, opes amouento, qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit. Rectè hoc quidem: Neque enim fas eſt, deſperare de Deo, quem ideo colas, quia potentem putes. Nam quomodo vindicare iniuriam colentis ſe poteſt, ſi ſuam non poteſt? Libet igitur ex his quærere, cui potiſſimum præſtare ſe putent, cogendo inuitos ad ſacrificium. Ipſiſne quos cogunt? at nõ eſt beneficium, quod ingeritur recuſanti. ſed conſulendum eſt etiam nolentibus, quando quid ſit bonum, neſciunt. Cur ergo tam crudeliter vexant, cruciant, debilitant, ſi ſaluos volunt? aut vnde pietas tam impia, vt eos miſeris modis aut perdant, aut inutiles faciant, quibus velint eſſe conſultum? An verò dijs præſtant? at non eſt ſacrificium, quod exprimitur inuito, niſi enim ſponte atque ex animo fiat, execratio eſt, cùm homines proſcriptione, iniurijs, carcere, tormentis adacti faciunt. Si dij ſunt iſti, qui ſic coluntur, vel propter hoc ſolum colendi non ſunt, quòd ſic coli volunt, digni ſcilicet deteſtatione hominum, quibus cum lachrymis, cum gemitu, cum ſanguine de membris omnibus fluente libatur. At nos contrà, non expetimus, vt Deum noſtrum, qui eſt omnium † velint, † velint, colat aliquis inuitus, nec, ſi non coluerit, iraſcimur. Confidimus enim maieſtati eius, qui tam contemptum ſui poſſit vlciſci, quàm ſeruorum ſuorum labores & iniurias. Et ideo cùm tam nefanda perpetimur, ne verbo quidem reluctamur, ſed Deo remittimus vltionem, non vt ij faciunt, qui defenſores deorum ſuorum videri volunt, & ſæuiunt efferatè aduerſus non colentes. Ex quo intelligi datur, quàm non ſit bonum, deos colere; quoniam bono potius adducendi homines ad bonum fuerant, non malo. Sed quia illud malum eſt, etiam officium eius bono caret. At enim puniendi ſunt, qui deſtruunt religiones. Num peius deſtruimus, quàm natio Ægyptiorum? qui turpiſſimas beſtiarum, ac pecudum figuras colunt; quædam etiam, pudenda dictu, tanquam deos adorant. Num peius quàm ijdem ipſi? qui cùm deos colere ſe dicant, tamen eos publicè turpiterque derident, de quibus etiam mimos agi cum riſu & voluptate patiuntur. Qualis hæc religio, aut quanta maieſtas putanda eſt, quæ adoratur in templis, illuditur in theatris? Et qui hæc fecerint, non pœnas violati numinis pendunt, ſed honorati etiam laudatique diſcedunt. Num peius nos deſtruimus, quàm quidam philoſophi, qui omnino nullos deos eſſe aſſerunt, ſed omnia ſua ſponte nata, omnia fortuitu fieri, quæ geruntur? Num peius quàm Epicurei, qui eſſe quidem deos, ſed curare quicquam negant, neque iraſci eos, neque gratia commoueri? Quibus dictis vtique perſuadent colendos omnino non eſſe. ſiquidem nec colentes reſpiciunt, neque non colentibus iraſcuntur. Præterea cùm contrà metus diſſerunt, nihil aliud efficere conantur, quàm vt nemo deos timeat. Et hæc tamen ab hominibus & audiuntur libenter, & diſſeruntur impunè.

E

al. velit.
al. nolit.

F

G

De dæmonum furiis, & errore infidelium.

CAPVT XXI.

Non ergo ideo aduerſus nos inſaniunt, quia dij non coluntur à nobis; ſed quia veritas penes nos eſt, quæ (vt eſt veriſſimè dictum) odium parit. Quid igitur exiſtimabimus, niſi neſcire illos quid patiantur? Peraguntur enim perferuntur cæco & irrationabili furore, quem nos videmus, illi neſciunt. Non enim ipſi homines perſequuntur, qui cauſam, cur iraſcantur innocentibus non habent: ſed illi ſpiritus contaminati ac perditi, quibus veritas & nota eſt, & inuiſa, & inſinuant ſe mentibus eorum, & inſtigant neſcios in furorem. Hi enim, quamdiu pax eſt in populo Dei, fugitant & pauent: & cum corpora hominum occupant, animaſque diuexant, adiurantur ab his, & nomine Dei veri fugantur.

H

Quo audito tremunt, exclamant, & vri ſe verberarique teſtantur, & interrogati, qui ſint, quãdo venerint, quomodo in hominem irrepſerint, confitentur. ſic extorti & excruciati virtute diuini nominis exulant. Propter hæc verbera & minas, ſanctos & iuſtos viros ſemper oderunt. Et quia per ſe nocere his nihil poſſunt, publicis eos odiis perſequuntur, quos ſibi graues ſentiunt exercentque ſæuitiam, quàm violentiſſimè poſſunt, vt aut eorum fidem minuant per dolorem, aut, ſi id efficere non quiuerint, auferant omnino de terra, ne ſint, qui poſſint eorum nequitiã

A Non me fugit, quid reſponderi è contrario poſſit. Cur ergo Deus ille ſingularis, ille magnus, quem rerum potentem, quem Dominum omnium confiteris, hæc fieri patitur, nec cultores ſuos aut vindicat, aut tuetur? Cur denique qui eum non colunt, & opulenti, & potentes, & beati ſunt, & honoribus, regnoque potiuntur, eoſque ipſos ditioni ſuæ, ac poteſtati ſubiectos habent? Reddenda & huius rei ratio eſt, nequid remaneat erroris. Nam inprimis hæc cauſa eſt, cur exiſtimetur religio Dei vim non habere, quod inducuntur homines ſpecie terrenorum, ac præſentium bonorum, quæ ad curam mentis nullo modo pertinent, quibus quia carere iuſtos vident, & affluere iniuſtos: & Dei cultum inanem arbitrantur, in quo ineſſe illa non cernunt, & Deorum ritus æſtimant veros, quoniam cultores eorum & diuitiis, & honoribus, & regnis fruantur. Verum ii, qui ſunt in hac exiſtimatione, nõ perſpiciunt altius vim rationemque hominis, quæ non in corpore, ſed in mente eſt. Nihil enim vi-
B dent amplius, quam videtur, corpus ſcilicet, quod, quia oculis, manuque tractabile eſt, imbecillum, fragile, mortale eſt, cuius ſunt illa omnia bona, quæ cupiditati, ac miraculo ſunt, opes, honores, imperia, quoniam corpori afferunt voluptates, & ideo tam caduca ſunt, quam corpus ipſum. Animus verò, in quo ſolo eſt homo, quoniam ſubiectus oculis non eſt, nec bona eius aſpici poſſunt, quæ in ſola virtute ſunt poſita, & ideo tam ſtabilis, & conſtans, & perpetuus ſit neceſſe eſt, ſicut ipſa virtus, in qua eſt animi bonum.

De Iuſtitia, & patientia Chriſtianorum.

CAP. XXII.

Longum eſt, vniuerſas virtutis ſpecies promere, vt de ſingulis doceam, quam neceſſe ſit, ſapientem, ac iuſtum virum longe ab illis omnibus bonis abhorrere, quibus quia fruuntur iniuſti, Deorum cultus veri, & efficaces eſſe creduntur. Quod ad præſentem pertinet quæſti-
C onem, ſatis eſt ſi ex vna virtute id probemus, quod intendimus. Nempe magna, & præcipua virtus eſt patientia, quam pariter & vulgi voces publicæ, & philoſophi, & oratores ſummis laudibus celebrant. Quod ſi negari non poteſt, quin ſumma ſit virtus, neceſſe eſt, iuſtum, & ſapientem virum in poteſtate eſſe hominis iniuſti, vt capiat patientiam. Patientia eſt enim malorum, quæ aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio. Ergo iuſtus, ac ſapiens, quia virtutem capit, habet in ſe patientiam, qua carebit omnino, ſi nihil patietur aduerſi. Contra, qui in rebus proſperis agit, impatiens eſt, & virtute maxima caret. Impatientem dico, quia nihil patitur. Innocentiam quoque ſeruare non poteſt, quæ & ipſa iuſto, & ſapienti viro propria virtus eſt. Sed & nocet ſæpe, & concupiſcit aliena, & rapit, quæ cupierit, per iniuriam: quia virtutis expers, vitio, peccatoque ſubiectus eſt, & fragilitatis oblitus, animo inſolenter elato tumet. Inde iniuſti, ac Deum neſcientes, & diuitiis, & potentia, & honoribus florent. Hæc enim cũcta, iniuſtitiæ præmia ſunt, quia & perpetua eſſe nõ
D poſſunt, & per cupiditatem, violentiamq; quæruntur. Iuſtus verò ac ſapiens, quia illa omnia, humana (vt eſt à Lælio dictum) ſua bona, diuina iudicat, nec alienum quicquam concupiſcit, ne quem contra ius humanitatis lædat omnino: nec vllam potentiam, honoremve deſiderat, ne cui faciat iniuriam. Scit enim cunctos ab eodem Deo, & eadem conditione generatos, iure fraternitatis eſſe coniunctos. Sed & ſuo contentus, & paruo, quia fragilitatis ſuæ memor, non amplius quærit, quam vnde vitam ſuſtentet, & ex eo ipſo, quod habuerit, impertit etiam non habenti,
al. autem quia pius eſt. pietas * etiam ſumma virtus eſt. Accedit, quod voluptates caducas, vitioſaſque contemnit, quarum cauſa opes appetuntur, quoniam continens eſt, ac libidinum victor. Idem nihil timoris, atque inſolentiæ gerens, non extollit ſe altius, nec erigit ſuperbum caput, ſed placidus, & cõcors, & comis, & planus eſt, quia conditionem ſuam nouit. Cum ergo iniuriam nulli faciat, nec aliena cupiat, nec ſua quoque, ſi vi auferantur, defendat, cum ſciat etiam illatam iniuriam moderatè ferre, quia virtute præditus

E eſt: neceſſe eſt, iuſtum hominem ſubiectum eſſe iniuſto, & cõtumeliis affici ab inſipiente ſapientẽ, vt & ille peccet, quia iniuſtus eſt, & hic in ſeruitutem abeat, quia iuſtus eſt. Siquis autem volet ſcire plenius, cur malos, & iniuſtos, Deus potentes, beatos, & diuites fieri ſinat, pios contra humiles, miſeros, inopes eſſe patiatur: ſumat enim Senecæ librum, cui titulus eſt, Quare bonis viris multa mala accidant, cum ſit prouidentia. in quo ille multa, non planè imperitia ſecularí, ſed ſapienter, ac pene diuinitus elocutus eſt. Deus, inquit, homines pro liberis habet, ſed corruptos, & vitioſos, luxurioſe, ac delicatè patitur viuere, quia non putat emendatione ſua dignos. Bonos autem, quos diligit, caſtigat ſæpius, & aſſiduis laboribus ad vſum virtutis exercet, nec eos caducis, ac mortalibus bonis corrumpi, ac deprauari ſinit. Vnde * nemini mirum debet videri, ſi pro noſtris al. nec ſæpè delictis caſtigamur à Deo. Imò vero, cum vexamur, ac premimur, tum maximè gratias agimus indulgentiſſimo patri, quod corruptelam noſtram non patitur longius pro- F cedere, ſed plagis, ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus, eſſe nos Deo curæ, quibus quoniam peccamus, iraſcitur. Nam cum poſſet populo ſuo & opes, & regna largiri, ſicut dederat antè Iudæis, quorum nos ſucceſſores, ac poſteri ſumus: idcirco eum voluit ſub aliena ditione, atque imperio degere, ne rerum proſperarum felicitate corruptus, in luxuriam laberetur, ac Dei præcepta contemneret, ſicut illi maiores noſtri, qui ſæpe terrenis, ac fragilibus his bonis euecti, aberrarunt à diſciplina, & legis vincula ruperunt. prouidit ergo, quatenus cultoribus ſuis præſtaret quietem, ſi mandata ſeruaſſent, & tamen eos emendaret, ſi præceptis non obtemperaſſent. Itaque ne tam corrumperentur otio, quam patres eorum licentia, premi eos voluit ab iis, in quorum manibus eos collocauit, vt & labantes confirmet, & corruptos ad fortitudinem reparet, & fidos experiatur, ac tentet. Quomodo enim poteſt Imperator militum ſuorum probare virtutem, niſi habuerit hoſtem? Et illi tamen aduerſarius exurgit inuito, quia mortalis eſt, & vinci poteſt. Deo autem quia repugnari non poteſt, ipſe aduerſarios nomini ſuo excitat, non qui con- G tra ipſum Deum pugnent, ſed contra milites eius, vt deuotionem, ac fidem ſuorum vel probet, vel corroboret, do- al. preſſuræ nec * preſſuræ & verberibus defluentem corrigat diſciplinã. Eſt & alia cauſa, cur aduerſum nos perſecutiones fieri ſinat, vt Dei populus augeatur. Nec eſt difficile monſtrare, cur, aut quomodo id fiat. Primum, fugantur à Deorum cultibus plurimi, odio crudelitatis, qui enim talia ſacrificia non horreant? Deinde placet quibuſdam virtus, ac fides ipſa. Nonnulli ſuſpicantur, Deorum cultum non ſine cauſa malum putari à tam multis hominibus, vt emori malint, quam id facere, quod alii faciunt, vt viuant. Aliqui cupiunt ſcire, † quidnam ſit illud bonum, quod ad mortem vſque defen- al. quodnam. ditur, quod omnibus quæ in hac vita, iucunda ſunt, & chara, præfertur, à quo nec bonorum, nec lucis amiſſio, nec dolor corporis, nec viſcerum cruciamenta deterrent. Valent hæc plurimum, ſed illæ maximè cauſæ noſtrorum numerum ſemper auxerunt. Audit circumſtans populus, inter ipſa tormẽta dicentes, non ſacrificare ſe lapidibus humana H manu factis, ſed Deo viuo, qui ſit in cœlo. Multi hoc verum eſſe intelligunt, & in pectus admittunt. Deinde, vt fieri ſolet in rebus incertis, dum inter ſe inuicem quærunt, quæ ſit huius perſeuerantiæ cauſa, multa, quæ ad religionem pertinent, diuulgata, ac per rumorem viciſſim aucupata, diſcuntur: quæ quia bona ſunt, placeant, neceſſe eſt. Præterea, vltio conſecuta, ſicut ſemper accidit, ad credendum vehementer impellit. Nec hæc quidem leuis cauſa eſt, quod immundi dæmonum ſpiritus, accepta licentia, multorum ſe corporibus immergunt, quibus poſtea eiectis, omnes, qui reſanati fuerint, adhæreant religioni, cuius potentiam ſenſerunt.

Hæ tot cauſæ in vnum collatæ magnam Deo multitudinem mirabiliter acquirunt.

A

De Dei Viſione

CAP. XXIII.

QVicquid ergo aduerſum nos mali principes moliuntur, fieri ipſe permittit. Et tamen iniuſtiſſimi perſecutores, quibus Dei nomen contumeliæ, ac ludibrio fuit, non ſe putent impunè laturos, quia indignationis aduerſus nos eius, quaſi miniſtri fuerunt. Punientur enim iudicio Dei, qui accepta poteſtate ſupra humanum modum fuerint abuſi, & inſultauerint etiam Deo ſuperbius, eiuſque nomẽ æternum, veſtigiis ſuis ſubiecerint, impiè, nefarieque calcandum. Propterea vindicaturum ſe in eos celeriter pollicetur, & exterminaturum beſtias malas de terra. Sed idem, quamuis populi ſui vexationes & hic in præſenti ſoleat vindicare, tamen iubet nos expectare patienter illum cœleſtis

B

iudicij diem, quo ipſe pro ſuis quenque meritis aut honoret, aut puniat. Quapropter non ſperent ſacrilegæ animæ, contemptos & inultos fore, quos † ſic obterunt. Veniet, veniet rabioſis, & voracibus lupis merces ſua, qui iuſtas, & ſimplices animas, nullis facinoribus admiſſis, excruciauerunt. Nos tantummodo laboremus, vt ab hominibus nihil aliud in nobis, niſi ſola iuſtitia puniatur. Demus operam totis viribus, vt mereamur à Deo ſimul & vltionem paſſionis, & præmium.

al. hic

L. COELII FIRMIANI LACTANTII DIVINARVM INSTITVTIONVM,

DE VERO CVLTV, LIBER VI.

C

De Dei vero cultu, & innocentia: & cultu falſorum Deorum,

CAP. I.

QVod erat officium ſuſcepti muneris, diuino ſpiritu inſtruente, ac ſuffragante ipſa veritate compleuimus. Cuius aſſerendæ, atque illuſtrandæ cauſam mihi & ſcientiam, & fides, & ipſe Dominus noſter impoſuit: ſine quo nec ſciri quicquam poteſt, nec explicari. Venio nunc ad id, quod eſt ſummum operis huius, & maximum, vt doceam quo ritu, quove ſacrificio Deum coli oporteat. Id enim eſt hominis officium, in eoq; ſolo ſumma rerũ, & omnis beatæ vitæ ratio conſiſtit: quandoquidem propterea ficti, & inſpirati ab eo ſumus, non vt cœlum videremus, & ſolem (quod Anaxagoras putauit) ſed vt artificem ſolis, & cœli Deũ pura, & integra mente coleremus. Quamuis autem præcedẽtibus libris, pro ingenii mediocritate defenderim veritatem, tamen ex ritu quoque ipſo elucere vel maximè poteſt.

D

Nihil enim, ſancta, & ſingularis illa maieſtas, aliud ab homine deſiderat, quam ſolam innocentiam: quam ſi quis obtulerit Deo, ſatis pie, ſatis religioſe litauit. Homines autem neglecta iuſtitia, cum ſint omnibus flagitiis, ac ſceleribus inquinati, religioſos ſe putant, ſi templa, ac aras, hoſtiarum ſanguine cruentauerint, ſi focos odorati, ac veteris vini profuſione madefecerint. Quin etiam ſacras dapes apparant, & exquiſitas epulas, quaſi aliquid inde libaturis offerunt. Quicquid aſpectu rarum, quicquid opere, aut odore pretioſum eſt, id gratum eſſe diis ſuis non ex aliqua diuinitatis ratione, quam neſciunt, ſed ex ſuis cupiditatibus iudicant. nec intelligunt, terrenis opibus Deum non indigere. Nihil enim ſapiunt, niſi terram, bonaque, & mala, ſolius corporis ſenſu, & voluptate perpendunt. Huius arbitrio, vt religionem ponderant, ſic totius vitæ ſuæ acta diſponunt. Et quoniam ſe ſemel à cœli contẽplatione auerterunt, ſenſumq; illum cœleſtem corpori mancipauerunt, libidinibus frena permittunt, tanquam ſecum ablaturus voluptatem, quam momẽtis omnibus capere feſtinãt, cum animus miniſterio corporis, nõ corpus miniſterio animi vti debeat. Iidem maximum bonum iudicant opes: quas ſi bonis artibus aſſequi nõ poſſunt, malis aſſequuntur, mandant, rapiunt, ſpoliant, inſidiantur, abiurant. nihil denique moderati, aut penſi habent, dummodo auro coruſcent, argento, gemmis, veſtibus fulgeant, auidiſſimo ventri opes ingerant, ſtipati familiarium gregibus, per dimotum populum ſemper incedant. Sic addicti, & ſeruientes voluptatib. vim, vigoremq; mentis extinguunt, & cum viuere ſe maximè putant, ad mortem concitatiſſimè properant. Nam, ſicut in ſecundo libro docuimus, cœleſtis ratio in animo, terræ autem in corpore eſt. qui bona negligunt animi, & corporis appetunt, in tenebris, ac morte verſantur, quæ ſunt terræ, atque corporis, quia vita, & lumen à cœlo eſt, cuius quoniam expertes ſunt, corpori ſeruiendo, longe abſunt ab intellectu rerum diuinarum. Eadem miſeros vbique cæcitas premit. ſicut enim qui ſit verus Deus, ita qui ſit verus cultus, ignorant.

E

F

De falſorum itidem deorum, & veri Dei cultu,

CAP. II.

MActant igitur opimas, ac pingues hoſtias Deo quaſi eſurienti, profundunt vina tanquam ſitienti, accendunt lumina velut in tenebris agenti. Quod ſi ſuſpicari, aut percipere animo poſſent, quæ ſint bona illa cœleſtia, quorum magnitudinem, terreno adhuc corpore obuoluti, ſenſu capere non poſſumus: iam ſe cum his officiis inanibus, ſtultiſſimos eſſe cognoſcant. † Vel ſi cœleſte lumen, quod dicimus ſolem, contemplari velint, iam ſentiant, † quod non indigeat lucernis eorum Deus, qui ipſe in vſum hominis tam claram, tam candidam lucem dedit. & tamen cum in tam paruo circulo, qui propter longinquitatem, non amplius, quam humani capitis videtur habere menſuram, tantum ſit fulgoris, vt eum mortalium luminum acies non queat contueri, & ſi paulisper intenderis, hebetatos oculos caligo, ac tenebræ conſequantur: quid tandem luminis, quid claritatis apud ipſum Deum, penes quem nulla nox eſt, eſſe arbitremur? qui hanc ipſam lucem ſic moderatus eſt, vt neq; nimio fulgore, neque calore vehementi noceret animantibus, tantumq; iſtarum rerum dedit ei, quantum ad mortalia corpora pati poſſunt, aut frugum maturitas poſtularet. Num igitur mentis ſuæ compos putandus eſt, qui auctori, & datori luminis, candelarum, ac cerarum lumen offert pro munere? Aliud vero ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, ſed, vt ait poeta, liquidum, atque clarum, mentis ſcilicet, propter quod à poetis φὼς nuncupatur, quod exhibere non poteſt, niſi qui Deum agnouerit. Illorum autem dij, quia terreni ſunt, egent luminibus, ne in tenebris ſint. quorum cultores, quia cœleſte nihil ſapiunt, etiam religiones, quibus deſeruiunt, ad terram reuocant. In ea enim lumine opus eſt, quia ratio eius, & natura tenebroſa eſt. Itaque Diis non cœleſtem ſenſum, ſed humanum potius attribuunt. ideoq; illis neceſſaria, & grata credunt eſſe, quæ nobis, quibus aut eſurientibus, opus eſt cibo, aut ſitientibus, potu, aut veſte, algentibus, aut cũ ſol deceſſerit, lumine, vt videre poſſimus. Nullis igitur ex rebus tam probari, & intelligi poteſt, deos illos, cum aliquando vixerint, mortuos eſſe, quam ex ipſo ritu, qui eſt totus è terra. Quid enim cœleſtis in ſe boni poteſt habere pecudum ſanguis effuſus, quo aras inquinant? niſi forte Deos exiſtimant eo veſci, quod homines aſpernantur attingere. Et quiſquis illis hanc ſaginam præſtiterit, quamuis ille graſſator, adulter, veneficus, parricida ſit, beatus, ac felix erit. Hunc diligunt, hunc tuentur, huic omnia, quæ optauerit, præſtant. Meritò ergo Perſius huiuſcemodi ſuperſtitiones ſuo more deridet.

> —*Quatu, inquit, mercede Deorum*
> *Emeris auriculas, pulmone, & lactibus vnctis*

Sentiebat videlicet, non carne opus eſſe ad placandam cœleſtem maieſtatem, ſed mente ſancta, & iuſto animo, & pectora

Margin notes: *Cũ iudicio accipe, quæ hoc capite Lactantius diſſerit de non accẽdẽdis cãdelis, & cereis in tẽ. *al.* quod *al.* quam plis, nã vt rectè innuitur in Genubeſi

G

& ſuperſtitioſum Ethnicorum ritum, ita ſatis improuidè anſam Nouatorum quibuſdã præbuiſſe videtur carpendi piũ, & religioſũ morẽ accendendi cereos, & Lãpades in Eccleſiis ad altaria, ad Reliquias Martyrum, &c.

H

quẽ quoq; ſanctum vſum impius Vigilantius tangi abat *Vide Bellarm lib. 2. de Reliq. Sanctorũ ca. 1. & 4. & Baron. an. Tom. 1 Annal. anno Domini 58.*

A pectore, vt ipſe ait, quod naturali ſit honeſtate generoſum. Hæc eſt religio cœleſtis, non quæ conſtat ex rebus corruptis, ſed quæ virtutibus animi, qui oritur è cœlo. Hic verus eſt cultus, in quo mens colentis, ſeipſam Deo immaculatam victimam ſiſtit. Id autem ipſum quomodo conſequendum, quomodo præſtandum ſit, docebit huius libri diſputatio. Nihil enim tam præclarum, hominiq; conueniens poteſt eſſe, quam erudire homines ad iuſtitiam. Apud Ciceronem Catulus in Hortenſio philoſophiam rebus omnibus præferens, malle ſe dicit vel vnum paruum de officio libellum, quam longam orationem pro ſeditioſo homine Cornelio. Quæ ſententia non vtique Catuli, qui fortaſſe illud non dixit, ſed Ciceronis eſt putanda qui ſcripſit. Credo vt libellos, quos de officiis erat ſcripturus, commendaret: in quibus ipſis, nihil eſſe teſtatur in omni philoſophia melius, & fructuoſius, quam præcepta vitæ dare. Quod ſi
B hoc illi faciunt, quibus non eſt veritas cognita, quanto magis nos facere debemus, qui à Deo eruditi, & illuminati, poſſumus vera præcipere? nec tamen ſic docebimus, vt quaſi prima virtutis elementa tradamus, quod eſt infinitum, ſed tanquam docendum ſuſceperimus eum, qui apud illos tam perfectus eſſe videatur. Manentibus enim
al. dare præceptis eorum, quæ ſolent ad probitatem rectè * dari, ignota illis ſuperſtruemus, ad perficiendam, conſummandamque iuſtitiam, quam non tenent. Ea verò, quæ poſſunt cum illis eſſe communia, prætermittam, ne quid ab iis videar mutuari, quorum errores coarguere, atque aperire decreuerim.

De viis vitæ: & ibi de vitiis, & virtutibus: de cœli præmiis, & infernorum pœnis.

CAP. III.

Dvæ ſunt vitæ (Conſtantine Imp.) per quas humanam vitam progredi neceſſe eſt. vna, quæ in cœlum ferat; altera, quæ ad inferos deprimat, quas & poetæ in carminibus, & philoſophi in diſputationibus ſuis induxerunt. Et
C quidem philoſophi alteram virtutum eſſe voluerunt, alteram vitiorum; eamq; quæ ſit aſſignata virtutibus, primo aditu eſſe & arduam, & confragoſam; in qua ſiquis difficultate ſuperata, in ſummum eius euaſerit, habere eum de cætero planum iter, lucidum, amœnumq; campum, & omnes laborum ſuorum capere fructus vberes, atq; iocundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos in eam vitiorum viam labi, atq; deflectere, quæ primo ingreſſu ſit quaſi amœna, multoq; tritior: deinde cum in eam paulò vlterius proceſſerint, amœnitatis eius ſpeciem repentè ſubduci: exoriri autem viam præcipitem, nunc ſaxis aſperam, nunc obductam ſentibus, nunc gurgitibus interciſam, vel torrentibus rapidam, vt laborare, hærere, labi, cadere ſit neceſſe. Quæ omnia eo proferuntur, vt appareat, in virtutibus capiendis, labores eſſe maximos, in perceptis autē maximos fructus, & ſolidas, atq; incorruptas voluptates: vitia verò quibuſdam delinimentis naturalibus illicere animos hominum, & inanium iucunditatum ſpecie captos, ad acerbas amaritudines, miſeriaſque perducere. Sapiens prorſus diſputa-
D tio, ſi virtutum ipſarum formas, atq; terminos ſcirent. Non enim didicerant, vel quæ ſint, vel quæ eas merces à Deo maneat, quod nos his duobus libris docebimus. Hi verò, quia ignorabant, aut dubitabant, animas hominum immortales eſſe: virtutes, & vitia terrenis honoribus, aut pœnis æſtimauerunt. Omnis ergo hæc de duabus viis diſputatio, ad frugalitatem, ac luxuriam ſpectat. Dicunt enim humanæ vitæ curſum, Y. literæ eſſe ſimilem, quod
al. prima vnuſquiſque hominum, cum * primum adoleſcentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit, partes vbi ſe via findit in ambas, hæreat nutabundus, ac neſciat in quam ſe partem potius inclinet. Si ducem nactus fuerit, qui dirigat ad meliora titubantem, hoc eſt, ſi aut philoſophiam didicerit, aut eloquentiam, aut aliquid honeſtæ artis, quò euadat ad bonam frugem, quod fieri ſine labore maximo non poteſt: honeſtam, ac copioſam vitam, diſputant, peracturum. Si verò doctorem frugalitatis non inuenerit, in ſini-
al. incidere ſtram viam, quæ meliora ſpeciem mentitur * incedere, id

E eſt, deſidiæ, inertiæ, luxuriæ ſe tradere, quæ ſuauia quidem videntur ad tempus, vera bona ignoranti, poſt autem amiſſa omni dignitate, ac re familiari, in omnib. miſeriis, ignominiaq; victurum. Ad corpus ergo, & ad hanc vitam quam in terra ducimus, fines earum viarum retulerunt. Poetæ fortaſſe melius, qui hoc biuium apud inferos eſſe voluerunt. Sed in eo falluntur, quod eas vias mortuis propoſuerunt. Vtrique ergo verè, ſed tamen vtriq; non rectè, quia oportuit, vias ipſas ad vitam, fines earum ad mortem referri. Nos igitur melius, & verius, qui duas iſtas vias, cœli, & inferorum eſſe dicimus, quia iuſtis immortalitas, iniuſtis pœna æterna propoſita eſt. *a* Quomodo autem † vitæ † iſtæ vel in cœlum tollant, vel ad inferos præcipitent, explicabo, aperiamque, quæ ſint virtutes, quas philoſophi neſcierunt: tum, earum quæ ſint præmia: ſimul etiam quæ ſint vitia, quæve eorum ſupplicia, monſtrabo. Nam fortaſſe aliquis expectet, vt ſeparatim de vitiis, ac virtutibus dicam, cum de bono aut malo diſſerentibus nobis, etiam quod eſt cōtrarium poſſit intelligi. Siue enim virtutes inferas; vitia ſua ſponte decedent: ſiue etiam vitia extinxas; virtutes vltro ſubibunt. ſic bonorum, ac malorum conſtituta natura eſt, vt ſe inuicem ſemper oppugnent, ſemper expellant. ita fit, vt neque vitia detrahi ſine virtutibus poſſint; nec virtutes inſeri ſine detractione vitiorum. Has igitur vias longe aliter inducimus, quam à philoſophis induci ſolent. Primum, quod vtrique præpoſitum eſſe dicimus ducem, vtrumque immortalem: ſed alterum honoratum, qui virtutibus, ac bonis præſit, alterum damnatum, qui vitiis, ac malis. Illi autem in dexteriore tantum via ducem ponunt, neq; vnum, neque perpetuum. Siquidem quemlibet doctorem bonæ artis inducunt, qui à deſidia reuocet homines, & frugi eſſe doceat. Sed neque ingredi faciunt in eam viam, niſi pueros, & adoleſcentes, videlicet quod artes diſcantur in his ætatibus. Nos autem, omnis ſexus, & generis, & ætatis, in hoc cæleſte iter inducimus: quia Deus, qui eius viæ dux eſt, immortalitatem nulli hominum nato negat. Forma quoq; ipſarum viarum non ita eſt, vt illi putauerunt. Quid enim opus eſt Y. litera in rebus contrariis, atq; diuerſis? Sed altera illa melior, conuerſa eſt ad ſolis ortum, altera illa deterior, ad occaſum: quoniam qui veritatem, ac iuſtitiam ſequitur, is accepto immortalitatis præmio, perenni luce potietur: qui autem ab illo malo duce illectus prætulerit vitia virtutibus, mendacium veritati, neceſſe eſt, ad occaſum, & tenebras deferatur. Deſcribam igitur vtramque, & earum proprietates, habituſque monſtrabo.

al. hæ.
al. Viæ.

F

G

S c h o l i a.

a Quomodo autem vitæ iſtæ] *legitur in libris typis excuſis.* quomodo autem hæ viæ, *legendum eſt ex vtroque codice ſancti Saluatoris. nam re vera de duabus viis antea diſputauit, & illæ, quibus, vel in cœlum, vel ad inferos itur, veræ ſunt viæ.*

De vitiis itidem vita, & voluptatibus, & incommodis Chriſtianorum.

H

CAP. IV.

Vna eſt itaque virtutis, ac bonorum via, quæ fert non in Elyſios campos, vt poetæ loquuntur, ſed ad ipſam mundi arcem.

— At læua, malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Eſt enim criminatoris illius, qui prauis religionibus inſtitutis, auertit homines ab itinere cœleſti, & in viam perditionis inducit. Cuius viæ ſpecies, & figura ſic eſt compoſita in aſpectu, vt plana, & patens, & omni genere florum, atq; fructuum delectabilis eſſe videatur. *a* in ea enim poſuit omnia, quæ pro bonis habentur in terra, opulentiam dico, honorem, quietem, voluptatem, illecebras omnes: ſed cum his pariter iniuſtitiam, crudelitatem, ſuperbiam, perfidiam, libidinem, cupiditatem, diſcordiam, ignorantiam, mendacium, ſtultitiam cæteraque vitia. Exitus autem huius vitæ talis eſt. Cum verum fuerit ad extremum, vnde iam regredi

al. poſita ſunt.

A non licet, cum omni ſua pulchritudine tam ſubito præciditur, vt non antè quis fraudem proſpicere poſſit, quàm *b* præcipitatus † in altitudinem † profundam cadat. Quiſquis enim præſentium bonorum ſpecie captus, & in his conſequendis, ac fruendis occupatus, non prævideris ea, quæ poſt mortem ſecutura ſunt, ſeque à Deo auerterit: is verò ad inferos deiectus, in æternam damnabitur pœnam. Via verò illa cœleſtis, difficilis, & cliuoſa propoſita eſt, vel ſpinis horrentibus aſpera, vel ſaxis extantib. impedita, vt cum ſummo labore, ac pedum tritu, cumque magna cadendi ſolicitudine ſit cuique gradiendum. In hac poſuit iuſtitiam, temperantiam, patientiam, fidem, caſtitatem, abſtinentiam, concordiam, ſcientiam, veritatem, ſapientiam, cæteraſque virtutes, ſed ſimul cum his paupertatem, ignominiam, laborem, dolorem, amaritudines omnes. Quiſquis enim ſpem ſuam porrexerit longius, & meliora maluerit, carebit his terræ bonis, vt expeditus, ac leuis difficultatem viæ ſuperet. Nec enim poteſt, qui ſe apparatu regio circundederit, aut diuitiis onerauerit, anguſtias illas vel ingredi, vel tenere.

B Vnde intelligitur, idcirco malis, & iniuſtis facilius prouenire quæ cupiant, quia prona, & decliuis eſt eorum via: bonis autem, quæ optent, difficile procedere, quia difficili, & arduo itinere gradiuntur. Iuſtus ergo, quoniam durum, aſperumq; iter ingreſſus eſt, contemptui, deriſui, odio ſit, neceſſe eſt. Omnes enim quos cupiditas, aut voluptas præcipites trahit, inuident ei, qui virtutem capere potuit, & inique ferunt, id habere aliquem, quod ipſi non habent. Erit itaque pauper, humilis, ignobilis, ſubiectus iniuriæ, & tamen omnia quæ amara ſunt, perferens. Et ſi patientiam iugem, ad ſummum illum gradum, finemque perduxerit, dabitur ei corona virtutis. & à Deo pro laboribus, quos in vita propter iuſtitiam pertulit, immortalitate donabitur. Hæ ſunt viæ, quas Deus humanæ vitæ aſſignauit, in quibus ſingulis & bona oſtendit, & mala. ſed ordine *al. ſua* præpoſtero, atq; conuerſo. In * vna enim monſtrauit temporalia prius mala cum æternis bonis, qui eſt ordo melior: in altera, temporalia prius bona, cum æternis malis, qui eſt ordo deterior: vt quicunq; præſentia mala cum iuſtitia delegerit, maiora, & certiora conſequatur bona, quam fuerũt

C illa, quæ ſpreuit: quiſquis autem præſentia bona prepoſuerit iuſtitiæ, in maiora, & longiora incidat mala, quam fuerunt illa quæ fugit. *c* Hæc enim vita * temporalis, quia *al. corporalis* breuis eſt, idcirco & bona eius, & mala, breuia ſint, neceſſe eſt. Illa verò ſpiritalis, quæ huic terrenæ contraria eſt, quoniam ſempiterna eſt, idcirco & bona eius, & mala ſempiterna ſunt. Ita fit, vt & bonis breuibus mala æterna, & malis breuibus bona æterna ſuccedant. Itaq. cum ſimul propoſita ſint homini bona, & mala, cõſiderare vnumquẽque ſecum decet, quanto ſatius ſit, perpetuis bonis mala breuia penſare, quam pro breuibus, & caducis bonis mala perpetua ſuſtinere. Nam ſicut in hoc ſeculo, cum eſt propoſitum cum hoſte certamen, prius laborandum eſt, vt ſis poſtmodum in otio, eſuriendum, ſitiendum, æſtus, frigora perferenda, humi quieſcendum, vigilandum, periclitandũ eſt, vt ſaluis pignoribus, & domo, & re familiari, & omnib. pacis, ac victoriæ bonis perfrui poſſis: ſin autem præſens otium malueris, quam laborem, malum tibi maximum facias,

D neceſſe eſt: præoccupabit enim aduerſarius non reſiſtentem, vaſtabuntur agri, diripietur domus, in prædam vxor, ac liberi venient, & tu ipſe interficiere, aut capiere: quæ omnia ne accidant, præſens commodum differendum eſt, vt maius, longiuſq. pariatur: Sic in omni hac vita, quia nobis aduerſarium Deus reſeruauit, vt poſſemus capere virtutem, omittẽda eſt præſens voluptas, ne hoſtis opprimat, vigilandum, ſtationes agendæ, militares expeditiones obeundæ, *al. grauis.* fundendus ad vltimum cruor, omnia denique amara, & † grauiora, patienter ferenda, eo quidem promptius, quo nobis Imperator noſter Deus præmia pro laboribus æterna conſtituit. Et cum in hac terrena militia, tantum homines labores exhauriant, vt ea ſibi pariant, quæ poſſunt eodem modo perire, quo parta ſunt, certè nobis nullus labor eſt recuſandus, quib. id acquiritur, quod nullo modo poſſit amitti. Voluit enim Deus, qui homines ad hanc militiam genuit, expeditos in acie ſtare, & intentis acriter animis, ad vnius hoſtis inſidias, vel apertos impetus vigilare, qui

E nos, ſicut periti, & exercitati duces ſolent, variis artibus captat, pro cuiuſque natura & moribus ſæuiens. Aliis enim cupiditatem inſatiabilem immittit, vt opibus ſuis tanquam compedibus illigatos, à via veritatis excutiat. Alios inflammat iræ ſtimulis, vt ad nocendum potius intentos, à Dei contemplatione detorqueat. Alios immoderatis libidinibus immergit, vt voluptati, & corpori ſeruientes, ad virtutem reſpicere non poſſint. Aliis verò inſpirat inuidiam, vt ſuis ipſi tormentis occupati, nihil cogitent aliud, niſi eorum, quos oderint, felicitatem. Alios † inflammat ambitionib. *al. inflat* Hi ſunt, qui ad gerendos magiſtratus omnem vitę ſuæ operã, curamque conuertunt, vt faſtos ſignent, & annis nomen imponant. Quorundam cupiditas tendit altius, nõ vt prouincias temporali gladio regant, ſed vt infinita, & perpetua poteſtate Domini ſe dici velint vniuerſi generis humani. Quos autem pios viderit, vanis implicat religionibus, vt impius faciat. Iis verò, qui ſapientiam quærunt, philoſophiam in oculos impingit, vt ſpecie lucis excæcet, ne

F quis comprehendat, ac teneat veritatem. Sic hominibus obſtruxit aditus omnes, & obſepſit vias, publicis lætus erroribus: quos vt diſcutere poſſemus, ipſumque auctorem malorum vincere, illuminauit nos Deus, & armauit vera, cœleſtique virtute, de qua nunc mihi diſſerendum eſt.

S C H O L I A.

a In ea enim poſuit Deus] *habent libri impreſſi.* in ea enim poſita ſunt omnia, *lego ex pleriſque antiquis codicibus. nam illa, quæ mala ſunt, vel ſpeciem quandam mali habent, non referenda ſunt ad Deum, ſed ad nos, qui peccatis noſtris mala nobis creamus, rebuſque bonis in perniciem noſtram male vtimur.*

b Præcipitatus in altitudinem profundam cadat] *legitur in libris typis excuſis.* præcipitatus ea altitudine in profunda cadat, *habet codex antiquus, quod mihi valde probatur. nam cadere in altitudinẽ, nulla modo dici poteſt, cum illud ſit erigi, non cadere.*

c Hæc enim vita corporalis] *legendum eſt ex pleriſque codicibus antiquis. nam inferius illam, quam huic apponit, nominat ſpiritalem cum propriè contraria, & repugnans eſt corporalis, non temporalis, quæ cum æterna repugnat.*

G

De falſa virtute, & de eadem vera ſententia,

C A P. V.

SEd prius quam ſingulas virtutes exponere incipiam, determinanda eſt ipſa virtus, quam non rectè philoſophi definierunt, quid eſſet, aut in quibus rebus, quid operis, quid habeat officij. Nomen itaque ſolum retinuerunt, vim verò, & rationem, & effectum perdiderunt. Quęcunque autem in definitionem virtutis ſolent dicere, paucis verſibus colligit, & enarrat Lucilius: quos malo equidem ponere, ne, dum multorum ſententias refello, ſim longior, quam neceſſe eſt:

Virtus Albine eſt, pretium perſoluere verum,
Queis in verſamur, queis viuimus rebus poteſſe. H
Virtus eſt homini, ſcire id, quod quæque habeat res.
Virtus, ſcire, homini rectum, vtile, quid ſit honeſtum,
Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe, inhoneſtum.
Virtus quærendæ finem rei ſcire, modumque.
Virtus, diuitiis pretium perſoluere poſſe.
Virtus, id dare, quod reipſa debetur honori: (lorum,
Hoſtem eſſe, atque inimicum hominum, morumque ma-
Contra, defenſorem hominum, morumque bonorum,
Hos magni facere, his bene velle, his viuere amicum.
Commoda præterea patriæ ſibi prima putare,
Deinde parentum, tertia iam, poſtremaque noſtra.

Ab iis definitionibus, quas poeta breuiter cõprehendit, M. Tullius traxit officia viuendi, Panætium Stoicum ſecutus, eaque tribus voluminibus incluſit. Hæc autem quam falſa ſint, mox videbimus, vt appareat, quantum in nos dignatio diuina contulerit, quæ nobis aperuit veritatem. Virtutem eſſe dixit, ſcire, quid ſit bonum, & malum, quid turpe, quid honeſtum, quid vtile, quid minus. breuius facere potuit, ſi tantum bonum, ac malũ diceret, quia nihil poteſt

eſſe-

A eſſe vtile, vel honeſtum, quod non idem bonum ſit, nihil inutile, ac turpe, quod non idem malum. Quod & philoſophus videtur, & idem Cicero in tertio ſupradicti operis libro oſtendit. Verum ſcientia non poteſt eſſe virtus, quia non eſt intus in nobis, ſed ad nos extrinſecus venit. Quod autem tranſire ab altero ad alterum poteſt, virtus non eſt, quia virtus ſua cuique eſt. Scientia igitur alieni beneficij eſt, quia poſita eſt in audiendo. Virtus tota noſtra eſt, quia poſita eſt in voluntate faciendi bona. Sicut ergo in itinere celerando nihil prodeſt, viam noſſe, niſi conatus, ac vires *ſuppeditent ambulandi: ita verò ſcientia nihil prodeſt, ſi virtus propria deficiat. Nam ferè etiam ij, qui peccant, etſi non perfectè, tamen quid ſit bonum, & malum ſentiunt, & quoties aliquid improbe faciunt, peccare ſe ſciunt, & ideo celare nituntur. Sed cum eos boni, & mali natura non fallat, cupiditate mala vincuntur, vt peccent, quia deeſt illis virtus, id eſt, cupiditas recta, & honeſta faciendi. Ex hoc igitur apparet, aliud eſſe ſcientiam boni maliq; aliud virtutem, *quod poteſt eſſe ſciẽtia ſine virtute, ſicut in plurimis philoſophorum fuit. In quo, quoniam rectè ad culpã pertinet, non feciſſe, quæ ſcieris, rectè voluntas praua, & vitioſus animus, quem excuſare ignoratio non poteſt, punietur. Ergo ſicut virtus non eſt bonum, ac malum ſcire, ita virtus eſt, bonum facere, malum non facere. Et tamen ſcientia ſic cum virtute coniuncta eſt, vt ſcientia præcedat virtutem, virtus ſequatur ſcientiam, quia nihil prodeſt cognitio, niſi & actio ſubſequatur. Horatius igitur paulo melius:

al. ſuppetant

al. quia

B

Virtus eſt, vitium fugere: & ſapientia prima.

Sed ineptè, quod eam contrario terminauit, vt ſi diceret: Bonum eſt, quod malum non eſt. Cum enim quid ſit virtus, neſcio, ne vitium quidem quid ſit, ſcio. Vtrumq; igitur indiget definitione, quia natura rei talis eſt, vt vtrumq; aut intelligi, aut non intelligi ſit neceſſe. Verum nos faciamus, quod ille debuit. Virtus eſt, iram cohibere, cupiditatem compeſcere, libidinem refrenare. id eſt enim, vitium fugere. Nam fere omnia, quæ fiunt iniuſtè, atque improbè, ab his oriuntur affectibus. Si enim commotionis huius,

C quæ ira dicitur, impetus retundatur, omnes hominum cõtentiones malæ ſopientur, nemo inſidiabitur, nemo proſiliet ad nocendum. Item ſi cupiditas temperetur, nemo terra, mariq; graſſabitur, nemo exercitum ducet, vt rapiat, & vaſtet aliena. Item ſi *ardor libidinum comprimatur, omnis ætas & ſexus retinebit ſuam ſanctitatem, nemo quicquam pudendum aut patietur, aut faciet. Ergo vniuerſa ſcelera, & flagitia, his commotionibus virtute ſedatis, ex hominum vita, moribuſq; tollentur. Quæ ſedatio commotionum, & affectuum hanc habet rationem, vt omnia recta faciamus. *Omnis igitur virtutis officium eſt, non peccare. quo profectò fungi non poteſt, qui Deum neſcit: quoniam ignoratio eius, à quo bona oriuntur, imprudentem impingat in vitia, neceſſe eſt. Itaq; vt breuius, & ſignificantius vtriuſq; rei ſumma officia determinemus, ſcientia eſt, Deum noſſe; virtus, colere: in illo ſapientia, in hoc iuſtitia continetur.

al. ardor

al. omne

De ſummo bono: & virtute, ſcientia, iuſtitia.

D

CAP. VI.

Dixi, quod erat primum, ſcientiam boni non eſſe virtutem: deinde, quid ſit virtus, & in quo ſit. Sequitur, vt id quoq; ipſum, quid ſit bonum, & malum, neſciſſe philoſophos, breuiter oſtendam, quod penè declaratum eſt libro tertio, cum de ſummo bono diſputarem. Qui autem, quid eſſet ſummum, neſcierunt, & in cæteris bonis, maliſve, quæ ſumma non ſunt, errauerint, neceſſe eſt: quæ non poteſt vero iudicio examinare, qui fontem ipſum nõ tenet, vnde illa deſcendunt. Fons autem bonorum Deus eſt, malorum vero ille, ſcilicet diuini nominis ſemper inimicus, de quo ſæpè diximus. Ab his duobus principiis bona, malaque oriuntur. Quæ veniunt à Deo, hanc habent rationem, vt immortalitatẽ pariant, quod eſt ſummum bonum: quæ autem ab illo altero, id habent officium, vt cæleſtibus auo-

E catum, terreniſque demerſum, *pœnam interficiant *ſempiternam, quod eſt ſummum malum. Num igitur dubium eſt, quin illi omnes, quid eſſet bonum, & malum, ignorauerint, *qui nec Deum, nec aduerſarium humani generi *ſcierint? Itaque finem bonorum, ad corpus & ad hanc breuem vitam retulerunt, quam ſcilicet ſolui, & occidere, neceſſe eſt: non ſunt progreſſi vlterius. ſed omnia eorum præcepta, & omnia quæ inducunt, bona, terræ inhærent, & humi iacent, quoniam ſimul cum corpore, quod eſt terra, moriuntur. pertinent enim non ad vitam homini comparandam, ſed ad quærendas, vel augendas opes, honores, gloriam, potentiam, quæ ſunt vniuerſa mortalia, tam ſcilicet, quam ille, qui, vt ea ſibi contingerent, laborauit. Hinc eſt illud:

al. pœna

al. ſempiterna

al. ſciuerint

Virtus, quærenda finem rei ſcire, modumque.

Præcipiunt enim quibus modis, & quibus artibus, res familiaris quærenda ſit, quia vidẽt malè quæri ſolere. ſed huiuſmodi virtus non eſt propoſita ſapienti. Nec enim virtus eſt, opes quærere, quarum neque inuentio, neque poſſeſſio in noſtra poteſtate eſt. Itaque & quæſitu, & obtentu faciliores ſunt malis, quam bonis. Non poteſt ergo virtus eſſe in ijs rebus quærendis, in quarum contemptu, vis, ac ratio virtutis apparet, nec ad ea ipſa transfugiet, quæ magno, ac excelſo animo calcare, ac proterere geſtit: neq; fas eſt, animam cœleſtibus intentam bonis, vt hæc fragilia ſibi comparet, ab immortalibus ſuis operibus auocari. Sed potiſſimum in ijs rebus comparandis, virtutis ratio conſiſtit, quas nobis nec homo vllus, nec mors ipſa poſſit auferre. Cum hæc ita ſe habeant, illud, quod ſequitur, verum eſt:

F

Virtus, diuitiis pretium perſoluere poſſe.

Qui verſus idem ferè ſignificat, quod primi duo. ſed neque ipſe, neque quiſquam philoſophorum ſcire potuit, pretium ipſum vel quale, vel quod ſit. Id enim poeta, & illi omnes, quos ſecutus eſt, putauerunt, rectè opibus vti, hoc eſt, frugi eſſe; non inſtruere conuiuia ſumptuoſe, nec largiri temere, non effundere in res ſuperuacuas, aut turpes rẽ familiarem. Dicet aliquis fortaſſe: Quid tu? negaſne hanc eſſe virtutem? non equidem nego. contraria enim videar probare, ſi negem. Sed veram nego, quia non ſit illa cœleſtis, ſed tota terrena, quandoquidem nihil efficit, niſi quod remaneat in terra. Quid ſit autem rectè opibus vti, & quis ſit ex diuitiis fructus petendus, declarabo apertius, cum de pietatis officio loqui cœpero. Iam cætera, quæ ſequuntur, nullo modo vera ſunt. Nam improbis inimicitias indicere, aut bonorum defenſionem ſuſcipere, poteſt cum malo eſſe commune. Quidam enim probitate ficta, viam ſibi ad potentiam muniunt, faciuntque multa, quæ boni ſolent, eo quidem promptius, quod fallendi gratia faciunt. vtinamq; tam facile eſſet præſtare, quã facile eſt ſimulare bonitatem. Sed ij, cum eſſe cœperint propoſiti ac voti ſui compotes, & ſummum potentiæ gradum ceperint, tum verò ſimulatione depoſita, mores ſuos detegunt, rapiunt omnia, & violant, & vexant, eoſque ipſos bonos, quorum cauſam ſuſceperant, inſequuntur, & gradus, per quos aſcenderunt, amputant, nequis illos contra ipſos poſſit imitari. Verumtamen putemus, hoc officium non niſi boni eſſe, vt bonos defendat. At id ſuſcipere, facile eſt, implere, difficile: quia cum te certamini, congreſſionique commiſeris, in arbitrio Dei, non tuo, poſita victoria eſt. Et plerumque improbi & numero, & conſpiratione ſunt potentiores quam boni, vt ad eos ſuperandos, non tam virtus ſit, quam felicitas neceſſaria. An aliquis ignorat *aliquoties melior, iuſtiorque pars victa ſit? Hinc ſemper dominationes acerbæ in ciues extiterunt. Plena eſt exemplis omnis hiſtoria, ſed nos contenti erimus vno. Cn. Pompeius bonorum voluit eſſe defenſor, ſiquidem pro republica, pro ſenatu, pro libertate arma ſuſcepit. Is tamen victus, cum ipſa libertate occidit, & à ſpadonibus Ægyptijs detruncatus, inſepultus abiectus eſt. Non eſt igitur virtus, aut hoſtem malorum eſſe, aut defenſorem bonorum, quia virtus incertis caſibus non poteſt eſſe ſubiecta.

G

H

al. quoties

A

Commoda præterea patriæ ſibi prima putare.

Sublata hominum concordia, virtus nihil eſt omnino. Quæ ſunt enim patriæ commoda, niſi alterius ciuitatis, aut gentis incommoda? Id eſt, fines propagare, alijs violenter ereptis, augere imperium, vectigalia facere maiora. Quæ omnia non vtiq; virtutes, ſed virtutum ſunt euerſiones. In primis enim tollitur humanæ ſocietatis coniunctio, tollitur innocentia, tollitur alieni abſtinentia, tollitur denique ipſa iuſtitia, quæ diſſidium generis humani ferre non poteſt, & vbicunque arma fulſerint, hinc eam fugari, & exterminari neceſſe eſt. Verum eſt enim Ciceronis illud: Qui autem ciuium rationem dicunt habendam, externorum negant, dirimunt hi communem generis humani ſocietatem: qua ſublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, iuſtitia funditus tollitur. Nam quomodo poteſt iuſtus eſſe, qui nocet, qui odit, qui ſpoliat, qui occidit? Quæ omnia faciunt, qui patriæ prodeſſe nituntur. Id enim ipſum prodeſſe, quid ſit, ignorant, qui nihil putant vtile, nihil commodum, niſi quod teneri manu poteſt, quod ſolum teneri non poteſt, quia eripi poteſt. Hæc itaque, vt ipſi appellant, bona quiſquis patriæ acquiſierit, hoc eſt, qui euerſis ciuitatibus, gentibuſq; deletis, ærarium pecunia refertierit, agros ceperit, ciues ſuos locupletiores fecerit, hic laudibus fertur in cœlum, in hoc putatur ſumma, & perfecta eſſe virtus. Qui error non modo populi, & imperitorum, ſed etiam philoſophorum eſt, qui præcepta quoque dant ad iniuſtitiam, ne ſtultitię, ac malitiæ diſciplina, & auctoritas deſit. Itaque cum de officijs ad rem militarem pertinentibus diſputant, neque ad iuſtitiam, neq; ad veram virtutem accommodatur illa omnis oratio, ſed ad hanc vitam, moremque ciuilem, quem non eſſe iuſtitiam, & res indicat, & ipſe Cicero teſtatus eſt. Sed nos, inquit, veri iuris, germanæque iuſtitiæ ſolidam, & expreſſam effigiem nullam tenemus. Vmbra, & imaginibus vtimus: eaſq; ipſas vtinam ſequeremur! feruntur enim ab optimis naturæ, ac veritatis exemplis. Vmbra eſt igitur, & imago iuſtitiæ, quam illi iuſtitiam putauerunt. Quid ſapientiam? nonne idem confitetur, in philoſophis eſſe nullam? Aut enim Fabritius, inquit, fortis, aut Ariſtides iuſtus nominatur, aut ab

B

C

illo fortitudinis, aut ab hoc iuſtitiæ petitur, nunquam à ſapiente, exemplũ. Nemo enim horum ſic ſapiens, vt ſapientem volumus intelligi. Nec ij, qui ſapientes habiti, & nominati, M. Cato, & C. Lælius ſapientes fuerunt: ne illi quidem ſeptem, ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam gerebant, ſpeciemq; ſapientium. Si* & philoſophis, ipſorum confeſſione, adempta ſapientia eſt, & ijs, qui iuſti habiti ſunt, adempta iuſtitia eſt: omnes igitur illæ virtutis deſcriptiones falſæ ſint, neceſſe eſt, quia quæ ſit virtus vera, ſcire non poteſt, niſi iuſtus, ac ſapiens, quod nemo eſt, niſi quem Deus præceptis cæleſtibus erudiuit.

al. ergo

S c h o l i a.

a Qui nec Deum, nec aduerſarium eius] *habent libri impreſſi.* qui nec Deum, nec aduerſarium humani generis, *legendum eſt ex antiquo codice. nam ſi diabolum dicamus Dei aduerſarium, nimium ei tribuimus, & videtur hoc ad errorem Manichæorum pertinere.*

D

De via erroris, & veritatis,

C A P. VII.

NAm illi omnes qui per aliorum confeſſam ſtultitiam ſapientes exiſtimãtur, ſpecie virtutis indocti, vmbras, & imagines apprehendunt, nihil verum, quod ea ſit ratione, quoniam via illa mendax, quæ fert ad occaſum, multos tramites habet, propter ſtudiorũ & diſciplinarum varietatem, quæ ſunt in vita hominis diſſimiles, atq; diuerſæ. Nam ſicut via illa ſapientiæ habet aliquid ſimile ſtultitiæ, quod libro præcedente monſtrauimus, ita hæc, cum ſit tota ſtultitiæ, habet aliquid ſimile ſapientiæ, quod arripiunt ij, qui ſtultitiam publicam intelligunt: & vt habet vitia manifeſta, ſic habet aliquid, quod ſimile eſſe videatur virtuti: vt habet apertum ſcelus, ſic imaginem quandam, ſpeciemque iuſtitiæ. Quomodo enim *percuſſor eius viæ, cuius vis, & poteſtas omnis in fallendo eſt, vniuerſos in fraudem poſſet inducere, niſi veriſimilia hominibus oſtentaret? a Deus enim, vt immortale illud arcanum eius in aperto eſſet, poſuit in via ſua, quæ homines pro malis, & turpibus aſpernarentur, vt auerſi à ſapientia, & veritate, quam ſine vllo duce requirebant, in id ipſum inciderent, quod vitare, ac fugere cupiebant. Itaq; illam perditionis, ac mortis viam multiplicem oſtendit, vel quod multa ſunt genera vitę, vel quod dij multi, qui coluntur. Huius dux præuaricator, ac ſubdolus, vt videatur eſſe diſcrimen aliquod falſi, & veri, mali, ac boni, alia ducit luxurioſos, alia eos, qui frugi appellantur, alia imperitos, alia doctos, alia inertes, alia ſtrenuos, alia ſtultos, alia philoſophos, & eos quidem nõ vno tramite. Illos enim, qui aut voluptates, aut diuitias non refugiunt, ab hac publica, & celebri via modicè ſegregat: eos autem, qui aut virtutem ſequi volunt, aut contemptum rerum profitentur, per confragoſa quædam præcipitia trahit. Sed tamen illa omnia itinera, quæ ſpeciem bonorum oſtentant, non ſunt aliæ viæ, ſed diuerticula, & ſemitæ, quæ videntur quidem ab illa communi dextrouerſum ſeparari, ad eandem tamen, & ad vnum omnes exitum ſub ipſo fine referuntur. Ibi enim dux ille coniungit omnes, vbi opus fuerat, bonos à malis, fortes ab inertibus, ſapientes à ſtultis ſeparari; in Deorum ſcilicet cultu, in quo ille vniuerſos, qui ſine vllo diſcrimine ſtulti fuerunt, vno mucrone iugulat, & præcipitat in mortẽ. Hæc autem via, quæ eſt veritatis, & ſapientiæ, & virtutis, & iuſtitiæ, quorum omnium fons vnus eſt, vna vis, vna ſedes, ſuauis, & ſimplex eſt, quod paribus animis ſummaque concordia vnum ſequamur, & colamus Deum, & anguſta, quoniam paucioribus virtus data eſt, & ardua, quoniam ad bonum, quod ſummum, atque ſublime eſt, niſi cum ſumma difficultate, ac labore non poteſt perueniri.

E

al. præcurſor.

F

S c h o l i a.

a Deus enim vt immortale illud arcanum in aperto eſſet poſuit, in via ſua, quæ homines pro malis, & turpibus aſpernarentur. &c.] *locus eſt perobſcurus, & primo aſpectu videtur Lactantius Deum auctorem facere rerum turpium, ac malarum: ſed ex his, quæ ante in eodem capite dixit, & præſertim ex capite vltimo præcedentis libri, hic locus intelligi debet: ait ergo Deum in via ſua poſuiſſe ea, quæ mala & turpia vulgo putantur, vt ſunt cruces, opprobria, verbera, & mors. quare? primum, vt probarentur electi: deinde, vt multi, qui ſapientiam inquirebant, videntes Chriſtianos pro religione, & diſciplina ſuſcepta conſtanter omnia tormenta, & mortem ipſam ſubire, inquirant, quænam ſit ea religio, & ea diſciplina, cui ſe addictos profitentur. ita illi, qui auerſi erant à ſapientia, & veritate, id eſt, à vera doctrina Chriſtianorum, cum tamen ſapientiam ſine vllo duce quærerent. erant enim ſapientiæ ſtudioſi, quam tamen quomodo quærerent neſciebant, in idipſum incidebant, quod vitare ac fugere cupiebant, id eſt, in ipſam religionem, & ſapientiam Chriſtianam, vel in illa eadem tormenta & cruces, quas antea vitare conſtituerant. quod quidem exemplo ſuo docuit Iuſtinus Philoſophus & martyr, ſic enim de ſe ait: quod, cum Platonis philoſophia delectaretur, audiens multos ex noſtris martyribus pro religione Chriſtiana conſtantiſſime mortem oppetere, voluit eam religionem noſſe pro qua illi tam libenter occumbebant, quam quidem ille, cum perfectè intellexiſſet, pro eadem poſtea non dubitauit vitam libentiſſime profundere, in ſe expertus, quod in alijs antea fuerat admiratus. quod ſi hæc ſententia non videtur tibi cum oratione Lactantij conuenire, de illo iudicato, vt voles, modo ſcias nos horrere, vt aliquo modo Deus ab vllo poſſit auctor mali vnquam nominari, & propterea laborare, vt hunc ſcriptorem ab eo errore vindicemus.*

G

H

De erroribus philoſophorum: & varietate legum.

C A P. VIII.

HÆc eſt via, quam philoſophi quærunt, ſed ideo non inueniunt, quia in terra potius, vbi apparere non poteſt quærunt. Errant ergo velut in mari magno, nec quo ferantur intelligunt, quia nec viam cernunt, nec ducem ſequuntur. Eadem namque ratione hanc vitæ viam quæ-

A ri oportet, qua in alto iter nauib. quæritur, quæ niſi aliquod cœli lumen obſeruent, incertis curſibus vagantur. Quiſquis autem rectum iter vitæ tenere nititur, non terram debet aſpicere, ſed cœlum, & (vt apertius loquar) non hominem ſequi debet, ſed Deum, non his terreſtribus ſimulachris, ſed Deo ſeruire cœleſti, non ad corpus referre omnia, ſed ad mentem, non huic vitæ dare operam, ſed æternæ. Itaq; ſi oculos in cœlum ſemper intendas, & ſolem, qua oritur, obſerues, eumq; habeas vitæ, quaſi nauig. ducem, ſua ſponte in viam pedes dirigentur, & illud cœleſte lumen, quod ſanis mentibus multo clarius ſole eſt, quam hic, quem carne mortali videmus, ſic reget, ſic gubernabit, vt ad *ſummã ſapientiæ, virtutiſq; portum ſine vllo errore perducat. Suſcipienda igitur Dei lex eſt, quæ nos ad hoc iter dirigat, illa ſancta, illa cœleſtis, quam Marcus Tullius in libro de Rep. tertio penè diuina voce depinxit, cuius ego, ne plura dicerem, verba ſubieci. Eſt quidem vera lex, recta ratio, naturæ

al. ſummũ

B congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium, iubendo, vetando, à fraude deterreat: quæ tamen neque probos fruſtra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando, mouet. *a* Huic legi nec* promulgari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari poteſt. Nec verò aut per ſenatum, aut per populum ſolui hac lege poſſumus. Neq; eſt quærendus explanator, aut interpres eius alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac, *b* ſed & * omnes gentes, & omni tempore vna lex, & ſempiterna, & immutabilis continebit, vnuſque erit communis quaſi magiſter, & imperator omnium Deus, ille legis huius inuentor, diſceptator, lator: cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis †aſpernabitur, hoc ipſo luet maximas pœnas, etiam ſi cætera ſupplicia, quæ putantur, effugerit. Quis ſacramentum Dei ſciens tam ſignificanter enarrare legem Dei poſſit, quam illam homo longe à veritatis notitia remotus expreſſit? Ego verò eos, qui vera imprudenter loquuntur, ſic habendos puto, tanquam diuinent ſpiritu aliquo inſtincti. Quod ſi vt legis ſanctæ vim, rationemque peruidit, ita illud quoque ſciſſet, aut explicaſſet, in quibus præceptis lex ipſa conſiſteret: non philoſophi functus eſſet officio, ſed Prophetæ. Quod quia facere ille non poterat, nobis faciendum eſt, quibus ipſa lex tradita eſt ab illo vno

al. abrogari

al. omni genti & omni tempore vna lex eſt, ſempiterna & immutabilis, quã ſi continebit vnuſquiſq; erit, &c.

al. aſpernatus.

C magiſtro, & imperatore omnium Deo.

Scholia

a Huic legi nec propagari fas eſt] *legitur in libris impreſſis.* huic legi neque abrogari fas eſt, *habet codex antiquum. ſed ſane nunquam legi huiuſmodi verbum iunctum caſui dandi. ita puto moluiſſe legi, abrogari, vt ſignificaret in lege illa nihil mutari poſſe. verba verò hæc à nullo melius, quam ab Vlpiano titulo primo declarantur. lex, inquit, aut rogatur, id eſt, fertur: aut abrogatur, id eſt, prior lex tollitur: aut derogatur, id eſt, pars prima legis tollitur, aut ſubrogatur, id eſt adijcitur aliquid primæ legi, aut obrogatur, id eſt, mutatur aliquid ex prima lege. propagari autem, quod eſt in libris excuſis, planè nihil ad rem aptum ſignificat.*

b Sed & omni genti, & omni tempore vna lex eſt ſempiterna, & immutabilis, quam ſi continebit vnuſquiſque erit communis quaſi magiſter] *habet codex antiquus, in qua tota oratione optimum eſt ſenſus, & ad intelligendum perfacilis. & in hoc*

D *differt à vulgari lectione, quia hoc, quod ait de communi magiſtro, referendum eſt ad omnes, qui legem hanc probe intelligent. illud de imperatore referendum eſt ad Deum. in vulgari vero lectione vtrumque referendum eſt ad Deum, quod mihi magis placet. propterea retinui vulgatam, antiqua tantum in margine annotata.*

De lege & præcepto Dei: & miſericordia: & errore philoſophorum.

CAP. IX.

HVius legis caput primum eſt, ipſum Deum noſſe, ſoli obtemperare, ſolum colere. Non poteſt enim rationem hominis obtinere, qui parentem animæ ſuæ Deum

E neſcit, quod eſt ſummum nefas. Quæ ignoratio facit, vt Diis alienis ſeruiat. quo nihil ſceleratius committi poteſt. Hinc iam procliuis eſt ad malitiam gradus per ignorantiam veri, ac ſingularis boni, quia Deus quem noſſe refugit, fons eſt ipſe bonitatis. Vel ſi iuſtitiam ſequi volet Dei, diuini tamen iuris ignarus, gentis ſuæ leges, tanquam verũ ius amplectitur, quas non vtique iuſtitia, ſed vtilitas reperit. Cur enim per omnes populos diuerſa, & varia iura ſunt condita, niſi quod vnaquæque gens id ſibi ſanxit, quod putauit rebus ſuis vtile? Quantum autem à iuſtitia recedat vtilitas, populus ipſe Romanus docet, qui † per feciales bella indicendo, & legitimè iniurias inferendo, ſemperque aliena cupiendo, atq; rapiendo, poſſeſſionem ſibi totius orbis comparauit. Verum hi iuſtos putant, ſi contra leges ſuas nihil faciant, quod etiam timori adſcribi poteſt, ſi præſentium pœnarum metu, ſceleribus abſtineant. Sed concedamus ſane, vt id natura, vel (vt ait philoſophus) ſua ſponte faciant quod

al. perfid

F legibus facere coguntur. Num idcirco iuſti erunt, quia parent inſtitutis hominum, qui & ipſi aut errare, aut iniuſti eſſe potuerunt? Sicut illi duodecim tabularum conditores, qui certe publicæ vtilitati pro conditione temporum ſeruierunt. Aliud eſt igitur ciuile ius, quod pro moribus vbique variatur: aliud eſt vera iuſtitia, quam vniformem, ac ſimplicem propoſuit omnib. Deus: *a* quem qui ignorat, & † ipſum Deum ignoret neceſſe eſt. Sed putemus fieri poſſe, vt aliquis naturali, & ingenito bono, veras virtutes capiat, qualem fuiſſe Cimonem Athenis accepimus, qui & egenubus ſtipem dedit, & pauperes inuitauit, & nudos induit. Tamen cum illud vnum, quod eſt maximum, deeſt, agnitio Dei: iam illa bona omnia ſupervacua ſunt, & inania, vt fruſtra in his aſſequendis laborauerit. Omnis enim iuſtitia eius, ſimilis * eſt humano corpori caput non habenti: in quo tametſi membra omnia & locis ſuis conſtent, & figura, & habitudine, tamen quoniam deeſt id, quod eſt omnium principale, & vita, & omni ſenſu caret. Itaque membra illa formam tantummodo membrorum habent, vſum non habent, tam ſcilicet, quam caput ſine corpore. Cui ſimilis eſt, qui cum Deum non ignoret, viuit iniuſte. id enim ſolum habet, quod eſt ſummum, ſed fruſtra, quoniam virtutibus tanquam membris eget. Itaque vt ſit viuum, ac ſenſibile corpus, & agnitio Dei neceſſaria eſt, quaſi caput, & omnes virtutes, quaſi corpus. ita fiet homo perfe-

al. ipſam iuſtitiam

al. erit

G ctus, ac viuus, ſed tamen ſumma omnis in capite eſt. quod quamuis conſtare non poteſt ſine omnibus, ſine quibuſdam tamen poteſt. Et erit quidem animal vitioſum, ac debile, ſed tamen viuet, ſicut & is, qui & Deum nouit, & in aliqua re peccat. Dat enim veniam peccatis Deus. Itaque ſine membris aliquibus viui poteſt, ſine capite nullo modo. Hæc res efficit, vt philoſophi, etiam ſi natura ſint boni, tamen nihil ſciant, nihil ſapiant. Omnis doctrina, & virtus eorum ſine capite eſt, quia Deum neſciunt, qui eſt virtutis, ac doctrinæ caput: quẽ qui non agnoſcit, licet videat, cæcus eſt, licet audiat, ſurdus, licet loquatur, elinguis eſt. Cum verò conditorem rerum parentemq; cognouerit, tunc & videbit, & audiet, & loquetur. Habere enim caput cœpit, in quo ſunt ſenſus omnes collocati, hoc eſt oculi, aures & lingua. nam profectò is videt, qui veritatem, in qua Deus eſt, vel Deum, in quo veritas eſt, oculis cordis aſpexerit: is audit, qui diuinas voces, ac præcepta vitalia pectori ſuo affigit: is loquitur, qui cœleſtia diſſerens, virtutem, ac maieſtatem Dei ſingularis enarrat. Quare non dubium, quin impius ſit, quiſquis Deum non agnouerit, omneſq; virtutes eius

H quas habere, aut tenere ſe putat, in illa mortifera via reperiuntur, quæ eſt tota tenebrarum. Quapropter nihil eſt, quod aliquis ſibi gratuletur, ſi has inanes virtutes adeptus eſt: quia non tantum miſer, qui bonis præſentibus careat, ſed etiam ſtultus ſit, neceſſe eſt, qui labores in vita ſua maximos ſuſcipiat incaſſum. Nam dempta ſpe immortalitatis, quam Deus pollicetur in ſua religione verſantibus, cuius aſſequendæ gratia virtus appetenda eſt, & quicquid malorum acciderit, perferendum, maxima erit profectò vanitas, obſequi velle virtutibus, quæ fruſtra homini calamitates afferunt, & labores. Nam ſi virtus eſt, egeſtatem, exilium, dolorem, mortemque, quæ timentur à cæteris, pati fortiter, ac ſubire, quid tandem in ſe boni habet, cur eã propter ſeipſam

 philo-

A philoſophi dicant, expetendam? Nimirum ſuperuacuis, & inanibus pœnis delectantur, quibus licet agere tranquille. Si enim mortales ſunt animæ, ſi virtus diſſoluto corpore nihil futura eſt, quid fugimus attributa nobis bona, quaſi aut ingrati, aut indigni, qui diuinis muneribus perfruamur? Quæ bona vt habeamus, ſceleratè, impieq; viuendum eſt, quia virtutem, id eſt iuſtitiam paupertas ſequitur. Sanus igitur non eſt, qui nulla ſpe maiore propoſita, ijs bonis, quibus cæteri vtuntur in vita, labores, & cruciatus, & miſerias anteponat. Si autem virtus (vt ab his rectiſſimè dicitur) capeſſenda eſt, quia conſtat, ad eam naſci hominem, ſubeſſe debet ſpes aliqua maior, quæ malorum, & laborum, quos perferre virtutis eſt, magnum afferat, præclarumq; ſolatiũ. Nec aliter virtus, cum per ſe dura ſit, haberi pro bono poteſt, quam ſi acerbitatẽ ſuam maximo bono penſet. Æque non aliter his bonis præſentibus abſtinendum eſt, quam ſi ſint * aliqua maiora propter quæ tanti ſit & voluptates o- *al. alia*
B mittere, & mala omnia ſuſtinere. Ea verò nulla ſunt alia (vt in tertio docui) niſi perpetuæ vitæ. Hanc autem præſtare quis poteſt, niſi Deus, qui virtutem ipſam propoſuit? Ergo in Dei agnitione, & cultu, rerum ſumma verſatur. in hoc eſt ſpes omnis, ac ſalus hominis: hic eſt ſapientiæ gradus primus, vt ſciamus quis ſit nobis verus pater, eumque ſolum pietate debita proſequamur, huic pareamus, huic deuotiſſime ſeruiamus, in eo promerendo actus omnis, & cura, & opera collocetur.

S c h o l i a.

a Quem qui ignorat, & ipſum Deum ignoret] *habent codices impreſſi.* quem qui ignorat, & ipſam iuſtitiam ignoret neceſſe eſt, *legendum eſt ex vtroq; codice ſancti Saluatoris. vult enim probare Romanos, quia Deum ignorauerunt, iuſtitiam quoq; ipſam ignorauiſſe. ex lectione vero vulgari videretur contrarium colligi, quod non congrueret cum ſuperiori oratione.*

De religione erga Deum: & miſericordia erga hominem: deque mundi principio.

C CAP. X.

DIxi, quid debeatur Deo: dicam nunc, quid homini tribuendum ſit: quanquam id ipſum, quod homini tribueritis, Deo tribuitur, quia homo Dei ſimulachrum eſt. Sed tamen primum officium iuſtitiæ eſt, coniungi cum Deo, ſecundum, cum homine. Sed illud primum, religio dicitur, hoc ſecundum, miſericordia, vel humanitas nominatur. Quæ virtus propria eſt iuſtorum, & cultorum Dei, quod ea ſola vitæ communis in ſe continet rationem. Deus enim, qui cæteris animalibus ſapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incurſu, & periculo tutiora generauit. Hominem verò quia nudum, fragilemque formauit, vt eum ſapientia potius inſtrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraque omnia pericula & accipiat, & præſtet
D auxilium. Summum igitur inter ſe hominum vinculum eſt humanitas: quod qui diruperit, nefarius, & paricida exiſtimandus eſt. Nam ſi ab vnò homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certè conſanguinei ſumus, & ideo maximũ ſcelus putandum eſt odiſſe hominem vel nocentem. Propterea Deus præcepit inimicitias per nos nunquam faciendas, ſemper eſſe tollendas, ſcilicet vt eos, qui ſint nobis inimici, neceſſitudinis admoniti os mitigemus. Item ſi ab vno Deo inſpirati omnes, & animati ſumus, quid aliud quam fratres ſumus? Et quidem coniunctiores * qui animis, quam *al. quod* qui corporibus. Itaque non errat Lucretius, cum dicit:

Deniq; cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi,
Omnibus ille idem pater eſt.

al. homini Ergo pro belluis immanibus ſunt habendi, qui † hominibus nocent, qui contra ius humanitatis, & fas omne ſpoliant, cruciant, occidunt, exterminant. Ob hanc neceſſitudinem germanitatis docet nos Deus, malum nunquam facere, ſemper bonum. Id autem ipſum bene facere, quid ſit, idẽ ipſe præſcribit: præſtare auxilium depreſſis, & laborantibus, impertiri victum non habentibus. Deus enim, quoniam E pius eſt, animal nos voluit eſſe ſociale. Itaque in alijs hominibus, nos ipſos cogitare debemus. non meremur in periculo liberari, ſi non ſuccurrimus: non meremur auxilium, ſi negamus. Ad hanc partem, philoſophorum nulla præcepta ſunt: quippe qui falſæ virtutis ſpecie capti, miſericordiam de homine ſuſtulerunt, & dum volunt ſanare vitia, auxerunt. Et cum iidem plerunq; fateantur, ſocietatis humanæ communionem eſſe retinendam, ab ea planè ſeipſos inhumanæ ſuæ virtutis rigore diſſociant. Conuincendus atque etiam hic error illorum eſt, qui nihil cuiquam impertiendum putant. Vrbis condendæ originem, atque cauſam non vnam intulerunt, ſed alij eos homines, qui ſunt ex terra primitus nati, cum per ſiluas, & campos erraticam degerent vitam, nec vllo inter ſe ſermonis, aut iuris vinculo cohærerent, ſed frondes, & herbam pro cubilibus, ſpeluncas & antra pro domibus haberent, beſtijs, & fortioribus animalibus prædæ fuiſſe commemorant. Tum eos, qui aut laniati F effugerant, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi ſui, ad alios homines decurriſſe, præſidium imploraſſe, & primo nutibus voluntatem ſuam ſignificaſſe, deinde ſermonis initia tentaſſe, ac ſingulis quibuſque rebus nomina imponendo, paulatim loquendi perfeciſſe rationem. Cum autem multitudinem ipſam viderent contra beſtias eſſe tutam, oppida etiam cœpiſſe munire, vel vt quietem noctis tutam ſibi facerent, vel vt incurſiones, atque impetus beſtiarum, non pugnando ſed obiectis aggeribus arcerent. O ingenia hominibus indigna, quæ has ineptias protulerunt! miſeros, atq; miſerabiles, qui ſtultitiam ſuam literis, memoriæq; mandauerunt! Qui cum viderent mutis quoque animalibus ingenitam eſſe rationem vel conueniendi, vel inuicem appetendi, vel periculi fugiendi, vel mali cauendi, vel cubicula ſibi, & latibula parandi, homines autem ipſos exiſtimauerint nõ niſi exemplis admoneri, ac diſcere potuiſſe, quid metuere ſibi, quid cauere, quid facere deberent, aut nunquam conuenturos inter ſe fuiſſe, nec loquendi rationem reperturos, niſi eos beſtiæ comediſſent. Hæc alijs delira viſa ſunt (vt fuerunt) dixeruntque, non ferarum laniatus cauſam fuiſſe coeundi, ſed ipſam potius hu- G manitatem: itaque inter ſe congregatos, quod natura hominum ſolitudinis fugiens, & communionis, ac ſocietatis appetens eſſet. Non magna inter eos diſceptatio eſt. Siquidem cauſæ diſpares ſunt, res eadem eſt. Potuit igitur vtrumque, quia non repugnat, ſed tamen vtrumque nullo modo verum eſt, quia non per omnem terram nati ſunt homines, è terra tanquam ex draconis alicuius dentibus proſeminati (vt poetæ ferunt) ſed vnus homo à Deo factus eſt, ab eoq; vno omnis terra humano genere completa eſt, eadem ſcilicet ratione, qua rurſus poſt diluuium, quod certè negare non poſſunt. Nulla igitur in principio facta eſt eiuſmodi cõgregatio; nec vnquam fuiſſe homines in terra, qui propter infantiam non loquerentur, intelliget, cui ratio non deeſt. Fingamus tamen illa vera eſſe, quæ otioſi, & inepti ſenes fabulantur, vt eos ſuis potiſſimum ſenſibus, & ſuis rationibus refellamus. Si hac de cauſa ſunt homines congregati, vt mutuis auxilijs imbecillitatem ſuam tuerentur: ſuccurrendum H eſt igitur homini, qui eget auxilio. Cum enim præſidij cauſa homines ſocietatem cum hominibus inierint, & ſanxerint fœdus illud inter homines à principio ortus ſui inirum aut violare, aut non conſeruare, ſummum nefas putandum eſt. Nam qui ſe à præſtando auxilio remouet, etiam ab acci- *al. opera* piendo ſe remoueat, neceſſe eſt, quia nullus † ope indigere ſe putat, qui alteri ſuam denegat. Huic verò, qui ſe ipſe diſſociat, ac ſecernit à corpore, non ritu hominis, ſed ferarum more viuendum eſt. Quod fieri ſi non poteſt, retinendum eſt igitur omni modo vinculum ſocietatis humanæ, quia homo ſine homine nullo modo poteſt viuere. Retentio autem ſocietatis eſt communitas, id eſt auxilium præſtare, vt poſſimus accipere. Sin verò (vt illi alij diſputant) humanitatis ipſius cauſa, facta eſt hominum congregatio, homo certè hominem debet agnoſcere. Quod ſi fecerunt illi rudes, & adhuc feri homines, & fecerunt nondum conſtituta loquẽ- *al. ſermonis.* di ratione: quid putemus hominib. expolitis, * ſermone, rerumq; omniũ cõmercio inter ſe copulatis, eſſe faciendum, qui aſſueti hominibus, ſolitudinem ferre non poſſunt?

Deper-

De perſonis, in quas beneficium ſit conferendum.

CAP. XI.

A CОnſeruanda eſt igitur humanitas, ſi homines rectè dici velimus. Id autem ipſum conſeruare humanitatem, quid aliud eſt, quam diligere hominem quia homo ſit, & idem, quod nos ſumus? Diſcordia igitur atq; diſſenſio non eſt ſecundum hominis rationem. Verumq; eſt illud Ciceronis, quod ait, hominem naturæ obedientem homini nocere non poſſe. ergo ſi nocere homini, contra naturam eſt: prodeſſe igitur homini ſecundum naturam ſit, neceſſe eſt. Quod qui nõ facit, hominis ſe appellatione diſpoliat, quia humanitatis officium eſt, neceſſitati hominis, ac periculo ſubuenire. Quæro igitur ab iis, qui flecti, ac miſereri nõ putant eſſe ſapientis, ſi homo ab aliqua beſtia comprehenſus, auxilium ſibi armati hominis imploret, vtrumne ſuccurrẽ- B dum putent, an minimè? Non ſunt tam impudentes, vt negent fieri oportere, quod flagitat, quod expoſcit humanitas. Item ſi aliquis circumueniatur igni, ruina opprimatur, mergatur mari, flumine rapiatur, num putent hominis eſſe, non auxiliari? non ſunt ipſi homines, ſi putent. Nemo enim poteſt eiuſmodi periculis non eſſe ſubiectus. Imò verò & hominis, & fortis viri eſſe dicent, ſeruare periturum. Si ergo in eiuſmodi caſibus, qui periculum vitæ homini afferunt, ſuccurrere humanitatis eſſe concedunt: quid cauſæ eſt, cur, ſi homo eſuriat, ſitiat, algeat, ſuccurrendum eſſe non putẽt? Quæ cum ſint paria natura cum illis caſibus fortuitis, & vnam eãdemque humanitatem deſiderent, tamẽ illa diſcernunt, quia non reipſa vera, ſed vtilitate præſenti omnia metiuntur. Illos enim, quos periculo ſurripiunt, ſperant ſibi gratiam relaturos. Egentes autem, quia non ſperant, perire arbitrantur, quicquid eiuſmodi hominibus impartiant. Hinc eſt illa Plauti deteſtanda ſententia:

Malè meretur, qui mendico dat, quod edat,
Nam & illud: quod dat perit:
Et illi producit vitam ad miſeriam.

C At enim poeta fortaſſe pro perſona locutus eſt. Quid Marcus Tullius in ſuis officialibus libris, nonne hoc idem ſuadet, non eſſe omnino largiendum? Sic enim dixit: Largitio, quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit, ita * bonitate benignitas tollitur, qua quo in plures vſus ſis, eo minus in multos vti poſſis. & idem paulò poſt: Quid autem eſt ſtultius, quam quod libenter facias, curare, vt id diutius facere non poſſis? Videlicet profeſſor ſapiẽtiæ reſtenat homines ab humanitate: monetque, vt rem familiarem diligenter cuſtodiant, malintq; arcam, quam iuſtitiam conſeruare. Quod cum intelligeret inhumanũ eſſe, ac nefandum, mox ex alio capite, quaſi actus pœnitentia, ſic ait: Nonnunquam tamen eſt largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum, & ſæpe idoneis hominibus egentibus de re familiari impertiendum. Quid eſt idoneis? nempe iis, qui reſtituere, ac referre gratiam poſſint. Si nunc Cicero viueret, exclamarem profectò: Hic hic M. Tul. aberraſti à vera iuſtitia, eamque vno verbo ſuſtuliſti, cũ D pietatis & humanitatis officia vtilitate metitus es. Nõ enim idoneis hominibus largiendum eſt, ſed quantum poteſt, non idoneis. Id enim iuſte, id piè, id humanè fit, quod ſine ſpe recipiendi feceris. Hæc eſt vera illa, & germana iuſtitia, cuius ſolidam, & expreſſam effigiem nullam tenere vos dicitis. Ipſe pluribus locis clamas, mercenariam non eſſe virtutem, faterisque in libris legum tuarum liberalitatem gratuitam eſſe, his verbis: Nec eſt dubium, quin is, qui liberalis, benignuſq; dicitur, officium, non fructum ſequatur. Cur ergo idoneis potius largiris, niſi vt poſtea mercedem recipias? Te igitur auctore, ac præceptore iuſtitiæ, quiſquis idoneus non erit, nuditate, ſiti, fame conficietur, nec homines copioſi, & vſque ad delicias abundantes ſubuenient vltimæ neceſſitati. Si virtus mercedem nõn exigit, ſi propter ſe (vt dicitis) expetenda eſt: ergo iuſtitiã matrem principemque virtutum ſuo pretio, non tuo commodo æſtima, eique potiſſimum tribue, à quo nihil ſperes. Quid perſonas eligis, quid membra inſpicis? Pro homine tibi habendus eſt, quiſquis ideo precatur, quia te hominem putet. Abiice vmbras illas, imaginẽſque iuſtitiæ, atq; ipſam veram, & expreſſam tene. Largire cæcis, debilibus, claudis, deſtitutis, quibus E niſi largiare, moriendum eſt. inutiles ſunt hominibus, ſed vtiles Deo, a qui † eos † vita, qui ſpiritu donat, qui luce dignatur. Foue quantum in te eſt, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate ſuſtenta. Qui ſuccurrere perituro poteſt, ſi non ſuccurrerit, occidit. Verum iſti, quia neq; naturam retinent, neq; præmium in eo quod ſit, ſciunt, dũ perdere timent, perdunt, & in id, quod maximè cauent, incidunt, vt quicquid largiuntur, aut pereat omnino, aut ad tempus breuiſſimum proſit. Nam qui exiguam ſtipem miſeris negant, qui conſeruare humanitatem ſine damno ſuo volunt; patrimonia ſua effundunt, vt aut peritura, & fragilia ſibi comparent, aut certe maximis ſuis damnis nihil conſequantur. Quid enim dicendum eſt de iis, qui popularis leuitate ducti, vel magnis vrbib. ſuffecturas opes exuberãdis muneribus impendunt? niſi eos dementes, ac furioſos, qui præſtent id populo, quod & ipſi perdant, & nemo eorum, quibus præſtatur, accipiat. Itaque vt eſt omnis volu- F ptas caduca & breuis, oculorum maximè, & aurium, aut obliuiſcuntur homines, & alterius damna pro ingratis habent, aut etiã offenduntur, ſi non eſt libidini vulgi ſatis factũ: vt etiam homines ſtultiſſimi malum ſibi malo compararuerint, vt ſi adeo placuerint, nihil amplius, quam inanem fauorem, pauciorumq; dierum fabulas aſſequantur. Sic quotidie leuiſſimorum hominũ patrimonia in res ſuperuacuas prodiguntur. Num ergo illi ſapiẽtius, qui vtiliora, & diuturniora ciuibus ſuis exhibent munera? vt ſcilicet, qui publicis operibus extructis, memoriam nomini ſuo quærunt? ne iſti quidem rectè bona ſua in terram ſepeliunt: quia nec memoria quicquam mortuis confert, nec opera eorũ ſempiterna ſunt: ſiquidem aut vno tremore terræ diſſipantur, & corruũt, aut fortuito conſumuntur incendio, aut hoſtili aliquo impetu diruuntur, aut certe vetuſtate ipſa diſſoluta labuntur. Nihil eſt enim, vt ait orator, opere, & manu factum, quod non conficiat, & conſumat vetuſtas. At hæc iuſtitiæ, & lenitas floreſcit quotidie magis. Illi ergo melius, G qui tribulibus ſuis, aut clientibus largiuntur: aliquid enim præſtant hominibus, & proſunt. ſed non eſt illa vera, & iuſta largitio. Beneficentia enim nulla eſt, vbicumque neceſſitas non eſt. Perit ergo quicquid gratiæ cauſa tribuunt non indigentibus, aut cum fœnore redit, & beneficentia non erit. Quod etſi gratum eſt iis, quibus datur, iuſtum tamen non eſt, quia, ſi non fiat, nihil mali ſequitur. Vnum igitur certum, & verum liberalitatis officium eſt, egentes, atque inutiles alere.

Scholia.

a Qui eis vitam, qui ſpiritum donat] *lego ex antiquo codice. nam retinere in vita, vt eſt in libris impreſſis, latinè non dicitur.*

De generibus beneficentiæ, & operibus miſericordiæ.

CAP. XII.

H HÆc eſt illa perfecta iuſtitia, quæ cuſtodit humanam, de qua philoſophi loquuntur, ſocietatem. Hic diuitiarum maximus, ac veriſſimus fructus eſt, non vti opibus ad propriam vnius voluptatem, ſed ad multorum ſalutem, nõ ad præſentem ſuum fructum, ſed ad iuſtitiam, quæ ſola non interit. Tenendum eſt igitur omni modo, vt ab officio miſericordiæ ſpes recipiendi abſit omnino. Huius enim operis, & officij merces à Deo eſt expetenda ſolo: nam ſi ab homine expectes, iam non humanitas erit illa, ſed beneficij fœneratio, nec poteſt videri bene meruiſſe, qui quod fecit, non alteri, ſed ſibi præſtat: & tamẽ res † eo redit, vt quod alteri quiſque præſtiterit, nihil ab eo commodi ſperans, verè ſibi præſtet, quia mercedẽ capiet à Deo. Idem Deus præcepit, vt ſi quando cœnam parauerimus, eos in conuictum adhibeamus, qui reuocare non poſſint, & vicem reddere, vt omnis actus vitæ noſtræ non careat miſericordiæ munere. Nec tamen quiſquam interdictum ſibi putet aut cõmunione cum amicis, aut charitate cũ proximis. ſed notum

nobis

al. benignitate

al. eis
al. vitam
al. ſpiritũ

al. eodem.

A

nobis Deus fecit, quod ſit verum, & iuſtum opus, ita nos oportere cum proximis viuere, dummodo ſciamus, illud ad hominem, hoc ad Deum pertinere. Præcipua igitur virtus eſt hoſpitalitas, quod philoſophi quoq; aiunt. ſed eam detorquent à vera iuſtitia, & ad commodum rapiunt. Rectè, inquit Cicero, à Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas. Eſt enim (vt mihi quidem videtur) valde decorum, patere domos hominum illuſtrium hoſpitibus illuſtribus. Eodem modo rurſus errauit quo tum, cum idoneis eſſe diceret largiendum. Non enim iuſti, & ſapientis viri domus illuſtrib. debet patere, ſed humilibus, & abiectis. Nam illuſtres illi, ac potentes nulla re poſſunt indigere, quos opulentia ſua & munit, & honorat. Nihil autem à viro iuſto faciendum eſt, niſi quod ſit beneficum. Beneficium autem, ſi refertur, interit, atque finitur. nec enim poſſumus id habere integrũ, cuius pretium nobis perſolutum eſt. In his itaq; beneficiis iuſtitiæ ratio verſatur, quæ ſalua, & incorrupta permanſerint. permanent autem non aliter, quam ſi præſtentur hominibus iis, qui prodeſſe nullo modo poſſunt. At ille in

B

recipiendis illuſtribus nihil ſpectauit aliud, niſi vtilitatem, nec diſſimulauit homo ingenioſus, quid ex eo commodi ſperaret. Ait enim quid faciat potentem apud exteros futurum per gratiam principum, quos ſibi hoſpitij, & amicitiæ iure conſtrinxerit. O quam multis argumentis Ciceronis inconſtantia, ſi id agerem, redargui poſſet, nec tam noſtris, quam ſuis verbis refelleretur! Idem quippe ait, vt quiſque maximè ad ſuum commodum referat quæcumque agit, ita minimè eſſe virum bonum. Idem etiam negat ſimplicis & aperti hominis eſſe, ambire, ſimulare aliquid, & prætendere, aliud agere videri, cum aliud agat, præſtare ſe alteri fingere, quod ſibi præſtet: ſed malitioſi potius, & aſtuti, & fallacis, & ſubdoli. Quomodo ergo defenderet, quo minus ambitioſa illa hoſpitalitas, malitia eſſet? Tu mihi per omnes portas circumcurſes, vt aduenientes populoſi, atq; vrbium principes domũ tuam inuites: vt per eos apud ciues eorum potentiam conſequare, veliſq; te iuſtũ. & humanum, & hoſpitalem videri, cum ſtudeas vtilitati tuæ. Verum hoc ille non potius incautè. Quid enim minus in Ciceronem conuenit? Sed ignorantia veri iuris, prudens, ac ſciẽs

C

al. hos

al. indui.

in *hoc ſe laqueos *induxit. Quod vt ei poſſit ignoſci, teſtificatus eſt, non ad veram iuſtitiam, quam non teneat, præcepta ſe dare, ſed ad vmbrã, imaginemq; iuſtitiæ. Ignoſcendum eſt igitur vmbratico & imaginario præceptori, nec ab eo veritas exigenda eſt, qui ſe neſcire fateatur. Captiuorum redemptio magnum, atq; præclarum iuſtitiæ munus eſt, quod idem ipſe Tullius approbauit. Itaq; hæc benignitas, inquit, etiam reipublicæ eſt vtilis, redimi à ſeruitute captos, locupletari tenuiores. Hanc ego conſuetudinem benignitatis, largitioni munerũ longè antepono. Hæc eſt grauium hominum, atq; magnorum. Proprium igitur iuſtorũ opus eſt, alere pauperes, ac redimere captiuos: cum apud iniuſtos, ſi qui hæc faciant, graues, & magni appellentur. Iis enim maximè laudis eſt benefacere quos nemo ſperauit eſſe facturos. Nam qui bonum facit vel cõſanguineo, vel proximo, vel amico, aut nullam, aut certè non magnam laudem meretur, quia facere debet, ſitq; impius, ac deteſtabilis, niſi fecerit id, quod ab eo & natura ipſa, & neceſſitudo exigit, & ſi facit, non tam gloriæ aſſequendæ, quam reprehenſionis vitandæ gratia facit. Qui autem facit alieno,

D

& ignoto, is verò dignus eſt laude, quoniam vt faceret, ſola ductus eſt humanitate. Ibi ergo iuſtitia eſt, vbi ad benefaciendum neceſſitatis vinculum nullum eſt. Hoc igitur officium benignitatis ne anteponere quidem largitioni munerũ debuit. quod eſt comparantis, & è duobus bonis id, quod ſit melius, eligentis. Illa enim largitio hominum patrimonia ſua in mare abijcientium, inanis, & leuis, & ab omni iuſtitia remotiſſima eſt. Itaq; ne dici quidẽ munera oportet, in quibus nemo accipit, niſi qui accipere non meretur. Non minus magnũ iuſtitiæ opus eſt, pupillos, & viduas deſtitutos, & auxilio indigentes tueri, atq; defendere. quod adeo vniuerſis diuina lex illa præſcribit. quandoquidẽ boni quique iudices ad officium ſuũ iudicant pertinere, vt *eos naturali humanitate *foueant, ac iiſdem prodeſſe nitantur. Verum hæc opera propriè noſtra ſunt, qui legẽ, qui verba ipſius Dei præcipientis accepimus. Nam illi ſentiunt quidẽ natura eſſe

al. his

al. foueant

E

iuſtum, tueri eos, qui tutela carent, ſed, cur ita ſit, non perſpiciunt. Deus enim, cuius perpetua clementia eſt, idcirco viduas, pupilloſq; defendi, ac foueri iubet, ne quis reſpectu, ac miſeratione pignorũ ſuorũ retardetur, quo minus mortẽ pro iuſtitia, fideq; ſuſcipiat, ſed incunctãter, ac fortiter ſubeat, cum ſciat ſe charos ſuos Deo relinquere, nec his vnquã præſidium defuturum. Ægros quoq;, quibus deſunt qui aſſiſtat, curandos, fouendoſq; ſuſcipere, ſummæ humanitatis, & magnæ operationis eſt. quod qui fecerit, hic viuam hoſtiam Deo acquiret, & quod alteri dederit ad tempus, ipſe à Deo accipiet in æternum. Vltimum illud, & maximum pietatis officium, eſt peregrinorum, & pauperum ſepultura: quod illi virtutis, iuſtitiæq; doctores prorſus nõ attigerunt. Nec enim poterant id videre, qui vtilitate omnia officia metiebantur. In cæteris enim, quæ ſupradicta ſunt, quamuis verum limitem non tenuerint, tamen quoniam cõmodi aliquid in his deprehẽderant, quaſi odore quodam veritatis retenti, propius oberrauerunt, hoc autem, quia nihil videri in eo commodi poterant, reliquerunt. Quin etiam nõ

F

defuerunt, qui ſuperuacaneam facerẽt ſepulturam, nihilq; eſſe dicerent mali, iacere inhumatum, atq; abiectum. quorum impiam ſapientiam cum omne humanũ genus reſpuit, tum diuinæ voces, quæ id fieri iubent. Verum illi non audent dicere, id non eſſe faciendum, ſed, ſi fortè non fiat, nihil eſſe incommodi. Itaq; in ea re non tam præcipientium, quam conſolantium funguntur officio, vt ſi fortè id ſapienti euenerit, ne ſe ob hoc miſerum putet. Nos autẽ non quid ſapienti ferendum ſit, dicimus, ſed quid facere ipſe debeat. Itaque non quærimus nunc, vtrumne tota ſepeliendi ratio ſit vtilis, nec ne: ſed hæc, etiam ſi ſit inanis (vt illi exiſtimãt) tamen facienda eſt, vel ob hoc ſolum, quod apud homines bene, & humanè fieri videtur. Animus enim quæritur, & propoſitum ponderatur. Non *enim patiemur, figuram, & figmentum Dei, feris, ac volucribus in prędam iacere, ſed reddamus id terræ, vnde ortum eſt, & quamuis in homine ignoto neceſſariorum munus implebimus, in quorum locũ, quia deſunt, ſuccedat humanitas, & vbicunq; homo deſiderabitur, ibi exigi officium noſtrum putabimus. In quo

al. ergo

G

autem magis iuſtitiæ ratio conſiſtit, quã in eo, vt quod præſtamus noſtris per affectum, præſtemus alienis per humanitatem, quæ eſt multo certior, & iuſtiorque? quæ cum ſit, iam non homini præſtatur, qui nihil ſentit, ſed Deo ſoli: cui chariſſimum ſacrificium eſt, opus iuſtum. Dicet aliquis fortaſſe: Si hæc omnia fecero, nihil habebo. Quid enim ſi magnus hominum numerus egebit, algebit, capietur, morietur, vt hæc facientem, vel vno die patrimonio exui, ſit neceſſe: perdamne rem familiarem, meo, aut maiorum labore quæſitã, vt iam ipſe mihi aliena miſericordia viuendum ſit? Quid, tu tam puſillo animo paupertatem times? quam etiam veſtri philoſophi laudant, nihil hac tutius, nihilque tranquillius eſſe teſtantur. Hoc, quod times, ſolicitudinum portus eſt. An ignoras, quot periculis, quot caſib. cum his malis opibus ſubiaceas? Quæ tecum bene agẽt, ſi ſine tuo cruore tranſierint. Tu verò præda onuſtus incedis, & ſpolia geris, quæ irritẽt animos etiam tuorum. Quid ergo dubitas, bene collocare id, quod tibi forſitan eripiet aut vnum latrocinium, aut exiſtens repẽtè proſcriptio, aut hoſtilis aliqua direptio?

H

Quid vereris, fluxum, & fragile bonum facere ſempiternũ, aut theſauros tuos cuſtodi Deo credere, vbi non furem, prędonemq; timeas, non rubiginem, nõ tyrannum? Qui apud Deum diues eſt, pauper eſſe nunquam poteſt. Si iuſtitiam tanti putas, ſequere abiectis oneribus, quę te premunt. libera te ipſum compedibus, & catenis, vt expeditus ad Deũ curras. Magni, & excelſi animi eſt, deſpicere & calcare mortalia. Sed ſi hanc virtutem non capis, vt diuitias eo in *arcam Dei conferas, vt fragilibus tibi compares firmiora, liberabo te metu. Omnia iſta præcepta non tibi ſoli dantur, ſed omni populo, qui mente coniunctus eſt, & cohæret ſicut homo vnus. Si ſolus magnis operibus non ſufficis, pro virili parte operare iuſtitiam, ſic tamen, vt quantum diuitijs inter cæteros, tantum opere præcellas. Neque nunc ſuaderi tibi putes, vt rem familiarem tuam minuas, vel exhaurias, ſed quæ in ſuperuacua fueras impenſurus, ad meliora conuertas. Vnde beſtias emis, hinc captos redime, vnde feras paſcis hinc pauperes ale, vnde homines & gladiũ comparas, hinc

al. ſtam.

A innocentes mortuos ſepeli. Quid prodeſt, perditæ nequitiæ beſtiarios facere locupletes, & inſtruere ad flagitia? Transfer ad magnum ſacrificium male periturа, vt pro his veris muneribus, habeas à Deo munus æternum. Magna eſt miſericordiæ merces, cui Deus pollicetur, peccata ſe omnia remiſſurum. Si audieris, inquit, preces ſupplicis tui, & ego audiam tuas: ſi miſertus laborantiũ fueris, & ego in tuo labore miſerebor. Si autem non reſpexeris, nec adiuueris, & ego *d* animum tuum contra te geram, tuiſq; te legibus iudicabo.

S c h o l i a.

a In hos ſe laqueos induxit] *erat in libris impreſſis.* In hos ſe laqueos induit. *legendum eſt ex antiquis codicibus. quo in loco nullum debet eſſe aſteriſcum, cum omnia recte conſequantur. inducere vero ſe in laqueos, nemo, quod ſciam, vnquam dixit.*

B *b* Iuſtiorque cum iam non homini] *habent libri impreſſi.* iuſtiorque quæ cum ſit, iam non homini. *legendum eſt ex antiquis codicibus. intelligendum vero eſt, cum ſit id, quod ad humanitatem pertinet. illa vero dictio, quæ, relatiua, erat omiſſa, propter coniunctionem, que, adiunctam dictioni iuſtior.*

c In arcam Dei] *erat in libris impreſſis.* in aram Dei conferas, *lego ex pleriſq; antiquis codicibus. in aram vero confert diuitias, qui illas dando pauperibus, Deo donat, & offert. in arcam vero legi non poteſt, quia non eas accipit Deus, vt recondat.*

d Animum tuum contra te geram] *habet vterque codex ſancti Saluatoris, & ſane dictio illa, tuum omnino adiungenda eſt: quaſi dicat, geram animum inhumanum, & immiſericordem erga te, qualem tu erga pauperes geſſiſti.*

De pœnitentia, miſericordia, & peccatorum venia.

CAP. XIII.

QVoties igitur rogaris, tentari te à Deo crede, an ſis dignus exaudiri. Circumſpice conſcientiã tuam, & quantum potes, medere vulneribus, nec tamen quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes. aboC lentur enim, ſi Deo largiare, quia * peccaueras. nam ſi fiducia largiendi pecces, non abolentur. Deus enim purgari homines à peccatis maxime cupit, ideoq; agere pœnitentiam iubet. Agere autem pœnitentiam, nihil aliud eſt, quam profiteri, & affirmare, ſe vlterius non peccaturum. Ignoſcitur itaque iis, qui ad peccatum, imprudẽter, incauteq; labuntur: veniam non habet, qui ſciens peccat. Nec tamen ſi aliquis fuerit purificatus ab omni labe peccati, temperandum ſibi ab opere largitionis exiſtimet, quia non habeat peccata, quæ *deleat. Imo vero tum magis iuſtitiam debet operari, cum factus eſt iuſtus, vt quod ante in medelam vulnerum fecerat, poſtmodum faciat in laudem gloriamq; virtutis. Eo accedit, quod nemo eſſe ſine delicto poteſt, quandiu indumẽto carnis oneratus eſt. Cuius infirmitas triplici modo ſubiacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus. Per hos D gradus ad ſummum culmen iuſtitia procedit. Primus eſt virtutis gradus, malis operibus abſtinere: ſecundus, etiam malis verbis: tertius, etiam cogitatione rerum malarum. Qui primum gradum aſcendit, ſatis iuſtus eſt, qui ſecundum, iam perfectæ virtutis, ſiquidẽ neq; factis, neque ſermone delinquit: qui tertium, is vero ſimilitudinem Dei aſſecutus videtur. Eſt enim pene ſupra humanum modum, ne in cogitationem quidem admittere, quod ſit vel factu malum, vel improbum dictu. Itaq; etiam iuſti homines, qui frenare ſe poſſunt ab omni opere iniuſto, nonnunquam tamen ipſa fragilitate vincuntur, vt vel in ira malum dicant, vel in aſpectu rerum delectabilium, cogitatione tacita concupiſcant. Quod ſi mortalis conditio non patitur, eſſe hominem ab omni macula purum, debent ergo largitione perpetua peccata carnis aboleri. Vnum eſt enim ſapientis, & iuſti, & * vitalis viri opus, diuitias ſuas in ſola iuſtitia collocare, qua profecto qui eget, licet ille Cræſum, aut Craſſum diuitiis ſuperet, hic pauper, hic nudus, hic mendicus putandus eſt. Danda igitur opera, vt indumento iuſtitiæ, pietatiſque veſtiamur, quo nos exuat nemo, quod nobis ſempiternum præbet ornatum. Nam ſi Deorum cultores ſimulachra inſenſibilia excolunt,

al. peccaueris.

al. debeat indimere.

forte, ſpiritualis.

E & quicquid pretioſi habent, in ea conferunt, quibus nec vti poſſunt, nec gratias agere, qui acceperint: quanto iuſtius eſt, & verius, viuentia Dei ſimulachra excolere, vt promereare viuentem? Quæ ſicut vſum habent quicquid acceperint, & gratias agunt, ita Deus, in cuius conſpectu bonum feceris, probabit, & mercedem pietatis exoluet.

De affectibus: deque iis ibi Stoicorum ſententia: & de virtute, vitiis, & miſericordia.

CAP. XIV.

SI ergo in homine præclarum, & excellens eſt bonum miſericordia, idq; diuinis teſtimoniis, & bonorum, malorumq; conſenſu optimum iudicatur: apparet, philoſophos longe abfuiſſe ab humano bono, qui neque præceperunt F eiuſmodi quicquam, neq; fecerunt, ſed hanc virtutem, quæ in homine propemodum ſingularis eſt, pro vitio ſemper habuerunt. Libet hic interponere vnum de philoſophia locũ, vt illorum plenius coarguamus errores, qui miſericordiam, cupiditatem, metum, morbos animi appellant. Conantur illi quidem virtutes à vitiis diſtinguere. quod eſt ſane facillimum. Quis enim non poſſit liberalem à prodigo ſeparare (vt illi faciunt) aut parcum à ſordido, aut quietum ab inerti, aut cautum à timido? quod hæc, quæ ſunt bona, fines ſuos habeant, quos ſi exceſſerint, in vitia labuntur, ita vt conſtantia, niſi pro veritate ſuſcepta ſit, fiat impudẽtia. Item fortitudo, ſi nulla neceſſitate cogente, aut non pro cauſa honeſta certum periculum ſubierit, in temeritatem conuertetur. Libertas quoq;, ſi alios inſectetur, potius quam inſectantibus, reſiſtat contumacia eſt. Seueritas etiam, niſi ſe intra congruentes nocẽtium pœnas coërceat, fit ſæua crudelitas. Itaq; dicunt eos, qui mali videantur, non ſua ſpõte peccare, nec mala potius eligere, ſed bonorum ſpecie lapſos, incidere in mala, dum bonorum, ac malorum diſcrimen ignorant. Hæc G quidem falſa non ſunt, ſed ad corpus cuncta referuntur. Nam parcum eſſe, aut conſtantem, aut cautum, aut quietum, aut fortem aut ſeuerum, virtutes ſunt quidem, ſed huius temporariæ vitæ. Nos autem, qui hanc vitam contemnimus, alias nobis virtutes propoſitas habemus, de quibus philoſophi ne ſuſpicari quidem vlla ratione potuerunt. Itaque & virtutes quaſdam pro vitiis, & vitia quædam pro virtutibus habuerunt. Nam Stoici affectus omnes, quorum impulſu animus commouetur, ex homine tollunt, cupiditatem, lætitiam, metum, mœſtitiam: quorum duo priora ex bonis ſunt aut futuris, aut præſentibus, poſteriora ex malis. Eodem modo hæc quatuor, morbos (vt dixi) vocant, non tam natura inſitos quam praua opinione ſuſceptos. Et ideirco eos cenſent extirpari poſſe radicitus, ſi bonorum, malorumque opinio falſa tollatur. Si enim nihil cenſeat ſapiens bonum, nihil malum, nec cupiditate ardeſcet, nec lætitia geſtiet, nec metu terrebitur, nec ægritudine contrahetur. Mox videbimus, an efficiant, quod velint, aut quid H efficiant: interim, propoſitum arrogans, ac pene furioſum, qui ſe putent mederi, & emi poſſe contra vim, rationemque naturæ.

De affectibus, deque iis Peripateticorum illa ſententia.

CAP. XV.

HÆc enim naturalia eſſe, non voluntaria, omnium viuentium ratio demonſtrat, quæ iiſdem omnibus quatitur affectibus. Peripatetici ergo rectius, qui hæc omnia detrahi negant poſſe, quia nobiſcum ſimul nata ſint, & conantur oſtendere, quam prouidenter & quam neceſſario Deus, ſiue natura (ſic enim dicunt) his nos armauit affectibus, quos tamen, quia vitioſi plerunque * ſunt, ſi nimij ſint, poſſe ab homine adhibito modo ſalubriter temperari, vt tantum homini, quantum naturæ ſatis eſt, relinquatur. Non inſipiens diſputatio, ſi (vt dixi) non ad hanc vitam omnia referuntur. Stoici ergo furioſi, qui ea non temperant, ſed abſcindunt rebuſque à

al. fiunt.

natura

A natura inſitis caſtrare hominem quodam modo volunt. Quod tale eſt, quale ſi velint aut metum detrahere ceruis, aut venenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus. Nam quæ ſingula mutis animalibus data ſunt; ea vero vniuerſa homini ſimul. Quod ſi, vt medici dicunt, lætitiæ affectus in ſplene eſt, iræ in felle, libidinis in iecore, timoris in corde facilius eſt interficere animal ipſum, quam ea corpore aliquid euellere; quod eſt animantis naturam velle mutare. Sed homines prudentes non intelligunt, eum vitia e homine tollunt, etiam ſe virtutem tollere, cui ſoli locum faciunt. Nam ſi virtus eſt, in medio iræ impetu ſeipſum cohibere, ac reprimere, quod negare non poſſunt: caret ergo virtute quiſquis ira caret. Si virtus eſt, libidinẽ corporis continere, virtute careat, neceſſe eſt, qui libidinem, quam temperet non habet. Si virtus eſt, cupiditatem ab alieni appetitione frenare, nullam certe virtutem poteſt habere, qui caret eo ad quod cohibendum, virtutis vſus adhibetur. Vbi ergo B vitia non ſunt, nec virtuti quidem locus eſt, ſicut nec victoriæ quidem, vbi aduerſarius nullus eſt. Ita fit, vt bonum ſine malo eſſe in hac vita non poſſit. Affectus igitur, quaſi vbertas eſt naturalis animorum. Nam ſicut in ſentes ager, qui eſt natura fœcundus, exuberat, ſic animus incultus vitijs ſua ſponte inualeſcentibus, velut ſpinis obducitur. Sed cum verus cultor acceſſerit, ſtatim cedẽtibus vitijs, fruges virtutis oriuntur. Deus itaque, cum hominẽ primum fingeret, mirabili prouidentia ingenerauit ei prius iſtas animi commotiones, vt poſſet capere virtutem, ſicut terra culturam; poſuitque materiam vitiorum, in affectibus, virtutis, in vitijs. Quæ profecto aut nulla erit aut in vſu eſſe non poterit; ſi defuerint ea, per quæ vis eius aut apparet, aut conſtat. Videamus nunc, ijdem illi, qui vitia penitus excidunt, quid efficerint. Quatuor illos affectus, quos ex opinione bonorum, malorumque naſci putant, quibus euulſis, ſanandum eſſe animum ſapientis exiſtimant; quoniam intelligunt & natura inſitos eſſe, & ſine his nihil moueri, nihil agi poſſe, alia quædam in eorum locum, vicemq; ſupponunt: vt pro cupiditate ſubſtituunt voluntatem. quaſi vero non multo ſit præſtabilius, C bonum cupere, quam malum velle. Item pro lætitia gaudium, pro metu cautionem. At in illo quarto immutandi nominis *eius, ratio *deficit. Itaq; ægritudinem penitus, id eſt, mœſtitiam, doloremq; animi ſuſtulerũt. quod fieri nequaquam poteſt. Quis enim poſſit non dolere, ſi patriam aut peſtilentia exhauſerit, aut hoſtis euerterit, aut tyrannus oppreſſerit? Poteſt aliquis non dolere, ſi ſublatam viderit libertatem, ſi propinquos, ſi amicos, ſi bonos viros aut exterminatos, aut crudeliſſime trucidatos? niſi cuius mens ita obſtupuerit, vt ſit ei ſenſus omnis ereptus. Quare aut omnia tollere debuerunt, aut implenda fuerat curta hæc, & debilis diſputatio, id eſt, etiam pro ægritudine aliquid reponendum, quoniam ſuperioribus ita ordinatis, hoc conſequens erat. Vt enim præſentibus lætamur bonis; ſic malis angimur, ac dolemus. Si ergo lætitiæ, quoniam vitioſam putabant, nomen aliud indiderunt, ſic ægritudini, quoniam & ipſam vitioſam putabant, aliud vocabulum tribui congruebat. Vnde apparet, non illis rem defuiſſe, ſed verbum, cuius indigentia eum totum affectum, qui eſt vel maximus, contra quàm natura patiebatur, auferre voluerunt. Nam illas nominum commu- D tationes poteram coarguere pluribus, & oſtendere, aut ſermonis ornandi, augendæque copiæ gratia, multa nomina iiſdem rebus *a* impoſita, aut certe non multum inter ſe illa diſtare. Nam & cupiditas à voluntate incipit, & cautio à metu oritur, & lætitia nihil aliud eſt, quam profuſum gaudium. Sed putemus vt ipſi volunt, eſſe diuerſa. Nempe igitur cupiditatẽ eſſe dicent, perſeuerantem, ac perpetuam voluntatem, lætitiam vero, inſolenter ſe efferens gaudium, metum autem, nimiam, & excedentem modum cautionem. Ita fit, vt ea, quæ tollenda eſſe cenſent, non tollant, ſed temperent, ſiquidem nomina tantum modo immutant, res ipſæ manent. Eo igitur imprudentes reuoluuntur, quo Peripatetici ratione perueniunt, vt vitia, quoniam tolli non poſſunt, *moderanda ſint. Ergo errant, quia non efficiunt, quod volunt, & longo, aſperoque circuitu in eandem viam redeunt.

al. eos — *al. deficit* — *al. modeperanda.*

S c h o l i a.

a Impoſita, aut nihil, aut certe, &c.] *habent libri impreßi.* multa nomina iiſdem rebus impoſita, aut certe nõ multum inter ſe illa diſtare, *lego ex antiquo codice: ſenſus vero eſt, vt illa nomina, quibus illi aliqua cum affectibus cohærentia ſignificare volebant, doceat, non diuerſis rebus, ſed iiſdem, aut certe non multum inter ſe diſtantibus fuiſſe impoſita. itaq; hoc membrum aut certe non multum, &c. reſpondet illi, multa nomina iiſdem rebus impoſita. quod ſi aliqui non intelligerent, addiderunt illud, aut nihil, quod eſt in libris impreßis. quod omnino expungendum eſt, quia totam hanc orationem perturbat.*

De affectibus: & de iis Peripateticorum illa ſententia euerſa.

C A P. X V I.

At ego ne Peripateticos quidem acceſſiſſe ad veritatem puto, qui vitia eſſe concedunt, ſed ea mediocriter temperant. Carendum eſt enim vitijs etiam mediocribus. quin potius efficiendum fuit, primum, ne vitia eſſent. nec enim quicquam vitioſum naſci poteſt, ſed vitia fieri, ſi male vtamur affectibus: ſi bene, virtutes. Deinde monſtrandum eſt non ipſos affectus ſed eorum cauſas eſſe moderandas. Non eſt, inquiunt, lætitia nimis geſtiendum, ſed modice ac temperate. Hoc vero tale eſt, quale, ſi dicerent, non eſſe currendum concitate, ſed gradiendum quiete. At poteſt & qui graditur, errare, & qui currit, rectã viam tenere. Quid ſi oſtendero, eſſe aliquid, vbi non tantum modicum, ſed vel punctum gaudere, vitioſum ſit, & aliud contra, in quo vel exultare lætitia, minime criminoſum? Quid tandem nobis iſta mediocritas proderit? Quæro, vtrumne ſapienti lætandum putent, ſiquid inimico ſuo mali videat accidere, aut vtrumne lætitiam frenare debeant, ſi victis hoſtibus, aut oppreſſo tyranno, libertas, & ſalus ciuibus parta ſit? Nemo dubitat, quin & in illo, exiguum lætari, & in hoc, parum lætari, ſit maximum crimen. Eadem de cæteris affectibus dicere licet. Sed, vt dixi, non in his moderandis ſapientiæ ratio verſatur, ſed in cauſis eorum, quoniam extrinſecus commouentur, nec ipſis potiſſimum frenus imponi oportuit, quoniam & exigui poſſint in maximo crimine, & maximi poſſunt eſſe ſine crimine. Sed aſſignandi fuerunt certis temporibus, & rebus, & locis, ne vitia ſint, quibus vti recte licet. Sicut enim recte ambulare bonum eſt, errare autem malum, ſic moueri affectibus in rectum, bonum eſt, in prauum, malum. Nam ſi libido extra legitimum torum non euagetur, licet ſit vehemens, tamen culpa caret. Sin vero appetit alienam, licet ſit mediocris, vitium tamen maximum eſt. Non eſt itaq; morbus iraſci, nec cupere, nec libidine commoueri, ſed iracundum eſſe morbus eſt, cupidum, libidinoſum. Qui enim iracundus eſt, etiam, cui non debet, aut cui non oportet, iraſcitur. Qui cupidus, etiam quod non opus eſt, cõcupiſcit. Qui libidinoſus, etiam quod legibus vetatur affectat. Omnis igitur ratio in eo verſari debuit, vt quoniam earum rerum impetus inhiberi nõn poteſt nec debet, quia neceſſario eſt inſitus ad tuenda officia vitæ, dirigeretur potius in viam rectam, vbi etiam curſus offenſione, ac periculo careat.

De affectibus, & vſu eorum: & patientia, & ſummo bono Chriſtianorum.

C A P. X V I I.

Sed euectus ſum coarguendi ſtudio longius, cum ſit mihi propoſitum, ea, quæ vitia philoſophi putauerunt, oſtendere, non tantum vitia non eſſe, verum etiam magnas eſſe virtutes. Ex alijs docendi gratia, ſumam, quæ pertinere ad rem maxime puto. Metum, ſeu timorem in maximo vitio ponunt, ſummamque imbecillitatem eſſe animi putant, cui ſit contraria fortitudo, quæ ſi ſit in homine, locum timori eſſe nullum. Creditne ergo aliquis, fieri poſſe, vt idem metus ſumma ſit fortitudo? Minime. Neque enim videtur capere natura, vt aliquid in contrarium recidat. Atqui ego vñ argum

aliqua

A aliqua concluſione, & apud Platonem Socrates facit, qui eos quos contra diſputat, cogit ea, quæ negauerant, confiteri, ſed ſimpliciter oſtendam, ſummum metum ſummam eſſe virtutem. Nemo dubitat, quin timidi, & imbecilli ſit animi, aut dolorem metuere, aut egeſtatem, aut exilium, aut carcerem, aut mortem, quæ omnia quiſquis non exhorruerit, fortiſſimus iudicatur. Qui autem Deum metuit, illa vniuerſa non metuit. Ad quod probandum argumentis opus non eſt. ſpectatæ ſunt enim ſpectanturque adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis noua, & inuſitata tormenta excogitata ſunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari, cum immanium beſtiarum, vltra ipſam mortem, carnificina ſæuierit. Has tamen exsecrabiles corporum lacerationes felix atque inuicta patientia ſine vllo gemitu pertulit. Hæc virtus omnibus populis, atque prouinciis, & ipſis tortoribus miraculum maximum præbuit, cum patientia crudelitas vinceretur. Atqui hanc virtutem nihil aliud, quam metus Dei
B fecit. Itaque (vt dicebam) non euellendus, vt Stoici, neq; temperandus timor, vt Peripatetici volunt, ſed in veram viam dirigendus eſt, auferendiq. ſunt metus, ſed ita, vt is ſolus relinquantur. qui quoniam legitimus, ac verus eſt, ſolus efficit, vt poſſint cætera omnia non timeri. Cupiditas quoque inter vitia numeratur. ſed ſi hæc, quæ terrena ſunt concupiſcat, vitium eſt, virtus autem, ſi cœleſtia. Qui enim iuſtitiam, qui Deum, qui vitam perpetuam, qui lucem ſempiternam, eaq. omnia, quæ Deus homini pollicetur, conſequi cupit, opes iſtas, & honores, & potentatus, & regna ipſa cōtemnet. Dicet fortaſſe Stoicus, Voluntate opus eſſe ad hæc conſequenda, non cupiditate. imo verò parū eſt velle. Multi enim volunt, ſed cum dolor viſceribus acceſſerit, voluntas cedit, cupiditas perſeuerat: quæ ſi efficit, vt contemptui ſint omnia, quæ à cæteris appetuntur, ſumma virtus eſt, ſiquidem continentiæ mater eſt. Ideoq. illud potius efficere debemus, vt affectus, quibus prauè vti, vitium eſt, dirigamus in rectum. Nam iſtæ concitationes animorum iuncto curui ſimiles ſunt, in quo rectè moderādo ſummū rectoris officium eſt, vt viam nouerit: quam ſi tenebit, quamlibet concitate ierit, non offendet. Si autē aberrauerit, licet placi-
C dè, ac leniter eat, aut per cōfragoſa vexabitur, aut per præcipitia labetur, aut certè, quò non eſt opus, deferetur. Sic curſus ille vitæ, qui affectibus, velut equis pernicibus ducitur, ſi viam rectam teneat, fungetur officio. Metus igitur, & cupiditas, ſi proijciantur in terram, vitia fient, virtutes autem, ſi ad diuina referantur. Parſimoniam contra virtutis loco habent. quæ ſi ſtudium eſt habendi, non poteſt eſſe virtus, quia in augendis, vel tuendis terreſtribus bonis tota verſatur. Nos autem ſummum bonum non referimus ad corpus, ſed omne officium ſolius animæ conſeruatione metimur. Quod ſi (vt ſupra docui) patrimoniu minimè parcendum eſt, vt humanitatem, iuſtitiamq; teneamus, nō eſt virtus, frugi eſſe. quod nomen virtutis ſpecie fallit, ac decipit. Eſt enim frugalitas abſtinētia quidem voluptatum, ſed † eo [al. ideo] vitium, quia ex habendi amore deſcendit, cum ſit & voluptatibus abſtinendum, & pecuniæ minimè temperandum. [al. parcere] Nam † parce, id eſt, mediocriter vti pecunia, quaſi quædam puſillitas animi eſt aut pertimētis, ne ſibi deſit, aut deſperātis, poſſe ſe illam reparare, aut contemptum terreſtrium nō
D capientis. Sed illi rurſus eum, qui rei familiari ſuæ nō parcat, prodigum vocant. Nam ita liberalem diſtinguūt à prodigo, quod is liberalis ſit, qui cibū & benemeritis, & cum oportet, & quantum ſatis eſt, largitur: prodigus verò, qui & non meritis, & cum opus non eſt, & ſine reſpectu rei familiaris effundat. Quid ergo? Prodigumne dicemus eum, qui miſericordiæ cauſa tribuat egentibus victum? Atqui multum refert vtrumne ſcortis propter libidinem largiare, an miſeris propter humanitatem: vtrum pecuniam tuam perductores, aleatores, lenonesque diripiant, an illam pietati, ac Deo præſtes: vtrumne illam ventri, ac gulæ ingeras, an in theſauro iuſtitiæ reponas. Vt ergo vitium eſt, effundere in malam partem, ſic in bonam, virtus. Si virtus eſt, non parcere opibus, quæ poſſunt reparari, vt hominis vitam ſuſtentes, quæ reparari non poteſt vitium † igitur parſimonia [al. vtique] eſt. Quare nihil aliud dixerim, quam inſanos, qui hominē, mite ac ſociale animal, orbant ſuo nomine, qui euulſis affe-

E ctibus, quibus omnis conſtat humanitas, ad immobilē ſtuporem mentis perducere volunt, dum ſtudent animum à perturbationibus liberare, & (vt ipſi dicunt) quietum tranquillumque reddere. Quod fieri non tantum non poteſt, quia vis, & ratio eius in motu eſt, ſed ne oportet quidem. quia ſicut aqua ſemper iacens & quieta, inſalubris & magis turbida eſt, ſic animus immotus ac torpens, inutilis eſt etiā ſibi, nec vitam ipſam tueri poterit, quia nec faciet quicquā, nec cogitabit, cum cogitatio ipſa nihil aliud ſit, quam mentis agitatio. Deniq; qui hanc immobilitatem animi aſſerunt priuare animū vita volunt, quia vita actuoſa eſt, mors quieta. Quædam etiam rectè pro virtutibus habent, ſed earum modum non tenent. Virtus eſt conſtantia, non vt inferentibus iniuriam reſiſtamus, his enim cedendum eſt, quod cur fieri debeat, mox docebo; ſed vt iubentibus facere nos contra Dei legem, contraque iuſtitiam, nullis minis, aut ſupplicijs terreamur, quo minus Dei iuſſionem hominis iuſ-
F ſioni præferamus. Item virtus eſt, mortem contemnere, nō vt appetamus, eamque vltrò nobis inferamus, ſicut philoſophorum plurimi, & maximi ſæpè fecerunt, quod eſt ſceleratum, ac nefarium, ſed vt coacti Deum relinquere, ac fidē prodere, mortem ſuſcipere malimus, libertatemque defendamus aduerſus impotentiam ſtultam, vecordemque violentiā, & omnes ſęculi minas, atq; terrores fortitudine animi prouocemus. Sic ea, quæ alij timent, excelſa & inſuperabili mente, dolorem, mortemq; * calcamus. Hæc eſt vir- [al. calcabimus.] tus, hæc vera conſtantia, in hac tuenda & conſeruanda ſolo, vt nullus nos terror, nulla vis à Deo poſſit auertere. Vera igitur à Cicerone illa ſententia eſt. Nemo, inquit, iuſtus poteſt eſſe, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatem timet. Item Senecæ in libris moralis philoſophiæ dicentis: Hic eſt ille homo honeſtus, non apice purpurave, non lictorum inſignis miniſterio, ſed nulla re minor, qui cū mortem in vicinia videt, non ſic perturbatur, tanquam rē nouam viderit, qui, ſiue toto corpore tormenta patienda ſunt, ſiue flamma ore recipienda eſt, ſiue extendēdæ per patibulum manus, non quærit, quid patiatur, ſed quam bene. Qui autem Deum colit, hæc patitur, nec timet. Ergo iuſtus. His rebus efficitur, vt neq; virtutes neq; virtutum exactiſſi-
G mos limites noſſe, aut tenere poſſit omnino, quiſquis eſt à religione Dei ſingularis alienus

De Dei quibuſdam mandatis, & patientia: & ibi eſt reprehenſus Cicero,

CAP. XVIII.

SEd omittamus philoſophos, qui aut omnino nihil ſciūt, idque ipſum pro ſumma ſcientia * præ ſe ferunt, aut qui [al. præferunt] non perſpiciunt etiam quæ ſciunt, aut qui quoniam ſe putant ſcire, quæ neſciunt, ineptè arroganterque deſipiunt. Nos ergo (vt ad propoſitum reuertamur) quibus ſoliſ à Deo veritas reuelata, & cœlitus miſſa ſapientia eſt, faciamus, quę iubet illuminator noſter Deus, ſuſtineamus inuicē, & labores huius vitæ mutuis adiumentis perferamus: nec tamen, ſiquid boni operis fecerimus, gloriam captemus ex eo. monet enim Deus, operatorem iuſtitiæ non oportere eſſe iactantem, ne non tam mandatis cœleſtibus obſequendi,
H quam ſtudio placendi, humanitatis officio functus eſſe videatur, habeatque iam pretium gloriæ. quod captauit, nec præmium cœleſtis illius, ac diuinæ mercedis accipiat. Cætera, quæ obſeruare cultor Dei debet, facilia ſunt, illis virtutibus comprehenſis, vt non mentiatur vnquam, decipiēdi, aut nocendi cauſa. Eſt enim nefas, eum, qui veritati ſtudeat, in aliqua re eſſe fallacem, atq; ab ipſa, quam ſequitur, veritate diſcedere. In hac iuſtitiæ, virtutumq, omniū via, nullus mendacio locus eſt. Itaq; viator ille verus, ac iuſtus nō dicet illud Lucilianum: Homini inimico, ac familiari nō eſt mentiri meum: ſed etiam amico, atq; ignoto exiſtimabit non eſſe mentiri ſuum, nec aliquando cōmittet, vt lingua interpres animi, à ſenſu, & cogitatione diſcordet. * Pecuniæ, ſi [al. pecuniam.] quam crediderit, non accipiat vſuram, vt & beneficium ſit incolume, quod ſuccurrat neceſſitati, & abſtineat ſe prorſus alieno. In hoc enim genere officij debet ſuo eſſe contentus, quem oportet alias ne proprio quidem parcere, vt bonum

A faciet, plus autem accipere, quam dederit, iniuſtum eſt. Quod qui facit, inſidiatur quodammodo, vt ex alterius neceſſitate prædetur. At iuſtus nunquam prætermittet, quo minus aliquid miſericorditer faciat, nec inquinabit ſe huiuſmodi quæſtu, ſed efficiet, vt ſine vllo ſuo damno, id ipſum quod commodat, inter bona opera numeretur. Munus nó accipiat à paupere, vt ſiquid ipſe præſtiterit, eò bonū ſit, quo fuerit gratuitum. Maledicenti benedicto reſpondeat, nunquam ipſe malè dicat, nec verbum malum procedat ex ore hominis, qui colit verbum bonum. Quin etiam caueat diligenter, nequando inimicum ſua culpa faciat, & ſiquis extiterit iam proteruus, qui bono, & iuſto faciat iniuriam, clementer, ac moderatè, & vltionem non ſibi aſſumat, ſed iudicio Dei ſeruet. Innocentiam ſemper, & vbique cuſtodiat. Quod præceptum non ad hoc tantum valet, vt ipſe iniuriam non inferat, ſed vt illatam ſibi non vindicet. Sedet enim maximus, & æquiſſimus iudex ſpeculator, ac teſtis omnium.

B Hunc homini præferat hunc, malit de cauſa ſua pronunciare, cuius ſententiam nemo effugere poteſt nec defenſione cuiuſquam, nec gratia. Ita fit, vt homo iuſtus contemptui ſit omnibus & quia putabitur, ſemetipſum defendere nó poſſe, habebitur pro ſegni, & inerti. Qui autem fuerit vltus inimicum, hic fortis, hic ſtrenuus iudicatur, hunc colunt, hūc omnes verentur. Bonus verò ille tametſi prodeſſe omnibus, vel pluribus poſſit; illum tamen ſuſpiciunt, qui nocere, quā qui prodeſſe poſſit. ſed iuſtum prauitas hominum deprauare non poterit, quo minus Deo ſtudeat obtemperare, malitque contemni, dummodo ſemper boni fungatur officio, mali nunquā. Cicero in iiſdem illis officialibus libris: At verò ſiquis voluerit, inquit, animi ſui complicatam notionem euoluere, iam ſe ipſe doceat, eum virum bonum eſſe, qui proſit, quibus poſſit, noceat nemini, niſi laceſſitus iniuria. O quam ſimplicem, veramque ſententiam duorum verborum adiectione corrupit! Quid enim opus fuerat adiungere, niſi laceſſitus iniuria? vt vitium bono viro quaſi caudam turpiſſimam apponeret, patientiæque, quæ omnium virtutū maxima eſt faceret expertem? Nociturum eſſe dixit bonum virum ſi fuerit laceſſitus, iam ex hoc ipſo boni viri no-

C men amittat neceſſe eſt, ſi nocebit. Non minus enim mali eſt, referre iniuriam, quam inferre. Nam vnde certamina inter homines, vnde pugnæ, contentioneſque naſcuntur, niſi quod improbitati oppoſita impatiētia, magnas ſæpè cóncitat tempeſtates? Quod ſi patientiam, qua virtute nihil verius, nihil homine dignius inueniri poteſt, improbitati oppoſueris, extinguetur protinus, tanquam ſi igni aquam ſuperfuderis. Sin autem prouocatrix illa improbitas impatientiam ſibi comparem nacta eſt, tanquam perfuſa oleo, tantum excitabit incendium, vt id non flumen aliquod, ſed effuſio cruoris extinguat. Magna itaque patientiæ ratio eſt, quam ſapiens homo ademit bono viro. Vt enim nihil malorum ſiet, hæc ſola efficit, quæ ſi detur omnibus, nullum ſcelus, nulla fraus in rebus humanis erit. Quid *ergo bono viro poteſt eſſe tam calamitoſum, tamque contrarium, quam iræ frena permittere, quæ illum non modo boni, ſed etiam hominis appellatione diſpoliet? Siquidem nocere alteri vt ipſe veriſſimè ait, non eſt ſecundum hominis naturam.

al. enim

D Nam & pecudes, ſi laceſſas, aut calce, aut cornu repugnant: & ſerpentes, ac feræ, niſi perſequaris, vt occidas, negotium non exhibent, & (vt ad hominum exempla redeamus) imperiti quoque, & inſipientes, ſi quando accipiunt iniuriam, cæco, & irrationabili furore ducuntur, & iis, qui ſibi nocent, vicem retribuere conantur. In quo igitur ſapiens, ac bonus vir à malis, & inſipientibus differt, niſi quod habet inuictā patientiam, qua ſtulti carent? niſi quod regere ſe, ac mitigare iram ſuam nouit, quam illi, quia virtute indigent, refrenare non poſſunt? Sed videlicet hæc illum res feſellit, * quia cum de virtute, * quæreretur in quacunque contentione vinceret, putauit eſſe virtutis: nec videre vllo modo potuit, hominem dolori, & iræ ſuccumbentem, & iis affectibus indulgentem quibus debet potius reluctari, & ruentem * quācunque improbitas prouocarit, virtutis officium non tenere. Qui enim referre iniuriam nititur, eum ipſum, à quo læſus eſt, geſtit imitari. Ita qui malum imitatur, bonus eſſe nullo pacto poteſt. Duobus igitur verbis duas virtutes maximas bono, & ſapienti viro, innocentiam, patientiam-

al. quod
al. loqueretur
al. quæcunque

E que detraxit. Sed quia ipſe caninam illam facundiā (ſicut Salluſtius ab Appio dictum refert) exercuit, voluit quoque hominem canino modo viuere, vt remordeat laceſſitus. Quæ retributio contumeliæ quam pernicioſa ſit, & quas edere ſoleat ſtrages, vnde opportunius petetur exemplum, quam ex ipſius doctoris triſtiſſimo caſu, qui dum his philoſophorum præceptis obtemperare geſtit, ipſe ſe perdidit? Quod ſi laceſſitus iniuria patientiam tenuiſſet, ſi diſſimulare, ſi ferre contumeliam boni viri eſſe didiciſſet: nec illas nobiles orationes alieno titulo inſcriptas, impatientia, & *leuitate, & inſania profudiſſet; nunquam capite ſuo roſtra, in quibus antè floruerat, cruentaſſet: nec rempublicam funditus proſcriptio illa deleſſet. Sapientis ergo, ac boni viri non eſt, velle certare, ac ſe periculo committere quoniam & vincere non eſt in noſtra poteſtate, & eſt anceps omne certamen: ſed eſt ſapientis, atque optimi viri, non aduerſarium velle tollere, quod fieri ſine ſcelere, ac periculo nó poteſt, ſed certamē ipſum, quod fieri & vtiliter, & iuſtè poteſt.

al. lenitas

F Summa igitur virtus habenda patientia eſt; qua vt non careret homo iuſtus, voluit illum Deus (vt ſupra dictum eſt) pro inerte contemni. Niſi enim contumeliis fuerit affectus, quantum habeat fortitudinis in ſeipſo cohibendo, ignorabitur. Si autem laceſſitus iniuria, lædentem perſequi cœperit, victus eſt. Si verò motū illū ratione cōpreſſerit, hic planè imperat ſibi, & hic regere ſe poteſt. Quæ ſuſtētatio ſui, rectè patiētia nominatur. quæ vna virtus omnib. eſt oppoſita vitiis, & affectib. Hæc perturbatū ac fluctuantē animū ad tranquillitatem ſuam reuocat, hæc mitigat, hæc hominem ſibi reddit. Ergo quoniam naturæ repugnare impoſſibile eſt, & inutile, vt non commoueamur omnino, prius tamen quam commotio illa proſiliat ad nocendum, quoad fieri poteſt maturius ſopiatur. Præcepit Deus non occidere ſolem ſuper iram noſtram, ne furoris noſtri teſtis abſcedat. Denique Marcus Tullius contra ſuum præceptum, de quo paulò ante dixi, obliuionem iniuriarum in magnis laudibus poſuit. Spero, inquit, Cæſar, qui obliuiſci nihil ſoles niſi iniurias. Quod ſi hoc ille faciebat, homo non à cœleſti

G tantum, ſed à publica quoque ciuilique iuſtitia remotiſſimus: quanto magis id nos facere debemus, qui immortalitatis † velamine candidati ſumus?

al. velut

Scholia

a Qui immortalitatis velamine candidati] *erat in libris impreſſis.* qui immortalitatis velut candidati, *legendum eſt ex antiquis codicibus. candidatos vero immortalitatis appellat Chriſtianos, quemadmodum candidati conſulatus, vel Præturæ dicebantur illi, qui conſulatum, vel præturam petebant. hoc, cum non intelligerent aliqui, ex illo, velut, fecerunt velamine, quod plane ineptum eſt.*

De affectibus iisdem, eorumque vſu.

CAP. XIX.

STOICIS, cum affectus ex homine tanquam morbos conantur euellere, Peripatetici ſe opponunt, eoſque non modo retinent, ſed etiam defendunt, nihilque in homine eſſe dicunt, quod non magna ratione, ac prouidentia ſit innatum. Rectè id quidem, ſi ſingularum rerum veros terminos ſcirent. Itaque hanc ipſam iram, cotem dicunt eſſe virtutis, tanquam nemo poſſit aduerſus hoſtes fortiter dimicare, niſi fuerit ira concitatus. Quo planè oſtendunt, nec

H quid ſit virtus ſcire ſe, nec cur homini tribuerit iram Deus. Quæ ſi nobis ideo data eſt, vt ea vtamur ad occidendos homines, quid immanius homine, quid ſimilius feris beluis exiſtimandum eſt, quam id animal, quod ad communionem, & innocentiam Deus fecit? Tres ſunt igitur affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt: ira, cupiditas, libido. Propterea poetæ tres furias eſſe dixerunt, quæ mentes hominum exagitant, ira vltionem deſiderat, cupiditas opes, libido voluptates. Sed his omnibus Deus certos limites ſtatuit, quos ſi tranſcenderint, maioreſque eſſe cœperint, neceſſe eſt naturam ſuam deprauent, & morbos ac vitia vertantur. Qui autem ſint iſti limites, non eſt magni

laboris

A laboris oſtendere. Cupiditas ad ea comparanda nobis data eſt, quæ ſunt ad vitam neceſſaria, libido ad ſobolem propagandam, iræ affectus ad coercenda peccata eorum, qui ſunt in noſtra poteſtate, id eſt, vt acriore diſciplina minor ætas ad probitatem, iuſtitiamque formetur. quæ niſi metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium, & facinus euadet. Itaque vt ira vti aduerſum minores, & iuſtum eſt, & neceſſarium, ſic & aduerſum pares, & perniciosum eſt, & impium. Impium, quod violatur humanitas, perniciosum, quod illis repugnantibus aut perdere neceſſe eſt, aut perire. Hanc autem, quam dixi, eſſe rationem, cur homini ſit iræ affectus datus, ex ipſius Dei præceptis intelligi poteſt, *a* qui iubet, vt † maledictis, & lædentibus non iraſcamur, manus autem noſtras ſupra minores ſemper habeamus, hoc eſt, vt peccantes eos aſſiduis verberibus corrigamus, ne amore inutili, & indulgentia nimia educentur ad malum, & ad vitia nutriantur. Sed rerum imperiti, & rationis ignari, eos affectus, qui ſunt homini ad vſus bonos dati, exterminauerunt, & latius, quam ratio poſtulat euagantur. Inde iniuſtè, atque impiè viuitur. Vtuntur ira contra pares, hinc diſſidia, hinc expulſiones, hinc bella contra
B iuſtitiã nata ſunt. Vtuntur cupiditate ad congregandas opes hinc fraudes, hinc latrocinia, hinc omnia ſcelerum genera orta ſunt. Vtuntur libidine ad capiendas tantum voluptates. hinc ſtupra, hinc adulteria, hinc corruptelæ omnes extiterunt. Quicunque igitur illos affectus intra fines ſuos redegerit, quod ignorãtes Deum facere non poſſunt, hic patiens, hic fortis, hic iuſtus eſt.

al. maledictis

Scholia.

a Qui iubet, vt maledictis & lædentibus) *habent libri impreſſi*, vt inimicis ac lædentibus, *habet codex antiquus. in quo eſt expreſſum Chriſti præceptum de inimicis diligendis. alter codex ſancti Saluatoris habet*, maledicis, *quod etiam optime poteſt coniungi cum lædentibus, & ex hoc videtur corruptum, quod habetur in impreſſis codicibus* maledictis.

De ſenſibus, & eorum voluptatibus brutorum, & hominis: deque oculorum voluptate, & ſpectaculis.

C

CAP. XX.

Reſtat, vt contra † quinque † ſenſuum voluptates dicam breuiter. nam & ipſius libri menſura iam modum flagitat, quæ omnes, quoniam vitioſæ, ac mortiferæ ſunt virtute ſuperari, atque opprimi debent, vel (quod paulò ante dicebam de affectibus) ad rationem ſuam reuocari. Cæteræ animantes præter vnam voluptatem, quæ ad generandum pertinet, nullam ſentiunt. Vtuntur ergo ſenſibus ad naturæ ſuæ neceſſitatem. vident, vt appetant ea, quibus opus eſt ad vitam tuendam. audiunt inuicem, ſeque dignoſcunt, vt poſſint congregari. Quæ vtilia ſunt ad victum, aut ex odore inueniunt aut ea ſapore percipiũt, inutilia reſpuunt, aut recuſant. Edendi, ac bibendi officium ventris plenitudine metiuntur. Homini verò ſolertiſſimi artificis prouidentia dedit voluptatem infinitam, & in vitium cadentem, quia propoſuit ei virtutem, quæ cum voluptate ſemper, tanquam cum domeſtico hoſte pugnaret. Cicero in Catone maiore:
D Stupra verò inquit, & adulteria, & † omne flagitium nullis excitari alijs illecebris, niſi voluptatis. Cumque homini ſiue natura, ſiue quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic diuino muneri, ac dono nihil tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante, temperantiæ locũ eſſe, neq; in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere, ſed è contrario Deus idcirco virtutem dedit, vt expugnaret, ac vinceret voluptatem, eamq; egredientem fines ſibi datos, infra præſcriptum coerceret, ne hominem ſuauitatibus delinitum, atque captum, ditioni ſuæ ſubijceret, ac ſempiterna morte mulctaret. Voluptas oculorum varia, & multiplex eſt, quæ capitur ex aſpectu rerum, quæ ſunt in vſu hominum vel natura, vel opere delectabiles. Hanc philoſophi rectiſſimè ſuſtulerunt. Aiunt enim multo eſſe præclarius, & homine dignius, cœlum potius, quam cælata intueri: & hoc pulcherrimum opus intermicantibus aſtrorum luminibus tanquam floribus adornatum, quam picta, & ficta, & gemmis diſtincta mirari. Sed cum diſertè ad contemptum terreſtrium nos exhortati ſunt, & ad cœli ſpectaculum excitauerunt, tamen ſpectacula hæc publica non contemnunt. Itaque his & delectantur, & libenter intereſſunt. Quæ, quoniam maxima ſunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentiſſimè valent, tollenda ſunt nobis, quia non modo ad beatam vitam nihil conferunt, ſed etiam nocent plurimum. Nam qui hominem, quamuis ob merita damnatum in conſpectu ſuo iugulari pro voluptate computat, conſcientiam ſuam polluit, tam ſcilicet quam ſi homicidij, quod fit occultè, ſpectator, & particeps fiat. Hos autem ludos vocant, in quibus humanus ſanguis effunditur. Adeò longè ab hominibus receſſit humanitas, vt cum animas hominum interficiant, ludere ſe opinentur, nocentiores ijs omnibus quorum ſanguinem voluptati habent. Quæro nunc, an poſſint pij & iuſti homines eſſe, qui conſtitutos ſub ictu mortis, ac miſericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, ſed efflagitant, feruntque ad mortem crudelia, & inhumana ſuffragia, nec vulneribus ſatiati, nec cruore
E contenti. quin etiam percuſſos, iacenteſque repeti iubent, & cadauera ictibus diſſipari, ne quis illos ſimulata morte deludat. Iraſcuntur etiam pugnantibus, niſi celeriter è duobus alter occiſus eſt, & tanquam humanum ſanguinem ſitiant, oderunt moras. Alios illis compares dari poſcunt recentiores, vt quam primum oculos ſuos ſatient. Hac conſuetudine imbuti, humanitatem perdiderunt. Itaque non parcunt etiam innocentibus, ſed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt. Huius igitur publici homicidij ſocios, & participes eſſe non conuenit eos, qui iuſtitiæ viam tenere nituntur. * Non enim cum occidere Deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet, ſed ea quoque ne fiant, monet, quæ apud homines pro licitis habentur. Ita neque militare iuſto licebit, cuius militia eſt in ipſa iuſtitia, neque verò accuſare quenquam crimine capitali, quia nihil diſtat, vtrum ne ferro, an verbo potius occidas, quoniam occiſio ipſa prohibetur. Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorſus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem ſit ſemper nefas, quem Deus ſanctum animal eſſe voluit. Ergone illud quidem concedi aliquis exiſtimet, vt * recentes natos liceat *obliderе, quæ vel maxima eſt impietas. ad vitam enim Deus inſpirat animas, non ad mortem. Verum homines, ne quod ſit facinus, quo manus ſuas non polluant, rudibus adhuc, & ſimplicibus animis abnegant lucem non à ſe datam. Expectet verò aliquis, vt alieno ſanguini parcant, qui non parcunt ſuo. ſed hi ſine vlla controuerſia ſcelerati, & iniuſti. Quid illi quos falſa pietas cogit exponere? Non poſſunt innocentes exiſtimari, qui viſcera ſua in prædam canibus obijciunt, & quantum in ipſis eſt crudelius necant, quam ſi ſtrangulaſſent. Quis dubitet, quin impius ſit, qui alienæ miſericordiæ locum non tribuit? qui, etiam ſi contingat ei, quod voluit, vt alatur, addixit certè ſanguinem ſuum vel ad ſeruitutem vel ad lupanar. Quæ autem poſſint, vel ſoleant accidere in vtroque ſexu, vel per errorem, quis non intelligit? quis ignorat? Quod vel vnius Oedipodis declarat exemplum, duplici ſcelere confuſum. Tam igitur nefarium eſt, exponere, quam necare. At enim parricidæ facultatum anguſtias conqueruntur, nec ſe pluribus liberis educandis ſufficere poſſe prætendunt. quaſi verò aut facultates in poteſtate ſint poſſidentium, aut non quotidie Deus ex diuitibus pauperes, & ex pauperibus diuites faciat. Quare ſi quis liberos ob paupertatem non poterit educare, ſatius eſt vt ſe ab vxoris congreſſione contineat, quam ſceleratis manibus Dei opera corrumpat. Ergo ſi homicidium facere nullo modo licet, nec intereſſe omnino conceditur, ne conſcientiam perfundat vllus cruor ſiquidem populo ſanguis ille præſtatur. In ſcenis quoque neſcio an ſit corruptela vitioſior. Nam & comicæ fabulæ de ſtupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum, & quo magis ſunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo magis ſententiarum elegantia perſuadent, & faciliùs inhærent audientium memoriæ verſus numeroſi, & ornati. Item tragicæ hiſtoriæ ſubijciunt oculis parricidia, & inceſta regum malorum, & cothurnata ſcelera demonſtrant. Hiſtrionum quoque

al. iniquas
al. ſenſus
al. omnia flagitia

F *Caute lege decem aut vndecim iſtas lineas, nam duo docet Lactãtius cõtra Theologiæ rationem prorſus abhorrentia. Primũ Nõ eſſe licitũ occidere hominẽ in iudicio, & à publica poteſtate, neq; accuſare quenquam crimine capitali*

G *Qui eſt manifeſtus error, Vide S. Thomã. 2. 2. q. 64. art. 2 & 3 eiuſq; interpretes, & Bellarminum lib. 3 de Laicis c. 13. & 15 Secundũ, neq; licere Chriſtianis militare, quæ fuit hæreſis Manichæorum, & noſtro ſeculo Eraſmi, aliorumq;*

H *Nouatoris Vide Sanc. Thomam 2. 2. q. 40. art. 1 eiuſq; Interpretes, Sixtũ lib. 6. Bibl. Annot. 156 Bellarminum lib. 3 de Laicis cap. 14.*

A impudiciſſimi motus, quid aliud niſi libidines docent, & inſtigant? quorum eneruata corpora, & in muliebrem inceſſum, habitumque mollita, impudicas fœminas inhoneſtis geſtibus mentiuntur. Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus diſciplinam? qui docent adulteria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera? Quid iuuenes, aut virgines faciant, cum hæc & fieri ſine pudore, & ſpectari libenter ab omnibus cernunt. Admonentur vtique, quid facere poſſint, & inflammantur libidine, quæ aſpectu maximè concitatur, ac ſe quiſque pro ſexu in illis imaginibus præfigurat, probantque illa, dum rident, & adhærentibus vitiis, corruptiores ad cubicula reuertuntur: nec pueri modò quos præmaturis vitiis imbui non oportet, ſed etiam ſenes quos peccare iam non decet. Circenſium quoque ludorum ratio quid aliud habet, niſi leuitatem, vanitatem, inſaniam? Tanto namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur, vt iam plus ſpectaculi exhibeant, qui ſpectandi gratia veniunt, cum exclamare, &

B efferri, & exilire cœperint. Vitanda ergo ſpectacula omnia, non ſolum ne quid vitiorum pectoribus inſidat, quæ ſedata, & pacifica eſſe debent, ſed ne cuius nos voluptatis conſuetudo deliniat: & a Deo, atque à bonis operib. auertat. Nam ludorum celebrationes, deorum feſta ſunt: ſiquidem ob natales eorum, vel templorum nouorum dedicationes ſunt conſtituti. Et primitus quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributæ ſunt, ludi autem ſcenici Libero, circenſes Neptuno. Paulatim verò & cæteris diis, idem honos tribui cœpit, ſingulique ludi numinibus eorum conſecrati ſunt, ſicut Sinnius Capito in libris ſpectaculorum docet. Si quis igitur ſpectaculis intereſt, ad quę religionis gratia côuenitur, diſceſſit à Dei cultu, & ad deos ſe contulit, quorum natales, & feſta celebrauit.

S c h o l i a.

a Coorta quinque ſenſuum voluptates] *erat in libris impreſſis.* coorta iniquos ſenſus voluptatis, *habet codex antiquus. mihi tamen magis placeret, ſi legeremus, voluptatum vel iniquas ſenſus voluptates. cum vtrumque iam minima literarum mutatione fieri poſſit. nam paulo inferius dicit, quæ omnes, &c. quæ non poſſunt referri ad voluptatem in ſingulari numero. illud autem, quod legitur in libris impreſſis,* quinque ſenſuum, *mihi nullo modo placet, quia videtur nimis pueriliter & magis ſcholaſtice dictum, quam eleganter, aut grauiter.*

C

De aurium voluptatibus, & ſacris literis.

CAP. XXI.

AVrium voluptas ex vocum, & cantuum ſuauitate percipitur, quæ ſcilicet tam vitioſa eſt, quam oblectatio illa, de qua diximus, oculorum. Quis enim non luxurioſum, ac nequam putet eum, qui ſcenicas artes domi habeat?

D Atqui nihil refert, vtrumne luxuriam ſolus domi, an cum populo exerceas in theatro. Sed iam de ſpectaculis dictum eſt. reſtat vnum, quod eſt nobis expugnandum, ne capiamur iis, quæ ad ſenſum intimum penetrant, nam illa omnia, quæ verbis carent, id eſt, aeris, & neruorum ſuaues ſoni, poſſunt facilè contemni, quia non adhærent, nec ſcribi poſſunt. Carmen autem compoſitum, & oratio cum ſuauitate decipiens, capit mentes & quo voluerit, impellit. Inde homines literati cum ad Dei religionem acceſſerint, ſi non fuerint ab aliquo *a* * imperito doctore fundati, ruinus credunt. Aſſueti enim dulcibus, & politis ſiue orationibus, ſiue carminibus, diuinarum literarum ſimplicem, communemque ſermonem pro ſordido aſpernantur. Id enim quærunt, quod ſenſum demulceat. Perſuadet autem quicquid ſuaue eſt, & animo penitus, dum delectat, inſidet. Num igitur Deus & mentis, & vocis, & linguæ artifex diſertè loqui non poteſt? Imo verò ſumma prouidentia carere fuco voluit ea, quæ diuina ſunt, vt omnes intelligerent, quæ ipſe omnibus loquebatur. Ergo qui veritati ſtudet, qui non vult ſe ipſe decipere, abiiciat inimicas, ac noxias voluptates, quæ animam ſibi * vinciant, vt corpus cibi dulces: præferantur vera falſis, æterna breuibus, vtilia iucundis. nihil aſpectu gratum ſit, niſi quod pié, quod iuſte fieri videas, nihil auditu ſuaue, niſi quod alit animam, melioremque te reddit. Maximèq; hic ſenſus non eſt ad vitium detorquendus, qui nobis ideo datus eſt, vt doctrinam Dei percipere poſſemus. Itaque ſi voluptas eſt, audire cantus, & carmina, Dei laudes canere & audire iucundum ſit. Hæc eſt voluptas vera, quæ comes, & ſocia virtutis eſt. Hæc eſt non caduca, & breuis, vt illæ, quas appetunt, qui corpori, vt pecudes, ſeruiunt, ſed perpetua, & ſine vlla intermiſſione delectans. Cuius terminos ſi quis exceſſerit, nihilque aliud ex voluptate petierit, niſi ipſam voluptatem, hic mortem meditatur, quia ſicut vita perpetua in virtute eſt, ita mors in voluptate. Qui enim temporalia maluerit, carebit æternis, qui terrena prætulerit, cœleſtia non habebit.

al. perito

al. ſubijciunt

E

F

S c h o l i a.

a Religionem acceſſerint ab aliquo imperito doctore, &c. *habent libri impreſſi.* cum ad Dei religionem acceſſerint, ſi non fuerint ab aliquo perito doctore fundati, *legendum eſt ex antiquo codice. ſenſus verò eſt hic, vt dicat homines literatos, & politis literis imbutos, ſi, cum ad religionem accedunt, non habent doctorem religionis, qui præter ipſam religionem, ſit quoque peritus, & literis imbutus, minime ſolere credere, quod deſpiciant ſimplicitatem ſermonis ſacrarum literarum, & ſimplicitatem ſenſus ipſius doctorum. in vulgari quidem lectione idem eſt ſenſus, verum oratio eſt inconcinnior atque obſcurior. illud verò vocabulum, fundatus, tametſi apud politiſſimos ſcriptores non reperiatur, eo tamen iuriſconſulti, ad quorum ætatem referri debet Lactantius, vtuntur: præclaroſque illos antiquiores iuriſconſultos, fundatos in iure appellant.*

De ſaporis, & odoris voluptatibus.

CAP. XXII.

G

AD voluptates autem ſaporis, & odoris, qui duo ſenſus ad ſolum corpus pertinent, nihil eſt, quod à nobis diſputetur, niſi fortè quis exigit, vt dicamus, turpe eſſe ſapienti, ac bono, ſi ventri, & gulæ ſeruiat, ſi vnguentis oblitus, ac floribus coronatus incedat, * quod qui facit, vtique inſipiens, ineptus, & nihili eſt, & quem ne odor quidem virtutis attigerit. Fortaſſe quiſpiam dixerit, Cur ergo illa facta ſunt, niſi vt iis fruamur? At enim iam ſæpè dictum eſt, virtutem nullam fuiſſe futuram, niſi haberet quæ opprimeret. Itaq; fecit omnia Deus ad inſtruendum certamen rerum duarum. Ergo illecebræ iſtæ voluptatum arma ſunt illius cuius opus vnum eſt, expugnare virtutem, iuſtitiamq; ab * omnibus excludere. His blandimentis, & ſuauitatibus irretit animas. Scit enim, quia mortis eſt fabricatrix voluptas. Nam ſicut Deus hominem ad vitam non niſi per virtutem, ac laborem vocat, ita ille ad mortem per delicias, ac voluptates. & ſicut ad verum bonum per fallacia mala, ſic ad verum malum per fallacia bona peruenitur. Cauenda ſunt igitur oblectamenta iſta, tanquam laquei, & plagæ, ne ſuauitudinum mollitie capti ſub ditionem mortis cum ipſo corpore redigamur, cui nos mancipauimus.

al. quæ

al. hominibus

H

De tactus voluptate, & libidine & matrimonio & continentia.

CAP. XXIII.

VEnio nunc ad eam quæ percipitur ex tactu, voluptatem: qui ſenſus eſt quidem totius corporis. Sed ego non de ornamentis, aut veſtibus, ſed de ſola libidine dicendum mihi puto, quæ maximè coercenda eſt, quia maximè nocet. Cum excogitaſſet Deus duorum ſexuum rationem, attribuit iis, vt ſe inuicem appeterent, & coniunctione gauderent. Itaque ardentiſſimam cupiditatem cunctorum animantium corporibus admiſcuit, vt in hos affectus auidiſſime ruerent, eaque ratione propagari, & multiplicari genera poſſent. Quæ cupiditas, & appetentia, in homine vehementior, & acrior inuenitur, vel quia hominum multitu-

A dinem voluit eſſe maiorem, vel quoniam virtutem ſoli homini dedit, vt eſſet laus, & gloria in coercendis voluptatibus, & abſtinentia ſui. Scit ergo aduerſarius ille noſter, quanta ſit vis huius cupiditatis, quam quidem neceſſitatem dicere maluerunt, eamq; à recto, & bono ad malum, & prauum transfert. Illicita enim deſideria immittit, vt aliena contaminent, quibus habere propria, ſine delicto licet. Obiicitque oculis irritabiles formas, ſuggeritque fomenta, & vitiis pabulum ſubminiſtrat, tum intimis viſceribus ſtimulos omnes conturbat, & commouet, & naturalem illum incitat, atq; inflammat ardorem, donec irretitum hominem, implicatumq; decipiat. Ac ne quis eſſet, qui pœnarum metu abſtineret alieno, lupanaria quoq; conſtituit, & pudorem infelicium mulierum publicauit, vt ludibrio haberet tam eos, qui faciunt, quam quas pati neceſſe eſt. His obſcœnitatib. animas ad ſanctitatem genitas, velut in cœni gurgite demerſit, pudorem extinxit, * pudicitiam flagitauit. Idem etiam mares maribus admiſcuit, & nefandus coitus contra naturam, contraque * iuſtitiam Dei machinatus eſt. ſic imbuit homines, & armauit ad nefas omnes. B Quid enim poteſt eſſe ſanctum iis, qui ætatem imbecillam & præſidio indigentem, libidini ſuæ depopulandam fœdandamq; ſubſtrauerint? Non poteſt hæc res pro magnitudine ſceleris enarrari. Nihil amplius iſtos appellare poſſum, quam impios, & parricidas, quibus non ſufficit ſexus à Deo datus, niſi * & ſuum profanè, ac petulanter illudant. Hæc tamen apud illos leuia, & quaſi honeſta ſunt. Quid dicam de iis, qui abominandam non libidinem, ſed inſaniam potius exercent? Piget dicere. ſed quid his fore credamus, quos non piget facere? & tamen dicendum eſt, quia fit. De iſtis loquor quorum teterrima libido, & execrabilis furor ne capiti quidem parcit. Quibus hoc verbis, aut qua indignatione tantum nefas proſequar? vincit officium linguæ, ſceleris magnitudo. Cùm igitur libido hæc edat opera, & hæc facinora deſignet, armandi aduerſus eam virtute maxima ſumus. Quiſquis affectus illos frenare non poteſt, cohibeat eos intra præſcriptum legitimi tori, vt & illud, quod auidè expetit, * aſſequatur, & tamen in peccatum non incidat. Nam quid ſibi homines perditi volunt? Nempe honeſta opera voluptas ſequitur, ſi ipſam per ſe appetunt. iuſta, & legitima frui, licet. C Quod ſi aliqua neceſſitas prohibebit, tum verò maxima adhibenda virtus erit, vt cupiditati continentia reluctetur. Nec tantum alienis toris, quæ attingere non licet, verum etiam publicis vulgatisq; corporibus abſtinendum, Deus præcepit docetq; nos, cum duo inter ſe corpora fuerint copulata, vnum corpus efficere. Ita qui ſe cœno immerſerit, cœno ſit oblitus neceſſe eſt: & corpus quidem citò ablui poteſt, mens autem contagione impudici corporis inquinata non poteſt, niſi & longo tempore, & multis bonis operibus, ab ea, quæ inhæſerit, colluuione purgari. Oportet ergo ſibi quemq; * proponere, duorum ſexuum coniunctionem generandi cauſa datam eſſe viuentibus, eamq; legem his affectibus poſitam, vt ſucceſſionem pariant. Sicut autem dedit nobis oculos Deus, nõ vt ſpectemus, voluptatemq; capiamus, ſed vt videamus, propter eos actus, qui pertinent ad vitæ neceſſitatem: ita genitalem corporis partem, quod nomen ipſum docet, nulla alia cauſa, niſi efficiendæ ſobolis accepimus. † Huic diuinæ D legi ſumma deuotione parendum eſt. ſint omnes, qui ſe diſcipulos Dei profitebuntur, ita moribus, & inſtituti, vt imperare ſibi poſſint. Nam qui voluptatibus indulgent, qui libidini obſequũtur, ii animam ſuam corpori mancipant, morteq; condemnant, quia ſe corpori addixerunt, in quo habet mors poteſtatem. Vnuſquiſque igitur, quantum poteſt, formet ſe ad verecundiam, pudorem colat, caſtitatem conſcientia, & mente tueatur: nec tantum legibus publicis pareat, ſed ſit ſupra omnes leges, qui legem Dei ſequitur. Quibus bonis ſi aſſueuerit, iam pudebit eum * in deteriora deſcendere, modò placeant recta, & honeſta, quæ melioribus iucundiora ſunt, quam praua, & inhoneſta peioribus. Nondum omnia caſtitatis officia executus ſum, quam non modo Deus intra priuatos parietes, ſed etiam præſcripto lectuli * terminat, vt cum quis habet vxorem, * neq; ſeruam, neq; liberam habere inſuper velit, ſed matrimonio fidem ſeruet. Non enim, ſicut iuris publici ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ habet alium, maritus autem, etiamſi plures habeat, E à crimine adulterij ſolutus eſt. Sed diuina lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus vnũ, pari iure coniungit, vt adulter habeatur, quiſquis † compagem corporis in diuerſa diſtraxerit. Nec ob aliam cauſam Deus, cù cæteras animantes ſuſcepto fœtu, marib. repugnare voluiſſet, ſolam omnium mulierem, patientem viri fecit, ſcilicet ne feminis repugnantibus, libido cogeret viros aliud appetere, eoque facto, caſtitatis gloriam non tenerent. Sed neq; mulier virtutem pudicitiæ caperet, ſi peccare non poſſet. Nam quis mutum animal pudicum eſſe dixerit, quod ſuſcepto fœtu mari repugnat? Quod ideo facit, quia neceſſe eſt, in dolorem, atq; in periculum veniat, ſi admiſerit. Nulla igitur laus eſt, non facere, quod facere non poſſis. Ideo autem pudicitia in homine laudatur, quia non naturalis eſt, ſed voluntaria. Seruanda igitur fides ab vtroq; alteri eſt, imo exemplo continentiæ docenda vxor, vt ſe caſtè gerat. Iniquum eſt enim, vt id exigas, quod præſtare ipſe non poſſis. Quæ iniquitas effecit profectò, vt eſſent adulteria, feminis ægrè ferentibus præſtare ſe fidem, non exhibentibus mutuam caritatem. F Deniq; nulla eſt tam perditi pudoris adultera, quæ non hanc cauſam vitiis ſuis prætendat, iniuriã ſe peccando nõ facere, ſed referre. Quod optimè Quintil. expreſſit: Homo, inquit, neque alieni matrimonij abſtinens, neq; ſui cuſtos, quæ inter ſe natura connexa ſunt. Nam neq; maritus circa corrumpendas aliorum coniuges occupatus, poteſt vacare domeſticæ ſanctitati, & vxor, cum in tale inciderit matrimonium, exemplo ipſo incitata, aut imitari ſe putat, aut vindicare. cauendũ igitur, ne occaſionem vitiis noſtra intemperãtia demus, ſed aſſueſcant inuicem mores duorum, & iugum paribus animis ferant. Nos ipſos in altero cogitemus. Nam ferè in hoc iuſtitiæ ſumma conſiſtit vt non facias alteri, quicquid ipſe ab altero pati nolis. Hæc ſunt, quæ ad continentiam præcipiuntur à Deo. Sed tamen ne quis diuina præcepta circumſcribere ſe putet poſſe, † addantur illa, vt omnis calumnia, & occaſio fraudis remoueatur, adulterum eſſe, qui à marito † dimiſſam duxerit, & eum, qui præter crimen adulterij vxorem dimiſerit, vt alteram ducat: diſſociari enim corpus, & diſtrahi Deus noluit. Præterea non tantum adulterium eſſe vitandum, ſed etiam cogitationem, ne quis aſpiciat alienam & animo concupiſcat; adulteram .n. fieri mentem ſi vel imaginem voluptatis ſibi ipſa depinxerit. G Mens eſt enim profectò, quæ peccat, quæ immoderatę libidinis fructum cogitatione complectitur, in hac crimen eſt, in hac omne delictum. Nam etſi corpus nulla ſit labe maculatum, non conſtat tamen pudicitiæ ratio, ſi animus inceſtus eſt, nec illibata caſtitas videri poteſt, vbi cõſcientiam cupiditas inquinauit. Nec verò aliquis exiſtimet, difficile eſſe, frenos imponere voluptati, eamq; vagam, & errantem, caſtitatis, pudicitiæq; limitibus includere, cum propoſitum ſit hominibus, eam vincere, ac plurimi beatam, atq; incorruptam corporis integritatem retinuerint: multiq; ſint, qui hoc cæleſti genere vitæ feliciſſimè perfruantur. Quod quidem Deus non ita fieri præcepit, tanquam aſtringat, quia generari homines oportet, ſed tanquam ſinat. Scit enim quantam his affectibus impoſuerit neceſſitatem. Si quis hoc, inquit, facere potuerit, habebit eximiam, incomparabilemque mercedem. Quod continentiæ genus quaſi faſtigium eſt, omniumque conſummatio virtutum. Ad quam ſiquis eniti, atq; eluctari potuerit, hunc ſeruum dominus, hunc diſcipulum magiſter agnoſcit, H hic terram triumphabit, hic erit conſimilis Deo, qui virtutem Dei cepit. Hæc quidem difficilia videntur, ſed de eo loquimur, cui calcatis omnibus terrenis, iter in cœlum paratur. Nam quia virtus in Dei agnitione conſiſtit, omnia grauia ſunt, dum ignores, vbi cognoueris, facilia. per ipſas difficultates nobis exeundum eſt, qui ad ſummum bonum tendimus.

Scholia

a Pudicitiam flagitauit] *legendum eſt ex omnibus antiquis codicibus. flagitare vero in hac ſignificatione eſt, de ſtupro inſtantius aliquam virginem appellare. qua ſignificatione vtitur hoc verbo Vlpianus in l. 9. de priua. delic. ff. Item ſi quis ancillam alienam ſurripuerit, & flagitauerit, vtraque actione tenebitur. quam verbi huius ſignificationem qui ignorabant pro eo, fugauit, vel profligauit, poſuerunt in libris tamen à Paulo Manutio impreſſis, hic locus erat emendatus, & ſine vllo aſteriſco erat impreſſum, flagitauit.*

Marginal notes: al. inſtitutum; al. etiam; al. conſequatur; al. proponere; al. ad; al. terminauit; al. nequã; al. patr[...]; al. adducatur; al. eiecta

A

De pœnitentia, venia: & præceptis Dei,

CAP. XXIV.

NEc tamen deficiat aliquis, aut de ſe ipſe deſperet, ſi aut cupiditate victus, aut libidine impulſus aut errore deceptus, aut vi coactus, ad iniuſtitiæ viam lapſus eſt. Poteſt enim reduci, ac liberari, ſi eum pœniteat actorum, & ad meliora conuerſus, ſatisfaciat Deo. quod fieri poſſe Cicero non putauit, cuius hæc in Academico tertio verba ſunt: Quod ſi liceret vt ijs, qui in itinere deerrauiſſent, ſic vitam deuiam ſecutos corrigere errorem pœnitendo, facilior eſſet emendatio temeritatis. Licet planè. Nam ſi liberos noſtros, cum delictorum ſuorum cernimus pœnitere, correctos eſſe arbitramur, & abdicatos, abiectoſque, ruſus tamē ſuſcipimus, fouemus, amplectimur: cur deſperemus, clementiam Dei patris pœnitendo poſſe placari? Ergo idē Dominus, ac parens indulgentiſſimus remiſſurum ſe pœnitentibus peccata promittit, & obliteraturum omnes iniquitates eius, qui iuſtitiam denuò cœperit operari. Sicut enim

B

nihil prodeſt malè viuenti anteactæ vitæ probitas, quia ſuperueniens nequitia, iuſtitiæ opera deleuit: ita nihil officiunt peccata vetera correcto, quia ſuperueniens iuſtitia, labem vitæ prioris* aboleuit. Is enim quem facti ſui pœnitet,

al. abolebit

errorem ſuum priſtinum intelligit, ideoque Græci melius, & ſignificantius *μετάνοιαν* dicunt, quam nos poſſimus reſipiſcentiam dicere. reſipiſcit enim, ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quē errati piget, caſtigatq; ſeipſum demētiæ & confirmat animū ſuū ad rectius viuendū: tum illud ipſum maximè cauet, ne ruſus in eoſdem laqueos inducatur. Denique muta quoq; animalia, cum fraude capiuntur, ſi aliquo ſe modo in fugam extricauerint, fiunt poſtmodū cautiora, vitantq; ſemper ea omnia, in quibus dolos, inſidiaſq; ſenſerunt. Sic hominem pœnitentia cautum, ac diligentem facit ad euitanda peccata, in quæ ſemel fraude deciderit. Nemo enim poteſt eſſe tam prudens, tam circunſpectus, vt non aliquando labatur. Et idcirco Deus imbecillitatē noſtram ſciens, pro ſua pietate aperuit homini portum ſalutis, vt huic neceſſitati, cui fragilitas noſtra ſubiecta eſt, medicina pœnitentiæ ſubueniret. Ergo quicunq; aberrauerit, referat pedem, ſeque quamprimum recipiat, ac reformet.

C

Sed reuocare gradum, ſuperaſq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Degustatis enim malè iucundis voluptatibus, vix diuelli ab his poſſunt. facilius recta ſequerentur, ſi earum ſuauitates non attigiſſent. Sed ſi eripiant ſe malæ ſeruituti, condonabitur his omnis error. ſi errorem ſuum vita meliore correxerint. Nec lucrari ſe quiſquam putet, ſi delicti conſcium non habebit. ſcit enim ille omnia, in cuius conſpectu viuimus. nec ſi vniuerſos homines celare poſſumus, Deum poſſumus, cui nihil abſconditū, nihil poteſt eſſe ſecretū.* quod

a Quod ex hortationes ſuas

exhortationibus ſuis Seneca mirabili ſententia terminauit: Magnum, inquit, neſcio quid, maiuſq;, quam cogitari poteſt, numen eſt, cui viuendo operā damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodeſt incluſa conſcientia: patemus Deo. Quid verius dici poteſt ab eo qui Deum noſſet, quam

D

dictum eſt ab homine veræ religionis ignaro? nam & maieſtatem Dei expreſſit, maiorem eſſe dicendo, quam vt eam cogitatio mentis humanæ capere poſſet, & ipſum veritatis attigit fontem, ſentiendo, vitam hominum ſuperuacuam non eſſe, vt Epicurei volunt, ſed Deo ab his operam viuendo dari, ſi quidem iuſtè, ac piè vixerint. Potuit eſſe verus Dei cultor, ſi quis illi monſtraſſet. ac contempſiſſet profectò Zenonem, & magiſtrum ſuum Socionem ſi veræ ſapiētiæ ducem nactus eſſet. Huic nos, inquit, approbemus. Cæleſtis prorſus oratio niſi antecederet ignorantiæ confeſſio, nihil prodeſt incluſam habere conſcientiam: patemus Deo. nullus ergo mendacio, nullus diſſimulationi locus eſt, quia parietibus oculi hominū ſubmouentur: Dei autem diuinitas nec viſceribus ſubmoueri poteſt, quo minus totum hominem perſpiciat, & norit. Idem in eiuſdem operis primo: Quid agis inquit? quid machinaris? quid abſcondis? Cuſtos te tuus ſequitur. alium tibi peregrinatio ſubduxit, aliū mors, alium valetudo. hæret hic quo carere nūquam potes. Quid locum abditum legis, & arbitros remoues? Putas tibi contigiſſe, vt oculos omnium effugias demens? Quid tibi prodeſt non habere conſcium, habenti conſcientiam? Non minus mirabiliter de conſcientia, & Deo Tullius: Meminerit, inquit, Deum ſe habere teſtem, id eſt (vt ego arbitror) mentem ſuam, qua nihil homini dedit Deus ipſe diuinius. Item

E

cum de bono, & iuſto viro loqueretur: Itaque talis vir, inquit, non modò facere, ſed ne cogitare quidem quicquam audebit, quod non audeat prædicare. Purgemus igitur cōſcientiam, quæ oculis Dei peruia eſt, & vt ait idem, ſemper ita viuamus, vt rationem reddendam nobis arbitremur, putemuſque nos momentis omnibus non in aliquo, vt ille dixit, orbis terræ theatro ab hominibus, ſed deſuper ſpectari ab eo, qui & iudex & teſtis idem futurus eſt, cui rationem vitæ repoſcenti, factus ſuos inficiari non licebit. Ergo ſatius eſt aut effugere conſcientiam? aut nos ipſos vltro aperire animum, & perniciem reſciſſis vulneribus effundere? quibus nemo alius mederi poteſt, niſi ſolus ille, qui greſſum claudis, viſum cæcis reddidit, maculata membra purgauit, mortuos excitauit. Ille ardorē cupiditatis extinguet, extirpabit

F

libidines, inuidiam* diſtrahet, iram mitigabit. Ille reddet veram, & perpetuam ſanitatem. Appetenda eſt hæc omnibus medicina, quoniam maiore periculo vexatur anima, quam corpus. & quamprimum latentibus morbis adhibenda curatio eſt. Neque enim ſi vtatur aliquis oculorum acie clara, membris omnibus integris, firmiſſima totius corporis valetudine, tamen eum dixerim ſanum, ſi efferatus ira, * ſuperbia * tumidus infletur, libidini ſeruiat, cupiditatibus inardeſcat: ſed eum potius, qui ad alienam felicitatem non attollat oculos, opes non admiretur, alienam mulierem ſanctè videat, nihil omnino appetat, nihil concupiſcat alienū, non inuideat vlli, non faſtidiat quemquam, ſit humilis, miſericors, beneficus, mitis, humanus, pax in animo eius perpetua verſetur. ille homo ſanus, ille iuſtus, ille perfectus eſt. Quiſquis igitur his omnibus præceptis cæleſtibus obtēperauerit, hic cultor eſt veri Dei, cuius ſacrificia ſunt māſuetudo animi, & vita innocens, & actus boni. Quæ omnia qui exhibet, toties ſacrificat, quoties bonum aliquid, ac pium fecerit. Deus enim non deſiderat victimam neque muti animalis, neque mortis, ac ſanguinis, ſed hominis & vitæ.

al. detrahet

al. ſuperbiæ

al. tumore

Ad quod ſacrificium neque verbenis opus eſt, neque fibris, neque ceſpitibus quæ ſunt vtique vaniſſima, ſed ijs, quæ de intimo † corde proferuntur. Itaque in aram Dei, quæ verè maxima eſt, & quæ in corde hominis collocata, coinquinari non poteſt ſanguine, iuſtitia imponitur, patientia fides, innocentia, caſtitas, abſtinentia. Hic eſt veriſſimus ritus, hæc illa lex Dei, vt à Cicerone dictum eſt, præclara, & diuina, ſemper quæ recta & honeſta iubet, vetat praua, & turpia: cui parentem ſanctiſſimæ ac certiſſimæ legi, iuſtè, ac legitimè neceſſe eſt viuere. Cuius legis pauca equidem capita poſui, quod ſum pollicitus, ea me tantummodo eſſe dicturum, quæ ſummum faſtigium virtuti, & iuſtitiæ imponerent. Si quis volet cætera omnia comprehendere, ex fonte ipſo petat, vnde ad nos riuus iſte manauit.

al. pectore

G

S c h o l i a.

a Quod in exhortationibus ſuis Seneca] *habent libri impreſſi.* qua exhortationes ſuas Seneca, *legendum eſt ex antiquis codicibus. eſt autem ſenſus, vt velit dicere. ea ſententia. quam antea retulit, Senecam exhortationes ſuas concluſiſſe, quod adductis etiam Senecæ verbis oſtendit.*

H

De poſtremis temporibus, deque vrbe Roma.

Non ſatis cordatè diſputat hoc capite Lactantius de externo Dei cultu, Templis, eorumq; ornatu, donatijs, ſacrificio, videtur enim omnem externum Dei cultū improbare. Equidem præcipuum Eccleſiæ ſacrificiū Eucharistia externum quoq; magna ex parte eſt, & externis rite mactatur. Inſuper etſi cultus internus mentis & ſpiritus ſit præcipuus, & quem magis ab vnoquoq; noſtrū requirit Deus, nam ille externus ſine interno non affert ſalutem Chriſtiano. at externus Dei cultus ex ſe pius, ſanctus, bonus, & Deo gratus eſt æternaq; ornamenta Eccleſiarum, quæ partim in fabricis, partim in vaſis aureis, veſtibus ſericis & conſiſtunt, ex ipſo ſuo genere faciunt ad pium, & ſanctum Dei cultum, & contrarium ſentire hæreſis eſt Petrobruſianorum, & VVicleſiſtarum, & Nouatorum noſtri temporis. *Vide Bellarm lib 3 de cultu Sanct. cap 6 & tom. 1. Annal anno 57.* Quod verò attinet ad mentem Lactantij hoc capite, eam in bonum ſenſum ſatis reducit Thomaſius in Notis quas hic ad finem capitis affixit, tametſi Lactantius non ſatis circumſpectè loquatur.

A

CAP. XXV.

NVnc de ſacrificio ipſo pauca dicemus. Ebur, inquit, Plato non caſtum donum Deo. Quid ergo? Picta ſcilicet & texta pretioſa; imò non caſtum donum Deo, quicquid ſurtipi, quicquid corrumpi poteſt. Sed ſicut hoc vidit, non oportere viuenti offerri aliquid, quod ſit ex mortuo corpore: cur illud non vidit, non debere incorporali corporale munus offerri? Quanto melius Seneca, & verius? Vultisne vos, inquit, Deum cogitare magnum, & placidum, & maieſtate leni verendum amicum, & ſemper in proximo? Non immolationibus, & ſanguine multo colendum. (quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas eſt?) ſed mẽte pura, bono, honeſtoque propoſito. Non templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis extruenda ſunt, in ſuo cuique *conſecrandus eſt pectore. Veſtes igitur. gemmas & cætera, quæ habentur in pretio, ſi quis putet Deo cara, is planè, †quid ſit Deus, ueſcit, cui putat voluptati eſſe eas res, quas etiam homo ſi quis contempſerit, iure laudabitur. Quid ergo caſtum, quid Deo dignum niſi quod ipſe in illa diuina lege ſua popoſcit? Duo ſunt, quæ offerri debeant, donum, & ſacrificium, donum in perpetuum, ſacrificium ad tempus. Verum apud iſtos, qui nullo modo rationem diuinitatis intelligunt, donum eſt, quicquid auro, argentoque ſabricatur, item quicquid purpura, & ſerico texitur. Sacrificium eſt victima, & quæcunque in ara cremantur. Sed vtroque non vtitur Deus, quia & ipſe incorruptus eſt, & illud totum corruptibile. Itaque Deo vtrunque incorporale offerendum eſt, quo vtitur. Donum eſt integritas animi, ſacrificium, laus, & hymnus. Si enim Deus non videtur, ergo his rebus coli debet, quæ non videntur. Nulla igitur alia religio eſt vera, niſi quæ virtute, ac iuſtitia conſtat. Quomodo autem Deus iuſtitia hominis vtatur, intellectu facile eſt. Si enim iuſtus fuerit homo, accepta immortalitate, in æternum Deo ſeruiet. Homines autem, non niſi ad iuſtitiam naſci, cum philoſophi veteres, tum etiam Cic. ſuſpicatur. diſſerẽs enim de legibus: Sed omnium, inquit, quæ in hominum doctorum diſputatione verſantur, nihil eſt profectò præſtabilius, quam planè intelligi nos ad iuſtitiam eſſe natos. Id ergo ſolum Deo exhibere, atq; offerre debemus, ad quod capiendum nos ipſe generauit. Hoc autem duplex ſacrificij genus, quam ſit veriſſimum, Triſmegiſtus Hermes idoneus teſtis eſt. qui nobiſcum, id eſt, cum prophetis, quos ſequimur, tam verbis quam re congruit, ſicque de iuſtitia locutus eſt: Hoc verbum ò fili adora, & cole. Cultus autem Dei vnus eſt, malum non eſſe. Item in illo ſermone perfectò: Cum exaudiſſet Aſclepium quærentem à filio ſuo, vtrum placeret patri eius, offerri thus, & alios odores ad ſacrificium Dei, exclamauit *a* Bene bene † ò mi nate † Aſcelpi. Eſt enim maxima impietas, tale quid de vno illo, ac ſingulari bono in animum inducere. Hæc & his ſimilia huic non conueniunt. Omnium enim quæcunque ſunt, plenus eſt, & omnium minimè indigens. Non verò gratias agentes, adoremus. *b* † Huius ſacrificium ſola benedictio, rectè eſt. *c* Verbo ergo ſacrificari oportet Deo, quidem Deus verbum eſt, vt ipſe confeſſus eſt. Summus igitur colendi Dei ritus eſt, ex ore iuſti hominis ad Deum directa laudatio: quæ tamen ipſa vt Deo ſit accepta, humilitate, & timore, & deuotione maxima opus eſt, nequis fortè integritatis, & innocentiæ fiduciam gerens, tumoris, & arrogantiæ crimen incurrat, eoq; facto, gratiã virtutis amittat. ſed vt ſit Deo charus omniq; macula careat, miſericordiam Dei ſemper imploret nihilq; aliud precetur, niſi peccatis ſuis veniam, licet nulla ſint. Si qui aliud deſiderauerit, non eſt opus dicto, ſcienti, quid velimus. Si quid ei boni euenerit, gratias agat, ſi quid mali, ſatisfaciat, & illud ſibi ob peccata ſua veniſſe fateatur: & nihilo minus etiam in malis gratias agat, & in bonis ſatisfaciat: vt idem ſit ſemper & ſtabilis, & immutabilis, & inconcuſſus. Nec tantum hoc in templo putet ſibi eſſe faciendum, ſed & domi, & in ipſo etiam cubili ſuo. Secum deniq; habeat Deum ſemper in corde ſuo conſecratum, quoniam ipſe eſt Dei templum. Quod ſi Deo patri, ac Domino hac aſſiduitate, hoc obſequio, hac deuotione ſeruierit, conſummata, & perfecta iuſtitia eſt, quam qui tenuerit, hic (vt antè teſtati ſumus) Deo paruit, hic religioni, atque ſuo officio ſatisfecit.

al. conſecrandum
al. quis
al. ominare
al. Aſclepiades
al. cuius

E

SCHOLIA.

a Bene bene ò mi nate, ò Aſclepi] *habent libri impreſſi.* bene bene ominare ò Aſclepiades, *lego ex antiquo codice illud autem, bene bene ominare, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, abſit hoc ò Aſclepiades: quod & exclamatio præcedens, & ſequens oratio declarat: vbi docet impietatem eſſe putare Deum thure & odoribus placare. quod tu intellige, ſi his tantum, non etiam corde atque animo Deo ſacrificemus: nam, ſicut illa ſine hoc cordis & interno ſacrificio Deo non placent, ſic huic adiuncta, valde placent, quia Deo non mente tantum ſed corpore, & inſtrumentis rebuſq; corporeis, cum etiam nos mẽte, corporeq; conſtemus, oportet ſacrificare. de quo tamen latius hic non diſſerit Lactantius, quia contra eos agebat, qui nullam curam in ſacrificiis mentis habebant, omnia thuri, atq; odoribus tribuebant.*

F

b Huius enim ſacrificium ſola benedictio] *erat in libris impreſſis.* cuius ſacrificium eſt ſola benedictio, *lege ex antiquo codice. benedictionem verò hic appellat gratiarum actionem. Sic enim nos bene de Deo dicimus, cum eum laudamus eiq; gratias agimus, ſicut ſæpè in Pſal. Dauidis legitur. hæc vero ſunt verba Triſmegiſti, qui illam benedictionem pro ſolo ſacrificio poſuit. in quo nihil dici poteſt contra Lactantium, qui alia ſacrificia Chriſtianorum, & hoc noſtrũ miſſæ ſacrificium quod olim apud Chriſtianos fuit vſitatiſſimum, præclare nouit, nam hoc ipſum Miſſæ vocabulum antiquitatem quãdam latinitatis redolet, cum miſſa idem, quod miſſio ſignificet: nam apud Cyprianum ſæpe remiſſam pro remiſſione legimus. miſſa vero dicebatur eò, quod peracto eo ſacrificio, miſſio populi fiebat, idemque nunc apud nos valet: Ite miſſa eſt, ac illud, Ilicet, quod peracto ſacrificio gentilium, ab eorum ſacerdotibus vſurpabatur.*

c Rectè verbo enim ſacrificari] *habent libri impreſſi.* rectè eſt verbo ergo ſacrificari oportet Deo, *legendũ eſt ex antiquo codice hæc autem ſunt verba Lactantij, qui ex dictis Triſmegiſti colligit, propterea rectè verbo, nempe benedicendo, vt ſupra expoſuimus, ſacrificari Deo, quia Deus verbum eſt, vt ipſe Triſmegiſtus confitetur, & ſæpe in eo dialogo, qui Aſclepiades nominatur repetunt. omnia quæ in hoc vltimo capite ait Lactantius de donis precioſis, deque ſacrificiis, ſic intelligenda ſunt, vt referantur ad errorẽ gentium, qui totam ſpem in illis rebus collocabant, nullo adhibito interno ſacrificio, innocentia, & honeſta vita. à nobis vero, cum aliqua ad templa, & altaria ornanda adhibentur, non ſic fiunt, quod putemus illa eſſe præcipua, & ſine illis nullum poſſe offerri ſacrificium: ſed adhibentur illa, vt honeſtius res ſacra fiat, & populus ſplendore illo commotus, ſtudioſius diuina contempletur. eſſet etiam genus quoddam impietatis, ſi cum domus noſtra multis ornamentis abundent, templum Dei nudum, & omnibus ornamentis ſpoliatum eſſe pateremur. itaque quæ hic debacchatur Bitulenis, quaſi Lactantius omnino cum ipſis conſentiat, nihili facienda ſunt, quia ſpectandum eſt contra quos agat Lactantius, & ſcire deberent homines iſti, quo in loco huiuſmodi externa ornamenta à nobis habeantur: ita enim contra nos de illis agunt, quaſi nos illa, tanquam præcipua quædam noſtræ religionis ſacramenta habeamus. Verum, ſi qua in parte nimius videatur Lactantius in rebus huiuſmodi externis damnandis, ego nullius errores volo tueri, ſed matris meæ eccleſiæ Catholicæ ac Romanæ præceptis ſemper ſum paratus obedire. poſſem de miſſa, & altarium, ac templorum ornamentis multa ex antiquis referre, ſed cum Roffenſis Epiſcopus, & martyr, Ioannes fabri, Demochares atque alij doctiſſimi viri propriis libris multa præclare contra iſtos nouos rituum eccleſiaſticorum corruptores dixerint, impie facerem ſi illorum longas, ac præclaras diſputationes in hanc breuem notam redigere vellem.*

G

H

A

L. COELII LACTANTII FIRMIANI, DIVINARVM INSTITVTIONUM,

DE VITA BEATA, LIB. VII.

De mundo: atque ibi reprehenſio perfidorum.

CAP. I.

BEne habet, iacta ſunt fundamenta, vt ait eximius orator. Verum nos non fundamenta ſolum iecimus, quę firma, & idonea eſſent operi perferendo, ſed magnis, robuſtiſq; molibus
B
ædificium totum penè vſq; ad ſumma perduximus. Reſtat, id quod eſt multo facilius, vel tegere, vel ornare, ſine quo tamen priora opera & inutilia ſunt, & ingrata. Nam quid prodeſt, aut falſis religionibus liberari, aut intelligere veram? quid aut vanitatem falſę ſapientiæ peruidere, aut, quæ ſit vera cognoſcere? Quid, inquam, prodeſt cœleſtem illam iuſtitiam defendere? quid cũ magnis difficultatibus cultum Dei tenere, quæ eſt ſumma virtus, niſi † eam diuinum præmium beatitudinis perpetuæ ſubſequatur? de
al. eam
qua nobis eſt in hoc libro diſſerendum, ne priora omnia, irrita, & infructuoſa videantur, ſi hoc, cuius cauſa illa ſuſcepta ſunt, in incertum relinquamus: ne quis fortè arbitretur tantos labores incaſſum ſuſcipi, dũ eorum cœleſti mercede diffidit, quam Deus ſtatuit ei, qui hæc ſuauia terrę bona † pro
al. præ
ſola, nudaq; virtute contempſerit. Satis & huic parti faciamus, cum teſtimonijs diuinarum literarum, tum etiam probabilibus argumentis, † æquè clarum ſit, & futura præſenti-
al. cum
bus, & diuina terrenis, & perpetua breuibus eſſe anteponẽda, quoniam hæc temporalia ſunt præmia vitiorum, ſempi-
C
terna virtutum. Exponam igitur rationem mundi, vt facile poſſit intelligi, quando, & quare ſit effectus à Deo quod Plato qui de mundi fabricatione diſſeruit, nec ſcire potuit, nec explicare, quippe qui cæleſte myſterium, quod non niſi prophetis, ac Deo docente diſcitur, ignorabat, ideoq; in perpetuum dixit eſſe fabricatum: quod lõge ſecus eſt. quoniam quicquid eſt ſolido, ac graui corpore, vt initium cepit aliquando, ita finem capiat neceſſe eſt. Nam Ariſtot. cum non videret, quemadmodum poſſet tanta rerum magnitudo interire, & hanc præſcriptionem vellet effugere, ſemper ait fuiſſe mundum, ac ſemper futurum. Prorſus nihil vidit, quia quicquid eſt, neceſſe eſt aliquando habuerit principium, nec omnino quicquam poteſt eſſe, niſi cœperit. Nam cum terram, & aquam, & ignem diſperire, conſumi, extinguiq; videamus, quæ ſunt vtique mundi partes, intelligitur, id totum eſſe mortale, cuius membra ſunt mortalia. Ita fit, vt natum ſit, quicquid poteſt interire. Sed & omne, quod ſub viſum oculorum venit, & corporale, vt ait Plato, & ſo-
D
lubile ſit neceſſe eſt. Vnus igitur Epicurus auctore Democrito, veridicus in hac re fuit, qui ait, & ortum, & aliquando eſſe periturum. Nec tamen rationem vllam reddere potuit, ſcilicet aut quibus de cauſis tantum hoc opus, aut quo tempore † reſoluatur. Quod quoniam nobis Deus reuelauit,
al. ſoluatur
nec coniecturis id aſſequimur, ſed traditione cœleſti, docebimus ſedulò, vt tandem ſtudioſis veritatis appareat, nec vidiſſe, nec comprehendiſſe philoſophos veritatem, ſed ita leniter odoratos, vt tamen, vnde eos odor ille ſapientiæ tam ſuauis, tam iucundus afflarit, † nullo modo ſenſerint. Inter-
al. nullus ſenſerit
im neceſſarium puto, admonere † lectores, quod hæc no-
al. lecturos
ſtra, quæ tradimus, prauæ, vitioſæque mentes aut omnino non intelligent, (hebetatur enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quę ſenſus omnes grauant, imbecilleſq; reddunt) aut etiam ſi intelligent, diſſimulabunt tamen, & hæc vera eſſe nolent, quia trahuntur à vitijs, & ſcientes malis ſuis fauent, quorum ſuauitate capiuntur, & virtutis viam deſerunt, cuius acerbitate offenduntur. Nam qui auaritia, & opum inexplebili quadam ſiti flagrant, quia non poſſunt venditis,
E
aut dilargitis, quæ amant, tenui cultu vitam degere, ſine dubio malũt id eſſe fictũ, quo deſiderijs ſuis renuntiare coguntur. Item qui libidinum ſtimulis incitati, vt ait poeta, in furias, ignemque ruunt, vtique incredibilia nos afferre dicunt, quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ. quæ illos à voluptatibus ſuis prohibent, quibus animam ſuam cũ corpore addicauerunt. Qui verò ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne ſtudium ſuum ad honores acquirendos contulerunt, nec ſi ſolem quidem ipſum geſtemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos iubet, omni potentia, & honore contempto, humiles viuere, atque ita humiles, vt & accipere iniuriam poſſint, & referre nolint, ſi acceperint. Ii ſunt homines, qui contra veritatem a clauſis oculis † quoquo modo latrant.
al. canino
Qui autem ſanieruni, id eſt, non ita vitiis immerſi, vt inſanabiles ſint, & credent his, & libenter accedent, & quæcũque dicimus, aperta, plana, ſimplicia, & quod maximè opus eſt, vera, & inexpugnabilia illis videbuntur. Nemo virtuti
F
fauet, niſi qui ſequi poteſt, ſequi autem, non facile eſt omnibus, ij poſſunt, quos paupertas, & rerum indigẽtia exercuit, & capaces virtutis effecit. Nam ſi virtus eſt tolerantia malorum, non capiunt ergo virtutem, qui ſemper in bonis fuerunt, quia mala neque experti ſunt, neque ferre poſſunt aſſuetudine, ac deſiderio bonorũ, quæ ſola nouerunt. Eo fit, vt pauperes, & humiles Deo credãt facilius, qui ſunt expediti, quã diuites, qui ſunt impedimentis plurimis implicati, imò verò catenati, & cõpediti ſeruiunt ad nutũ dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilib. vinculis irretiuit, nec poſſunt in cœlũ aſpicere, quoniã mẽs eorum in terrã prona, humiq; defixa eſt. Virtutis autẽ via non capit magna onera portantes. Anguſtus admodum trames eſt, per quem iuſtitia hominem deducit in cœlum. Hunc tenere non poteſt, niſi qui fuerit expeditus, & nudus. Nam illi locupletes multis, & ingentibus ſarcinis onerati, per viam mortis incedunt, quæ latiſſima eſt, quoniam latè perditio dominatur. His acerba ſunt, his † venena, quæ Deus ad iuſtitiam † præcepit, quæq;
al. venenata
nos Dei magiſterio de virtute, ac veritate diſſerimus. Qui-
G
bus ſi repugnare audebunt, neceſſe eſt, hoſtes ſe eſſe virtutis, iuſtitiæq; fateantur. Aggrediar nunc, quod ſupereſt, vt
al. præcipit
finis operi poſſit imponi, Id autem ſupereſt, vt de iudicio Dei diſſeramus, quod tum conſtituetur, cum Dominus noſter redierit in terram, vt vnicuiq; pro meritò aut præmium perſoluat, aut pœnam. Itaq; vt in quarto libro de primo aduentu eius diximus, ſic in hoc ſecundum referamus aduentum, quem Iudæi quoq; & confitentur, & ſperant, ſed fruſtra: quoniam neceſſe eſt, ad eos cõſolandos reuertatur, ad quos conuocandos prius venerat: nam qui violauerunt impiè humilem, ſentient in poteſtate victorem, eaque omnia, quæ legunt, & non intelligunt, Deo † repẽſante patientur, quippe
al. rependente
qui peccatis omnibus inquinati, & inſuper ſancto cruore perfuſi, ab illo ipſo, cui nefandas manus intulerunt, ſint ad æterna ſupplicia deſtinati, ſed erit nobis contra Iudæos ſeparata materia, in qua illos erroris, & ſceleris † cõuincemus.
al. reuincemus

SCHOLIA.

a Tum etiam probabilibus argumentis, vt, æque clarum ſit] *habetur in libris impreſſis.* tum etiam probabimus argumentis vatum, cum clarum ſit, *habet antiquus codex. mihi cætera placent, ſed pro illo, probabimus, retineo probabilibus, vt eſt in impreſſis, atque alijs manuſcriptis codicibus, vult enim dicere, ſe ſatis facturum eſſe huic diſputationi de beata vita, cum teſtimonijs diuinarum ſcripturarum tum probabilibus argumentis vatum, id eſt, poetarum & Sibyllarum, ex quibus multa citat in hoc libro.*

b Clauſis oculis quoq; modo latrant] *erat in libris impreſſis.* clauſis oculis canino modo latrant, *lege ex antiquis codicibus. quod multo aptius eſt, quam ſi legeremus* quoquo modo.

H

De errore philoſophorum, & diuina ſapientia.

CAP. II.

NVnc ignaros veritatis inſtruamus Diſpoſitione ſummi Dei ſic ordinatum, vt iniuſtum hoc ſeculũ, decurſo tẽporũ ſpatio, terminum ſumat, extinctaq; protinus omni malitia, & pioruin animis ad beatam vitã reuocatis, quietum,

tranquil-

tranquillum, pacificum, aureum denique, vt poetæ vocant, ſeculum Deo ipſo regnante floreſcat. In primis, cauſa errorum omnium philoſophis hæc fuit, quod rationem mundi, quæ totam ſapientiam continet, non comprehenderunt. Ea verò ſenſu proprio, & interna intelligentia non poteſt comprehendi, quod illi ſine doctore per ſeipſos facere voluerunt, itque in varias, ſibique ſæpè contrarias ſententias inciderunt, ex quibus exitum non haberent, & in eodem luto (ſicut comicus ait) hæſitauerunt, ſcilicet aſſumptionibus eorum non reſpondente ratione, cum aſſumpſiſſent quidem vera, ſed quæ affirmari, probariq; non poſſent ſine ſcientia veritatis, rerumque cœleſtium, quæ (vt ſæpè iam dixi) non poteſt eſſe in homine, niſi Deo docente percepta. Nã ſi poteſt homo intelligere diuina, poteſt & facere, nam intelligere, eſt quaſi è veſtigio ſubſequi. Non poteſt autem facere, quæ Deus, quia mortali corpore indutus eſt: ergo nec intelligere quidem poteſt, quæ fecit Deus. Quod *autem fieri poſſit, ex immenſitate rerum, atque operum diuinorum, facile eſt vnicuique metiri. Nam ſi mundum cum omnibus, quæ ſunt in eo, contemplari velis, intelliges profectò, quantum Dei opus humanis operibus anteſtet. Ita quantum inter opera diuina, & humana intereſt, tantum diſtare inter Dei, hominiſque ſapientiam neceſſe eſt. Nam quia Deus incorruptus, atque immortalis eſt, & ideo perfectus, quia ſempiternus eſt, ſapientia quoque eius perinde, vt ipſe, perfecta eſt, nec obſtare illi quicquam poteſt, quia nulli rei Deus ipſe ſubiectus eſt. Homo autem quia ſubiectus eſt paſſioni, ſubiecta eſt & ſapientia eius errori. & ſicut hominis vitam multæ res impediunt, quo minus poſſit eſſe perpetua, ita ſapientiã quoque eius multis rebus impediri neceſſe eſt, quo minus in perſpicienda penitus veritate, perfecta ſit. Ergo nulla eſt humana ſapientia ſi per ſe ad notionem veri, ſcientiamque nitatur, quoniam mens hominis cum fragili corpore illigata, & in tenebroſo domicilio incluſa, neque liberius euagari, neque clarius perſpicere veritatem poteſt, cuius notio diuinæ conditionis eſt. Deo enim ſoli opera ſua nota ſunt. Homo autem non cogitando, aut diſputando aſſequi eam poteſt, ſed diſcendo, & audiendo ab eo, qui ſcire ſolus poteſt, & docere. Ideo M. Tul. ſententiam Socratis de Platone transfert eos dicentis, veniſſe tempus, vt ipſe migraret è vita, illos autem, apud quos cauſam ſuam perorabat, agere vitam: Vtrum melius ſit, inquit, dij immortales ſciunt, hominem arbitror ſcire neminem. Quare neceſſe eſt, omnes philoſophiæ ſectas, alienas eſſe à veritate, quia homines erant qui eas conſtituerunt, nec vllum fundamentum, aut firmitatem poſſunt habere, quæ nullis diuinarum vocum fulciuntur oraculis.

al. ſin

De natura, Deo, mundo. atqui ibi reprehenſi Stoici & Epicurei.

CAP. III.

ET quoniam de philoſophorũ erroribus loquimur, Stoici naturam in duas partes diuidunt, vnam, quæ efficiat, alteram, quæ ſe ad faciendum tractabilem præbeat. In illa prima eſſe vim ſentiendi, in hac materiam, nec alterum ſine altero eſſe poſſe. Quomodo poteſt idem eſſe, quod tractat, & quod tractatur? Siquis dicat idem eſſe figulum, quod lutum, aut lutum idem eſſe, quod figulum, nonne apertè inſanire videatur? At iſti vno naturæ nomine duas res diuerſiſſimas comprehendunt, Deum, & mundum, artificem, & opus, dicuntq;, alterum ſine altero nihil poſſe, tanquam natura ſit Deus mundo *permiſtus. Nam interdum ſic cõfundunt, vt ſit Deus ipſe mens mundi, & mundus ſit corpus Dei. Quaſi verò ſimul eſſe cœperint mundus, & Deus, ac non ipſe mundum fecerit. quod & ipſi fatentur alias cum hominum cauſa prædicant eſſe fabricatum, & ſine mundo eſſe, ſi velit, poſſit. ſiquidem Deus diuina & æterna mens dicatur corpore ſoluta, & libera: cuius vim, maieſtatemque quoniam intelligere non poterant, miſcuerunt eum mundo, id eſt, operi ſuo. Vnde eſt illud Virgilianum:

al. terminatus

—Totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Vbi eſt ergo illud, quod idem ipſi aiunt, & factum eſſe diuina prouidentia, & regi? Si enim fecit mundum, fuit ergo ſine mundo. Si regit, non vtiq; ſicut mens corpus regit, ſed tanquam dominus domum, nauim gubernator, auriga currum. Nec tamen mixti ſunt ijs rebus, quas regunt. Nam ſi hæc omnia, quæ videmus, Dei membra ſunt, iam inſenſibilis ab his conſtituitur Deus, quoniam membra ſenſu carent, & mortalis, quoniam videmus membra eſſe mortalia. Poſſum enumerare, quoties repentinis quaſſatæ motibus vel hiauerint terræ, vel *deſcenderint in abruptum, quoties demerſæ fluctibus & vrbes, & inſulæ abierint in profundum, frugiferos campos paludes inundauerint, flumina, & ſtagna ſiccauerint, montes etiam vel deciderint abrupti, vel planis fuerint adæquati, plurimas regiones, & multorum fundamenta montium, latens & internus ignis *abſumit. Et hoc parum eſt, ſi membris ſuis non parcit Deus, niſi etiam homini liceat aliquid in Dei corpus. maria extruuntur, montes exciduntur, & ad eruendas opes, interiora terræ viſcera effodiuntur. Quid, quod ne arari quidem ſine laceratione diuini corporis poteſt? vt iam ſcelerati, & impij ſimus, qui Dei membra violemus. Patiturne ergo vexari corpus ſuum Deus, & debilem ſe vel ipſe facere, vel ab homine fieri ſinit? niſi fortè diuinus ille ſenſus, qui mundo, & omnibus mundi partibus permiſtus eſt, primam terræ faciem reliquit, ac ſe in ima demerſit, nequid doloris de aſſidua laceratione ſentiret. Quod ſi hoc vanum, & abſurdum eſt, tam igitur ipſi eguerunt, quam hæc indigent ſenſu, qui non perſpexerunt, diuinum quidem ſpiritum eſſe vbique diffuſum, eoque omnia contineri, non tamen ita, vt Deus ipſe, qui eſt incorruptus, grauibus, & corruptibilibus elementis miſceatur. Illud ergo rectius, quod à Platone ſumpſerunt, à Deo factũ eſſe mundum, & eiuſdem prouidentia gubernari. Oportebat igitur & Platonem, & eos, qui idem ſenſerunt, docere, atque explicare, quæ cauſa, quæ ratio fuerit tanti operis fabricandi, quare hoc, aut cuius gratia fecerit. At iidem ſtoici, hominum, inquiunt, cauſa mundus effectus eſt. Audio. Sed Epicurus ignorat, ipſos homines quare, aut quis effecerit. Nam Lucretius, cum diceret mundum non eſſe à Dijs conſtitutum, ſic ait:

al. deciderint

al. abſumpſit

Dicere porro hominum cauſa voluiſſe parare
Præclaram mundi naturam.

Deinde intulit:

Deſipere eſt. quid enim immortalibus, atq; beatis
Gratia noſtra queat largirier emolumenti,
Vt noſtra quicquam cauſa gerere aggrediantur?

Et meritò. Illi enim nullam rationem afferebant, cur humanum genus vel creatum, vel cõſtitutum eſſet à Deo. Noſtrum hoc officium eſt, ſacramentum mundi, & hominis exponere, cuius illi expertes, ſacrarium veritatis nec attingere, nec videre potuerunt. Ergo (vt paulò antè dicebam) cum aſſumpſiſſent id, quod erat verum, id eſt, mundum à Deo hominum cauſa eſſe factum, tamen, quoniam eos in conſequentibus ratio defecit, non potuerunt defendere id, quod aſſumpſerant. Denique Plato, ne Dei opus imbecillum, & ruinoſum faceret, in æternum dixit eſſe manſurum. Si hominum cauſa factus eſt, & ita factus eſt, vt eſſet æternus, cur ergo ipſi quorum cauſa factus eſt, non ſunt ſempiterni? Si mortales, propter quos factus eſt, ergo & ipſe mortalis, atq; ſolubilis. Neque enim pluris eſt ipſe, quam ij, quorum gratia factus eſt. Quod ſi ei ratio quadraret, intelligeret periturum eſſe, quia factus eſt, nec poſſe in æternum manere, niſi quod tangi non poteſt. Qui autem negat hominum cauſa factum, hic nullam rationem tenet. Si enim dicit, ipſum fabricatorem ſua cauſa tantum hæc opera eſſe molitum, cur ergo nos nati ſumus? Cur mundo ipſo fruimur? Quid ſibi vult humani generis, cæterorumque animantium fictio? Cur aliena commoda intercipimus? Cur denique augemur, minuimur, interimus? Quid habet rationis ipſa generatio? quid perpetua ſucceſſio? Nimirum videre nos Deus voluit, & ſuis varijs imaginibus tanquam ſigilla confingere, quibus ſe oblectaret, & tutelam nuntius tamen, ſi ita eſſet, curæ haberet animantes, præcipueque hominem, cuius imperio cuncta ſubiecit. Qui autem dicunt ſemper fuiſſe mundum, omitto illud, quod eſſe ipſum ſine aliquo principio non poteſt, vnde ſe extricare nequeunt: ſed hoc dico, ſi mũdus ſemper fuit, nullam poteſt habere rationem.

A † Quî enim potuiſ in eo ratio moliri, quod nunquam ſumpſit exordium? Nam prius, quam fiat aliquid, aut ſtruatur, opus eſt conſilio, vt diſponi poſſit, quemadmodum fiat, nec incipi quicquam poteſt, ſine prouiſione rationis. Itaque omne opus ratio præcedit. Non habet ergo rationem, quod factum non eſt. Atqui mundus rationem habet, qua & conſtat, & regitur. ergo & factus eſt. ſi factus eſt, & reſoluetur. Reddant ergo iſti rationem, ſi poſſunt, cur aut factus in principio ſit, aut poſtea reſoluatur. Quod quia docere non poterat Epicurus, ſiue Democritus, ſua ſponte natũ eſſe dixit, ſeminibus inter ſe paſſim coeuntibus, quibus iterum reſolutis, diſſidium, atque interitum ſecuturum. Corrupit ergo, quod rectè viderat, & totam rationem penitus ignorantia rationis euertit, redegitque mundum, & omnia, quæ in eo geruntur, ad ſimilitudinem cuiuſdam vaniſſimi ſomnij, ſiquidem rebus humanis ratio nulla ſubſiſtat. Cum verò mundum, omnesque partes eius, † videmus quemadmodum mirabilis ratio gubernet, cum cœli temperatio, & æqualis in ipſa varietate curſus aſtrorum, luminumque cœleſtium, temporum conſtans ac mira deſcriptio, terrarum

al. quid

al. videamus

B varia fœcunditas, plana camporum munimenta, & aggeres montium, viriditas, vbertaſque ſiluarum, fontium ſaluberrima eruptio, fluminum opportuna inundatio, maris opulenta, & copioſa interfuſio, ventorum diuerſa, & vtilis aſpiratio, cæteraque omnia ratione ſumma conſtent: quis tam cæcus eſt, vt exiſtimet ſine cauſa eſſe facta, in quibus mira diſpoſitio prouidentiſſimæ rationis elucet? Si ergo ſine cauſa nec eſt, nec fit omnino quicquam, & prouidentia ſummi Dei, ex diſpoſitione rerum, & virtus, ex magnitudine, & poteſtas, ex gubernatione manifeſta eſt; hebetes ergo, & inſani, qui prouidentiam non eſſe dixerunt: non improbarem tamen, ſi Deos idcirco non eſſe dicerent, vt vnum dicerent: cum autem ideo, vt nullum, qui eos deliraſſe non putat, ipſe delirat.

De homine, & mundo.

CAP. IV.

C SEd de prouidentia ſatis in primo libro diximus, quæ ſi eſt, vt apparet, ex mirabilitate operum ſuorum, neceſſe eſt, etiam hominem, cæteraſque animantes eadem prouidentia creauerit. Videamus ergo, quæ ratio fuerit fingendi generis humani, quoniam conſtat, id quod Stoici aiunt, hominum cauſa mundum eſſe fabricatum. quanquam in hoc ipſo non mediocriter peccent, quod non hominis cauſa dicunt, ſed hominum. Verius enim ſingularis appellatio totum comprehendit humanum genus. Sed hoc ideo, quia ignorant vnum hominẽ à Deo eſſe formatum, putantque homines in omnibus terris, & agris, tanquam fungos eſſe generatos. At Hermes non ignorauit hominem & à Deo, & ad Dei ſimilitudinem fictum. ſed redeo ad propoſitum. Nihil eſt (vt opinor) quod ſit propter ſeipſum factum: ſed quicquid omnino fit, ad vſum aliquem fieri neceſſe eſt. Quis enim eſt vel tam ineptus, vel tam otioſus, vt aggrediatur aliquid facere fruſtra, ex quo nullam vtilitatẽ, nullum commodum ſperet? Qui domum ædificat, non ideo ædificat, vt tantummodo domus ſit, ſed vt in ea poſſit

D habitari. Qui nauem fabricat, non ideo inſumit operam, vt tantum nauis appareat, ſed vt in ea nauigetur. Item qui vas aliquod inſtituit, ac format, non propterea id facit, vt tantũ feciſſe videatur, ſed vt vas illud effectum, capiat aliquid neceſſarium. Similiter cætera, quæcunque fiunt, non vtique in ſuperuacuum, ſed ad vſus aliquos vtiles laborantur. Mundus igitur à Deo factus eſt, non vtique propter ipſum mundum, neque enim aut *a* calore ſolis, aut lumine, aut aſpiratione ventorum, aut humore imbrium, aut alimonia frugum, cum ſenſu careat, indiget. Sed ne illud quidem dici poteſt, quod Deus propter ſeipſum fecerit mundum, quoniam poteſt eſſe ſine mundo, ſicut fuit antea, & iis omnibus, quæ in eo ſunt, quæque generantur, Deus ipſe non vtitur. Apparet ergo, animantium cauſa mundum eſſe conſtructum, quoniam rebus iis, quibus conſtat, animantes fruuntur, quæ vt viuere, vt conſtare poſſent, omnia his neceſſaria temporib. certis ſubminiſtrantur. Ruſum cæteras animantea hominis

E cauſa eſſe facta, ex eo clarum eſt, quod homini ſeruiunt, & tutelę eius atq; vſibus data ſunt, quoniam ſiue terrenæ ſunt, ſiue aquatilia, non ſentiunt mundi rationem ſicut homo. Reſpondendum eſt hoc loco philoſophis, maximeque Ciceroni, qui ait: Cur Deus omnia noſtri cauſa cum faceret, tantam vim natricum, viperarumq; fecerit? cur tam multa peſtifera terra, marique diſperſerit? Ingens ad diſputandum locus, ſed vt in tranſcurſu breuiter ſtringendus eſt. Quoniam homo ex rebus diuerſis, ac repugnantibus configuratus eſt, animo, & corpore, id eſt, cœlo, atque terra, tenui, & comprehenſibili, æterno, ac temporali, ſenſibili, atque bruto, luce prædito, atque tenebroſo, ipſa ratio, ac neceſſitas exigebat, & bona homini proponi, & mala: bona, quibus vtatur, mala, quæ vitet, & caueat. Idcirco enim data eſt illi ſapientia, vt cognita bonorum, malorumque natura, & in appetendis bonis & malis declinandis vim ſuæ rationis exerceat. Nam cæteris animalibus quia ſapientia non data eſt, & munita indumentis naturalibus, & armata ſunt. hominis

F autem pro his omnibus, quod erat præcipuum, rationem ſolam dedit. Itaque nudum formauit, & inermem, vt eum ſapientia & muniret, & tegeret. Munimenta, & ornatum eius non foris, ſed intus, non in corpore, ſed in corde conſtituit. Niſi ergo eſſent mala, quæ caueret, quæ à bonis, vtilibusque diſtingueret, non eſſet ei ſapientia neceſſaria. Sciat ergo M. Tull. aut ideo datam homini eſſe rationem, vt & piſces caperet vſus ſui gratia, & natrices, viperaſque vitaret ſalutis ſuæ cauſa, aut idcirco ei bona, malaque propoſita, quia ſapientiam acceperat, cuius vis omnis in diſcernendis bonis, maliſque verſatur. Magna igitur, & recta, & admirabilis eſt vis, & ratio, & poteſtas hominis, propter quem, mundum ipſum, & vniuerſa, quæcunque ſunt, Deus fecit, tantumque illi honoris *habuit, vt eum præficeret vniuerſis, al. tribuit quoniam ſolus poterat Dei opera mirari. Optimè igitur Aſclepiades noſter de prouidentia ſummi Dei diſſerens, in eo libro, quem ſcripſit ad me: Atque ideo, inquit, merito quis arbitretur, proximum ſibi locum diuinam prouidentiam dediſſe ei, qui poterit intelligere ordinationem ſuam.

G Nam ſol eſt, quis eum videt ita, vt intelligat, quia ſol eſt, & quantum gratiæ afferat cæteris inſtitutis? hoc cœlum eſt, quis id ſuſpicit? terra hæc, quis eam colit? hoc pelagus, quis nauigat? hic ignis eſt, quis eo vtitur? Inſtituit ergo ſummus Deus non propter ſe, quia nihilo eget, ſed propter hominem, qui his congruentes vteretur.

SCHOLIA

a Calore ſolis, aut lunæ lumine] *habetur in libris impreſsis.* calore ſolis aut lunæ, *habet antiquus codex. & expungitur illa dictio* lumine, *quia luna opaca eſt, non luminoſa. Sed contra eam lectionem antiqui codicis facit, quia calor non poteſt lunæ conuenire, cum ſit magis frigida, quam calida. in altero verò codice ſancti Saluatoris legitur,* aut calore ſolis aut lumine, *vt referatur vtrumq; ad ſolem, quam lectionem ſum ſecutus.*

De hominis creatione: & diſpoſitione mundi: deque ſummo bono.

CAP V.

H REddamus nunc rationem, quare hominem ipſum fecerit. quod ſi philoſophi ſciſſent, aut defendiſſent illa, quæ vera inuenerant, aut in maximos errores nõ incidiſſent. Hæc enim ſumma, hic cardo rerum eſt. quem qui non tenuerit, veritas illi omnis elabitur. Hoc eſt denique, quod efficiat illis non quadrare rationem, quæ illis ſi affulſiſſet, ſi ſacramentum hominis omne cognouiſſent: nunquam diſpoſitiones eorum, & omnem philoſophiam de tranſuerſo Academia iugulaſſet. Sicut ergo mundum non propter ſe Deus fecit, quia commodis eius non indiget, ſed propter hominem, qui eo vtitur: ita ipſum hominem propter ſe. Quæ vtilitas Deo in homine, inquit, Epicurus, vt eum propter ſe faceret? Scilicet vt eſſet qui opera eius intelligeret, qui prouidentiam diſponendi, rationem faciendi, virtutem conſummandi & ſenſu admirari, & voce proloqui poſſet. Quorum omniũ ſumma hæc eſt, vt Deũ colat. Is enim colit, qui hæc intelligit: is artificem omnium rerum, is verum patrẽ ſuum

A debita veneratione proſequitur, qui virtutem maieſtatis eius de ſuorum operum inuentione, inceptione, perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri poteſt, & mundum hominis, & hominem ſua cauſa Deum feciſſe, quam quod ex omnibus animantibus ſolus ita formatus eſt, vt oculi eius ad cœlum directi, facies ad Deum ſpectans, vultus cum ſuo parente communis ſit, vt videaturque hominem Deus, quaſi porrecta manu alleuatum ex humo, ad contemplationem ſui excitaſſe. Quid ergo, inquit, Deo cultus hominis confert, beato & nulla re indigenti? vel ſi tantum honoris homini habuit, vt ipſius cauſa mundum fabricaret, vt inſtrueret eum ſapientia, vt dominum viuentium faceret, eumq; diligeret tanquam filium, cur mortalem, fragilemq; conſtituit? cur omnibus malis, quem diligebat, obiecit? cum oporteret & beatum eſſe hominem, tanquam coniunctum, & proximum Deo, & perpetuum, ſicut eſt ipſe, ad quem colendum, & contemplandum figuratus eſt. Quanquam hæc ferè in prioribus libris ſparſim docuimus:

B tamen, quoniam propriè id materia nunc exigit, quia de vita beata diſcrete propoſitum eſt, explicanda ſunt iſta diligentius, & plenius, vt diſpoſitio Dei, & opus, voluntaſque noſcatur. Cum poſſet ſemper ſpiritibus ſuis immortalibus innumerabiles animas procreare ſicut angelos genuit, quibus immortalitas ſine vllo malorum periculo, ac metu conſtat: excogitauit tamen inenarrabile opus, quemadmodum infinitam multitudinem crearet animarum, quas primo fragilibus & imbecillis corporibus illigatas, conſtitueret inter bonum, malumq; medias, vt conſtantibus ex vtriq; natura is virtutem proponeret, ne immortalitatem delicatè aſſequerentur, ac molliter, ſed ad illud æternæ vitæ ineloquibile præmium ſumma cum difficultate, ac magnis laboribus peruenirent. Ergo vt eas grauibus, & nexibilibus membris indueret quoniam conſiſtere in medio inani non poterant, ponderibus, & grauitate corporis deorſum *premente, ſedem illis, ac domicilium primo condendum eſſe decreuit. Itaque ineffabili virtute, ac potentia præclara mundi opera molitus eſt, ſuſpenſis in altitudinem leuibus elementis, & grauibus in ima depreſſis & cœleſtia firmauit, & terrena cōſtituit. Non eſt neceſſe nunc exequi ſingula, quoniam

C in ſecundo libro vniuerſa executi ſumus. Lumina igitur poſuit in cœlo, quorum *moderationes & *claritates, & motus aptiſſimè ad vtilitates viuentium *temperauit. Terræ autem, quam ſedem voluit eſſe, fœcunditatem varia gignendi, ac proferendi dedit, vt vbertate frugum, & herbarum viuentium, pro natura, & vſu *cuiq; generi alimoniam adminiſtraret. Tum perfectis omnibus, quæ ad conditionem mundi pertinebant, hominem finxit ex ipſa terra, quā illi à principio in habitaculum præparauit, id eſt, ſpiritum ſuum terreno corpore induit, & inuoluit, vt & compactus ex rebus diuerſis, ac repugnantibus bonum, ac malum caperet: & ſicut terra ipſa fœcunda eſt ad fruges pariendas, ita corpus hominis, quod aſſumptum eſt è terra, generandi copiam, facultatemq; procreandæ ſobolis accepit, vt quoniam fragili materia formatus, in æternum manere non poterat, peracto temporalis vitæ ſpatio cederet, & illud, quod fragile, atq; imbecillum gerebat, perpetua ſucceſſione renouaret. Cur igitur eum mortalem finxit, & fragilem, cum illius cauſa mundum ædificaſſet? Primum vt infinita vis animarū gigneretur, omnemq; terram multitudine oppleret:

D deinde vt proponeret homini virtutem, id eſt, tolerantiam malorum, ac laborum, per quam poſſet præmium immortalitatis adipiſci. Nam quia homo ex duabus rebus conſtat, corpore, atq; anima, quorum alterum terrenum eſt, alterū cœleſte, duæ vitæ homini attributæ ſunt, vna temporalis, quæ corpori aſſignatur, altera ſempiterna, quæ animæ ſubiacet. Illam naſcendo accepimus, hanc aſſequimur laborando, ne immortalitas homini (vt antè diximus) ſine vlla difficultate conſtaret. Illa terrena eſt, ſicut corpus, & ideo finitur. hæc verò cœleſtis, ſicut anima, & ideo terminum nō habet. Illam primam neſcientes accepimus, hanc ſecundam ſcientes, virtuti enim, nō naturę datur, quia voluit nos Deus vitam nobis in vita comparare. Idcirco hanc præſentem dedit, vt illam veram & perpetuā aut vitiis amittamus, aut virtute mereamur. In hac corporali non eſt ſummū bonū: quoniam ſicut neceſſitate diuina nobis data eſt, ita rurſum diuina neceſſitate *ſoluitur. Ita quod finem habet, ſummum bonum non habet. In illa verò ſpiritali, quam per nos ipſi acquirimus, ſummum bonū continetur: quia nec malū poteſt habere, nec finem. *a* *cuius rei argumentum † natura, ratio & natura corporis præbet. Cætera namque animalia in humum vergunt, quia terrena ſunt, nec capiunt immortalitatem, quæ de cœlo eſt. Homo autem rectus in cœlū ſpectat, quia propoſita illi eſt immortalitas, nec tamen venit, niſi tribuatur homini à Deo. Nā nihil interesset inter iuſtū, & iniuſtū, ſiquidē omnis homo natus, immortalis fieret. ergo immortalitas non ſequela naturæ, ſed merces, præmiumq; virtutis eſt. Deniq; homo non ſtatim, quam natus eſt, rectus ingreditur, ſed quadrupes primò, quia ratio corporis, & huius præſentis vitæ communis eſt nobis cum mutis animalibus: poſt deinde confirmatis viribus erigitur, & lingua eius in eloquium ſoluitur, & mutum animal eſſe deſinit. Quæ ratio docet, mortalem naſci hominem, poſtea verò immortalē fieri, cum cœperit ex Deo viuere, id eſt, iuſtitiam ſequi,

E *al. ſoluetur* *al. cui* *al. naturæ*

F quæ continetur in Dei cultu, cum excitauerit hominē Deus ad aſpectum cœli, ac ſui. Quod tunc fit, cum homo cœleſti lauacro purificatus, exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, & incremento diuini vigoris accepto, fit homo perfectus, ac plenus. Ergo quia virtutē propoſuit homini Deus licet anima, & corpus conſociata ſint, tamen contraria ſunt, & impugnant inuicem. Animi bona, mala ſunt corporis: id eſt, opum fuga, voluptatum interdictio, doloris mortiſque contemptus. Item corporis bona, mala ſunt animi, hoc eſt cupiditas, & libido, quibus & opes appetuntur, & ſuauitates variarum voluptatem, quibus eneruatus animus extinguitur. Ideo neceſſe eſt, iuſtum, & ſapientem in omnib. malis eſſe, quoniam malorum victrix eſt fortitudo: iniuſtos autem in diuitijs, in honore, in poteſtate. Hæc enim bona corporalia, & terrena ſunt. Illi autem terrenam vitam agunt, nec aſſequi immortalitatem queunt, quia ſe voluptatibus dediderunt, quæ ſunt virtutis inimicæ. Itaque vita hæc temporalis illi æternæ debet eſſe ſubiecta, ſicut corpus animæ. Quiſquis ergo animæ vitam maluerit, vitam corporis contemnat neceſſe eſt, nec aliter eniti ad ſummum bonum poterit, niſi, quæ ſunt ima, deſpexerit.

G Qui autem corporis vitam fuerit amplexus, & cupiditates ſuas in terram deiecerit, illam ſuperiorem vitam conſequi non poteſt. Sed qui maluit bene viuere in æternum, male viuet ad tempus, & afficietur omnibus moleſtiis, & laboribus, quandiu fuerit in terra, vt habeat diuinum, & cœleſte ſolatium. Et qui maluerit bene viuere ad tempus, malè viuet in æternum. damnabitur enim ſententia Dei ad ęternam pœnam, quia cœleſtib. bonis terrena prępoſuit. Propterea igitur coli ſe Deus expetit, & honorari ab homine tanquam pater, vt virtutem, ac ſapientiam teneat, quæ ſola immortalitatem parit. Nam quia nullus alius præter ipſum donare eam poteſt, *b* quia ſolus poſſidet pietatem hominis, *qui Deum honorauerit, hoc † afficietur præmio, vt ſit in æternum beatus, *c* ſitque apud Deum, & cum Deo ſemper.

al. moderatio *al. claritas,* *al. temperatus eſt,* *al. cuiuſq; generis* *al. qua* *al. afficit*

S C H O L I A.

a Cuius rei argumentum natura & ratio corporis præbet] *habetur in libris impreſſis.* cui rei argumentum naturæ ratio, & natura corporis præbet, *lego ex antiquo codice. quod ego ſic intelligo, vt velit docere, ſummum bonum eſſe conſtituendum in vita ſpirituali, quia nec malum poteſt in ea, nec finis reperiri. verba vero ſic ſunt coniungenda cum res, nempe, quod in vita ſpirituali ſit ſummum bonum, argumentum præbet naturæ ratio, & natura corporis: nam naturæ ratio docet ſummum bonū non poſſe conſtitui, niſi in re perfectiſſima, atq; æterna: natura vero corporis, quæ eſt fluxa, & ſemper tendit ad interitum, docet in eo non poſſe ſummum bonum collocari.*

H *b* Quia ſolus poſſidet pietatem hominis, qui Deum honorauerit, hoc afficietur præmio] *erat in libris impreſſis.* quia ſolus poſſidet pietatē hominis, qua Deum honorauerit, hoc afficit præmio, *habet codex antiquus. quod mihi valde probatur, totumque hunc locum ſic iudico eſſe intelligendum. antea tractauerat latiſſime de laboribus, qui erant ſuſcipiendi, vt vitam æternam aſſequeremur, quod ſane vellem bene intelligi ab iſtis inertibus noſtri temporis Euangeliſtis. nūc vult docere, hæc ipſa noſtra benefacta eſſe à Deo, & ipſa præmio affici ab eod. Nā pietas, qua illa efficim⁹, à Deo eſt. nos*

A *enim diuinæ gratiæ cooperatores ſumus: & tamen illa ipſa opera, quæ donum ipſius ſunt, ipſe donum præmio afficit. ad primum referendũ eſt hoc: nam nullus præter ipſum donare eam poteſt, quia ſolus poſſidet: ad præmium verò, quo afficit noſtra bona opera, hoc alterũ referre debet: pietatem hominis, qua Deum honorauerit, hoc afficit præmio.*

6 Sitq; apud Deum & cum Deo ſemper. nunc totam rationem breui, &c.] *ſic leguntur hæc continenter in omnibus bonis codicibus, ita tamen, quod cum incipit: nunc totam, eſt paruum ſpatiũ indicans res diuerſæ principium, ſicut fere eſt in omnibus locis, vbi in pleriſque libris impreſſis ſunt capitum diuiſiones. ex illa vero longa oratione, quæ eſt inter aſteriſcos, ab illis verbis: neque nunc aliquis, &c vſque, veri Dei cultus eſt, in antiquis codicibus nihil reperitur. quæ tota oratio plena eſt erroribus Manichæorum. hoc quidem ſciendum eſt, illum Manichæum, qui hunc locum corruperat, vt ſuam hæreſim tueretur, fuiſſe ex illis, quos ait Auguſt. bene literatos inter ipſos fuiſſe. nam ipſa orationis elegantia ita accedit ad Lactantium, vt ex ſtylo vix cognoſci poſſit, non eſſe hoc Lactantij ſcriptum. Verum hic locus*

B *viſus eſt omnibus ſuſpectus propter aſteriſcos, quibus eum omnes impreſſores notarunt: quem fort aſſe ſic notatum in ſuis exemplaribus repererunt. Verum in hoc, atque altero loco fuit iſte Manichæus apertior, cum in alijs eſſet tectior, ac callidior, vbi paucis verbis ſuam opinionem veneni plenam inſerebat: quæ nos ſingulis locis, vſi auctoritate codicũ antiquiſſimorum, annotauimus, & quantũ potuimus bonũ auctorẽ ab ea peſte liberauimus. reiecta verò illa longa oratione Manichæi, interea, quæ continenter ſequuntur, & quæ antecedunt, ſententia optime cohæret: nam prius tractauerat longa quadã & diffuſa oratione: hic rem totam breui ſumma comprehendit, vt ad alia tranſeat.*

De cultu Deorum.

CAP. VI.

NVnc totam rationem breui circũſcriptione ſignemus. Idcirco mundus factus eſt, vt naſcamur: ideo naſcimur, vt agnoſcamus factorem mundi, ac noſtri Deum: ideo agnoſcimus, vt colamus: ideo colimus, vt immortalitatem pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei conſtat: ideo præmio immortalitatis

C afficimur, vt ſimiles angelis effecti, ſummo patri, ac domino in perpetuum ſeruiamus, & ſimus æternum Deo regnum. Hæc ſumma rerum eſt, hoc arcanum Dei, hoc myſterium mundi: à quo ſunt alieni, qui ſequentes præſentem voluptatem terreſtribus, & fragilibus ſe bonis addixerunt, & animas ad cęleſtia genitas, ſuauitatibus mortiferis, tanquam luto, cœnove demerſerunt. Quæramus nunc viciſſim, an in cultu Deorum ratio vlla ſubſiſtat. qui ſi multi ſunt, ſi ideo tantum ab hominibus coluntur, vt præſtent illis opes, victorias, honores, & quæ alia non niſi ad præſens valẽt, ſi ſine cauſa gignimur, ſi in hominibus procreandis prouidentia nulla verſatur, ſi caſu nobiſmetipſis, ac voluptatis noſtræ gratia naſcimur, ſi nihil poſt mortem ſumus: quid poteſt eſſe tã ſuper-

al. & al. tum uacuum, tam inane, tam vanum, quam humana res, *eſt quã mundus ipſe? qui, cum ſit incredibilis magnitudine, *tam mirabili ratione conſtructus, tamen rebus ineptis vacet. Cur enim ventorum ſpiritus cient nubes? cur emicẽt fulgura? tonitrua mugiant? imbri cadant? vt fruges terra producat? vt varios fœtus alat? Cur denique omnis natura rerum laboret, ne quid deſit earum rerum, quib. vita hominis ſuſtine-

D tur, ſi eſt manis, ſi ad nihilum interimus, ſi nihil eſt in nobis maioris emolumenti Deo? Quod ſi eſt dictu nefas, nec putandum eſt fieri poſſe, vt nõ ob aliquam maximã rationem fuerit conſtitutum, quod videas maxima ratione conſtare: quæ poteſt eſſe ratio in his erroribus prauarum religionum, & in hac perſuaſione philoſophorum, qui putant animas interire? Profectò nulla. Quid enim habent dicere, cur dij hominibus tã diligenter ſuis queq; temporibus exhibeant? An vt illis far, & merũ demus, & odorẽ thuris, & ſanguinem pecudũ? quæ neq; immortalib. grata eſſe poſſunt, quia ſunt fragilia, neq; vſui eſſe expertib. corporũ, quia hæc ad vſum corporalium data ſunt. Et tamen ſi ea deſiderarent, ſibi ipſi poſſent exhibere, cum vellent. Siue igitur intereunt animæ, ſiue in æternum manent: quam rationem continet cultus Deorum, aut à quo mundus conſtitutus eſt? cur, aut quando, aut quouſque, quatenus homines, aut quamobrem procreati? cur naſcuntur, intereunt, ſuccedunt, renouantur?

Quid Dij ea cultibus eorum aſſequuntur, qui poſt mortem nihil futuri ſunt? quid præſtant? quid pollicentur? quid minantur aut hominibus, aut Dijs dignum? Vel ſi manent animæ poſt mortem, quid de his faciunt, factuve ſunt? quid illis opus eſt theſauro animarum? ipſi illi ex quo fonte oriuntur? quomodo, aut quare, aut vnde multi ſunt? Ita fit, vt ſi ab illa rerum ſumma, quam ſuperius comprehendimus, aberrauens, omnis ratio intereat, & ad nihilum omnia reuoluantur. E

De philoſophorum varietate, eorumque veritate.

CAP. VII.

QVam ſummam quia philoſophi non comprehenderunt, nec veritatem comprehendere potuerunt, quãuis ea ferè, quibus ſumma ipſa conſtat, & viderint, & explicauerint. ſed diuerſi, ac diuerſe illa omnia protulerunt, non annectentes nec cauſas rerum, nec † conſequentias, nec ra- F al. conſequentia,
tiones, vt ſummam illam, quę continet vniuerſa, & compingerent, & implerent. Facile eſt autem docere, pene vniuerſam veritatem per philoſophorum ſectas eſſe diuiſam. Non enim ſic philoſophiam nos euertimus, vt Academici ſolẽt, quibus ad omnia reſpondere propoſitum eſt, quod eſt potius calumniari, & illudere, ſed docemus, nullã ſectam fuiſſe tam deuiam, nec philoſophorum quenquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicẽdi ſtudio inſaniũt, dum ſua etiam falſa defendunt, aliorum etiam vera ſubuerterunt: non tantum elapſa illis veritas eſt, quam ſe quærere ſimulabant, ſed ipſi eam potiſſimum ſuo vitio perdiderunt. Quod ſi extitiſſet aliquis, qui veritatem ſparſam per ſingulos, per ſectaſq; diffuſam colligeret in vnum, ac redigeret in corpus, is profectò non diſſentiret à nobis. Sed hoc nemo facere, niſi veri peritus, ac ſciens, poteſt. Verum autem non niſi eius ſcire eſt, qui ſit doctus à Deo. Neq; enim poteſt aliter repudiare quę falſa ſunt, eligere, ac probare quę vera: ſed ſi vel caſu id efficeret, certiſſime philoſopharetur. & quamuis non poſſet diuinis teſtimonijs illa defendere, ta- G al. ſeipſum
men *ſeipſa veritas illuſtraret ſuo lumine. Quare incredibilis eſt error illorum, qui, cum aliquam ſectam probauerint, eiq; ſe addixerint, cæteras damnant tanquam falſas, & inanes, armantq; ſe ad prœliandum, nec, quid defendere debeant, ſcientes, nec quid refutare, incurſantq; paſſim ſine delectu omnia, quæ afferunt quicunque diſſentiunt. Ob has eorum pertinaciſſimas contentiones nulla extitit philoſophia, quæ ad verum propius accederet. nam particulatim veritas ab his tota cõprehenſa eſt. Factum eſſe mundum à Deo, dixit Plato. Idem prophetæ loquuntur: idemq; ex Sibyllæ carminibus apparet. Errant igitur qui vel omnia ſua ſponte nata eſſe dixerunt, vel minutis ſeminibus conglobatus: quoniam tanta res, tam ornata, tam magna neq; diſponi, neq; fieri, neq; ordinari ſine aliquo prudẽtiſſimo auctore potuit, & ea ipſa ratio, qua conſtare, ac regi omnia ſentiuntur, ſolertiſſimæ mentis artificem confitetur. Hominũ cauſa mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, eſſe facta, Stoici loquuntur. idem nos diuinæ literæ docent. Errauit ergo Democritus, qui vermiculorum modo putauit effuſos eſſe de terra nullo auctore, nullaq; ratione. Cur enim formatus ſit homo, diuini ſacramenti eſt. quod quia ille ſcire non poterat, humanam vitam deduxit ad nihilum. Ad virtutem ca- H
peſſendam naſci homines, Ariſtoteles diſſeruit. idem nos monemur, ac diſcimus à prophetis. Falſus igitur Ariſtippus, qui hominẽ voluptati, hoc eſt malo tanquam pecudẽ ſubiugauit. Immortales eſſe animas Pherecydes, & Plato diſputauerunt. hæc verò propria eſt in noſtra religione doctrina. Ergo Dicæarchus cũ Democrito errauit, qui perire cum corpore, ac diſſolui argumentatus eſt. Eſſe inferos Zenon Stoicus docuit, & ſedes piorum ab impijs eſſe diſcretas, & illos quidem quietas, ac delectabiles incolere regiones, hos verò luere pœnas in tenebroſis locis atque in cœni voraginibus horrendis. idem nobis prophetæ palã faciunt. Ergo Epicurus errauit, qui poetarũ id eſſe figmentum putauit, & illas inferorum pœnas, quæ feruntur, in hac eſſe vita interpretatus eſt. Totam igitur veritatem, & omne diuinæ religionis arcanum philoſophi attigerunt. Sed alijs refellentibus

defen-

A defendere id, quod inuenerant, nequiuerunt, quia ſingulis ratio non quadrauit, nec ea, quæ vera ſenſerant, in ſummam redigere potuerunt, ſicut ſuperius nos fecimus.

De immortalitate.

Caput VIII.

VNUM eſt igitur ſummum bonum immortalitas, ad quam capiédam & formati à principio, & nati ſumus. Ad hanc tendimus, hanc ſpectat humana natura, ad hanc nos prouehit virtus. Quod bonum quia deprehendimus; ſupereſt etiam vt de ipſa immortalitate dicamus. Platonis *documenta, quamuis ad rem multum conferant, tamen parum habent firmitatis ad probandam, & implendam veritatem, quoniam nec rationem totius myſterij magni conſummauerat, in vnumq́; collegerat, nec ſummum bonum comprehéderat. Nam licet verum de animæ immortalitate ſentiret, tamen non ita de illa tanquam de ſummo bono diſſerebat. Nos igitur certioribus ſignis *eligere poſſumus veritatem, qui eam non ancipiti ſuſpicione collegimus, ſed diuina traditione cognouimus. Plato autem ſic argumentatus eſt: immortale eſſe quicquid per ſeipſum & ſentit, & ſemper mouetur. Quod enim principium motus non habet, nec finem habiturum, *a* quia *deſeri *à ſemetipſo non poteſt. Quod argumentum etiam mutis animalibus æternitatem daret, niſi adiectione ſapientiæ diſcreuiſſet. Addidit igitur, vt effugeret hanc communitatem, fieri non poſſe, quin ſit immortalis animus humanus, cuius miranda ſolertia inueniendi, & celeritas cogitandi, & facilitas percipiendi atque diſcendi, & memoria præteritorum, & prouidentia futurorum, & artium plerumque innumerabilium ſcientia, qua cæteræ careant animantes, diuina, & cœleſtis appareat, quia & origo animi, qui tanta capiat, tanta contineat, nulla reperiatur in terra, ſiquidem ex concretione terrena nihil habeat admiſtum: ſed neceſſe *eſſe in terram reſolui, quod eſt in homine ponderoſum, & diſſolubile: quod autem tenue, atque ſubtile, id verò eſſe indiuiduum, ac domicilio corporis velut carcere liberatum, ad cœlum, & ad naturam ſuam peruolare. Hæc ferè Platonis collecta breuiter, quæ apud ipſum latè, copioſéque explicantur. In eadem ſententia fuit etiam Pythagoras antea, eiuſque præceptor Pherecydes, quem Cicero tradit primum de æternitate animarum diſputauiſſe. Qui omnes licet eloquentia excellerent, tamen in hac duntaxat contentione non minus auctoritatis habuerunt, qui contra hanc ſententiam diſſerebant; Dicæarchus primò, deinde Democritus, poſtremò Epicurus. Adeò vt res ipſa, de qua inter ſe pugnabant, in dubium vocaretur. Denique & Tullius expoſitis horum omnium de immortalitate, ac morte ſententijs, neſcire ſe quid ſit verum pronunciauit. Harum, inquit, ſententiarum quæ vera ſit, Deus aliquis viderit. Et rurſus alibi: Quoniam vtraque, inquit, earum ſententiarum doctiſſimos habuit auctores, nec, quid certi ſit, diuinari poteſt. Verùm nobis diuinatione opus non eſt, quibus veritatem diuinitas ipſa patefecit.

al. argumenta — B — al. eligere. — al. deſiderari. al. à ſeipſa. — al. eſt. — C

Scholia.

D *a* Quia deſiderari à ſeipſo non poteſt] *habet codex antiquus. quod mihi placet. nam motus omnis ad finem, tanquam ad id, quod appetitur, tendit, quemadmodum Ariſtoteles multis in locis docet. in impreſſis tamen legitur,* quia deſeri à ſeipſo non poteſt, *in quo etiam optima ſententia eſt.*

De æternitate animæ: deq; virtute.

Caput IX.

HIs itaque argumentis, quæ nec Plato, nec vllus alius inuenit, animarum æternitas probari, ac perſpici poteſt. Quæ nos breuiter colligemus, quoniam properat oratio ad narrandum iudicium Dei maximum, quod in terra propinquante ſeculorum fine celebrabitur. Ante omnia, quoniam Deus ab homine videri non poteſt, nequis tamen ex eo ipſo putaret Deum non eſſe, quia mortalibus oculis non videretur; inter cætera inſtitutorum ſuorum miracula, fecit etiam multa, quorum vis quidem apparet, ſubſtantia tamen non videtur, ſicut eſt vox, odor, ventus; vt harum rerum argumento, & exemplo, etiam Deum, licet ſub oculos non veniret, de ſua tamen vi, & effectu, & operibus cerneremus. E Quid voce clarius? aut vento fortius? aut odore violentius? Hæc tamen, cùm per aërem feruntur, ad ſenſoſque noſtros veniunt, & eos potentia ſua impellunt, non cernuntur acie luminum, ſed alijs corporis partibus ſentiuntur. Similiter Deus non aſpectu nobis, aliove fragili ſenſu comprehendendus eſt, ſed mentis oculis intuendus; cùm opera eius præclara, & miranda videamus. Nam illos, qui nullum omnino Deum eſſe dixerunt, non modo philoſophos, ſed ne homines quidem fuiſſe dixerim, qui mutis ſimillimi ex ſolo corpore conſtiterunt, nihil cernentes animo, ſed ad ſenſum corporis cuncta referentes, qui nihil putabant eſſe, niſi quod oculis contuebãtur. F Et quia videbant aut bonis accidere aduerſa, aut malis proſpera; fortuitu gen omnia crediderunt, & natura mundum, non prouidentia conſtitutum. Hinc iam prolapſi ſunt ad deliramenta, quæ talem ſententiam neceſſario ſequebantur. Quòd ſi eſt Deus & incorporalis, & inuiſibilis, & æternus, ergo non iccirco interire animam credibile eſt, quia non videtur, poſtquam receſſit à corpore; quoniam *a* conſtat eſſe aliquid ſentiens, ac vigens, quod non veniat ſub aſpectum. At enim difficile eſt animo comprehendere, quemadmodum poſſit anima retinere ſenſum ſine ijs partibus corporis, in quibus ineſt officium ſentiendi. Quid de Deo? num facile eſt comprehendere quemadmodum vigeat ſine corpore? Quòd ſi Deos eſſe credunt; qui ſi ſunt, vtique ſunt expertes corporum: neceſſe eſt, humanas animas eadem ratione ſubſiſtere: quoniam ex ipſa ratione, ac prouidentia intelligitur eſſe quædam in homine, ac Deo ſimilitudo. Denique illud argumentum, quod etiam M. Tull. vidit, ſatis firmum eſt: ex eo æternitatem animæ poſſe dignoſci, quia nullum ſit aliud animal, quod habeat notitiam aliquam Dei, religioque ſit penè ſola, quæ hominem diſcernat à mutis. G Quæ cùm in hominem ſolum cadat, profectò teſtatur, id affectare nos, id deſiderare, id colere, quid nobis familiare, quid proximum ſit futurum. An aliquis, cùm cæterarum animantium naturam conſiderauerit, quas pronis corporibus abiectas, in terramq́ue proſtratas ſummi Dei prouidentia effecit, vt ex hoc intelligi poſſit, nihil eas rationis habere cum cœlo, poteſt non intelligere, ſolum ex omnibus cœleſte, ac diuinum animal eſſe hominem, cuius corpus ab humo excitatum, vultus ſublimis, ſtatus *erectus originem ſuam quærit, & quaſi contempta humilitate terræ ad altum nititur, quia ſentit ſummum bonum in ſummo ſibi eſſe quærendum, memorq́ue conditionis ſuæ, qua Deus illum fecit eximium, ad artificem ſuum ſpectat? Quam ſpectationem Triſmegiſtus θεοπτίαν rectiſſimè nominauit: quæ in mutis animalibus nulla eſt. Cum autem ſapientia, quæ ſoli homini data eſt, nihil aliud ſit, quàm notitia Dei; apparet, animam non interire, neque diſſolui, ſed manere in ſempiternum, quia Deum, qui ſempiternus eſt, & quærit, & diligit, ipſa cogente natura, ſentiens vel vnde orta ſit, vel quo reuerſura. H Præterea non exiguum immortalitatis argumentum eſt, quòd homo ſolus cœleſti elemento vtitur. Nam cùm rerum natura his duobus elementis, quæ repugnantia ſibi, atque inimica ſunt, conſtet, igne, & aqua; quorum alterum in cœlo, alterum terræ aſcribitur: cæteræ animantes, quia terrenæ, mortaleſque ſunt, terreno, & graui vtuntur elemento; homo ſolus ignem in vſu habet. Quod eſt elementum leue, ſublime, cœleſte. Ea verò, quæ ponderoſa ſunt, ad mortem deprimunt, & quæ leuia ſunt, ad vitam ſubleuant, quia vita in ſummo eſt, mors in imo. Et vt lux eſſe ſine igne non poteſt, ſic vita ſine luce. Ignis igitur elementum eſt lucis, ac vitæ. Vnde apparet, hominem, qui eo vtitur, immortalem ſortitum eſſe conditionem, quia id illi familiare eſt, quod facit vitam. Virtus quoque ſoli homini data, magno argumento eſt, immortales eſſe animas, *b* *quod nec erit ſecundum naturam, ſi anima extinguitur. Huic enim præſenti vitæ nocet. Nam vita iſta terrena, quam communem cum mutis

al. rectus. — al. quæ n…

A animalibus ducimus; & voluptatem expetit, cuius fructibus varijs, ac ſuauibus delectatur, & dolorem fugit, cuius aſperitas naturam viuentium acerbis ſenſibus lædit, & ad mortem perducere nititur; quæ diſſoluit animantem. Si ergo virtus & prohibet ijs bonis hominem, quæ naturaliter appetuntur, & ad ſuſtinenda mala impellit, quæ naturaliter fugiuntur: ergo malum eſt virtus, & inimica naturæ; ſtultumque iudicare neceſſe eſt, qui eam ſequitur; quoniam ſeipſe lædit & fugiendo bona præſentia, & appetendo æquè mala ſine ſpe fructus amplioris. Nam cùm liceat nobis iucundiſſimis frui voluptatibus; nónne ſenſu carere videamur, ſi malimus in humilitate, in egeſtate, in contemptu, in ignominia viuere, aut ne viuere quidem, ſed dolere, cruciari, & mori? ex quibus malis nihil amplius aſſequamur, quo poſſit voluptas omiſſa pẽſari. Si autem virtus malum non eſt, facitq; honeſte, quòd voluptates vitioſas, turpeſque cõtemnit, & fortiter, quod nec dolorem, nec mortem timet, vt officium ſeruet: ergo maius aliquod bonum aſſequatur neceſſe eſt, quàm ſunt illa, quæ ſpernit. At verò B morte ſuſcepta, quod vlterius bonum ſperari poteſt, niſi *æternitatis? al. æternitas.

Scholia.

a Conſtat eſſe aliquid conſtans, & ſentiens ac viuens *erat in pleriſque libris impreſsis.* conſtat aliquid eſſe ſentiens ac vigens, *lego ex vtroq; codice ſancti Saluatoris, & dictio illa conſtans, expungitur. nam oratio ipſa multo concinnior eſt, & dictio vigens, vt referatur ad vocem, & odorem, de quibus antea dixit, aptior eſt, quam viuens, quæ in pleriſq; libris impreſsis habetur. quamuis in libris Pauli Manutij erat correctum, vigens.*

b Quod nec erit ſecundum naturam] *legitur in libris impreſſis.* quæ non erit ſecundum naturam, *habet codex antiquus, quod mihi valde placet. nam loquens de virtute, ait, illam, ſi ratio tantum corporis habenda eſſet, non eſſe dicendam ſecundum naturam. nam ſi anima interiret, cum virtus corpus debilitet, & varijs moleſtijs afficiat, magis dicenda eſſet contra naturam, quàm ſecundum naturam.*

C

De vitijs, & virtutibus: vita, & morte.

Capvt X.

TRanſeamus nunc viciſſim ad ea, quę virtuti repugnãt; vt etiam ex his immortalitas animæ colligatur. Vitia omnia temporalia ſunt. ad præſens enim commouentur. iræ impetus, recepta vltione * ſedantur, libidinis, voluptas corporis, finis eſt. al. ſedatur. cupiditatem autem ſatietas earum rerum, quas expetit, aut aliorum affectuum commotiones interimunt. ambitio, poſtquam honores, quos voluit, adepta eſt, conſeneſcit. Item cætera vitia conſiſtere, ac permanere non poſſunt, ſed ipſo fructu, quem expetunt, finiuntur. Recedunt ergo, & redeunt. Virtus autem ſine vlla intermiſſione perpetua eſt, nec diſcedere ab eo poteſt, qui eam ſemel cepit. Nam ſi habeat interuallum, ſi aliquando al. redibſit ea carere poſſumus; * redeunt protinus vitia, quæ virtutem ſemper impugnant. Non eſt igitur comprehenſa, ſi deD ſerit, ſi aliquando ſecedit. Cùm verò ſibi domicilium ſtabile collocauit; in omni actu verſari eam, neceſſe eſt. nec poteſt fideliter depellere vitia, & fugare; niſi pectus, quod inſedit, perpetua ſtatione munierit. Ipſa ergo virtutis perpetuitas indicat, humanum animum, ſi virtutem ceperit permanere: quia & virtus perpetua eſt, & ſolus animus humanus virtutem capit. Quoniam igitur contraria ſunt vitia virtuti: omnis ratio diuerſa, & contraria ſit, neceſſe eſt: quia vitia commotiones, & perturbationes animi ſunt; virtus è contrario lenitudo, & tranquillitas animi eſt: quia vitia temporalia, & breuia ſunt; virtus perpetua, & conſtans, & par ſibi ſemper: quia vitiorum fructus, id eſt, voluptates, æquè, vt ipſa breues, temporaleſque ſunt. Virtutis ergo fructus, ac præmium ſempiternum eſt, quia vitiorum commodum in præſenti eſt, virtutis igitur in futuro. Ita fit, vt in hac vita virtutis præmium nullum ſit, quia virtus adhuc ipſa eſt. Nam ſicut vitia, cùm in actu ſuo finiuntur, E voluptas, & præmia eorum ſequuntur: ita virtus cùm finita eſt, merces eius inſequitur. Virtus autem nunquam niſi morte finitur; quoniam & in morte ſuſcipienda ſummum eius officium eſt. Ergo præmium virtutis poſt mortem eſt. Denique Cicero in Tuſculanis, quamuis dubitanter, tamen ſenſit, ſummum homini bonum non niſi poſt mortem contingere. Fidenti animo, inquit, ſi ita res feret, gradietur ad mortem. In qua aut ſummum bonum, aut nullum malum eſſe cognouimus. Mors igitur non extinguit hominem, ſed ad præmium virtutis admittit. Qui autem ſe (vt ait idem) vitijs, ac ſceleribus contaminauerit, voluptatiſque ſeruierit; is verò damnatus æternam luet pœnam, quam diuinæ literæ ſecundam mortem nominant, quæ eſt & perpetua, & grauiſſimis cruciatibus plena. Nam ſicuti duæ vitæ propoſitæ ſunt homini; quarum altera eſt animæ, altera corporis: ita & mortes duæ propoſitæ ſunt; vna pertinens ad corpus, qua cunctos ſecundum naturam fungi neceſſe eſt, altera pertinens ad animam, quæ ſcelere acquiritur, virtute vitatur: F & vt vita hæc temporalis eſt, certoſque terminos habet, quia corporis eſt, ſic & mors æquè temporalis eſt, certumque habet finem, quia corpus attingit.

De temporibus poſtremis: deque anima, & corpore.

Capvt XI.

IMpletis igitur temporibus, quæ Deus morti ſtatuit, terminabitur ipſa mors. Et quia temporalem vitam temporalis mors ſequitur, conſequens eſt, vt reſurgant animæ ad vitam perennem; quia finem mors temporalis accepit. Ruſum, ſicut vita animi ſempiterna eſt, in qua diuinos, & ineloquibiles immortalitatis ſuæ fructus capit: ita & mors eius perpetua ſit, neceſſe eſt, in qua perennes pœnas, & infinita tormenta pro peccatis ſuis pendet. Ergo in ea conditione res poſita eſt, vt qui beati ſunt in hac vita corporali, atque terrena, ſemper miſeri ſint futuri, quia iam bonis, G quæ maluerunt, potiti ſunt, quod ijs euenit, qui deos adorant, ac Deum negligunt. Deinde qui iuſtitiam ſequentes, in hac vita miſeri fuerint, & contempti, & inopes, & ob ipſam iuſtitiam contumelijs, & iniurijs ſæpe vexati, quia nec aliter virtus teneri poteſt, ſemper beati ſunt futuri; vt quia mala iam pertulerunt, etiam bonis fruantur. Quod his vtique contingit, qui contemptis terreſtribus Dijs, & fragilibus bonis, cœleſtem religionem Dei ſequuntur, cuius bona, ſicut ipſe, qui tribuit, ſempiterna ſunt. Quid opera corporis atque animi? nónne indicant eſſe animam mortis expertem? Nam corpus, quia ipſum fragile eſt, atque mortale, quæcunque opera molitur, æquè caduca ſunt. Nihil enim Tullius ait eſſe, quod ſit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, vel iniuria hominum, vel ipſa confectrice rerum omnium vetuſtate. At verò animi opera videmus æterna. Nam quicunque contemptu præſentium ſtudentes, in memoriam monimenta ingeniorum, factorumque magnorum reliquerunt; ij planè mentis, ac virtutis ſuę nomen indelebile quęſierunt. H Ergo ſi opera corporis ideo mortalia ſunt, quia ipſum mortale eſt, ſequitur vt anima ex eo immortalis appareat, quia videmus opera eius non eſſe mortalia. Eodem modo deſideria quoque corporis, animique declarant, alterum eſſe mortale, alterum ſempiternum. Corpus enim * non niſi temporalia deſiderat, id eſt cibum, potum, indumentum, quietem, voluptatem: al. nihil. & tamen hæc ipſa ſine nutu, & adminiculo animi nec cupere, nec aſſequi poteſt. Animus autem per ſe multa deſiderat, quæ ad officium fructumve corporis non redundent, eaque non fragilia, ſed æterna ſunt, vt fama virtutis, vt memoria nominis. Nam cultum Dei, qui conſtat abſtinentia cupiditatum, ac libidinum, patientia doloris, contemptu mortis, etiam contra corpus anima concupiſcit. Vnde credibile eſt, non interire animam, ſed diſſociari à corpore; quia corpus ſine anima nihil poteſt, animus verò poteſt multa, & magna ſine corpore. Quid, quòd ea, quæ viſibilia ſunt oculis, & tangibilia manu, quia externam vim pati poſſunt, æterna eſſe non

pol-

A poſſunt? Ea verò, quæ neque ſub tactum, neque ſub viſum veniunt, ſed tantummodo vis eorum, & ratio, & effectus apparet, æterna ſunt; quia nullam vim patiuntur extrinſecus. Corpus autem ſi ideo mortale eſt, quia viſui pariter, & tactui ſubiacet, ergo & anima idcirco immortalis eſt, quia nec tangi poteſt, nec videri.

De anima itidem, & corpore, deq; eorum coniunctione, & diſceſſu, & reditu illuc.

CAPVT XII.

al. differũt — NVnc argumenta eorum, qui cõtra † dixerunt, refellamus; quæ Lucret. tertio libro executus eſt. Quoniam cum corpore, inquit, anima naſcitur, cum corpore intereat neceſſe eſt. At non eſt par vtriuſque ratio. Solidum enim, & comprehenſibile corpus eſt, & oculis, & manu videtur, & tangitur: anima verò tenuis, & tactum, viſumque fugiẽs.
B al. è — Corpus † ex terra fictum, atque ſolidatum eſt: anima in ſe nihil concreti, nihil terreni ponderis habet, vt Plato diſſerebat. Nec enim tantam poſſet habere ſolertiam, tantam vim, tãtam celeritatem, niſi originem haberet è cœlo. Corpus igitur quoniam fictum ex ponderoſo, & corruptibili elemento, & tangibile eſt, & viſibile, corrumpitur, atq; occidit, nec vim repellere poteſt, quia ſub aſpectum, & ſub ictum venit. Anima autem, quia tenuitate ſua omnem tactũ fugit, nullo ictu diſſolui poteſt. Ergo quamuis inter ſeſe coniuncta, & ſociata naſcantur, & alterum, quod eſt de terrena concretione formatum, quaſi vaſculum ſit alterius, quod eſt à cœleſti ſubtilitate deductum: cùm vis aliqua vtrumq; diſcreuit, quæ diſcretio mors vocatur, tunc vtrunique in naturam ſuam † redit: quod ex terra fuit, in terram
al. recedit — ſoluitur: quod ex cœleſti ſpiritu, id conſtat, ac viget ſemper, quoniam diuinus ſpiritus ſempiternus eſt. Denique idem Lucret. oblitus quid aſſereret, & quod dogma defenderet, hos verſus poſuit:

C
Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terram, ſed quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſus cæli fulgentia templa receptant.

Quod eius non erat dicere, qui perire animas cum corporibus diſſerebat. ſed victus eſt veritate, & imprudenti ratio vera ſurrepſit. Præterea idipſum, quo colligit, diſſolui animam, hoc eſt ſimul cum corpore interire, quoniam ſimul naſcantur, & falſum eſt, & in contrarium conuerti poteſt. Non enim ſimul interit, ſed anima diſcedente, integrum per dies multos manet, & plerunque medicatum, diutiſſimè durat. Nam ſi vt ſimul naſcuntur, ſimul interirent, non diſcederet repente anima, corpuſque deſereret, ſed vno temporis pũcto vtrunque pariter diſſiparetur, & tam celeriter etiam corpus, adhuc ſpiritu in eo manente, deliqueſceret, ac periret, quàm celeriter anima ſecedit; imò verò diſſoluto corpore anima vaneſceret, velut humor fracto vaſe diffuſus. Nam ſi terrenum, & fragile corpus poſt ſeceſſum animæ non ſtatim diffluit, in terramque tabeſcit, ex qua illi origo eſt: ergo anima, quæ fragilis non eſt, in æternum manet, quoniam origo eius æterna eſt. Quoniam
D — creſcit, inquit, ſenſus in pueris, & in iuuenibus viget, & in ſenibus diminuitur; apparet eſſe mortalem. Primum nõ eſt idem mens, & anima. aliud eſt enim, quo viuimus, aliud, quo cogitamus. nam dormientium mens, non anima ſopitur: & in furioſis mens extinguitur, anima manet, & ideo non exanimes, ſed dementes vocantur. Mens ergo, id eſt intelligentia, vel augetur, vel minuitur pro ætate. Anima in
al. accipit — ſtatu ſuo ſemper eſt, & ex quo tempore ſpirandi † accepit facultatem, eadem vſque ad vltimum durat, donec emiſſa corporis clauſtro, ad ſedem ſuam reuolet. Deinde quòd anima quamuis à Deo ſit inſpirata, tamen quia tenebroſo domicilio terrenæ carnis incluſa eſt, ſcientiam non habet, quæ eſt diuinitatis. Audit igitur, ac diſcit omnia, & ſapientiam diſcendo, & audiendo capit, & ſenectus non minuit ſapientiam, ſed auget, ſi tamen iuuenilis ætas virtute decurſa eſt. Sed ſi nimia ſenectus fregerit membra, non eſt animæ vitium, ſi viſus euanuit, ſi lingua torpuit, ſi auditus ob-
al. deficit — ſurduit, ſed corporis. At enim memoria † defecit. Quid

E mirum, ſi labentis domicilij ruina premitur mens, & præterita obliuiſcitur, non aliter futura diuina, quàm ſi carcerem, quo cohibetur, effugerit? Verùm eadem, inquit, dolori, & luctui obnoxia eſt, & ebrietate dementit, vnde fragilis, & mortalis apparet. Idcirco igitur virtus, & ſapientia neceſſaria eſt, vt & mœror, qui contrahitur indigna patiendo, ac videndo, fortitudine repellatur, & voluptas non modò potandi, ſed etiam rerum cæterarum abſtinentia ſuperetur. nam ſi careat virtute, ſi voluptatibus dedita molliatur; morti fiet obnoxia, quoniam & virtus, vt docuimus immortalitatis eſt fabricatrix, & voluptas mortis. Mors autem, ſicut oſtendi, non funditus perimit, ac delet, ſed æternis afficit cruciatibus. Nam interire prorſus anima non poteſt; quoniam ex Dei ſpiritu, qui æternus eſt, originem cepit. Anima, inquit, etiam morbum corporis ſentit, & obliuionem ſui patitur: & ſicut ægreſcit, ita etiam ſæpe ſanatur. Hoc eſt ergo, cur maximè virtus adhibenda ſit, ne vllo corporis dolore frangatur, & obliuionem ſui non anima, ſed
F — mens patiatur. Quæ quoniam certa corporis regione conſiſtit: cùm eam partem vis aliqua morbi vitiauerit, mouetur loco; & quaſi conquaſſata, ſede ſua emigrat, reditura ſcilicet, cùm medela, & ſanitas domicilium ſuum reformauerit. Nam quia iuncta eſt anima cum corpore, ſi virtute careat, contagio eius ægreſcit, & imbecillitas de ſocietate fragilitatis redũdat ad mentem. cùm autem diſſociata fuerit à corpore, vigebit ipſa per ſe, nec vlla iam fragilitatis cõditione tentabitur, quia indumentum fragile proiecit. Sicut oculus, inquit, euulſus à corpore, ac ſeparatus nihil poteſt videre, ita & anima ſeparata nihil ſentire, quia & ipſa pars eſt corporis. Falſum hoc & diſſimile eſt. anima enim non pars corporis, ſed in corpore eſt. Sicut id, quod vaſe continetur, vaſis pars non eſt, nec ea, quæ in domo ſunt, partes domus eſſe dicuntur: ita nec anima pars eſt corporis; quia corpus vel vas animæ eſt, vel receptaculum. Iam illud argumentum multo magis inane eſt, quo ait animam, quia non cititus emittatur ex corpore, mortalem videri, ſed paulatim ſe ex omnibus membris explicet, à ſummis pedibus incipiens: tanquam, ſi eſſet æterna, vno temporis momen-
G — to erumperet. Quod fit in iis, qui ferro intereunt. quos autem morbus interimit, ſpiritum diutius exhalant, & paulatim frigeſcentibus membris anima efflatur. quæ cùm materia ſanguinis contineatur, ſicut lumen oleo, ea materia febrium calore conſumpta, neceſſe eſt membrorum ſumma quæque frigeſcere; quoniam venæ exiliores in extrema corporis porriguntur, & extremi, ac tenuiores riui deficiẽte vena fontis areſcunt. Nec tamen, quia ſenſus corporis deficit, animæ ſenſum extingui, & occidere putandum eſt. Non enim anima corpore deficiente, ſed corpus anima decedente putreſcit, quia ſenſum omnem trahit ſecum. Cum autem præſens anima ſenſum ſuum tribuat corpori, & viuere id efficiat, fieri non poteſt, vt non ipſa per ſe & viuat, & ſentiat; quoniam ipſa eſt & ſenſus, & vita. Nam quod ait,

Quod ſi immortalis noſtra foret mens,
Non tam ſe moriens diſſolui conquereretur,
Sed magis ire foras, veſtemq; relinquere, vt anguis,
Gauderet.

H — Equidem nunquam vidi, qui ſe quereretur in morte diſſolui. ſed ille fortaſſe Epicureum aliquem viderat, etiam dum moritur, philoſophantem, ac de ſui diſſolutione in extremo ſpiritu diſſerentem. Quomodo ſciri poteſt, vtrum diſſolui ſe ſentiat, an corpore liberari, cùm in exitu lingua muteſcat? Nam dum ſentit, & loqui poteſt; nondum diſſolutus eſt: vbi diſſolutus eſt; iam nec ſentire, nec loqui poteſt. ita queri de diſſolutione aut nondum poteſt, aut iam non poteſt. At enim non prius quàm diſſoluatur, intelligit ſe diſſolutum iri. Quid, quòd videmus pleroſque morientium non diſſolui conquerentes (vt ait) ſed exire ſe, & proficiſci, & ambulare teſtantes, idq; aut geſtu ſignificant, aut, ſi adhuc poſſunt, & voce pronuntiant? Vnde apparet, non diſſolutionem fieri, ſed ſeparationem, quæ declarat animam permanere. Cætera Epicurei dogmatis argumenta Pythagoræ repugnant, diſſerenti, migrare animas de corporibus vetuſtate, ac morte confectis, & inſinuare ſe nouis, ac recens natis, & eaſdem ſemper renaſci modò in homine,

A mudò in pecude, modò in beſtia, modò in volucre, & hac ratione immortales eſſe, quòd ſæpè variorum, ac diſſimilium corporum domicilia commutent. Quæ ſententia delirihominis quoniam ridicula, & mimo dignior, quàm ſchola fuit, ne refelli quidem ſeriò debuit. Quod qui facit, videtur vereri ne quis id credat. Prætereunda ſunt igitur nobis ea, quæ pro falſo contra falſum diſſerebantur. ſatis eſt, ea refutaſſe, quæ contra verum diſputata ſunt.

De anima deq; eius reſurrectione teſtimonia.

CAPVT XIII.

DEclaraui, vt opinor, animam non eſſe ſolubilem. ſupereſt, citare teſtes, quorum auctoritate argumenta firmentur. neque nunc prophetas in teſtimonium vocabo; quorum ratio & diuinatio in hoc ſolo poſita eſt, vt ad cultum Dei, & ad immortalitatem ab eo accipiendam creatum hominē doceant: ſed eos potius, quibus iſtos, qui reſpuunt
B veritatem, credere ſit neceſſe. Hermes naturam hominis deſcribens, vt doceret quemadmodum eſſet à Deo factus, hæc intulit: *καὶ τὸ αὐτὸ ἐξ ἀμφοτέρων φύσεων τῆς τε ἀθανάτου καὶ τῆς θνητῆς μίαν ἐποίει φύσιν ἀνθρώπου, τὸν αὐτὸν πῇ μὲν ἀθάνατον, πῇ δὲ θνητὸν ποιήσας, καὶ τοῦτον φέρων ἐν μέσῳ θείας καὶ ἀθανάτου φύσεως, καὶ τῆς θνητῆς καὶ μεταβλητῆς κατέστησεν, ἵνα ὁρῶν ἅπαντα, ἅπαντα καὶ θαυμάζῃ.* Sed hunc fortaſſe aliquis in numero philoſophorum computet, quamuis in Deos relatus Mercurij nomine ab Ægyptijs honoretur, nec plus ei auctoritatis tribuat, quàm Platoni, aut Pythagoræ. Maius igitur teſtimonium requiramus. Polytes quidē conſuluit Apollinem Mileſium, vtrumne maneat anima poſt mortem, an reſoluatur, & reſpondit his verſibus:

Ψυχὴ μὲν μέχρι ἂν δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατῆται,
Φθαρτὰ νοοῦσα πάθη, θνητὰς ἀλγηδόνας εἴκει.
Ἡνίκα δ' ἀνάλυσιν βροτέην μετὰ σῶμα μαρανθὲν
Ὠκυτάτην εὕρηται, ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται,
C *Αἰὲν ἀγήραος οὖσα, μένει δ' εἰς πάμπαν ἀτειρής.*
Πρωτόγονος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε πρόνοια.

Quid carmina Sibyllina? Nónne hoc ita eſſe declarant, cùm fore aliquando denuntiant, vt à Deo de viuis, ac mortuis iudicetur? quorum exempla paulò poſt inferemus. Falſa eſt ergo Democriti, & Epicuri, & Dicæarchi de animæ diſſolutione ſententia. Qui profectò non auderent de interitu animarum mago aliquo præſente diſſerere, qui ſciret, certis carminibus cieri ab inferis animas, & adeſſe, & præbere ſe humanis oculis videndas, & loqui, & futura prædicere: & ſi auderent, reipſa & documentis præſentibus vincerentur. Sed quia non peruidebant animæ rationem, quæ tam ſubtilis eſt, vt oculos humanæ mentis effugiat; interire dixerunt. Quid Ariſtoxenus, qui negauit omnino vllam eſſe animam, etiam cùm viuit in corpore? ſed ſicut in fidibus ex intentione neruorum effici concordem ſonum, atque cantum, quem muſici harmoniam vocāt; ita in corporibus ex compage viſcerum, ac vigore membrorum vim ſentiendi exiſtere. quo nihil dici delirius poteſt. Verùm ille oculos quidem habuit incolumes, cor tamen cæcum, qui viuere
D ſe, & habere mentem, qua id ipſum cogitauerat, non videbat. Sed pleriſq; hoc philoſophis accidit, vt putarent omnino non eſſe, quicquid oculis non appareret, cùm mentis acies multo clarior debeat eſſe, quàm corporis, ad ea perſpicienda, quorum vis, ac ratio ſentitur potius, quàm videtur.

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

καὶ &c. i. Eandem ex vtraq; natura immortali atq; mortali vnam faciebat naturam hominis, eundem partim immortalem, partim mortalem faciēs. & hūc ferens in medio diuinæ, & immortalis naturæ, & mortalis mutabiliſq; collocauit, vt omnia videns, omnia miraretur.

Ψυχὴ. &c. i. Anima quidem quoad vinculis corporeis tenetur, corruptibiles paſſiones ſentiens, mortalibus cedit doloribus. Cùm vero humanam, ſolutionem velociſſimam poſt corruptum corpus inuenerit, omnis in æthera fertur, nunquam ſeneſcens, & manet in totum indomita: Primogenita enim hoc diuina diſpoſitio prouidentia.

De mundi temporibus primis, & poſtremis. E

CAPVT XIV.

QVoniam de immortalitate diximus animæ, ſequitur vt doceamus, quatenus homini, & quando tribuatur; vt in hoc quoque prauitatis, ac ſtultitiæ ſuæ perſpiciant errores, qui mortales quoſdam decretis, placitiſque mortalium Deos eſſe factos opinantur, vel quod artes inuenerant, vel quòd vſum quarundam frugum docuerant, vel quòd vtilia vitæ hominum prodiderant, vel quòd immanes beſtias interemerant. Quæ merita quàm longè ab immortalitate ſemota ſint, & docuimus in prioribus libris, & nunc docebimus, vt appareat ſolam eſſe iuſtitiam, quæ vitam homini pariat æternam; & ſolum Deum, qui æternæ vitæ præmium largiatur. Nam illi, qui ſuis meritis immortales facti eſſe dicuntur, quia nec iuſtitia, nec vlla in his vera virtus fuit, non immortalitatem ſibi, ſed mortem F
peccatis, ac libidinibus quæſierunt, nec cæleſte præmium, ſed inferna ſupplicia meruerunt, quæ pendent ſimul cum ipſis omnibus, qui eos coluerunt. cuius iudicij propinquare tempus oſtendam, vt & iuſtis merces digna ſoluatur, & pœna merita impijs irrogetur. Plato, & multi alij philoſophorum, cùm ignorarent originem rerum, ipſumque illud tempus, quo mundus eſſet effectus, multa millia ſeculorum fluxiſſe dixerunt, ex quo hic pulcherrimus mundi extiterit ornatus; a † ſicuti fortaſſe † Chaldæi, qui (vt Cic. tradidit in lib. de diuinatione primo) quadringenta ſeptuaginta millia annorum monumentis comprehenſa ſe habere delirant in quo quia ſe poſſe argui non putabant, liberum ſibi crediderunt eſſe, mentiri. Nos autem, quos diuinæ literæ ad ſcientiam veritatis erudiunt, principium mundi, finemque cognouimus. de quo nunc in fine operis diſſeremus; quoniam de principio in ſecundo libro explicauimus. * Sciant igitur philoſophi, qui ab exordio mundi ſeculorum millia enumerant, nondum ſextum milleſimum annum eſſe concluſum. Quo numero expleto, conſummationem fieri neceſſe eſt, & humanarum rerum ſtatum in melius reformari. cuius rei argumentum prius eſt enarrandum, quo ratio eluceſcat. Mundum Deus, & hoc rerum naturæ admirabile opus (ſicut arcanis ſacræ ſcripturæ continetur) ſex dierum ſpatio conſummauit, diemque ſeptimum, quo ab operibus ſuis requieuerat, ſanxit. Hic eſt autem dies ſabbati, qui lingua Hebræorum à numero nomen accepit; vnde ſeptenarius numerus legitimus ac plenus eſt. Nam & dies ſeptem ſunt, quibus per vicem reuolutis, orbes conficiuntur annorum, & ſeptem ſtellæ, quæ non occidunt, & ſeptem ſydera, quæ vocantur errantia; quorum diſpares curſus, & inæquales motus rerum, ac temporum varietates efficere creduntur. Ergo quoniam ſex diebus cuncta Dei opera perfecta ſunt, per ſecula ſex, id eſt annorum ſex millia manere in hoc ſtatu mundum neceſſe eſt. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, ſicut indicat propheta, qui dicit: Ante oculos tuos Domine mille anni, tanquam dies vnus. Et † vt Deus ſex illos dies in tantis rebus fabricandis laborauit: ita & religio eius, & veritas in his ſex millibus annorum laborare neceſſe eſt, malitia præualente, ac dominante. Et rurſus, quoniam perfectis operibus requieuit die ſeptimo, eumque benedixit, neceſſe eſt, vt in fine ſexti milleſimi anni malitia omnis aboleatur è terra, & regnet per annos mille iuſtitia, ſitque tranquillitas, & requies à laboribus, quos mundus iamdiu † perpeſſus eſt. Verùm quatenus id eueniat, ordine ſuo explicabo. Sæpè diximus minora, & exigua magnorum figuras, & præmonſtrationes eſſe, & hunc diem noſtrum, qui ortu ſolis, occaſuque finitur, diei magni ſpeciem gerere, quem circuitus annorum mille determinat. Eodem modo etiam figuratio terreni hominis cæleſtis populi præferebat in poſterum fictionem. Nam ſicut perfectis omnibus, quæ in vſum hominis molitus eſt Deus, ipſum hominem ſexto die vltimum fecit, eumque induxit in hunc mundum, tanquam in domum iam diligenter inſtructam, ita nunc ſexto die magno verus homo verbo Dei fingitur, id eſt ſanctus populus doctrina, & præ-

ceptis

a ſeculi. Chaldæos

G

* Sex millium duratura annorum ſpatio totā mundi durationē, dum hic Lactantius: ſed multi quoq; alij Patres incluſere, quorum ſententiæ hac in re ſingulas quemad modū ſint. acc. ideæ, fuſè demonſtrat. D. Thom. Maluen. Theologus Dominicanus de Antichriſto cap. 28. 29. 30.

H

Vide Sixt. lib. 5. Bibl. Annot. 190.

al. ſicut

al. perfeſſ

A ceptis Dei ad iuſtitiam figuratur. Et ſicut tunc mortalis, atque imperfectus è terra fictus eſt, vt mille annis in hoc mundo viueret, ita nunc ex hoc terreſtri ſeculo perfectus homo fingitur; vt viuificatus à Deo, in hoc eodem mundo per annos mille dominetur. Quomodo autem conſummatio futura ſit, & qualis exitus humanis rebus impendeat, ſi quis diuinas literas fuerit ſcrutatus, inueniet. Sed & ſecularium prophetarum cóngruentes cum cœleſtibus voces, finem rerum, & occaſum poſt breue tempus annunciant, deſcribentes quaſi fatigati, & delabentis mundi vltimam ſenectutem. Quæ vero à prophetis, & vatibus futura eſſe dicantur, priuſquam ſuperueniat extrema illa concluſio, collecta ex omnibus, & coaceruata ſubnectam.

S c h o l i a.

a Sicuti fortaſſe Chaldæi] *Habent libri typis excuſi.* ſecuti fortaſſe Chaldæos, *legendum eſt ex vtroq; codice ſancti Saluatoris, & illa dictio, fortaſſe, facit, vt hanc lectionem probem. nam non eſt certum, vtrum eos ſecutus fuerit Plato, vel non, cum potuerit alium habere ſuæ opinionis auctorem. quod ſi legeremus, ſicuti, ea dictio, fortaſſe, omnino inducenda eſſet.*

B

De mundi vaſtatione, & mutatione imperiorum.

C a p v t XV.

Eſt in arcanis ſanctarum literarum, tranſcendiſſe in Ægyptum cogente inopia rei frumétariæ principem Hebræorum cum omni domo, & cognatione. Cuius poſteri cùm diutius in Ægypto commorantes, in magnam gentem creuiſſent, & graui, atque intolerando ſeruitutis iugo premerentur, percuſſit Ægyptum Deus inſanabili plaga, & populum ſuum liberauit, traductum medio mari cum diſciſſis fluctibus, & in vtranque partem dimotis, per ſiccum populus graderetur. Conatuſque rex Ægyptiorum

C profugos inſequi, coëunte in ſtatum ſuum pelago, cùm omnibus copijs interceptus eſt. Quod facinus tam clarum, tamque mirabile, quamuis ad præſens virtutem Dei hominibus oſtenderet, tamen præſignificatio & figura maioris rei fuit, quam Deus idem in extrema temporum conſummatione facturus eſt. Liberabit enim plebem ſuam de graui ſeruitute mundi. Sed quoniam tunc vna plebs Dei, & apud vnam gentem fuit; Ægyptus tunc ſola percuſſa eſt. Nunc autem, quia Dei populus ex omnibus linguis congregatus, apud omnes gentes commoratur, & ab his dominantibus premitur; neceſſe eſt, vniuerſas nationes, id eſt, orbem totum cœleſtibus plagis verberari, vt iuſtus, & cultor Dei populus liberetur. Et ſicut tunc ſigna facta ſunt, quibus futura clades Ægypti oſtenderetur: ita in vltimo fient prodigia miranda per omnia elementa mundi, quibus imminens exitus vniuerſis gentibus intelligatur. Propinquante igitur huius ſeculi termino, humanarum rerum ſtatum commutari neceſſe eſt, & in deterius nequitia inua-

al. iam leſcente prolabi, vt † etiam noſtra hæc tempora, quibus iniquitas, & malitia, vſque ad ſummum gradum creuit, in

D illius tamen inſanabilis mali comparatione felicia, & propè aurea poſſint iudicari. Ita etenim iuſtitia rareſcet, ita impietas, & auaritia, & cupiditas, & libido crebreſcét, vt ſiqui tum forté fuerint boni, prædæ ſint ſceleratis, ac diuexentur vndique ab iniuſtis, ſoli autem mali opulenti ſint; boni verò in omnibus contumelijs, atque in egeſtate iactentur. Confundetur omne ius, & leges interibunt. Nihil quiſquam tunc habebit, niſi aut quæſitum, aut defenſum manu. audacia, & vis omnia poſſidebunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit, atque ita neque ſecuritas, neque regimen, neque requies à malis vlla. Omnis enim terra tumultuabitur: frement vbique bella: omnes gentes in armis erunt, & ſe inuicem oppugnabunt. Ciuitates inter ſe finitimæ prælia-buntur: & prima omnium Ægyptus ſtultarum ſuperſtitionum luet pœnas, & ſanguine velut flumine operietur.

al. gladius Tunc peragrabit † clades orbem, metens omnia, & tanquam meſſem cuncta proſternens. Cuius vaſtitatis, & confuſionis hæc erit cauſa, quòd Romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere: ſed dicam, quia futurum eſt) tolletur de terra; & imperium in Aſiam reuertetur, ac rurſus oriens dominabitur, atque occidens

E

ſeruiet. Nec mirum cuiquam debet videri, ſi regnum tanta mole fundatum, ac tandiu per tot, & tales viros auctum, tantis denique opibus confirmatum, aliquando tamen corruet: nihil eſt enim humanis viribus laboratum, quod non humanis æquè viribus deſtrui poſſit, quoniam mortalia ſunt opera mortalium. Sic & alia prius regna, cùm diutius floruiſſent, nihilominus tamen occiderunt. Nam & Ægyptios, & Perſas, & Græcos, & Aſſyrios, proditum eſt, regimen habuiſſe terrarum, quibus omnibus deſtructis, ad Romanos quoque rerum ſumma peruenit. Qui quanto cæteris omnibus regnis magnitudine anteſtant, tanto maiore decident lapſu, quia plus habent ponderis ad ruinam, quæ ſunt cæteris altiora. Non inſcite Seneca

F

Romanæ vrbis tempora diſtribuit in ætates. Primam enim dixit infantiam ſub rege Romulo fuiſſe, à quo & genita, & quaſi educata ſit Roma: deinde pueritiam ſub cæteris regibus, à quibus & aucta ſit, & diſciplinis pluribus, inſtitutiſque formata: at verò, Tarquinio regnante, cùm iam quaſi adulta eſſe cœpiſſet, ſeruitium non tuliſſe, & reiecto ſuperbæ dominationis iugo, maluiſſe legibus obtemperare, quàm regibus: cumque eſſet adoleſcentia eius fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus cœpiſſe iuueneſcere. ſublata etenim Carthagine, quæ tam diu æmula imperij Romani fuit, manus ſuas in totum orbem terra, mariq́ue porrexit: donec regibus cunctis, & nationibus ſubiugatis, cùm iam bellorum materia deficeret, viribus ſuis male vteretur, quibus ſe ipſa confecit. Hæc fuit prima eius ſenectus: cum bellis lacerata ciuilibus, atque inteſtino malo preſſa, rurſus ad regimen ſingularis imperij recidit, quaſi ad alteram infantiam reuoluta. amiſſa enim libertate, quam Bruto duce, & auctore defenderat, ita conſenuit, tanquam ſuſtentare ſe ipſa non valeret, niſi adminiculo regentium niteretur. Quòd ſi hæc ita ſunt, quid reſtat, niſi vt ſequatur interitus ſenectutem? Et id futurum

G

breui, conciones prophetarum denunciant ſub ambage aliorum nominum, ne facilè quis intelligat. Sibyllæ tamen apertè interituram eſſe Romam loquuntur, & quidem iudicio Dei, quòd nomen eius habuerit inuiſum, & inimica iuſtitiæ, alumnum veritatis populum trucidant. Hydaſpes quoque, qui fuit Medorum rex antiquiſſimus, à quo amnis quoque nomen accepit, qui nunc Hydaſpes dicitur, a † admirabilis † omnium, ſub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam poſteris tradidit, ſublatum iri ex orbe imperium, nomenque Romanum, multo antè præfatus; quàm illa Troiana gens conderetur. al. admirabile ſomnium

S c h o l i a.

a Admirabilis omnium] *erat in libris impreſſis.* admirabile ſomnium, *legendum eſt ex antiquo codice. nam, de vaticinijs loquẽs, numerat inter illa hoc ſomnium, modo vaticinij ad Hydaſpe editum. occaſio vero erroris eſt manifeſta. nam, s, quæ eſt vltima litera admirabilis, iuncta dictioni omnium, facit ſomnium, & i, in, e, mutato, habemus admirabile.*

H

In hoc libro ſunt multi errores Lactantij, partim à philoſophis, præſertim Platonicis, quos ipſe voluit ſectari, partim ab Origene ſumpti: quos omnes monemus ab omnibus eſſe cauendos: nam idem in libris etiam antiquis reperiuntur. ad quos refutandos non opus eſt longa oratione, cum manifeſtè ſe ipſi oſtendant.

A

De mundi itidem vaſtatione, eiuſque prodigijs.

CAPVT XVI.

QVomodo autem id futurum ſit, ne quis incredibile arbitretur, oſtendam. Inprimis multiplicabitur regnum, & ſumma rerum poteſtas per plurimos diſſipata, & conciſa, minuetur. Tunc diſcordiæ ciuiles in perpetuum ſerentur, nec vlla requies bellis exitialibus erit, donec reges decem pariter exiſtant, qui orbem terræ, non ad regendum, ſed ad conſummandum partiantur. Hi exercitibus in
al. Lactis immenſum † coactis, & agrorum cultibus deſtitutis, quod eſt principium euerſionis, & cladis, diſperdent omnia, & comminuent, & vorabunt. Tum repentè aduerſus eos hoſtis potentiſſimus ab extremis finibus plagæ ſeptentrionalis orietur; qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Aſiam obtinebũt, aſſumetur in ſocietatem à cæteris, ac prin-
B ceps omnium conſtituetur. Hic inſuſtentabili dominatione vexabit orbem, diuina, & humana miſcebit, infanda dictu, & execrabilia molietur, noua conſilia in pectore ſuo volutabit, vt proprium ſibi conſtituat imperium, leges cõmutabit, ſuas ſanciet; contaminabit, diripiet, ſpoliabit, occidet. Denique immutato nomine, atque imperij ſede translata, confuſio, ac perturbatio humani generis conſequetur. Tum verò deteſtabile, atq; abominandum tempus exiſtet, quo nulli hominum ſit vita iucunda. Eruentur funditus ciuitates, atque interibunt non modo ferro, atque igni; verùm etiam terræ motibus aſſiduis, & eluuie aquarum, & morbis frequentibus, & fame crebra. aër enim vitiabitur, & corruptus, ac peſtilens fiet; modo importunis imbribus, modò inutili ſiccitate, nunc frigoribus, nunc æ-
al. non ſtibus nimijs, nec terra homini dabit fructum, † nec ſeges quicquam, non arbor, non vitis feret. Sed cùm in flore ſpem maximam dederint, in fruge decipient. Fontes quoque cum fluminibus areſcent, vt ne potus quidem ſuppetat: & aquæ in ſanguinem, aut amaritudinem mutabuntur. Propter hæc deficient & in terra quadrupedes, & in aëre
C volucres, & in mari piſces. Prodigia quoque in cœlo mirabilia mentes hominum maximo terrore confundent, & crines cometarum, & ſolis tenebræ, & color lunæ, & cadentium ſyderum lapſus. Nec tamen hæc vſitato modo fient, ſed exiſtent ſubitò & ignota, & inuiſa oculis aſtra. Sol in perpetuum fuſcabitur, vt vix inter noctem diemque diſcernatur. Luna iam non tribus deficiet horis, ſed perpetuò ſanguine obfuſa, meatus extraordinarios peraget, vt non ſit homini promptum, aut ſyderum curſus, aut rationem temporũ agnoſcere; fiet enim vel æſtas in hyemẽ, vel hyems in æſtate. Tunc annus breuiabitur, & menſis minuetur, & dies in anguſtum coarctabitur. Stellæ verò crebertimæ cadent, vt cœlum omne cæcum ſine vllis luminibus appareat. Montes quoq; altiſſimi decident, & planis æquabuntur, mare innauigabile conſtituetur. Ac ne quid malis hominum, terræque deſit, audietur è cœlo tuba. quod hoc modo Sibylla denuntiat:

Σάλπιγξ οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει.

D Itaq; trepidabunt omnes, & ad luctuoſum illum ſonitum contremiſcent. Tum verò per iram Dei aduerſum homines, qui iuſtitiam Dei non agnouerunt, ſæuiet ferrum, ignis,
al. impendens fames, morbus, & ſuper omnia metus ſemper † impendent.
al. ne tunc orabunt Deum, & non exaudiet, optabitur mors, & non veniet, † nec nox quidem requiem timori dabit, nec ad oculos ſomnus accedet, ſed animas hominum ſolicitudo, ac vigilia macerabit: plorabunt, & gement, & dentibus ſtrident, gratulabuntur mortuis, & viuos plangent. His & alijs pluribus malis ſolitudo fiet in terra, & erit deformatus orbis, atque deſertus. quod in carminibus Sibyllinis ita dicitur:

Ἔσται κόσμος ἄκοσμος ἀπολλυμένων ἀνθρώπων.

Ita enim conficietur humanum genus, vt vix decima pars hominum relinquatur, & vnde mille proceſſerant, vix prodient centum. De cultoribus etiam Dei, duæ partes interibunt, & tertia, quæ fuerit probata, remanebit.

E

GRÆCORVM LATINA INTERPRÆTATIO.

σάλπιγξ. &c. i. *Tuba de cœlo vocem luctuoſam emittet.*
ἔσται. &c. i. *Erit mundus immundus pereuntibus hominibus.*

† Lactantius probè tenens Vaticinium Apocalypſi II. quę ibi de duobus Prophetis Henoch, & Elia tempore Antichriſti venturis prędicantur, ipſe vni tantum hic tribuit. *Vide lib. de Antichriſto D. Thom. Maluenda Theologi Dominicani li. 9 c. 10 ad finem.*

De falſo propheta, & incommodis piorum, & illius internecione.

CAPVT XVII.

SEd planius, quomodo id eueniat, exponam. Imminente iam temporum cõcluſione, † propheta magnus mittetur à Deo, qui conuertat homines ad Dei agnitionem, & accipiat poteſtatem mirabilia faciendi. Vbicunque non audierint eum homines, claudet cœlum, & abſtinebit im-
F bres, & aquam conuertet in ſanguinem, & cruciabit illos ſiti, ac fame. & quicunque conabitur eum lædere, procedet ignis de ore eius, atque amburet illum. His prodigijs, atque virtutibus conuertet multos ad Dei cultum, peractiſque operibus ipſius, alter Rex orietur ex Syria malo ſpiritu genitus, euerſor, ac perditor generis humani, qui reliquias illius prioris mali cum ipſo ſimul delexi. Hic pugnabit aduerſus prophetam Dei, & vincet, & interficiet eum, & inſepultum iacere patietur. Sed poſt diem tertium reuiuiſcet, atque inſpectantibus, & mirantibus cunctis rapietur in cœlum. Rex verò ille teterrimus erit quidem & ipſe, ſed mendaciorum propheta, & ſeipſum conſtituet, ac vocabit Deum, & ſe coli iubebit vt Dei filium: & dabitur ei poteſtas, vt faciat ſigna & prodigia, quibus viſis illiciat homines, vt adorent eum. Iubebit ignem deſcendere de cœlo, & ſolem à ſuis curſibus ſtare, & imaginem loqui, & fient hæc ſub verbo eius. quibus miraculis etiam ſapientum plurimi allicientur ab eo. Tunc eruere templum Dei conabitur, & iuſtum populum perſequetur: & erit preſſura, & contritio, qualis nunquam fuit à principio mundi. Qui-
G cunque crediderint, atque acceſſerint ei; ſignabuntur ab eo tanquam pecudes. Qui autem recuſauerint notam eius, aut in montes fugient, aut comprehenſi, exquiſitis cruciatibus necabuntur. Idem iuſtos homines obuoluet libris prophetarum, atque ita cremabit, & dabitur ei deſolare orbem terræ menſibus quadraginta duobus. Id erit tempus, quo iuſtitia projicietur, & innocentia odio erit, quo mali bonos hoſtiliter prædabuntur, non lex, aut ordo, aut militiæ diſciplina ſeruabitur; non canos quiſquam reuerebitur, non officium pietatis agnoſcet, non ſexus, aut infantiæ miſerebitur. confundentur omnia, & miſcebuntur contra fas, contra iura naturæ ita quaſi vno communique latrocinio, terra vniuerſa vaſtabitur. Cum hæc facta erunt; tunc iuſti, & ſectatores veritatis ſegregabunt ſe à malis, & fugient in ſolitudines. Quo audito, impius rex inflammatus ira veniet cum exercitu magno, & admotis omnibus copijs circundabit montem, in quo iuſti morabuntur, vt eos comprehendat. Illi vero, vbi ſe clauſos vndique, atque obſeſſos
H viderint, exclamabunt ad Deum voce magna, & auxilium
al. mittet cœleſte implorabunt, & exaudiet eos Deus, & † emittet regem magnum de cœlo, qui eos eripiat, ac liberet, omneſq; impios ferro, ignique diſperdat.

De mundi caſibus in extremo, deque ijs prædictis à vatibus.

CAPVT XVIII.

HÆc ita futura eſſe, cùm prophetæ omnes ex Dei ſpiritu, tum etiam vates ex inſtinctu dæmonũ cecinerunt. Hydaſpes enim, quem ſuperius nominaui, deſcripta iniquitate ſeculi huius extremi, pios, ac fideles à nocentibus ſegregatos, ait, cum fletu, & gemitu extenſuros eſſe ad cœlum manus, & imploraturos fidem Iouis; Iouem reſpecturum ad terram, & auditurum voces hominum, atq; impios extincturum. Quæ omnia vera ſunt, præter vnum, quòd Iouem dixit illa facturum, quæ Deus faciet. Sed & illud nõ ſine dæmonum fraude ſubtractum eſt; miſſum iri à patre

tunc

A tunc filium Dei, qui deletis omnibus malis pios liberet. quod Hermes tamen non diſſimulauit: in eo enim libro, qui, λόγος τέλειος inſcribitur, poſt enumerationem malorum, de quibus diximus, ſubiecit hæc, ἐπὰν δὴ ταῦτα γένηται, ὦ Ἀσκληπιέ, τότε ὁ κύριος καὶ πατὴρ καὶ θεός, καὶ τοῦ πρώτου καὶ ἑνὸς θεοῦ δημιουργὸς ἐπιβλέψας τοῖς γενομένοις, καὶ τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν, τουτέστι τὸ ἀγαθὸν ἀντερείσας τῇ ἀταξίᾳ, καὶ ἀνακαλεσάμενος τὴν πλάνην, καὶ τὴν κακίαν ἐκκαθάρας, πῆ μὲν ὕδατι πολλῷ κατακλύσας, πῆ δὲ πυρὶ ὀξυτάτῳ διακαύσας, ἐνίοτε δὲ πολέμοις καὶ λοιμοῖς ἐκπιέσας, ἤγαγεν ἐπὶ τὸ ἀρχαῖον καὶ ἀποκατέστησε τὸν ἑαυτοῦ κόσμον. Sibyllæ quoque non aliter fore oſtendunt, quàm vt Dei filius à ſummo patre mittatur, qui & iuſtos liberet de manibus impiorum, & iniuſtos cum tyrannis ſæuientibus deleat. è quibus vna ſic tradidit:

> ἥξει καὶ μακάρων ἐθέλων πόλιν ἐξαλαπάξαι,
> καί τις ἀπὸ θεόθεν βασιλεὺς πεμφθεὶς ἐπὶ τοῦτον,
> πάντας ὀλεῖ βασιλεῖς μεγάλους καὶ φῶτας ἀρίστους.
> εἶθ᾽ οὕτως κρίσις ἔσται ἀπ᾽ ἀφθίτου ἀνθρώποισιν.

Item alia Sibylla:

> καὶ τότ᾽ ἀπ᾽ ἠελίοιο θεὸς πέμψει βασιλῆα,
> ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.

Et rurſus alia:

> ——— ἡμέτερον τε
> ζυγὸν δούλειον ἐπ᾽ αὐχένι κείμενον ἄρει,
> καὶ θεσμοὺς ἀθέους λύσει, δεσμούς τε βιαίους.

B

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

ἐπ᾽, &c. i. *Cum hæc ita facta fuerint, ô Aſclepi, tunc Dominus, & Pater, & Deus, & primi, & vnius Dei creator, reſpiciens quæ facta ſunt, & ſua voluntate cum bono obiectiſſet temeritati, & errore reuocato, malitiaque purgata: partim aqua nimia diluens, partim igni rapido cremans, interdum bellis, & peſtilentiis extergens ad ſtatum priſtinum perduxit, & reſtituit ſuum mundum.*

ἥξει, &c. i. *Veniet & beatorum volens vrbem expugnare: & quidam à Deo miſſus rex ad ſuos, omnes perdet reges magnos & viros optimos: & ſic iudicabit ab immortalis hominibus.*

ἐ, &c. i. *Tunc ex ſole Deus mittet regem.*
Qui omnem terram placabit à bello malo.

ἡμέτερον, &c. i. *Noſtra ſeruitutis iugum intolerabile in collo poſitum tollet, & leges impias ſoluet, vinculaque violenta.*

Lactantius ſacrarum ſcripturarum non ſatis peritus, vt ait S. Hieronymus, verba Apocal. 16. haud penitus introſpiciens, quædam hoc capite de Antichriſto non ſatis conſona prodit: *accuratè excutiuntur lib. 10. de Antichriſto cap. 11. & 13.*

C

De aduentu Chriſti ad Iudicium. & falſo propheta deuicto.

CAPVT XIX.

Oppreſſo igitur orbe terræ, cùm ad deſtruendam immenſarum virium tyrannidem humanæ opes defecerint, ſiquidem capto mundo cum magnis latronum exercitibus incubabit: diuino auxilio tanta illa calamitas indigebit. Commotus igitur Deus & periculo ancipiti, & miſeranda comploratione iuſtorum mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur cœlum medium intempeſta, & tenebroſa nocte, vt in orbe toto lumen deſcendentis Dei tanquam fulgur appareat. quod Sibylla his verſibus locuta eſt:

> ——— ὁππότ᾽ ἔλθῃ,
> πῦρ ἔσται σκοτόεν ἐν τῇ μέσῃ νυκτὶ μελαίνῃ.

D Hæc eſt nox, quæ nobis propter aduentum regis, ac Dei noſtri peruigilio celebratur. cuius noctis duplex ratio eſt, quod in ea & vitam tum recepit, cùm paſſus eſt, & poſtea orbis terræ regnum recepturus eſt. Hic eſt enim liberator, & iudex, & vltor, & rex, & Deus, quem nos Chriſtum vocamus, qui prius, quam deſcendat, hoc ſignum dabit. Cadet repente gladius è cœlo vt ſciant iuſti ducem ſanctæ militiæ deſcenſurum, & deſcendet comitantibus angelis in medium terræ, & antecedet eum flamma inextinguibilis, & virtus angelorum tradet in manus iuſtorum multitudinem illam, quæ montem circumſederit, & concidetur ab hora tertia vſque ad veſperum, & fluet ſanguis more torrentis, deletiſque omnibus copiis, impius ſolus effugiet, & peribit ab eo virtus ſua. Hic eſt autem, qui appellatur Antichriſtus, ſed ſeipſe Chriſtū mentietur, & contra verū dimicabit, & victus effugiet. & bellū ſæpe renouabit, & ſæpe vincetur, donec quarto prælio cōfectis omnib. impiis, debellatus, & captus, tandē ſcelerū ſuorū luat pœnas. Sed & cæteri principes, ac tyranni, qui contriuerunt orbem, ſimul cum eo vincti adducentur ad regem, & increpabit eos, & coarguet, & exprobrabit his facinora ipſorum, & damnabit eos, ac meritis cruciatibus tradet. Sic extincta

E malitia, & impietate compreſſa, requieſcet orbis, qui per tot ſecula ſubiectus errori, ac ſceleri, nefandam pertulit ſeruitutem. Non colentur vlterius dij manu facti, ſed à templis, & puluinaribus ſuis deturbata ſimulachra igni dabuntur, & cum donis ſuis mirabilibus ardebunt. quod etiam Sibylla cum prophetis congruens futurum eſſe prædixit:

> τρίψουσι δ᾽ εἴδωλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα.

Erythræa quoque idem ſpopondit.

> ἔργα δὲ χειροποίητα θεῶν κατακαύσεται.

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

ὁππότ᾽, &c. i. *Cum veniet, ignis erit, tenebraque in media nocte obſcura.*

F τρίψουσι, &c. i. *Conterent autem ſimulachra homines, & diuitias omnes.*

ἔργα, &c. i. *Opera autem deorum humanis manibus facta exurentur.*

De Chriſti iudicio, de Chriſtianis: deque anima.

CAPVT XX.

Poſt hæc aperientur inferi, & reſurgent mortui, de quibus iudicium magnum idem ipſe rex, ac Deus faciet, cui ſummus pater & iudicandi & regnandi dabit maximam poteſtatem. de quo iudicio, & regno apud Erythræam Sibyllam ſic inuenitur:

> ὁππότε καὶ τὸ λάχῃ τέλος αἴσιμον ἤδε βροτοῖσι
> καὶ δὴ ἀφίξηται κρίσις ἀθανάτοιο θεοῖο,
> ἥξει ἐπ᾽ ἀνθρώπους μεγάλη κρίσις ἠδὲ καὶ ἀρχή.

Deinde apud aliam:

> Ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα.
> ἥξουσι δ᾽ ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆος ἅπαντες.

G Et alio loco apud eandem,

> αὐτὸς ἐλέγξω γαίης χθαμῶνας ἀνοίξω
> καὶ τότ᾽ ἀναστήσω νεκροὺς μοῖραν ἀναλύσας,
> καὶ θανάτου κέντρον, καὶ ὕστερον εἰς κρίσιν ἄξω,
> κρίνων εὐσεβέων καὶ δυσσεβέων βίον ἀνδρῶν.

Nec tamen vniuerſi tunc à Deo iudicabuntur, ſed ij tantum, qui ſunt in Dei religione verſati. Nam qui Deum nō agnouerunt, quoniam ſententia de his in abſolutionem ferri non poteſt, iam iudicati, damnatique ſunt, ſanctis literis conteſtantibus, non reſurrecturos impios in iudiciū. Iudicabuntur ergo qui Deum ſcierunt & facinora eorum, id eſt, mala opera cum bonis collata ponderabuntur: vt ſi plura, & grauia fuerint bona, † iuſtificentur ad vitam beatam: ſi autem mala ſuperauerint, condemnentur ad pœnam. *[margin: iuſtaque dentur]* Hic fortaſſe dixerit quiſpiam: Si eſt immortalis anima, quomodo patibilis inducitur, ac pœnæ ſentiens? Si enim ob merita punietur, ſentiet vtique dolorem, atque ita etiam mortē. Si morti non eſt obnoxia, nec dolori quidē, patibilis igitur non eſt. Huic quæſtioni, ſiue argumento, à

H Stoicis ita occurritur: Animas quidem hominum permanere, nec interuētu mortis in nihilum reſolui, ſed eorum, qui iuſti fuerunt, puras, & impatibiles, & beatas ad ſedem cœleſtem, vnde illis origo ſit, remeare, vel in campos quoſdam fortunatos rapi, vbi fruantur miris voluptatibus, impios verò, quoniam ſe malis cupiditatibus inquinauerūt mediam quandam gerere inter immortalem mortalemq; naturam, & habere aliquid imbecillitatis ex contagione carnis. cuius deſideriis, ac libidinibus addictæ, indelebilē quendam fucum trahant, labemque terrenam, quæ cùm temporis diuturnitate penitus inhæſerit, eius naturæ reddi animas, vt ſi non extinguibiles in totum, quoniam ex Deo ſunt, tamen cruciabiles fiant per corporis maculam, quæ peccatis inuſta, ſenſum doloris attribuit. Quam ſententiam poeta ſic explicauit:

A *Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit:*
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes, penitusque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis oleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt.

Hæc propemodum vera ſunt.

Anima enim, cùm diuortium fecit à corpore, eſt, vt ait idem poeta:

Par leuibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.

Quia ſpiritus eſt, & ipſa tenuitate incomprehenſibilis ſed nobis, qui ſumus corporales, Deo autem, cui ſubiacet poſſe omnia, comprehenſibilis.

GRÆCORVM LATINA INTERPRATATIO.

&c. i. *Cum autem dies iſte finem fatalem acceperit, & ad mortales iudicium immortalis Dei venerit, veniet ſuper homines magnum iudicium, & initium.*

&c. i. *Tartareum autem chaos oſtendet terra dehiſcens.*

B *Venient autem ad tribunal Dei reges omnes.*

&c. i. *Cœlum voluens terræ latebras aperiam, & tunc exſuſcitabo mortuos fatum ſoluens, & ſtimulum mortis, poſteaque in iudicium ducam iudicans piorum, atq; impiorum vitam virorum.*

SCHOLIA.

(*a*) Vt ſi plura & grauia fuerint, bona iuſtaque, dentur ad vitam æternam] *ſic eſt in vtroque codice ſancti Saluatoris. quod mihi propterea probatur, quia illa vox, iuſtificentur, non eſt latina, neque ea legitur Lactantium vnquam vſum fuiſſe. ex illis vero duabus vocibus,* iuſtaque dentur, *facile aliquis facit, iuſtificentur, præſertim cum ſententia non abhorreret.*

De cruciatibus, & præmiis animarum.

CAPVT XXI.

PRimum igitur dicimus, tantam eſſe Dei poteſtatem vt etiam incorporalia comprehendat, & quemadmodum voluerit, afficiat. Nam & angeli Deum metuunt, quia caſtigari ab eo poſſunt inenarrabili quodam modo, & dæmones reformidant Deum, quia torquentur ab eo, ac puniuntur. Quid ergo mirum, ſi cum ſint immortales animæ, tamen paſſibiles ſint Deo? Nam cum in ſe nihil habeant ſolidum, & contrectabile, à ſolidis, & corporalibus nullam vim pati poſſunt ſed quia in ſolis ſpiritibus viuunt à ſolo Deo tractabiles ſunt, cuius virtus, ac ſubſtantia ſpiritalis eſt. Sed tamen docent nos ſanctæ literæ, quemadmodum pœnas impij ſint laturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rurſus carne induentur, vt in corporibus piaculum ſoluant, & tamen non erit caro illa, quam Deus homini ſuperieceerit, huic terrenæ ſimilis, ſed inſolubilis, ac permanens in æternum, vt ſufficere poſſit cruciatibus, 1 & igni ſempiterno, cuius natura diuerſa eſt ab hoc noſtro quo ad vitæ neceſſaria vtimur: qui niſi alicuius materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille diuinus per ſeipſum ſemper viuit, ac viget ſine vllis alimentis, nec admiſtum habet fumum, ſed eſt purus, ac liquidus, & in aquæ

D — *De hoc igne diuino an poſt iudicium extremū purgabit iuſtorum corpora, Vide Xiſtum Sen. Biblioth. lib. 5. Annot. 171.*

modum fluidus. Non enim vi aliqua ſorſum verſus vrgetur, ſicut noſter, quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus intermiſtus exilire cogit, & ad cæleſtem naturam cum trepidatione mobili ſubuolare. Idem igitur diuinus ignis vna, eademque vi, atque potentia & cremabit impios & recreabit, & quantum è corporibus abſumet, tantum reponet, ac ſibi ipſi æternum pabulum ſubminiſtrabit quod poetæ in vulturem Tityi tranſtulerunt. ita ſine vllo † viueſcentium corporum detrimento aduret tantum, ac ſenſu doloris afficiet. 2 Sed & iuſtos cùm iudicauerit, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere, vel numero præualuerint, perſtringentur igni, atque amburentur. quos autem plena iuſtitia, & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non ſentient. habent enim in ſe aliquid † inde, quod vim flammæ repellat, ac reſpuat. Tanta eſt vis innocentiæ, vt ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accepit à Deo hanc poteſtatem, vt impios vrat, iuſtis obtemperet. 3 Nec tamen quiſquam putet, animas

al. truteſcentium

al. Dei

poſt mortem protinus iudicari. omnes in vna, communique cuſtodia * detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata iuſtitia, ij præmium immortalitatis accipient: quorum autem peccata, & ſcelera detecta, non reſurgent, ſed cum impiis in eaſdem tenebras recondentur, ad certa ſupplicia deſtinati.

E — *Plura antiquorum patrum, in hanc ſententiā teſtimonia lege apud Xiſtum Senenſem Biblioth. l. 6 Annot. 345. intelligenda tamen de perfecta Beatitudine Animæ cum corpore glorificato.*

1 Tametſi non ſit erroneum, aut temerarium aſſerere ignem inferni eſſe alterius naturæ ab hoc noſtro elementari, dummodo verus, & corporeus ignis agnoſcatur: at melior, & probabilior Theologorum ſententia eſt, eſſe eiuſdem naturæ & ſpeciei cum hoc noſtro, quibuſdam tantum qualitatibus diſtinctum. *Vide Dominicū Bannes 1. parte quæſt. 64. art. 4. Dubio 2. concl 2.*

2 Error iſte Lactantij de expurgandis igni iuſtorum corporibus poſt vniuerſale iudicium, reiectus eſt ab ſcholis Theologorum. *Vide Sixtum libr. 5. Biblioth. Annotat. 170. 171.*

3 Hæreſis eſt manifeſta iam ab Eccleſia damnata, aſſerere animas iuſtorum corpore ſolutas, ac nulla purgatione egentes, non ſtatim admitti ad claram Dei viſionem, ſeu eſſentialem beatitudinem. Cuius quoque erroris fuiſſe videtur Lactantius, nam eius verba vix, aut ne vix quidem admittunt ſanum intellectum. *Vide Sixtum lib. 6. Biblioth. Annot. 345. Bellarm. lib. 1. de Sanctorum Beatitudine cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Coccium tomo 1. Theſauri Catholici, libr. 5. art. 2.*

F

De errore poetarum: deque reditu animæ de inferuis.

CAPVT XXII.

FIgmenta hæc eſſe poetarum quidam putant, ignorantes, vnde illa poetæ acceperint, ac negant hæc fieri poſſe. nec mirum eſt ita illis videri. Aliter enim quam res habet, traditur a poetis. qui licet ſint multo antiquiores, quā hiſtorici, & oratores, & cætera genera ſcriptorum: tamen quia myſterium diuini ſacramenti neſciebant, & ad eos mentio reſurrectionis futuræ obſcurorum ore peruenerat, eam verò temere, ac leuiter auditam, in modum commentitiæ fabulæ prodiderunt. Et tamen ijdem teſtari ſunt non auctorem ſe certum, ſe opinionem ſequi; vt Maro, qui ait: Sit mihi fas audita loqui. Quamuis igitur veritatis, arcana in parte corruperint: tamen ipſa res eò verior inuenitur, quod cum prophetis in parte conſentiunt. quod nobis ad probationem rei ſatis eſt. Errori tamen eorum ſubeſt ratio non nulla. Nam cum prophetæ aſſiduis concionibus prædicarent, iudicaturum eſſe de mortuis filium Dei, & hæc annuntiatio non lateret: quoniam rectorem cœli non alium putabant eſſe, quam Iouem: iudicare apud inferos Iouis filium tradiderunt, ſed tamen non Appollinem, aut Liberum, aut Mercurium, qui cœleſtes putantur, ſed † Deum qui & mortalis fuerit, & iuſtus, vel Minoëm vel Aeacum, vel Radamanthum. Corruperunt igitur poetica licentia, quod acceperant, vel opinio veritatem per diuerſa ora, ſermoneſque varios diſſipata mutauit. Nam quod peractis apud inferos mille annis, rurſus ad vitam reſtitui cecinerunt, Marone ita dicente:

G

al. eum

Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos,
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno,
Scilicet immemores ſupera vt conuexa reuiſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reuerti:

H

Hæc eos ratio feſellit, quod reſurgent defuncti, non poſt mille annos mortis ſuæ, † ſed vt reſtituti rurſus in vitam mille annis cum Deo regnent. Deus enim veniet, vt orbe hoc ab omni labe purgato, rediuiuas iuſtorum animas corporibus innouatis ad ſempiternam beatitudinem ſuſcitet. Itaq. præter aquam obliuionis vera ſunt cætera. quā idcirco finxerunt, ne quis illud opponeret: Cur ergo non meminerunt ſe aliquando vixiſſe, aut qui fuerint, aut quæ geſſerint? Sed nihilominus tamen veriſimile non putatur, & res tota velut licenter, & fabuloſe ficta reſpuitur. Nobis autem de reſurrectione affirmantibus, & docentibus, animas ad alteram vitam non oblitas ſui, ſed in eodem ſenſu, ac figura eſſe redituras, illud opponitur. Tot iā

Adito ſcholion infra ad initium cap 24.

ſecu-

A ſecula tranſierunt: quis vnquam viuus ab inferis reſurrexerit, vt exemplo eius fieri poſſe credamus? At enim reſurrectio fieri non poteſt, dominante adhuc iniuſtitia. Hoc enim ſeculo necantur homines vi, ferro, inſidiis, venenis, afficiuntur iniuriis, egeſtate, carceribus, tormentis, proſcriptionibus. * Eodem accedit, quod iuſtitia inuiſa eſt, quod omnes, qui Deum ſequi volunt, non tantum odio habentur, ſed vexantur omnibus contumeliis, & excruciantur multiplici genere pœnarum, & ad impios cultus † fabricatorum Deorum non ratione, aut veritate, ſed nefanda corporum laceratione coguntur. Num igitur oportet ad hæc eadem reſurgere, & reuerti homines ad vitam, in qua tuti eſſe non poſſint? Cum ergo iuſti tam viles habeantur, † vitam facile tollantur, quid putemus futurum fuiſſe, ſi quis ab inferis rediens vitam poſtliminio recepiſſet? Auferretur profectò ab oculis hominum, ne viſo eo, vel audito, Deos vniuerſi relinquerent, & ad vnius ſe Dei cultum, religionemque conuerterent. Ergo ſemel fieri reſurrectionem neceſſe eſt cùm malum fuerit ablatum, quoniam eos, qui reſurrexerint, nec mori iam vlterius, nec violari vllo modo fas eſt, vt beatam poſſint agere vitam quorum mors reſignata eſt. Poetæ verò cùm ſcirent, hoc ſeculum malis omnibus redundare, obliuionis amnem induxerunt, ne laborum, ac malorum memores animæ reuerti ad ſuperos recuſarent. Vnde Virgilius:

Margin: al. eo; al. manufactorum; al. ac

B *O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum eſt*
Sublimes animas, iterumque ad tarda reuerti
Corpora? quæ lucis miſeris tam dira cupido?

Ignorabant enim quomodo, aut quando id fieri oporteret. ita renaſci eas putauerũt, & denuo ad vterum reuolui, atque ad infantiam regredi. Vnde etiam Plato de anima diſſerens, ex hoc ait poſſe cognoſci animas eſſe immortales, atque diuinas, quòd in pueris mobilia ſint ingenia & ad percipiendum facilia, quod ea, quæ diſcant, ita celeriter rapiant, vt non tunc primum diſcere illa videantur, ſed recognoſcere, atq; reminiſci. in quo vir ſapiens puerus ineptiſſimè credidit.

De reſurrectione animæ, ibique de ea re teſtimonia.

CAPVT XXIII.

C NOn igitur renaſcentur, quod fieri non poteſt, ſed reſurgent, & à Deo corporibus induentur, & prioris vitæ factorumque omnium memores erunt, & in bonis cœleſtibus collocatæ, ac fruentes iucunditate innumerabilium copiarum, præſenti Deo gratias agent, quòd malũ omne deleuerit. quòd eos ad regnum, vitamque perpetuam ſuſcitarit. Qua de anaſtaſi philoſophi quoque dicere aliquid conati ſunt tam corruptè, quàm poetæ. Nam Pythagoras tranſire animas in noua corpora diſputauit, ſed ineptè, quòd ex hominibus in pecudes, & ex pecudibus in homines, & ſeipſum ex Euphorbo eſſe reparatum. Melius Chryſippus, quem Cicero ait fulcire porticum Stoicorum qui in libris, quos de prouidẽtia ſcripſit, cùm de innouatione mundi loqueretur, hæc intulit. [illegible]
[illegible]
[illegible]

Margin: De aureo Sæculo, annorum Millenario, Vide Sixtum Sen. Biblioth. 5 Annot. 233. & 347.

D Sed nos ad humanis ad diuina redeamus. Sibylla dicit hæc:

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Quod ſi non modo prophetæ, ſed etiam vates, & poetæ, & philoſophi anaſtaſim mortuorum futuram eſſe conſentiunt: nemo quærat à nobis, quemadmodum fieri poſſit. Nec enim diuinorum operum reddi poteſt ratio. Sed ſi à principio Deus hominem neſcio quo inenarrabili modo inſtituit: credamus, ab eodem reſtitui veterem poſſe, qui nouum fecit.

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

[illegible] &c. i. *Quod cùm ita ſit, apparet non eſſe impoſſibile & nos cùm vitam finierimus, rurſus vertiginibus certis temporis reuolutis, in hunc ſtatum, in quo nunc ſumus, reſtitutum iri.*

E [illegible] &c. i. *Etenim durum ad credendum omne hominum genus: ſed cùm iam mundi, & mortalium venerit iudicium, quod Deus ipſe faciet iudicans impios ſimul & pios, tunc demum impios quidem in tenebras in igne mittet: qui autem pietatem colunt, iterum viuent in terra, ſpiritum Deo dante honorem ſimul, & vitam ipſis.*

† Quæ tribus iſtis poſtremis huius libri capitibus, nempe 24. 25. 26. Lactantius prolixè diſputat de Reſurrectione prima hominum: de aureo Chriſti mille annorum Regno, in terris, poſt reſurrectionem primam: de alligatione diaboli per mille annos, eiuſque ſolutione, ac prœlio Gog & Magog: ex perperam intellectis Vaticiniis Apocal. 20. ſunt ea ferè omnia à ſenſu Scripturæ ſacræ, & ab Eccleſiæ Sanctorumque Patrum doctrina prorſus aliena, ac palam erronea, vt fusè oſtendit *P. Thomas Maluenda Theolog. Dominic. lib. 10. de Antichriſto à cap. 3 ad 11.*

De renouato mundo.

CAPVT XXIV.

F NVnc reliqua ſubnectam. Veniet igitur ſummi, & maximi Dei filius, vt viuos, ac mortuos iudicet, teſtante atque dicente Sibylla.

[illegible]
[illegible]
[illegible]

Verùm ille, cum deleuerit iniuſtitiam, iudiciumque maximum fecerit, ac iuſtos, qui à principio fuerunt, ad vitam reſtaurauerit, mille annis inter homines verſabitur, eoſq; iuſtiſſimo imperio reget. Quod alibi Sibylla vaticinans furenſque proclamat:

[illegible]

Tum qui erunt in corporibus viui, non morientur, ſed per eoſdem mille annos infinitam multitudinem generabunt & erit ſoboles eorum ſancta, & Deo cara. Qui autẽ ab inferis ſuſcitabuntur, ii præerunt viuentibus velut iudices. Gentes vero non extinguentur omnino, ſed quædam relinquentur in victoriam Dei, vt triumphentur à iuſtis, ac ſubiugentur perpetuæ ſeruituti. Sub idem tempus etiam

G princeps dæmonum, qui eſt machinator omnium malorũ, catenis vincietur, & erit in cuſtodia annis cœleſtis imperii, quo iuſtitia in orbe regnabit, ne quod malum aduerſus populum Dei moliatur: poſt cuius aduentum congregabuntur iuſti ex omni terra, peractoque iudicio, ciuitas ſancta conſtituetur in medio terræ, in qua ipſe conditor Deus cum iuſtis dominantibus commoretur, quam ciuitatem Sibylla deſignat, cum dicit:

[illegible]
[illegible]

Tunc auferentur à mũdo tenebræ illæ, quibus offundetur atq; obcœcabitur, cœlum & luna claritudinem ſolis accipiet, nec minuetur vlterius. Sol autem ſepties tanto, quam nũc eſt, clarior fiet. Terra verò aperiet fœcunditatem ſuã, & vberrimas fruges ſua ſponte generabit. rupes montium melle ſudabunt: per riuos vina decurrent: & flumina lacte inundabunt. Mundus denique ipſe gaudebit, & omnis rerũ natura lætabitur, erepta & liberata dominio mali, & impietatis, & ſceleris, & erroris. Non beſtiæ per hoc tẽpus ſan-

H guine alentur, non aues præda, ſed quieta & placida erunt omnia. leones & vituli ad præſepe ſimul ſtabunt. lupus ouẽ non rapiet: canis non venabitur: accipitres & aquilæ non nocebunt: infans cum ſerpentibus ludet. Deniq; tũc fient illa, quæ poetæ aureis temporibus facta eſſe iam Saturno regnante dixerũt. Quorum error hinc ortus eſt, quod prophetæ futurorum pleraq; ſic proferunt, & enuntiant, quaſi iam peracta. Viſiones enim diuino ſpiritu offerebantur oculis eorum, & videbant illa in conſpectu ſuo quaſi fieri, ac terminari. Quæ vaticinia eorum cum paulatim fama vulgaſſet, quoniam profani à ſacramento ignorabant quatenus diceretur, completa iam eſſe veteribus ſeculis illa omnia putauerunt, quæ vtique fieri, complerique non poterant homine regnante. Cùm verò deletis religionibus impiis, & ſcelere compreſſo ſubiecta erit Deo terra:

Cedet

A *Cedet & ipſe mari vector, nec nautica pinus*
Mutabit merces, omnis feret omnia tellus.
Non raſtros patietur humus, non vinea falcem,
Robuſtus quoque iam tauris iuga ſoluet arator,
Tunc etiam molli flaueſcet campus ariſta,
Incultiſque rubens pendebit ſentibus vua;
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella
Nec varios diſcet mentiri lana colores.
Ipſe ſed in pratis aries, iam ſuaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto.
Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta Leones.

Quæ poëta ſecundum Cumææ Sibyllæ carmina prælocutus eſt. Erythræa vero ſic ait:

B [illegible]

Et alio loco de vbertate rerum,

[illegible]

Et alia eodem modo:

[illegible]

Viuent itaque homines tranquilliſſimam vitam, & copioſiſſimam, & regnabunt cum Deo pariter, & reges gentium venient à finibus terræ cum donis, ac muneribus, vt adorent, & honorificent regem magnum; cuius nomen erit præclarum, ac venerabile vniuerſis nationibus, quæ ſub cœlo erunt, & regibus qui dominabuntur in terra.

C
GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

[illegible], &c. i. *Totius enim terræ mortalium confuſio tunc erit, & ipſe omnipotens cum venerit tribunali iudicare viuorum, mortuorumque animas, & mundum vniuerſum.*
[illegible], &c. i. *Audite me homines: rex ſempiternus dominatur.*
[illegible], &c. i. *Vrbem, quam fecit Deus, eam fecit*
Clariorem aſtris, atque ſole, lunaque.
[illegible], &c. i. *Et tunc lupi cum agnis in montibus verſabuntur:*
Herbamque lynces pariter cum hædis paſcentur,
Vrſi cum vitulis ſimul omnibuſque pecoribus:
Carniuorus leo comedet paleas ad præſepia:
Cum infantibus dracones matrum orbis dormient.
[illegible], &c. i. *Tunc gaudium magnum Deus dabit hominibus: nam & terra & arbores, & innumerabilia terræ pecora dabunt fructum verum hominibus, vini, & mellis dulciſſimi, & candidi lactis, atque tritici: quod eſt hominibus optimum omnium.*
[illegible], &c. i. *Piorum autem ſolum ſancta terra omnia hæc feret,*
D *Fluentum mellis de petra, atque de fonte,*
Et lac immortalitatis manabit omnibus iuſtis.

De poſtremis temporibus deque vrbe Roma.

CAPVT XXV.

HÆc ſunt, quæ à prophetis futura dicuntur. quorum teſtimonia, & verba ponere opus non eſſe duxi: quoniam eſſet infinitum, nec tantam rerum multitudinem menſura libri caperet, tam multis vno ſpiritu ſimilia dicentibus, ſimulque ne faſtidium legentibus fieret, ſi ex omnibus collecta, & translata congererem; præterea vt ea ipſa, quæ dicerem, non noſtris ſed alienis potiſſimum literis confirmarem, docerémque, non modo apud nos, verum etiam apud eos ipſos, qui nos inſectantur, veritatem conſignatam teneri, quam recuſant agnoſcere. ſiquis autem diligentius hæc voluerit ſcire, ex ipſo fonte hauriat, & plura quam nos in his libris complexi ſumus, admirabilia reperiet. Fortaſſe quiſpiam nunc requirat, quando iſta, quæ diximus, ſint futura. * Iam ſuperius oſtendi, completis annorum ſex millibus mutationem iſtam fieri oportere, & iam propinquare ſummum illum concluſionis extremæ diem. De ſignis quæ prædicta ſunt à prophetis, licet noſcere. prædixerunt enim ſigna, quibus conſummatio temporũ & expectanda ſit nobis in ſingulos dies, & timenda. Quando tamen compleatur hæc ſumma, docent ij, qui de temporibus ſcripſerunt, colligentes ea ex literis ſanctis, & ex varijs hiſtorijs, quantus ſit numerus annorũ ab exordio mundi. qui licet varient, & aliquantum numeri eorum ſumma diſſentiat, omnis tamen expectatio non amplius, quam ducẽtorum videtur annorum. Etiam res ipſa declarat, lapſum, ruinamque rerum breui fore, niſi quod incolumi vrbe Roma nihil iſtiuſmodi videtur eſſe metuendum. At vero cum caput illud orbis occiderit, & ῥύμη eſſe cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt: quis dubitet veniſſe iam finem rebus humanis, orbique terrarum? illa eſt enim ciuitas, quæ adhuc ſuſtentat omnia: precandusque nobis & adorandus eſt Deus cœli, ſi tamen ſtatuta eius & placita differri poſſunt, ne citius, quam putemus tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cuius interitu mundus ipſe lapſurus eſt. Nunc ad cætera exequenda redeamus, quæ deinceps ſecutura ſunt. F

* *Vide notam ſuperius ad cap.* 14. Quod autem hic addit Lactantius à ſuo tempore ad finem vſque mundi tantum ſuperfuiſſe ducentos annos: & experientia ipſa, & manifeſta ratione erroris conuincitur. *Vide librum de Antichriſto P. Thomæ Maluendæ Theologi Dominicani lib. 2. cap. 30.*

De dæmonum emiſſione: alteroque maximo iudicio.

CAPVT XXVI.

DIximus paulò antè, in principio regni ſancti fore, vt à Deo princeps dæmonum vinciatur. Sed idem, cùm mille anni regni, hoc eſt ſeptem millia cœperint terminari, ſoluetur denuo & cuſtodia emiſſus exibit, atque omnes gentes, quæ tunc erunt ſub ditione iuſtorum, concitabit, vt inferant bellum ſanctæ ciuitati, & colligetur ex omni orbe terræ innumerabilis populus nationum, & obſidebit & circundabit ciuitatem. Tunc veniet nouiſſima ira Dei ſuper gentes, & debellabit eas vſque ad vnum. ac primùm concutiet terram validiſſime, & à motu eius ſcindentur montes Syriæ, & ſubſident colles in abruptum, & muri omnium ciuitatum corruent, & ſtatuet Deus ſolem triduo ne occidat, & inflãmabit eum, & deſcendet æſtus nimius, & adustio magna ſupra perduelles, & impios populos & imbres ſulfuris, & grandines lapidum & guttæ ignis, & liqueſcent ſpiritus eorum in calore, & corpora conterentur in grandine, & ipſi ſe inuicem gladio ferient, & replebuntur montes cadaueribus, & campi operientur oſſibus. Populus autem Dei tribus illis diebus ſub concauis terræ occultabitur, donec ira Dei aduerſus gentes extremum iudicium terminet. Tunc exibunt iuſti de latebris ſuis, & inuenient omnia cadaueribus, atque oſſibus tecta. Sed & genus omne impiorum radicitus interibit, nec erit in hoc mundo vlla iam natio amplius, præter ſolam gentem Dei, tum per annos ſeptem perpetes intactæ erunt ſiluæ, nec excidetur de montibus lignum. Sed arma gentium comburentur, & iam non erit bellum, ſed pax, & requies ſempiterna. Cum verò completi fuerint mille anni, renouabitur mundus à Deo, & cœlum complicabitur & terra mutabitur, & transformabit Deus homines in ſimilitudinem angelorum, & erunt candidi ſicut nix, & verſabuntur ſemper in conſpectu omnipotentis, & Domino ſuo ſacrificabunt, & ſeruient in æternum. H

Eodem tempore fiet ſecunda illa, & publica omnium reſurrectio, in qua excitabuntur iniuſti ad cruciatus ſempiternos. Ij ſunt, qui manu facta coluerunt, qui Dominum mundi, ac parentem vel neſcierunt, vel negauerunt.

Sed

A

Sed & Dominus illorum cum miniſtris ſuis comprehendetur, ad pœnamque damnabitur, cum quo pariter omnis turba impiorum pro ſuis facinoribus in conſpectu angelorum, atque iuſtorum perpetuo igni cremabitur in æternum. Hæc eſt doctrina ſanctorum prophetarum, quam Chriſtiani ſequimur: hæc noſtra ſapientia: quam illi, qui vel fragilia colunt, vel inanem philoſophiam tuentur, tanquam ſtultitiam vanitatemque derident, quia non defendere hanc publicè, atque aſſerere nos ſolemus, Deo iubente, vt quieti, ac ſilentes arcanum eius in abdito atque intra noſtram conſcientiam teneamus, nec aduerſus iſtos verè profanos, qui non diſcendi, ſed arguendi, atque illudendi gratia inclementer Deum, ac religionem eius impugnant, pertinaci cõtentione certemus. Abſcondi enim, tegique myſterium quàm fideliſſimè oportet, maximè à nobis, qui nomen fidei gerimus. Verùm illi hanc taciturnitatem noſtram, velut malam conſcientiam, criminantur. vnde etiam quaſdam execrabiles opiniones de pudicis, & innocentibus fingũt, & libenter his, quæ finxerunt, credunt.*

B

Sed omnia iam ſanctiſſime Imperator figmenta ſopita ſunt, ex quo te Deus ſummus ad reſtituendum iuſtitiæ domicilium, & ad tutelam generis humani excitauit. Quo gubernante Romanæ R.P. ſtatum, iam cultores Dei pro ſceleratis, ac nefarijs non habemur. Iam emergente, atque illuſtrata veritate non arguimur vt iniuſti, qui opera iuſtitiæ facere conamur. Nemo iam nobis Dei nomẽ exprobrat. Nemo irreligioſus vlterius appellatur, qui ſoli omnium religioſi ſumus; quoniam contemptis imaginib. mortuorum, viuum colimus, & verum Deum. Te prouidentia ſummæ diuinitatis ad faſtigiũ principale prouexit, qui poſſes vera pietate aliorum malè conſulta reſcindere, peccata corrigere, ſaluti hominum paterna clementia prouidere, ipſos denique malos à R.P. ſummouere, quos ſumma pietate deiectos, in manus tuas idem Deus tradidit, vt eſſet omnibus clarum, quæ ſit vera maieſtas. Illi enim, qui vt impias religiones defenderent, cœleſtis, ac ſingularis Dei cultum tollere voluerunt, profligati iacent. Tu autem, qui nomen eius defendis, & diligis, virtute, ac felicitate præpollens immortalibus tuis glorijs beatiſſ. frueris. Illi pœnas ſceleris ſui & pendunt, & pependerunt; te dextera Dei potens ab omnibus periculis protegit: tibi quietum, tranquillumque moderamen cum ſumma omnium gratulatione largitur.

Quæ ſunt inter has ſtellulas deſunt in plerisque antiquis codicibus

C

Nec immerito rerum dominus ac rector te potiſſimum delegit, per quem ſanctam religionem ſuam inſtauraret, quoniam vnus ex omnibus extitiſti, qui præcipua virtutis, & ſanctitatis exempla præberes, quibus antiquorum Principum gloriam, quos tamen fama inter bonos numerat, non modo æquares, ſed etiam (quod eſt maximum) præterires. Illi quidem natura fortaſſè tantum ſimiles iuſtis fuerunt. qui enim moderatorem vniuerſitatis Deum ignorat, ſimilitudinem iuſtitiæ aſſequi poteſt, ipſam verò non poteſt. Tu verò & morum ingenita ſanctitate, & veritatis, & Dei agnitione in omni actu iuſtitiæ opera conſummas. Erat igitur congruens, vt in formando generis humani ſtatu te auctore, ac miniſtro diuinitas vteretur. Cui nos quotidianis precibus ſupplicamus, vt te in primis quem rerum cuſtodem voluit eſſe cuſtodiat: deinde inſpiret tibi voluntatem, qua ſemper in amore diuini nominis perſeueres. Quod eſt omnibus ſalutare, & tibi ad felicitatem, & cæteris ad quietem. *Quoniam decurſis propoſiti operis ſeptem ſpatijs, ad metam *prouecti ſumus, ſupereſt, vt exhortemur omneis ad ſuſcipiendam cũ

al. peruecti

D

vera religione ſapientiam, cuius vis, & officium in eo vertitur, vt contemptis terreſtribus, & abiectis erroribus, quibus antea tenebamur, fragilibus ſeruientes, & fragilia cõcupiſcentes ad æterna cœleſtis theſauri præmia dirigamur: quæ vt capere poſſimus, quamprimũ omittendæ ſunt huius præſentis vitæ illicibiles voluptates, quæ animas hominũ pernicioſiſſima ſuauitate deliniunt. Quanta fœlicitas *exſtimanda eſt, ſubtractum his labibus terræ, proficiſci ad illum æquiſſimum iudicem parentemque indulgentiſſimum, qui pro laboribus requiem, pro morte vitam, pro tenebris claritatem, pro terrenis, ac breuibus bonis æterna, & cœleſtia largiatur, cum qua mercede acerbitates, ac miſeriæ, quas perpetimur in hoc mundo, facientes opera iuſtitiæ, conferri, & coæquari nullo modo poſſunt.

al. æſtimanda

E

Proinde ſi ſapientes, ſi beati eſſe volumus, cogitanda, & proponenda ſunt nobis non tantùm Terentiana illa, molendum eſſe vſque in piſtrinum, vapulandum, habendæ compedes, ſed his multo atrociora: carcer, catenæ, tormenta patienda, ſuſtinendi dolores, mors denique ipſa & ſuſcipienda & ferenda: cùm liqueat conſcientiæ noſtræ, nec fragilem iſtã voluptatem ſine pœna, nec virtutem ſine diuino præmio fore. Vniuerſos igitur oportet operam dare vel vt ſe quamprimum ad rectam viam dirigant, *vt ſuſceptis, operatiſq; virtutibus & huius vitæ laboribus patienter exactis, conſolatorem Deum habere mereantur. Pater enim noſter, ac Dominus, qui condidit, firmauitque cœlum, qui ſolem cum cæteris ſyderibus induait, qui libratam magnitudine ſua terram vallauit montibus, mari circumdedit, amnibuſque diſtinxit, &, quicquid eſt in hoc opere mundi, cõflauit, ac perfecit è nihilo, perſpectis erroribus hominum, ducem miſit, qui nobis iuſtitiæ viam panderet. hunc ſequamur omnes, hunc audiamus, huic deuotiſſimè pareamus, quoniam ſolus, vt ait Lucretius,

al. vel

F

Veridicis hominum purgauit pectora dictis:
Et finem ſtatuit cupedinis, atque timoris:*
Expoſuitque, bonum ſummum, quo tendimus omnes,
Quid foret, atque viam monſtrauit limite puro,*
Qua poſſemus ad id recto contendere curſu.

al. torpedinis

al. paruo

Nec monſtrauit tantum, ſed etiam præceſſit, ne quis difficultatis gratia iter virtutis horreret. Deſeratur (ſi fieri poteſt) via perditionis, & fraudis, in qua mors voluptatis illecebris adoperta celatur. Et quanto quiſque annis in ſenectutem vergentibus appropinquare cernit illum diem, quo ſit ei ex hac vita demigrandum, cogitet, quàm purus abſcedat, quàm innocens ad iudicem veniat, non vt faciũt †quorum cæcis mentibus, qui iam deficientibus corporis viribus, in hoc admonentur inſtantis vltimæ neceſſitatis, vt cupidius, vt ardentius hauriendis libidinibus incendant. Qua ex voragine liberet ſe quiſque, dum licet, dum facultas adeſt, ſeque ad Deum tota mente conuertat, vt illum diem ſecurus expectet, quo præſes, dominuſq; mũdi Deus de ſingulorum factis, cogitationibuſque iudicabit: quæcunque hic expetuntur, non tantum negligat, ſed & fugiat, potioremque animam ſuam iudicet, quàm bona iſta fallacia, quorum incerta & caduca poſſeſſio eſt. migrãt enim quotidie & multo velocius exeunt, quàm intrauerant, & tamen ſi nobis vſque ad vltimum liceat iſtis frui, alijs certè relinquenda ſunt. Nihil nobiſcum ferre poſſumus, niſi vitam bene, atque innocenter actam. Ille ad Deũ copioſus, ille opulentus adueniet, cui aſtabunt continentia, miſericordia, patientia, charitas, fides. Hæc eſt hæreditas noſtra, quæ nec eripi cuiquam, nec transferri ad alterũ poteſt. Et quis eſt, qui hæc bona parare, ac adquirere ſibi velit? Veniant, qui eſuriunt, vt cœleſti cibo ſaturati, ſempiternam famem ponant, veniant, qui ſitiunt, vt aquam ſalutarem de perenni, cœleſtique fonte pleniſſimis faucibus trahant. Hoc cibatu, atque potu Dei & cæci videbũt & ſurdi audient, & muti loquentur, & claudi ambulabũt, & ſtulti ſapient, & ægroti valebunt, & mortui reuiuiſcent. Quiſquis enim corruptelas terræ virtute calcauerit, hunc arbiter ille ſummus, & verax ad lucem, vitamque perpetuam ſuſcitabit. Nemo diuitijs, nemo faſcibus, nemo etiam regia poteſtate confidat. immortalem iſta nõ faciunt. Namquicumque rationem hominis abiecerit, ac præſentia ſecutus, in humum ſeipſe proſtrauerit: tanquam deſertor Domini, & imperatoris, & patris ſui punietur. Intendamus ergo iuſtitiæ, quæ nos inſeparabilis comes ad Deũ ſola perducet, &, dum ſpiritus hos regit artus, infatigabilem militiam Deo militemus, ſtationes, vigiliaſque celebremus, congrediamur cum hoſte, quem nouimus, fortiter, vt victores, ac deuicto aduerſario triumphantes, præmium virtutis, quod ipſe promiſit, à Domino conſequamur.

al. quidam

G

H

A

L. COELII FIRMIANI LACTANTII DIVINARVM INſtitutionum,

AD DONATVM,

LIBER VNVS: DE IRA DEI.

Prœmium in quo de ſapientia diuina, & humana.

CAPVT I.

ANimaduerti ſæpe, Donate, plurimos exiſtimare (quod etiã nonnulli philoſophorũ putauerunt) non iraſci Deum, quoniam vel benefica ſit tantummodo natura diuina, nec cuiquam nocere, præſtantiſſimæ, atque optimæ congruat poteſtati, vel certè nil curet omnino, vt neque ex beneficẽtia eius quicquam boni perueniat ad nos, neque ea maleficentia quicquam mali. Quorum error, quia maximus eſt, & ad euertendum vitæ humanæ ſtatum ſpectat, coarguendus eſt à nobis, ne ipſe fallans, impulſus auctoritate hominum, qui ſe putant eſſe ſapientes. Nec tamen nos tam arrogantes ſumus, vt comprehenſam noſtro ingenio veritatem gloriemur: ſed doctrinam Dei ſequimur, qui ſcire ſolus poteſt, & reuelare ſecreta. Cuius doctrinæ philoſophi expertes, exiſtimauerunt naturam rerum coniectura poſſe deprehendi. Quod nequaquam fieri poteſt: quia mens hominis, tenebroſo corporis domicilio circumſepta, (a) longè à veri perſpectione ſummota eſt: & hoc differt ab humanitate diuinitas, quod humanitatis eſt ignoratio, diuinitatis ſcientia. Vnde nobis aliquo lumine opus eſt ad depellendas tenebras, quibus offuſa eſt hominis cogitatio, quoniam in carne mortali agentes, noſtris ſenſibus diuinare non poſſumus. Lumen autem mentis humanæ Deus eſt. quem qui cognouerit, & in pectus admiſerit, illuminato corde myſterium veritatis agnoſcet. remoto autem Deo cœleſtique doctrina, omnia erroribus plena ſunt. recteque Socrates, cùm eſſet omniũ philoſophorum doctiſſimus, tamen vt cæterorum argueret inſcitiam, qui ſe aliquid tenere arbitrabantur, ait ſe nihil ſcire, niſi vnum, quod nihil ſciret. Intellexit enim, doctrinam illam nihil habere in ſe certi, nihil veri, nec, vt putabant quidam, diſſimulauit † ipſam doctrinam, vt alios refelleret, ſed vidit ex parte aliqua veritatem, teſtatuſque eſt etiam in iudicio (ſicut traditur à Platone) quòd nulla eſſet humana ſapientia: adeoque doctrinam, qua tum philoſophi gloriabantur, contempſit, deriſit, abiecit, vt id ipſum pro ſumma doctrina profiteretur, quod nihil ſcire didiciſſet. Si ergo nulla eſt ſapientia humana, vt Socrates docuit, vt Plato tradidit, apparet eſſe diuinam, nec vlli alij quàm Deo, veritatis notitiam ſubiacere. Deus igitur noſcendus eſt, in quo † ſola veritas eſt. Ille mundi parens, & conditor rerum, qui oculis non videtur, mente via cernitur. Cuius religio multis modis impugnari ſolet ab iis, qui neque veram ſapientiam tenere potuerunt, neque magni, & cœleſtis arcani comprehendere rationem.

B

C

al. ipſe

al. ſolo

D

SCHOLIA.

(a) Longè à Dei] *erat in libris impreſſis*, longe à veri perſpectione, *legendum eſt ex antiquis codicibus. nam hic vult probare cognitionem omnem veritatis eſſe à Deo, de cognitione autem Dei, hoc eſt de modo, quo Deus cognoſcitur, verbum nullum.*

De veritate, deque eius gradibus.

CAPVT II.

E

NAm cùm ſint gradus multi, per quos ad domicilium veritatis aſcenditur, non eſt facile cuilibet euehi ad ſummum. Caligantibus enim veritatis fulgore luminibus, qui ſtabilem greſſum tenere non poſſunt, reuoluuntur in planum. Primus autem gradus eſt, intelligere falſas religiones, & abiicere impios cultus Deorum humana manu fabricatos. Secundus verò, perſpicere animo, quod vnus ſit Deus ſummus, cuius poteſtas ac prouidentia effecerit à principio mundum, & gubernet in poſterum. Tertius, cognoſcere miniſterium eius, ac nuncium, quem legauit in terram, quo docente liberati ab errore, quo implicati tenebamur, formatique ad veri Dei cultum, iuſtitiam diſceremus, ex quibus omnibus gradibus, vt dixi, pronus eſt lapſus, & facilis ad ruinam, niſi pedes inconcuſſa ſtabilitate figantur. De primo gradu eos excuti videmus, qui, cum falſa intelligant, tamen verum non inueniunt, contemptiſque terrenis, fragilibuſque ſimulachris, non ad colendum ſe Deum conferunt, quem ignorant, ſed mundi elementa mirantes, cœlum, terram, mare, ſolem, lunam, cæteraque aſtra venerantur. Sed imperitiam horum iam coarguimus in ſecundo diuinarum inſtitutionum libro. De ſecundo verò gradu eos dicimus cadere, qui conſentiunt, vnum eſſe ſummum Deum. iidem tamen à philoſophis irretiti, & falſis argumentationibus capti, aliter de vnica illa maieſtate ſentiunt, quàm veritas habet, qui aut figuram negant habere vllam Deum, aut vllo affectu commoueri putant, quia ſit omnis affectus imbecillitatis, quæ in Deo nulla eſt. De tertio vero præcipitantur, qui cùm ſciant legatum Dei, eundemque diuini, & immortalis tẽpli conditorem; tamen aut non accipiunt eum, aut aliter accipiunt, quam fides poſcit. † quos ex parte iam refutauimus in quarto ſupradicti operis libro; & refutabimus poſt ea diligentius cùm reſpondere ad omnes ſectas cœperimus, quæ veritatem, dum diſputant, perdiderunt. Nũc verò contra eos diſſeremus, qui de ſecundo gradu lapſi praua de ſummo Deo ſentiunt. Aiunt enim quidam, nec gratificari eum cuiquam, nec iraſci, ſed ſecurum, & quietum immortalitatis ſuæ bonis perfrui. † Illi vero iram tollunt, gratiam relinquunt Deo. naturã enim ſumma virtute præſtantem, vt non maleficam ſic beneficam eſſe debere, ita omnes philoſophi de ira conſentiunt, de gratia diſcrepant. Sed vt ad propoſitam materiam per ordinem deſcẽdat oratio, huiuſmodi facienda nobis, & exequenda partitio eſt, cum diuerſa & repugnantia ſint, ira & gratia. Aut ira tribuenda eſt deo, & gratia detrahenda, aut vtrumque detrahendum: Aut ira demenda eſt, & gratia tribuenda, aut neutrum tribuendum. Aliud amplius præter hæc nihil poteſt capere natura, vt neceſſe ſit, in vno aliquo iſtorum verum quod quæritur inueniri. Conſideremus ſingula, vt nos ad latebras veritatis, & ratio, & ordo deducat.

al. fabricatorum

F

al. quod

G

al. alii

al. ſequenda

al. neutrũ

SCHOLIA.

H

(a) Aut vtrumque pariter detrahendum) *erat in libris impreſſis.* aut vtrumque tribuendum, *habet codex antiquus, alter vero codex ſancti Saluatoris habet*: aut neutrum detrahendum. *vtraque lectio idem ſignificat, & eſt optima. quia, vt ſint quatuor membra inuicem ſeparata, non poteſt aliter quam aliquo illorum modorum legi: quod ſi legamus,* aut vtrumque pariter detrahendum, *vt eſt in libris impreſſis, erit hoc ſecundum membrum, idem cum quarto, cum ait: aut neutrum tribuendum.*

De bonis, & malis in rebus humanis, eorumque auctore.

CAPVT III.

PRimum illud nemo de Deo dixit vnquam, iraſci eum tantummodo, & gratia non moueri. eſt enim diſconueniens

al. inconueniens

A ueniens Deo, vt eiuſmodi poteſtate ſit prǽditus, qua noceat, & obſit; prodeſſe verò, ac benefacere nequeat. Quæ igitur ratio, quæ ſpes ſalutis hominibus propoſita eſt, ſi malorum tantum modo auctor eſt Deus? Quod ſi ſit: iam maieſtas illa venerabilis, non ad iudicis poteſtatem, cui licet ſeruare, ac liberare, ſed ad tortoris, & carnificis officiũ dedocetur. Cùm autem videamus, non modò mala eſſe in rebus humanis, ſed bona: etiam (*a*) vtique ſi Deus eſt auctor malorum, eſſe alterum neceſſe eſt, qui contraria Deo faciat, & det nobis bona. Si eſt, quo nomine appellandus eſt, aut cur nobis qui malè faciat, notior eſt, quam ille, qui benè? Si autem nihil poteſt eſſe præter Deum, abſurdum eſt & vanum, diuinam putare poteſtatem, qua nihil eſt maius, nihil melius, nocere poſſe, prodeſſe non poſſe, & ideo nemo extitit, qui auderet id dicere, quia nec rationẽ habet, nec vllo modo poteſt credi. Quod quia conuenit, tranſeamus, & veritatem alibi requiramus.

SCHOLIA.

(*a*) Vtique ſi Deus non eſt, auctorem eſſe alterum neceſſe eſt] *legebatur in libris impreſſis, qui locus ſane ab aliquo Manichæo corruptus erat.* vtique ſi Deus eſt auctor malorum, eſſe alterum neceſſe eſt, *legendum eſt, ex antiquis codicibus. quæ ſententia directò repugnat cum hæreſi Manichæorum, qui Deum faciebant auctorem malorum, ad quam tuendam multa loca Manichæi in hoc auctore, vt ſupra docuimus, corruperant. hunc etiam quia tam apertè cum eorum opinione repugnabat, obſcurauerant. eſt autem argumentum deducens ad abſurdum, hoc modo: ſi per te, Deus eſt auctor malorum, neceſſe eſt, quod alius ſit auctor bonorum: & hic ſane eſſet melior Deo, & nobis eſſet notior. hoc vero eſt abſurdum. ergo illud quod à te ponebatur, Deum eſſe auctorem malorum, eſt multo abſurdius.*

B

De Deo deque eius affectibus, & ibi Epicuri reprehenſio.

CAPVT IV.

QVod ſequitur, de ſchola Epicuri eſt, ſicut iram in Deo non eſſe, ita nec gratiam quidem. Nam cum putaret Epicurus alienum eſſe à Deo, malum facere, atque nocere, quod ex affectu iracundiæ plerumque naſcitur: ademit ei etiam beneficentiam, quoniam videbat conſequens eſſe, vt ſi habeat iram Deus, habeat & gratiam. Itaque ne illi vitium concederet, etiam virtutis fecit expertem. Ex hoc, inquit beatus, & incorruptus eſt, quia nihil curat, neque habet ipſe negotium, neque alteri exhibet. Deus igitur non eſt, ſi nec mouetur, quod eſt proprium viuentis: nec facit aliquid impoſſibile homini, quod eſt proprium Dei, ſi omnino nullam habet voluntatem, nullũ actum, denique nullam adminiſtrationem, quæ Deo digna ſit. Et quæ maior, & quæ dignior adminiſtratio Deo aſſignari poteſt, quam mundi gubernatio, quam cura viuentium, maximeque generis humani, cui omnia terrena ſubiecta ſunt? Quæ igitur in Deo poteſt eſſe beatitudo, ſi ſemper quietus & immobilis torpet? ſi precantibus ſurdus, ſi colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam prouidentia? Sed ſi nihil curat, nihil prouidet, amiſit omnem diuinitatem. Qui ergo totam vim, totam Deo ſubſtantiam tollit, quid aliud dicit, niſi Deum omnino non eſſe? Denique M. Tullius à Poſſidonio dictum refert, id Epicurum ſenſiſſe, nullos Deos eſſe, ſed ea quæ de diis locutus ſit, depellendæ inuidiæ cauſa dixiſſe: itaque verbis illum Deos relinquere, re autem ipſa tollere, quibus nullum motum, nullum tribuit officium. Quod ſi ita eſt: quid eo fallacius? quod à ſapiente, & graui viro debet eſſe alienum. Hic vero ſi aliud ſenſit, & aliud locutus eſt, quid aliud appellandus eſt quam deceptor, bilinguis, malus, & propterea ſtultus? Sed non erat tam verſutus Epicurus, vt fallendi ſtudio iſta loqueretur, cum hæc etiam ſcriptis ad æternam memoriã † conſignemus: ſed ignorantia veritatis errauit. † inductus enim à principio veriſimilitudine vnius falſæ ſententiæ, neceſſario in ea, quæ ſequebantur, incurrit. Prima enim ſententia fuit iram Deo non conuenire. Quòd cum

C

D

al. conſignatis

al. inductus

E illi verum, & inexpugnabile videretur, non poterat conſequentia reſecare, quia vno affectu amputato, etiam cæteros affectus adimere Deo, neceſſitas ipſa cogebat. Ita qui non iraſcitur, vtique nec gratia mouetur, quod eſt iræ contrarium. iam ſi non ira in eo, nec gratia eſt, vtique nec metus, nec lætitia, nec mœror, nec miſericordia. Vna eſt enim ratio cunctis affectibus, vna commotio, quæ in Deũ cadere non poteſt. Quod ſi nullus affectus in Deo eſt, quia quicquid afficitur, imbecillum eſt: ergo nec cura vllius rei nec prouidentia eſt in eo. Hucuſque peruenit ſapientis hominis diſputatio, cætera, quæ ſequuntur, obticuit. ſcilicet, quia nec cura ſit in eo, nec prouidentia. ergo nec cogitationem aliquam, nec ſenſum in eo eſſe vllum; quo efficitur, vt non ſit omnino. Ita cum gradatim deſcendiſſet, in extremo gradu conſtitit, quia iam præcipitium videbat. Sed quid prodeſt reticuiſſe, ac periculum diſſimulaſſe? Neceſſitas illum vel inuitum cadere coegit. Dixit enim quod noluit, quia argumentum ſic ordinauit, vt ad illud, quod euitabat, neceſſario deueniret. Vides igitur quo † perueniatur, ira ſublata, & Deo adempta. Denique aut nullus id credit, aut admodum pauci, & quidem ſcelerati ac mali, qui ſperant peccatis ſuis impunitatem. Quod ſi & hoc falſum inuenitur, nec iram in Deo eſſe, nec gratiam: veniamus ad illud, quod tertio loco poſitum eſt.

al. reſtitit

al. perueniat

F

De Deo: deque eo Stoicorum ſententia: de ira & gratia eius.

CAPVT V.

EXiſtimantur Stoici, & alij nonnulli, aliquanto melius de diuinitate ſenſiſſe, qui aiunt, gratiam in Deo eſſe, iram non eſſe. Fauorabilis admodum, ac popularis oratio, non cadere in Deum hanc animi puſillitatem, vt ab vllo ſe læſum putet, qui lædi non poteſt, vt quieta illa, & ſancta maieſtas concitetur, perturbetur, inſaniat, quod eſt terrenæ fragilitatis. Iram enim commotionem mentis eſſe, ac perturbationem, quæ ſit à Deo aliena. Quod ſi hominem quoque, qui modo ſit ſapiens, & grauis, ira non deceat [ſiquidem, cum in animum cuiuſquam incidit, velut ſæua tempeſtas tantos excitet fluctus, vt ſtatum mentis immutet, ardeſcant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet nunc ſuffuſus rubor, nunc pallor albeſcens] quantò magis Deum non deceat tam fœda mutatio. Et ſi homo, qui habet imperium, ac poteſtatem, latè noceat per iram, ſanguinem fundat, vrbes ſubuertat, populos deleat, prouincias ad ſolitudinem redigat, quanto magis Deum qui habeat totius generis humani, & ipſius mundi poteſtatem, perditurum fuiſſe vniuerſa, ſi iraſceretur? Abeſſe igitur ab eo tam magnum, tam pernicioſum malum oportere, & ſi abſit ab eo ira, & concitatio, quia & deformis, & noxia eſt, nec cuiquam malè † facit, nihil aliud ſupereſt niſi vt ſit lenis, tranquillus, propitius, beneficus, conſeruator. Ita enim demum & communis omnium pater, & optimus, & verè maximus dici poterit. quod expetit diuina cæleſtiſque natura. Nam ſi inter homines laudabile videtur prodeſſe potius, quam nocere, viuificare, quam occidere, ſaluare, quam perdere (nec immerito innocentia inter virtutes numeratur) & qui hæc fecerit, diligitur, præfertur, honoratur, benedictis omnibus, votiſque celebratur, denique ob merita, & beneficia Deo ſimillimus iudicatur: quanto magis ipſum Deũ par eſt diuinis, perfectiſque virtutibus præcellentem, atq; ab omni terrena labe ſummotum, diuinis, & cæleſtibus beneficiis omne genus hominum permereri? Specioſe iſta, populariterque dicuntur, & multos illiciunt ad credendum: ſed qui hæc ſentiunt, ad veritatem quidem propius accedunt, ſed in parte labuntur, naturam rei parum conſiderantes. Nã ſi Deus non iraſcitur impiis, & iniuſtis, nec pios vtique iuſtoſque diligit. Ergo conſtantior eſt error illorum, qui & iram ſimul, & gratiam tollunt. In rebus enim diuerſis, aut in vtramque partem moueri neceſſe eſt, aut in neutram. Itaque qui bonos diligit, & malos odit: & qui malos non odit, nec bonos diligit: quia & diligere bonos, ex odio malorum venit: & malos odiſſe, ex

G

al. faciat

al. ſupereſſe

H

A bonorum charitate deſcēdit. Nemo eſt, qui amet vitam ſine odio mortis, nec appetat lucem, niſi qui tenebras fugit. Adeo natura iſta connexa ſunt, vt alterum ſine altero fieri nequeat. Si quis dominus habens in familia ſeruos, bonum, ac malum, non vtique aut ambos odit, aut ambos beneficiis, & honore proſequitur, quod ſi faciet, & iniquus, & ſtultus eſt: ſed bonum & alloquitur amicè, & ornat, & domui, ac familiæ, ſuiſque omnibus rebus præficit: malum vero maledictis, verberibus, nuditate, fame, ſiti compedibus punit, vt & hic exemplo cæteris ſit ad non peccandum: & ille ad promerendum: vt alios metus coërceat, alios honor prouocet. Qui ergo diligit, & odit, qui odit, & diligit. ſunt enim qui diligi debeant, ſunt, qui odio haberi. Et ſicut is, qui diligit, confert bona in eos quos diligit, ita qui odit, irrogat mala iis, quos odio habet. quod argumentum quia verum eſt, diſſolui nullo pacto poteſt. Vana ergo, & falſa eſt ſententia eorum, qui alterum Deo tribuunt, alterum detrahunt, (a) non minus, quàm illorum qui vtrumque detrahunt. Sed illi, vt oſtendimus, ex

B parte non errant, ſed id quod melius eſt ex duobus, retinent. Ij verò, quos ratio, & veritas argumenti huius induxit, falſa omnino ſententia ſuſcepta, in maximum errorem cadunt. Non enim ſic oportebat eos argumentari: Quia Deus non iraſcitur, ergo nec gratia commouetur: ſed ita: Quia Deus gratia mouetur, ergo & iraſcitur. Si enim certū, & indubitatum fuiſſet, non iraſci Deum, tunc ad illud alterum venire, eſſet neceſſe. Cum autem magis ſit ambiguum de ira, penè manifeſtum de gratia, abſurdum eſt, ex incerto certum velle ſubuertere, cum ſit promptius de certis incerta firmare.

SCHOLIA.

(a) Non minus quam illorum qui vtrumque detrahunt] *ſic eſt in antiquis codicibus, & ſic omnino legendum eſt. nam ſi poſt, vtrumque, non addas detrahunt, intelligi poſſet, eorum, qui vtrumque Deo tribuunt, falſam eſſe orationem, cum tamen ſit veriſſima.*

C

De ſententia de Deo tuenda Chriſtiana.

CAPVT VI.

HÆ ſunt de Deo philoſophorum ſententiæ. Aliud præterea nihil quiſquam dixit. Quòd hæc ſic, quæ dicta ſunt, falſa eſſe deprehendimus, vnum illud extremum ſupereſt, in quo ſolo poſſit veritas inueniri, quod à philoſophis nec ſuſceptum eſt vnquam, nec aliquando defenſum, conſequens eſſe, vt iraſcatur Deus, quoniam gratia commouetur. Hæc tuenda nobis, & aſſerenda ſententia eſt. In ea enim ſumma omnis, & cardo religionis, pietatiſque verſatur. Nam neque honos vllus deberi poteſt Deo, ſi nihil præſtat colenti, nec vllus metus, ſi non iraſcitur non colenti.

D

De homine, & brutis, & religione.

CAPVT VII.

CVm ſæpè philoſophi per ignorantiam veritatis à ratione deciderint, atque in errores inciderint inextricabiles (id enim ſolet his euenire, qui viatori viam neſcienti, & non fatenti ſe ignorare, vt * vagatur, dum percontari obuios erubeſcit) illud tamen nullus philoſophus aſſeruit vnquam, nihil inter hominem, & pecudem intereſſe: nec omnino quiſquam, modo qui ſapiens videri vellet, rationale animal cum mutis, & irrationabilibus coæquauerit: quod faciunt quidam imperiti, atque ipſis pecudibus* ſimiles qui cum ventri, ac voluptati ſe velint tradere, aiunt, eadem ratione ſe natos, qua vniuerſa, quæ ſpirant. quod dici ab homine nefas eſt. Quis enim tam indoctus eſt, vt neſciat? quis tam imprudens, vt non ſentiat aliquid ineſſe in homine diuini? Nondum venio ad virtutes animi, & ingenij, quibus homini cum Deo manifeſta cognatio eſt. Nonne ipſius corporis ſtatus, & oris figura declarat

al. vagetur

al. ſimilium

E non eſſe nos cum mutis pecudib. æquales? Illarū natura in humum, pabulumque proſtrata eſt, nec habet quicquam commune cum cœlo, quod non intuetur. Homo autem recto ſtatu, ore ſublimi, ad contemplationem mundi excitatus, confert cum Deo vultum, & rationem ratio cognoſcit. Propterea nullum eſt animal, vt ait Cicero, præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei. Solus enim ſapientia inſtructus eſt, vt religionem ſolus intelligat. & hæc eſt hominis, atque mutorum vel præcipua, vel ſola diſtantia. Nam cætera, quæ videntur hominis eſſe propria, etſi non ſint talia in mutis, tamen ſimilia videri poſſunt. Proprius homini ſermo eſt: tamen & in illis quædam ſimilitudo ſermonis. Nam & dignoſcunt inuicem ſe vocibus: &, cùm iraſcuntur, edunt ſonum iurgio ſimilem, &, cum ſe ex interuallo vident, gratulandi officium voce declarāt. Nobis quidem voces eorum videntur inconditæ, ſicut illis fortaſſe noſtræ, ſed ipſis, qui ſe intelligunt, verba ſunt,

F denique in omni effectu certas vocis notas exprimūt quibus habitum mentis oſtendant. Riſus quoque eſt homini proprius, & tamen videmus in aliis animalibus quædam ſigna lætitiæ, cum ad luſum geſtiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem ſerenant, oculos in laſciuiam reſoluunt. Quid tam proprium homini, quam ratio & prouidentia futuri? Atqui ſunt animalia, quæ latibulis ſuis diuerſos & plures exitus pandant, vt ſi quod periculum inciderit, fuga pateat obſeſſis, quod non facerent, niſi ineſſet intelligentia, & cogitatio. Alia prouident in futurum:

Vt ingentem formicæ farris aceruum
Comportant, hyemis memores, tectoque reponunt.

vt apes,

Quæ patriam ſolæ, & certos nouere penates;
Venturaque hyemis memores, æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt.

Longum eſt, ſi exequi velim, quæ à ſingulis generibus animalium fieri ſoleant humanæ ſolertiæ ſimilia. Quod ſi honum omnium, quæ aſcribi homini ſolent, in * multis quoque deprehenditur ſimilitudo: apparet ſolam eſſe religionem, cuius in mutis nec veſtigium aliquod, nec vlla ſuſpicio inueniri poteſt. Religionis eſt propria iuſtitia, quam nullum aliud animal attingit. Homo enim ſolus imperat: cætera ſibi conciliata ſunt. Iuſtitiæ autem Dei cultus aſcribitur, quem qui non ſuſcipit, hic à natura hominis alienus, vitam pecudum ſub humana ſpecie viuet; cum verò à cæteris animalibus hoc penè ſolo differamus, quod ſoli omnium diuinam vim, poteſtatemque ſentimus, in illis autem nullus ſit intellectus Dei: certè illud fieri non poteſt, vt in hoc vel muta plus ſapiant, vel humana natura deſipiat, cùm homini ob ſapientiam & cuncta, quæ ſpirant, & omnis rerum natura ſubiecta ſit. Quare ſi ratio, ſi ius hominis hoc præcellit, & ſuperat cæteras animantes, quod ſolus notitiam Dei capit: apparet religionem nullo modo poſſe diſſolui.

mutis

G

De religione.

CAPVT VIII.

DIſſoluitur autem religio, ſi credamus Epicuro illa dicenti:

H

Omnis enim per ſe diuum natura neceſſe eſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur,
Semota à noſtris rebus, ſeiunctaque longè.
Iam priuata dolore omni, priuata periclis,
*Ipſa ſuis pollens opibus, * nil indiga noſtri,*
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

al. nihil

Quæ cum dicit, vtrum aliquem cultum Deo putat eſſe tribuendum, an euertit omnē religionem? Si enim Deus nihil † vnquam boni tribuit, ſi colentis obſequio nullam gratiā refert: quid tam vanum, tam ſtultū, quam tēpla ædificare, ſacrificia facere, dona conferre, rem familiarē minuere, vt nihil aſſequamur? At enim naturam excellentem honorari oportet. Quis honos deberi poteſt nihil curanti, & ingrato? An aliqua ratione obſtricti eſſe poſſumus ei, qui nihil habeat commune nobiſcum? Deus, inquit Cic. ſi talis

al. cuiquā

eſt,

A eſt, vt nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat. Quid enim dicā propitius ſit? eſſe enim propitius poteſt nemini. Quid contemptius dici potuit in Deum? Valeat, inquit, id eſt abeat, & recedat, quandoquidem prodeſſe nulli poteſt. Quod ſi negotium Deus nec habet, nec exhibet, cur non ergo delinquamus, quoties hominum conſcientiam fallere licebit, ac leges publicas circumſcribere? Vbicunque nobis latendi occaſio arriſerit: conſulamus rei, auferamus aliena vel ſine cruore, vel etiam cum ſanguine, ſi præter leges nihil eſt amplius, quod verendum ſit. Hæc dum ſentit Epicurus, religionem funditus delet, qua ſublata, confuſio, ac perturbatio vitæ ſequitur. Quòd ſi religio tolli non poteſt, vt & ſapientiam, qua diſtamus à belluis, & iuſtitiam retineamus, qua communis vita ſit tutior: quomodo religio ipſa ſine metu teneri aut cuſtodiri poteſt? quod enim non metuitur contemnitur, quod contemnitur, vtique nō colitur. ita fit, vt religio & maieſtas, & honor metu conſtet, metus autem non eſt, vbi nullus iraſcitur. Siue igitur gratiam Deo ſiue iram, ſiue vtrumque

B detraxeris, religionem tolli neceſſe eſt, ſine qua vita hominum ſtultitia, ſcelere, immanitate completur. Multū enim refrenat homines conſcientia, ſi credamus nos in conſpectu Dei viuere, ſi non tantum quæ gerimus, videri deſuper, ſed etiam quæ cogitamus, aut loquimur, audiri à Deo putemus. At enim prodeſt id credere, vt quidam putant, non veritatis gratia, ſed vtilitatis, quoniam leges conſcientiam punire non poſſunt, niſi aliquis deſuper terror * impendat ad cohibenda peccata. Falſa eſt igitur omnis religio, & diuinitas nulla eſt. Sed à viris prudentibus vniuerſa * confecta ſunt, quo rectius, innocentiuſque viuatur. Magna hæc, & à materia, quam propoſuimus, aliena quæſtio eſt: ſed quia neceſſario incidit, debet † quam breuiter attingi.

al. impendeat

al. conficta

al. quàm

De Dei prouidentia: deque ſententiis illi repugnantibus.

CAPVT IX.

CVM ſententię philoſophorum prioris tēporis de prouidentia conſenſiſſent, nec vlla eſſet dubitatio, quin mundus à Deo, & ratione eſſet inſtructus, & ratione regeretur: primus omnium Protagoras extitit temporibus Socratis, qui ſibi diceret non liquere, vtrum eſſet aliqua diuinitas, nec ne. Quæ diſputatio eius adeo impia, & contra veritatem, & religionem iudicata eſt, vt & ipſum Athenięnſes expulerint ſuis finibus, & libros eius in concione, quibus hæc continebantur, exuſſerint. De cuius ſententia nō

C eſt opus diſputare, quia nihil certi pronunciauit. Poſt hæc Socrates, & auditor eius Plato, & qui de ſchola Platonis, tanq̃ riuuli diuerſas in partes profluxerunt, Stoici, & Peripatetici in eadem fuere ſententia, qua priores. Poſtea vero Epicurus Deum quidem eſſe dixit, quia neceſſe ſit eſſe aliquid in mundo præſtans & eximium, & beatum, prouidentiam tamen nullam: itaque mundum ipſum nec ratione vlla, nec arte, nec fabrica inſtructum, ſed naturam rerū quibuſdam minutis ſeminibus, & inſecabilibus conglobatam. Quo quid repugnantius dici poſſit, non video. Etenim ſi eſt Deus, vtique prouidens eſt, vt Deus, nec aliter ei poteſt diuinitas attribui, niſi & præterita teneat, & præſentia ſciat, & futura proſpiciat. Dum igitur prouidentiam ſuſtulit, etiam Deum negauit eſſe. Cum autem Deum eſſe profeſſus eſt, & prouidentiam ſimul eſſe conceſſit. Alterū

D enim ſine altero nec eſſe prorſus, nec intelligi poteſt. Verū iis poſtea temporibus quibus iam philoſophia defloruerat, extitit Athenis quidam Diagoras, qui nullum eſſe omnino Deum diceret, ob eamque ſententiam nominatus eſt ἄθεος; item Cyrenæus Theodorus. Ambo, quia nihil noui poterant reperire, omnibus iam dictis, & inuentis, maluerunt vel contra veritatem id negare, in quo priores vniuerſi ſine ambiguitate conſenſerant. Ij ſunt, qui tot ſeculis, & ingeniis aſſertam, atque defenſam prouidentiam calumniati ſunt. Quid ergo? vtrumne iſtos minutos, & inertes philoſophos ratione, an vero auctoritate præſtantiū virorum refellemus? an potius vtroque? Sed properandum eſt: ne longius à materia deuagetur oratio.

De mundi ortu: & rerum natura, & Dei prouidentia.

CAPVT X.

E QVi nolunt diuina prouidentia factum eſſe mūdum, aut principiis inter ſe temerè coëuntibus dicunt eſſe concretum, aut repente natura extitiſſe: naturam verò vt ait Straton, habere in ſe vim gignendi, & minuendi, ſed eā nec ſenſum habere vllum, nec figuram, vt intelligamus, omnia quaſi ſua ſponte eſſe generata, nullo artifice, nec auctore. Vtrumque vanum, & impoſſibile. Sed hoc euenit ignorantibus veritatem, vt quiduis potius excogitent, quā id ſentiant, quod ratio depoſcit. Primum minuta illa ſemina, quorum concurſu fortuito totum † coiſſe mundum loquuntur, vbi aut vnde ſint, quæro, quis illa vidit vnquā? quis ſenſit? quis audiuit? An ſolus Leucippus oculos habuit? ſolus mentem? qui profectò ſolus omnium cæcus, & excors fuit, qui ea loqueretur quæ nec æger quiſquam de-

al. cohæſiſſe

F litare, nec dormiens poſſit ſomniare. Quatuor elementis conſtare omnia philoſophi veteres diſſerebant, ille noluit, ne alienis veſtigiis videretur inſiſtere, ſed ipſorum elementorum alia voluit eſſe primordia, quæ nec videri poſſint nec tāgi, nec vlla corporis parte ſentiri. Tam minuta ſunt, inquit, vt nulla ſit acies ferri tam ſubtilis, qua ſecari, ac diuidi poſſint. vnde illis nomen impoſuit atomorum. Sed occurrebat ei, quod ſi vna eſſet omnibus, eademque natura, non poſſent res efficere diuerſas, tanta varietate quātam videmus ineſſe mundo. Dixit ergo, leuia eſſe, & aſpera, & rotunda, & angulata, & hamata. Quantò melius fuerat tacere, quam in vſus tam miſerabiles, tam inanes, habere linguam! & quidem vereor, ne non minus delirare videatur, qui hæc putet refellenda. reſpondeamus tamen velut aliquid dicenti. Si leuia ſunt, & rotunda, vtique non poſſunt inuicem ſe apprehendere, vt aliquod corpus efficiāt, vt ſi quis milium velit in vnam coagmentationem conſtringere, leuitudo ipſa granorum in maſſam coire non ſi-

G nat. Si aſpera, & angulata ſunt, & hamata, vt poſſint cohærere: diuidua ergo, & ſecabilia ſunt, hamis enim neceſſe eſt, & angulis eminere, vt poſſint amputari. itaque quod amputari, ac diuelli poteſt, & videri poterit, & teneri. Hæc inquit per inane irrequietis motibus volitant, & huc, atque illuc feruntur, ſicut pulueris † minutias videmus in ſole, cum per feneſtram radios, ac lumen immiſerit. Ex his arbores, & herbæ & fruges omnes oriuntur, ex his animalia, & aqua, & ignis, & vniuerſa gignuntur, & rurſus in eadem reſoluuntur. Ferri hoc poteſt, quādiu de rebus paruis agitatur. Ex his etiam mundus ipſe concretus eſt. Impleuit numerum perfectæ inſaniæ, vt nihil vlterius adici poſſet: ſed inuenit tamen ille quid adderet. Quoniam eſt omne, inquit, infinitum, nec poteſt quicquam vacare: neceſſe eſt ergo innumerabiles eſſe mundos. Quæ tanta vis fuerat atomorum, vt moles tam inæſtimabiles ex tam minutis cōglobarentur. Ac primum requiro, quæ ſit iſtorum vel ratio ſeminum vel origo. ſi enim ex illis ſunt omnia: ipſa igitur vnde eſſe dicemus, quæ natura tantam copiam ad efficiendos innumerabiles mundos ſubminiſtrauit? Sed con-

al. micas

H cedamus, vt impune de mundis delirauerit: de hoc loquamur, in quo ſumus, & quem videmus. Ait, omnia ea indiuiduis corpuſculis fieri. Si hoc ita eſſet, nulla res vnquam ſui generis ſemine indigeret. ſine ouis alites naſcerentur, ac oua ſine partu, item cætera viuentia ſine coitu: arbores, & quæ gignuntur è terra, propria ſemina non haberent, quæ nos quotidie tractamus, & ſerimus. Cur ea frumento ſeges naſcitur, & rurſus ex ſegete frumentum? Denique ſi atomorum coitio, & conglobatio efficeret omnia, in aëre vniuerſa concreſcerent, ſiquidem per inane atomi volitant: cur ſine terra, ſine radicibus, ſine humore, ſine ſemine non herbæ, non arbor, non fruges oriri, augeriq; poſſunt? Vnde apparet, nihil ex atomis fieri, quandoquidem vnaquæque res habet propriam certamque naturam, ſuum ſemen, ſuam legem ab exordio datam. Denique Lucretius quaſi oblitus atomorum, quos afferebat, vt redargueret eos, qui dicunt ex nihilo fieri omnia, his argumentis vſus eſt, quæ contra ipſum valerent, ſic enim dixit:

A

Nam ſi de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus naſci poſſet, nil ſemine egeret.
Item poſtea.
al. nihilo
Nil igitur fieri de nilo poſſe fatendum eſt:*
Semine quando opus eſt rebus: quo quæque creata
Aeris in teneras poſſint proferrier auras.

Quis hunc putat habuiſſe cerebrum, cùm hæc diceret nec videret ſibi eſſe contraria? Nihil enim per atomos fieri exinde apparet, quod ſemen cuiuſque rei certum eſt, niſi fortè & ignis, & aquæ naturam ex atomis eſſe credemus. Quid, quòd duriſſimi rigoris materiæ, ſi ictu vehementiore colliduntur, ignis excutitur? Num in ferro, aut ſilice atomi latent? Quis incluſit? aut cur ſua ſponte non emicāt? aut quomodo ſemina ignis in materia frigidiſſima permanere potuerunt? Omitto ſilicem, ac ferrum. Orbem vitreū

B

plenum aquæ ſi tenueris in ſole, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis accenditur, etiam in duriſſimo frigore.
al. credent
Num etiam in aqua ignem eſſe * credendum eſt? atqui de ſole ignis ne æſtate quidem accendi poteſt. Si vero in hanelaueris, vel ſi vapor leuis aliquid attigerit, aut cruſtam marmoris, aut laminam, paulatim per minutiſſimos rores aqua concreſcit. Item de halitu terræ aut maris nebula exiſtit: quæ aut diſperſa humefacit quicquid texerit, aut collecta, in arduos montes in ſublime vento rapta, ſtipatur in nubem, atque imbres maximos deijcit. Vbi ergo dicimus liquores natos eſſe? num in vapore? num in halitu? num in vento? Atqui nihil poteſt conſiſtere in eo, quod nec
al. ergo
tangitur nec videtur. Quid † ergo de animalibus loquar, in quorum corporibus nihil ſine ratione, ſine ordine, ſine vtilitate, ſine ſpecie figuratum videmus? adeo vt ſolertiſſima, & diligentiſſima omnium partium membrorumque deſcriptio caſum ac fortunam repellat. Sed putemus, artus & oſſa, & neruos, & ſanguinem de atomis poſſe concreſcere. Quid ſenſus, cogitatio, memoria, mens, ingenium,

C

quibus ſeminibus coagmentari poſſunt? Minutiſſimis, inquit. Sunt ergo alia maiora. Quomodo igitur inſecabilia?
al. deinde
† Denique ſi ex inuiſibilibus ſunt, quæ non videntur (*a*) conſequens eſt, vt ex viſibilibus ſint quæ videntur. cur igitur nemo videt? Sed ſiue inuiſibilia quæ ſunt in homi-
al. conſiderares
ne † conſideret, ſiue tractabilia, quæ veniunt ſub aſpectū, ratione vtraque conſtare quis non videt? Quomodo ergo ſine ratione coëuntia poſſunt aliquid efficere rationale? Videmus enim nihil eſſe in omni mūdo, quod non habeat in ſe maximam, mirabilemq́ rationē: Quæ quia ſupra hominis ſenſum & ingenium eſt, cui rectius, quam diuinæ prouidentiæ tribuenda eſt? An ſimulachrum hominis, & ſtatuam ratio, & ars fingit, ipſum hominem de fruſtis temere concurrentibus fieri putabimus? Et quid ſimile veritatis in ficto, cùm ſummum, & excellens artificium nihil aliud, niſi vmbram, & extrema corporalis lineamenta poſſit imitari: num potuit humana ſolertia dare operi ſuo
al. motu
aut motum aliquem, aut ſenſum? † Omittam vſum videndi, audiendi, odorandi, cæterorumque membrorum vel apparentium, vel latentium mirabiles vtilitates. Quis artifex potuit aut cor hominis, aut vocem, aut ipſam fabricare ſapientiam? Quiſquamne igitur ſanus exiſtimat, quod homo ratione, & conſilio facere non poſſit, id concurſu atomorum paſſim cohærentium perfici potuiſſe?

D

Vides, in quæ deliramenta incidunt, dum nolunt effectionem, curamque rerum Deo dare. Concedamus tamen his, vt ex atomis fiant quæ terrena ſunt: num etiam cœleſtia? Deos, aiunt, incorruptos, æternos, beatos eſſe, ſoliſque dant immunitatem, ne concurſu atomorum concreti eſſe videantur.

al. dii
al. conſtituiſſent
al. recurrentibus
al. generarent
al. terra
al. conglobarentur

Si enim † Deos quoque ex illis † conſtituiſſent, diſſipabiles fierent, ſeminibus aliquando reſolutis, atque in naturam ſuam † reuertentibus. Ergo ſi eſt aliquid, quod atomi non effecerint: cur non cætera eodem modo intelligamus? Sed quæro, antequam mundum primordia illa † generarent, cur ſibi dij habitaculum non ædificauerint? Videlicet, niſi atomi coiſſent, cœlumque feciſſent, adhuc dij per medium inane penderent. Quo igitur conſilio, qua ratione de confuſo aceruo ſe atomi congregauerunt, vt ex aliis inferius † terræ † conglobarentur, cœlum de-

E

ſuper tenderetur, tanta ſiderum varietate diſtinctum, vt nihil vnquam excogitari poſſit ornatius? Tanta ergo qui videat, & talia, poteſt exiſtimare, nullo effecta eſſe conſilio, nulla prouidentia, nulla ratione diuina, ſed ex atomis ſubtilibus, exiguis concreta eſſe tanta miracula? Nonne prodigio ſimile eſt, aut natum eſſe hominem, qui hæc diceret, aut extitiſſe, qui crederet? vt Democritum, qui auditor eius fuit: vel Epicurum, in quem vanitas omnis de Leucippi fonte profluxit. At enim (ſicut alij dicunt) natura mundus effectus eſt, quæ ſenſu, & figura caret. Hoc vero multo eſt abſurdius. Si natura mundum fecit, conſilio, & ratione fecerit neceſſe eſt. Is enim facit aliquid, qui aut voluntatem faciendi habet, aut ſcientiam. Si caret ſenſu, ac figura, quomodo poteſt ab ea fieri, quod & ſenſum habeat & figuram? niſi forte quis arbitretur, animalium fabricam tam ſubtilem, tamq́ mirabilem à non ſentiente formari, animarique potuiſſe, aut iſtam cœli ſpe-

F

ciem tam prouidenter ad vtilitates viuentium temperatam, neſcio quo caſu, ſine conditore, ſine artifice, ſubitò extitiſſe. Si quid eſt, inquit Chryſippus, quod efficiat ea, quæ homo licet ratione ſit præditus, facere non poſſit: id profecto eſt maius, & fortius, & ſapientius homine. Homo autem non poteſt facere cœleſtia: ergo illud, quod hæc efficiet: vel effecerit, ſuperat hominem arte, conſilio, prudentia, poteſtate. Quis igitur poteſt eſſe, niſi Deus? Natura vero, quam veluti matrem eſſe rerum putant, ſi mentem non habet, nihil efficiet vnquam nihil molietur. vbi enim non eſt cogitatio, nec motus eſt vllus, nec efficacia. Si autem conſilio ſuo vtitur ad incipiendum aliquid, ratione ad diſponendum, arte ad efficiendum virtute ad conſummandū, poteſtate ad regendum, & continendum: cur natura potius, quam Deus nominetur? Aut ſi concurſus atomorum, vel carens mente natura ea, quæ videmus, efficit, quæro, cur facere cœlum potuerit, vrbem, aut domum non potuerit? cur montes marmoris fecerit, columnas, & ſimulachra non fecerit? Atqui † potuerant ato-

G

mi etiam ad hæc efficienda concurrere: ſiquidem nullam poſitionem relinquunt, quam non experiantur. nam de natura, quæ mentem non habeat, non eſt mirandum, quod hæc facere oblita ſit. Quid ergo eſt? Vtique Deus, cum inchoaret hoc opus mundi, quo nihil poteſt eſſe nec diſpoſitius ad ordinem, nec aptius ad vtilitatem, nec ornatius ad pulchritudinem, nec maius ad molem, quæ fieri ab homine non poterant, fecit ipſe, in quibus etiam hominem ipſum, cui particulam de ſua ſapientia dedit, & inſtruxit eum ratione, quantum fragilitas terrena capiebat, vt ipſe ſibi efficeret, quæ † in vſus ſuos eſſent neceſſaria. Si vero in huius mundi (vt ita dixerim) republica nulla prouidentia eſt, quæ regat, nullus Deus, qui adminiſtret, nec omnino ſenſus vllus in hac rerum natura pollet: vnde igitur mens humana tam ſolers, tam intelligens orta eſſe credetur? Si .n. corpus hominis ex humo factū eſt, vnde homo nomen accepit, animus ergo qui ſapit, qui rector eſt corporis, cui mēbra obſequuntur tanquam regi, & imperatori, qui nec comprehendi poteſt, non potuit ad hominem niſi à ſapiente natura peruenire. Sed ſicut omne corpus mens, & animus gubernat, ita & mundum Deus.

H

Nec enim veriſimile eſt minuta, & humilia regimen habeant, maiora, & ſumma non habeant.

Denique M. Cic. in Tuſculanis: Animorum, inquit, nulla in terris origo inueniri poteſt. Nihil etenim, inquit, in animis mixtum, atque cōcretum, aut quod ex terra natum, atque factum eſſe videatur, nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneū. His enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quo futura prouideat, & præterita teneat, & complecti poſſit præſentia, quæ ſola diuina ſunt. Nec enim inuenientur vnquam, vnde ad hominem venire poſſint, niſi à Deo. Exceptis igitur duobus, tribuſve calumniatoribus vanis, cum conſtet, diuina prouidentia mundum regi, ſicut & factus eſt, nec ſit quiſquam, qui Diagoræ, Theodorique ſententiam, vel Leucippi inane commentum, vel Democriti, Epicurique leuitatem præferre audeat auctoritati vel illorum ſeptem priorum, qui ſunt appellati ſapientes, vel Pythagoræ, vel Socratis vel

Pla-

A Platonis, cæterorumque ſummorum philoſophorum, qui eſſe prouidentiam iudicauerunt: falſa igitur eſt & illa ſententia, qua putant terroris, ac metus gratia religionem à ſapientibus inſtitutam, quo ſe homines imperiti à peccatis abſtinerent. Quod ſi verum ſit, ergo deriſi ab antiquis ſapientibus ſumus. Quod ſi fallendi noſtri atque adeo totius generis humani cauſa commenti ſunt religionem, ſapientes igitur non fuerunt, quia in ſapientē non cadit mēdacium. Sed fuerint ſapientes, quæ tanta felicitas mentiendi, vt non tantummodo indoctos, ſed Platonem quoque ac Socratem fallerent, * & Pythagoram, Zenonem, Ariſtotelem maximarum ſectarum principes tam facilè deluderent? Eſt igitur diuina prouidentia, vt ſenſerunt ij homines, quos nominaui, cuius vi, ac poteſtate omnia, quæ videmus, & facta ſunt, & reguntur. Nec enim tanta rerum magnitudo, tanta diſpoſitio, tanta in ſeruandis ordinibus, temporibuſque conſtantia aut olim potuit ſine prouido artifice oriri: aut conſtare tot ſeculis ſine incola potentis, aut in perpetuum gubernari ſine perito ac ſciente rectore, quod ratio ipſa declarat. Quicquid eſt enim, quod habet rationem, ratione ſit ortum, neceſſe eſt. Ratio autē ſentientis, ſapientiſque naturę eſt, ſapiens verò, ſentienſq; natura, nihil aliud poteſt eſſe, quam Deus. Mundus autem B quoniam rationem habet, qua & regitur, & conſtat, ergo à Deo factus eſt. Quod ſi eſt conditor, rectorque mundi Deus, rectè igitur, ac vere religio conſtituta eſt. auctori enim rerum, parentique communi honos, veneratioque debetur.

al. vt

SCHOLIA.

(a) Aſpera inquit, & angulata ſunt & hamata) *habetur in libris impreſſis.* ſi aſpera &, angulata ſunt, & hamata, *lego ex antiquo codice, nam hæc tota oratio eſt Lactantij refutantis errores Epicuri, ita cum de altero membro dixiſſet, quod primordia illa non poterant eſſe leuia, nunc agit de altero, docens non poſſe eſſe aſpera, neque hamata, quia inuenirentur ſecabilia, in impreſſis vero legitur,* aſpera, inquit, & angulata, *ita, vt hæc videatur oratio eſſe Epicuri, quæ eſſe non poteſt. ita neceſſe eſt inducere eam dictionem, inquit, & addere.* ſi.

(b) Denique ſi ex inuiſibilibus ſunt quæ videntur, cur igitur nemo videt?) *erat in libris impreſſis.* deinde, ſi ex inuiſibilibus ſunt, quæ non videntur: conſequens eſt, vt ex viſibilibus ſint, quæ videntur, *lego ex vtroque codice ſancti Saluatoris. nam Leucippus dicebat, res inuiſibiles vt ſunt memoria, mens, ingenium, conſtare ex ſeminibus inuiſibilibus. quo poſito, argumentatur Lactantius argumento ſumpto à contrariis: quod, ſi inuiſibilium ſemina ſunt inuiſibilia, viſibilium ſemina debent eſſe viſibilia,* C *& continenter vrget, cur igitur nemo videt? intellige, ſemina huiuſmodi viſibilia.*

(c) Animalium fabricam tam ſubtiliter à non ſentiente natura formari) *erat in libris impreſſis.* animalium fabricā tam ſubtilem, tamque mirabilem à non ſentiente formari, *legendum eſt ex antiquis codicibus, nam illa duo, ſubtilem & admirabilem, rectè ad fabricam animalium referuntur: & natura nomen non eſt addendum, cum facile intelligamus de quo loquatur.*

(d) Atqui potuerant atomi) *erat in libris impreſſis.* atqui debuerant atomi, *lego ex antiquis codicibus, nam dictio illa, debuerant, inducit quandam neceſſitatem, cur ea ab atomis efficienda eſſent, cum non ſit eadem vis, ſi legamus potuerant.*

D

De Deo, eoque vno.

CAPVT XI.

QVoniam conſtitit de prouidentia, ſequitur vt doceamus, vtrumne multorum Deorum eſſe credenda ſit, an potius vnius. Satis, vt opinor, oſtendimus in noſtris inſtitutionibus, Deos multos eſſe non poſſe, quod diuina vis, ac poteſtas ſi * diſtribuatur in plures (a) diminui eam neceſſe ſit, quod autē minuitur, vtique mortale eſt, ſi vero mortalis non eſt, nec minui nec diuidi poteſt. Deus igitur vnus eſt in quo vis, & poteſtas conſummata eſt, nec minui poteſt, nec augeri. Si aūt ſunt multi, dū habēt ſinguli poteſtatis aliquid, ac numinis, ſumma ipſa decreſcit, nec poterunt ſinguli habere totum, quod eſt commune cum pluribus, vnicuiq; tantum deerit quantū cæteri poſſidebunt. Non poſſunt igitur in hoc mundo multi eſſe rectores, nec in vna domo multi domini, nec in naui vna multi gubernatores, nec in armento, aut grege duces multi, nec in vno *regimine multi reges, ſed nec in cœlo quidem multi ſoles eſſe poterunt, ſicut nec animæ plures in vno corpore. adeo in vnitate natura vniuerſa conſentit. Quod ſi mundum

al. diſtrahatur

E

al. examine

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet:

Apparet teſtimonio poetæ, vnum eſſe mundi habitatorem Deum, ſiquidem corpus omne niſi ab vna mente incoli, regique non poteſt. Omnem igitur diuinam poteſtatem neceſſe eſt in vno eſſe, cuius nutu: & imperio regantur F omnia, & ideo tantus eſt, vt ab homine non poſſit aut verbis enarrari, aut ſenſibus æſtimari. Vnde igitur ad homines opinio multorum Deorum perſuaſione peruenit? Nimirum ij omnes, qui coluntur vt dij, homines fuerunt, & iidem primi, ac maximi reges: ſed eos aut ob virtutē, * quia profuerant hominum generi, diuinis honoribus affectos eſſe poſt mortem, aut ob beneficia, & inuenta, quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memoriam cōſecutos, quis ignorat? nec tantum mares, ſed & feminas. Quod cum vetuſtiſſimi Græciæ ſcriptores quos illi θεολόγους nuncupant, tum etiam Romani Græcos ſecuti & imitati docent. quorum præcipue Euhemerus, ac noſter Ennius, qui eorum omnium natales, coniugia, progenies, imperia, res geſtas, obitus, † ſimulachra demonſtrant. Et ſecutus eos Tul. tertio de natura Deorum libro diſſoluit publicas religiones: ſed tamen veram, quam ignorabat, nec ipſe, nec alius quiſquam potuit inducere. Adeo & ipſe teſtatus eſt falſum quidem apparere, veritatem tamen latere. Vtinam, inquit tam facile vera inuenire poſſem, quam falſa conuincere. Quod quidem non diſſimulanter, vt Academicus ſed vere, atque ex animi ſententia proclamauit: quia veritas humanis ſenſibus erui non poteſt, quod aſſequi † valuit humana prouidentia, id aſſecutus eſt, vt falſa detegeret, Quicquid enim fictum, & commētitium, quia nulla ratione ſubnixum eſt, facile diſſoluitur. Vnus G eſt igitur princeps, & origo rerum Deus, ſicut Plato in Timæo & ſenſit, & docuit, cuius maieſtatem tantam eſſe declarat, vt nec mente comprehendi, nec lingua exprimi poſſit. Idem teſtatur Hermes, quem Cicero ait in numero Deorum apud Ægyptios haberi, eum ſcilicet, qui ob virtutem, multarumque artium ſcientiam Triſmegiſtus nominatus, & erat non modo Platone, verùm etiam Pythagora ſeptemque illis ſapientibus longe antiquior. Apud Xenophontem Socrates diſputans, ait, formam Dei non oportere conquiri. Et Plato in legum libris: Quid omnino ſit Deus, non eſſe quærendum, quia nec inueniri poſſit, nec enarrari. Pythagoras quoque vnum Deum confitetur, dicens incorporalem eſſe mentem, quæ per omnem rerū naturam diffuſa, & intenta, vitalem ſenſum cunctis animantibus tribuat, Antiſthenes autem in phyſico vnum eſſe naturalem Deum dixit, quamuis gentes, & vrbes ſuos habeant populares. Eadem ferè & Ariſtoteles cum ſuis Peripateticis, & Zenon cum ſuis Stoicis. Longum eſt enim H ſingulorum ſententias exequi: qui licet diuerſis nominibus ſint abuſi, ad vnam tamen poteſtatem, quæ mundum regeret, concurrunt. Sed tamen ſummum Deum cùm & philoſophi, & poetæ, & ipſi denique, qui Deos colunt, ſæpe fateantur, de cultu tamen, & honoribus eius nemo vnquam requiſiuit, nemo diſſeruit, ea ſcilicet perſuaſione, qua ſemper beneficum, incorruptumque credentes, nec iraſci eum cuiquam, nec vllo cultu indigere, arbitrantur. adeo religio eſſe non poteſt, vbi metus nullus eſt.

al. qua

al. ſepulchra

al. potuit

A

SCHOLIA.

(a) Quod diuina vis ac poteſtas ſi diſtribuatur in plures, diminuitur vtique & mortalis eſt] *erat in libris typis excuſis.* quod diuina vis, ac poteſtas, ſi diſtrahatur in plures diminui eam neceſſe ſit: quod autem minuitur, vtiq; mortale eſt] *lego ex vtroque codice ſancti Saluatoris, quod quidem multo concinnius eſt, & habet illuſtriorem ac planiorem ſenſum. quia ex diſtractione probatur diminutio, quæ non poteſt cum immortalitate conuenire.*

(b) Nec in vno regimine] *legitur in libris impreſſis.* nec in vno examine multi reges, *legendum eſt ex antiquis codicibus, quia antea poſuerat exempla hominum, poſtea deſcendit ad muta animantia. itaque omnino intelligendum eſt de examine apum, quarum ſingula examina ſuum regem habent.*

(c) Obitus ſimulachra] *erat in libris impreſſis.* obitus ſepulchra, *habent codices antiqui, & recte, quia eos homines fuiſſe nihil clarius, quam obitus, & ſepulchra demonſtrare potuerunt, & conuenienter poſt obitum adiecit ſepulchra. quod ſi ſimulachra legamus, non ita recte videntur poſita eſſe, poſt obitum.*

B

De religione, & Dei timore.

CAPVT XII.

NVnc quoniam reſpondimus impiæ quorundam, deteſtabilique imprudentiæ, vel potius amentiæ, redeamus ad propoſitum. Diximus, religione ſublata, nec ſapientiam teneri poſſe, nec iuſtitiam, (a) quia ſapientia diuinitatis intellectus eſt, quo differimus à belluis, in homine ſolo reperiri iuſtitiam: quia niſi cupiditates noſtras Deus, qui falli non poteſt, coercuerit, ſcelerate, impieque *viueremus. ſpectari ergo actus noſtros à Deo, non modò ad vtilitatem communis vitæ attinet, ſed etiam ad veritatem, quia religione, iuſtitiaque † detracta, vel ad ſtultitiam pecudum amiſſa ratione voluimur, vel ad beſtiarum immanitatẽ, imo vero amplius, ſiquidem beſtiæ ſui generis animalibus parcunt. Quid erit homine truculentius, quid immitius, ſi dempto metu ſuperiore, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? Timor igitur Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quem vita ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur. Is autem timor † aufertur, ſi fuerit homini perſuaſũ, quòd iræ ſit expers Deus, quem moueri, & indignari, cùm iniuſta fiunt, non modò communis vtilitas, ſed etiam ratio ipſa nobis, & veritas perſuadet. Rurſus nobis ad ſuperiora redeundum, eſt, vt quia docuimus à Deo factum eſſe mundum, doceamus quare ſit effectus.

al. viueremus

al. detracta

C

al. auferetur

SCHOLIA.

(a) Cum diuinitatis intellectus quo differimus à bellua in homine ſolo reperiatur] *habent libri impreſſi.* quia ſapientia eſt diuinitatis intellectus, quo differimus à belluis: in homine ſolo reperiri iuſtitiam, quia niſi, &c. *habent meliores codices manuſcripti. qui locus quamuis ſit paulo obſcurior, tamen habet veram, optimamque ſententiam. vult ergo oſtendere, ſapientiam, & iuſtitiam, quæ ſunt in nobis, manare a Deo, & ita religione conſeruari. ait autem, propterea ſine religione non poſſe conſtare ſapientiam, quia ſapientia eſt diuinitatis intellectus: hoc eſt, ille ſapiens dici debet, qui diuinitatem intelligit. aduertendum vero eſt, non hic agi de intellectu, vt eſt facultas quædam animæ, ſed accipitur intellectus pro actu ipſo intelligendi. quo quidem intellectu differimus à beſtiis, quia ſumus capaces intelligendæ diuinitatis, quod illæ non ſunt. & poſt illam vocem, belluis, ponenda ſunt duo puncta, & deinceps legendum:* in homine ſolo reperiri iuſtitiam, *& repetendum eſt verbum illud, diximus. nam hic voluit breuis repetere ea, quæ ſuperius fuſiſſime diſputauerat: & propterea paulo obſcurius ſunt loquutus, elici tamen bonus ſenſus poteſt. Verum ſi quis ex aliquo codice antiquo vocem aliquam adiungeret, quæ planiorem orationem efficeret, mihi ſane probaretur. Antonio Auguſtino, quem honoris & familiaritatis cauſa ſæpius nomino, locus hic mancus videtur, qui retenta lectione veterum librorum in priori parte, facile reſtitui poteſt, ſi in altero membro legamus, in homine ſolo reperitur iuſtitia: quæ lectio mihi quoque probatur cum vnius tantum literæ à duabus dictionibus ſubtractione aptari poſſit.*

D

E

De mundi, & temporum commodo, & vſu.

CAPVT XIII.

SI conſideret aliquis vniuerſam mundi adminiſtrationem, intelliget profectò, quàm vera ſit ſententia Stoicorum, qui aiunt, † noſtra cauſa mundum eſſe conſtructũ. Omnia enim, quibus conſtat, quæque generat ex ſe mundus, ad vtilitatem ſolius hominis accommodata ſunt. Homo vtitur igni ad vſum calefaciendi, & luminis, & coquẽdorum ciborum, ferrique fabricandi: vtitur fontibus ad potum, & ad lauacra, fluminibus ad agros irrigandos, terminandaſque regiones: vtitur terra ad percipiendam † frugum varietatem, collibus ad conſerenda vineta, montibus ad vſum arborum, atque lignorum, planis ad ſegetem: vtitur mari non ſolum ad cõmercia, & copias ex longinquis regionibus ferendas, verum etiam ad vbertatem omnis generis piſcium. Quod ſi his elementis vtitur, quibus eſt proximus, non eſt dubium, quin & cœlo, quoniam & cœleſtium rerum officia ad fertilitatem terræ, ex qua viuimus temperata ſunt. Sol inrequietis curſibus, & ſpatiis inæqualibus orbes annuos conficit, & aut oriens diem proouit ad laborem, aut occidens noctem ſuperducit ad requiem, & tum abſceſſu longius ad meridiem, tum acceſſu propius ad ſeptentrionem, hyemis, & æſtatis viciſſitudines facit, vt & hybernis hum[illegible] ſæpius in vbertatem terra pingueſcat, & æſtiuis caloribus vel herbidæ fruges maturitate durentur, vel quæ ſunt in humidis, incocta, & fetuefacta miteſcant. Luna quoque nocturni temporis gubernatrix, & amiſſi, ac recepti luminis vicibus menſtrua ſpatia moderatur, & cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore ſuæ claritatis illuſtrat, vt æſtiua itinera, & expeditiones, & opera ſine labore, ac moleſtia confici poſſint. ſiquidem

al. noſtri

al. fructuũ

F

Noctu leues melius ſtipulæ, nocte arida prata
Tondentur:

Aſtra etiam cætera vel ortu, vel occaſu ſuo certis ſtationibus opportunitates temporũ ſubminiſtrant. Sed & nauigiis, quo minus errabundo curſu per immenſum vagentur regimen præbent, cùm ea ritè gubernator obſeruans, ad portum deſtinati litoris † peruehamur. Ventorum ſpiritu attrahuntur nubes, vt ſata imbribus irrigentur, vt vites fœtibus, arbuſta pomis exuberent. Et hæc per orbem vicibus exhibentur, ne deſit aliquando, quo vita hominũ ſuſtineatur. At enim cæteras animantes eadem terra nutrit, & eiuſdem fœtu etiam muta paſcuntur. Num etiam mutorum cauſa Deus laborauit? Minimè, quia ſunt rationis expertia. Sed intelligimus, & ipſa eodem modo ad vſum hominis à Deo facta, partim ad cibos, partim ad veſtitum, partim ad operis auxilia; vt clarum ſit, diuinam prouidentiam rerum, & copiarum abundantia, hominum vitam inſtruere, atq; ornare voluiſſe, ob eamque cauſam & aerem volucribus, & mare piſcibus, & terram quadrupedibus impleuit. Sed Academici contra Stoicos diſſerentes ſolent quærere, cur, ſi Deus omnia hominum cauſa fecerit, etiam multa contraria, & inimica, & peſtifera nobis reperiantur tam in mari, quam in terra. Quod Stoici veritatem non reſpicientes ineptiſſimè repulerunt. Aiunt enim multa eſſe in gignentibus, & in numero animalium, quorum adhuc lateat vtilitas, ſed eam proceſſu temporũ inueniri, ſicut iam plura prioribus ſeculis incognita neceſſitas, & vſus inuenerit. Quæ tandem vtilitas poteſt in muribus, in blattis, in ſerpentibus reperiri, quæ homini moleſta & pernicioſa ſunt? An medicina in his aliqua latet? Quæ ſi eſt, inuenietur aliquando, nempe aduerſus mala, cùm id id illi querãtur eſſe omnino malum. Viperam ferunt exuſtam, in cineremque dilapſam, mederi eiuſdem beſtiæ morſui. Quanto melius fuerat eam prorſus non eſſe, quam remedium contra ſe ab ea ipſa deſiderari. Breuius igitur, ac verius reſpondere potuerunt in hunc modum. Deus cum formaſſet hominem veluti ſimulachrum ſuum, quod erat diuini opificij ſummum, inſpirauit ei ſapientiam ſoli, vt omnia imperio, ac ditioni ſuæ ſubiugaret, omnibuſq; mundi cõmodis vteretur, propoſuit tamen ei

G

al. peruenęamus

H

& bo-

A

& bona, & mala; quia ſapientiam dedit; cuius omnis ratio in diſcernendis malis, ac bonis poſita eſt. Non poteſt enim quiſquam eligere meliora, & ſcire, quid bonũ ſit, niſi ſciat ſimul reijcere, ac vitare, quæ mala ſunt. Inuicem ſibi alterutrum connexa ſunt, vt ſublato † alterutro, vtrunque tolli ſit neceſſe. Propoſitis igitur bonis, maliſque, tum demum opus ſuum peragit ſapientia, & quidem bonum appetit ad vtilitatem, malum reijcit ad ſalutem. Ergo ſicut bona innumerabilia data ſunt homini, quibus frui poſſet; ſic etiam mala, quæ caueret. Nam ſi malum nullum ſit, nullum periculum, nihil denique, quod lædere hominem poſſit, tollitur omnis materia ſapientiæ, nec erit homini neceſſaria. Poſitis enim tantummodo in conſpectu bonis, quid opus eſt cogitatione, intellectu, ſcientia, ratione? cum quocunq; porrexerit manũ id naturæ aptum, & † commodum ſit, vt ſi quis velit apparatiſſimam cœnam infantibus, qui nondum ſapiant, apponere, vtique id appetent ſinguli, quo vnumquemque aut impetus, aut fames, aut etiam caſus attraxerit, & quicquid ſumpſerint, id illis erit vtile, ac ſalubre.

(al. altero. — al. accommodatum)

B

Quid igitur nocebit, eos, ſicuti ſunt, permanere, & ſemper infantes, ac neſcios eſſe rerum? Si autem admiſceas vel amara, vel inutilia, vel etiam venenata, decipientur vtique per ignorantiam boni, ac mali, niſi accedat his ſapientia, per quam habeant malorum reiectionem, bonorumque delectum. Vides ergo, magis propter mala opus † bonis eſſe ſapientia: quæ niſi † fuiſſet propoſita, rationale animal non eſſemus. Quòd ſi hæc ratio vera eſt, quam Stoici nullo modo videre potuerunt: diſſoluitur etiam argumentum illud Epicuri. Deus, inquit, aut vult tollere mala, & non poteſt, aut poteſt, & non vult, aut neque vult, neque poteſt, aut & vult, & poteſt. Si vult & non poteſt, imbecillis eſt; quod in Deum non cadit. Si poteſt, & non vult, inuidus, quod æquè alienum à Deo. Si neque vult neque poteſt, & inuidus, & imbecillis eſt, ideoque neque Deus. Si vult, & poteſt, quod ſolum Deo conuenit, vnde ergo ſunt mala? aut cur illa non tollit? Scio pleroſque philoſophorum, qui prouidentiam defendunt, hoc argumento perturbari ſolere, & inuitos penè adigi, vt Deum nihil curare fateantur, quod maximè quærit Epicurus. ſed nos ratione perſpecta, formidoloſum hoc argumentum facilè diſſoluimus.

(al. nobis. — al. fuiſſent)

C

Deus enim poteſt, quicquid velit, & imbecillitas, vel inuidia in Deo nulla eſt: poteſt igitur mala tollere, ſed non vult; nec ideo tamen inuidus eſt. idcirco enim non tollit, quia & ſapientiam (ſicut docui) ſimul tribuit, & plus boni, ac iucunditatis in ſapientia, quam in malis moleſtiæ. ſapientia † etiam facit, vt etiam Deum cognoſcamus, & per eam cognitionem, immortalitatem aſſequamur, quod eſt ſummum bonum. Itaque niſi prius malum agnouerimus, nec bonum poterimus agnoſcere. Sed hoc non vidit Epicurus, nec alius quiſquam. ſi tollantur mala, tolli pariter ſapientiam, nec vlla in homine virtutis remanere veſtigia, cuius ratio ſuſtinenda, & ſuperanda, malorum acerbitate conſiſtit. Itaque propter exiguum compendium ſublatorum malorum maximo, & vero, & proprio nobis bono careremus. Conſtat igitur, omnia propter hominem propoſita, tam mala, quàm etiam bona.

(al. enim.)

De homine, eiuſque commodis.

D

Capvt XV.

SEquitur, vt oſtẽdam, cur fecerit hominem ipſum Deus. ſicut mundum propter hominem machinatus eſt, ita ipſum propter ſe, tanquam diuini templi antiſtitem, ſpectatorem operum, rerumque cœleſtium. Solus eſt enim, qui ſentiens, capaxque rationis intelligere poſſit Deum, qui opera eius admirari, virtutem poteſtatemque perſpicere. idcirco enim conſilio, mente, prudentia inſtructus eſt. Ideo ſolus præter cæteras animantes † rectus corpore, ac ſtatu factus eſt, vt ad contemplationem parẽtis ſui excitatus eſſe videatur. Ideo ſermonem ſolus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, vt enarrare maieſtatem domini ſui poſſit. Poſtremò idcirco ei cuncta ſubiecta ſunt, vt factori, atq; artifici Deo eſſet ipſe ſubiectus. Si ergo Deus hominem ſuũ voluit eſſe cultorem, ideoq; illi tantum honoris attribuit,

(al. recto.)

E

vt rerum omnium dominaretur: vtique iuſtiſſimum eſt & Deum colere, qui tanta præſtiterit, & amare hominem, qui ſit nobiſcum diuini iuris ſocietate coniunctus. Nec enim fas eſt, cultorem Dei à Dei cultore violari. Vnde † intelligitur, religionis, ac iuſtitiæ cauſa eſſe hominem figuratum. Cuius rei teſtis eſt M. Tullius in libris de legibus, ita dicens: Sed omnium, quæ in doctorum hominũ diſputatione verſantur, nihil eſt profecto præſtabilius, quàm planè intelligi, nos ad iuſtitiam eſſe natos. Quod ſi eſt veriſſimum; Deus ergo vult omnes homines eſſe iuſtos, id eſt Deum, & hominem caros habere; Deum ſcilic. honorare tanquam patrem, hominem diligere velut fratrem. in his enim duobus tota iuſtitia conſiſtit. Qui ergo aut Deum non agnoſcit, aut homini nocet, iniuſtè, & contra naturam ſuam viuit, & hoc modo rumpit inſtitutum, legemque diuinam.

(al. intelligimus.)

De peccatis, Deo, & homine.

Capvt XVI.

F

HIc fortaſſe quærat aliquis, vnde ad hominem peccata peruenerint, aut quæ prauitas diuini inſtituti regulam ad peiora detorſerit, vt cum ſit ad iuſtitiam genitus, opera tamen efficiat iniuſta. Iam ſuperius explanaui, ſimul Deum propoſuiſſe bonum, ac malum: & bonum quidem diligere; malum autem quod huic repugnat, odiſſe; ſed ideò malum permiſiſſe, vt & bonum emicaret, quòd alterum ſine altero (ſicut ſæpe docui) intelligimus conſtare non poſſe: denique ipſum mundũ ex duobus elementis repugnantibus, & inuicem copulatis eſſe concretum, igneo & humido; nec potuiſſe lucem fieri, niſi & tenebræ fuiſſent; quia nec ſuperum poteſt eſſe ſine infero, nec oriens ſine occidẽte, nec calidum ſine frigido, nec molle ſine duro. Sic & nos ex duobus æquè repugnantibus compacti ſumus, anima, & corpore. quorum alterum cœlo adſcribitur, quia tenue eſt, & intractabile, alterum terræ, quia comprehenſibile eſt, alterum ſolidum, & æternum eſt, alterum fragile, atq; mortale. Ergo alteri bonum adhæret, alteri malum: alteri lux, vita, iuſtitia, alteri tenebræ, mors, iniuſtitia. Hinc extitit in hominibus naturæ ſuæ deprauatio; vt eſſet neceſſe conſtitui legem, qua poſſent & vitia prohiberi, & virtutis officia imperari.

G

Cùm igitur ſint in rebus humanis bona, & mala, quorum rationem declaraui; neceſſe eſt, ad vtranque partem moueri Deum, & ad gratiam, cùm iuſta fieri videt, & ad iram, cùm cernit iniuſta. Sed occurrit nobis Epicurus, ac dicit: Si eſt in Deo lætitiæ affectus ad gratiam, & odij ad iram; neceſſe eſt habeat & timorem, & libidinem, & cupiditatem, cæteroſque affectus, qui ſunt imbecillitatis humanæ. Non eſt neceſſe vt timeat, qui iraſcitur, aut mœreat, qui gaudet: denique iracundi, minus timidi ſunt, & natura læti, minus mœrent. Quid opus eſt de humanis affectibus dicere, quibus fragilitas noſtra ſuccumbit? conſideremus diuinam neceſſitatem. Nolo enim naturã dicere, quia Deus noſter nunquam creditur natus. Timoris effectus habet in homine materiam, in Deo non habet. Homo, quia multis caſibus, periculiſque ſubiectus eſt, metuit, ne qua vis maior exiſtat, quæ illũ verberet, ſpoliet, laceret, affligat, interimat. Deus autem, in quem nec egeſtas, nec iniuria, nec dolor, nec mors cadit, timere nullo pacto poteſt, quia nihil eſt, quod ei vim poſſit inferre. itẽ libidinis ratio & cauſa in homine manifeſta eſt.

H

Nam qui fragilis, & mortalis effectus eſt, neceſſe fuit alterum ſexum diuerſumque conſtitui, cuius permiſtione ſoboles effici poſſet ad † continendam generis perpetuitatem. Hæc autem libido in Deo locum non habet, quia & fragilitas & interitus ab eo alienus eſt, nec vlla eſt apud eum fœmina, cuius poſſit copulatione gaudere; nec ſucceſſione indiget, qui ſemper futurus eſt. Eadem de inuidia, & cupiditate dici poſſunt; quæ certis, manifeſtiſque de cauſis in hominem cadunt, in Deum nullo modo. At verò & gratia, & ira, & miſeratio habent in Deo materiam; recteque illis vtitur ſumma illa, & ſingularis poteſtas ad rerum conſeruationem.

(al. continuandam)

(∴)

A

De Deo: eiusq; ira, & gratia: & affectibus.

CAPVT XVI.

QVærit quiſpiam, quæ ſit iſta materia. Primum acci-
dentibus malis afflicti homines ad Deum plerunque
confugiunt, mitigant, obſecrant, credentes eum poſſe ab
al. iniuriis his * iniurijs propulſare. Habet igitur Deus cauſam mi-
ſerandi. Nec enim tam immitis eſt hominum contemptor,
vt auxilium laborantibus deneget. Item plurimi, quibus
al. quia. perſuaſum eſt Deo placere iuſtitiam, eumque * qui ſit do-
al. & minus, ac parens omnium, venerantur * cum precibus
aſſiduis, ac frequentibus votis, dona & ſacrificia offerunt,
nomen eius laudibus proſequuntur, iuſtis, ac bonis operi-
bus demereri eum laborantes. Ergo eſt, propter quod Deus
& poſſit, & debeat gratificari. Nam ſi nihil eſt tam con-
ueniens Deo, quàm beneficentia; nihil autem tam alie-
num, quam vt ſit ingratus: neceſſe eſt, vt officijs optimo-
B rum, ſanctéque viuentium præſtet aliquid, ac vicem red-
dat, ne ſubeat ingrati culpam, quæ eſt etiam homini crimi-
noſa. Contrà autem ſunt alij facinoroſi, & nefarij, qui li-
bidinibus omnia polluant, cædibus vexent, fraudent, ra-
piant, peierent, nec conſanguineis, nec parentibus parcant,
leges, & ipſum etiam Deum negligant. Habet igitur ira in
Deo materiam. Non eſt enim fas, eum, cum talia fieri vi-
deat, non moueri, & inſurgere ad vltionem ſceleratorum,
& peſtiferos, nocenteſque delere, vt bonis omnibus con-
al. ipſa. ſulat. a adeo & in † ipſo ira † eſt, & gratificatio. Inania
al. ineſt. ergo, & falſa reperiuntur argumenta vel eorum, qui, cùm
iraſci Deum nolunt, gratificari volunt, quia ne hoc qui-
dem fieri ſine ira poteſt, vel eorum, qui nullum animi mo-
tum eſſe in Deo putant. Et quia ſunt aliqui affectus, qui
non cadunt in Deum, vt libido, timor, auaritia, mœror,
inuidia, omni prorſus affectu eum vacare dixerunt. His
enim vacat, quia vitiorum affectus ſunt, eos autem, qui
ſunt virtutis, id eſt, ira in malos, charitas in bonos, miſera-
tio in afflictos, quoniam diuina poteſtate ſunt digna, pro-
C prios, & iuſtos, & veros habet. Quæ profectò niſi habeat,
humana vita turbabitur, atque ad tantam confuſionem
deueniet ſtatus rerum, vt contemptis, ſuperatiſque legi-
bus, ſola regnet audacia, vt nemo denique tutus eſſe poſ-
ſit, niſi qui viribus præualeat. Ita quaſi communi latroci-
nio terra omnis depopulabitur. Nunc verò quoniam &
mali pœnam, & boni gratiam, & afflicti opem ſperant: &
virtutibus locus eſt, & ſcelera rariora ſunt. At enim plerun-
que & ſcelerati feliciores ſunt, & boni miſeriores; & iuſti
ab iniuſtis impunè vexantur. Conſiderabimus poſtea, cur
iſta fiant. Interim de ira explicemus, an ſit aliqua in Deo; v-
trum nihil curet omnino, nec moueatur ad ea, quæ impiè
geruntur.

SCHOLIA.

a Adeo & in ipſo ira eſt, & gratificatio] *erat in libris impreſ-
ſis.* adeo & in ipſa ira ineſt gratificatio, *habent libri antiqui.
nam, cum antea docuiſſet, Deum ſæpe flagitioſos nocenteſque
de medio tollere, vt bonis conſulat, rectè ex hoc colligit, adeo &
D in ipſa ira, intellige, contra malos, ineſt gratificatio, erga bonos ſci-
licet.*

De Dei cura: & ira.

CAPVT XVII.

DEus, inquit Epicurus, nihil curat: nullam igitur ha-
bet poteſtatem. curare enim neceſſe eſt eum, qui
al. tantæ habet poteſtatem, vel ſi habet, & non vtitur, quæ † tanta
negligẽtię. negligendi cauſa eſt, vt ei, non dicam noſtrum genus, ſed
etiam mundus ipſe ſit vilis? Ideo, inquit, incorruptus eſt,
al. admini- ac beatus, quia ſemper quietus. Cui ergo † miniſtratio tan-
ſtratio. tarum rerum ceſſit, ſi hæc à Deo negligantur, quæ vide-
mus ratione ſumma gubernari? aut quietus eſſe quomodo
poteſt, qui viuit, & ſentit? Nam quies aut ſomni res eſt,
aut mortis. Sed nec ſomnus habet quietem. nam cùm ſo-
porati ſumus, corpus quidem quieſcit, animus † autem ir- E
al. tamen. requietus agitatur, imagines ſibi, quas cernat, effingit, vt
naturalem ſuum motum exerceat varietate viſorum; auo-
catque ſe à falſis, dum membra ſaturentur, a ac vigorem ca-
piant. † Denique requies ſempiterna ſolius mortis eſt. Si
autem mors Deum non attingit; Deus igitur nunquam
quietus eſt. Dei verò actio quæ poteſt eſſe, niſi mundi ad-
miniſtratio? Si verò mundi curam gerit, curat igitur homi-
num vitam Deus, ac ſingulorum actus animaduertit, eoſ-
que ſapientes, ac bonos eſſe deſiderat. Hæc eſt voluntas
Dei, hæc diuina lex, quam qui ſequitur, qui obſeruat, Deo
carus eſt. Neceſſe eſt igitur, vt ira moueatur aduerſus eum,
qui hanc æternam, diuinamque legem aut violauerit, aut
ſpreuerit. Si nocet, inquit, alicui Deus, iam bonus non eſt.
Non exiguo falluntur errore qui cenſuram ſiue humanam,
ſiue diuinam acerbitatis & malitiæ nomine infamant, pu-
tantes nocentem dici oportere, qui nocentes afficit pœna.
Quod ſi eſt, nocentes igitur leges habemus, quæ peccanti-
bus ſupplicia ſanxerunt, nocentes iudices, qui ſcelere con-
F uictos pœna capitis afficiunt. Quòd ſi & lex iuſta eſt, quæ
& nocenti tribuit, quod meretur, & iudex integer, ac bo-
nus dicitur, cùm malè facta vindicat (bonorum enim ſalu-
tem cuſtodit, qui malos punit) ergo & Deus, cùm malis ob-
eſt, nocens non eſt. † ipſe autem eſt nocens, qui aut inno- al. is.
centi nocet, aut nocenti parcit, vt pluribus noceat. † Licet libet.
quærere ab ijs, qui Deum faciunt immobilem, ſi quis ha-
beat rem, domum, familiam, ſeruique eius contemnentes
patientiam Domini, omnia inuaſerint, ipſi bonis eius fru-
antur, ipſos familia eius honoret, Dominus autem contem-
natur ab omnibus, derideatur, relinquatur: vtrumne ſapi-
ens eſſe poſſit, qui contumelias non vindicet, ſuiſque rebus
eos perfrui patiatur, in quos habeat poteſtatem? Quæ tan-
ta in quoquam poteſt patientia reperiri? ſi tamen patientia
nominanda eſt, & non ſtupor quidam inſenſibilis? Sed fa-
cile eſt ferre contemptum. Quid ſi fiant illa, quæ à Cicero-
ne dicuntur? Etenim quæro, ſi quis paterfamilias liberis ſuis
à ſeruo interfectis, vxore occiſa, & incenſa domo, ſuppli-
cium de ſeruo nunquam acerrimum ſumpſerit, vtrum is
G clemens, ac miſericors, an inhumanus, & crudeliſſimus eſ-
ſe videatur? Quòd ſi eiuſmodi facinoribus ignoſcere, cru-
delitatis eſt potius, quàm pietatis: non eſt ergo virtutis in
Deo, ad ea, quæ iniuſtè fiunt, non commoueri. Nam mun-
dus tanquam Dei domus eſt, & homines tanquam ſerui.
Quibus ſi ludibrio ſit nomen eius, qualis aut quanta patiẽ-
tia eſt, vt honoribus ſuis cedat, praua, & iniqua fieri videat,
& non indignetur, quod proprium, & naturale eſt ei, cui
peccata non placeant? Iraſci ergo rationis eſt. auferuntur
enim delicta, & refrenatur licentia, quod vtique iuſtè, ſa-
pienterque fit. Sed Stoici non viderunt eſſe diſcrimen re-
cti, & praui, eſſe iram iuſtam, & iniuſtam, & quia medelam
rei non inueniebant, voluerunt eam penitus excidere.
Peripatetici verò non excidendam, ſed temperandam eſſe
dixerunt. quibus in ſexto lib. Inſtitut. ſatis reſpondimus.
Neſciſſe autem philoſophos, quæ ratio eſſet iræ, apparet ex
definitionibus eorum, quas Seneca enumerauit in libris,
quos de ira compoſuit. Ira eſt, inquit, cupiditas vleiſcendæ
iniuriæ. † Alij, vt ait Poſſidonius, cupiditas puniendi eius, al. Aut.
à quo te iniquè putes læſum. Quidam ita definierunt: Ira
H eſt incitatio animi ad nocendum ei, qui aut nocuit, aut no-
cere voluit. Ariſtotelis definitio non multum à noſtra ab-
eſt. Ait enim, iram eſſe cupiditatem doloris rependendi.
Hæc eſt ira, de qua ſuperius diximus iniuſta, quæ etiam
mutis ineſt: in homine verò cohibenda eſt, ne ad aliquod
maximum malum proſiliat per furorem. Hæc in Deo eſſe
non poteſt, quia illæſibilis eſt, in homine autem, quia fra-
gilis eſt, inuenitur. irritat enim læſio dolorem, & dolor fa-
cit vltionis cupiditatem. Vbi eſt ergo illa ira iuſta, qua mo-
uetur aduerſus delinquentes? quæ vtique non eſt cupiditas
vltionis, quia non præcedit iniuria. non dico de ijs, qui ad-
uerſus leges peccant, quibus † & iudex ſine crimine iraſci al. eſt.
poteſt. fingamus tamen, eum ſedato animo eſſe debere,
cum ſubijcit pœnæ nocentem, quia legum ſit miniſter, non
animi, aut poteſtatis ſuæ. ſic enim volunt, qui iram conan-
tur euellere. ſed de ijs potiſſimum dico, qui ſunt noſtræ
poteſtatis, vt ſerui, liberi, coniuges, & diſcipuli: quos cùm

delin-

A

delinquere videmus, incitamur ad coërcendum. Neceſſe eſt enim bono, ac iuſto diſplicere, quæ praua ſunt; & cui malum diſplicet, † moueri, cum id fieri † videat. [al. mouetur. al. videt.] Ergo ſurgimus ad vindictam, non quia læſi ſumus, ſed vt diſciplina ſeruetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc eſt ira iuſta; quæ ſicut in homine neceſſaria eſt ad prauitatis correctionem, ſic vtique in Deo, à quo ad hominem peruenit exemplum. Nam ſicuti nos poteſtati noſtræ ſubiectos coërcere debemus: ita etiam peccata vniuerſorum Deus coërcere debet. Quod vt faciat, iraſcatur neceſſe eſt, quia naturale eſt bono ad alterius peccatum moueri, & incitari. ergo definire debuerunt; Ira eſt motus animi ad coërcenda peccata inſurgentis. nam definitio Ciceronis, Ira eſt libido vleiſcendi, non multum à ſuperioribus diſtat, quam poſſumus vel furorem, vel iracundiam nominare: hæc ne in homine quidem debet eſſe, † quę tota vitioſa eſt. [al. quia] Ira verò, quæ ad correctionem vitiorum pertinet; nec homini adimi debet, nec Deo poteſt, quia & vtilis eſt rebus humanis, & neceſſaria.

B

S c h o l i a.

a Ac vigorem capiant de quiete. quies igitur] *erat in libro impreſſo.* ac vigorem capiant denique requies, *legitur in antiquo codice. nam capere vigorem de quiete, Latine non dicitur. ex hoc autem .deniq, re. facile potuit fieri, de quiete. cui poſtmodum addita eſt dictio igitur, vt aliquis ſenſus eliceretur. hæc fuit occaſio errorum, ſed lectio antiqui codicis omnino retinenda eſt.*

b Superius diximus iniuſta] *lego ex antiquo codice. quia reuera talis eſt & cum infra loquatur de ira iuſta, recte hanc iniuſtam iram hoc in loco nominauit. in libro tamen impreſſo deeſt illa dictio, iniuſta.*

De peccatis vindicandis.

C a p v t XVIII.

QVid opus eſt, inquiunt, ira, cùm ſine hoc affectu peccata corrigi poſſint? Atqui nullus eſt, qui † peccatorem poſſit videre tranquillè: [al. peccantem.] C poſſit fortaſſe, qui legibus præſidet; quia facinus non ſub oculis eius admittitur, ſed defertur aliunde tanquam dubium; nec vnquam poteſt eſſe ſcelus tam clarum, vt defenſioni locus non ſit; & ideò poteſt iudex non moueri aduerſus eum, qui poteſt innocens inueniri. Cumque detectum facinus in lucem venerit; iam non ſua, ſed legum ſententia vtitur. Sed poteſt concedi, vt ſine ira faciat, quod facit. habet enim quod ſequatur. Nos certè, cùm domi peccatur à noſtris; ſiue id cernimus, ſiue ſentimus, indignari neceſſe eſt. ipſe enim peccati aſpectus, indignus eſt. nam qui non mouetur omnino; aut probat delicta, quod eſt turpius, & iniuſtius; aut moleſtiam caſtigandi fugit, quam ſedatus animus; & quieta mens aſpernatur ac renuit, niſi ſtimulauerit ira, & incitauerit: qui autem commouetur, tamen intempeſtiua † leuitate vel ſæpius, quam neceſſe eſt, vel etiam ſemper ignoſcit; [al. lenitate.] is planè & illorum vitam perdit, quorum audaciam nutrit ad facinora maiora; & ſibi ipſi æternam moleſtiarum materiam ſubminiſtrat. D Vitioſa eſt ergo in peccatis iræ ſuæ cohibitio. Laudatur Archyta Tarentinus, qui cùm in agro corrupta eſſe omnia comperiſſet, villici ſui culpam redarguens, Miſerum, inquit, quem iam verberibus necaſſem, niſi iratus eſſem. Vnicum hoc exemplum temperantiæ putant, ſed auctoritate ducti non vident, quàm inepte & locutus fuerit, & fecerit. Nam, ſicut ait Plato, nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur. Apparet, quam malum vir ſapiens propoſuerit exemplum. Si enim ſenſerint ſerui, dominum ſuum ſæuire, cùm non iraſcitur, nimparcere, cùm iraſcitur, non peccabunt vtique leuiter, ne verberentur, ſed, quantum poterunt, grauiſſimè, vt ſtomachum eius incitent, atque impunè diſcedant. Ego verò laudarem, ſi cùm fuiſſet iratus, dediſſet iræ ſuæ ſpatium; vt reſidente per interuallum temporis animi tumore, haberet modum caſtigatio. Non ergo propter iræ magnitudinem donanda erat pœna, ſed differenda; ne aut peccanti maiorem iuſto dolorem inureret, aut caſtiganti furorem. E nunc verò quæ tandem æquitas, aut quæ ſapientia eſt, vt aliquis ob exiguum delictum puniatur? ob maximum non puniatur? Quod ſi naturam rerum, cauſaſque didiciſſet; nunquam tam importunam continentiam profiteretur, vt nequam ſeruus iratum ſibi fuiſſe dominum gratularetur. Nam ſicut corpus humanum Deus multis, & varijs ſenſibus ad vſum vitæ neceſſarijs inſtruxit, ſic & animo varios attribuit affectus, quibus vitæ ratio conſtaret: vt libidinem producendæ ſobolis gratia dedit; ſic iram cohibendorum cauſa delictorum. Verum ij, qui neſciunt fines bonorum, ac malorum, ſicut libidine vtuntur ad corruptelas & ad voluptates; ſic ira, & affectu ad nocendum, *a* dum ijs, quos odio habent, iraſcuntur. Ergo etiam non peccantibus iraſcuntur, etiam paribus, aut etiam ſuperioribus. Hinc quotidie ad maxima facinora proſiliunt: [al. immania.] Hinc tragediæ ſæpe naſcuntur. Eſſet igitur laudandus Archytas, ſi, cùm alicui ciui, & pari facienti ſibi iniuriam fuiſſet iratus, repreſſiſſet ſe tamen, & patientia furoris impetum mitigaſſet. F Hæc ſui cohibitio glorioſa eſt, qua compeſcitur aliquod imminens magnum malum. Seruorum autem, filiorumque peccata non coërcere, peccatum eſt. Euadent enim ad maius malum per impunitatem. Hic non cohibenda ira, ſed etiam, ſi iacet, excitanda eſt. Quod autem de homine dicimus, id etiam de Deo, qui hominem ſimilem ſui fecit. Omitto de figura Dei dicere, quia Stoici negant habere vllam formam Deum, & ingens alia materia † naſcitur, [al. naſcetur.] ſi eos coarguere velimus: de animo tantum loquor. Si Deo ſubiacet, cogitare, ſapere, intelligere, prouidere, præſtare; ex omnibus autem animalibus homo ſolus † hoc habet: [al. hæc.] ergo ad Dei ſimilitudinem factus eſt, ſed ideo procedit in vitium, quia de terrena fragilitate permiſtus, non poteſt id, quod a Deo ſumpſit, incorruptum, purumque ſeruare, niſi ab eodem Deo iuſtitiæ præceptis imbuatur.

S c h o l i a.

a Dum ijs quos odio habent iraſcuntur, aut paribus] *erat in libro impreſſo.* dum ijs quos odio habent iraſcuntur: ergo etiam non peccantibus iraſcuntur. etiam paribus, *legendum eſt ex antiquis codicibus. nam rectè, cum iuſtam iram dixiſſet, quæ contra peccantes concipitur, nunc iniuſtam iram dicit eſſe, qua etiam contra non peccantes iraſcimur. cauſa vero errorum & omiſſionum tot verborum fuit, quod, cùm iraſcuntur, vbiq, eſſet ſcriptum, non cernens ſcriptor ad primum, cœpit a ſecundo.* G

De anima & corpore, deq, prouidentia.

C a p v t XIX.

SEd quoniam compactus eſt, vt diximus, è duobus, animo, & corpore, in altero virtutes, in altero vitia continentur, & impugnant ſe inuicem. Animi enim bona, quæ ſunt in continendis libidinibus, contraria ſunt corpori; & corporis bona, quæ ſunt in omni genere voluptatum, inimica ſunt animo. Sed ſi virtus animi repugnauerit cupiditatibus, eaſque compreſſerit, verè Deo ſimilis inuenitur. Vnde apparet animam hominis, quæ virtutem diuinam capit, non eſſe mortalem. H Sed diſcrimen illud eſt, quòd cum virtus habeat amaritudinem, & ſit dulcis illecebra voluptatis, vincuntur plurimi, & abſtrahuntur ad ſuauitatem. Ij verò, qui ſe corpori, rebuſque terrenis addixerunt, premuntur in terram, nec aſſequi poſſunt diuini † numinis gratiam, [al. muneris.] quia ſe vitiorum labibus inquinarunt. Qui autem Deum ſecuti, eique parentes, corporis deſideria contempſerint, & virtutem præferentes voluptatibus, innocentiam, iuſtitiamque ſeruauerint: hos Deus vt ſui ſimiles recognoſcit. Cum igitur ſanctiſſimam legem poſuerit, velitque vniuerſos, innocentes, ac beneficos eſſe, poteſtne non iraſci, cùm videt contemni legem ſuam, abijci virtutem, appeti voluptatem? † Quòd ſi eſt mundi adminiſtrator, [al. Qui] ſicut eſſe debet, non vtique contemnit id, quod eſt in omni mundo vel maximum. Si eſt † prouidens, vt oportet Deum, [al. prouidus.] conſulit vtique generi humano, quo ſit vita

A nostra & copioſior, & melior, & tutior. Si eſt pater, at Deus vniuerſorum, certè & virtutibus hominum delectatur, & vitijs commouetur, ergo & iuſtos diligit, & impios odit. Odio, inquit, opus non eſt: ſemel enim ſtatuit bonis præmium, & malis pœnam. Quod ſi aliquis iuſtè, innocenterque viuat, & idem Deum nec colat, nec curet omnino, vt

al. Ariſtides. † Ariſtoteles, & Timon, cæterique philoſophorum, cedetne huic impune? quod cùm legi Dei obtemperarit, ipſum tamen ſpreuerit. Eſt igitur aliquid, propter quod Deus poſſit iraſci, tanquam fiducia integritatis aduerſus eum † rebellandi.

al. rebellante. Si huic poteſt iraſci propter ſuperbiam; cur non magis peccatori qui legem cum ipſo pariter latore contempſerit? Iudex peccatis veniam dare non poteſt, quia voluntati ſeruit alienæ; Deus autem poteſt, quia eſt legis ſuæ ipſe diſceptator, & iudex, quam cùm poneret, non vtique ademit ſibi omnem poteſtatem, ſed habet ignoſcendi licentiam.

De peccatis & Dei miſericordia.

B

Capvt XX.

al. &c. SI poteſt ignoſcere, poteſt *igitur iraſci. Cur ergo inquiet aliquis, & qui peccant, ſæpe felices ſunt, & qui piè viuunt, ſæpe miſeri? Quia fugitiui, & abdicati liberè viuunt, & qui ſub diſciplina patris, aut domini ſunt, ſtrictius & frugalius. Virtus enim per mala & probatur, & conſtat; vitia per voluptatem: nec tamen ille qui peccat, ſperare debet perpetuam impunitatem, quia nulla eſt perpetua felicitas.

Sed ſcilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt, diciq; beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet:

vt ait poëta non inſuauis. Certus eſt, qui arguit felicitatem: & nemo iudicium Dei poteſt nec viuus effugere, nec mortuus. Habet enim poteſtatem & viuos præcipitare de ſummo, & mortuos æternis afficere cruciatibus. Imò, inquit, ſi iraſcitur Deus, ſtatim debuit vindicare, & pro merito quemque punire. At enim ſi id faceret, nemo ſupereſſet. Nullus eſt enim, qui nihil peccet, & multa ſunt, quæ ad

C

al. vinolentia. peccandum incitent: ætas, *violentia, egeſtas, occaſio, præmium. Adeò ſubiecta eſt peccato fragilitas carnis, qua induti ſumus, vt niſi huic neceſſitati Deus parceret, nimium fortaſſe pauci viuerent. Propter hanc cauſam patientiſſimus eſt, & iram ſuam continet. Nam quia perfecta eſt in eo virtus, neceſſe eſt patientiam quoque eius eſſe perfectam, quę & ipſa virtus eſt. Quàm multi ex peccatoribus iuſti poſtea effecti ſunt, ex malis boni, ex improbis continentes? Quàm multi in prima ætate turpes, & omnium iudicio damnati, poſtmodum tamen laudabiles extiterunt? Quod vtique non fieret, ſi omne peccatum pœna ſequeretur. Leges publicæ manifeſtos reos damnant: ſed plurimi ſunt quorum peccata occultãtur, plurimi, qui delatorem comprimunt aut precibus, aut præmio, plurimi, qui iudicia eludunt per gratiam, vel potentiam. Quòd ſi eos omnes, qui humanam pœnam effugiunt, cenſura diuina damnaret, eſſet homo aut rarus, aut nullus in terra. Denique vel vna illa cauſa delendi generis humani iuſta eſſe potuiſſet, quòd homines contempto Deo viuo, terrenis, fragilibuſque figmentis honorem diuinum tanquam cœleſtibus deferunt,

D

adorantes opera humanis digitis laborata. Cumque illos Deus artifex, ore ſublimi, ſtatu recto figuratos, ad contemplationem cœli, & notitiam Dei excitauerit, curuare ſe ad terram maluerunt, & pecudum more humi repere. Humilis enim, & curuus, & pronus eſt, qui ab aſpectu cœli, Deiq; Patris auerſus, terrena, quæ calcare debuerat, id eſt, de terra ficta, & formata veneratur. In tanta igitur impietate hominum, tantiſque peccatis id aſſequitur patientia Dei, vt ſe ipſi homines damnatis vitæ prioris erroribus corrigant. Denique & boni ſunt, iuſtique multi, & abiectis terrenis cultibus, maieſtatem Dei ſingularis agnoſcunt. Sed cùm maxima & vtiliſſima ſit Dei patientia, tamen quamuis ſero noxios punit, nec patitur longius procedere, cùm eos inemendabiles eſſe peruiderit.

De ira Dei, & hominis.

E

Capvt XXI.

SVpereſt vna maxima, & extrema quæſtio. Nam dixerit fortaſſe quiſpiam, adeo non iraſci Deum, vt † & in præceptis hominem iraſci vetet. al. etiam. Poſſem dicere, quòd ira hominis refrenanda fuerit, quia iniuſtè ſæpe iraſcitur, & præſentem habet motum, quia temporalis eſt. Itaque ne facerent ea, quæ faciunt per iram & humiles, & mediocres, & magni reges, temperari † debuerat furor eius, & comprimi; al. debuit. ne mentis impos aliquod inexpiabile facinus admitteret. Deus autem non ad præſens iraſcitur, quia æternus eſt, perfectæque virtutis, & nunquam niſi meritò iraſcitur. Sed tamen non ita res ſe habet. Nam ſi omnino prohiberet iraſci, ipſe quodammodo reprehenſor opificij ſui fuiſſet, qui à principio iram iecori hominis indidiſſet: ſiquidem creditur, cauſam huius commotionis in humore † fellis contineri. al. fellis. Non igitur in totum prohibet iraſci, quia is affectus

F

neceſſario datus eſt: ſed prohibet in ira permanere. Ira enim mortalium debet eſſe mortalis: nam ſi maneat, confirmantur inimicitiæ ad perniciem ſempiternam. * Denique rurſus * cum iraſci quidem, ſed tamen non peccare al. Deinde. al. cum. præcepit, non vtique euellit iram radicitus, ſed temperauit; vt in omni caſtigatione modum, ac iuſtitiam teneremus. Qui ergo iraſci nos iubet, ipſe vtique iraſcitur. Qui placare celerius † præcepit, eſt vtique ipſe placabilis. † Ea al. præcipit. al. ea enim. quidem præcepit, quæ ſunt iuſta, & rebus vtilia communibus. Sed quia dixeram non eſſe iram Dei temporalem, ſicut hominis, qui præſentanea commotione feruеſcit, nec facilè regere ſe poteſt a propter fragilitatem: intelligere debemus, quia ſit æternus Deus, iram quoque eius in æternum manere, ſed rurſum quia virtute ſit maxima præditus, in poteſtate habere iram ſuam, nec ab ea regi, ſed ipſum illam, quemadmodum velit, moderari. Quod vtique non repugnat ſuperiori. Nam ſi prorſus immortalis fuiſſet ira eius, non eſſet ſatisfactioni, aut gratiæ poſt delictum locus,

G

cùm ipſe homines ante ſolis occaſum reconciliari iubeat. Sed ira diuina in æternum manet aduerſus eos, qui peccant in æternum. Itaque Deus non thure, non hoſtia, non pretioſis muneribus, quę omnia ſunt corruptibilia, ſed morum emendatione placatur, & qui peccare deſinit, iram Dei mortalem facit. Iccirco enim non ad præſens noxium † quemq; punit, vt habeat homo reſipiſcendi & corrigendi al. aliquẽ. ſui facultatem.

Scholia.

a Propter fragilitatem non ideo intelligere debemus] *erat in libris impreſſis.* propter fragilitatem intelligere debemus, *legitur in vtroque codice ſancti Saluatoris, & deſunt verba illa, non ideo, quæ ſane facerent contrarium ſenſum eius quem Lactantius aperte ſignificat. Sed quum totus hic locus obſcurior eſt, breuiter eſt à nobis explicandus. iram Dei ait Lactantius eſſe æternam. quia in Deum nullum accidens, & propterea nihil temporarium cadere poteſt, verùm, quia Deus, tanquam potentiſſimus, in poteſtate habet iram ſuam, ipſa, cum nos peccata relinquimus, ceſſat: quia non habet in qua vires exerceat, cum in peccata tantum Deus iraſcatur. Sed aduerſus eos, qui peccant, & peccatis immoriuntur, ira Dei eſt æterna,*

H

quia illi, qui in ea voluntate peccandi decedunt, poſtmodum ſemper in eadem voluntate perſeuerant. quare inductis illis duabus dictionibus, non ideo, elicitur ſenſus congruens orationi Lactantij. de ſententia quidem ipſa iudicabunt alij: hoc enim tantum nos nunc agimus, vt quid voluerit dicere Lactantius, oſtendamus. mihi tamen non videtur poſſe nominari æterna ira Dei, quia nulla erat ante peccatum. niſi dicamus peccatum ipſum antequam eſſet, Deum odio habuiſſe, & in poſterum cum ſemper futuri ſint damnati, iram Dei perpetuo eſſe duraturam.

A

De peccatis: deq; ijs maximè recitati verſus Sibyllæ.

CAPVT XXII.

HÆc habui, quæ de ira Dei dicerem, Donate chariſſime; vt ſcires quemadmodum refelleres eos, qui Deum faciunt immobilem. Reſtat, vt more Ciceronis vtamur epilogo ad perorandum, ſicut ille in Tuſculanis de morte diſſerens fecit: ita nos in hoc opere teſtimonia diuina, quibus credi poſſit, adhibere debemus, vt illorum perſuaſionem † vincamus, qui ſine ira Deum eſſe credentes, diſſoluunt omnem religionem; ſine qua, vt oſtendimus, aut immanitate belluis, aut ſtultitia pecudibus adæquamur. in ſola enim religione, id eſt, in Dei ſummi notione, ſapientia eſt. Prophetæ vniuerſi diuino ſpiritu repleti, nihil aliud, quàm de gratia Dei erga iuſtos, & de ira eius aduerſus impios loquuntur. Quorum teſtimonia nobis quidem ſatis ſunt: verum ijs quoniam non credunt iſti, qui ſapientiam capillis, & habitu iactant, ratione quoque & argumentis fuerant à nobis refellendi. Sic enim præpoſterè agitur, *a* vt † humanam diuinis tribuant auctoritatem, cùm potius humanis † diuinam debuerint. Quæ nũc ſanè omittamus, ne nihil apud illos agamus, & in infinitum materia procedat. Ea igitur quæramus teſtimonia, quibus illi poſſint aut credere, aut certè non repugnare. Sibyllas multas fuiſſe, plurimi, & maximi auctores tradiderunt; Græcorum, Ariſto Chius, & Apollodorus Erythræus; noſtrorum, Varro & Feneſtella. Hi omnes præcipuam, & nobilem præter cæteras Erythræam fuiſſe commemorant. Apollodorus quidem vt de ciui, ac populari ſua gloriatur. Feneſtella verò etiam legatos Erythras à Senatu eſſe miſſos refert, vt huius Sibyllæ carmina Romam deportarentur, & ea Coſſ. Curio, & Octauius in Capitolio, quod tunc erat curante Q. Catulo reſtitutum, ponenda curarent. Apud hanc de ſummo & conditore rerum Deo huiuſmodi verſus reperiuntur.

al. euincamus. — B — *al. humanis.* — *al. diuinam.*

Ἄφθαρτος κτίστης αἰώνιος αἰθέρα ναίων,
Τοῖς τ' ἀγαθοῖς ἀγαθὸν προφέρων πολὺ μείζονα μισθόν.
Τοῖς δὲ κακοῖς ἀδίκοις τε χόλον καὶ θυμὸν ἐγείρων.

Rurſus alio loco enumerans, quibus maximè facinoribus incitetur Deus, hæc retulit.

C

Φεῦγε δὲ λατρείας ἀνόμους. θεῷ ζῶντι λάτρευε,
Μοιχείας τε φύλαξαι, καὶ ἄρσενος ἄκριτον εὐνήν.
Ἰδίαν γενεὴν παίδων τρέφε, μηδὲ φόνευε.
Καὶ γὰρ ὁ ἀθάνατος κεχολώσεται ὅς κεν ἁμάρτῃ.

SCHOLIA.

a Vt humanam diuinis tribuant auctoritatem, cum potius humanis diuinam debuerint] *erat in libris impreſſis.* ſic enim præpoſterè agitur, vt humana diuinis tribuant auctoritatem, cùm potius diuina humanis deberent, *legendum eſt ex pleriſq; codicibus antiquis: nam cum rem veriſſimam, & quæ continetur in ſacris literis, vellet teſtimonijs poëtarum demonſtrare. rectè dixit, præpoſterè ſibi eſſe faciendum, vt diuina humanis confirmaret.*

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

ἄφθαρτος. &c. i. *Incorruptibilis, & conditor æternus in æthere habitans, bonis bonum proferens multò maiorem mercedem malis autem, & iniuſtis iram, & furorem iniligens.*

D

φεῦγε. &c. i. *Fuge ſceleratas religiones, & viuo Deo famulare: adulteria caue, & maſculi inſanum cubile: propriam generationem filiorum nutrias, & ne occidas.*

Etenim et immortalis ſuccenſebit, qui peccarit.

De Dei ira & punitione: deq; ea Sibyllarum carmina recitata: caſtigatio præterea: & adhortatio.

CAPVT XXIII.

VErum quia plures, vt oſtendi, Sibyllæ à doctiſſimis auctoribus fuiſſe traduntur, vnius teſtimonium ſatis nõ ſit ad confirmandam, ſicut intendimus, veritatem. Cumææ quidem volumina, quibus Romanorum fata conſcripta ſunt, in arcanis habentur. Cæterarum tamen ferè omnium libelli, quo minus in vſu ſint omnibus, nõ vetantur. ex quibus alia denuntians vniuerſis gentibus iram Dei ob impietatem hominum, hoc modo exorſa eſt.

E

Ἐρχομένης ὀργῆς μεγάλης ἐπὶ κόσμον ἀπειθῆ
Ἔσχατον εἰς αἰῶνα θεοῦ μηνύματα φαίνω,
Πᾶσι προφητεύουσα κατὰ πόλιν ἀνθρώποισι.

Alia quoque per indignationem Dei aduerſus iniuſtos cataclyſmum priore ſeculo factum eſſe dixit, vt malitia generis humani extingueretur.

Ἐξ οὗ μηνίσαντος ἐπουρανίοιο θεοῖο
Αὐταῖσι πόλεσι καὶ ἀνθρώποισιν ἅπασιν,
Γῆν ἐκάλυψε θάλασσα κατακλυσμοῖο ῥαγέντος.

Simili modo deflagrationem poſtea futuram vaticinata eſt, qua rurſus impietas hominum deleatur.

Καὶ ποτε τὴν ὀργὴν θεοῦ οὐκ ἔτι πραϋνόντα.
Ἀλλ' ἐξεμβρίθοντα, καὶ ἐξολέοντα τὸ γένος
Ἀνθρώπων, ἅπαντα ἐκ ἐμπρησμοῦ πέρθοντα.

F

Vnde apud Naſonem de Ioue ita dicitur:

Eſſe quoq; in fatis reminiſcitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

quod tunc fiat neceſſe eſt, cũ honor, & cultus Dei ſummi apud homines interierit. Eadem tamen placari eũ pœnitentia factorum, & ſui emendatione conteſtans, hæc addidit:

Ἀλλ' ἐλεεῖ μετάθεσθε βροτοὶ τάδε, μηδὲ πρὸς ὀργὴν
Παντοίην ἀγάγητε θεὸν μέγαν. ——

Item paulò pòſt.

Οὐκ ὀλέσει, παύσει δὲ πάλιν χ' ἄλον ἤν τ' ἂν ἅπαντες
Εὐσεβίαν περὶ θυμῷ ἐνὶ φρεσὶν ἀσκήσητε.

Deinde alia Sibylla cœleſtium, terrenorumque genitorem diligi oportere denuntiat, ne ad perdendos homines indignatio eius inſurgat.

Μήποτε θυμωθεὶς θεὸς ἄφθιτος ἐξαπολέσσῃ
Πᾶν γένος ἀνθρώπων βίοτον καὶ φῦλον ἀναιδές.
Δεῖ στέργειν γενετῆρα θεὸν σοφὸν ἀέναον ὄντα.

Ex his apparet, vanas eſſe rationes philoſophorum, qui Deũ putant ſine ira, & inter cæteras laudes eius id ponũt, quod eſt inutiliſſimum, detrahentes ei, quod eſt rebus humanis maximè ſalutare, per quod conſtat ipſa maieſtas. Regnum hoc, imperiumque terrenum, niſi metus cuſtodiat, ſoluitur. Aufer iram regi, non modo nemo parebit, ſed etiam de faſtigio præcipitabitur. Imò verò cuilibet humili eripe hunc affectum, quis enim non ſpoliabit? Quis non deridebit? Quis non afficiet iniuria? Ita nec indumenta, nec ſedem, nec victum poterit habere, alijs quicquid habuerit diripientibus, nedum putemus cęleſtis imperij maieſtatem ſine ira, & metu poſſe conſiſtere. Apollo Mileſios de Iudæorum religione conſultus, reſponſo hoc indidit:

G

Ἣ δὲ θεὸν βασιλῆα καὶ γεννητῆρα πρὸ πάντων
Ὃν τρέμεται καὶ γαῖα, καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα,
Ταρτάρεοί τε μυχοί, καὶ δαίμονες ἐκφρίττουσιν.

Si tam lenis eſt, quam philoſophi volunt, quomodo ad nutum eius non modò dæmones, & miniſtri tantæ poteſtatis, ſed etiam cœlum, & terra, & rerum natura omnis contremiſcit? Si enim nullus alteri ſeruit, niſi coactus; omne igitur imperium metu conſtat, metus autem per iram. Nam ſi non moueatur quis aduerſus parere nolentem; nec cogi poterit ad obſequium. Conſulat vnuſquiſque affectus ſuos: iam intelliget, neminem poſſe ſine ira, & caſtigatione imperio ſubiugari. Vbi ergo ira non fuerit, imperium quoq; non erit. Deus autem habet imperium: ergo & iram, qua conſtat imperium, habeat neceſſe eſt. Quapropter nemo vaniloquentiæ philoſophorum inductus, ad contemptum ſe Dei erudiat, quod eſt maximum nefas. Debemus hunc omnes & amare quod pater eſt, & vereri, quòd Dominus, & honorificare, quòd beneficus, & metuere, quòd ſeuerus, vtraque perſona in eo venerabilis. Quis ſalua pietate non diligat animæ ſuæ parentem? Aut quis impunè contemnat eum, qui rerum dominator habeat in omnes veram, & æternam poteſtatem? Si patrem conſideres; ortum nobis ad lucem, qua fruimur, ſubminiſtrat: per illum viuimus: per illum in hoſpitium huius mundi intrauimus.

H

A Si Deum cogites, ille nos innumerabilibus copijs alit, ille ſuſtentat, in huius domo habitamus, huius familia ſumus, & ſi minus obſequens, quàm decebat, minuſque officioſa, quàm Domini, & parentis immortalia merita poſcebant, tamen plurimum proficit ad veniam conſequendam, ſi cultum eius, notionemque teneamus, ſi abiectis humilibus, terreniſque tam rebus, quàm bonis, cœleſtia & diuina ſempiternaq; meditemur. Quod vt facere poſſimus, b Deus nobis ſequendus eſt, Deus adorandus & diligendus, quoniam in eo eſt materia rerum, & ratio virtutum, & fons bonorum. Quid enim Deo aut potentia maius eſt, aut ratione perfectius, aut claritate luculentius? Qui quoniam nos ad ſapientiam genuit, ad iuſtitiam procreauit, non eſt fas hominem relicto Deo, ſenſus ac vitæ datore, terrenis, fragilibuſque famulari; aut quærendis temporalibus bonis inhærentem, ab innocentia & pietate † diſcedere. Non faciunt beatum vitioſæ, ac mortiferæ voluptates, non opulentia libidinum † incitatrix, non inanis ambitio, non caduci honores, quibus illaqueatus animus humanus, & corpori mancipatus, æterna morte damnatur, ſed innocentia B ſola, ſola iuſtitia: cuius legitima, & digna merces eſt immortalitas; quam ſtatuit à principio Deus ſanctis, & incorruptis mentibus, quæ ſe à vitijs, & ab omni labe terrena integras, inuiolataſque conſeruant. Huius præmij cœleſtis, ac ſempiterni participes eſſe non poſſunt, qui fraudibus, rapinis, circunſcriptionibus conſcientiam ſuam polluerunt, qui que iniurijs hominum, nefarijs commiſſis, ineluibiles ſibi maculas inuſſerunt. Proinde vniuerſos oportet, qui ſapientes, qui homines meritò dici volunt, fragilia contemnere, terrena calcare, humilia deſpicere, vt poſſint cum Deo beatiſſima neceſſitudine copulari. Auferatur impietas, diſcordiæ, diſſenſioneſq; turbulentæ, ac peſtiferæ ſopiantur; quibus humanæ ſocietates, & publici fœderis diuina coniunctio rumpitur, diuiditur, diſſipatur: quantum poſſumus, boni, ac benefici eſſe meditemur: ſi quid nobis opum, ſi quid ſuppetit copiarum, id non voluptati vnius, ſed multorum ſaluti impartiatur. Voluptas enim tam mortalis eſt, quàm corpus, cui exhibet miniſterium. Iuſtitia verò, & be- C neficentia tam immortales, quàm mens, & anima, quæ bonis operibus ſimilitudinem Dei aſſequitur. Sit nobis Deus non in templis, ſed in corde noſtro conſecratus. Deſtructibilia ſunt omnia, quæ manu fiunt. mundemus hoc templum, quod nõ fumo, nõ puluere, ſed malis cogitationibus ſordidatur, quod non cereis ardentibus, ſed claritate ac luce ſapientiæ illuminatur. In quo ſi Deum ſemper crediderimus eſſe præſentem, cuius diuinitati ſecreta mentis patent, ita viuemus, vt propitium ſemper habeamus, & nunquam vereamur iratum.

al. deſciſcere.

al. irritatrix.

Scholia.

a Id ponunt, quod eſt contra ipſam maieſtatem] *habetur in libris impreſſis.* quod eſt inutiliſſimũ, detrahentes ei, quod eſt rebus humanis maximè ſalutare, per quod conſtat ipſa maieſtas. Regnum hoc, &c. *legitur in vtroq; codice ſancti Saluatoris, quæ oratio planior eſt, ac plenior.*

b Deus nobis ſequendus eſt, Deus adorandus & diligendus eſt] *lego ex vtroq; codice ſancti Saluatoris, quia tribus, quæ adiungit, tria præcedentia optimè reſpondent: vt Deus ſit ſequendus, quia in eo eſt materia rerum: & adorandus, ob rationem virtutum: & di-* D *ligendus, quia eſt fons bonorum.*

GRÆCORVM LATINA INTERPRETATIO.

[illegible] &c. i. *Veniente ira magna ad mundum pertinacem poſtremum ad ſeculum Dei edicta pando ipſis vrbibus, & hominibus cunctis terram cooperiet mare diluuio rupto.*

[illegible] &c. i. *Et tunc Deum iram non amplius placantem, ſed aggrauantem, & perdentem genus hominum, ac totum id incendio depopulantem.*

[illegible] &c. i. *Sed miſericordia conuertimini homines nunc, neq; ad iram variam ducite Deum magnum.*

[illegible] &c. i. *Neq; perdet. ſedabit autem iterum iram, cum omnes pietatem ex animo in præcordijs exercueritis.*

E [illegible] &c. i. *Ne fortè iratus incorruptibilis Deus omne genus hominum perdat, vitam & gentem improbam, oportet genitorem Deum amare, qui ſapiens ſemper eſt.*

[illegible] &c. i. *Et regem autem & genitorem omnium, quem terra contremiſcit, cœlumque, & mare, & latebra tartarea, & dæmones abhorreſcunt.*

L. COELII FIRMIANI LACTANTII, DE OPIFICIO DEI, LIBER VNVS, ad Demetrianum auditorem ſuum.

Proœmium ad Demetrianum, de opificio Dei, ibique adhortatio.

F

Caput I.

QVAM minimè ſim quietus, etiam in ſummis neceſſitatibus, ex hoc libello poteris exiſtimare, quẽ ad te rudibus penè verbis, prout ingenij mediocritas tulit, Demetriane, perſcripſi; vt & quotidianum ſtudium meum noſſes, & non † deeſſem tibi, præceptor etiam nunc, ſed honeſtioris rei, meliorisque doctrinæ. Nam ſi te in literis nihil aliud quàm linguam inſtruentibus, auditorem ſatis ſtrenuum præbuiſti: quantò magis in his veris, & ad vitam pertinentibus docilior eſſe debebis? apud quem nunc profiteor nulla me neceſſitate vel rei, vel temporis impediri, quo minus aliquid excudam, quo philoſophi noſtræ ſectæ, quam tuemur, inſtructiores, doctioreſque in poſterum fiant, quamuis nunc malè audiant, caſtigenturque vulgo, quòd aliter quàm ſapientibus conuenit, viuant, & vitia ſub obtentu nominis celent, quibus illos aut mederi oportuit, aut ea prorſus effugere, vt beatum, atq; incorruptum ſapiẽtiæ nomen vita ipſa cum præceptis congruente præſtarent. G Ego tamen, vt nos ipſos ſimul, & cæteros inſtruam, nullum laborem recuſo. Neq; enim poſſum obliuiſci mei, tum præſertim, cùm maximè opus ſit meminiſſe, ſic ne tu quidem tui, vt ſpero, & opto. Nam licet te publicæ rei neceſſitas à veris, & iuſtis operibus auertat: tamen fieri non poteſt, quin ſubinde in cœlum aſpiciat mens ſibi conſcia recti. Ego quidem lætor, omnia tibi, quæ pro bonis habentur, proſperè florere; ſed ita, ſi nihil de ſtatu mentis immutent. Vereor enim, ne paulatim conſuetudo, vel iucunditas earum rerum (ſicut fieri ſolet) in animum tuum ſenſim repat. Ideoque te moneo, repetens iterumque monebo, ne oblectamenta iſta terræ pro magnis, aut veris bonis habere te credas; quæ ſunt non tantum fallacia, quia dubia; verùm etiam inſidioſa, quia dulcia. Nam ille colluctator, & aduerſarius noſter ſcis quàm ſit aſtutus, & idem † ipſe violentus, ſicuti nunc videmus. Is hæc omnia, quæ illicere poſſunt, pro laqueis habet, & quidem tam ſubtilibus, vt oculos mentis effugiant, † nec poſſint hominis prouiſione vitari. Summa ergo prudentia eſt, pedetentim † incedere; H quoniam vtrobique ſaluti inſidet, & offenſacula pedibus latenter opponit. Itaque res tuas proprias, in quibus nunc agis, ſuadeo, vt pro tua virtute aut contemnas, ſi potes, aut non magnopere mireris. Memento & veri parentis tui, & in † qua ciuitate nomen dederis, & cuius ordinis fueris. intelligis profectò quid loquar. Nec enim te ſuperbiæ arguo, cuius in te ne ſuſpicio quidem vlla eſt, ſed ea quæ dico, ad mentem referenda ſunt, non ad corpus, cuius omnis ratio ideo comparata eſt, vt animo tanquam domino ſeruiat, & regatur nutu eius. Vas eſt enim quodammodo fictile, quo animus, id eſt, homo ipſe verus continetur, & quidem non à Prometheo fictum (vt poëtæ loquuntur) ſed à ſummo illo rerum conditore, ac artifice Deo: cuius diuinam prouidentiam, perfectiſſimamque virtutem nec ſenſu comprehendere, nec verbo enarrare poſſibile eſt. tentabo tamen, quoniam corporis, & animi facta mentio eſt, vtriuſq; rationem, quantum puſillitas intelligentiæ meæ peruidet, explicare.

al. deeſſes.

al. ſæpe.

al. ne

al. procedere.

al. quam ciuitatem.

Quod

A Quod officium hac de cauſa maximè ſuſcipiendum puto, quòd M. Tull. vir ingenij ſingularis, in quarto de republica libro, cùm id facere tentaſſet, nihil prorſus effecit, † & materiam late patentem anguſtis finibus terminauit, leniter ſumma quæque decerpens. (al. nam.) Ac ne vlla eſſet excuſatio, cur eum locum non fuerit executus, ipſe teſtatus eſt, nec voluntatem ſibi defuiſſe, nec curam. In libro enim de legibus primo, cùm hoc idem ſummatim ſtringeret, ſic ait: Hunc locum ſatis (vt mihi videtur) in iis libris, quos legiſtis, expreſſit Scipio. Poſtea tamen in libro de natura Deorum ſecundo, hoc idem latius exequi conatus eſt. Sed quoniam ne ibi quidem ſatis expreſſit; aggrediar hoc munus, & ſummam mihi audacter explicandum, quod homo diſertiſſimus penè omiſit intactum. Forſitan reprehendas, quòd in rebus obſcuris conet aliquid diſputare, cùm videas tanta temeritate homines extitiſſe, qui vulgo philoſophi nominantur, vt ea, quæ abſtruſa prorſus, atque abdita Deus eſſe voluit, ſcrutarentur, ac naturam rerum cœleſtium, terrenarumque conquirerent, B quæ à nobis longè remotæ, neque (al. ſenſu) oculis contrectari, neque tangi manu, neque percipi † ſenſibus poſſunt. (al. afferunt) & tamen de illarum omnium ratione ſic diſputant, vt ea, quæ † aſſerunt, probata, & cognita videri velint. Quid eſt tandem, cur nobis inuidioſum quiſquam putet, ſi rationem corporis noſtri † inſpicere, & contemplari velimus? (al. diſpicere.) Quæ planè obſcura non eſt, quia ex ipſis membrorum officijs, & vſibus partium ſingularum, quanta vi prouidentiæ † quiſque † factus ſit, intelligere nobis licet. (al. quidq. al. factum)

De generatione belluarum, & hominis.

Capvt II.

Dedit enim homini artifex ille noſter, ac parens Deus ſenſum, atque rationem, vt ex eo appareret, nos ab eo eſſe generatos, quia ipſe intelligentia, ipſe ſenſus, & ratio eſt. Cæteris animantibus quoniam rationalem iſtam vitam non attribuit; quemadmodum tamen vita eorum C tutior eſſet, antè prouidit. Omnes enim ſuis ex ſe † pellibus texit, quo facilius poſſent vim pruinarum, ac † frigora ſuſtinere. (al. pilis al. frigorũ) ſingulis autem generibus ad propulſandos impetus externos ſua propria munimenta conſtituit, vt aut naturalibus telis repugnent fortioribus; aut quæ ſunt imbecilliora, ſubtrahant ſe periculis pernicitate fugiendi: aut quæ ſimul & viribus & celeritate indigent, aſtu ſe protegant, aut latibulis ſepiant. Itaque alia eorum vel plumis leuibus in ſublime ſuſpenſa ſunt, vel ſuffulta vngulis, vel inſtructa cornibus. Quibuſdam in ore arma ſunt dentes, aut in pedibus adunci vngues, nulliqúe munimentum ad tutelam ſui deeſt. Si qua verò in prædam maioribus cedunt, ne tamen ſtirps eorum funditus interiret, aut in ea ſunt relegata regione, vbi maiora eſſe non poſſunt, aut acceperunt vberem generandi fœcunditatem, vt & beſtijs, quę ſanguine aluntur, victus ſuppeteret ex illis, & illatam tamen cladem, ad conſeruationem generis multitudo ipſa ſuperaret. Hominem autem, ratione conceſſa, & virtute ſentiendi atque eloquendi data, eorum, quæ cæteris animantibus attributa ſunt, D fecit expertem, quia ſapientia reddere poterat, quæ illi naturæ conditio denegaſſet, ſtatuit nudum, & inermem; quia & ingenio poterat armari, & ratione veſtiri. Ea verò ipſa, quæ mutis data, & † homini denegata ſunt, (al. in homine) quàm mirabiliter homini ad pulchritudinem faciant, exprimi non poteſt. Nam ſi homini ferinos dentes, aut cornua, aut vngues, aut vngulas, aut caudam, aut varij coloris pilos addidiſſet, quis non ſentit, quàm turpe animal eſſet futurum, ſicut muta, ſi nuda, & inermia fingerentur? Quibus ſi detrahas vel naturalem ſui corporis veſtem, vel ea quibus ex ſe armantur, nec ſpecioſa poterunt eſſe, nec tuta, vt mirabiliter, ſi vtilitatem cogites, inſtructa, ſi ſpeciem, ornata videantur. adeò miro modo conſentit vtilitas cum decore. Hominem verò, quoniam æternum animal, atque immortale fingebat, non forinſecus, vt cætera, ſed interius armauit, nec munimentum eius in corpore, ſed in animo poſuit; quoniam ſuperuacuum fuit, cùm illi, quod erat maximum, tribuiſſet, corporalibus E eum tegere munimentis, cùm præſertim pulchritudinem humani corporis impedirent. Vnde ego philoſophorum, qui Epicurum ſequuntur, amentiam ſoleo mirari, qui naturæ opera reprehendunt, vt oſtendant, nulla prouidentia inſtructum eſſe ac regi mundum; ſed originem rerum inſecabilibus, ac ſolidis corporibus aſſignant, quorum fortuitis concurſionibus vniuerſa naſcuntur, & nata ſunt. a † Præterea, quæ ad ipſum mũdum pertinentia vitio dant, in quo ridiculè inſaniunt; id ſumo, quod ad rem, de qua nunc agimus, pertinet. (al. Prætereo.)

Scholia.

a Præterea quæ ad ipſum mundum vitio dant] *erat in libris impreſſis.* præterea quæ ad ipſum mundum pertinentia vitio dant, *habent duo optimi codices, quos ſequor. nam licet non adeo elegans oratio videatur, eſt tamen latina, & ex ea optimus ſenſus elicitur: cum vulgaris lectio neq; latina ſit, neq; aliquid ſignificet.*

F

De conditione pecudum, & hominis.

Capvt III.

Qveruntur, hominem nimis imbecillum, & fragilem naſci, quàm cætera animalia naſcuntur, quæ vt ſunt edita ex vtero, protinus in pedes ſuos erigi, & geſtire diſcurſibus, ſtatimque aëri tolerando idonea eſſe, quòd in lucem naturalibus indumentis munita proceſſerint, hominem contra, nudum, & inermem, tanquam ex naufragio in huius vitæ miſerias proijci, & expelli, qui neque mouere ſe loco, vbi effuſus eſt, poſſit; nec alimentum lactis appetere, nec iniuriam temporis ferre: itaq; naturam non matrem eſſe humani generis, ſed nouercam: quæ cum mutis tam liberaliter ſe geſſerit, hominem verò ſic effuderit, vt inops, & infirmus, & omni auxilio indigens, nihil aliud poſſit, quàm fragilitatis ſuæ conditionem ploratu, ac fletibus ſuis ominari, ſcilicet,

Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.

G Quæ cùm dicunt, vehementer ſapere creduntur, propterea quòd vnuſquiſque inconſideratè ſuæ conditioni ingratus eſt. Ego verò illos nunquam † magis deſipere contendo, quam cùm hæc loquuntur. (al. tam) Conſiderans enim conditionem rerum, intelligo nihil fieri aliter debuiſſe, quàm factum eſt, vt non dicam, potuiſſe, quia Deus poteſt omnia, ſed neceſſe eſt, † quòd illa prouidentiſſima maieſtas id effecerit, quod erat melius, & rectius. (al. vt) Libet igitur interrogare iſtos diuinorum operum reprehenſores, quid in homine deeſſe, quia imbecillior naſcitur, credant, num idcirco minus educentur homines, num minus ad ſummum robur ętatis prouehantur, num imbecillitas aut incrementum impediat, aut ſalutem: quoniam quæ deſunt, ratio deprehendit. At hominis, inquiunt, educatio maximis laboribus conſtat. pecudum ſcilicet conditio melior, quòd hæ omnes, cum fœtum ediderint, non niſi paſtus ſui curam gerunt. ex quo efficitur, vt vberibus ſua ſponte diſtentis, alimentum lactis fœtibus miniſtretur, & id, cogente natura, ſine matrum ſolicitudine appetant. Quid aues? quarum ratio diuerſa eſt; H nónne maximos ſuſcipiunt in educando labores? vt interdum aliquid humanæ intelligentiæ habere videantur. nidos enim aut luto ædificant, aut virgultis, † & frondibus conſtruunt, & ciborum expertes, incubant ouis, & quoniam fœtus de ſuis corporibus alere datum non eſt, cibos conuehunt, & totos dies in huiuſmodi diſcurſione conſumunt, noctibus vero defendunt, fouent, protegunt. (al. aut è) Quid amplius facere homines poſſunt? niſi hoc ſolum fortaſſe quòd non expellunt adultos, ſed perpetua neceſſitudine, ac vinculo charitatis adiunctos habent. Quid, quòd auium fœtus multo fragilior eſt, quàm hominis? Quia non ipſum animal edunt, ſed quod materni corporis † fœtu, & calore tepefactum, animal efficiat, quod tamen cum ſpiritu fuerit animatum. (al. fotu) id verò implume, ac tenerum non modo volandi, ſed ambulandi quoque vſu caret. Num ergo ineptiſſimus ſit, ſi quis putet malè cum volucribus egiſſe naturam, primùm quod bis naſcuntur, deinde, quòd tam infirmæ, vt ſint quæſitis per laborem ci-

A bis à parentibus nutriendæ: Sed illi fortiora eligunt, imbecilliora prætereunt. Quæro igitur ab iis, qui conditionem pecudum ſuæ præferunt, quid eligant, ſi Deus his deferat optionem, vtrum malint, humanamne ſapientiam cum imbecillitate, an pecudum firmitatem *a* cum illarum natura? Quid optant, quid eligunt? Scilicet non tam pecudes ſunt, vt non malint vel fragiliorem multo, quàm nunc eſt, dummodo humanam, quàm illam irrationabilem firmitatem. Sed videlicet prudentes viri neque hominis rationem volunt cum fragilitate, neque mutorum firmitatem ſine ratione. † Quare nihil eſt tam repugnans, tamque contrarium; quod vnumquodque animal aut ratio inſtruat neceſſe eſt, aut conditio naturæ. Si naturalibus munimentis inſtruatur, ſuperuacua ratio eſt. Quid enim excogitabit? quid faciet? aut quid molietur? aut in quo lumen illud ingenij oſtendet, cum ea, quæ poſſunt eſſe rationis, vltro natura concedat? Si autem ratione ſit præditum, quid opus

al. Quod

B erit ſepimentis corporis, cùm ſemel conceſſa ratio naturæ munus poſſit implere. Quæ quidem tantum valet ad ornandum, tuendumque hominem, vt nihil potuerit maius, ac melius à Deo dari. Denique cum & corporis non magni homo, & exiguarum virium, & valetudinis ſit infirmæ; tamen quoniam id, quod eſt maius, accepit, & inſtructior eſt cæteris animalibus, & ornatior. Nam cùm fragilis, imbecilliſque naſcatur, tamen & à mutis omnibus tutus eſt, & ea omnia, quæ firmiora naſcuntur, etiam ſi vim cœli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta eſſe non poſſunt. Ita fit, vt plus homini conferat ratio, quàm natura mutis, quoniam in illis † nec magnitudo virium, neque firmitas corporis efficere poteſt, quo minus aut opprimantur à nobis, aut noſtræ ſubiecta ſint poteſtati. Poteſtne igitur aliquis, cùm videat etiam boues & vaccas, *b* aut † equos cum immaniſſimis corporibus ac viribus ſeruire homini, queri de opifice rerum Deo, quòd modicas vires, quòd paruum corpus acceperit? nec beneficia in ſe diuina pro merito æſtimat: quod eſt ingrati, aut (vt verius † loquamur) inſani. Melius igitur Plato, vt hos, credo, ingratos refelleret, naturæ gratias egit, quòd homo natus eſſet. Quod & ipſum quale ſit, non eſt huius materiæ ponderare. Quanto melius, &

al. neq.

al. elephantes

al. loquar

C ſanius, qui ſentit conditionem hominis eſſe meliorem, quàm iſti, qui ſe pecudes natos eſſe † maluerint. Quos ſi Deus in ea ſorte † conuerteret animalia, quorum ſortem præferunt ſuæ, iam profectò cupiant remigrare, magniſque clamoribus conditionem priſtinam flagitent, quia non eſt tanti robur, ac firmitas corporis, vt officio linguæ careas, aut auium per aërem libera diſcurſatio, vt manibus indigeas. Plus enim manus præſtant, quàm leuitas, vſuſque pennarum; plus lingua, quàm totius corporis fortitudo. Quæ igitur amentia eſt, ea præferre, quæ, ſi data ſint, accipere detrectes?

al. maluerunt

al. conuerteret

S c h o l i a.

a Cum illarum natura. Quid optant? quid eligunt] *addo ex antiquo codice. nam & vim maiorem adhibetur orationi, & eſt imitatio quadam eius, quod in primo ſermone dixit Horatius:*

— Si quis Deus, en ego, dicat,
Iam faciam quod vultis, eris tu, qui modo miles,
Mercator, tu conſultus modo, ruſticus: hinc vos,
Vos hinc, mutatis diſcedite partibus. eia,
Quid ſtatis? nolunt. atqui licet eſſe beatis.

D

b Ante quos cum immaniſſimis corporibus] *erat in libris impreſsis.* aut equos, aut elefantes cum immaniſſimis corporibus ac viribus, *legendum eſt ex antiquo codice. ita vt immanitas hæc corporis ad elefantes referenda ſit. nam cæterorum corpora non poſſunt dici immania.*

De imbecillitate hominis.

C a p v t IV.

Iidem queruntur, † hominem morbis, & immaturæ morti eſſe † ſubiectum. Indignantur videlicet, non Deos ſe eſſe natos. Minimè, inquiunt, ſed ea hoc oſtendimus, hominem nulla prouidentia eſſe factum, quòd aliter fieri debuit. Quid ſi oſtendero, id ipſum magna ratione prouiſum eſſe, vt morbis vexari poſſet, & vita ſæpe in medio curſus ſui ſpatio rumperetur? Cùm enim Deus, animal, quod fecerat, ſua ſponte ad mortem tranſire cognouiſſet, vt mortem ipſam, quæ eſt diſſolutio naturæ, capere poſſet; dedit ei fragilitatem, quæ morti aditum ad diſſoluendum animal inueniret. Nam ſi eius roboris fieret, vt ad eum morbus, & ægritudo adire non poſſet, ne mors quidem poſſet; quoniam mors ſequela morborū eſt. Immatura verò mors quomodo abeſſet ab eo, cui eſſet conſtituta natura? Nempe nullum hominem mori volunt, niſi cùm centeſimum ætatis compleuerit annum. Quomodo illis in tanta repugnantia rerum ratio poterit conſtare? Vt enim ante annos centum mori quiſque non poſſit, aliquid illi roboris, quod ſit immortale, tribuendum eſt. Quo conceſſo, neceſſe eſt

al. homines
al. ſubiectos

E

F conditionem mortis excludi. Id autem ipſum cuiuſmodi poteſt eſſe, quòd hominem contra morbos, & ictus extraneos ſolidum, atque inexpugnabilem faciat? Cùm enim conſtet ex oſſibus, & neruis, & viſceribus, & ſanguine, quid horum poteſt eſſe tam firmum, vt fragilitatem repellat ac mortem? Vt igitur homo indiſſolubilis ſit ante illud tempus, quod illi putant oportuiſſe conſtitui, ex qua ei materia corpus attribuent? Fragilia ſunt omnia, quæ videri, ac tangi poſſunt. Supereſt, vt aliquid ex cœlo petant, quoniam in terra nihil eſt, quod non ſit infirmum. Cùm ergo homo ſic formandus eſſet à Deo, vt mortalis eſſet aliquando; res ipſa exigebat, vt terreno, & fragili corpore fingeretur. Neceſſe eſt igitur, vt mortem recipiat, quandolibet, quoniam corporalis eſt. corpus enim quodlibet ſolubile, atque mortale eſt. Stultiſſimi ergo ſunt, qui de morte immatura queruntur, quoniam naturæ conditio locum illi facit. Ita conſequens erit, vt morbis quoque ſubiectus ſit. Neque enim patitur natura, vt abeſſe poſſit infirmitas ab eo corpore, quod receit eo non ſolidū, firmumque natum eſt, vt aliquando ſoluendum ſit. Sed putemus fieri poſſe, quemadmodum volunt, vt homo non ea conditione naſcatur, qua morbo, mortive ſubiectus ſit, niſi percepto ætatis ſuæ ſpatio, ad vltimam proceſſerit ſenectutem. Non igitur vident, ſi

G ita ſit conſtitutum, quid ſequatur; *a* hominem vtique certo tempore mori nullo modo poſſe: ſed, ſi prohibeti ab altero victu poteſt, mori poterit: res igitur exigit, vt homini, qui ante certum diem mori non poteſt, ciborum alimentis, quia ſubtrahi poſſunt, opus non ſit. Si opus cibo non erit, iam non homo ille, ſed Deus fiat. Ergo (vt ſuperius dixi) qui de fragilitate hominis queruntur, id potiſſimum queruntur, quòd non immortales, & ſempiterni ſint nati. Nemo, niſi ſenex, mori debet. Nempe ideo mori debet, quia Deus non eſt. Atqui mortalitas non poteſt cum immortalitate coniungi: ſi enim mortalis eſt in ſenectute, immortalis eſſe in adoleſcentia non poteſt, nec eſt ab eo conditio mortis aliena, qui quandoque moriturus eſt, nec vlla immortalitas eſt, cui ſit terminus conſtitutus. Ita ſit, vt & immortalitas excluſa in perpetuum, & ad tempus recepta mortalitas, hominem conſtituat in ea conditione, vt ſit in qualibet ætate mortalis. Quadrat igitur neceſſitas vndique, nec debuiſſe aliter fieri, nec fas fuiſſe. Sed iſti rationem ſequentium non vident, quia ſemel errauerunt in ip-

H ſa ſumma. Excluſa enim de rebus humanis diuina prouidentia, neceſſario ſequebatur, vt omnia ſua ſponte ſint nata. Hinc inuenerunt illas minutorum ſeminum plagas, & concurſiones fortuitas, quia rerum originem non videbant. In quas ſe anguſtias cum coniecissent, iam cogebat eos neceſſitas æſtimare, animas cum corporibus naſci, & item cum corporibus extingui. aſſumpſerant enim, nihil fieri mente diuina. Quod ipſum non aliter probare poterant, quàm ſi oſtenderent eſſe aliqua, in quibus videretur prouidentiæ ratio claudicare. Reprehenderunt igitur ea, in quibus *b* vel maximè † diuinitatem ſuam † prouidentia mirabiliter expreſſit, vt illa, quæ retuli, de morbis, & immatura morte, cum debuerint cogitare, his aſſumptis, quæ neceſſario ſequerentur. ſequuntur autem illa, quæ dixi. ſi morbum non reciperent, neque tectis, neque veſtibus indigerent. quid enim ventos, aut imbres, aut frigora metuerent, quorum vis in eo eſt, vt morbos afferant,

al. diuinitas.
al. prouidentiam.

A Iccirco enim accepit ſapientiam, vt aduerſus nocentia fragilitatem ſuam muniat. Sequitur neceſſario, vt quoniam retinendæ rationis cauſa morbos capit; etiam mortem ſemper accipiat, quia is, ad quem morbus non venit, firmus ſit neceſſe eſt; infirmitas autem habet in ſe mortis conditionem, firmitas verò vbi fuerit, nec ſenectus locum poteſt habere, nec mors, quæ ſequitur ſenectutem. Prætetea, ſi mors certæ conſtituta eſſet ætati, fieret homo inſolentiſſimus, & humanitate omni careret. Nam ferè iura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ea metu, & conſcientia fragilitatis oriuntur. Denique imbecilliora, & timidiora quæque animalia congregantur, vt quoniam viribus tueri ſe nequeunt, multitudine tueantur: fortiora verò ſolitudines appetunt, quoniam robore, viribuſque confidunt. Homo quoque ſi eodem modo haberet ad propulſanda pericula ſuppetens robur, nec vllius alterius auxilio indigeret, quæ ſocietas eſſet? quæ reuerentia inter ſe? quis ordo? quæ ratio? quæ humanitas? aut quid eſſet † deterius homine? quid efferatius? quid immanius? Sed quoniam imbecillis eſt, nec per ſe poteſt ſine homine viuere, ſocietatem appetit, vt vita communis & ornatior fiat, & tutior. [al. tetrius]

B Vides igitur omnem hominis rationem in eo vel maximè ſtare, quod nudus, fragiliſque naſcitur, quòd morbis afficitur, quòd immatura morte multatur. Quæ ſi homini detrahantur, rationem quoque, ac ſapientiam detrahi, neceſſe eſt. Sed nimis diu de rebus † apertis diſputo, cum ſit liquidum, nihil ſine prouidentia nec factum eſſe vnquam, nec fieri potuiſſe. De cuius operibus vniuerſis ſi nunc libeat diſputare, per ordinem, infinita materia eſt. Sed ego de vno corpore hominis tantum inſtitui dicere, vt in eo diuinæ prouidentiæ poteſtatem, quanta fuerit, oſtendam, his duntaxat in rebus, quæ ſunt comprehenſibiles, & apertæ: nam illa, quæ ſunt animæ, nec ſubijci oculis, nec comprehendi queunt. Nunc de ipſo vaſe hominis loquamur, quod videmus. [al. aperuiſſimis]

S c h o l i a.

a Homiuem vtique niſi certo tempore mori nullo modo poſſe] *erat in libro impreſſo.* hominem vtique certo tempore mori nullo modo poſſe, *legendum eſt, ſicut meliores codices habent. & expungenda eſt dictio, niſi. nam ipſe vult docere, ex eo quod Epicurei volebant, effici, vt homo poſſet eſſe immortalis. quod quidem niſi inducta illa dictione, non efficitur.*

C *b* Vel maximè diuinitatem ſuam prouidentia mirabiliter expreſſit] *erat in libro impreſſo.* maximè diuinitas ſuam prouidentiam, *legendum eſt ex pleriſque antiquis codicibus. cum enim prouidentia à Deo proficiſcatur, melius hoc modo legitur, quam vt eſt in libro typis excuſo.*

De ſiguris animalium, & membris.

C a p v t V.

D In principio; cùm Deus fingeret animalia, noluit ea in rotundam formæ ſpeciem conglobare, atque colligere; vt & moueri ad ambulandum, & flectere ſe in quamlibet partem facilè poſſent: ſed ea ipſa corporis ſumma produxit caput: item produxit membra quædam longius, quæ vocantur pedes, vt alternis motibus ſolo hæa perducerent animal, quò mens tuliſſet, aut quò petendi cibi neceſſitas prouocaſſet. Ex ipſo autem vaſculo corporis quatuor fecit extantia, bina, poſterius; quæ ſunt in omnibus pedes: item bina capiti, & collo proxima, quæ varios animantibus vſus præbent. In pecudibus enim, ac feris ſunt pedes poſterioribus ſimiles, in homine autem manus, quæ non ad ambulandum, ſed ad faciendum, † operandumque ſunt natæ. Eſt & tertium genus, in quo priora illa neque pedes, neque manus ſunt, ſed alæ; in quibus † pennæ per ordinem fixæ, volandi exhibent vſum. Ita vna fictio diuerſas ſpecies, & vſus habet. Atque vt ipſam corporis craſſitudinem firmiter comprehenderent, maioribus, & breuibus oſſibus inuicem colligatis, quaſi carinam compegit, quam nos dicimus ſpinam, eamque noluit ex vno, perpetuoque [al. tendendũ] [al. pinnæ]

E oſſe formare, ne g[illegible] flectendi [illegible] celeritatem animal non haberet. E[illegible] parte quaſi media coſtas, id eſt tranſuerſa, & [illegible] oſſa porrexit in diuerſum, quibus clementer curuatis, & in ſe [illegible] lut in circulum pene conductis, interna viſcera contegantur, vt [illegible] a, quæ † mollia, & minus valida fieri opus erat, illius ſolidæ cratis amplexu poſſent eſſe munita. In ſumma verò conſtructionis eius, quam ſimilem nauis carinæ diximus, caput collocauit, in quo eſſet regimen totius animantis, datumque illi hoc nomen eſt, vt quidem Varro ad Ciceronem ſcribit, quòd hinc capiant initium ſenſus ac nerui. Ea verò, quæ diximus de corpore vel ambulandi, vel faciendi, vel volandi cauſa eſſe producta, neque nimium longis, propter celerem mobilitatem, neque nimium breuibus, propter firmitatem, ſed & paucis, & magnis oſſibus, conſtare voluit. Aut enim bina ſunt, vt in homine, aut quaterna, vt in quadrupede; quæ tamen non fecit ſolida, ne in gradiendo pigritia, & grauitas retardaret, ſed cauata, & ad vigorem corporis conſeruandum medullis intrinſecus plena, eaque rurſus non æqualiter porrecta finiunt; ſed ſummas eorum partes craſſioribus nodis conglobauit, vt & ſubſtringi neruis facilius, & verti tutius poſſent, vnde ſunt vertibula nominata. [al. mollitia]

F Eos nodos firmiter ſolidatos leui quodam operculo texit, quod dicitur cartilago, ſcilicet, vt ſine attritu, & ſine ſenſu doloris aliquo flecterentur. Eoſdem tamen non in vnum modum formauit: alios enim fecit ſimplices, & in orbem rotundos, in iis duntaxat articulis, in quibus moueri membra in omnes partes oportebat, vt in ſcapulis, quoniam manus vtrolibet agitari, & contorqueri neceſſarium eſt: alios autem latos, & æquales, & in vnam partem rotundos, & in his vtique locis, vbi tantummodo curuari membra oportebat, vt in genibus, & in cubitis, & in manibus ipſis. Nam ſicut manus ex loco, vnde oriuntur à corpore, vbique verſus moueri, ſpecioſum ſimul, & vtile fuit. ſic profectò ſi hoc idem etiam cubitis accederet, & ſuperuacuus eſſet huiuſmodi motus, & turpis. Iam enim manus amiſſa dignitate, quã nunc habet, mobilitate nimia proboſcidi ſimilis videretur, eſſetque homo planè anguimanus. Quod genus in illa immaniſſima bellua mirabiliter effectum eſt.

G Deus enim, qui prouidentiam & poteſtatem ſuam multarum rerum mirabili varietate voluit oſtendere; quoniam caput eius animalis non tam longè porrexerat, vt terram poſſet ore contingere, quòd erat futurum horribile, atq; tetrum, & quia os ipſum profuſis dentibus ſic armauerat, vt etiam ſi contingeret, paſcendi tamen facultatem dentes adimerent: produxit inter eos à ſumma fronte molle, ac flexibile membrum, quo prendere, quo tenere quodlibet poſſet, † vt rationem victus capiendi vel dentium prominens magnitudo, vel ceruicis breuitas impediret. [al. ne]

De Epicuri errore: & membris, eorumque vſibus.

C a p v t VI.

NOn poſſum hoc loco teneri, quo minus Epicuri ſtultitiam rurſum coarguam. illius enim ſunt omnia, quæ delirat Lucretius. qui, vt oſtenderet animalia non artificio aliquo diuinæ mentis, ſed vt ſolet, fortuito eſſe nata; dixit,

H in principio mundi alias quaſdam innumerabiles animantes miranda ſpecie, & magnitudine fuiſſe natas, ſed eas permanere non potuiſſe, quòd illas aut ſumendi cibi facultas, aut coëundi, generandique ratio defeciſſet. Videlicet vt atomis ſuis locum faceret per infinitum, & inane volitantibus, diuinam prouidentiam voluit excludere. Sed cum videret, in omnibus quæ ſpirant, mirabilem prouidentiæ ineſſe rationem: *a* † quod malum † vanitatis erat, dicere fuiſſe animalia prodigioſa, *b* in quibus naſcendi ratio ceſſaſſet? Quoniam igitur omnia, quæ videmus, cum ratione nata ſunt, id enim ipſum naſci, efficere niſi ratio non poteſt, manifeſtum eſt, nihil omnino rationis expers potuiſſe generari. † At enim prouiſum eſt in ſingulis quibuſque fingendis, quatenus & miniſterio membrorum ad neceſſaria vitæ vteretur, & quatenus adiugatis corporibus elata ſoboles, vniuerſas generatim conſeruaret animantes. [al. quæ] [al. vanitas] [al. Atque]

A

Nam ſi peritus architectus, cùm magnum aliquod ædificium facere conſtituit, primò omnium cogitat, quæ ſumma perfecti ædificij futura ſit, & antè emetitur, quem locum leue pondus expectet, vbi magni † operis ſtatura ſit moles, quæ columnarum interualla, qui, aut vbi aquarum cadentium decurſus, exitus, & receptacula, hæc inquam prius † præuidet, vt quæcunque ſunt perfecto iam operi neceſſaria, cum ipſis fundamentis pariter ordiatur: cur Deū quiſquam putet machinandis animalibus non antè prouidiſſe, quæ ad viuendum neceſſaria eſſent, quàm ipſam vitam daret? Quæ vtique conſtare non poſſet, niſi prius effecta eſſent quibus conſtat. Videbat igitur Epicurus in corporibus animalium diuinæ rationis ſolertiam, ſed vt efficeret quod antè imprudenter aſſumpſerat, adiecit aliud deliramentum ſuperiori congruens. Dixit enim, neque oculos ad videndum eſſe natos, neque aures ad audiendum, neque pedes ad ambulandum, quoniam membra hæc prius nata ſunt, quàm eſſet vſus videndi, & audiendi, & ambulandi; ſed horum omnia officia ex natis extitiſſe. Vereor, ne huiuſmodi portenta, & ridicula refutare, non minus ineptum eſſe videatur. Sed libet ineptire; quoniam cum inepto agimus, ne ſe ille nimis argutum putet. Quid ais Epicure? ſi non ſunt ad videndum oculi nati; cur igitur vident? Poſtea inquit, vſus eorum apparuit. Videndi ergo cauſa nati ſunt; ſiquidem nihil poſſunt aliud, quàm videre. Item membra cætera, cuius rei cauſa nata ſint, ipſe vſus oſtendit. Qui vtique nullo modo poſſet exiſtere, niſi eſſent membra omnia tam ordinatè, tam prouidenter effecta, vt vſum poſſent habere. Quid enim, ſi dicas aues non ad volandum eſſe natas, neque feras ad ſæuiendum, neque piſces ad natandum, neque homines ad ſapiendum; cum appareat ei naturæ, officioque ſeruire animantes, ad quod † ſunt quæq; generata? Sed videlicet qui ſummā veritatis amiſit, ſemper errare neceſſe eſt. Si enim non prouidentia, ſed fortuitis atomorū concurſionibus naſcuntur omnia, cur nunquam fortuito accidit, ſic coire illa principia, vt efficerent animal eiuſmodi, quod † naribus potius audiret, † odoraret oculis, auribus cerneret? Si enim primordia nullum genus poſitionis inexpertum relinquunt; oportuit eiuſmodi quotidie monſtra generari, in quibus membrorum ordo præpoſterus, & vſus longè diuerſus exiſteret. Cum verò vniuerſa genera, & vniuerſa † quoque membra leges ſuas, ordines, & vſus ſibi attributos tueantur: manifeſtum eſt, nihil fortuitò eſſe factum, quoniam diuinæ rationis diſpoſitio perpetua ſeruatur. Verùm alias refellemus Epicurum. nunc de prouidentia (vt cœpimus) diſſeramus.

al. oneris — al. prouidet — B — al. eſt — al. naribus — al. odoraretur — C — al. quæque

S c h o l i a.

a Quæ, malum, vanitas erat] *legendum eſt ex antiquis codicibus. quod, quàm aptè, ac latinè dicatur, quiuis bonis literis mediocriter imbutus facilè intelliget. Sed cum aliqui vim horum verborum non intelligerent, mutarunt, quod malum vanitatis.*

b In quibus naſcendi ratio ceſſaſſet] *lego ex antiquis codicibus. nam ſupra dixerat, Epicurum dixiſſe illas magnas beſtias periiſſe. quod eis coeundi, generandiq; ratio defeciſſet, nunc verò hoc idem repetens, ait, in quibus naſcendi ratio ceſſaſſet. Ac niſi addas illam dictionem, naſcendi, nulla erit ſententia.*

D

De partibus omnibus corporis.

C a p v t VII.

DEus igitur ſolidamenta corporis, quæ oſſa dicuntur, nodata, & adiuncta inuicem neruis alligauit atque conſtrinxit, quibus mens, ſi excurrere, aut reſiſtere vellet, tanquam retinaculis vteretur, & quidem nullo labore, nulloq́ue conatu, ſed minimo † nutu totius corporis molem temperaret, ac flecteret. Hæc autem viſceribus operuit, *a* vt † quemcunque locum decebat, vt quæ ſolidè eſſent concluſa tegerentur. Item viſceribus ipſis venas admiſcuit quaſi riuos per corpus omne diuiſos, per † quos diſcurrens humor, & ſanguis, vniuerſa membra ſuccis vitalibus irrigaret, & ea viſcera formata in eum modum, qui vnicuique generi, ac loco aptus fuit, ſuperiecta pelle contexit: quam vel ſola pulchritudine decorauit, vel ſetis adoperuit, vel ſquamis muniuit, vel plumis inſignibus adornauit. Illud verò commentum Dei mirabile, quòd vna diſpoſitio, & vnus habitus *b* innumerabiles † animantium † perferat varietates. Nam in omnibus ferè, quæ ſpirant, eadem ſeries, & ordo membrorum eſt. Primum enim caput, & huic anneхa ceruix. Item collo pectus adiunctum, & ex eo prominentes armi, adhærens pectori venter. Item ventri ſubnexa genitalia. Vltimo loco femora, pedeſque. Nec ſolum membra ſuum tenorem, ac ſitum in omnibus ſeruant, ſed etiam partes membrorum. Nam in vno capite ipſo certa ſedem poſſident aures, certam oculi, nares item, os quoque, & in eo dentes, & lingua. Quæ omnia cùm ſint eadem in omnibus animantibus; tamen infinita, & multiplex diuerſitas figurarum eſt; quòd ea quæ dixi, aut producta, aut contracta lineamentis variè differentibus comprehenſa ſunt. Quid illud? Nónne diuinum, quod in tāta viuentium multitudine vnumquodq; animal cum ſuo genere, ſpecie pulcherrimum eſt? vt ſiquid viciſſim de altero in alterum transferatur, nihil impeditius ad vtilitatem, nihil deformius ad aſpectum videri neceſſe ſit: vt ſi elephanto ceruicem prolixam tribuas, aut camelo breuem, vel ſi ſerpentibus pedes aut pilos addas, in quibus porrecta æqualiter corporis longitudo nihil aliud exhibeat, niſi vt maculis terga diſtincti, & ſquamarum leuitate ſuffulti, in lubricos tractus ſinuoſis flexibus laberentur. In quadrupedibus autem idem opifex continuatum ſpinæ à ſummo capite deductum, longius extra corpus eduxit, & acuminauit in caudam; vt obſcœnæ corporis partes vel propter fœditatem tegerentur, vel propter teneritudinem munirentur; vt animalia quædam minuta, & nocentia motu eius abigerentur à corpore. Quod membrum ſi † detrahas; imperfectum fit animal, ac debile. Vbi autem ratio, & manus eſt, tam non eſt id neceſſarium, quàm indumentum pilorum. adeò in ſuo † quoque genere aptiſſimè congruunt, vt neque nudo quadrupede, neque homine tecto excogitari quicquam turpius poſſet. ſed tamen cum ipſa nuditas hominis mirè ad pulchritudinem valeat, non tamen etiam capiti congruebat. quanta enim in eo futura deformitas eſſet, ex caluitio apparet. texit ergo illud pilo. & quia in ſummo futurum erat, quaſi ſummum ædificij culmen ornauit. Qui ornatus non eſt in orbem coactus, aut in figuram † pilæ teres factus, ne quibuſdam partibus nudis eſſet informis, ſed † alibi † infuſus, † alibi retractus pro † cuiuslibet loci decentia. Frons ergo vallata per circuitum, & à temporibus effuſi ante aures capilli, & earum ſummæ partes in coronæ modum cinctæ, & occipitium omne contectum, ſpeciem miri decoris oſtentant. Iam barbæ ratio incredibile eſt quantum conferat vel ad dignoſcendā corporum maturitatem, vel ad differentiam ſexus, vel ad decorem virilitatis, ac roboris; vt videatur omninò non conſtatura fuiſſe totius corporis ratio, ſi quicquam aliter eſſet effectum.

al. moru — al. quēque — al. quas — E — al. imaginis — a. præferat — ge. — F — . detra. — a. quæque — G — al. pilæ — al. … — al. cuiuſq.

S c h o l i a.

a Vt quemcunque locum decebat, vtiq; ſolida oſſa concluſa tegerent] *habent libri impreſſi.* vt quemq́ue locum decebat, vt quæ ſolida eſſent concluſa tegerentur, *lego ex vtroque codice ſancti Saluatoris. illud vero, vt quemque locum decebat, intelligendum eſt, vt crura, & brachia cinxerit ſolidioribus quibuſdam muſculis, quia ſic opus erat ad motum: coſtas vero molli carne & abdomine, quia ſic opus erat, vt ſtomachus foueretur, vt quæ ſolida eſſent, id eſt oſſa, concluſa tegerentur. quod ſi legas, vt eſt in libris impreſſis, nullus eſt ſenſus huius loci.*

H

b Innumerabiles animantium perferat varietates, *habent libri impreſſi.* innumerabiles imaginis præferat varietates, *lego ex antiquis codicibus. nam varietates maximè cernuntur in imagine. & perferat, nihil ſignificat, quod ad hanc rem poſſit pertinere, ſed legendum eſt omnino, præferat.*

c In ſuo genere & ſpecie] *habent libri impreſſi.* in ſui generis ſpecie, *lego ex antiquo codice: eſt autem ſenſus, vt in exemplis, quæ ipſe affert de elefante, & camelo, dicamus, illa ſpecie brutorum nihil mutari poſſe.*

De

A

De hominis partibus: & ibi de oculis, & auribus.

CAPVT VIII.

NVnc rationem totius hominis oſtendam, ſingulorumq́; membrorum, quæ in corpore aperta aut operta ſunt, vtilitates, & habitus explicabo. Cum igitur ſtatuiſſet Deus ex omnibus animalibus ſolum hominem facere cœleſtem, cætera vniuerſa terrena; hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemque conſtituit, ſcilicet vt eadem ſpectaret, vnde illi origo eſt: illa verò depreſſit ad terram, vt quia nulla his immortalitatis expectatio eſt, toto corpore in humum proiecta, ventri, pabuloque ſeruirent. Hominis itaque ſolius recta ratio eſt & ſublimis ſtatus, & vultus Deo patri communis, ac proximus, originem ſuam, fictoremque teſtatur. Eius propè diuina mens quia non tantum animantium, quæ ſunt in terra, ſed etiam ſui corporis eſt ſortita dominatum, in ſummo capite collocata, tanquam in arce ſublimi ſpeculatur omnia, & contuetur.

B

Hanc eius aulam Deus non obductam porrectamque formauit, vt in mutis animalibus, ſed orbi, & globo ſimilem, quod † orbis rotunditas perfectæ rationis eſt, ac figuræ.

al. omnis

Eo igitur mens, & ignis ille diuinus tanquam cœlo tegitur. cuius cum ſummum faſtigium naturali veſte texiſſet, priorem partem, quæ dicitur facies, neceſſarijs membrorum miniſterijs & inſtruxit pariter, & ornauit. Ac primùm quod oculorum orbes concauis foraminibus † concluſit; à quo foratu frontem nominatam Varro exiſtimauit, & eos neque minus, neque amplius, quàm duos eſſe voluit, quod ad ſpeciem nullus eſt perfectior numerus, quàm duorum, ſicut & aures duas, quarum duplicitas incredibile eſt quãtam pulchritudinem † præ ſe ferat; quod tum pars vtraque ſimilitudine ornata eſt, tum vt venientes altrinſecus voces facilius colligantur.

al. incluſit

al. præferat

nam & forma ipſa mirandum in modum ficta, quòd earum foramina voluit eſſe nuda, & inobſepta, quod & minus decorum, & minus vtile fuiſſet, quoniam ſimplicium cauernarum anguſtias prætereuolare vox poſſet & ſpargi, niſi † perceptam per cauos ſinus, & repercuſſu † retenta foramina ipſa † conueherent, illis ſimilia vaſculis, quibus impoſitis ſolent anguſtiora vaſa compleri. Eas igitur aures, quibus eſt inditum nomen à vocibus hauriendis (vnde Virgilius,

al. exceptã

C

al. retẽtam

al. combiberent

Vocemq́; his auribus hauſi:

aut quia vocẽ ipſam Græci αὐδὴν vocant ab auditu, per immutationem literæ, aures velut audes ſunt nominatæ) noluit Deus artifex mollibus pelliculis informare, ne pulchritudinem demerent pendulæ, atque flaccentes, neque duris, ac ſolidis oſſibus, ne ad vſum inhabiles eſſent, immobiles, ac rigentes, ſed quod eſſet horum medium, ea cogitauit, vt eas cartilago mollior alligaret, & haberent aptam ſimul, & flexibilem firmitatem. In his audiendi tantùm officium conſtitutum eſt, ſicut in oculis videndi. quorum præcipuè inexplicabilis eſt, ac mira ſubtilitas, quia eorum orbes gemmarum ſimilitudinem præferentes, ab ea parte, qua videndum fuit membranis perlucentibus texit, vt imagines rerum contrapoſitarum, tanquam in ſpeculo refulgentes ad ſenſum intimum penetrarent.

D

Per eas igitur membranas ſenſus ille, qui dicitur mens, ea, quæ ſunt foris, tranſpicit: ne fortè exiſtimes aut imaginum incurſione nos cernere (vt philoſophi dixerunt) quoniam videndi officium in eo debet eſſe, quod videt, non in eo, quod videtur; aut intentione aëris, cum acie, aut effuſione radiorum: quoniam ſi ita eſſet, tardius, quàm † oculis aduertimus, videremus; donec intentus aër cum acie, aut effuſi radij ad id, quod videndum eſſet, peruenirent.

al. oculos

Cùm autem videamus eodem momento temporis, plerunque vero aliud agentes, nihilominus tamen vniuerſa, quæ contra ſunt poſita, intuemur: verius, & manifeſtius eſt mentem eſſe, quæ per oculos ea, quæ ſunt oppoſita, tranſpiciat quaſi per feneſtras † lucente vitro, aut ſpeculari lapide obductas.

al. perlucente.

Et iccirco mens, & voluntas ex oculis ſæpe dignoſcitur. Quod quidem vt refelleret Lucretius, ineptiſſimo vſus eſt argumento. Si enim mens, inquit, per oculos videt, erutis, & effoſſis oculis magis videret, quoniam euulſæ cum poſtibus fores, plus inferunt luminis, quàm ſi fuerint obductæ. Nimirum ipſi, vel potius Epicuro, qui eum docuit, effoſſi oculi erant, ne viderent, effoſſos orbes, & ruptas oculorum fibras, & fluentem per venas ſanguinem, & creſcentes ex vulneribus carnes, & obductas ad vltimum cicatrices nihil poſſe lucis admittere, niſi fortè auribus oculos ſimiles naſci † volebant, vt non tam oculis, quàm foraminibus cerneremus, quo nihil ad ſpeciem fœdius [b] ad † viſum inutilius fieri poteſt.

E

al. volebat

al. vſum

Quantulum enim videre poſſemus, ſi mens ab intimis penetralibus capitis per exiguas cauernarum ſemulas attenderet? vt ſiquis vellet tranſpicere per cicutam, nõ plus profectò cernat, quàm cicutæ ipſius capacitas comprehendat. Itaque ad videndum membris potius in orbem conglobatis opus fuit; vt viſus in latum ſpargeretur, & quæ in proximo facie adhærerent, vt liberè poſſent omnia contueri. Ergo ineffabilis diuinæ prouidentiæ virtus fecit duos ſimillimos orbes, eoſq́; ita deuinxit, vt non in totum conuerti, ſed moueri tamen, ac flecti cum modo poſſent.

F

Orbes autem ipſius humoris puri, ac liquidi plenos eſſe voluit, in quorum media parte ſcintillæ luminum concluſæ tenerentur, quas pupillas nuncupamus, in quibus puris, ac ſubtilibus cernendi ſenſus, & ratio continetur. Per eos igitur orbes ſeipſam mens intendit, vt videat, miraque ratione in vnum miſcetus, & coniungitur amborum luminum viſus.

SCHOLIA.

[a] Et repercuſſu retenta foramina ipſa conueherent] *habent libri typis excuſi.* & repercuſſu retentam foramina ipſa cõbiberent, *habet vterq́; codex ſancti Saluatoris, quia vox in orificio aurium excipitur, & per cauos ſinus aurium repercutitur, quam tandem foramina illa æterna combibunt, vt ipſe ait. quod quidem illa, quæ continenter de vocibus hauriendis dixit, demonſtrant.*

[b] Ad viſum inutilius fieri poteſt] *erat in libris impreſſis.* ad vſum inutilius fieri poteſt, *habent meliores codices, & ſic legendum eſt. nam vtile, vel inutile dicitur aliquid ratione vſus, cui aptum eſt, vel ineptum, ad viſum vero inutile Latine non dicitur, addi vero vnica litera ab imperito ſcriptore facile potuit.*

G

De ſenſibus, eorumque vi.

CAPVT IX.

LIbet hoc loco † illorum reprehendere vanitatem qui dum volunt oſtendere ſenſus falſos eſſe, multa colligunt, in quibus oculi fallantur, inter quæ illud etiam, quòd furioſis, & ebrijs omnia duplicia videantur. quaſi verò eius erroris obſcura ſit cauſa. Ideo enim fit, quia duo ſunt oculi.

al. Archetypa

Sed quomodo id fiat accipe. Viſus oculorum intentione animi conſtat. Itaque quoniam mens [vt ſupradictum eſt] oculis tanquam feneſtris vtitur, non tantum hoc ebrijs, aut inſanis accidit, ſed etiam ſanis, ac ſobrijs. Nam ſi quid nimis propius admoueas, duplex videbitur. certum eſt enim interuallum, ac ſpacium, quo acies oculorum coit. Item ſi retrorſum auoces animum, quaſi ad cogitandum, & intentionem mentis relaxes; cùm acies oculi vtriuſque diducitur, tunc ſinguli videre incipiunt ſeparatim.

H

Si animum rurſus intenderis, aciemque direxeris, coit in vnum, quicquid duplex videbatur. Quid ergo mirum, ſi mens veneno, ac potentia vini diſſoluta, dirigere ſe non poteſt ad vidẽdum, ſicut ne pedes quidem ad ambulandum, neruis ſtupeſcentibus debiles? aut ſi vis furoris in cerebrum ſæuiens, cõcordiam diſiungit oculorum? Quod adeò verum eſt, vt luſcis hominibus, ſi aut inſani, aut ebrij fiant, nullo pacto poſſit accidere, vt aliquid duplex videant. Quare ſi ratio apparet, cur † illi falluntur; manifeſtum eſt non eſſe falſos ſenſus: qui aut non falluntur, ſi ſint puri, & integri, aut ſi falluntur, mens tamen non fallitur, quæ illorum nouit errorem.

al. oculi falluntur

(∴)

A

S c h o l i a.

a Cur illi fallantur, *erat in libro impreſſo.* cur oculi fallantur, *habet vterq; codex ſancti Saluatoris. quod mihi probatur, quia antea & poſt loquitur de errore oculorum, & nititur declarare rationem, cur oculi fallantur. quod ſi legas, cur illi fallantur, referendum eſſet ad Epicureos, quorum tamen in hac re nulla propriè eſt facta mentio.*

De hominis membris exterioribus, eorumque vſu.

C a p v t X.

SEd nos ad Dei opera reuertamur. Vt igitur oculi munitiores eſſent ab iniuria, ciliorũ tegminibus occuluit; vnde oculos dictos eſſe, Varroni placet. Nam & ipſę palpebræ, quibus mobilitas ineſt, & palpitatio vocabulum tribuit, pilis in ordine ſtantibus vallatæ, ſeptum oculis decentiſſimum præbent. Quarum motus aſſiduus incomprehẽſibili celeritate concurrens, & videndi tenorem non impedit, & reficit obtutum. Acies enim, id eſt membrana illa perlucens, quàm ſiccari, & obareſcere non oportet, niſi humore aſſiduo terſa purè † niteat, obſoleſcit.

B — al. recitea

Quid ipſa ſuperciliorum faſtigia pilis breuibus adornata? nonne quaſi aggeribus & munimentum oculis, nequid ſupernè incidat, & ſpeciem ſimul præſtant? Ex quorum confinio naſus exoriens, & veluti æquali porrectus iugo, vtranque aciem ſimul & diſcernit, & munit. Inferius quoque genarum non indecens tumor, in ſimilitudinem collium leniter exurgẽs, ab omni parte oculos efficit tutiores, prouiſumque eſt ab artifice ſummo, vt ſiquis fortè vehementior ictus extiterit, eminentibus repellatur. Naſi verò pars ſuperior vſque ad medium ſolida formata eſt, inferior autem cartilagine adhæret molli, ita vt ad vſum digitorum poſſit eſſe tractabilis. In hoc autem, quamuis ſimplici, membro tria ſunt officia conſtituta, vnum ducendi ſpiritus, alterum capiendi odoris, tertium vt per eius cauernas purgamenta cerebri defluant. quas ipſe Deus tam mirabili quàm diuina ratione molitus eſt; vt tamen hiatus ipſe naſi, oris ſpeciem non deformaret.

C

Quod erat planè futurum, ſi vnum ac ſimplex foramen pateret. At id velut pariete per medium ducto interſepſit, atque diuiſit, fecitque ipſa duplicitate pulcherrimum. Ex quo intelligitur, quantum dualis numerus vna, & ſimplici compage ſolidatus, ad rerum valeat perfectionem. Nam cùm ſit corpus vnum; tamen totum ex ſimplicibus membris conſtare non poterat, niſi vt eſſent partes vel dextræ, vel ſiniſtræ. Itaque vt pedes duo, & item manus, non tantum ad vtilitatem aliquam, vſumque vel gradiendi, vel faciendi valent, ſed & habitum, decoremque admirabilem conferunt: ſic in capite, quod totius diuini operis quaſi culmen eſt, & auditus in duas aures, & viſus in duas acies, & odoratio in duas nares à ſummo artifice diuiſa eſt, quia cerebrum, in quo ſentiendi ratio eſt, quamuis ſit vnum, tamen in duas partes membrana interueniẽte diſcretum eſt. ſed & cor, quod ſapientiæ domicilium videtur, licet ſit vnum, duos tamen intrinſecus ſinus habet; quibus fontes viui ſanguinis continentur, ſepto intercedente diuiſi: vt ſicut in ipſo mundo ſumma rerum vel de ſimplici duplex, vel de duplici ſimplex & gubernat, & continet totum, ita in corpore de duobus vniuerſa compacta, indiſſociabilem prætenderent vnitatem.

D

Oris quoque ſpecies, & rictus ex tranſuerſo patefactus, quàm vtilis, quàm decens ſit, enarrari non poteſt. cuius vſus in duobus conſtat officijs, ſumendi victus, & eloquendi. Lingua intus incluſa, quæ vocem motibus ſuis in verba diſcernit, & eſt interpres animi, nec tamen ſola poteſt per ſe † eloquendi munus implere, niſi acumen ſuum palato illiſerit, niſi adiuta vel offenſione dentium, vel compreſſione labiorum: dentes tamen plus conferunt ad loquendum. nam & infantes non antè incipiũt fari, quàm dentes habuerint, & ſenes amiſſis dentibus ita balbutiunt, vt ad infantiam reuoluti denuo eſſe videantur. Sed hæc ad hominem ſolum pertinent, aut ad aues; in quibus acuminata, & vibrata certis motibus lingua, innumerabiles cantum flexiones, & ſonorum varios modos

al. loquẽdi

E

exprimit. Habet præterea & aliud officium, quo in omnibus, ſed tamẽ ſolo in mutis vtitur, quòd contritos, & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos vi ſua deprimit, & tranſmittit ad ventrem. Itaque Varro à ligando cibo putat linguæ nomen impoſitum. Beſtias etiam potu adiuuat. protenta enim, cauataque hauriunt aquam; eamque comprehenſam linguæ ſinu, ne tarditate, ac mora defluat, ad palatum celeri nobilitate complodunt. Hæc itaque palati concauo tanquam teſtudine tegitur, eamque dentium † ſapiens Deus quaſi muro circumuallauit.

al. ſepiens

Dentes autem ipſos mirabili modo per ordinem a fixos ne nudi, ac reſtricti magis horrori, quàm ornamento eſſent, gingiuis mollibus, quæ à gignendis dentibus nominantur, ac deinde labiorum tegminibus honeſtauit. quorum durities, ſicut in molari lapide, maior eſt, & aſperior, quàm in cæteris oſſibus, aut ad conterendos cibos, pabulumque ſufficerent. Labra ipſa, quæ quaſi antea cohærebant, quàm decenter intercidit! quorum ſuperius ſub ipſa medietate narium, lacuna quadam leui, quaſi valle ſignauit, inferius, honeſtatis gratia foras molliter explicauit.

F

Nam quod attinet ad ſaporem capiendum; fallitur, quiſquis hunc ſenſum palato ineſſe arbitratur. lingua eſt enim, qua † ſapores ſentiuntur, nec tamen tota. nam partes eius, quæ ſunt ab vtroque latere teneriores, ſaporem ſubtiliſſimis ſenſibus trahũt. & cùm neque ex cibo quicquam, neque ex potione minuatur; tamen inenarrabili modo penetrat ad ſenſum ſapor eadem ratione, qua nihil de † quacunque materia odoris † capturo decerpit.

al. ſapor ſentitur

al. quaque

Cætera quàm decora ſint, vix exprimi poteſt. Deductum clementer à genis mentum, & ita inferius concluſum, vt acumen eius extremum ſignare videatur leniter impreſſa diuiſio: rigidum, ac teres collum, ſcapulæ velut mollibus iugis à ceruice demiſſæ. valida, & ſubſtricta neruis ad fortitudinem brachia; toris inſignibus b † extantium lacertorum † ingens robur: vtilis, ac decens flexura cubitorum. Quid dicam de manibus, rationis, ac ſapientiæ miniſtris? quas ſolertiſſimus artifex plano, ac modicè concauo † ſinu fictas, vt ſiquid tenendum ſit, aptè poſſit inſidere, in digitos terminauit.

al. extãtiũ

al. ingens

al. ſinu fixit

G

in quibus difficile eſt expedire, vtrumne ſpecies, an vtilitas maior ſit. Nam & numerus perfectus, ac plenus, & ordo, ac gradus decentiſſimus, & articulorum parium curuatura flexibilis, & forma vnguium rotunda, concauis tegminibus digitorum faſtigia comprehendens, atque firmans, ne mollitudo carnis in tenendo cederet, magnum præbet ornatum. Illud verò ad vſum miris modis habile, quod vnus à cæteris ſeparatus, cùm ipſa manu oritur, & in diuerſum c † maturius funditur. qui ſe velut obuiũ cæteris præbens, omnem tenendi; faciendique rationem vel ſolus, vel præcipuè poſſidet, tanquam rector omnium, atq; moderator. vnde etiam pollicis nomen accepit; quòd vi, & poteſtate inter cæteros polleat. Duos quidem articulos extantes habet, non, vt alij, † trinos, ſed vnus ad † manus † carnem nectitur pulchritudinis gratia. Si enim fuiſſet tribus articulis & ipſe diſcretus; fœda & indecora ſpecies ademiſſet manibus honeſtatem.

al. manus funditur

al. ternos

al. manum

al. connectitur

Nam pectoris latitudo ſublimis, & expoſita oculis mirabilem præ ſe fert habitus ſui dignitatem. Cuius hæc cauſa eſt, quod videtur hominem ſolum Deus veluti ſupinum formaſſe (nam ferè nullum aliud animal iacere in tergum poteſt) mutas autem animantes quaſi alterno latere iacentes finxiſſe, atq; ad terram compreſſiſſe.

H

Idcirco illis anguſtum pectus, & ab aſpectu remotum, & ad terram verſus † ſubiectum; homini autem patens, & rectum, quia plenum rationis à cælo datum, humile, aut indecens eſſe non debuit. Papillæ quoque leniter eminentes, & fuſcioribus, ac paruis orbibus coronatæ; nonnihil addunt venuſtatis, feminis ad alendos fœtus datæ, maribus ad ſolum decus, ne informe pectus, & quaſi mutilum videretur. Huic ſubdita eſt planicies ventris, quam mediam ferè vmbilicus non indecenti nota ſignat, ad hoc factus, vt per eum fœtus, dum eſt in vtero, nutriatur.

al. abiectum

A

SCHOLIA.

(*a*) Dentes autem ipſos mirabili modo per ordinem fixos] *haſce quatuor dictiones poſtremas addunt codices illi duo ſancti Saluatoris, quæ optime cum tota oratione conueniunt.*

(*b*) Extantium lacertorum vigens robur] *habet vterque codex ſancti Saluatoris. nam, extentum, non bene referri poteſt ad robur. & de lacertis hominis loquens, non dixiſſet vigens robur, quod potius leoni, vel tauro, quam homini conueniret.*

(*c*) De quacunque materia odoris captio decerpit] *habent libri impreſſi. de quaque materia odoris captio decerpti] habet vterque codex ſancti Saluatoris. eſt vero ſenſus, vt doceat ſaporem inenarrabili modo penetrare ad ſenſum, eadem ratione, qua odor capitur ſine vlla parte rei odorabilis. captio vero nouè hic ſumitur pro ipſo actu capiendi, cum alias potius ad fraudes referatur.*

B

(*d*) Maturius finditur] *erat in libris impreſſis.* maturius funditur, *habet codex antiquus, alter codex ſancti Saluatoris, habet,* manus funditur: *itaque non, finditur, ſed funditur legendum eſt, maturius vero fundi, non video quid poſſit ſignificare. fundi vero in diuerſum manus potiùs dici de pollice. quia habet neruum ab aliis quatuor digitis ſeparatum & à vola ipſa, quam hic apellat manum, cum tamen alij magnam quandam coniunctionem habeant, vt ſi vnum moueas, vix poſſis alium non mouere.*

(*e*) Sed vnus ad manus carnem connectitur] *erat in libris impreſſis.* ſed vnus ad manum connectitur, *habet antiquus codex, quod mihi tanquam multa aptius dictum valde placet: nam illud ad manus carnem nectitur, neque aptè dicitur, neque verum eſt, quod articuli ad carnem nectantur, quia alijs oſſibus nectuntur.*

De inteſtinis in homine, eorumque vſu.

CAPVT XI.

SEquitur neceſſario, vt de internis quoque viſceribus dicere incipiā, quib. nō pulchritudo, quia ſunt abdita, ſed vtilitas incredibilis attributa eſt, quoniam opus fuerat, vt terrenum hoc corpus ſucco aliquo, de cibis, ac potibus aleretur, ſicut terra ipſa imbribus, ac pruinis. Prouidentiſſimus artifex in medio eius receptaculum cibis fecit, quibus concoctis & liquefactis, vitales ſuccos membris omnibus diſpertiret. Sed cum homo conſtet ex corpore, atque anima, illud, quod ſupra dixi, receptaculum ſoli corpori præſtat alimentum, animæ verò aliam ſedem dedit. Fecit enim genus quoddam † viſcerum molle, atque rarum, quod pulmonem vocamus, in quod ſpiritus reciproca viciſſitudine commearet, eumque non in vterum modum finxit, ne effunderetur ſimul ſpiritus, aut inflaret ſimul. ideoque ne plenum quidem viſcus effecit, ſed inflabile, atque aeris capax, vt paulatim ſpiritū reciperet, dum vitalis ventus per illam ſpargitur raritatem, & eundem rurſus paulatim redderet, dū ſe ex illo explicat. Ipſa enim viciſſitudo flandi, & ſpirandi reſpirandique tractus, vitam ſuſtentat in corpore. Quoniam ergo duo ſunt in homine receptacula, vnum aeris, quod alit animam, alterum ciborum, quod alit corpus, vt flecti ceruix, ac moueri facilè poſſit: duas eſſe per collum fiſtulas neceſſe eſt, cibalem, ac ſpiritalem, quarum ſuperior ab ore ad ventrem ferat, inferior à naribus ad pulmonem. Quarum ratio, & natura diuerſa eſt. Ille enim qui eſt ab ore tranſitus, mollis effectus eſt, & qui ſemper clauſus cohæreat ſibi ſicut os ipſum, quoniam potus, & cibos dimota & patefacta gula, quia corporales ſunt, ſpatium ſibi tranſmeandi faciunt. Spiritus contra, qui eſt incorporalis, ac tenuis, quia ſpatium ſibi facere nō poterat, accepit viam patentem, quæ vocatur gurgulio. Is conſtat ex oſſibus flexuoſis, ac mollibus, quaſi ex annulis in cicutæ modum inuicem compactis, & cohærentibus, patetque ſemper † hunc tranſitus. Nullam enim requiem meandi habere ſpiritus poteſt, quia is, qui ſemper commeat, demiſſa vtiliter de cerebro membri portione, cui vua nomen eſt, velut occurſu quodā refrenatur, ne aut teneritudinem domicilij cum impetu veniens attracta peſtilens aura corrumpat, aut totam nocendi violentiam internis receptaculis perforat. ideoque etiam nares *breuiter ſunt & apertæ, quæ idcirco ſic nominantur, quia per eas vel odor, vel ſpiritus nare non deſinit, quæ ſunt huius fiſtulæ quaſi oſtia. Tamen hæc fiſtula ſpiritalis non tantùm ad nares, verum (*a*) ad os quoque † iter patet in extremis palati regionibus, vbi ſe colles faucium ſpectantes vuam tollere incipiunt in tumorem. Cuius rei cauſa, & ratio non obſcura eſt. loquendi enim facultatem non haberemus, ſi † ſicut gulæ iter ad os tantùm, ita gurgulio ad nares tantum pateret, *b* nec procedens ex eo ſpiritus efficere vocem ſine linguæ miniſterio, poſſet. Aperuit igitur viam voci diuina ſolertia ea illa fiſtula ſpiritali, vt poſſet lingua miniſterio ſuo tangi, & vocis ipſius inoffenſum tenorem, pulſibus ſuis in verba concidere. Qui meatus, ſi aliquo morbo interceptus ſit, mutum faciat neceſſe eſt. Errat enim profectò quiſquis aliam cauſam putat, cur homines muti ſint. Non enim (vt vulgo creditur) vinctam gerunt linguam, ſed ij vocalem illum ſpiritum per nares, quaſi mugientes profundunt, quod voci tranſitus ad os aut nullus omnino eſt, aut non ſic patens, vt plenam vocē poſſit emittere. Quod plerumque natura fit, aliquando etiam caſu accidit, vt morbo aliquo hic aditus obſeptus vocem non tranſmittat ad linguam, faciatque de loquentibus mutos.

al. breues

al. inter patet

al. vt

Quod cum acciderit, auditum quoque obſtrui, neceſſe eſt, vt quia vocem emittere non poteſt, ne auditum admittere quidem poſſit. Loquendi ergo cauſa patefactus eſt hic meatus. Illud quoq; præſtat, vt in lauacris celebrandis, quia nares calorem ferre non poſſunt, aer feruens ore ducatur. Item ſi forte ſpiramenta narium frigoris pituita præcluſerit, per os auram trahere † poſſumus, ne obſtructa meandi facultate, ſpiritu ſtranguletur. Cibi vero in aluum recepti, & cum potus humore permiſti, cùm iam calore percocti fuerint, eorum ſuccus inenarrabili modo per mēbra diffuſus, irrigat vniuerſum corpus, & vegetat. Inteſtinorum quoque multiplices ſpiræ, ac longitudo in ſe conuoluta, & vno † tantum ſubſtricta vinculo, quam mirificū Dei opus eſt? Nam vbi maceratos ea ſe cibos aluus emiſerit, paulatim per illos inteſtinorum anfractus extruduntur, vt quicquid ipſis ineſt ſucci, quo corpus alitur, membris omnibus diuidatur. Et tamen † ne qui forte obhæreant, ac reſiſtant, quod fieri poterat, propter ipſorum voluminum flexiones in ſe ſæpè redeuntes, & fieri ſine pernicie non poterat, oppleuit ea intrinſecus craſſiore ſucco, vt purgamēta illa ventris ad exitus ſuos facilius per lubricum mitterentur. Illa quoque ratio ſubtiliſſima eſt, quod veſica, cuius vſum volucres non habent, cum ſit ab inteſtinis ſeparata, nec vllam habeat fiſtulam, qua ex illis vrinam trahat, completur tamen, & humore diſtenditur. Id quomodo fiat, non eſt difficile peruidere. Inteſtinorum enim partes, quæ ab aluo cibum, potumque ſuſcipiunt, patentiores ſunt quam cæteræ ſpiræ, & multo tenuiores. Hæ veſicam circumplectuntur, & continent, ad quas partes cum potus & cibus mixta peruenerint, fimum quidem craſſius fit, & tranſmeat, humor autem omnis per illam teneritudinem percolatur, eumque veſica, cuius æquè tenuis, ſubtiliſque membrana eſt, abſorbet, & colligit, vt foras, qua natura exitum patefecit, emittat.

l. viſceris

al. hic

F

al. poſſimus

al. tamen

G

al. accubi

H

SCHOLIA.

(*a*) Ad os quoque iter patet] *erat in libris impreſſis.* ad os quoque inter patet, *habent pleraque codices antiqui. interpatet a vera dixit, quia non rectè tendit ad os, ſed ad nares, ad os tamen patet aliquantulum, & habet ad ipſam aliquem meatum. hoc cum non intelligeret ſcriptor, fecit, iter patet, quod plane nihil ſignificat, quod ad rem facere poſſit.*

(*b*) Tantum pateret, nec procedens ex eo ſpiritus efficere vocem ſine linguæ miniſterio poſſet] *hoc addit*

A *Vterque codex ſancti Saluatoris, & ſanè rectè. nam ſi non præcederent colligeretur quod adiungit: aperuit igitur viam voci, &c.*

De vtero & conceptione & ſexibus.

CAPVT XII.

DE vtero quoque, & conceptione, quoniam de internis loquimur, dici neceſſe eſt, ne quid prætetiſſe videamur, quæ quanquam in operto latent, ſenſus tamen, atque intelligentiam latere non poſſunt. Vena in maribus, quæ ſemen continet, duplex eſt, paulò interior, quam illud humoris obſcœni receptaculum. Sicut enim renes duo ſunt, itemque teſtes, ita & venæ ſeminales duæ, in vna † tantum compage cohærentes: quod videmus in corporibus animalium, cùm interfecta pateſiūt. ſed illa dexterior maſculinum cōtinet ſemen, ſiniſterior fœmininum, & † ideo in toto corpore pars dextra maſculina eſt, ſiniſtra vero fœminina. Ipſum ſemen quidam putant ex medullis tantum, quidam ex omni corpore ad venam genitalem confluere, ibique concreſcere. Sed hoc humana mens, quomodo fiat non poteſt comprehendere.
al. tamen
al. omnino
B Item in fœminis vterus in duas ſe diuidit partes, quæ in diuerſum diffuſæ, ac reflexæ, circumplicantur, ſicut arietis cornua. Quæ pars in dexteram retorquetur, maſculina eſt, quæ in ſiniſtram, fœminina. Conceptum igitur, Varro, & Ariſtoteles ſic fieri arbitrantur. Aiunt enim, non tantùm maribus ineſſe ſemen, verum etiam fœminis, & inde plerunque matribus ſimiles procreari, ſed earum ſemen ſanguine eſſe purgatum: quod ſi rectè cum viuili mistum ſit, vtraque concreta, & ſimul coagulata informari, & primùm quidem cor hominis † confingi, quòd in eo ſit & vita † hominis, & ſapientia: denique totum opus quadrageſimo die conſummari. Ex abortionibus hæc fortaſſe collecta ſunt. In auium tamen fœtibus primum oculos fingi, dubiū non eſt: quod in ouis ſæpe deprehendimus.
al. effingi
al. omni

Vnde fieri non poſſe arbitror, quin fictio à capite ſumat exordium. Similitudines autem in corporibus filiorum ſic fieri putant. Cum ſemina inter ſe permiſta coaleſcunt, ſi virile ſuperauerit patri ſimilem prouenire, ſiue marem, ſeu fœminam: ſi muliebre præualuerit, progeniem cuiuſque ſexus ad imaginem reſpondere maternam. id autem præualet è duobus, quod fuerit vberius. alterum
C enim quodammodo amplectitur, ac includit. Hinc plerunque fieri ſolet, vt vnius tantum lineamenta prætendát. Si verò æqua fuerit ex pari ſeminе permiſtio: figuras quoq; miſcet: vt ſuboles illa communis aut neutrum referre videatur, quia totum ex altero non habet; aut vtrumque, quia partem de ſingulis mutuata eſt. Nam in corporibus animaliū videmus; aut cōfundi parentum colores, ac fieri tertium neutri generantium ſimile, aut vtriuſque ſic exprimi, vt diſcoloribus membris per omne corpus concors miſtura varietur. Diſpares quoque naturæ hoc modo fieri putātur. Cùm forte in læuam vteri partē maſculinæ ſtirpis ſemē inciderit marē quidē gigni, opinatio eſt, ſed quia ſit in feminina parte conceptus, aliquid in ſe habere femineū, ſuprà quam decus virile patiatur, vel formam inſignem, vel nimium candorem, vel corporis læuitatem, vel artus delicatos, vel ſtaturam breuem, vel vocem gracilem, vel animum imbecillum, vel ex his plura. Item ſi partem in
D dextram ſemen feminini ſexus influxerit, feminam quidē procreari, ſed quoniam in maſculina parte concepta ſit, habere in ſe aliquid virilitatis, vltra quam ſexus ratio permittat, aut valida membra, aut immoderatam longitudinem, aut fuſcum colorem, aut hiſpidam faciem, aut vultū indecorum, aut vocem robuſtam, aut animum audacem, aut ex his plura. Si verò maſculinum in dexteram, femininum in ſiniſtram peruenerit, vtroſque fœtus rectè* peruenire, vt & feminis per omnia naturæ ſuæ decus conſtet, & maribus tam mente, quam corpore robur virile ſeruetur. Illud vero ipſum quam mirabile inſtitutum Dei eſt, quod ad conſeruationem generum ſingulorum, duos ſexus maris, ac feminæ machinatus eſt, quibus inter ſe per voluptatis illecebras copulatis, ſucceſſiua ſoboles † pareretur, ne omne genus viuentium conditio mortalitatis ex-
al. prouenire
al. pararetur

E tingueret. Sed plus roboris maribus attributum eſt, quo facilius ad patientiam iugi maritalis feminæ cogerentur. Vir itaque nominatus eſt, quod maior in eo vis eſt, quam in femina, & hinc virtus nomen accepit. Item mulier (vt Varro interpretatur) à mollicie eſt dicta, immutata, & detracta litera, velut mollier. cui ſuſcepto fœtu, cùm partus appropinquare iam cœpit, turgeſcentes mammæ dulcibus ſuccis diſtenduntur, & ad nutrimentum naſcentis fontibus lactis fœcundum pectus exuberat. Nec enim decebat aliud, quam vt ſapiens animal à corde alimenta duceret. Idque ipſum ſolertiſſimè comparatum eſt, vt candens, ac pinguis humor teneritudinem noui corporis irrigaret, donec ad capiendos fortiores cibos & dentibus inſtruatur, & viribus roboretur. Sed redeamus ad propoſitum, vt cætera, quæ ſuperſunt, breuiter explicemus.

De membris inferioribus.

CAPVT XIII.

F POteram nunc ego ipſorum quoque genitalium membrorum mirificam rationem tibi exponere, niſi me pudor ab huiuſmodi ſermone reuocaret. itaque à nobis indumento verecundiæ, quæ ſunt pudenda, velentur. Quod ad hanc rem attinet, queri ſatis eſt, homines impios, ac profanos ſummum nefas admittere, qui diuinum, & admirabile Dei opus ad propagandam ſucceſſionem excogitabili ratione prouiſum, & effectum, vel ad turpiſſimos quæſtus, vel ad obſcœnæ libidinis pudenda opera conuertunt, vt iam nihil aliud ex re ſanctiſſima petant, quàm inanem, & ſterilem voluptatem. Quid † reliqui corporis partes, num carent ratione, ac pulchritudine? Conglobata in nates caro, quàm ſedendi officio apta, & eadem firmior, quàm in cæteris membris, ne premente corporis mole oſſibus cederet. Item feminum deducta, & latioribus toris valida longitudo, quo facilius onus corporis ſuſtineret, quā paulatim deficientē in anguſtum genua determinant quorū decentes nodi flexuram pedibus adgradiendum, ſedendumque aptiſſimam præbent. Item crura non æquali modo ducta, ne indecens habitudo deformaret pedes, ſed teretibus ſuris clementer extantibus, ſenſimque tenuatis, & firma ſunt, & ornata. In plantis verò
al. reliqua
G eadem quidem, ſed tamen longè diſpar, quàm in manibus ratio eſt, quæ quoniam totius operis quaſi fundamenta ſunt, mirificus eas artifex nō rotunda ſpecie, ne homo ſtare non poſſet, aut alijs ad ſtandum pedibus indigeret, ſicut quadrupedes, ſed porrectiores, longioreſque formauit, vt ſtabile corpus efficerent planicie ſua, vnde illis inditum nomen eſt. Digiti æquè totidem, quot in manibus, ſpeciem magis, quam vſum præferentes, ideoque & iuncti, & breues & gradatim compoſiti, quorum qui eſt maximus, quoniam illum ſicut in manu diſcerni à cæteris, opus non erat, ita in ordinem redactus eſt, vt tamen ab alijs magnitudine, ac modico interuallo diſtare videatur. Hæc eorum ſpecioſa germanitas, non leui adiumento niſum pedum firmat. concitari enim ad curſum non poſſumus, niſi digitis in humum preſſis, ſoloque nitentibus, impetum, ſaltumque capiamus. Explicaſſe videor omnia, quorum ratio intelligi poteſt. Nunc ad ea venio, quæ vel dubia, vel obſcura ſunt.

De inteſtinorum quorundam ignorata ratione.

CAPVT XIV.

H MVlta eſſe conſtat in corpore, quorum vim, rationemq; perſpicere nemo, niſi qui fecit, poteſt. An aliquis enarrare ſe putat poſſe, quid vtilitatis, quid effectus habeat tenuis membrana illa perlucens, qua † circumnectitur aluus, ac tegitur? Quid renum gemina ſimilitudo? quos ait Varro ita dictos, † quaſi riui ab his obſcœni humoris oriātur, quod eſt longè ſecus, quia ſpinæ altrinſecus ſupini cohærēt, & ſunt ab inteſtinis ſeparati. Quid ſplē? quid
al. circumtexitur
al. quod

A iecur quæ viſcera? quaſi ex conturbato ſanguine videntur eſſe concreta? quid fellis amariſſimus liquor? quid globus cordis, qui * vnus ſanguinis fons eſt? Non enim illis credendum putabimus, al.v.aus qui affectum iracundiæ in felle conſtitutum putant, pauoris in corde, lætitiæ in ſplene. Ipſius autem iecoris officium volunt eſſe, vt cibos in aluo concoquat amplexu, & calefactu ſuo. quidam libidines rerum venerearum in iecore contineri arbitrantur. Primum iſta perſpicere acumen humani ſenſus non poteſt: quia horum officia in operto latent, nec vſus ſuos patefacta demonſtrant. nam ſi ita eſſet, fortaſſe placidiora quæque animalia vel nihil fellis omnino, vel minus haberent, quàm feræ, timidiora plus cordis, ſalaciora plus iecoris, laſciuiora plus ſplenis habuiſſent. Sicut igitur nos ſentimus, audire auribus, oculis cernere, narib. odorare: ita profectò ſentiremus* nos felle iraſci, iecore cupere, ſplene gaudere. Cum autem vnde affectus iſti veniant, minimè ſentiamus: non poteſt, vt aliunde veniant, & aliud viſcera illa, quam ſuſpicamur, efficiant. Nec tamen conuincere poſſumus falſa illos, qui hæc diſputant, dicere. B ſed omnia, quæ ad motus animi, animæque pertineant, tam obſcuræ altæque rationis eſſe arbitror, vt ſupra hominem ſit, ea liquido peruidere. Id tamen certum, & indubitatum eſſe debet, tot res tot viſcerũ genera, vnum, & idem habere officium, vt animam contineant in corpore. Sed quid proprie muneris ſingulis ſit iniunctum, quis ſcire, niſi artifex, poteſt, cui ſolo opus ſuum notum eſt?

De voce.

CAPVT XV.

DE voce autem quam rationem reddere poſſumus? Grammatici quidem, ac philoſophi vocem eſſe definiunt aërem ſpiritu verberatum: vnde verba ſunt nuncupata. quod perſpicue falſum eſt. Non enim vox extra os gignitur, ſed intra. & ideo veriſimilior eſt illa ſententia, ſtipatum ſpiritum, cum obſtantia faucium fuerit illiſus, ſonũ vocis exprimere, veluti, cum in patentem cicutam, labroque ſubiectam dimittimus ſpiritum, & is cicutæ concauo repercuſſus, ac reuolutus à fundo, dum deſcendentem occurſu ſuo reddit ad exitum nitens ſonum gignit, & in vocalem ſpiritũ reſiliẽs per ſe ventus animatur. Quod quidẽ C an verum ſit, Deus artifex viderit. Videtur enim nõ ab ore, ſed ab intimo pectore vox oriri. Denique & ore clauſo, & narib. emittitur ſonus qualis poteſt. Præterea ex maximo ſpiritu, quo anhelamus, vox non efficitur, & leui, & non conſtricto ſpiritu, quoties volumus, efficitur. Non eſt igitur comprehenſum, quomodo fiat, aut quid ſit omnino. Nec me nunc in Academiæ ſententiam delabi putes, quia non omnia ſunt incomprehenſibilia. Vt enim fatendum eſt multa neſciri, quæ voluit Deus intelligentiam hominis excedere, ſic tamen multa eſſe, quæ poſſint & ſenſibus percipi, & ratione comprehendi. Sed erit nobis contra philoſophos integra diſputatio. Conficiamus igitur ſpatium, quo nunc decurrimus.

De mente, & eius ſede.

CAPVT XVI.

D MEntis quoque rationem incomprehenſibilem eſſe, quis neſciat, niſi qui omnino illam non habet: cum ipſa mens quo loco ſit, aut cuiuſmodi, neſciatur? Varia ergo à philoſophis de natura eius, ac loco diſputata ſunt. Ac ego non diſſimulabo, quid ipſe ſentiam, non quia ſic eſſe affirmem [quod eſt inſipientis in re dubia facere] ſed vt expoſita rei difficultate, intelligas, quanta ſit diuinorũ operum magnitudo. Quidam ſedem mentis in pectore eſſe voluerunt. quod ſi ita eſt: *quanto tandem miraculo di- al. quo gnum eſt, rem in obſcuro ac tenebroſo habitaculo ſitam, in tanta rationis, atque intelligentiæ luce verſari? tum quod ad eam ſenſus ex omni corporis parte conueniunt, vt in qualibet regione membrorum præſens eſſe videatur. E Alij ſedem eius in cerebro eſſe dixerunt, & ſane argumentis probabilibus vſi ſunt. Oportuiſſe ſcilicet, quod totius corporis regimen haberet, potius in ſummo, tanquam in arce habitare, nec quicquam eſſe ſublimius, quam id quod vniuerſum ratione moderetur, ſicut ipſe mundi Dominus & rector in ſummo eſt. Deinde quod ſenſus omnis, id eſt audiendi, & videndi, & odorandi miniſtra membra in capite ſunt locata, quorum omnium viæ non ad pectus, ſed ad cerebrum ferant. alioqui neceſſe nos eſſet tardius ſentire, donec ſentiendi facultas longo itinere per collum ad pectus vſque deſcenderet. Ij vero aut nõ multum, aut fortaſſe non errant. Videtur enim mens, quæ dominatum corporis tenet, in ſummo capite conſtituta, tanquam in cœlo Deus: ſed † quando in aliqua al.com ſit cogitatione, commeare ad pectus, & quaſi ad ſecretum aliquod penetrale cedere, vt conſilium, tanquam ex theſauro recondito, eliciat, ac proferat. ideoque cùm intenti ad cogitandum ſumus, & cum mens occupata in altum ſe F abdiderit, neque audire quæ circumſonant, neque videre, quæ obſtant ſolemus. Id vero ſiue ita eſt, admirandum profectò eſt, quomodo id fiat, cùm ad pectus ex cerebro nullum iter pateat, ſin autem non, tamen nihilominus admirandum eſt, quod diuina ratione fiat, vt ita eſſe videatur. At poteſt aliquis non admirari, quod ſenſus ille viuus, atque cœleſtis, qui mens, vel animus nuncupatur, tantæ mobilitatis eſt, vt ne tum quidem, cùm ſopitus eſt, conquieſcat, tantæ celeritatis, vt vno temporis puncto cœlum omne colluſtret, & ſi velit, maria peruolet, terras, ac vrbes peragret, omnia denique quæ libuerit, quamuis longe, lateque ſummota ſint, in conſpectu ſibi ipſe conſtituat? Et miratur aliquis, ſi diuina mens Dei per vniuerſas mundi partes intenta diſcurrit, & omnia regit, omnia moderatur, vbique præſens, vbique diffuſa? cum tanta ſit vis, ac poteſtas mentis humanæ intra mortale corpus incluſæ, vt ne ſeptis quidem grauis huius, ac pigri corporis, cui illigata eſt, coerceri illo pacto poſſit, quo minus ſibi liberam vagandi facultatem quietis impatiens largiatur. Siue igitur in capite mens habitat, ſiue in pectore, poteſtne aliquis G comprehendere, quæ vis rationis efficiat, vt ſenſus ille incomprehenſibilis aut in medulla cerebri hæreat, aut in illo ſanguine bipartito, qui eſt incluſus in corde? ac non ex eo ipſo colligat, quanta ſit Dei poteſtas, quod animus ſeipſum non videt, aut qualis, aut vbi ſit, nec ſi videat, tamen perſpicere poſſit, quo pacto rei corporali res incorporalis adiuncta ſit? Siue etiam mentis locus nullus eſt, ſed per totum corpus ſparſa diſcurrit, quod & etiam fieri poteſt, & à Xenocrate Platonis diſcipulo diſputatum eſt, ſiquidem ſenſus in qualibet parte corporis præſto eſt, nec quid ſit mens, nec qualis, intelligi poteſt, cum ſit natura eius tam ſubtilis, ac tenuis, vt *ſolidis viſceribus infuſa, viuo, & qua- al. calidis ſi ardenti ſenſu membris omnibus miſceatur. Illud autem caue, ne vnquam ſimile veri putaueris, quod Ariſtoxenus dixit, Mentem omnino nullam eſſe, ſed quaſi harmoniam in fidibus ex conſtructione corporis, & compagibus viſcerum vim ſentiendi exiſtere. Muſici enim intentionem, conſentumque neruorum in integros modos ſine vlla of- H fenſione conſonantium harmoniam vocant. Volunt igitur animum ſimili ratione conſtare in homine, qua & concors modulatio conſtat in fidibus, id eſt, vt ſingularum corporis partium firma coniunctio, membrorumque omnium conſentiens in vnum vigor motum illum ſenſibilem faciat, animumque concinnet, ſicut nerui bene intenti conſpirantem ſonum. Et ſicut in fidibus, cùm aliquid aut † interceptũ, aut relaxatum eſt, omnis canen- al. inter ruptum di ratio turbatur, & diſſoluitur. ita in corpore cum pars aliqua membrorum duxerit vitium, deſtrui vniuerſa, corruptiſque omnibus, atque turbatis, occidere ſenſum, eamque mortem vocari. Verum ille, ſi quid vnquam al. vnquã mentis habuiſſet, †non harmoniam de fidibus ad hominem tranſtuliſſet. Non enim canere ſua ſponte fides poſſunt, vt ſit vlla in his comparatio, ac ſimilitudo viuentis. Animus autem ſua ſponte & cogitat, & mouetur. Quod ſi quid in nobis harmoniæ ſimile eſſet, ictu moueretur externo, ſicut nerui manibus, qui ſine * tactu artificis, pulſuque digitorum muti, atque iner- al. tractatu

A tes iacent. Sed nimirum pulſandus ille manu fuit, vt aliquando ſonaret, quia mens eius ex membris malè compacta torpebat.

SCHOLIA.

(*a*) Sicut ſunt nerui bene intenti ad conſpirantem ſonum] *erat in libris impreſſis.* ſicut nerui bene intenti conſpirantem ſonum, *habet vterque codex ſancti Saluatoris & intelligendum eſt, efficiunt. qua ratione rectiſſime intelligitur harmonia, quam Ariſtoxenus dicebat eſſe mentem, & omnino expungendæ ſunt duæ illæ voces, ſunt, ad.*

De anima: deque ea ſententia philoſophorum.

CAPVT XVII.

SVpereſt, de anima dicere, quanquam percipi ratio eius & natura non poſſit, nec ideo tamen immortalem eſſe animam non intelligimus: quoniam quicquid viget, mouetur que per ſe ſemper, nec videri, aut tangi poteſt: æternũ
B ſit neceſſe eſt. Quid autem ſit anima, nondum inter philoſophos conuenit, nec vnquam fortaſſe conueniet. Etenim alij ſanguinem eſſe dixerunt, alij ignem, alij ventum; vnde anima, vel animus nomen accepit, quod Græcè ventus ἄνεμος dicitur, nec illorum tamen quiſquam dixiſſe aliquid videtur. Non enim, ſi anima ſanguine aut per vulnus effuſo, aut febrium calore conſumpto, videtur extingui, continuo in materia ſanguinis animæ ratio ponenda eſt, veluti ſi veniat in quæſtionem lumen quo vtimur, quid ſit & reſpondeatur, oleum eſſe, quoniam conſumpto illo lumen extinguitur, cum ſint vtique diuerſa, ſed alterum ſit alterius alimentũ. Videtur ergo anima ſimilis eſſe lumini, quæ non ipſa ſit ſanguis, ſed humore ſanguinis alitur, vt lumen oleo.

Qui aũt ignem putauerunt, hoc vſi ſunt argumento, q̃ præſente anima corpus caleat, recedẽte frigeſcat. Sed ignis & ſenſu indiget, & videtur, & tactu cõburit. Anima verò & ſenſu aucta eſt, & videri non poteſt, & non adurit. Vnde apparet animam neſcio quid eſſe Deo ſimile. At illi, qui ventum putant eſſe, hoc falluntur, quod ex aëre ſpiritum ducentes, viuere videamur. Varro itaque definit: Anima eſt aër conceptus ore, deferuefactus in pulmone, tepefa-
C ctus in corde, diffuſus in corpus. Hæc apertiſſimè falſa ſunt. Neque enim tam obſcuram nobis huiuſmodi rerum dico eſſe rationem, vt ne hoc quidem intelligamus, quid verum eſſe non poſſit. An ſi mihi quis dixerit æneum eſſe cœlum, aut vitreum, aut (vt Empedocles ait) aërem glaciatum, ſtatimne aſſentiar, quia cœlum ex qua materia ſit, ignorem: Sicut enim hoc neſcio, ita illud ſcio. Anima ergo non eſt aër ore conceptus, quia multo prius gignitur anima, quam concipi aër ore poſſit. Non enim poſt partum inſinuatur in corpus, vt quibuſdam philoſophis videtur, ſed poſt conceptum protinus, cùm fœtum in vtero neceſſitas diuina formauit: quia adeo viuit intra viſcera genitricis, vt & incremento augeatur, & crebris pulſibus geſtiat emicare. Denique abortum fieri neceſſe eſt, ſi fuerit animal intus extinctum. Cæteræ definitionis partes eo ſpectant, vt illis nouem menſibus, quibus in vtero fuimus, mortui fuiſſe videamur. Nulla ergo ex his tribus vera ſen-
D tentia eſt. Nec tamen in tantum falſos eſſe dicendum eſt, qui hæc ſenſerunt, vt omnino nihil dixerint. nam & ſanguine ſimul, & calore, & ſpiritu viuimus. Sed cùm conſtet anima in corpore his omnibus adunatis, non expreſſerunt propriè, quid eſſet, quia tam non poteſt exprimi, quam videri.

De anima, & animo, eorumque affectionibus.

CAPVT XVIII.

SEquitur alia, & ipſa inextricabilis quæſtio: Idemne ſit anima, & animus, an verò aliud ſit illud, quo viuimus, aliud autem, quo ſentimus, & ſapimus. Non deſunt argumenta in vtramque partem. Qui enim vnum eſſe dicunt,
E hanc rationem ſequuntur, quod neque viui ſine ſenſu poſſit, nec ſentiri ſine vita: idcirco eſſe non poſſe diuerſum id, quod non poteſt ſeparari, ſed quicquid eſt illud, & viuendi officium, & ſentiendi habere rationem. Idcirco animum, & animam indifferenter appellant duo Epicurei poetæ. Qui autem dicunt eſſe diuerſa, ſic argumentantur. Ex eo poſſe intelligi, aliud eſſe mentem, aliud eſſe animam, quia incolumi anima mens poſſit extingui, quod accidere ſoleat inſanis, item quod anima morte ſopiatur, animus ſomno, & quidem ſic, vt non tantum quid fiat, aut vbi ſit, ignoret: ſed etiam rerum falſarum contemplatione fallatur. Quod ipſum quomodo fiat, non poteſt peruideri; cur fiat, poteſt. Nam requieſcere nullo pacto poſſumus, niſi mens viſionum imaginibus occupata teneatur. Latet autem mens oppreſſa ſomno, tanquam ignis obducto cinere ſopitus, quem ſi paululum commoueris, rurſus ardeſcit, & quaſi euigilat. Auocatur ergo ſimulachris, do-
F nec membra ſopore irrigata vegetentur. corpus enim vigilante ſenſu, licet iaceat immobile, tamen non eſt quietum, quia flagrat in eo ſenſus, & vibrat, vt flamma, & artus omnes ad ſe aſtrictos tenet. Sed poſtquam mens ad contemplandas imagines ab intentione traducta eſt, tunc demum corpus omne reſoluitur in quietem. Traducitur autem mens cogitatione cæca, cùm cogentibus tenebris ſecum tantummodo eſſe cœperit, dum intenta eſt in ea, de quibus cogitat, repentè ſomnus ubrepit, & in ſpecies proximas ſenſim ipſa cogitatio declinat. ſic ea, quæ ſibi ante oculos poſuerat, videre quoq; incipit. Deinde procedit vlterius & ſibi auocamenta inuenit, ne ſaluberrimã quietẽ corporis interrumpat. Nam vt mens per diem veris viſionibus auocatur, ne obdormiat, ita falſis nocte, ne excitetur. * Nam ſi nullas imagines cernat, aut vigilare illam neceſſe eſt, aut perpetua morte ſopiri. Dormiendi ergo causa tributa eſt à Deo ratio ſomniandi, & quidem in cõmune vniuerſis animantibus, ſed illud homini præcipuè, quod cùm eam rationem Deus quietis cauſa daret, facultatem ſibi reliquit docendi hominem futura per ſomniũ.
G Nam & hiſtoriæ ſæpè teſtantur, extitiſſe ſomnia, quorum præſens, & admirabilis fuerit euentus, & reſponſa vatum noſtrorum ex parte ſomniis conſtiterunt. Quare neque ſemper vera ſunt, neque ſemper falſa, Virgilio teſte. qui duas portas voluit eſſe ſomniorum. Sed quæ falſa ſunt, dormiendi cauſa videntur, quæ vera, immittuntur à Deo, vt imminens bonum, aut malum hac reuelatione diſcamus.

al. quæ

De anima, eaque à Deo data.

CAPVT XIX.

ILlud quoque venire in quæſtionem poteſt, vtrumne anima ex patre, an potius ex matre, an vero ex vtroque generetur. Sed ego id meo iure ab ancipiti vendico. Nihil enim ex his tribus verum eſt, quia neque ex vtrisque, neque ex alterutro ſeruntur animæ corporibus. Corpus enim ex corporibus naſci poteſt, quoniam confertur aliquid ex vtroque, de animis anima non poteſt, quia ex re
H tenui, & incomprehenſibili nihil poteſt decedere. Itaque ſerendarum animarum ratio vni, ac ſoli Deo ſubiacet.

Denique, cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille idem pater eſt.

Vt ait Lucretius. nam de mortalibus non poteſt quicquam niſi mortale generari. nec putari pater debet, qui transfudiſſe, aut inſpiraſſe animam de ſuo nullo modo ſentit, nec ſi ſentiat, quando tamen, aut quomodo id fiat, habet animo comprehenſum. Ex quo apparet, non à parentibus dari animas, ſed ab vno, eodemque omnium Deo patre, qui legem, rationemque naſcendi tenet ſolus, ſiquidem ſolus † efficit. nam terreni parentis nihil eſt, niſi vt humorem corporis, in quo eſt materia naſcendi, cum ſenſu voluptatis emittat, vel recipiat, & *a* citra hoc opus homo reſiſtit, nec quicquam amplius poteſt, & ideo naſci ſibi filios optant, quia non ipſi faciunt.

al. efficit

Cæ-

A Cætera iam Dei ſunt omnia, ſcilicet conceptus ipſi, & corporis informatio, & inſpiratio animæ, & partus incolumis, & quæcunq; deinceps ad hominẽ conſeruandum valent, illius mun* eſt, quod ſpiramus, quod viuimus ꝙ vigemus. Nam præterq̃ quòd ipſius beneficio, incolumi ſumus corpore, & quod victum nobis ex varis rebus ſubminiſtrat, ſapientiam quoque homini tribuit, quam terrenus pater dare nullo modo poteſt. Ideoque & de ſapientibus ſtulti, & de ſtultis ſapientes ſæpe naſcuntur, quod quidam fato, ac ſideribus aſſignant. Sed non eſt nunc locus de fato diſſerendi. Hoc dicere ſatis eſt, quod etiam ſi aſtra efficientiã rerum continent, nihilominus omnia à Deo fieri certum eſt, qui aſtra ipſa & fecit, & ordinauit. Inepti ergo, qui hanc poteſtatem Deo detrahunt, & operi eius attribuunt. Hoc igitur Dei munere cœleſti, atque præclaro * an vtamur, in noſtra voluit eſſe poteſtate. Hoc enim conceſſo, ipſum hominem virtutis ſacramento religauit, quo vitam poſſet adipiſci. Magna eſt enim vis hominis, magna ratio, magnum ſacramentum: à quo ſiquis non defecerit, nec fidem ſuam, deuotionemque prodiderit, hic beatus, hic denique (vt breuiter finiam) ſimilis Deo ſit, neceſſe eſt. Errat enim quiſquis hominem carne metitur. Nam corpuſculũ hoc, quo induti ſumus, hominis receptaculum eſt. (c) Nã *ipſe homo neq; tãgi, neq; aſpici, neq; cõprehendi poteſt, quia latet intra hoc, quod videtur. Qui ſi delicatus magis, ac tener in hac vita fuerit, quam ratio eius expoſcit, ſi virtute contempta, deſideriis ſe carnis addixerit, cadet, & premetur in terram ſin autem [vt debet] ſtatum ſuum, quẽ rectum ſortitus eſt, prompte, conſtanterque defenderit, ſi terræ, quam calcare, ac vincere debet, non ſeruierit: vitam merebitur ſempiternam.

al. vt

B

al. mens hominis

SCHOLIA.

(a) Circa hoc opus] *erat in libris impreſſis.* circa hunc opus, *legendum eſt. quaſi dicat: homo poſt emiſſionem illam nihil aliud facere poteſt, ſed in eo ſiſtit. animam vero ſuo tempore Deus infundit.*

C (b) Quo vitam poſſit adipiſci. magna eſt enim vis hominis, magna ratio, magnum Sacramentum] *hæc leguntur continenter in antiquo codice, & deſunt omnia quæ interpoſita ſunt. fuerunt autem illa huc adſixa ab illo eodem Manichæo qui plura loca horum librorum, quæ ſupra annotauimus corruperat. nam res ipſa indicat, hunc ſermonem eſſe, quaſi centonem quendam malè aſſutum, in quo etiam non eadem elegantia vſus eſt, quæ in aliis locis. quod ſi rectè conſideres, non poterit melius connecti illa oratio, quam vt poſt illam periodum, hoc enim conceſſo, &c. continenter ſequatur, magna eſt enim vis hominis, &c. vbi mentio eſt eiuſdem ſacramenti, quo Chriſto nos per baptiſmum addicimus. ita, vt ſi illæ duæ clauſulæ tam longo ſpatio diuidantur, ſicut facere voluit nequam ille Manichæus, oratio ipſa futura ſit ineptiſſima, & non congruens modo ſcribendi Lactantij.*

(c) Nam ipſe homo] *erat in libris impreſſis.* nam mens hominis, *legitur in antiquo codice quia hic de mente diſputatur, & re vera illa eſt, quæ neque tangi, neque aſpici poteſt, cum ipſe homo, & tangatur, & conſpiciatur.*

D *Ex peroratione libri de opificio Dei apparet, prius hunc librum fuiſſe ſcriptum, quam illos ſeptem libros contra philoſophos. quia hic pollicetur illam diſputationem longiſſimam, atque elegantiſſimam contra philoſophos, quam poſtea illis ſeptem libris ſemper apud poſteros victuram, conſignauit.*

De ſe ipſo, & veritate.

CAPVT XX.

HÆc ad te Demetriane interim paucis, & obſcurius fortaſſe, quàm decuit, pro rerum, ac temporis neceſſitate perorauit, quibus contentus eſſe † debeas, plura, & meliora lecturus, ſi nobis indulgentia cœlitus venerit, tũc † ergo te ad veræ philoſophiæ doctrinam & planius, & verius cohortabor. Statui enim, quam multa potero, literis tradere, quæ ad vitæ beatæ ſtatum ſpectent, & quidem contra philoſophos, quoniam ſunt ad perturbandam veritatem perniccioſi, & graues. Incredibilis eſt enim vis eloquentiæ, & argumentandi, diſſerendique ſubtilitas quę-

al. debeb-

al. ego

E ius facile deceperit, quos partim noſtris armis, partim vero ex ipſorum inter ſe concertatione ſumptis reuincemus, vt appareat, eos induxiſſe potius errorem, quàm ſuſtuliſſe. Fortaſſe mireris, quòd tantum facinus audeam. Patiemur ne igitur extingui, aut opprimi veritatem? Ego verò libentius vel ſub hoc onere defecerim. Nam ſi M. Tullius eloquentiæ ipſius vnicũ exemplar ab indoctis, & in eloquentibus, quia tamen pro vero nitebantur, ſæpè ſuperatus eſt: cur deſperemus, veritatem ipſam contra fallacem, captioſamque facundiam, ſua propria vi, & claritate valituram? Illi quidem ſeſe patronos veritatis profiteri ſolent. ſed quis poteſt eam rem defendere, quam non didicit: aut illuſtrare apud alios quam ipſe non nouit? Magnum videor polliceri: ſed cœleſti opus eſt munere, vt nobis facultas, ac tempus ad propoſita perſequenda tribuatur. Quòd ſi vita eſt optanda ſapienti: profectò nullam aliam ob cauſam viuere optauerim, quam vt aliquid efficiam quod vita dignum ſit, & quod vtilitatem legentibus, etſi non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiæ riuus eſt, ad viuendum tamen afferat, quod eſt maximè neceſſariũ. Quo perfecto, ſatis me vixiſſe arbitrabor, & officium hominis impleſſe, ſi labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cœleſte direxerit. F

L. COELII FIRMIANI LACTANTII EPITOME LIBRORVM VIII.

De iuſtitia, ſapientia, ſtultitia.

CAPVT I.

NAm ſi iuſtitia eſt veri Dei cultus: (quid enim tam iuſtum ad æquitatem, tam pium ad honorem, tam neceſſarium ad ſalutem, quàm Deum † cognoſcere vt parentem, venerari vt Dominum, eiuſque legi, aut præceptis obtemperare?) neſcierunt ergo iuſtitiam philoſophi, quia nec ipſum (a) Deum agnouerunt, nec cultum eius, legemque tenuerunt, & ideo refelli potuerunt à Carneade, cuius hæc fuit diſputatio, nullum eſſe ius naturale, itaque omnes animantes ipſa ducente natura commoda ſua defendere, & ideo iuſtitiam, ſi alienis vtilitatibus † conſulet, ſuas † negliget, ſtultitiam eſſe dicendam. Quod ſi omnes populi, penes quos ſit imperium, ipſique Romani, qui orbem totum poſſedere, iuſtitiam ſequi velint, ac ſuum cuique reſtituere, quod vi, & armis occupauerunt, ad caſas, & egeſtatem reuertentur. quod ſi fecerint, iuſtos dicemus quidem, ſed tamen ſtultos iudicare, neceſſe eſt, qui vt aliis proſint, ſibi nocere contendant. Deinde ſi reperiat aliquis hominem, qui aut aurũm pro aurichalco, aut argentum pro plumbo vendat per errorem, atque id emere neceſſitas cogat: vtrum diſſimulabit, & emet paruo, an potius indicabit? (b) ſi indicabit, iuſtus vtique dicetur, quia nõ fefellit, ſed idem ſtultus, qui alteri fecerit lucrũ, ſibi damnum. ſed facile de damno eſt, quid ſi vita eius in periculum veniet, vt eum aliquando neceſſe ſit aut occidere, aut mori: quid faciet? Poteſt hoc euenire, vt naufragio facto, inueniat aliquem imbecillem tabulæ inhærentem, aut victo exercitu fugiens, reperiat aliquem vulneratum equo inſidentem: verumne aut illum tabula, aut hunc equo deturbabit, vt ipſe poſſit euadere? Si volet iuſtus eſſe, non faciet, ſed idem ſtultus iudicabitur, qui dum alterius vitæ parcit, ſuam perdet. Si faciet, ſapiens quidem videbitur, quia ſibi conſulet, ſed & idem malus, quia nocebit. Acuta iſta ſanè: ſed reſpondere ad ea facile poſſumus. Imitatio enim nominum facit, vt ſic eſſe videatur. Nam & iuſtitia imaginem habet ſtultitiæ, non tamen eſt ſtultitia: & malitia imaginem ſapientiæ, non tamen ſapientia eſt. Sed ſicut malitia iſta in conſeruandis vtilitatibus

G

al. agnoſcere

al. conſulit

al. negligit

H

ſuis

A

ſuis intelligens: (c) & argutia non ſapientia, ſed calliditas & aſtutia eſt: ita & iuſtitia non debet ſtultitia, ſed innocentia nominari, quia neceſſe eſt, iuſtum eſſe ſapientem, & eũ, qui ſit ſtultus, iniuſtum. Nam neque ratio, neque natura ipſa permittit, vt is, qui iuſtus eſt, ſapiens non ſit, quoniam iuſtus nihil vtique facit, niſi quod rectum, & bonum eſt, prauum, & malum ſemper fugit. Quis autem diſcernere bonum, & malum, prauum, & rectum poterit, niſi qui ſapiens fuerit? Stultus autem malè facit, quia bonum, & malum quid ſit, ignorat, ideo peccat, quia non poteſt praua, & recta diſcernere: non poteſt igitur neque ſtulto * iuſtitiã, neque iniuſto * ſapientiam conuenire. Ergo ſtultus nõ eſt, qui nec tabula naufragum, nec equo ſaucium deiecerit, quia ſe abſtinuit à nocẽdo, quod eſt peccatum, peccatum autem vitare, ſapientis eſt.

[al. iuſtitia] [al. ſapiẽtia]

Sed vt ſtultus prima facie videatur, illa res efficit, quòd extingui animam cum corpore exiſtimant. idcirco omne commodum ad hanc vitam referunt. Si enim poſt mortem nihil eſt, vtique ſtultè facit, qui alterius animæ parcit cum diſpendio ſuę, aut qui alterius lucru magis, quàm ſuo conſulit. ſi mors animam delet, danda eſt opera, quo † iucundius, commodiuſque viuamus. ſi autem vita poſt mortem ſupereſt æterna, & beata, hanc vtique corporalem enim omnibus terræ bonis iuſtus, ac ſapiens contẽnet, quia ſciet, quale à Deo ſit præmium recepturus. Teneamus igitur innocentiam, teneamus iuſtitiam, ſubeamus imaginem ſtultitiæ, vt veram ſapientiam tenere poſſimus. Et ſi hominibus videtur ineptum, ac ſtultum, torqueri, & mori velle: cum libere liceat abire ſine noxa: nos tamen omni virtute, omniqꝫ patientia fidem Deo exhibere nitamur. Non mors terreat, nec dolor frangat, quo minus vigor animi & conſtantia inconcuſſa ſeruetur. Stultos † notent, dũmodo ipſi ſtultiſſimi ſint, & cæci, & hebetes, & pecudibus æquales, qui non intelligunt eſſe mortiferum, relicto Deo viuo proſternere ſe, atque adorare terrena, qui neſciunt, † ex illis æternam pœnam manere, qui figmenta inſenſibilia fuerint venerati, & eos, qui nec tormenta, nec mortẽ pro cultu, & honore veri Dei recuſauerint, vitam perpetuam conſecuturos. Hæc eſt † fideliſſima, hæc eſt vera ſapientia, hæc perfecta iuſtitia. Nihil ad nos attinet, quid iudicent ſtulti, quid homunculi ſentiant. Nos iudicium Dei expectare debemus, vt eos poſtmodum, qui de nobis iudicauerint, iudicemus. Dixi de iuſtitia, quid eſſet: ſequitur, vt oſtendam † quid ſit verum ſacrificium Dei, † quis iuſtiſſimus ritus colendi, ne quis arbitretur, aut victimas, aut odores, aut dona † præcientia deſiderari à Deo: à quo ſi fames, ſi ſitis, ſi algor, ſi omnium rerum terrenarum cupiditas abeſt, non ergo vtitur iis omnibus, quæ templis, † aliiſque fictilibus inferuntur, ſed ſicut corporalibus corporale, ſic vtique incorporalibus incorporale ſacrificium neceſſarium eſt. Illis, quæ in vſum tribuit homini Deus, ipſe non indiget: & cum omnis terra in ipſius ſit poteſtate, non indiget templo, cuius domicilium mundus eſt. non indiget ſimulachro, qui eſt & oculis, & mente incomprehenſibilis, non indiget terrenis luminibus, qui ſolem cum cæteris aſtris in vſum hominibus potuit accendere. Quid igitur ab homine deſiderat Deus niſi cultum mentis, qui eſt purus, & ſanctus? Nam illa, quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem ſunt, inepta, fragilia, ingrata ſunt, hoc eſt ſacrificium verum, non quod ex arca, ſed quod ex corde profertur, non quod manu, ſed quod mente libatur; hæc acceptabilis victima eſt, quam de ſeipſo animus immolat. Nam quid hoſtiæ? Quid thura? quid veſtes? quid aurum? quid argentum? quid pretioſi lapides conferunt, ſi colentis pura mens non eſt? Sola ergo iuſtitia eſt, quam Deus expetit. in hac ſacrificium, in hac Dei cultus eſt, de quo nunc mihi diſſerendum eſt, docendumque, in quibus operibus iuſtitiam neceſſe ſit contineri.

[al iucundius] B [al. vocem] [al. & illos] [al. fideliſſima] C [al quod] [al. qui] [al. pretioſa] [al. diis] D

SCHOLIA.

E

(a) Poſt Deum agnouerunt, nec cultum eius legemq; tenuerunt] *addit codex antiquus, quod bene & conuenienter additum videtur.*

(b) Si iudicabit, iuſtus vtique, &c.] *priores duas illas dictiones addit codex antiquus, qua neceſſario addenda ſunt.*

(c) Intelligens & arguta, non ſapientia] *lego ex antiquo codice, vt expungantur illa dictiones,* redargui videtur, quia, *nam perturbant orationem, & ſunt addita, quia vox arguta non ſatis fuit intellecta.*

(d) Non poteſt igitur, neque ſtulto iuſtitia, neque iniuſto ſapientia] *legendum eſt ex codice antiquo, neque enim poteſt vllus ſenſus conſtare, niſi illa verba* non poteſt *adiungantur.*

(e) Et eſt omnis terra ſub poteſtate ipſius] *erat in libris impreſſis.* cum omnis terra in ipſius ſit poteſtate, *legitur in antiquo codice. quod multo aptius eſt, & concinnius, cùm ex vulgari lectione vix poteſt vllus ſenſus elici.*

F

(f) Aut extra hominem ſunt, hoc ſacrificium non eſt, nec quod ex arca] *erat in libris impreſſis.* extra hominem ſunt inepta, fragilia, ingrata ſunt. hoc eſt ſacrificium verum, nõ quod ex arca, *habet codex antiquus. quam lectionem quiuis intelligere poteſt, quanto melior ſit, quam ea qua in libris impreſſis habetur. neque vero abutantur hoc Lactantij dicto hæretici ad tuendas inſanias ſuas, quibus omnem externum cultum ab Eccleſia auferre conantur. Nam Lactantius hic cum gentilibus agit, qui omnem ſpem ſuã in his collocabant, nos vero, hoc eſt Catholici, & ceremonias Eccleſiaſticas magnificamus. & tamen non in his tantum, ſed in diuina gratia, vitaque puritate, & magnarum virtutum exercitatione ſpem totam noſtram collocamus.*

De viis vitæ, atque ibi de iuſtitiæ officiis, & primis mundi temporibus.

Capvt II.

DVas eſſe humanæ vitę vias, nec philoſophis ignotum fuit, nec poetis, ſed eas † vtique diuerſo modo induxerunt philoſophi, alteram induſtriæ, alteram inertiæ eſſe voluere: ſed hoc minus rectè, † cùm eas ad † ſolius vitæ commoda retulerunt. melius poetæ, qui alteram iuſtorum alteram impiorum eſſe dixerunt. Sed in eo peccant, quod eas non in hac vita, ſed apud inferos eſſe aiunt. Nos vtique rectius, qui alteram vitæ, alteram mortis, & hic tamen has vias eſſe dicimus, ſed illa dexterior, qua iuſti gradiuntur. non in elyſium fert, ſed in cœlum. immortales enim fiũt. ſiniſterior ad tartarum. æternis enim cruciatibus † abdicuntur iniuſti. † Venerãda eſt à nobis iuſtitiæ via, quę ducit ad vitam. Primum autem iuſtitiæ officium eſt, Deum † cognoſcere, vt parentem, eumque metuere, vt Dominum, diligere, vt patrem. † Is enim qui nos genuit, qui vitali ſpiritu animauit, qui alit, qui ſaluos facit, habet in nos non modo vt pater, verùm etiam vt Dominus licentiam verberandi, & vitæ, ac necis poteſtatem: vnde illi ab homine duplex honos, id eſt, amor cum timore debetur. Secundũ iuſtitiæ officium eſt, hominem agnoſcere velut fratrem. Si enim nos idem Deus fecit, & vniuerſos ad iuſtitiam, & ad vitam æternam pari conditione generauit: fraterna vtique neceſſitudine cohæremus, quam qui non agnoſcit, iniuſtus eſt. Sed origo huius mali, quo ſocietas inter ſe hominum, quo neceſſitudinis vinculum † diſſoluitur, eſt, ab † ignorantia veri Dei naſcitur. Qui enim fontem illum benignitatis ignorat, bonus eſſe nullo modo poteſt. Inde eſt quod ex eo tempore, quo multi dij conſecrari ab hominibus, colique cœperunt, fugata eſt (ſicut poetæ aiunt) iuſtitia, ſic diremptum eſt omne fœdus, dirempta ſocietas iuris humani, cum ſibi quiſque conſulere, ius in viribus computare, nocere inuicem, fraudibus aggredi, dolis circumſcribere, commoda ſua aliorum incommodis adaugere, non cognatis, non liberis, † nec parentibus parcere, ad necem hominum pocula temperare, obſidere cum ferro vias, maria infeſtare, libidini autem, quo furor eduxerat fræna laxare, nihil denique ſancti habere, quod cupiditas infanda non violaret. Cum hæc fierent, tum leges ſibi ho-

G [al. vtrique] [al. quod] [al. ſola] [al. addicũtur] [al. tenenda] [al. agnoſcere] [al. idem] H [al. diſſoluitur] [al. ignoratione] [al. non]

mines condiderunt pro vtilitate communi; vt ſe inuicem
A tutos ab iniuriis facerent. Sed metus legum non ſcelera
comprimebat, ſed licentiam ſubmouebat. Poterant enim
leges delicta punire, conſcientiam munire non poterant.
Ita quæ antè palam fiebant: clam fieri cœperunt: circum-
ſcribi etiam iura: ſiquidem ipſi præſides legum præmiis,
muneribuſque corrupti, vel in remunerationem malorum,
vel in perniciem iuſtorum ſententias venditabant. His ac-
cedebant, diſſenſiones, & bella, & mutuæ deprædationes,
& oppreſſis legibus ſæuiendi poteſtas licenter aſſumpta.
In hoc ſtatu cum eſſent humanæ res, miſertus eſt noſtri
Deus: reuelauit ſe nobis & oſtendit: vt in ipſo religionem,
fidem, caſtitatem, miſericordiam diſceremus: *a* vt errore
vitæ prioris abiecto, noſmetipſos, quos impietas diſſocia-
uerat, diſceremus, legemque diuinam, quæ humana cum
cæleſtibus copulat, tradente ipſo Domino ſumeremus;
al. ſumus. qua lege vniuerſi, quibus irretiti * ſumus, errores cum va-
nis & impiis ſuperſtitionibus tollerentur. Quid enim ho-
mini debeamus, eadem illa lex diuina præſcribit, quæ do-
cet, quicquid homini præſtiteris, Deo præſtare. Sed radix
B iuſtitiæ, & omne fundamentum æquitatis eſt illud: Vt ne
facias vlli, quod pati nolis: ſed alterius animum de tuo
al. metiaris. * metieris, ſi acerbum eſt iniuriam ferre: & qui eam fece-
rit, videtur iniuſtus: transfer in alterius perſonam quod
al. de. * in te ſentis, & in tuam quod de altero iudicas: & intel-
liges tam te iniuſtè facere, ſi alteri noceas; quàm alterum,
ſi tibi. Hæc ſi mente voluemus; innocentiam tenebimus:
in qua iuſtitia velut in primo gradu conſiſtit. * primus eſt
enim, non nocere proximo, ſed prodeſſe. Et ſicut in rudi-
bus agris prius quàm ſerere incipias, euulſis ſentibus, & o-
mnium ſtirpium radicibus amputatis, arua purganda: ſic
de noſtris animis prius vitia detrahenda ſunt: & tunc de-
mum virtutes inſerendæ: de quibus ſeminatę per verbum
Dei fruges immortalitatis oriantur. Tres affectus, vel [vt
dicam] tres furiæ ſunt, quę in animis hominum tantas per-
turbationes cient & interdum cogunt ita delinquere, vt
nec famæ nec periculi ſui reſpectũ habere permittant. Ira,
C quæ vindictã cupit, Auaritia, quæ deſiderat opes: Libido,
quæ appetit voluptates. His vitiis ante omnia reſiſtendũ
eſt: hæ ſtirpes eruendæ, vt virtutes ſeri poſſint. Hos affe-
ctus Stoici amputandos, Peripatetici temperandos pu-
tant. Neutri eorum rectè: quia neque detrahi poſſunt: ſi-
quidem natura inſiti habent certam, magnamque rationẽ:
neque minui, quoniam ſi mala ſunt, carendum eſt etiam
mediocribus: ſi bona, integris abutendum eſt. Nos verò
neque detrahendos, neque minuendos eſſe dicimos Non
enim per ſe mala ſunt, quæ Deus homini rationabiliter in-
ſeruit: ſed cum ſint vtique natura bona, quoniam ad tu-
endam vitam ſunt attributa: malè vtendo, fiunt mala, ſi-
cut ſi fortiſſimè pro patria dimices, bonum eſt. ſi contra
patriam, malum. Sic & affectus, ſi ad vſus bonos habeas,
virtutes erunt: ſi ad malos, vitia dicentur. Ita igitur ad
coertionem peccatorum, id eſt, ad regendam ſubiectorũ
diſciplinã data eſt à Deo, vt metus licentiam comprimat,
al. ſed. & compeſcat audaciam * & qui terminos eius ignorat, i-
raſcitur paribus, aut etiam fortioribus. Inde ad immania
D facinora proſilitur: inde ad cædes, inde ad bella conſur-
gitur. Cupiditas verò ad deſideranda & conquirenda vi-
tæ neceſſaria tributa eſt. Sed qui neſciunt fines eius, inſa-
tiabiliter opes congerere nituntur. Hinc venena, hinc cir-
al. teſtamenta. cumſcriptiones, hinc falſa * teſtimonia, hinc omnium frau-
dum genera erupère. Libidinis autem affectus ad pro-
creandos filios inſitus & innatus eſt: ſed qui limites eius
animo non tenent, vtuntur eo ad ſolam voluptatem. Inde
al. illiciti amores. * illicitæ nuptiæ, inde adulteria, & ſtupra, inde omnes cor-
ruptelæ oriuntur. Redigendi ergo ſunt iſti affectus intra
fines ſuos, & in viam rectam redigendi: in qua * etſi ſunt
al. etiam. vehementes: culpam tamen habere non poſſunt.

Scholia.

a Vinculum diſſoluitur eſt, quod ab ignorantia veri Dei, &c.) *habent libri impreſſi.* diſſolutum eſt, ab ignoratione veri Dei naſcitur, *legendum eſt teſtimonio antiquorum codicum. in qua oratione ſenſus eſt optimus, & apertiſſimus cum extra eſt qua in libris impreſſis nihil intelligi poſſit.*

Diſceremus vt errore vitæ prioris abiecto ſimul cũ ipſo
E Deo noſmetipſos, quos impietas diſſociauerat, diſcere-
mus] *ſic habet codex antiquus, quod quantum conueniat cum re, quam tractat: quiuis intelligere poteſt. cauſa vero erroris fuit, quod ſcriptor ad ſecundum diſceremus, reſpiciens, omiſit illa, quæ inter vtrumque erant interpoſita.*

c Inde illicitæ nuptiæ] *habent libri impreſſi.* inde illiciti amores, *legendum eſt auctoritate antiquorum codicum. nam quamuis in nuptiis peccari facile poſſit, tamen ſi nuptiæ ſunt, illicitæ dici non poſſunt.*

De voluptatibus ſenſuum coercendis,

Capvt III.

COhibenda eſt ira, cùm patimur iniuriam: & vt malũ
comprimatur, quod ex certamine impendet: & vt
duas maximas virtutes innocentiam, & patientiam tenea-
mus. Auaritia * frangitur, cùm habemus, quod ſatis eſt. al. frangatur.
Quis enim furor eſt, in his congerendis laborare, quæ aut
latrocinio, aut proſcriptione, aut, morte ad alios * facile ſit al. neceſſe.
peruenire? Libido extra legitimum torum non euagetur:
ſed creandis liberis ſeruiat. appetentia enim nimia volu- F
ptatis, & periculum parit, & * inſaniam generat, & (quod al. infamiã
eſt maximè cauendum) mortem † incurrit æternam. Nihil al. acquirit
eſt enim tam inuiſum Deo, quàm mens inceſta, & animus
impurus. Ne hac ſola voluptate abſtinendum ſibi putet?
quæ capitur ex fœmineı corporis copulatione: ſed & cæ-
teris voluptatibus ſenſuum reliquorum; quia & ipſæ ſunt
vitioſæ: & eiuſdem virtutis eſt, eas contemnere. Oculorũ
voluptas percipitur ex rerũ pulchritudine: aurium de vo-
cibus canoris, & † ſuaſionibus: narium, de odore iucundo: al. ſuauitatibus.
ſaporis, de cibis dulcioribus. quibus omnibus virtus re-
pugnare fortiter debet: ne his illecebris irretitus animus, à
cæleſtibus ad terrena, ab æternis ad temporalia: à vita im-
mortali ad perpetuam pœnam deprimatur. In ſaporis, &
odoris voluptate hoc periculum eſt, quòd trahere ad luxu-
riam † poterit. Qui enim fuerit his deditus: aut non habe- al. poterũt.
bit vllam rem familiarem: aut ſi habuerit, abſumet, & aget
poſtmodum vitam deteſtabilem. Qui autem rapitur audi- G
tu [vt taceam de cantibus: qui ſenſus intimos ita ſæpe de-
liniunt, vt etiam † ſtatus mentis furore † perturbetur com- al. ſtatum. al. perturbent.
poſitis † certis orationibus, numeroſiſque carminibus, aut
argutis diſputationibus] ad impios cultus facilè traduci- al. certe.
tur. Inde eſt, quòd ſcriptis cæleſtibus, quia videntur in-
compta, non facile † creditur. quia aut ipſi ſunt diſerti, aut al. credũt.
diſerta legere volunt, nec quærunt vera, ſed † dubia: imò al. dulcia.
illis hæc videntur veriſſima eſſe, quæ auribus blandiuntur.
ita reſpuunt veritatem, dum ſermonis † varietate capiun- al. ſuauitate.
tur. Voluptas verò, quæ ſpectat ad viſum, multiformis eſt.
Nam quæ percipitur ex rerum pretioſarum pulchritudine:
auaritiam concitat: quæ aliena eſſe debet à ſapiente, atque
iuſto: quæ autem capitur de ſpecie mulierum: in alteram
rapit voluptatem. de qua iam ſuperius locuti ſumus.

Scholia.

a Et ſuaſionibus] *erat in libris typis excuſis.* & ſuauitatibus, *legendum eſt ex antiquis codicibus. ſuauitates vero poſſumus intelligere vel reſpectu cantus ac muſices, vel reſpectu iocorum, qui ab hominibus facetis proferuntur. de quibus paulo inferius ipſe Lact. autem ait: qui autem rapitur auditu, vt taceam de cantibus, qui ſenſus intimos ita ſæpe deliniunt, vt etiam ſtatum mentis furore perturbent. compoſitis certe orationibus, numeroſiſq; carminibus, aut argutis diſputationibus ad impios cultus facile traducitur. ſuaſionibus vero legi nullo modo poteſt, quia nihil ſignificat, quod ad voluptatem aurium referri poſſit.*
H
b Sed dubia] *erat in libris impreſſis.* ſed dulcia, *legendum eſt. quia antea de ſermonis elegantia dixerat, & poſtea etiam de eadem tractat: præſertim, cum nemo ſit, qui dubia quærat: & eſſet tamen, qui ea ſectaretur.*

De innocentia: atque ibi præcepta eorum, quæ vetantur.

Capvt IIII.

SVpereſt, de ſpectaculis dicere. quæ quoniam † poten- al. potentiora.
tia ſunt ad corrumpendos animos: vitanda ſapienti-

A bus, & cauenda ſunt, quòd ad celebrandos Deorum honores inuenta memorantur. Nam munerum editiones † Saturno facta ſunt. Scena, Liberi patris eſt. Ludi verò Circenſes Neptuno dicati putantur. vt iam qui † ſpectat, intereſt: relicto Dei cultu, ad profanos ritus tranſiſſe videatur. Sed ego de re malo dicere, quam de origine. Quid tã horribile, tam tetrum, quam hominis trucidatio? Ideo ſeueriſſimis legibus *a* vita noſtra † multatur? ideo bella execrabilia ſunt. † inuenta tamen conſuetudo, quatenus homicidium ſine bello, ac ſine legibus faciant, *b* & hoc ſit voluptas, quod, vt ſcelus vindicent. Quòd ſi intereſſe homicidio, ſceleris conſcientia eſt: & eodem facinore ſpectator obſtrictus eſt, quo & admiſſor: ergo & his gladiatorũ ſceleribus non minus cruore perfunditur, qui ſpectat, quã ille, qui facit, nec poteſt eſſe immunis à ſanguine, qui voluit effundi: aut videri non interfeciſſe, qui interfectori & fauet, & præmium poſtulauit. Quid ſcena? num ſanctior? in qua comœdia de ſtupris, & amoribus: tragœdia de inceſtis, & parricidiis fabulatur. Hiſtrionici etiam impudici

B geſtus, quibus infames fœminas imitantur, libidines, quas ſaltando exprimunt, docent. *c* nam minus corruptelarum diſciplina eſt, in quo fiunt per imaginem, quæ non ſunt: vt fiant ſine pudore, quæ vera ſunt. Spectant hæc adoleſcentes: quorum lubrica ætas, quæ frenari ac regi debet, ad vitia, & peccata his imaginibus eruditur. Circus non innocentior æſtimatur: ſed maior hic furor eſt: ſiquidem mentes ſpectantium tanta † feruntur inſania, vt non modò in conuicia, ſed etiam in rixas, nec non & in prælia, & contentiones ſæpe conſurgant. Fugienda igitur omnia ſpectacula, vt tranquillum mentis ſtatum tenere poſſimus. renuntiandum noxiis voluptatibus, ne deliniti ſuauitate peſtifera, in mortis laqueos incidamus. † Placet ſola virtus: cuius merces immortalis eſt, cum vicerit voluptatẽ. *Suppoſitis autem affectibus, & perdomitis voluptatibus, facilis in comprimendis cæteris labor eſt ei, qui ſit Dei, veritatiſque ſectator: non male dicet vnquam, qui expectabit à Deo benedictionem. Hic non peierabit, ne Deum ludibrio habeat: ſed ne iurabit quidem: ne quando vel neceſſitate, vel conſuetudine in periurium cadat. Nihil ſubdole, nihil diſſimulanter loquetur: neque abnegabit, quod

C ſpoponderit: neque promittet, quod facere non poſſit: non inuidebit cuiquam, qui † de ſuo contentus: nec detrahet, aut malè alteri volet, in quẽ fortiſan beneficia Dei proniora ſunt. Nõ furabitur, nec omnino quicquam concupiſcet alienum, non dabit in vſura pecuniam. Hoc eſt enim, de alienis malis lucra captare: nec tamen negabit: ſiquidem neceſſitas cogit mutuari. Non † erit aſper in filium, nec in ſeruum: meminerit, quod ipſe patrem habeat, ac Dominum. Ita cùm his † aget, quemadmodum ſecum agi vellet. Munera ſuperabundantia non † recipiet à tenuioribus: nec enim iuſtum eſt augeri patrimonia locupletum per damnum miſerorum. Vetus præceptum eſt, non occidere. quod ſic accipi debet, non tanquam iubeamur ab homicidio tantum, quod etiam legibus publicis † iubetur, manus abſtinere, *d* ſed * nec iuſſione interpoſita, nec verbo licebit periculum mortis inferre, nec infantem necare, aut exponere, nec ſeipſum voluntaria morte damnare: item non adulterare. ſed hoc præcepto non ſolũ corrumpere alienum matrimonium † prohibetur, quod etiam communi gentium iure damnatur: verùm etiam proſtitutis corporibus abſtinere. Supra leges enim lex Dei eſt.

D ea quoque, quæ pro licitis habentur, vetat: vt iuſtitiam conſummet. Eiuſdem legis eſt, falſum teſtimonium non dicere. quod & ipſum latius patet, *e* ſi falſum teſtimonium mendacio nocet ei, contra quem dicitur: & fallit eum, apud quem dicitur. Nunquam igitur mentiendum eſt: quia mendacium ſemper aut fallit, aut nocet. *f* Non eſt ergo vir iuſtus, qui etiam ſine noxa † vitioſo ſermone mentitur. Hinc verò nec adulari licet. pernicioſa eſt enim, ac deceptrix adulatio. ſed vbique cuſtodiat veritatem. quæ licet ad præſens ſit inſuauis: tamen, cùm fructus eius, atque vtilitas apparuerit, non odium pariet, vt ait poeta, ſed gratiam.

al. Saturni feſta. al. ſpectaculis. al. muniatur: al. inuenit. al. efferuntur. al. Placeat. al. ſuperanti. al. eſt. al. ſit. al. agat. al. accipiat. al. vindicetur. al. hac. al. prohibemur. al. in otioſo.

E

S C H O L I A.

a Vita noſtra muſctatur] *erat in libris impreſſis.* vita noſtra muniatur, *legendum eſt teſtimonio codicum veterum, nam loquitur de tutela, & præſidio hominum in pace degentium. quamuis enim leges ſcelera non puniant, tamen hoc faciunt, vt bonorum vita muniatur. & ſic legendum eſſe demonſtrant verba illa, vita noſtra, id eſt, vita hominum in pace degentium.*

b Et hoc vt ſcelus vindicent] *habent libri impreſſi.* & hoc ſit voluptas, quod ſcelus vindicant cędibus, *habet codex antiquus. ex hac vero lectione, ac vulgari effeci hanc, quam iudico eſſe aptã & concinnam.* & hoc ſit voluptas, quod vt ſcelus vindicent. *illud enim* vt ſcelus vindicent, *ſumpſi ex vulgari lectione: & ex dictione cædibus, facile poteſt fieri, legibus, mutatis tantum c. in l. & d. in g. quæ litera pro vario vſu ſcripturum ſæpe ſolent eſſe valde ſimiles. quod ſi hæc mutatio non placet, ea dictio facile poteſt omitti. lectio tamen antiqua per ſe ipſam aptam ſententiam continet.*

F

c An non minus corruptela diſciplinarum eſt] *erat in libris impreſſis.* nam minus corruptelarum diſciplina eſt, *legendum eſt. quibus verbis mimum, de quo tractat, vere deſinit.*

d Sed nec iuſſione] *legitur in libris impreſſis.* ſed hac iuſſione, *legendum eſt auctoritate antiquorum codicum. hac vero iuſſio intelligitur de præcepto non occidendi, continentur enim poſt illa verba narrantur multa, in quibus hoc præceptum locum habet.*

e Si mendacium nocet ei] *habent libri impreſſi.* ſi falſum teſtimonium mendacio nocet, *habet codex antiquus. nam iam de falſo teſtimonio cœpiſſet loqui, de eo aliquid dicendum fuit, cuius occaſione poſtmodum de mendacio quoque tractat.*

f Non eſt vir iuſtus qui no ſine noxa vitioſo ſermone, &c.] *erat in libris impreſſis.* eſt ergo vir iuſtus, qui non etiam ſine noxa in otioſo ſermone mentitur, *habet codex antiquus. mihi placent omnia, niſi quod vellem negationem eſſe in principio.* non eſt ergo, &c. *nam in medio poſita, perturbat totam orationem, præſertim, cum hic potius tractet de vitiis, quibus vita hominum inquinatur, quàm de virtutibus: quod ipſe paulo inferius clare ait. & vide, quæ fuerit ſententia Lactantii de mendacio, quia omnino conſentit cum Auguſtino.*

G

Præcepta eorum, quæ iubentur. ibiq; de miſericordia.

C A P V T V.

Dixi de iis, quæ vetantur. dicam nunc breuiter, quæ iubeantur. Innocentiæ proxima eſt miſericordia. Illa enim malum non facit: & hæc bonum operatur. illa inchoat iuſtitiam: hæc complet. Nam cùm imbecillior ſit hominum natura, quàm cæterarum animantium, quas Deus & inſtructas ad inferendam, & munitas ad vim repellendam figurauit: affectum nobis miſericordiæ dedit, vt omne præſidium vitæ noſtræ in mutuis auxiliis poneremus. Si enim facti ab vno Deo, & orti ab vno homine, conſanguinitatis iure ſociamur: omnem igitur hominem diligere debemus. itaque non tantùm inferre iniuriam non oportet, ſed ne illatam quidem vindicare: vt ſit in nobis perfecta innocentia. Ideo iubet nos Deus etiam pro inimicis precem facere ſemper. Ergo animal commune, atque conſors eſſe debemus: vt nos inuicem præſtandis

H recipiendiſque auxiliis muniamus. In multis enim caſibus, & incommodis fragilitas noſtra ſubiecta eſt. Speres tibi accidere poſſe quod alteri accidit. ita demum excitaberis ad opem ferendam, ſi ſumpſeris eius animum, qui opem † tunc in malis conſtitutus implorat. Si quis victu indiget, *a* impertiamur: ſi quis nudus occurrerit, veſtiamus. Si quis à potentiori iniuriam ſuſtinet, eruamus. Pateat domicilium noſtrum vel peregrinis, vel indigentibus tecto. Pupillis defenſio, viduis tutela noſtra non deſit. Redimere ab hoſte captiuos, *b* magnum miſericordiæ opus eſt: item ægros pauperes viſitare, atque fouere. Inopes, aut pauperes (ſi obierint, nõ patiamur inſepultos iacere. Hæc ſunt opera, hæc officia miſericordiæ: quę ſiquis perfecerit, verum, & acceptum ſacrificium Deo immolabit. Hæc laudabilior victima eſt apud Deum: qui non pecudum ſanguine, ſed hominis pietate placatur: quem Deus, quia iuſtus

al. tuam.

A

al. proſequitur.

eſt, ſua & ipſum lege, ſua & conditione † perſequitur: miſeretur ei, quem viderit miſericordem: inexorabilis eſt ei, quem precantibus cernit immitem. Ergo vt hæc omnia, quæ Deo placent, facere poſſimus: contemnenda eſt pecunia, & ad cæleſtes transferenda theſauros, vbi fur † non

al. nec.

effodiet, nec rubigo conſumet, nec tyrannus eripiet: ſed nobis ad æternam opulentiam Deo cuſtode ſeruabitur.

Scholia.

a Impertiamur ſi quis nudus occurrerit veſtiamus] *addit codex antiquus. quod optime additum eſt: quia in ſacro Euangelio cura veſtiendi nudos in primis miſericordiæ operibus ponitur, quæ non rectè hic omiſſa videretur.*

b Magnanimi opus eſt] *habent libri impreſſi.* magnum miſericordiæ opus eſt, *legendum eſt ex antiquis codicibus: nam hic non de magnitudine animi, ſed de miſericordia ſuſcepta eſt diſputatio.*

B

De fide in religione: & fortitudine: deq; fide in matrimonio.

Capvt VI.

Fides quoque, magna iuſtitiæ pars eſt: quæ maximè à nobis, qui nomen fidei gerimus: conſeruanda eſt, præcipuè in † religionem: quia Deus prior eſt, & potentior,

al. religione.

quàm homo. Et ſi eſt glorioſum pro amicis, pro parentibus, pro liberis, id eſt, pro homine ſuſcipere mortem, & qui hoc fecerit, diuturnam memoriam laudemque conſequitur: quanto magis pro Deo, qui poteſt æternam vitam pro temporali morte præſtare? Itaque cum inciderit huiuſmodi neceſſitas, vt † diſcedere à Deo, atque ad ritus

al. deſciſcere.

gentium tranſire cogamur: nullus nos metus, nullus terror inflectat, quo minus traditam nobis fidem cuſtodiamus. Deus ſit ante oculos, ſit in corde, cuius interno auxilio dolor viſcerum, & adhibita corpori tormenta ſuperentur. Nihil tunc aliud, quàm vitæ immortalis præmia cogitemus. Ita facilè, etiamſi diſſipandi, aut vrendi artus fuerint, tolerabimus vniuerſa, quæ in nos tyrannicæ dominationis amentia molitur. Poſtremo ipſam mortem

C

non inuitè, aut timidè, ſed libenter, & interriti ſubire nitamur, vt qui † ſcimus, quali apud Deum gloria ſimus † functuri triumphato ſeculo ad promiſſa venientes. Quibus

al. ſciam⁹.
al. futuri.

bonis quanta beatitudine breuia hæc pœnarum mala, & huius vitæ damna penſemus. Quòd ſi facultas huius gloriæ deerit: habebit fides etiam in pace mercedem. teneatur ergo in omnibus vitæ officiis, teneatur in matrimonio. Non enim ſatis eſt, ſi alieno toro, aut lupanari abſtineas. Qui habet coniugem: nihil quærat extrinſecus: ſed contentus ea ſola, carnem caſtiget, inuiolati cubilis ſacramenta cuſtodiat. Adulter enim Deo eſt perinde atque inceſtus, qui abiecto iugo, vel in liberam, vel in ſeruam peregrina voluptate luxuriat. Sed ſicut fœmina caſtitatis vinculis obligata eſt, ne aliud concupiſcat: ita vir eadem lege teneatur † quo Deus & viro vxorem vnius corporis compage ſolidauit. Ideo præcepit non dimitti vxorem, niſi crimine adulterii † deuictam, & nunquam coniugalis fœderis vinculum, niſi quod perfidia ruperit, reſoluatur. Illud quoque ad conſummandam pudicitiam iungitur, vt non modò peccatum abſit, verùm etiam cogitatio. Pollui enim mentem quamuis inani cupiditate, manifeſtum eſt. Itaque iuſtum hominem, quod ſit ſecus, nec facere oportere, nec velle. Purganda eſt igitur conſcientia: quam Deus peruidet, qui falli non poteſt. Euacuetur omni labe pectus: vt templum Dei eſſe poſſit: quod non auri, nec eboris nitor, ſed fidei, & caſtitatis fulgor illuſtrat. Sed enim hæc omnia difficilia ſunt homini: nec patitur conditio fragilitatis, eſſe quenquam ſine macula. Vltimum ergo remedium illud eſt: vt confugiamus ad pœnitentiam: quæ non minimũ locum inter virtutes habet: quia ſui correctio eſt: vt cùm fortè aut re, aut verbo lapſi fuerimus, ſtatim reſipiſcamus, aut nos deliquiſſe fateamur, oremuſque à Deo veniam, quam pro ſua miſericordia non negabit: niſi † perſeuerabimus in errore. Magnum eſt pœnitentiæ auxilium, magnum ſolatium! Illa eſt vulnerum, peccatorumque ſanatio: illa ſpes, illa portus ſalutis: quam qui tollit: viam vitæ ſibi amputat: quia nemo eſſe tam iuſtus poteſt, vt nunquam ſit ei pœnitentia neceſſaria. Nos verò, etiamſi nullum ſit peccatum, confiteri tamen debemus, & pro *debitis noſtris identidem deprecari, gratias agere etiam in malis. hoc ſemper obſequium Domino deferamus. humilitas enim tam chara, & amabilis *a* Deo eſt: qui cùm magis ſuſcipiat peccatorem confitentem, quàm iuſtum ſuperbum; quanto magis iuſtum ſuſcipiet confitentem, eumque in regnis cæleſtibus faciet pro humilitate † ſublimari. Hæc ſunt quæ debet cultor Dei exhibere. hæ ſunt victimæ: hoc ſacrificium placabile: hic verus eſt cultus, cùm homo mentis ſuæ pignora in aram Dei confert: ſumma illa maieſtas hoc cultore lætatur: hunc filium ſuſcipit, † ſibi: quia donum immortalitatis impartitur. de qua nunc mihi diſſerendum eſt: & arguenda eſt perſuaſio eorum, qui extingui animas cum corporibus putauerunt. qui, quia nec Deum ſciebant, nec arcanum mundi perſpicere poterant: ne hominis quidem animæque rationem comprehenderunt. Quomodo enim *b* poſſent † ſapientia prouidere, qui † ſcientiam habebant? Negantes ergo eſſe vllam prouidentiam; vtique Deum, qui fons, & caput eius eſt, negauerunt. ſequebatur, vt ea, quæ ſunt, aut ſemper fuiſſe dicerent, aut ſua ſponte eſſe nata, aut minutorum ſeminum conglobatione concreta ſemper fuiſſe, dici non poteſt: quia quicquid eſt, eſſe ſine aliquo initio non poteſt. ſua ſponte autem nihil naſci poteſt: quia nulla eſt ſine † ratione natura. ſemina † enim principalia quomodo eſſe potuerunt: cùm & ſemina † exordiis oriantur, & viciſſim res ex ſeminibus? Nullum igitur ſemen eſt, quod originem non habeat. Sic factum eſt, vt cùm putarent, mundum nulla prouidentia factum: ne hominem quidem putarint aliqua ratione † generari. Quòd ſi nulla eſſet in fingendo homine ratio verſata: mortalem igitur animam eſſe poſſe. Alii verò ex aduerſo, & Deum eſſe vnum, *c* & ab eo mundum factum, & hominum cauſa factum, & animas immortales exiſtimauêre. Sed cùm ea † ſenſerunt: † ii tamen diuini operis, atque conſilii nec cauſas, nec rationem, nec exitus perſpexerunt: vt omne veritatis arcanum conſummarent, atque veluti fine concluderent. Sed quod illi facere non potuerunt, quia veritatem perpetuò nõ tenebant: nobis faciendum eſt, qui eam cognouimus, Deo annuntiante. Conſideremus igitur, quæ ratio fuerit huius tanti, tamque immenſi operis fabricandi. Fecit Deus mundum, ſicut Plato exiſtimauit, ſed cur fecit, non oſtendit: Quia bonus inquit, & inuidens nulli, fecit quæ bona ſunt. Atqui videmus in rerum natura & bona eſſe, & mala. Poteſt ergo exiſtere peruerſus aliquis, qualis fuerit ἄθεος ille Theodorus, & Platoni reſpondere: Imò, quia malus eſt, fecit, quæ mala ſunt. Quomodo illum redarguet? Si quæ bona ſunt, Deus fecit: vnde igitur mala eruperunt? quæ plerumque etiam bonis præualent. In materia, inquit, continebantur. *d* Bona igitur, & mala: aut nihil fecit Deus: aut ſi bona tantum fecit: æterniora ſunt mala, quæ facta non ſunt: quam bona, quæ habuerunt exordium. Finem igitur habebunt, quæ aliquando cœperunt: & permanebunt, quæ ſemper fuerunt. Mala igitur potiora ſunt. ſi autem potiora eſſe non poſſunt: ne æterniora quidem poſſunt. Ergo aut vtraque ſemper fuerunt, & Deus otioſus: aut vtraque ex vno fonte fluxerunt. Eſt enim † conueniens, vt Deus omnia fecerit potius, quàm nihil. Ergo, ſecundum ſententiam Platonis, ideo Deus, & bonus eſt, quia bona facit: & malus, quia mala. Quod ſi fieri non poteſt: apparet, à Deo factum eſſe mundum, quia mundus bonus eſt: quoniam complexus eſt bona & mala, nec fecit propter ſe quicquam, ſed propter aliud. Domus ædificatur non ad hoc ſolum, vt ſit domus: ſed vt ſuſcipiat, & tueatur habitantem. Item nauis fabricatur, non vt nauis videatur: ſed vt in ea poſſint homines nauigare. Vaſa fiunt non vt vaſa ſint ſolum: ſed vt capiant, quæ ſunt vſui neceſſaria. Sic & mundum Deus ad vſum aliquem fecerit neceſſe eſt. Stoici aiunt hominum cauſa factum eſſe: & rectè. Homines enim fruuntur his omnibus bonis, quæ mundus in ſe continet. Sed, ipſi homines cur facti ſint, aut quid in illis vtili-

al. quia.
al. reuictã.

D

al. perſeuerantib⁹.

E

al. delictis.

al. ſublimẽ

al. exiſ.

F

al. ſequenda.
al. ſummam con.

al. generatione
al. verò.
al. ex rebus.

al. generatum.

al. ſenſerint.
al. hunc.

G

H

al. conuenientius.

A tatis habeat illa rerum fabricatrix prouidentia, non explicant. Immortales eſſe animas, idem Plato affirmat: ſed cur, aut quando, aut quomodo, aut per quem immortalitatem aſſequantur, aut * quidnam tantum illud myſterium: cur ii, qui ſunt immortales futuri: prius mortales naſcantur: deinde decurſo * temporis vitæ ſpatio, atque abiectis fragilium corporum exuuiis, ad æternam illam beatitudinem transferantur, non comprehendit. denique nec iudicium Dei, nec diſcrimen iuſti, & iniuſti explicauit: ſed animas, quæ ſe ſceleribus † immiſerint, hactenus condemnari putauit, vt in pecudibus renaſcantur, & ita peccatorum ſuorum luere pœnas, donec rurſus ad figuras hominum reuertantur: & hoc fieri ſemper, nec * citra finem tranſmeandi. Ludum mihi neſcio quem inducit ſomno ſimilem: cui nec ratio vlla, nec Dei gubernatio, nec conſilium aliquod ineſſe videatur.

al. quod ſit a mundo. al. temporalis. al. immerſerint. al. eſſe.

Scholia.

a Deo eſt, vt cum angelis ſuſcipiat peccatorem confitentem, quem in regnis, &c.] *erat in libris impreſſis. legendum eſt ex antiquis codicib.* Deo eſt, qui cum magis ſuſcipiat peccatorem confitentem, quàm iuſtum ſuperbum: quanto magis iuſtum ſuſcipiet confitentem, eumquè in regnis, &c. *quæ tota oratio, quam concinna ſit, & quantum cum ſuſcepta diſputatione conueniat, quiuis poteſt intelligere.* B

b Poſſent ſequentia prouidere, qui ſcientiam nullo modo habeant] *erat in libris impreſſis.* poſſent ſequentia prouidere, qui ſummam nullo modo habebant, *lego ex codice antiquo. ſenſus vero eſt: vt dicat, eos, qui ignorabant ſummam, id eſt Deum, & eius prouidentiam nullo modo potuiſſe videre ſequentia. hoc eſt, hominis, atque animæ rationalis naturam, quam Deus creauit.*

c Et ab eo mundum, & hominem eſſe factum] *habent libri impreſſi.* ab eo mundum factum, & hominum cauſa eſſe factum, *habet antiquus codex. quæ fuit Stoicorum opinio, vt infra declarat.*

d Bona igitur & mala, aut nihil fecit Deus, &c.] *tota hæc oratio vſque ad illa verba, Stoici aiunt, accipienda eſt, tanquam ab impio Theodoro prolata contra Platonem: quam non approbat Lactantius, ſed adducit, vt doceat illa, quæ à Platone ducebantur, non omnino ſibi conſtare, quia ex illis non videmus, quomodo ad hanc impiam Theodori orationem reſponderi poſſit. ſuam vero ſententiam Lactantius in ſequenti proximo capite explicat.* C

De Deo, mundo, & homine, animæ immortalitate.

Capvt VII.

Dicam nunc *a* quæ ſit illa † ſententia, quam nec ij quidem, qui vera dixerunt: collatis in vnum cauſis, atq; † fictionibus connectere potuerunt. Factus à Deo mundus, vt homines naſcerentur. naſcuntur autem homines, vt Deum patrem agnoſcant, vt colant, in quo iuſtitia eſt. colunt, vt mercedem immortalitatis accipiant. accipiunt immortalitatem, vt in æternum Deo ſeruiant. Videſne, quemadmodum ſibi connexa ſint & prima cum mediis, & media cum extremis? Inſpiciantur ſingula: & videamus, vtrumne illis ratio quoque ſubſiſtat. Fecit ergo Deus mundum propter hominem. Hoc qui non videt, non multum diſtat à pecude. quis cælum ſuſpicit niſi homo? quis ſolē? quis aſtra? quis opera Dei miratur, niſi homo? quis colit terram? quis ea ex fructū capit? quis nauigat mare? quis piſces, quis volatilia, quis quadrupedes habet in poteſtate, niſi homo? Cuncta igitur propter hominem Deus fecit; quia vſui hominum cuncta ceſſêre. Rectè ergo hoc viderunt philoſophi: ſed illud, quod ſequitur, non viderunt, quòd ipſum hominem propter ſe fecerit. Erat enim conſequens, & neceſſarium, & pium: vt cùm hominis cauſa tantam operam molitus ſit: cùm * tantum illi * honoris, tantum poteſtatis tribuerit, vt dominetur mundo: homo agnoſceret dominum, tantorum beneficiorum auctorem, qui fecit mundum propter ipſum; & ei cultum, & honorem debitum redderet. Hic Plato aberrauit: hic perdidit, quam primum arripuerat, veritatem: cùm de cultu eius Dei, quem conditorem rerum, ac parentem fatebatur, obticuit: nec intellexit, hominem Deo poteſtatis vinculis eſſe religatum: vnde ipſa religio nominatur: & hoc * eſt ſolum, propter quod immortales animæ fiant. ſenſit tamen æternas eſſe: ſed nō per gradus ad eam ſententiam deſcendit. Amputatis enim mediis, *b* incidit * totius veritatem, quaſi per abruptū aliquod præcipitium: nec vlterius progreſſus eſt: quoniam caſu ad eam, non ratione peruenerat. Colendus eſt igitur Deus, vt per religionem, quæ eadem iuſtitia eſt, accipiat homo à Deo immortalitatem: nec eſt vllum aliud præmium pietatis. quæ ſi eſt inuiſibilis: non poteſt ab inuiſibili Deo niſi inuiſibili mercede donari. Plurimis verò argumentis colligi poteſt, æternas eſſe animas. Plato ait: Quod per ſeipſum ſemper mouetur: * neque principium motus etiam finem non habere: animum autem hominis per ſe ſemper moueri, qui aſit ad cogitandum mobilis, ad inueniendum ſolers, ad percipiendum facilis, ad diſcendum capax, vt qui præterita teneat, præſentia comprehendat, futura proſpiciat, multarumq; rerum & artium ſcientiam complectatur: immortalem eſſe: ſiquidem nihil habeat in ſe de terreni ponderis labe concretum. Præterea, ex virtute, † an voluptate intelligitur æternitas animæ? voluptas * omnis, communis animalibus: virtus, ſolius eſt hominis. illa vitioſa eſt, hæc honeſta: illa ſecundum naturam, hæc aduerſa naturæ, niſi anima immortalis eſt, virtus enim pro fide, pro iuſtitia nec egeſtatem timet: nec exilium metuit: nec carcerem perhorreſcit: nec dolorem reformidat: nec mortem recuſat. quæ quia * naturæ contraria ſunt: aut ſtultitia eſt virtus, ſi & commoda impedit, & vitæ nocet: aut ſi ſtultitia non eſt, ergo anima immortalis eſt, & ideo præſentia bona contemnit: quia ſunt alia potiora, quæ poſt diſſolutionē corporis aſſequatur. Illud autem maximum argumentum immortalitatis eſt: quod Deum ſolus homo agnoſcit. In mutis nulla ſuſpicio religionis: quia *c* terrena * proſpiciunt. Homo ideo rectus cælum aſpicit, vt Deum quærat. An poteſt igitur non eſſe immortalis, qui immortalem deſiderat? Non poteſt eſſe ſolubilis, qui cum Deo & vultu, & mente communis eſt? Denique cæteris elemento, quod eſt ignis, homo ſolus vtitur. Si enim lux per ignem, vita per lucem: apparet, eum, qui vſum ignis habet, non eſſe mortalem: quoniam id illi proximum, id familiare eſt, ſine quo non poteſt nec lux, nec vita conſtare. Sed quid argumentis colligimus æternas eſſe animas: cùm habeamus teſtimonia diuina? id enim ſacræ literæ, ac voces prophetarum docent. Quod ſi cui parum videatur: legat carmina Sibyllarum: Apollinis quoque Milesii reſponſa cōſideret: vt intelligat deliraſſe Democritum, & Epicurum, & Dicæarchum, qui ſoli omnium mortalium, quod eſt euidens, negauerunt. Confirmata immortalitate, ſupereſt * dicere, à quo et tribuatur: cùm certa, & conſtituta diuinitus tempora compleri cœperint: & interitum & conſummationem rerum fieri neceſſe eſt, vt innouetur à Deo mundus. Id verò † tempore in proximo eſt, quantum de numero annorum, deque ſignis, quæ prædicta ſunt à * philoſophis, colligi poteſt. Sed cùm ſint innumerabilia, quæ de fine ſeculi, & † conſummatione temporum dicta ſunt, ea ipſa, quæ dicuntur, nuda ponenda ſunt: quoniam (vt teſtimoniis vtamur) immenſum eſt. ſi quis illa deſiderat, aut nobis minus credit: adeat ad ſacrarium cæleſtium literarum: quarum fide inſtructior, erraſſe philoſophos ſentiat: qui aut æternum eſſe hunc mundum, aut infinita eſſe annorum millia putauerunt, ex quo fuerit inſtructus. Nondum enim ſex millia completa ſunt. quo numero conſummato, tum demum malum omne tolletur, vt regnet ſola iuſtitia. quod quatenus euenturum ſit, paucis explicabo.

D

al. ſumma. al. rationibus. al. tantum. al. honores

E al. eſſe. al. potius in. al. nec. F al. ac. al. omnibus. al. naturæ. al. proſtrata iacent. G al. docere. al. tempus. al. Prophetis. al. concluſione. H

Scholia.

a Quæ ſit illa ſententia] *erat in libris impreſſis.* quæ ſit illa ſumma, *lego ex antiquo codice. nam ſic ſæpe loquitur Lactantius, ſummam appellans, breuem quandam cognitionem Dei, ac diuinæ prouidentiæ.*

b Inci-

A

b Incidit totius rei veritatem] *habent libri impreſsi.* incidit potius in veritatem, *legendum eſt. nam vult ſignificare Platonem, non certa ratione perueſtigaſſe animarum immortalitatem, ſed caſu quodam eam opinionem ſequutum fuiſſe, & in veritatem, vt ipſe ait, incidiſſe.*

c Terrena proſpiciunt] *erat in libris impreſsis.* terrena proſtrata iacent, *lego ex antiquo codice. quia continenter de homine loquens, nihil in eo magis conſiderat, quam celſum ſtatum.*

De poſtremis temporibus.

CAPVT VIII.

Caute lege hoc caput, & regreditor ad annotat. lib. 7. cap. 19 & cap. 24. nam inſunt hic multa à ſolida Eccleſiæ doctrina diſcrepantia.

HÆC autem à prophetis, & à vatibus futura dicuntur. Cùm cœperit mũdo finis vltimus propinquare; malitia inualeſcet; omnia vitiorum, & fraudum genera creB breſcent; iuſtitia interibit; fides, pax, miſericordia, pudor, veritas non erit; vis, & audacia præualebit; nemo quicquam habebit, niſi malè partum, manuque defenſum; ſi qui erunt boni, prædæ, ac ludibrio habebuntur, nemo pietatem parentibus exhibebit; nemo infantis, aut ſenis miſerebitur; auaritia, libido vniuerſa corrumpẽt; erunt cædes, & ſanguinis effuſiones; erunt bella non modo externa, & finitima, verùm etiam inteſtina; ciuitates inter ſe belligerabunt; omnis ſexus, & omnis ætas arma tractabunt, non imperij dignitas conſeruabitur, non militiæ diſciplina; ſed (al. vaſtitas) ſed more latrocinij deprædatio, & * vaſtatio fiet; regnum multiplicabitur; & decem viri occupabunt orbem, & partientur, & vorabunt; & exiſtet longè potentior, ac nequior, qui tribus delens, Aſiam poſſidebit, cæteris in poteſtate (al. aſcitis.) ſua redactis, & * abſciſſis; vorabit omnem terram, leges nouas ſtatuet, veteres abrogabit; Rempubl. ſuam faciet; nomen imperij, ſedemque mutabit. Tunc erit tempus infandum, & execrabile, quo nemini libeat viuere. Denique in eum ſtatum res cadet, vt viuos lamentatio, mortuos (al. Ciuitates.) gratulatio ſequatur. * Ciuitas, & oppida interibunt, moC dò ferro, & igni; modò terræ motibus crebris, modò aquarum inundatione, modò peſtilentia, & fame. Terra nihil feret, aut rigoribus nimijs, aut caloribus ſterilis. Aqua omnis partim mutabitur in cruorem; partim amaritudine vitiabitur; vt nihil ſit nec ad cibos vtile, nec ad potum ſa(al. accedẽt) lubre. His malis * accident prodigia hominibus ad timorem. Cometæ crebro apparebunt. Sol perpetuo ſqualore fuſcabitur. Lunam color ſanguinis obumbrabit, nec amiſſæ lucis damna reparabit. Stellæ omnes decident; nec temporibus ſua ratio conſtabit, hyeme, ac æſtate confuſis. Tunc & annus, & menſis, & dies breuiabitur: & hanc eſſe mundi ſenectutem, & defectionem, Triſmegiſtus elocutus eſt. quæ cùm venerit, adeſſe tempus ſciendum eſt, quo Deus ad commutandum ſeculum reuertatur. Inter (al. exurget) hæc autem mala * ſurget rex impius non modò generi hominum, ſed etiam Deo inimicus. Hic reliquias illius prioris tyranni conteret, cruciabit, vexabit, interimet. Et (al. erunt.) tunc * erunt lachrymæ, luctus, & gemitus perpetes, & ad D (al. nec.) eum caſſæ preces; nulla requies ad formidinem, * aut ſomnus ad quietem. Dies cladem, nox metus augebit ſemper. Sic orbis terrarum penè ad ſolitudinem hominum re(al. dicatos) digetur. Tunc impius iuſtos homines, ac * deditos Deo, duobus & quadraginta menſibus perſequetur; & ſe coli iubebit, vt Deum. Se enim dicet eſſe Deum, cùm ſit Antichriſtus, qui vt erit aduerſarius, & vt credi ei poſſit; accipiet poteſtatem mirabilia faciendi; vt ignis deſcendat de cælo; vt ſol deſiſtat à curſu, vt imago, quam poſuerit, loquatur. Quibus prodigijs alliciet multos, vt adorent eum, ſignumque eius in manu, aut fronte ſuſcipiant. & qui non adorauerit, ſignumque ſuſceperit, exquiſitis cruciatibus morietur. Ita ferè duas partes exterminabit: tertia in deſertas (al. ira.) ſolitudines fugiet. Sed ille vecors * proteruia implacabili furens adducet exercitum, & obſidebit montem, quo iuſti confugerint. Qui cùm ſe viderint circunſeſſos; implorabunt auxilium Dei voce magna; & audiet eos Deus; & immittet eis liberatorem. Tunc cælum intempeſta nocte patefiet, & deſcendet Chriſtus in virtute magna, & anE tecedet eum claritas ignea, & virtus inæſtimabilis angelorum, & extinguetur omnis illa multitudo impiorum, & torrentes ſanguinis current, & ipſe ductor effugiet; atque exercitu ſæpe reparato, quartum prælium faciet; quo captus cum * cæteris tyrannis tradetur exuſtioni. (al. omnib.) Sed & ipſe dæmonum princeps, auctor, & machinator malorum, cathenis igneis alligatus, cuſtodiæ dabitur, vt pacem mundus accipiat: & vt vexata tot ſeculis terra requieſcat. Pace igitur parta, compreſſoque omni malo, rex ille iuſtus, & victor, iudicium magnum de viuis, & mortuis faciet ſuper terram; & viuentibus quidem iuſtis tradet in ſeruitutem gentes vniuerſas, mortuos autem ad æternam vitam ſuſcitabit, & in terra cum his ipſe regnabit, & condet ſanctam ciuitatem, & erit regnum iuſtorum mille annis. Per idem tempus ſtellæ candidiores erunt, & claritas ſolis augebitur, & luna non patietur diminutionem. Tunc deſcendet à Deo pluuia benedictionis matutina, & veſpertina, & omnem frugem terra ſine labore hominum procreabit. Stil F labunt mella de rupibus, lactis, & vini fontes exuberabunt: beſtiæ depoſita feritate manſueſcent: lupus inter pecudes errabit innoxius: vitulus cum leone paſcetur: columba cum accipitre congregabitur: ſerpens virus non habebit: nullum animal viuet ex ſanguine. omnibus enim (al. miniſtrabit.) Deus copioſum, atque innocentem victum * dabit. Peractis verò mille annis, ac reſoluto dæmonum principe, rebellabunt gentes aduerſus iuſtos, & veniet innumerabilis multitudo ad expugnandam, delendamque ſanctorum gentem. concutiet enim à fundamentis ſuis terram, & corruent ciuitates; & pluet ſuper impios ignem cum ſulphure, & grandine, & ardebunt, & ſeinuicem trucidabunt: iuſti verò paulisper ſub terra latebunt, donec perditio fiat gentium, & exibunt poſt diem tertium, & videbunt campos cadaueribus opertos. Tunc fient terræmotus, & ſcindent ſe montes, & ſubſident in latitudine vallis profundæ, & congerentur in ea corpora mortuorum, & vocabi(al. etiam) tur nomen eius πολυάνδριον. Poſt hæc renouabit Deus mun(al. damnati &) dum, & transformabit iuſtos in figuram angelorum; vt (al. perſoluant) immortalitatis veſte donati, ſeruiant Deo in ſempiternum. (al. adnunciatione,) tunc * enim impij reſurgent non ad vitam, ſed ad pœnam, eos quoque ſecunda reſurrectione facta, Deus excitabit, G vt ad perpetua tormenta * damnet, æternis ignibus traditi, merita pro ſceleribus ſuis * ſoluant. Hæc omnia vera, omnium conſona * adminiſtratione prædicta, cùm (al. cecinerint) eadem Triſmegiſtus, eadem Hydaſpes, eadem Sibyllæ * (al. quin) concinerint, dubitari non poteſt. * Curæ, ſpes omnes vi(al. poſitæ) tæ, ac ſalutis, in ſola religione Dei ſint * poſita. Itaque niſi homo ſuſceperit, quem Deus ad liberationem miſit, niſi ſummum Deum per eum, qui miſſus eſt, cognouerit: niſi mandata eius, legeſque ſeruauerit, in eas incidet pœnas, de quibus locuti ſumus. Proinde fragilia contemnenda ſunt, vt ſolida conſequamur, ſpernenda terrena, vt cæleſtibus honoremur, temporalia fugienda, vt ad æterna veniamus. (al. formet.) Erudiat ſe quiſq; ad iuſtitiam * firmet ad continentiam, præparet ad agonem, inſtruat ad virtutem, vt ſi forte ad H uerſarius indixerit bellum, nulla vi, nullo terrore, nullis cruciatibus à recto, & bono diuellatur: non ſe ſubſternat inſenſibilibus figmentis, ſed verum, & ſolum Deum rectus (al. agnoſcat.) * cognoſcat: abijciat voluptates, quarum illecebris anima ſublimis deprimitur ad terram: teneat innocentiam: proſit quamplurimis: incorruptibiles ſibi theſauros bonis operibus acquirat, vt poſſit Deo iudice pro virtutis ſuæ meritis vel coronam fidei, vel præmium immortalitatis adipiſci.

SCHOLIA.

a Conſona adminiſtratione prædicta] *erat in libris impreſſis.* conſona adnuntiatione prædicta, *lego ex antiquo codice. nam adminiſtratione, quod eſt in libris excuſis, non poteſt cum re de qua agitur conuenire.*

A

INCERTI AVTORIS
Phœnix.

EST locus in primo fœlix oriente remotus,
Qua patet æterni ianua celſa poli:
Nec tamen æſtiuos, hyemiſq; propinquus ad ortus,
Sed qua ſol verno fundit ab axe diem.
Illic planicies tractus diffundit apertos,
Nec tumulus creſcit, nec caua vallis hiat.
Sed noſtros montes, quorum iuga celſa putantur,
Per bis ſex vlnas eminet ille locus.
Hic ſolis nemus eſt, & conſitus arbore multa
Lucus perpetuæ frondis honore viret.
Dum Phaetontæis flagraſſet ab ignibus axis,
Ille locus flammis inuiolatus erat.
Et cum diluuium merſiſſet fluctibus orbem,
Deucalioneas exuperauit aquas.
B Non huc exangues morbi, non ægra ſenectus,
Nec mors crudelis, nec metus aſper adit,
Nec ſcelus infandum, nec opum veſana Cupido,
Aut Mars, aut ardens cædis amore Furor:
Luctus acerbus abeſt, & egeſtas obſita pannis,
Et curæ inſomnis, & violenta fames.
Non ibi tempeſtas, nec vis furit horrida venti,
Nec gelido terram rore pruina tegit.
Nulla ſuper campos tendit ſua vellera nubes,
Nec cadit ex alto turbidus humor aquæ.
Sed fons in medio eſt, quem viuum nomine dicunt:
Perſpicuus, lenis, dulcibus vber aquis.
Qui ſemel erumpens per ſingula tempora menſium,
Duodecies vndis irrigat omne nemus.
Hic genus arboreum procero ſtipite ſurgens,
Non lapſura ſolo mitia poma gerit.
C Hoc nemus, hos lucos auis incolit vnica Phœnix,
Vnica, ſed viuit morte refecta ſua.
Paret, & obſequitur Phœbo memoranda ſatelles.
Hoc natura parens munus habere dedit.
Lutea cùm primùm ſurgens Aurora rubeſcit,
Cum primùm roſeâ ſidera luce fugat:
Ter quater illa pias immergit corpus in vndas,
Ter quater è viuo gurgite libat aquam.
Tollitur, ac ſummo conſedit in arboris altæ
Vertice, quæ totum deſpicit vna nemus,
Et conuerſa nouos Phœbi naſcentis ad ortus,
Expectat radios, & iubar exoriens.
Atq; vbi ſol pepulit fulgentis limina portæ,
Et primi emicuit luminis aura leuis,
Incipit illa ſacri modulamina fundere Cantus,
Et mirâ lucem voce ciêre nouam.
Quam nec ædoniæ voces, nec tybia poſſit
Muſica Cyrrhæis aſſimilare modis.
Sed neq; olor moriens imitari poſſe putatur,
Nec Cylleneæ fila canora lyræ.
D Poſtquam Phœbus equos in aperta refudit Olympi,
Atq; orbem totum protulit vſq; means.
Illa ter alarum repetito verbere plaudit
Non errabilibus nocte dieq; iouis.
Atq; eadem celeres etiam diſcriminat horas,
Igniferumq; caput ter venerata, ſilet.
Antiſtes nemorum, & luci veneranda ſacerdos,
Et ſola arcanis conſcia Phœbe tuis:
Quæ poſtquam vitæ iam mille peregerit annos,
Ac ſe reddiderint tempora longa grauem,
Vt reparet laſſum ſpatijs vigentibus æuum,
Aſſueti nemoris dulce cubile fugit.
Cumq; renaſcendi ſtudio loca ſancta reliquit,
Tunc petit hunc orbem, mors vbi regna tenet.
Dirigit in Syriam celeres longæua volatus,
Phœnicis nomen cui dedit ipſa vetus.
Secretuſq; petit deſerta per auia lucos,
Hic vbi per ſaltus ſylua remota latet.
Tum legit aerio ſublimem vertice palmam,
Quæ gratum Phœnix ex aue nomen habet.
Quam nec dente nocens animal perrumpere poſſit,
Lubricus aut ſerpens, aut auis vlla rapax. E
Tum ventos claudit pendentibus Aeolus antris,
Ne violent flabris aera purpureum,
Nec concreta Noto nubes per inania cœli
Summoueat radios ſolis, & obſit aui.
Conſtruit inde ſibi ſeu nidum, ſiue ſepulchrum,
Nam perit, vt viuat, ſe tamen ipſa creat.
Colligit hinc ſuccos, & odores diuite ſilua,
Quos legit Aſſyrius, quos opulentus Arabs,
Quos aut Pygmeæ gentes, aut India carpit,
Aut molli generat terra Sabæa ſinu.
Cinnama dehinc, auramq; procul ſpirantis amomi
Congerit, & miſto balſama cum folio.
Non caſiæ mitis, nec olentis vimen acanthi,
Nec thuris lachrymæ, guttaq; pinguis abeſt.
His addit teneras nardi pubentis ariſtas,
Et ſociat myrrhæ paſcua grata nimis,
Protinus in ſtrato corpus mutabile nido, F
Vitaliq; toro membra quieta locat.
Ore dehinc ſuccos membris circumq;, ſupraq;
Iniicit, exequijs immoritura ſuis.
Tunc inter varios animam commendat odores;
Depoſiti tanti nec timet illa fidem.
Interea corpus genitali morte peremptum
Aeſtuat; & flammas parturit ipſe calor;
Aetherioq; procul de lumine concipit ignem;
Flagrat, & ambuſtum ſoluitur in cinerem.
Hos velut in maſſam cineres in morte coactos
Conflat, & effectum ſeminis inſtar habet.
Hinc animal primum ſine membris fertur oriri;
Sed fertur vermis lacteus eſſe color.
Creuit in immenſum ſubito cum tempore certo;
Seq; oui teretis colligit in ſpeciem.
Inde reformatur, qualis fuit ante figura;
Et Phœnix ruptis pullulat exuuijs.
Ac velut agreſtes, cum filo ad * ſaxa tenentur, G
Mutari * pennæ papiliune ſolent. al. taxa. al. tinea.
Non illi cibus eſt noſtro conceſſus in orbe;
Nec cuiquam implumem paſcere cura ſubeſt.
Ambroſios libat cæleſti nectare rores,
Stellifero teneri qui cecidêre polo.
Hos legit; his medijs alitur in odoribus ales,
Donec maturam proferat effigiem.
Aſt vbi primæua cœpit florere iuuenta;
Euolat ad primas iam reditura domos.
Ante tamen, proprio quicquid de corpore reſtat,
Oſſaq; vel cineres, exuuiaſq; ſuas,
Vnguine balſameo, myrrhaq;, & thure ſoluto
Condit, & in formam conglobat ore pio.
Quam pedibus geſtans contendit ſolis ad ortus,
Inq; ara reſidens, ponit in æde ſacra.
Mirandam ſeſe præſtat, præbetq; videnti;
Tantus ibi decor eſt, tantus abundat honor.
Principio color eſt, qualis ſub ſydere cœli,
Mitia quem Croceo punica grana legunt. H
Qualis ineſt folijs, quæ fert agreſte papauer,
Cùm pendens veſtit ſole rubente polus.
Hoc humerus, pectuſq; decens velamine fulgent;
Hoc caput, hoc ceruix, ſummaq; terga nitent.
Caudaq; porrigitur fuluo diſtincta metallo;
In cuius maculis purpura miſta rubet.
Clarum inter pennas inſigne eſt deſuper, Iris,
Pingere ceu nubem deſuper alta ſolet.
Albicat inſignis miſto viridante ſmaragdo,
Et puro cornu gemmea cuſpis hiat.
Ingentes oculos credas, geminoſque hyacinthos,
Quorum de medio lucida flamma micat.
Aequatur toto capiti radiata corona,
Phœbei referens verticis alta decus.
Crura tegunt ſquamæ flauo diſtincta metallo,
Aſt vngues roſeus pingit honore color.
Effigies inter Pauonis miſta figuram
Cernitur, & miſtam Phaſidis inter auem.
Magnitiem terris Arabum quæ gignitur ales,
Vix æquare poteſt, ſeu fera, ſeu ſit auis.

A Non tamen eſt tarda, vt volucres, quæ corpore magno
Inceſſus pigros per graue pondus habent.
Sed leuis, & velox, regali plena decore,
Talis in aſpectu ſe exhibet vſq; hominum.
Conuenit Ægyptus tanti ad miracula viſus;
Et raram volucrem turba ſalutat ouans.
Protinus inſculpunt ſacrato in marmore formam;
Et ſignant titulo remq; diemq; nouo.
Contrahit in cœtum ſeſe genus omne volantum;
Nec prædæ memor eſt vlla, nec vlla metus.
Alituum ſtipata Choro volat illa per altum,
Turbaq; proſequitur munere læta pio.
Sed poſtquam puri peruenit ad ætheris auras;
Mox redit iſta ſuis conditur ille locis.
Hæc fortunatæ ſortis, fatiq; volucris,
Cui de ſe naſci præſtitit ipſe Deus.
Fœmina, vel mas hæc, vel neutrum ſit mage, felix,
Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit.
B Mors illi Venus eſt; ſola eſt in morte voluptas;
Vt poſſit naſci, hæc appetit ante mori.
Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater, & ſuus hæres,
Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi.
Ipſa quidem, ſed non eadem, quia & ipſa, nec ipſa eſt,
Aeternam vitam mortis adepta bono.

INCERTI AVCTORIS CARMEN DE PASſione Domini.

QVisquis ades, medijq; ſubis in limina templi,
Siſte parum, inſontemq; tuo pro crimine paſſum,
Reſpice me, me conde animo, me in pectore ſerua,
Ille ego, qui caſus hominum miseratus acerbos,
Huc veni pacis promiſſæ interpres, & ampla
Communis culpæ venia, hic clariſſima ab alto
Reddita lux terris, hic alma ſalutis imago,
Hic tibi ſum requies, via recta, redemptio vera,
Vexillumq; Dei, ſignum & memorabile fati.
C Te propter, vitamq; tuam ſum Virginis aluum
Ingreſſus, ſum factus homo, atq; horrentia paſſus
Funera, nec requiem terrarum in finibus vſquam
Inueni, ſed vbiq; minas, ſed vbiq; labores.
Horrida prima mihi in terris magalia Iudæ
Hoſpitia in partu, ſociæq; fuêre parenti.
Hic mihi fulta dedit bruta inter inertia primum
Arida in anguſtis præſepibus herba cubile.
In Pharijs primos vixi regionibus annos,
Herodis regno profugus, reliquosq; reuerſus
Iudæam, ſemper ieiunia, ſemper & ipſam
Pauperiem extremam, & rerum inferiora ſecutus,
Semper egens monitis humana ſalubribus almæ
Ingenia ad ſtudium probitatis aperta ſalubri
Plurima doctrinæ iniungens miracula, quare
Impia Hieruſalem rabidis exercita curis,
Inuidiæ, ſæuisq; odijs, & cæca furore,
Inſonti eſt pœnis letalibus auſa cruentam
In cruce terribili mortem mihi quærere: quæ ſi
D Latius ipſe velim diſtinguere, ſiq; per omnes
Ire iuuet gemitus, mecum & ſentire dolores,
Collige conſilia, inſidiasue, meiq; nefandum
Sanguinis innocui pretium, & ſimulata clientis
Oſcula, & inſultus, & ſæuæ iurgia turbæ.
Verbera præterea, & promptas ad crimina linguas
Fige animo, & teſtes, & cæci infanda Pilati
Iudicia, ingentemq; humeris, & feſſa prementem
Terga crucem, atq; graues horrenda ad funera greſſus.
Nunc me, nunc verò deſertum extrema ſecutum
Supplicia, & dulci procul à genitrice leuatum
Vertice ad vſq; pedes me luſtra, en aſpice crines
Sanguine concretos, & ſanguinolenta ſub ipſis
Colla comis, ſpinisq; caput crudelibus hauſtum:
Vndiq; diua pluens viuum ſuper ora cruorem,
Compreſſos ſpeculare oculos, & luce carentes,
Afflictasq; genas, arentem ſuſpice linguam,
Felle venenatam, & pallentes funere vultus.
Cerne manus clauis fixas, tractosq; lacertos,

E Atq; ingens lateri vulnus, cerne inde fluorem
Sanguineum, foſſosq; pedes, artusq; cruentos.
Flecte genu, lignumq; crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramq; cruore madentem
Ore petens humili, lachrymis ſuffunde ſubortis,
Et me nonnunquam deuoto in corde, meosq;
Fer monitus. ſectare meæ veſtigia vitæ,
Ipſaq; ſupplicia inſpiciens, mortemq; ſeueram
Corporis innumeros memorans, animiq; dolores,
Diſce aduerſa pati, & propriæ inuigilare ſaluti.
Hæc monimenta tibi, ſiquando in mente iuuabit
Voluere, ſi qua fides animo tibi ferre meorum
Debita, ſi pietas, & gratia digna laborum
Surget, erunt veræ ſtimuli virtutis, eruntq;
Hoſtis in inſidias clypei, quibus acer in omni *al. omni.*
Tutus eris, victorq; feres certamine palmam.
Hæc monimenta tuos ſi labilis orbis amicos
Auertent ſenſus, fugientę decoris ab vmbra
F Mundani efficient, ne ſpe captatus inani
Mobilis occiduis fortunæ fidere rebus
Auſetis, aut vitæ ſperare fugacibus annis.
Sed te nimirum, ſic iſta caduca videntem
Secula, & exutum patriæ melioris amore
Orbis opes, rerumq; vſus, & vota priorum,
Moribus extollens ſacris, vitæq; beatæ
Spe, durans inter pœnas, te rore fouebunt
Cæleſti, pactiq; boni dulcedine paſcent.
Purpuream donec poſt vltima fata relicto
Corpore, ſublimes animam reuocabit ad auras.
Gratia magna tibi tunc omnem exuta laborem,
Angelicos tunc læta Choros, aciesq; beatas
Sanctorum inſpiciens, æternæ pacis amœna
Perpetuò felix mecum regnabit in aula.

Carmina, quæ in libris impreſſis Lactantio attribuuntur, in nullis antiquis codicibus inueni. & Phœnicis carmina, Lactantij non ſunt, quamuis ſint ab elegantiſſimo aliquo poeta ſcripta, quem tamen certo credo non fuiſſe Chriſtianum. Nam Phœnicem nominat ſolis ſacerdotem, & ſic de nemore illo loquitur, & de Phœbo, tanquam ille reuera ſit Deus, & habeat nemus illud chariſſimum, ac ſibi dicatum. G *Carmina illa de reſurrectione ſiue de Paſcha, quod ad elegantiam ſpectat, cum illis Phœnicis comparari non poſſunt. & ex ipſis apparet manifeſtè non eundem fuiſſe eorum auctorem; hæc vero inter Opuſcula Venantij Fortunati poetæ Chriſtiani, quæ ſunt in Bibliotheca Vaticana, ab optimo & literato viro Antonio Gerona admonitus, inueni. de quibus poſtmodum aliqua annotabo. Illius tertij poematis, de paſſione Domini, nullum veſtigium vſquam inuenire potui, in quo tamen non multi errores reperiuntur: ita vt diligentia emendationis in eo non valde fuerit neceſſaria.*

Carmen de Paſchate, habetur inter Venantii Fortun. Honorii opera infra Sæculo VI. ideoq; hic ſtudio illud omiſimus, Scholia vero Thomaſii ſubiecimus.

In Phœnice in illo Diſticho erat prius:

Ac velut Agreſtes cum filo ad ſaxa tenentur,
Mutari penna papiliones ſolent.

Admonuit me vir doctiſſimus Didacus Conaruuias nunc Epiſcopus Segobienſis, vt in ſecundo verſu loco penna, ſcriberem, tinea, quod mihi valde probatur. nam tineæ ſunt vermes illi, ex quibus ſerici papiliones naſcuntur. hoc vero in loco videtur poeta imitari voluiſſe Ouidium, libro vltimo Metamorph. qui de hac eadem mutatione ſic ait: H

Quæq; ſolent canis frondes intexere filis,
Agreſtes tineæ, res obſeruata colonis,
Ferali mutent cum papilione figuram.

Ac ſane non dubito, quin pro illo nomine, penna, legendum ſit, tinea, ſed in priore verſu, illa, filo ad ſaxa tenentur, videtur mihi non ſatis cum reipſa conuenire, cum fila illa potius ad frondes, vel ad ramos ducantur, quam ad ſaxa: propterea puto potius legendum taxa, quam ſaxa.

In carminibus reſurrectionis, quia aperte inueni, cuius illa eſſent, mutaui totam inſcriptionem, & eam aſcripſi, quæ eſt in illis opuſculis: Venantij Honorij, &c. quæ ſunt in bibliotheca Vaticana, ex quibus multa in libris impreſſis emendaui, multa tamen reliqui, quia melior mihi viſa eſt lectio vulgaris, quam illa codicis Vaticani. eſt enim ille codex valde corruptus, tamen ita eſt, qui eum iuuare poſſit, qui eo cum iudicio vtatur. & ſanè ſic faciendum eſt eis, qui hanc curam emendandi veterum auctorum libros ſuſcipiunt, vt ſæpe ex pluribus malis codicibus vnicum optimum efficiant.

A

ſuis intelligens: (c) & arguta non ſapientia, ſed calliditas & aſtutia eſt: ita & iuſtitia non debet ſtultitia, ſed innocentia nominari, quia neceſſe eſt, iuſtum eſſe ſapientem. & eũ, qui ſit ſtultus, iniuſtum. Nam neque ratio, neque natura ipſa permittit, vt is, qui iuſtus eſt, ſapiens non ſit, quoniam iuſtus nihil vtique facit, niſi quod rectum, & bonum eſt, prauum, & malum ſemper fugit. Quis autem diſcernere bonum, & malum, prauum, & rectum poterit, niſi qui ſapiens fuerit? Stultus autem malè facit, quia bonum, & malum quid ſit, ignorat, ideo peccat, quia non poteſt praua, & recta diſcernere: non poteſt igitur neque ſtulto * iuſtitiá, neque iniuſto * ſapientiam conuenire. Ergo ſtultus nõ eſt, qui nec tabula naufragum, nec quẽ ſaucium deiecerit, quia ſe abſtinuit à nocẽdo, quod eſt peccatum, peccatum autem vitare, ſapientis eſt.

al. iuſtitia
al. ſapiẽtia

Sed vt ſtultus prima facie videatur, illa res efficit, quòd extingui animam cum corpore exiſtimant. idcirco omne commodum ad hanc vitam referunt. Si enim poſt mortem nihil eſt, vtique ſtultè facit, qui alterius animæ parcit cum diſpendio ſuę, aut qui alterius lucro magis, quàm ſuo conſulit. ſi mors animam delet, danda eſt opera, quo † iuſtius, commodiuſque viuamus. ſi autem vita poſt mortem ſupereſt æterna, & beata, hanc vtique corporalem cum omnibus terræ bonis iuſtus, ac ſapiens contẽnet, quia ſciet, quale à Deo ſit præmium recepturus. Teneamus igitur innocentiam, teneamus iuſtitiam, ſubeamus imaginem ſtultitiæ, vt veram ſapientiam tenere poſſimus. Et ſi hominibus videtur ineptum, ac ſtultum, torqueri, & mori velle: cum liceat abire ſine noxa: nos tamen omni virtute, omnique patientia fidem Deo exhibere nitamur. Non mors terreat, nec dolor frangat, quo minus vigor animi & conſtantia inconcuſſa ſeruetur. Stultos † notent, dũmodo ipſi ſtultiſſimi ſint, & cæci, & hebetes, & pecudibus æquales, qui non intelligunt eſſe mortiferum, relicto Deo viuo proſternere ſe, atque adorare terrena, qui neſciunt, † ex illis æternam pœnam manere, qui figmenta inſenſibilia fuerint venerati, & eos, qui nec tormenta, nec mortẽ pro cultu, & honore veri Dei recuſauerint, vitam perpetuam conſecuturos. Hæc eſt † fideliſſima, hæc eſt vera ſapientia, hæc perfecta iuſtitia. Nihil ad nos attinet, quid iudicent ſtulti, quid homunculi ſentiant. Nos iudicium Dei expectare debemus, vt eos poſtmodum, qui de nobis iudicauerint, iudicemus. Dixi de iuſtitia, quid eſſet: ſequitur, vt oſtendam † quid ſit verum ſacrificium Dei, † quis iuſtiſſimus ritus colendi, ne quis arbitretur, aut victimas, aut odores, aut dona † præſentia deſiderari à Deo. à quo ſi fames, ſi ſitis, ſi algor, ſi omnium rerum terrenarum cupiditas abeſt, non ergo vtitur iis omnibus, quæ templis, † aliiſque fictilibus inferuntur, ſed ſicut corporalibus corporale, ſic vtique incorporalibus incorporale ſacrificium neceſſarium eſt. Illis, quæ in vſum tribuit homini Deus, ipſe non indiget: & cum omnis terra in ipſius ſit poteſtate, non indiget templo, cuius domicilium mundus eſt. non indiget ſimulachro, qui eſt & oculis, & mente incomprehenſibilis, non indiget terrenis luminibus, qui ſolem cum cæteris aſtris in vſum hominibus potuit accendere. Quid igitur ab homine deſiderat Deus niſi cultum mentis, qui eſt purus, & ſanctus? Nam illa, quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem ſunt, inepta, fragilia, ingrata ſunt, hoc eſt ſacrificium verum, non quod ex arca, ſed quod ex corde profertur, non quod manu, ſed quod mente libatur, hæc acceptabilis victima eſt, quam de ſeipſo animus immolat. Nam quid hoſtiæ? Quid thura? quid veſtes? quid aurum? quid argentum? quid pretioſi lapides conferunt, ſi colentis pura mens non eſt? Sola ergo iuſtitia eſt, quam Deus expetit. in hac ſacrificium, in hac Dei cultus eſt, de quo nunc mihi diſſerendum eſt, docendumque, in quibus operibus iuſtitiam neceſſe ſit contineri.

al. iucundius
B
al. vocent
al. & illos
al. fideliſſima
C
al. quod
al. qui
al. pretioſa
al. diis
D

SCHOLIA.

(a) Poſt Deum agnouerunt, nec cultum eius legemq; tenuerunt] *addit codex antiquus, quod bene & conuenienter additum videtur.*

(b) Si iudicabit, iuſtus vtique, &c.] *priores duas illas dictiones addit codex antiquus, quæ neceſſario addenda ſunt.*

(c) Intelligens & arguta, non ſapientia] *lego ex antiquo codice, vt expungantur illæ dictiones,* redargui videtur, quia, *nam perturbant orationem, & ſunt addita, quia vox arguta non ſatis fuit intellecta.*

(d) Non poteſt igitur, neque ſtulto iuſtitia, neque iniuſto ſapientia] *legendum eſt ex codice antiquo, neque enim poteſt vllus ſenſus conſtare, niſi illa verba* non poteſt *adiungantur.*

(e) Et eſt omnis terra ſub poteſtate ipſius] *erat in libris impreſſis.* cum omnis terra in ipſius ſit poteſtate, *legitur in antiquo codice. quod multo apertius eſt, & concinnius, nã ex vulgata lectione vix poteſt vllus ſenſus elici.*

(f) Aut extra hominem ſunt, hoc ſacrificium non eſt, nec quod ex arca] *erat in libris impreſſis.* extra hominem ſunt inepta, fragilia, ingrata ſunt. hoc eſt ſacrificium verum, nõ quod ex arca, *habet codex antiquus. quam lectionem quiuis intelligere poteſt, quanto melior ſit, quam ea quam libris impreſſi habebant. neque vero abutantur hoc Lactantij dicto heretici ad tuendas infamias ſuas, quibus omnem externum cultum ab Eccleſia auferre conantur. Nam Lactantius hic cum gentilibus agit, qui omnem ſpem ſuã in his collocabant, nos vero, hoc eſt Catholici, & ceremonias Eccleſiaſticas magnificamus, & tamen non in his tantum, ſed in diuina gratia, vitæque puritate, & magnarum virtutum exercitatione ſpem totam noſtram collocamus.*

E
F

De via vitæ atque ibi de iuſtitiæ officiis, & primis mundi temporibus.

CAPVT II.

Dvas eſſe humanæ vitę vias, nec philoſophis ignotum fuit, nec poetis, ſed eas † vtique diuerſo modo induxerunt philoſophi, alteram induſtriæ, alteram inertiæ eſſe voluere: ſed hoc minus rectè, † cum eas ad † ſolius vitæ commoda retulerunt. melius poetæ, qui alteram iuſtorum alteram impiorum eſſe dixerunt. Sed in eo peccant, quod eas non in hac vita, ſed apud inferos eſſe aiunt. Nos vtique rectius, qui alteram vitæ, alteram mortis, & hic tamen has vias eſſe dicimus, ſed illa dexterior, qua iuſti gradiuntur, non in elyſium fert, ſed in cœlum. immortales enim fiũt. ſiniſterior ad tartarum. æternis enim cruciatibus † addicuntur iniuſti. † Venerãda eſt à nobis iuſtitiæ via, quę ducit ad vitam. Primum autem iuſtitiæ officium eſt, Deum † cognoſcere, vt parentem, eumque metuere, vt Dominum, diligere, vt patrem. † Is enim qui nos genuit, qui vitali ſpiritu animauit, qui alit, qui ſaluos facit, habet in nos non modo vt pater, verùm etiam vt Dominus licentiam verberandi, & vitæ, ac necis poteſtatem: vnde illi ab homine duplex honos, id eſt, amor cum timore debetur. Secundũ iuſtitiæ officium eſt, hominem agnoſcere velut fratrem. Si enim nos idem Deus fecit, & vniuerſos ad iuſtitiam, & ad vitam æternam pari conditione generauit: fraterna vtique neceſſitudine cohæremus, quam qui non agnoſcit, iniuſtus eſt. Sed origo huius mali, quo ſocietas inter ſe hominum, quo neceſſitudinis vinculum † diſſoluitur, eſt, ab † ignorantia veri Dei naſcitur. Qui enim fontem illum benignitatis ignorat, bonus eſſe nullo modo poteſt. Inde eſt quod ex eo tempore, quo multi dij conſecrari ab hominibus, colique cœperunt, fugata eſt (ſicut poetæ aiunt) iuſtitia, ſic diremptum eſt omne fœdus, dirempta ſocietas iuris humani, cum ſibi quiſque conſulere, ius in viribus computare, nocere inuicem, fraudibus aggredi, dolis circumſcribere, commoda ſua aliorum incommodis adaugere, non cognatis, non liberis, † nec parentibus parcere, ad necem hominum pocula temperare, obſidere cum ferro vias, maria infeſtare, libidini autem, quo furor eduxerit fræna laxare, nihil denique ſancti habere, quod cupiditas infanda non violaret. Cum hæc fierent, tum leges ſibi ho-

G
al. vtique
al. quod
al. ſola
al. addicũtur
al. tenenda
al. agnoſcere
al. idem
H
al. diſſoluatur
al. ignoratione
al. non

mines

A

mines condiderunt pro vtilitate communi; vt ſe inuicem tutos ab iniuriis facerent. Sed metus legum non ſcelera comprimebat, ſed licentiam ſubmouebat. Poterant enim leges delicta punire, conſcientiam munire non poterant. Ita quæ antè palam fiebant: clam fieri cœperunt: circumſcribi etiam iura: ſiquidem ipſi præſides legum præmiis, muneribuſque corrupti, vel in remunerationem malorum, vel in perniciem iuſtorum ſententias venditabant. His accedebant, diſſenſiones, & bella, & mutuæ deprædationes, & oppreſſis legibus ſæuiendi poteſtas licenter aſſumpta. In hoc ſtatu cum eſſent humanæ res, miſertus eſt noſtri Deus: reuelauit ſe nobis & oſtendit: vt in ipſo religionem, fidem, caſtitatem, miſericordiam diſceremus: *a* vt errore vitæ prioris abiecto, noſmetipſos, quos impietas diſſociauerat, diſceremus, legemque diuinam, quæ humana cum cæleſtibus copulat, tradente ipſo Domino imbueremus; qua lege vniuerſi, quibus irretiti * ſumus, errores cum vanis & impiis ſuperſtitionibus tollerentur. (al. ſumus.) Quid enim homini debeamus, eadem illa lex diuina præſcribit, quæ docet, quicquid homini præſtiteris, Deo præſtare. Sed radix

B

iuſtitiæ, & omne fundamentum æquitatis eſt illud: Vt ne facias vlli, quod pati nolis: ſed alterius animum de tuo * metieris, ſi acerbum eſt iniuriam ferre: & qui eam fecerit, videtur iniuſtus: transfer in alterius perſonam quod * in te ſentis, & in tuam quod de altero iudicas: & intelliges tam te iniuſtè facere, ſi alteri noceas; quàm alterum, ſi tibi. (al. metiaris. al. de.) Hæc ſi mente voluemus: innocentiam tenebimus: in qua iuſtitia velut in primo gradu conſiſtit. * primus eſt enim, non nocere proximo, ſed prodeſſe. Et ſicut in rudibus agris prius quàm ſerere incipias, euulſis ſentibus, & omnium ſtirpium radicibus amputatis, arua purganda: ſic de noſtris animis prius vitia detrahenda ſunt: & tunc demum virtutes inſerendæ: de quibus ſeminatæ per verbum Dei fruges immortalitatis oriantur. Tres affectus, vel [vt dicam] tres furiæ ſunt, quę in animis hominum tantas perturbationes cient & interdum cogunt ita delinquere, vt nec famæ nec periculi ſui reſpectū habere permittant. Ira,

C

quæ vindictā cupit, Auaritia, quæ deſiderat opes: Libido, quæ appetit voluptates. His vitiis ante omnia reſiſtendū eſt: hæ ſtirpes eruendæ, vt virtutes ſeri poſſint. Hos affectus Stoici amputandos, Peripatetici temperandos putant. Neutri eorum rectè: quia neque detrahi poſſunt: ſiquidem natura inſiti habent certam, magnamque rationē: neque minui, quoniam ſi mala ſunt, carendum eſt etiam mediocribus: ſi bona, integris abutendum eſt. Nos verò neque detrahendos, neque minuendos eſſe dicimus Non enim per ſe mala ſunt, quæ Deus homini rationabiliter inſeruit: ſed cum ſint vtique natura bona, quoniam ad tuendam vitam ſunt attributa: malè vtendo, fiunt mala, ſicut ſi fortiſſimè pro patria dimices, bonum eſt. ſi contra patriam, malum. Sic & affectus, ſi ad vſus bonos habeas, virtutes erunt: ſi ad malos, vitia dicentur. Ira igitur ad coertionem peccatorum, id eſt, ad regendam ſubiectorū diſciplinā data eſt à Deo, vt metus licentiam comprimat, & compeſcat audaciam * & qui terminos eius ignorat, *i*raſcitur paribus, aut etiam fortioribus. (al. ſed.) Inde ad immania

D

facinora proſilitur: inde ad cædes, inde ad bella conſurgitur. Cupiditas verò ad deſideranda & conquirenda vitæ neceſſaria tributa eſt. Sed qui neſciunt fines eius, inſatiabiliter opes congerere nituntur. Hinc venena, hinc circumſcriptiones, hinc falſa * teſtimonia, hinc omnium fraudum genera erupêre. (al. teſtamenta.) Libidinis autem affectus ad procreandos filios inſitus & innatus eſt: ſed qui limites eius animo non tenent, vtuntur eo ad ſolam voluptatem. Inde * illicitæ nuptiæ, inde adulteria, & ſtupra, inde omnes corruptelæ oriuntur. (al. illiciti amores.) Redigendi ergo ſunt iſti affectus intra fines ſuos, & in viam rectam redigendi: in qua * etſi ſint vehementes: culpam tamen habere non poſſunt. (al. etiam.)

Scholia.

a Vinculum diſſolutum eſt, quod ab ignorantia veri Dei, &c.) *habent libri impreſſi.* diſſolutum eſt, ab ignoratione veri Dei naſcitur, *legendum eſt teſtimonio antiquorum codicum. in qua oratione ſenſus eſt optimus, & apertiſſimus cum ex ea eſt qua in libris impreſſa nihil intelligi poſſit.*

D*i*ſc*eremus vt errore vitæ prioris abiecto ſimul cū ipſo Deo noſmetipſos, quos impietas diſſociauerat, diſceremus*] *ſic habet codex antiquus, quod quantum conueniat cum re, quam tractat: quiuis intelligere poteſt. cauſa vero erroris fuit, quod ſcriptor ad ſecundum diſceremus, reſpiciens, omiſit illa, quæ inter vtrumque erant interpoſita.*

E

c Inde illicitæ nuptiæ] *habent libri impreſſi.* inde illiciti amores, *legendum eſt auctoritate antiquorum codicum. nam quamuis in nuptiis peccari facile poſſit, tamen ſi nuptiæ ſunt, illicitæ dici non poſſunt.*

De voluptatibus ſenſuum coercendis,

CAPVT III.

COhibenda eſt ira, cùm patimur iniuriam: & vt malū comprimatur, quod ex certamine impendet: & vt duas maximas virtutes innocentiam, & patientiam teneamus. Auaritia * frangitur, cùm habemus, quod ſatis eſt. (al. frangatur.) Quis enim furor eſt, in his congerendis laborare, quæ aut latrocinio, aut proſcriptione, aut, morte ad alios * facile ſit peruenire? (al. neceſſe.) Libido extra legitimum torum non euagetur:

F

ſed creandis liberis ſeruiat. appetentia enim nimia voluptatis, & periculum parit, & * inſaniam generat, & (quod eſt maximè cauendum) mortem † incurrit æternam. (al. infamiā. al. acquirit.) Nihil eſt enim tam inuiſum Deo, quàm mens inceſta, & animus impurus. Ne hac ſola voluptate abſtinendum ſibi putet: quæ capitur ex fœminei corporis copulatione: ſed & cæteris voluptatibus ſenſuum reliquorum: quia & ipſæ ſunt vitioſæ: & eiuſdem virtutis eſt, eas contemnere. Oculorū voluptas percipitur ex rerū pulchritudine: aurium de vocibus canoris, & † *a* ſuaſionibus: narium, de odore iucundo: (al. ſuauitatibus.) ſaporis, de cibis dulcioribus. quibus omnibus virtus repugnare fortiter debet: ne his illecebris irretitus animus, à cæleſtibus ad terrena, ab æternis ad temporalia: à vita immortali ad perpetuam pœnam deprimatur. In ſaporis, & odoris voluptate hoc periculum eſt, quòd trahere ad luxuriam † poteſt. (al. poteſt.) Qui enim fuerit his deditus: aut non habebit vllam rem familiarem: aut ſi habuerit, abſumet, & aget

G

poſtmodum vitam deteſtabilem. Qui autem rapitur auditu [vt taceam de cantibus: qui ſenſus intimos ita ſæpe deliniunt, vt etiam † ſtatus mentis furore † perturbetur (al. ſtatum. al. perturbent.) compoſitis † certis orationibus, numeroſiſque carminibus, aut argutis diſputationibus] ad impios cultus facilè traducitur. (al. certe.) Inde eſt, quòd ſcriptis cæleſtibus, quia videntur incompta, non facile † credunt: quia aut ipſi ſunt diſerti, aut diſerta legere volunt, nec quærunt vera, ſed † *b* dubia: imò illis hæc videntur veriſſima eſſe, quæ auribus blandiuntur. (al. credūt. al. dulcia.) ita reſpuunt veritatem, dum ſermonis † varietate capiuntur. (al. ſuauitate.) Voluptas verò, quæ ſpectat ad viſum, multiformis eſt. Nam quæ percipitur ex rerum pretioſarum pulchritudine: auaritiam concitat: quæ aliena eſſe debet à ſapiente, atque iuſto: quæ autem capitur de ſpecie mulierum: in alteram rapit voluptatem. de qua iam ſuperius locuti ſumus.

Scholia.

a Et ſuaſionibus] *erat in libris typis excuſis.* & ſuauitatibus, *legendum eſt ex antiquis codicibus. ſuauitates vero poſſumus intelligere vel reſpectu cantus ac muſices, vel reſpectu vocorum, quæ ab hominibus faceta proferuntur. de quibus paulo inferius ipſe Lactantius ait: qui autem rapitur auditu, vt taceam de cantibus, qui ſenſus intimos ita ſæpe deliniunt, vt etiam ſtatum mentis furore perturbent: compoſitis certe orationibus, numeroſiſq; carminibus, aut argutis diſputationibus ad impios cultus facile traducitur. ſuaſionibus vero legi nullo modo poteſt, quia nihil ſignificat, quod ad voluptatem aurium referri poſſit.*

H

b Sed dubia] *erat in libris impreſſis.* ſed dulcia, *legendum eſt. quia antea de ſermonis elegantia dixerat, & poſtea etiam de eadem tractat: præſertim, cum nemo ſit, qui dubia quærat: & eſſet inſanus, qui ea ſectaretur.*

De innocentia: atque ibi præcepta eorum, quæ vetantur.

CAPVT IIII.

SVpereſt, de ſpectaculis dicere. quæ quoniam † potentia ſunt ad corrumpendos animos: vitanda ſapienti- (al. potentiſſima.)

A bus, & cauenda ſunt, quòd ad celebrandos Deorum honores inuenta memorantur. Nam munerum editiones † Saturnalia facta ſunt. Scena, liberi patris eſt. Ludi verò Circenſes Neptuno dicati putantur. vt iam qui † ſpectat, intereſt: relicto Dei cultu, ad profanos ritus tranſiſſe videatur. Sed ego de re malo dicere, quam de origine. Quid tam horribile, tam terrum, quàm hominis trucidatio? Ideo ſeueriſſimis legibus *a* vita noſtra † multatur? ideo bella execrabilia ſunt. † inuenta tamen conſuetudo, quatenus homicidium ſine bello, ac ſine legibus faciant, *b* & hoc ſit voluptas, quod, vt ſcelus vindicent. Quòd ſi intereſſe homicidio, ſceleris conſcientia eſt: & eodem facinore ſpectator obſtrictus eſt, quo & admiſſor: ergo & his gladiatorum ſceleribus non minus cruore perfunditur, qui ſpectat, quàm ille, qui facit, nec poteſt eſſe immunis à ſanguine, qui voluit effundi: aut videri non interfeciſſe, qui interfectori & fauet, & præmium poſtulauit. Quid ſcena? num ſanctior? in qua comœdia de ſtupris, & amoribus: tragœdia de inceſtis, & parricidiis fabulatur. Hiſtrionici etiam impudici geſtus, quibus infames fœminas imitantur, libidines, quas

B ſaltando exprimunt, docent. *c* nam minus corruptelarum diſciplina eſt, in quo fiunt per imaginem, quæ non ſunt: vt fiant ſine pudore, quæ vera ſunt. Spectant hæc adoleſcentes: quorum lubrica ætas, quæ frenari ac regi debet, ad vitia, & peccata his imaginibus eruditur. Circus non innocentior æſtimatur: ſed maior hic furor eſt: ſiquidem mentes ſpectantium tanta † feruntur inſania, vt non modò in conuicia, ſed etiam in rixas, necnon & in prælia, & contentiones ſæpe conſurgant. Fugienda igitur omnia ſpectacula, vt tranquillum mentis ſtatum tenere poſſimus. renunciandum noxiis voluptatibus, ne deliniti ſuauitate peſtifera, in mortis laqueos incidamus. † Placet ſola virtus: cuius merces immortalis eſt, cum vicerit voluptatem. *Suppoſitis autem affectibus, & perdomitis voluptatibus, facilis in comprimendis cæteris labor eſt ei, qui ſit Dei, veritatiſque ſectator: non male dicet vnquam, qui expectabit à Deo benedictionem. Hic non peierabit, ne Deum ludibrio habeat: ſed ne iurabit quidem: nequando vel neceſſitate, vel conſuetudine in periurium cadat. Nihil ſubdole, nihil diſſimulanter loquetur: neque abnegabit, quod

C ſpoponderit: neque promittet, quod facere non poſſit: non inuidebit cuiquam, qui † de ſuo contentus: nec detrahet, aut malè alteri volet, in quem fortaſſis beneficia Dei prouiſa ſunt. Nõ furabitur, nec omnino quicquam concupiſcet alienum, non dabit in vſura pecuniam. Hoc eſt enim, de alienis malis lucra captare: nec tamen negabit: ſiquidem neceſſitas cogit mutuari. Non † erit aſper in filium, nec in ſeruum: meminerit, quod ipſe patrem habeat, ac Dominum. Ita cùm his † aget, quemadmodum ſecum agi vellet. Munera ſuperabundantia non † recipiet à tenuioribus: non enim iuſtum eſt augeri patrimonia locupletum per damna miſerorum. Vetus præceptum eſt, non occidere. quod ſic accipi debet, non tanquam iubeamur ob homicidio tantum, quod etiam legibus publicis † iubetur, manus abſtinere, *d* ſed * nec iuſſione interpoſita, nec verbo licebit periculum mortis inferre, nec infantem necare, aut exponere, nec ſeipſum voluntaria morte damnare: item non adulterare. ſed hoc præcepto non ſolũ corrumpere alienum matrimonium † prohibetur, quod etiam communi gentium iure damnatur: verùm etiam proſtitutis corporibus abſtinere. Supra leges enim lex Dei eſt.

D ea quoque, quæ pro licitis habentur, vetat: vt iuſtitiam conſummet. Eiuſdem legis eſt, falſum teſtimonium non dicere. quod & ipſum latius patet, *e* ſi falſum teſtimonium mendacio nocet ei, contra quem dicitur: & fallit eum, apud quem dicitur. Nunquam igitur mentiendum eſt: quia mendacium ſemper aut fallit, aut nocet. *f* Non eſt ergo vir iuſtus, qui etiam ſine noxa † vitioſo ſermone mentitur. Hinc verò nec adulari licet. pernicioſa eſt enim, ac deceptrix adulatio. ſed vbique cuſtodiat veritatem. quæ licet ad præſens ſit inſuauis: tamen, cùm fructus eius, atque vtilitas apparuerit, non odium pariet, vt ait poeta, ſed gratiam.

al. Saturn. feſta. — al. ſpectat... — al. munitur: — al inuenit — al. efferuntur. — al Placeat. — al. ſuperatis. — al. eſt. — al. ſit. — al. agat. — al. accipiat — al. vindicetur. — al hac. — al. prohibemur. — al. in otioſo.

SCHOLIA.

E *a* Vita noſtra mulctatur] *erat in libris impreſſis.* vita noſtra munitur, *legendum eſt teſtimonio codicum veterum, nam loquitur de tutela, & præſidio hominum in pace degentium. quamuis enim leges ſceleratos puniant, tamen hoc faciunt, vt bonorum vita muniatur. & ſic legendum eſſe demonſtrant verba illa, vita noſtra, id eſt, vita iuſtorum in pace degentium.*

b Et hoc vt ſcelus vindicent] *habent libri impreſſi.* & hoc ſit voluptas, quod ſcelus vindicant cędibus, *habet codex antiquus. ex hac vero lectione, ac vulgari effeci hanc, quam iudico eſſe aptã & germanam.* & hoc ſit voluptas, quod vt ſcelus vindicent. *illud enim* vt ſcelus vindicent, *ſumpſi ex vulgari lectione: & ex dictione cædibus, facile poteſt fieri, legibus, mutatis tantum c. in l. & d. in g. quæ literæ pro vario vſu ſcriptorum ſæpe ſolent eſſe valde ſimiles. quod ſi hæc mutatio non placet, ea dictio facile poteſt omitti. lectio tamen antiqua per ſeipſam aptam ſententiam continet.*

F *c* An non minus corruptela diſciplinarum eſt] *erat in libris impreſſis.* nam minus corruptelarum diſciplina eſt, *legendum eſt. quibus verbis mimum, de quo tractat, vere definiuit.*

d Sed nec iuſſione] *legitur in libris impreſſis.* ſed hac iuſſione, *legendum eſt auctoritate antiquorum codicum. hac vero iuſſio intelligitur de præcepto non occidendi, continuatur enim poſt illa verba narrantur multa, in quibus hoc præceptum locum habet.*

e Si mendacium nocet ei] *habent libri impreſſi.* ſi falſum teſtimonium mendacio nocet, *habet codex antiquus. nam cum de falſo teſtimonio cœpiſſet loqui, de eo aliquid dicendum fuit, cuius occaſione poſtmodum de mendacio quoque tractat.*

f Non eſt vir iuſtus qui ob hoc noxa vitioſo ſermone, &c.] *erat in libris impreſſis.* eſt ergo vir iuſtus, qui non etiam ſine noxa in otioſo ſermone mentitur, *habet codex antiquus. mihi placent omnia, niſi quod vellem negationem eſſe in principio.* non eſt ergo, &c. *nam in medio poſita perturbat totam orationem, præſertim, cum hic potius tractet de vitiis, quibus vita hominum inquinatur, quàm de virtutibus: quod ipſe paulo inferius clare ait, & vide, quæ fuerit ſententia Lactantii de mendacio, quia eminet non conſentit cum Auguſtino.*

G

Præcepta eorum, quæ iubentur. ibiq; de miſericordia.

CAPVT V.

Dixi de iis, quæ vetantur. dicam nunc breuiter, quæ iubentur. Innocentiæ proxima eſt miſericordia. Illa enim malum non facit: & hæc bonum operatur. illa inchoat iuſtitiam: hæc complet. Nam cùm imbecillior ſit hominum natura, quàm cæterarum animantium, quas Deus & inſtructas ad inferendam, & munitas ad vim repellendam figurauit: affectum nobis miſericordiæ dedit, vt omne præſidium vitæ noſtræ in mutuis auxiliis poneremus. Si enim facti ab vno Deo, & nati ab vno homine, conſanguinitatis iure ſociamur: omnem igitur hominem diligere debemus. itaque non tantùm inferre iniuriam non oportet, ſed ne illatam quidem vindicare: vt ſit in nobis perfecta innocentia. Ideo iubet nos Deus etiam pro inimicis precem facere ſemper. Ergo animal commune,

H atque conſors eſſe debemus: vt nos inuicem præſtandis recipiendiſque auxiliis muniamus. In multis enim caſibus, & incommodis fragilitas noſtra ſubiecta eſt. Speres tibi accidere poſſe quod alteri accidit. ita demum excitaberis ad opem ferendam, ſi ſumpſeris eius animum, qui opem † tuncin malis conſtitutus implorat. Si quis victu indiget, *a* impertiamur: ſi quis nudus occurrerit, veſtiamus. al. tuam.
Si quis à potentiori iniuriam ſuſtinet, eruamus. Pateat domicilium noſtrum vel peregrinis, vel indigentibus tecto. Pupillis defenſio, viduis tutela noſtra non deſit. Redimere ab hoſte captiuos, *b* magnum miſericordiæ opus eſt: item ægros pauperes viſitare, atque fouere. Inopes, aut pauperes, ſi obierint, nõ patiamur inſepultos iacere. Hæc ſunt opera, hæc officia miſericordiæ: quę ſi quis perfecerit, verum, & acceptum ſacrificium Deo immolabit. Hæc lanabilior victima eſt apud Deum: qui non pecudum ſanguine, ſed hominis pietate placatur: quem Deus, quia iuſtus

A

eſt, ſua & ipſum lege, ſua & conditione † perſequitur: miſeretur ei, quem viderit miſericordem: inexorabilis eſt ei, quem precantibus cernit inmitem. Ergo vt hæc omnia, quæ Deo placent, facere poſſimus: contemnenda eſt pecunia, & ad cæleſtes transferenda theſauros, vbi fur † non effodiet, nec rubigo conſumet, nec tyrannus eripiet: ſed nobis ad æternam opulentiam Deo cuſtode ſeruabitur.

al. proſequitur. al. nec.

Scholia.

a Impertiamur ſi quis nudus occurrerit veſtiamus] *addit codex antiquus. quod optime additum eſt: quia in ſacro Euangelio cura veſtiendi nudos in primis miſericordiæ operibus ponitur, quæ non rectè hic omiſſa videretur.*

b Magnanimi opus eſt] *habent libri impreſſi.* magnum miſericordiæ opus eſt, *legendum eſt ex antiquis codicibus: nam hic non de magnitudine animi, ſed de miſericordia ſuſcepta eſt diſputatio.*

B

De fide in religione: & fortitudine: deq; fide in matrimonio.

Caput VI.

Fides quoque, magna iuſtitiæ pars eſt: quæ maximè à nobis, qui nomen fidei gerimus: conſeruanda eſt, præcipuè in † religionem: quia Deus prior eſt, & potentior, quàm homo. Et ſi eſt glorioſum pro amicis, pro parentibus, pro liberis, id eſt, pro homine ſuſcipere mortem, & qui hoc fecerit, diuturnam memoriam laudemque conſequitur: quanto magis pro Deo, qui poteſt æternam vitam pro temporali morte præſtare? Itaque cum inciderit huiuſmodi neceſſitas, vt † diſcedere à Deo, atque ad ritus gentium tranſire cogamur: nullus nos metus, nullus terror inflectat, quo minus traditam nobis fidem cuſtodiamus. Deus ſit ante oculos, ſit in corde, cuius interno auxilio dolor viſcerum, & adhibita corpori tormenta ſuperentur. Nihil tunc aliud, quàm vitæ immortalis præmia cogitemus. Ita facilè, etiamſi diſſipandi, aut vrendi artus fuerint, tolerabimus vniuerſa, quæ in nos tyrannicæ dominationis amentia molietur. Poſtremo ipſam mortem non inuitè, aut timidè, ſed libenter, & interrit ſubire nitamur, vt qui † ſcimus, quali apud Deum gloria ſimus † functuri triumphato ſeculo ad promiſſa veniente. Quibus bonis quanta beatitudine breuia hæc pœnarum mala, & huius vitæ damna penſemus. Quòd ſi facultas huius gloriæ deerit: habebit fides etiam in pace mercedem. teneatur ergo in omnibus vitæ officiis, teneatur in matrimonio. Non enim ſatis eſt, ſi alieno toro, aut lupanari abſtineas. Qui habet coniugem: nihil quærat extrinſecus: ſed contentus ea ſola, carnem caſtiget, inuiolati cubilis ſacramenta cuſtodiat. Adulter enim Deo eſt perinde atque inceſtus, qui abiecto iugo, vel in liberam, vel in ſeruam peregrina voluptate luxuriat. Sed ſicut fœmina caſtitatis vinculis obligata eſt, ne aliud concupiſcat: ita vir eadem lege teneatur † quo Deus & viro vxorem vnius corporis compage ſolidauit. Ideo præcepit non dimitti vxorem, niſi crimine adulterii † deuictam, & nunquam coniugalis fœderis vinculum, niſi quod perfidia ruperit, reſoluatur. Illud quoque ad conſummandam pudicitiam iungitur, vt non modò peccatum abſit, verùm etiam cogitatio. Pollui enim mentem quamuis inani cupiditate, manifeſtum eſt. Itaque iuſtum hominem, quod ſit ſecus, nec facere oportere, nec velle. Purganda eſt igitur conſcientia: quam Deus peruidet, qui falli non poteſt. Euacuetur omni labe pectus: vt templum Dei eſſe poſſit: quod non auri, nec eboris nitor, ſed fidei, & caſtitatis fulgor illuſtrat. Sed enim hæc omnia difficilia ſunt homini: nec patitur conditio fragilitatis, eſſe quenquam ſine macula. Vltimum ergo remedium illud eſt: vt confugiamus ad pœnitentiam: quæ non minimũ locum inter virtutes habet: quia ſui correctio eſt: vt cùm fortè aut re, aut verbo lapſi fuerimus, ſtatim reſipiſcamus, aut nos deliquiſſe fateamur, oremuſque à Deo veniam, quam pro ſua miſericordia non negabit: niſi † perſeuerabimus in errore. Magnum eſt pœnitentiæ auxilium, magnum ſolatium! Illa eſt vulnerum, peccatorumque ſanatio: illa ſpes, illa portus ſalutis: quam qui tollit: viam vitæ ſibi amputat: quia nemo eſſe tam iuſtus poteſt, vt nunquam ſit ei pœnitentia neceſſaria. Nos verò, etiamſi nullum ſit peccatum, confiteri tamen debemus, & pro *debitis noſtris identidem deprecari, gratias agere etiam in malis. hoc ſemper obſequium Domino deferamus. humilitas enim tam chara, & amabilis *a* Deo eſt: qui cùm magis ſuſcipiat peccatorem confitentem, quam iuſtum ſuperbum; quanto magis iuſtum ſuſcipiet confitentem, eumque in regnis cæleſtibus faciet pro humilitate † ſublimari. Hæc ſunt quæ debet cultor Dei exhibere. hæ ſunt victimæ: hoc ſacrificium placabile: hic verus eſt cultus, cùm homo mentis ſuæ pignora in aram Dei confert: ſumma illa maieſtas hoc cultore lætatur: hunc filium ſuſcipit, † ſibi: quia donum immortalitatis impartitur. de qua nunc mihi diſſerendum eſt: & arguenda eſt perſuaſio eorum, qui extingui animas cum corporibus putauerunt. qui, quia nec Deum ſciebant, nec arcanum mundi perſpicere poterant: ne hominis quidem animæque rationem comprehenderunt. Quomodo enim *b* poſſent † ſapientia prouidere, qui † ſcientiam habebant? Negantes ergo eſſe vllam prouidentiam: viique Deum, qui fons, & caput eius eſt, negauerunt. ſequebatur, vt ea, quæ ſunt, aut ſemper fuiſſe dicerent, aut ſua ſponte eſſe nata, aut minutorum ſeminum conglobatione concreta. ſemper fuiſſe, dici non poteſt: quia quicquid eſt, eſſe ſine aliquo initio non poteſt. ſua ſponte autem nihil naſci poteſt: quia nulla eſt ſine † ratione natura. ſemina † enim principalia quomodo eſſe potuerunt: cùm & ſemina † exordiis oriantur, & viciſſim res ex ſeminibus? Nullum igitur ſemen eſt, quod originem non habeat. Sic factum eſt, vt cùm putarent, mundum nulla prouidentia factum: ne hominem quidem putarint aliqua ratione † generari. Quòd ſi nulla eſſet in fingendo homine ratio verſata: mortalem igitur animam eſſe poſſe. Alii verò ex aduerſo, & Deum eſſe vnum, *c* & ab eo mundum factum, & hominum cauſa factum, & animas immortales exiſtimauêre. Sed cùm ea † ſenſerunt: † ii tamen diuini operis, atque conſilii nec cauſas, nec rationes, nec exitus perſpexerunt: vt omne veritatis arcanum conſummarent, atque veluti fine concluderent. Sed quod illi facere non potuerunt, quia veritatem perpetuò nõ tenebant: nobis faciendum eſt, qui eam cognouimus, Deo annuntiante. Conſideremus igitur, quæ ratio fuerit huius tanti, tamque immenſi operis fabricandi. Fecit Deus mundum, ſicut Plato exiſtimauit, ſed cur fecit, non oſtendit: Quia bonus inquit, & nulli inuidens nulli, fecit quæ bona ſunt. Atqui videmus in rerum natura & bona eſſe, & mala. Poteſt ergo exiſtere peruerſus aliquis, qualis fuerit *d* ille Theodorus, & Platoni reſpondere: Imò, quia malus eſt, fecit, quæ mala ſunt. Quomodo illum redarguet? Si quæ bona ſunt, Deus fecit: vnde igitur mala erupeiunt? quæ plerumque etiam bonis præualent. In materia, inquit, continebantur. *d* Bona igitur, & mala: aut nihil fecit Deus: aut ſi bona tantum fecit: æterniora ſunt mala, quæ facta non ſunt: quam bona, quæ habuerunt exordium. Finem igitur habebunt, quæ aliquando cœperunt: & permanebunt, quæ ſemper fuerunt. Mala igitur potiora ſunt. ſi autem potiora eſſe non poſſunt: ne æterniora quidem poſſunt. Ergo aut vtraque ſemper fuerunt, & Deus otioſus: aut vtraque ex vno fonte fluxerunt. Eſt enim † conueniens, vt Deus omnia fecerit potius, quàm nihil. Ergo, ſecundum ſententiam Platonis, ideo Deus, & bonus eſt, quia bona facit: & malus, quia mala. Quod ſi fieri non poteſt: apparet, à Deo factum eſſe mundum, quia mundus bonus eſt: quoniam completus eſt bona & mala, nec fecit propter ſe quicquam, ſed propter aliud. Domus ædificatur non ad hoc ſolum, vt ſit domus: ſed vt ſuſcipiat, & tueatur habitantem. Item nauis fabricatur, non vt nauis videatur: ſed vt in ea poſſint homines nauigare. Vaſa fiunt non vt vaſa ſint ſolum: ſed vt capiant, quæ ſunt vſui neceſſaria. Sic & mundum Deus ad vſum aliquem feciſſe neceſſe eſt. Stoici aiunt hominum cauſa factum eſſe: & rectè. Homines enim fruuntur his omnibus bonis, quæ mundus in ſe continet. Sed, ipſi homines cur facti ſint, aut quid in illis vtili-

Marginal notes: C; D; E; F; G; H; al. religione. al. deſciſcere. al. ſciam*. al. futuri. al. quia. al. reuictã. al. perſeuerauerimus. al. delictis. al ſublimẽ. al. eiq;. al ſequentia. al. ſummam non. al. generante. al. verò. al. ex ſeminibus. al generatum. al. ſenſerunt. al. huius. al. conuenientius.

A

tatis habeat illa rerum fabricatrix prouidentia, non explicant. Immortales eſſe animas, idem Plato affirmat: ſed cur, aut quando, aut quomodo, aut per quem immortalitatem aſſequantur, aut * quid tam tantum illud myſterium: cur ij, qui ſunt immortales futuri: prius mortales naſcantur: deinde decurſo * temporis vitæ ſpatio, atque abiectis fragilium corporum exuuijs, ad æternam illam beatitudinem transferantur, non comprehendit. denique nec iudicium Dei, nec diſcrimen iuſti, & iniuſti explicauit: ſed animas, quæ ſe ſceleribus † immiſerint, hactenus condemnari putauit, vt in pecudibus renaſcantur, & ita peccatorum ſuorum luere pœnas, donec rurſus ad figuras hominum reuertantur: & hoc fieri ſemper, nec * citra finem tranſmeandi. ludum mihi neſcio quem inducit ſomno ſimilem: cui nec ratio vlla, nec Dei gubernatio, nec conſilium aliquod ineſſe videatur.

al. quod ſit omnino. al. temporalis. al. immer ſerint. al. eſſe.

Scholia.

a Deo eſt, vt cum angelis ſuſcipiat peccatorem confitentem, quem in regnis, &c.] *erat in libris impreſſis. legendum eſt ex antiquis codicib.* Deo eſt, qui cum magis ſuſcipiat peccatorem confitentem, quàm iuſtum ſuperbum: quanto magis iuſtum ſuſcipiet confitentem, eumque in regnis, &c. *quæ tota oratio, quam concinna ſit, & quantum cum ſuſcepta diſputatione conueniat, quiuis poteſt intelligere.*

B

b Poſſent ſequentia prouidere, qui ſcientiam nullo modo habeant] *erat in libris impreſſis.* poſſent ſequentia prouidere, qui ſummam nullo modo habebant, *lego ex codice antiquo. ſenſus vero eſt: vt dicat, eos, qui ignorabant ſummam, id eſt Deum, & eius prouidentiam nullo modo potuiſſe videre ſequentia. hoc eſt, hominis, atque animæ rationalis naturam, quam Deus creauit.*

c Et ab eo mundum, & hominem eſſe factum] *habent libri impreſſi.* ab eo mundum factum, & hominum cauſa eſſe factum, *habet antiquus codex. quæ fuit Stoicorum opinio, vt infra declarat.*

C

d Bona igitur & mala, aut nihil fecit Deus, &c.] *tota hæc oratio vſque ad illa verba, Stoici aiunt, accipienda eſt, tanquam ab impio Theodoro prolata contra Platonem: quam non approbat Lactantius, ſed adducit, vt doceat illa, quæ à Platone dicebantur, non omnino ſibi conſtare, quia ex illis non videmus, quomodo ad hanc impiam Theodori orationem reſponderi poſſit. ſuam vero ſententiam Lactantius in ſequenti proximo capite explicat.*

De Deo, mundo, & homine, animæ immortalitate.

Capvt VII.

al. ſumma. al. rationibus.

Dicam nunc a quæ ſit illa † ſententia, quam nec ij quidem, qui vera dixerunt: collatis in vnum cauſis, atq; † fictionibus connectere potuerunt. Factus à Deo mundus, vt homines naſcerentur. naſcuntur autem homines, vt Deum patrem agnoſcant, vt colant, in quo iuſtitia eſt. colunt, vt mercedem immortalitatis accipiant. accipiunt immortalitatem, vt in æternum Deo ſeruiant. Videſne, quemadmodum ſibi connexa ſint & prima cum medijs, & media cum extremis? Inſpiciantur ſingula: & videamus, vtrumne illis ratio quoque ſubſiſtat. Fecit ergo Deus mundum propter hominem. Hoc qui non videt, non multum diſtat à pecude. quis cælum ſuſpicit niſi homo? quis ſolē? quis aſtra? quis opera Dei miratur, niſi homo? quis colit terram? quis ex ea fructū capit? quis nauigat mare? quis piſces, quis volatilia, quis quadrupedes habet in poteſtate, niſi homo? Cuncta igitur propter hominem Deus fecit; quia vſui hominum cuncta ceſſère. Rectè ergo hoc viderunt philoſophi: ſed illud, quod ſequitur, non viderunt, quòd ipſum hominem propter ſe fecerit. Erat enim conſequens, & neceſſarium, & pium: vt cùm hominis cauſa tantam operam molitus ſit: cùm * tantum illi * honoris, tantum poteſtatis tribuerit, vt dominetur mundo: homo agnoſceret dominum, tantorum beneficiorum auctorem, qui fecit mundum propter ipſum; & ei cultum, & honorem debitum redderet. Hic Plato aberrauit: hic perdidit,

D

al. tantos. al. honores.

E

quam primum arripuerat, veritatem: cùm de cultu eius Dei, quem conditorem rerum, ac parentem fatebatur, obticuit: nec intellexit, hominem Deo poteſtatis vinculis eſſe religatum: vnde ipſa religio nominatur: & hoc * eſt ſolum, propter quod immortales animæ fiant. ſenſit tamen æternas eſſe: ſed nō per gradus ad eam ſententiam deſcendit. Amputatis enim medijs, b incidit * tutius veritatem, quaſi per abruptū aliquod præcipitium: nec vlterius progreſſus eſt: quoniam caſu ad eam, non ratione peruenerat. Colendus eſt igitur Deus, vt per religionem, quæ eadem iuſtitia eſt, accipiat homo à Deo immortalitatem: nec eſt vllum aliud præmium pietatis. quæ ſi eſt inuiſibilis: non poteſt ab inuiſibili Deo niſi inuiſibili mercede donari. Plurimis verò argumentis colligi poteſt, æternas eſſe animas. Plato ait: Quod per ſeipſum ſemper mouetur: * neque principium motus etiam finem non habere: animum autem hominis per ſe ſemper moueri, quia ſit ad cogitandum mobilis, ad inueniendum ſolers, ad percipiendum facilis, ad diſcendum capax, vt qui præterita teneat, præſentia comprehendat, futura proſpiciat, multarumq; rerum & artium ſcientiam complectatur: immortalem eſſe: ſiquidem nihil habeat in ſe de terreni ponderis labe concretum. Præterea, ex virtute, † an voluptate intelligitur æternitas animæ? voluptas * omnis, communis animalibus: virtus, ſolius eſt hominis. illa vitioſa eſt, hæc honeſta: illa ſecundum naturam, hæc aduerſa naturæ, niſi anima immortalis eſt. virtus enim pro fide, pro iuſtitia nec egeſtatem timet: nec exilium metuit: nec carcerem perhorreſcit: nec dolorem reformidat: nec mortem recuſat. quæ quia * naturæ contraria ſunt: aut ſtultitia eſt virtus, ſi & commoda impedit, & vitæ nocet: aut ſi ſtultitia non eſt, ergo anima immortalis eſt, & ideo præſentia bona contemnit: quia ſunt alia potiora, quæ poſt diſſolutioné corporis aſſequatur. Illud autem maximum argumentum immortalitatis eſt: quod Deum ſolus homo agnoſcit. In mutis nulla ſuſpicio religionis: quia † terrena * proſpiciunt. Homo ideo rectus cælum aſpicit, vt Deum quærat. An poteſt igitur non eſſe immortalis, qui immortalem deſiderat? Non poteſt eſſe ſolubilis, qui cum Deo & vultu, & mente communis eſt? Denique cæteris elemento, quod eſt ignis, homo ſolus vtitur. Si enim lux per ignem, vita per lucem: apparet, eum, qui vſum ignis habet, non eſſe mortalem: quoniam id illi proximum, id familiare eſt, ſine quo non poteſt nec lux, nec vita conſtare. Sed quid argumentis colligimus æternas eſſe animas: cùm habeamus teſtimonia diuina? id enim ſacræ literæ, ac voces prophetarum docent. Quod ſi cui parum videatur: legat carmina Sibyllarum: Apollinis quoque Milesij reſponſa cōſideret: vt intelligat deliraſſe Democritum, & Epicurum, & Dicæarchum, qui ſoli omnium mortalium, quod eſt euidens, negauerunt. Confirmata immortalitate, ſupereſt * dicere, à quo ei tribuatur: cùm certa, & conſtituta diuinitus tempora compleri cœperint: & interitum & conſummationem rerum fieri neceſſe eſt, vt innouetur à Deo mundus. Id verò † tempore in proximo eſt, quantum de numero annorum, deque ſignis, quæ prædicta ſunt à * philoſophis, colligi poteſt. Sed cùm ſint innumerabilia, quæ de fine ſeculi, & † conſummatione temporum dicta ſunt, ea ipſa, quæ dicuntur, nuda ponenda ſunt: quoniam (vt teſtimonijs vtamur) immenſum eſt. ſi quis illa deſiderat, aut nobis minus credit: adeat ad ſacrarium cæleſtium literarum: quarum fide inſtructior, erraſſe philoſophos ſentiat: qui aut æternum eſſe hunc mundum, aut infinita eſſe annorum millia putauerunt, ex quo fuerit inſtructus. Nondum enim ſex millia completa ſunt. quo numero conſummato, tum demum malum omne tolletur, vt regnet ſola iuſtitia. quod quatenus euenturum ſit, paucis explicabo.

al. eſſe. al. potius in. al. nec. F al. ac. al. omnibus. al. naturæ. al. proſtrata iacent. G al. docere. al. tempus. al. Prophetis. al. concluſione. H

Scholia.

a Quæ ſit illa ſententia] *erat in libris impreſſis.* quæ ſit illa ſumma, *lego ex antiquo codice. nam ſic ſæpe loquitur Lactantius, ſummam appellans, breuem quandam cognitionem Dei, ac diuinæ prouidentiæ.*

b Inci-

A

b Incidit totius rei veritatem] *habent libri impreſſi.* incidit potius in veritatem, *legendum eſt. nam vult ſignificare Platonem, non certa ratione perueſtigaſſe animarum immortalitatem, ſed caſu quodam eam opinionem ſequutum fuiſſe, & in veritatem, vt ipſe ait, incidiſſe.*

c Terrena proſpiciunt] *erat in libris impreſſis.* terrena proſtrata iacent, *lego ex antiquo codice. quia continenter de homine loquens, nihil in eo magis conſiderat, quam rectum ſtatum.*

De poſtremis temporibus.

CAPVT VIII.

Caute lege hoc caput, & regreditor ad annotat. lib. 7. cap. 19 & cap. 24. nam inſunt hic multa à ſolida Eccleſiæ doctrina diſcrepantia.

HÆC autem à prophetis, & à vatibus futura dicuntur. Cùm cœperit mūdo finis vltimus propinquare; malitia inualeſcet; omnia vitiorum, & fraudum genera crebreſcent; iuſtitia interibit; fides, pax, miſericordia, pudor, B veritas non erit; vis, & audacia præualebit; nemo quicquam habebit, niſi malè partum, manuque defenſum; ſi qui erunt boni, prædæ, ac ludibrio habebuntur. nemo pietatem parentibus exhibebit; nemo infantis, aut ſenis miſerebitur; auaritia, libido vniuerſa corrumpēt; erunt cædes, & ſanguinis effuſiones; erunt bella non modo externa, & finitima, verùm etiam inteſtina; ciuitates inter ſe belligerabunt; omnis ſexus, & omnis ætas arma tractabunt, non imperij dignitas conſeruabitur, non militiæ diſciplina; ſed [al. vaſtitas] more latrocinij deprædatio, & * vaſtatio fiet, regnum multiplicabitur; & decemviri occupabunt orbem, & partientur, & vorabunt; & exiſtet longè potentior, ac nequior, qui tribus deletis, Aſiam poſſidebit, cæteris in poteſtate [al. aſcitis.] ſua redactis, & * abſciſſis; vorabit omnem terram, leges nouas ſtatuet, veteres abrogabit; Rempubl. ſuam faciet; nomen imperij, ſedemque mutabit. Tunc erit tempus infandum, & execrabile, quo nemini libeat viuere. Denique in eum ſtatum res cadet, vt viuos lamentatio, mortuos [al. Ciuitates.] gratulatio ſequatur. * Ciuitas, & oppida interibunt, modò ferro, & igni; modò terræ motibus crebris, modò aquarum C inundatione, modò peſtilentia, & fame. Terra nihil feret, aut rigoribus nimijs, aut caloribus ſterilis. Aqua omnis partim mutabitur in cruorem; partim amaritudine vitiabitur; vt nihil ſit nec ad cibos vtile, nec ad potum ſa- [al. accedēt] lubre. His malis * accident prodigia hominibus ad timorem. Cometæ crebro apparebunt. Sol perpetuo ſqualore fuſcabitur. Lunam color ſanguinis obumbrabit, nec amiſſæ lucis damna reparabit. Stellæ omnes decident; nec temporibus ſua ratio conſtabit, hyeme, ac æſtate confuſis. Tunc & annus, & menſis, & dies breuiabitur: & hanc eſſe mundi ſenectutem, & defectionem, Triſmegiſtus elocutus eſt. quæ cùm venerit, adeſſe tempus ſciendum eſt, quo Deus ad commutandum ſeculum reuertatur. Inter [al. exurget] hæc autem mala * ſurget rex impius non modò generi hominum, ſed etiam Deo inimicus. Hic reliquias illius prioris tyranni conteret, cruciabit, vexabit, interimet. Et [al. erunt.] tunc * etiam lachrymæ, luctus, & gemitus perpetes, & ad D [al. nec.] eum caſſæ preces; nulla requies ad formidinem, * aut ſomnus ad quietem. Dies cladem, nox metus augebit ſemper. Sic orbis terrarum penè ad ſolitudinem hominum re- [al. dicatos] digetur. Tunc impius iuſtos homines, ac * deditos Deo, duobus & quadraginta menſibus perſequetur; & ſe coli iubebit, vt Deum. Se enim dicet eſſe Deum, cùm ſit Antichriſtus, qui vt erit aduerſarius, & vt credi ei poſſit; accipiet poteſtatem mirabilia faciendi; vt ignis deſcendat de cælo; vt ſol deſiſtat à curſu, vt imago, quam poſuerit, loquatur. Quibus prodigijs alliciet multos, vt adorent eum, ſignumque eius in manu, aut fronte ſuſcipiant. & qui non adorauerit, ſignumque ſuſceperit, exquiſitis cruciatibus morietur. Ita ferè duas partes exterminabit: tertia in deſertas [al. ita.] ſolitudines fugiet. Sed ille vecors * procteruia implacabili furens adducet exercitum, & obſidebit montem, quo iuſti confugerint. Qui cùm ſe viderint circumſeſſos; implorabunt auxilium Dei voce magna; & audiet eos Deus; & immittet eis liberatorem. Tunc cælum intempeſta nocte patefiet, & deſcendet Chriſtus in virtute magna, & E antecedet eum claritas ignea, & virtus inæſtimabilis angelorum, & extinguetur omnis illa multitudo impiorum, & torrentes ſanguinis current, & ipſe ductor effugiet. atque exercitu ſæpe reparato, quartum prælium faciet; quo captus cum * cæteris tyrannis tradetur exuſtioni. Sed & [al. omnib.] ipſe dæmonum princeps, auctor, & machinator malorum, cathenis igneis alligatus, cuſtodiæ dabitur, vt pacem mundus accipiat: & vt vexata tot ſeculis terra requieſcat. Pace igitur parta, compreſſoque omni malo, rex ille iuſtus, & victor, iudicium magnum de viuis, & mortuis faciet ſuper terram; & viuentibus quidem iuſtis tradet in ſeruitutem gentes vniuerſas, mortuos autem ad æternam vitam ſuſcitabit, & in terra cum his ipſe regnabit; & condet ſanctam ciuitatem, & erit regnum iuſtorum mille annis. Per idem tempus ſtellæ candidiores erunt, & claritas ſolis augebitur, & luna non patietur diminutionem. Tunc deſcendet à Deo pluuia benedictionis matutina, & veſpertina, & omnem frugem terra ſine labore hominum procreabit. Stil- F labunt mella de rupibus, lactis, & vini fontes exuberabunt: beſtiæ depoſita feritate manſueſcent: lupus inter pecudes errabit innoxius: vitulus cum leone paſcetur: columba cum accipitre congregabitur: ſerpens virus non habebit: nullum animal viuet ex ſanguine. omnibus enim Deus copioſum, atque innocentem victum * dabit. Per- [al. miniſtrabit.] actis verò mille annis, ac reſoluto dæmonum principe, rebellabunt gentes aduerſus iuſtos, & veniet innumerabilis multitudo ad expugnandam, delendamque ſanctorum gentem. concutiet enim à fundamentis ſuis terram, & corruent ciuitates; & pluet ſuper impios ignem cum ſulphure, & grandine, & ardebunt, & ſe inuicem trucidabunt: iuſti verò paulisper ſub terra latebunt, donec perditio fiat gentium, & exibunt poſt diem tertium, & videbunt campos cadaueribus opertos. Tunc fient terræmotus, & ſcindent ſe montes, & ſubſident in latitudine vallis profundæ, & congerentur in ea corpora mortuorum, & vocabitur nomen eius πολυάνδριον. Poſt hæc renouabit Deus mun- [al. etiam] dum, & transformabit iuſtos in figuram angelorum; vt [al. damnati &] immortalitatis veſte donati, ſeruiant Deo in ſempiternum. [al. perſoluant] tunc * etiam impij reſurgent non ad vitam, ſed ad pœnam, [al. adnuntiatione,] eos quoque ſecunda reſurrectione facta, Deus excitabit, vt ad perpetua tormenta * damnet, æternis ignibus tra- G diti, merita pro ſceleribus ſuis * ſoluant. Hæc omnia vera, omnium conſona * adminiſtratione prædicta, cùm [al. cecinerint] eadem Triſmegiſtus, eadem Hydaſpes, eadem Sibyllæ * [al. quin] cecinerint, dubitari non poteſt. * Curæ, ſpes omnes vi- [al. poſitæ] tæ, ac ſalutis, in ſola religione Dei ſint * poſita. Itaque niſi homo ſuſceperit, quem Deus ad liberationem miſit, niſi ſummum Deum per eum, qui miſſus eſt, cognouerit: niſi mandata eius, legeſque ſeruauerit, in eas incidet pœnas, de quibus locuti ſumus. Proinde fragilia contemnenda ſunt, vt ſolida conſequamur, ſpernenda terrena, vt cæleſtibus oneremur, temporalia fugienda, vt ad æterna veniamus. [al. formet.] Erudiat ſe quiſq; ad iuſtitiam * firmet ad continentiam, præparet ad agonem, inſtruat ad virtutem, vt ſi fortè ad- H uerſarius indixerit bellum, nulla vi, nullo terrore, nullis cruciatibus à recto, & bono diuellatur: non ſe ſubſternat inſenſibilibus figmentis, ſed verum, & ſolum Deum rectus [al. agnoſcat.] * cognoſcat: abijciat voluptates, quarum illecebris anima ſublimis deprimitur ad terram: teneat innocentiam: proſit quamplurimis: incorruptibiles ſibi theſauros bonis operibus acquirat, vt poſſit Deo iudice pro virtutis ſuæ meritis vel coronam fidei, vel præmium immortalitatis adipiſci.

SCHOLIA.

a Conſona adminiſtratione prædicta] *erat in libris impreſſis.* conſona adnuntiatione prædicta, *lego ex antiquo codice. nam adminiſtratione, quod eſt in libris excuſis, non poteſt cum re de qua agitur conuenire.*

A Non tamen eſt tarda, vt volucres, quæ corpore magno
Inceſſus pigros per graue pondus habent.
Sed leuis, & velox, regali plena decore,
Talis in aſpectu ſe exhibet vſq; hominum.
Conuenit Ægyptus tanti ad miracula viſus;
Et raram volucrem turba ſalutat ouans.
Protinus inſculpunt ſacrato in marmore formam;
Et ſignant titulo remq; diemq; nouo.
Contrahit in cœtum ſeſe genus omne volantum;
Nec prædæ memor eſt vlla, nec vlla metus.
Alituum ſtipata Choro volat illa per altum,
Turbaq; proſequitur munere læta pio.
Sed poſtquam puri peruenit ad ætheris auras;
Mox redit iſta ſuis conditur ille locis.
Hæc fortunatæ ſortis, fatiq; volucris,
Cui de ſe naſci præſtitit ipſe Deus.
Fœmina, vel mas hæc, vel neutrum ſit mage, felix,
Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit.
B Mors illi Venus eſt; ſola eſt in morte voluptas,
Vt poſſit naſci, hæc appetit ante mori.
Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater, & ſuus hæres,
Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi.
Ipſa quidem, ſed non eadem, quia & ipſa, nec ipſa eſt,
Aeternam vitam mortis adepta bono.

INCERTI AVCTORIS CARMEN DE PASſione Domini.

QViſquis ades, medijq; ſubis in limina templi,
Siſte parum, inſontemq; tuo pro crimine paſſum,
Reſpice me, me conde animo, me in pectore ſerua,
Ille ego, qui caſus hominum miſeratus acerbos,
Huc veni pacis promiſſæ interpres, & ampla
Communis culpæ venia, hic clariſſima ab alto
Reddita lux terris, hic alma ſalutis imago,
Hic tibi ſum requies, via recta, redemptio vera,
Vexillumq; Dei, ſignum & memorabile fati.
C Te propter, vitamq; tuam ſum Virginis aluum
Ingreſſus, ſum factus homo, atq; horrentia paſſus
Funera, nec requiem terrarum in finibus vſquam
Inueni, ſed vbiq; minas, ſed vbiq; labores.
Horrida prima mihi in terris incunabula Iudæ
Hoſpitia in partu, ſociæq; fuêre parenti.
Hic mihi fuſa dedit bruta inter inertia primum
Arida in anguſtis præſepibus herba cubile.
In Pharijs primos vixi regionibus annos,
Herodis regno profugus, reliquoſq; reuerſus
Iudæam, ſemper ieiunia, ſemper & ipſam
Pauperiem extremam, & rerum inferiora ſecutus,
Semper egens monitis humana ſalubribus almæ
Ingenia ad ſtudium probitatis aperta ſalubri
Plurima doctrinæ iniungens miracula, quare
Impia Hieruſalem rabidis exercita curis,
Inuidiæ, ſæuiſq; odijs, & cæca furore,
Inſonti eſt pœnis letalibus auſa cruentam
In cruce terribili mortem mihi quærere: quæ ſi
D Latius ipſe velim diſtinguere, ſiq; per omnea
Ire iuuet gemitus, mecum & ſentire dolores,
Collige conſilia, inſidiaſue, meiq; nefandum
Sanguinis innocui pretium, & ſimulata clientis
Oſcula, & inſultus, & ſæuæ iurgia turbæ.
Verbera prætetea, & promptas ad crimina linguas
Fige animo, & teſtes, & cæci infanda Pilati
Iudicia, ingentemq; humeros, & feſſa prementem
Terga crucem, atq; graues horrenda ad funera greſſus.
Nunc me, nunc verò defeſſum extrema ſecutum
Supplicia, & dulci procul à genitrice leuatum
Vertice ad vſq; pedes me luſtra, en aſpice crinea
Sanguine concretos, & ſanguinolenta ſub ipſis
Colla comis, ſpiniſq; caput crudelibus hauſtum:
Vndiq; diua pluens viuum ſuper ore cruorem,
Compreſſos ſpeculare oculos, & luce carentes,
Afflictaſq; genas, arentem ſuſpice linguam,
Felle venenatam, & pallentes funere vultus.
Cerne manus clauis fixas, tractoſq; lacertos,
Atq; ingens lateri vulnus, cerne inde fluorem E
Sanguineum, foſſoſq; pedes, artuſq; cruentos.
Flecte genu, lignumq; crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramq; cruore madentem
Ore petens humili, lachrymis ſuffunde ſubortis,
Et me nonnunquam deuoto in corde, meoſq;
Fer monitus. ſectare meæ veſtigia vitæ,
Ipſaq; ſupplicia inſpiciens, mortemq; ſeueram
Corporis innumeros memorans, animiq; dolores,
Diſce aduerſa pati, & propriæ inuigilare ſaluti.
Hæc monimenta tibi, ſi quando in mente iuuabit
Voluere, ſi qua fides animo tibi ferre meorum
Debita, ſi pietas, & gratia digna laborum
Surget, erunt veræ ſtimuli virtutis, eruntq;
Hoſtis in inſidias clypei, quibus acer in omnio al. omni.
Tutus eris, victorq; feres certamine palmam.
Hæc monimenta tuos ſi labilis orbis amicos
Auertent ſenſus, fugiente decoris ab vmbra
Mundani efficient, ne ſpe captatus inani F
Mobilis occiduis fortunæ fidere rebus
Auſeris, aut vitæ ſperare fugacibus annis.
Sed te nimirum, ſic iſta caduca videntem
Secula, & exutum patriæ melioris amore
Orbis opes, rerumq; vſus, & vota priorum,
Moribus extollens ſacris, vitæq; beatæ
Spe, duras inter pœnas, te rore fouebunt
Cæleſti, pactiq; boni dulcedine paſcent.
Purpuream donec poſt vltima fata relicto
Corpore, ſublimes animam reuocabit ad arces.
Gratia magna tibi tunc omnem extra laborem,
Angelicos tunc læta Choros, acieſq; beatas
Sanctorum inſpiciens, æternæ pacis amœna
Perpetuò felix mecum regnabit in aula.

Carmina, quæ in libris impreſſis Lactantio attribuuntur, in nullis antiquis codicibus inueni. & Phœnicis carmina, Lactantij non ſunt, quamuis ſint ab elegantiſſimo aliquo poeta ſcripta, quem tamen certo credo non fuiſſe Christianum. Nam Phœnicem nominat ſolis ſacerdotem, & ſic de nemore illo loquitur, & de Phœbo, tanquam ille reuera ſit Deus, & habeat nemus illud chariſſimum, ac ſibi dicatum. Carmina illa de reſurrectione ſiue de Paſcha, quod ad elegantiam ſpectat, cum illis Phœnicis comparari non poſſunt, & ex ipſis apparet manifeſtè non eundem fuiſſe eorum auctorem; hæc vero inter Opuſcula Venantij Fortunati poetæ Christiani, quæ ſunt in Bibliotheca Vaticana, ab optimo & literato viro Antonio Girona admonitus, inueni. de quibus poſtmodum aliqua annotabo. Illius tertij poematis, de paſſione Domini, nullum veſtigium vſquam inuenire potui, in quo tamen non multi errores reperiuntur: ita vt diligentia emendationis in eo non valde fuerit neceſſaria. G

Carmen de Paſchate, habetur inter Venantij Fortun. Honorij opera infra Sæculo VI. ideoq; hic ſtudio illud omiſimus, Scholia vero Thomaſiu ſubiecimus.

In Phœnice in illo Diſticho erat prius:
At velut Agreſtes cum filo ad ſaxa tenentur,
Mutari pennæ papilione ſolent.

Admonuit me vir doctiſſimus Didacus Couaruuias nunc Epiſcopus Segobienſis, vt in ſecundo verſu loco penna, ſcriberem, tinea, quod mihi valde probatur. nam tineæ ſunt vermiculi, ex quibus ſtricti papiliones naſcuntur. hoc vero in loco videtur poeta imitari voluiſſe Ouidium, Libro vltimo Metamorph. qui de hac eadem mutatione ſic ait: H

Quæq; ſolent canis frondes intexere filis,
Agreſtes tineæ, res obſeruata colonis,
Ferali mutent cum papilione figuram.

Ac ſane non dubito, quin pro illo nomine. penna, legendum ſit, tinea, ſed in priori verſu, illa, filo ad ſaxa tenentur, videtur mihi non ſatis cum re ipſa conuenire, cum fila illa potius ad frondes, vel ad ramos ducantur, quam ad ſaxa: propterea puto potius legendum caxa, quam ſaxa.

In carminibus reſurrectionis, quia aperte inuitus, cuius illa eſſent, mutaui totam inſcriptionem, & eam aſcripſi, quæ eſt in illis opuſculis: Venantij Honorij, &c. quæ ſunt in bibliotheca Vaticana, ex quibus multa in libris impreſſis emendaui, multa tamen reliqui, quia melior mihi viſa eſt lectio vulgaris, quam illa codicis Vaticani. eſt enim ille codex valde corruptus, tamen is eſt, qui eum iuuare poſſit, qui eo cum iudicio vtatur. & ſanè ſic faciendum eſt eis, qui hanc curam emendandi veterum auctorum libros ſuſcipiunt, vt ſæpe ex pluribus malis codicibus vnicam optimam efficiant.

A

Diſtichon quod eſt in principio poematis:

Salue feſta dies toto venerabilis æuo,

Qua Deus infernum vicit, & aſtra tenet.

Auctoritate codicis Vaticani mutaui, vt eſſet poſt viginti diſticha, quo ſane in loco eſſe debet. nam ante nihil de paſſione, vel reſurrectione Chriſti dicit; ſed ver ipſum, ex multis proprijs natura ſua bonis commendatur. poſtquam verò facta eſt mentio reſurrectionis, rectè illud additur: Salue feſta dies, &c. cui Diſticho rectè etiam illud conuenienter adiungitur:

Nobilitas anni, menſium, lux alma dierum,

Horarum ſplendor, ſtridula puncta fauent.

Nobilitas enim legendum eſt ex codice Vaticano, vt laus aliqua illi diei quem laudare vult attribuatur, cum ex mobilitate, vt erat ante, nulla laus ad diem aliquem accedere poſſit, quia hoc eſt omnibus commune. Legendum quoque eſt, ſtridula puncta, in ſecundo verſu, vt omnia ad diem referantur. Aliqua alia in his carminibus mutaui, quæ tamen vt arbitror, meliora feci: quod quiuis noſtrum librum cum alijs conferens, intelligere poterit.

B

C

In hoc poemate ex illo codice addidi decem verſus, qui optime cum re ipſa conueniunt, & declarant cur illa carmina ad Felicem Epiſcopum Venantius ſcripſerit. qui ſane Felix nullus eſt Romanorum Pontificum, ſed fuit aliquis ex primis illis Saxonum Epiſcopis. Nam Saxones cum à Carolo Magno victi eſſent, religionem Chriſtianam ſuſceperunt: ex Romanis vero Pontificibus vltimus, qui nomen hoc Felicis habuit, fuit Felix 4. qui multo ante Carolum magnum vixit. illos vero decem verſus propterea iudicaui addendos, quia optime cum re, de qua agitur conueniunt, & quia in fine poematis additum erat numerus verſuum 110. ita vt omnino decem ad explendum numerum deeſſent.

In omnibus his libris multo plura ſunt à nobis mutata, quod quidem non ſine magna ratione, & auctoritate veterum codicum fecimus, ad quæ ſingula, ob multitudinem, nullas notas fecimus: ſed tu noſtrum huius librum cum alijs conferens, experieris, quanto ſit hic alijs emendatior, ac melior.

F

F I N I S.

A

S. METHODII EPISCOPI TYRI,

HOMILIA IN FESTO PVRIFICAT. B. VIRGINIS, PER PAT. PANTIN. edita, eodem interprete.

Ex Bellarm. de ſcript. Eccleſ.

METHODIVS Epiſcopus Tyri claruit tempore Diocletiani Imperat. Et anno eius 20. martyrio coronatus eſt, ex Hieronymo de ſcript. Eccleſ. Is multa ſcripſit, ſed nunc extant ſolum *fragmenta* ſatis magna ex lib. eius *de reſurrectione aduerſus Origenem*, apud Epiphan hæreſi.
B
64. Extant etiam alia *fragmenta apud Photium in Biblioth.* Circumfertur *libellus reuelationum* ſub nomine S. Methodij ſed ſuppoſititius cenſetur.

METHODII EPISCOPI PATARENSIS ET MARTYRIS

DE SYMEONE ET ANNA, QVO DIE SIBI in templo occurrerunt, deque ſancta Deipara, Sermo.

QVum olim, quantum quidem breuiter licuit, quæ de virginitate dicenda erant, in libris Sympoſiacon de Caſtitate compoſitis, abundè explicuerimus. hodierna die eam ipſam virginitatis ſolidam gloriam, coro-
C
namque immarceſcibilem alumnis Eccleſiæ, quo ſe oblectent, tempus in medium ecce produxit. Hodie enim concilium diuinorum oraculorum aperitur: glorioſæque huius diei ſigna præfigurata, eorumque cantus atque effectus à ſacris præconibus Eccleſiaſtico cœtui releguntur. Hodie finis antiquo illi vtroque conſilio ſe ipſa impoſitus, præclarè mundo manifeſtatur. Hodie citra vllum tegumentum, aperta facie, Domini diuinæque ac veræ ipſius arcæ dignitatem contemplamur. Hodie cœleſtem illam, gentibuſque ante expectatam lætitiam humeris ſuis ſanctiſſimus conuenius baiulans, mortalium generi
2. Corint 5. 17. Eſa. 43. 19
impertitur. *Præterierunt vetera, effloruerunt noua, & quæ non veteraſcunt.* Non iam amplius auſterum Legis decretum dominium exercet: ſed gratia Domini regnum tenet; ſalubri longanimitate omnes ad ſe conuertens. Non
2 Reg. 6 6
turſus Ozan aliquis, quæ tangenda non erant contingere audens, inuiſibiliter flagellatur. Deus enim nos ad ſe
Matt. 11. 28.
inuitat; & quis adhuc præ timore cunctabitur? *Venite*, clamat, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*: & quis
D
non accurret? Neque verò quiſquam Iudæorum veri-
2. Reg. 6. 10 in vulg. pro Abeddara eſt Obed-edom
tati contradicat; ad rem in domo Abeddaræ præfiguratam reſpiciens. In propria Dominus venit; palam ſuper viua animataque nunc arca, tanquam ſuper propitiatorio, in terra triumphans. Hanc publicanus contingens iuſtus euadit: huic ſe meretrix applicans caſta redditur. Hanc leproſus contrectans, citra dolorem velut recuditur. Neminem repellit, neminem faſtidit, aut abominatur. impertitur ſalubria; nihil quemquam participat noxij. propenſiſſimus enim erga homines Dominus in ea requieſcit. Hæc nouæ ſunt gratiæ munera. hoc recens ſub Sole accidit, non olim factum, non poſt futurum. Quod Deus pro ſua in nos miſericordia præfinierat, venit; & pro ſe digna erga genus humanum propenſione, ipſe adimplenit. Quamobrem iure optimo ſacra illa tuba in-
2. Cor 5. 17
tonuit: *Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua.* Ac quidem quid mente concipiam, quid eloquar dignum hac die, ad ea quæ aſſequi non poſſim, enitens? Vincit enim, ac longe ſuperat omnem ſermonem Virginis
E
huius ſanctæ memoria. Quocirca deterrente virium noſtrarum imbecillitatem laudum ipſius magnitudine, ad hymnum eidem pro ingenij noſtri facultate decantandum confugere; noſque ipſos inuicto hoc certamine victos gloriantes, vnaque cum Chriſti grege feſti huius ſtudioſo lætitiam iungentes, choreas ſaltem ducere libet. Vos verò diuini in primis piique auditores, cum ſilentio adeſte, vt per aurium ſinus intelligentiæ veſtræ velut portum veritatis merces placidè ſubintrent. Feſtum [illegible] ius non ex Græcorum vanis fabulis [illegible] que Deorum conuiuium ſecum adducens: ſed eius Dei, cuius gloria tanta eſt, vt ſuſtineri nequeat, quique rebus omnibus ſuperior eſt, humilem ad nos vſque demiſſionem nos educens. Age ergo aliſque præconum, ac maxime Prophetarum Eſaia, glorioſi huius feſti publico conuentu celebrati, Eccleſiæ ediſſere Sacramenta: nul-
F
que ad hoc velut epulum admiſſor, vt * optimos conuiuas præſtantiſſimis quibuſque ſaturari permitte: quo veritatem, quæ eſt apud nos, ſpeculo, quod eſt apud te, vt minimè mendax interpres, ex aduerſo conferens, ob effectum oraculorum iam completum, manum manu lætus complodat. *Factum eſt*, inquit, *anno quo mortuus eſt Ozias Rex, vidi Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & eleuatum: & plena domus gloria eius. & Seraphim ſtabant in circuitu eius: ſex alæ vni, & ſex alæ vni. Et clamabat alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, ſanctus ſanctus Dominus Sabaoth; plena omnis terra gloria eius. Et eleuatum eſt ſuperliminare à voce, qua clamabant: & domus impleta eſt fumo. Et dixi, O miſer ego, quia compunctus ſum. quia homo quum ſim & immunda labia habeam, in medio populi immunda labia habentis habito; & Regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis. Et miſſus eſt ad me vnus de Seraphim: & in manu ſua habebat carbunculum, quem forcipe ſumſit ab altari; & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferet iniquitates tuas, & peccata tua circumpurgabit. Et audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit ad populum hunc? & dixi: Ecce ego; mitte me. & dixit: Vade, & dic populo huic: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perſpicietis.* Atque hæc quidem ſunt
G
Prophetæ per ſpiritum prænunciata vaticinia. Tu verò cariſſime mihi conſidera dictorum vim atque potentiam: vt ſacramentorum euentum aſſequaris; & cui rei hic noſter conuentus fiat, recognoſcas. Quumque Propheta tanto tempore antè hoc miraculum fuerit vaticinatus: age tu, ſumma cum feſtinatione animique alacritate perſpicaci intelligentiæ tuæ oculo Bethleem illam inclytam adi; manifeſtamque tibi tuo animo tecum imaginem effinge; prophetiam cum ipſo rerum euentu componens. Neque enim multis tibi verbis opus fuerit ad cognitionẽ totius rei conſequendam, modo factis, quæ illic geruntur,
Prou. 8. 9.
mentis oculos diligenter aduertas. *Omnia quippe ſunt obuia intelligentibus, & recta inuenientibus ſcientiam.* Ecce enim ibi tamquam thronus ſublimis atque eleuatus, ob gloriã illius, qui ipſum eſt fabricatus, virgo ma er Regi Domino Sabaoth palam inſtruitur. Super illo nunc mente tibi Dominum carne indutum publicè prodeuntem imagi-
H
nare: ſuper illo, inquam, virginali throno eum, qui ad te nouam hanc laudibuſque omnibus celebrandam profectionem adornauit, venerare. Circumſpice autem fidei oculis: & inuenies in ipſius comitatu regium quoque illud Seraphicorum Spirituum Sacerdotium. Amat enim etiam huiuſmodi ſatellitium Regis talis ſequi præſentiam. Vnde etiam eo in loco laudauiſſe dicuntur non ſolùm trinam illam diuinæ vnitatis hypoſtaſin; ſed quæ nunc in terra occurrit, per Dei apparitionem, vnius in ſancta Trinitate ſuppoſiti omnibus venerandam gloriam; in eo quod dicant: *Plena omnis terra gloria eius.* Credimus enim, Filio, noſtra cauſa, ob propenſam ſuam in nos voluntatem, carnem induto, & Patrem, qui ab ipſo ſeparari non poteſt ſecundum diuinitatem, vnà cum eiuſdem eſ-
2 Cor 5. 19.
ſentiæ Spiritu, adeſſe. *Deus enim*, inquit Paulus ille ſacrorum antiſtes, *erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non reputans ipſis delicta ipſorum.* Patrem in Filio, propter vnam eandemque voluntatem, eſſe oſtendens. Vbi verò perſpexeris, feſti huius ſtudioſe, hæc adeo præſtantia, quæ in

* Sic reid. Naziaz. homilia [illegible]

A

Bethleem tua caſta perficiuntur, [illegible] magnoque animo te cœleſtibus illis adiunge Spiritibus, ſalutem hinc tuam vna tecum concelebrantibus: choreaſque coram virginali hoc throno, ſicut olim Dauid ante faciem arcæ, lætus ducito. Dominumque, qui vbique & ſemper adeſt, quique è Themane, vt ait Propheta, ſecundum carnem hominum generi apparere voluit, benedicito. Dic vt Moyſes: *Iſte Deus meus, & glorificabo eum; Deus patris mei, & exaltabo eum.* Cæterum diuinæ huius in nos liberalitatis beneficium, fructumque [illegible], & quænam ratio Regem illum gloriæ nobis ex Bethleem excitauerit, intelligemus. Et quidem [illegible] in Bethleem corporatus naſceretur, cum qui cogi alioqui non poterat, noſtri nempe miſeratio coegit. Verum infantulus lactens, & in tempore, qui eſt ſine tempore, vt fieret, faſciiſque, qui tamen ijs coerceri natura ſua non poterat, vt alligaretur; inquilinus denique ac profugus redderetur, quænam ipſum neceſſitas compulit? Si & hæc vobis cognoſcendi eſt animus diuina plane Deoque afflata cunctio; audite Moyſem clare populo enunciantem, & ad cognitionem ſupernaturalis huius generationis eos velut exſtimulantem, dicentemque: *Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur.* O res ſtupenda! *O altitudo diuitiarum & ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Decebat videlicet Dominum Legis & Prophetarum, iuxta Legem ſua omnia perficere: neque eam abrogare, ſed potius implere; & de hinc ad Legis perfectionem gratiæ ſuæ principium adiungere. Et quidem propterea mater ipſius, ſupra Legem exiſtens, ſe Legi ſubmittit: quæque pura quum ſit, tempus tamen quadraginta dierum in pollutas conſtitutum præfinitumque obſeruat: fitque Legi obediens is quoque, qui à Lege liberat: & oblatio pro eo offertur, qui nos ſanctificauit † par autem mundarum; in teſtimonium illorum qui mundi inculpatique accedebant. Quòd verò impollutus hic partus, piaculiſque minime obnoxius, adſtruat meo ſermoni Eſaias fidem, diſertè vniuerſæ terræ, quæ ſub ſole eſt, denuncians: *Antequam,* inquit, *aut parturiens pariat, aut antequam veniat labor parturiendi, effugit, & peperit maſculum. quis tale quid audiuit? aut quis ſimile vidit?* Effugit igitur, quæ mulieribus propria ſunt, Sancta prorſus virgo mater, etiam antequam pareret. Sine viri quippe congreſſu ipſum conceperat, Spiritu ſancto ſibi eam iam antea deſponſante & ſanctificante, peperit primogenitum & vnigenitum Patris Filium eum, qui in ſuperis vnigenitè, abſque matre, ex paterna ſubſtantia eluxit, virginitatemque naturalis virtutis indiuiſam inſeparabilemque conſeruauit: quique hic in terris, ex virginis nuptiali thalamo, ſponſi inſtar, Adami naturam ſibi firmiter aduniens conſocianſque, indiuulſam atque incorruptam matris puritatem cuſtodiuit; eum, inquam, qui in ſuperis incorruptibiliter genitus, in inferioribus hiſce ineffabiliter natus eſt. Cæterum ad inſtitutum orationem noſtram referamus. Propheta igitur ex Nazareth virginem, vt in Bethleem fœtum illum ſalutarem eniteretur, eduxit: quo conſilio? nempe vt mundo vitæ iam ſuæ ſpem demonſtraret. Eandemque ob cauſam ex diuerſorio illo Bethleemitico Dei illa ſacra arca attollens, (ſoluit enim Legi quadraginta dierum debitum, non quòd eo teneretur, ſed quod gratuito id facere volebat) in montibus Sion requieuit. accipienſque caſtiſſimo ſuo ſinu, tamquam in ſublimi quopiam, naturamque humanam longè excedente throno, illum omnium Regem, quique idem cum Deo & Patre ſolium tenet; eiuſdem, ita tamen vt ab illo nunquam diſcedat, Filius exiſtens; illic per impollutam illam caſtamque conceptionem exhibuit, factumque ad templum ſacra matre aſcendit; vt Legi nouum miraculum manifeſtum reddat; partum videlicet diu quæſitum, * virginalem vuluam aperientem, nec tamen clauſtra eiuſdem virginitatis rumpentem. Qui quum ſupra Legem eſſet, Legem impleuit: qui quum iam ante genitus fuiſſet, poſtea rurſus eſt genitus, & ex ipſa præter naturæ Legem, carnem aſſumſit. Nam alioqui omnis vulua ex viri prius commixtione aperta, & ſemine conſperſa, [illegible] ad accip[illegible], doloribuſque parturitionis

2 Reg. 6. 14.
Habac. 3. 3.
Exod 15. 2.
Exod. 34. 19.
Luc. 2. 23.
Rom 11. 33.
Luca 2. 24.
Eſa. 66. 7.

B

C

D

* Pe in- terpretare Lector: nempe Auctorē [illegible] co- quomodo [illegible] vel ligēdum, quo ſe

E

imponentibus fructum tamen in[illegible] naturæque conſentaneum, rerum omnium Conditoris ſapientia, in lucem edit, ex præſcripto illius quod Deus ait: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Huius autem vterus neque priùs apertus, neque naturali ſemine conſperſus, fructum ſupra naturam, naturæ tamen congenitum, germinauit: Idque citra vllum indiſſolubilis virginitatis detrimentum, ad maiorem miraculi intentionem, ipſa in eadem virginitatis ratione permanente. Aſcendit igitur in templum, templo ipſo ſublimior, duplicem gloriam induta; intemeratæ inquam virginitatis, & ineffabilis fœcunditatis; Legiſque benedictionem, & gratiæ ſanctificationem. Atque [illegible] id etiam iſte Videns ait: *Et plena domus gloria eius. & Seraphim ſtabant in circuitu eius & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth. plena omnis terra gloria eius.* Atque hoc ipſum eſt quod beatus Propheta Abacuc lepidè modulatus ait: *In medio duorum animalium noſceris: dum appropinquauerint anni, agnoſceris: dum tempus aduenerit, oſtenderis.* Ipſi mihi vero penitus accuratam hic Spiritus diligentiam [illegible] dicit, agnitionem & oſtenſionem quorum ſingula hæc declarant: illud quidem, *In medio* [illegible] *animalium noſceris*: in primis diuinæ gloriæ ipſius quæ ſub Lege erat, in adytis ſuper arcæ propitiatorium, in medio typicorum Cherubim velut adumbrationem, (*inde* enim ad Moyſem ait, *ibi innoteſcam*) præterea etiam obuiationem nunc nobis per Seruatoris ipſius ſecundum carnem, diuinam laudibuſque omnibus celebrandam apparitionem, Angelorum concurſum. quamuis tamen natura ille ſua, vt Eſaias iam antè declarauit, ſub noſtrum aſpectum minimè cadat. Quod autem ait; *Dum appropinquauerint anni, agnoſceris*: omnino inclytam illam, vt iam dictum eſt, ſecundum carnem, inuiſibilis alioqui Dei Seruatoris noſtri, agnitionem ſignificat. vt magnus ille ſacrorum myſtes Paulus ait: *Quando autem venit plenitudo temporis, emiſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub Lege. vt eos qui ſub Lege erant, redimeret; vt adoptionem filiorum reciperemus.* Quod autem ſubiungitur: *Dum tempus aduenerit, oſtenderis*: nulla vtique expoſitione indiget, ſi quis ſollerter ad feſtum, quod nunc celebramus, oculus intenderit. *Oſtenderis* enim, inquit, tamquam in diſco quopiam, ſeu ferculo regio, ab intemerata matre tua in templo, idque cum carnis abs te aſſumptæ ornamento. Quæ quidem Propheta manifeſtius ſummatim repetens, exclamauit in hæc verba: *Dominus in templo ſancto ſuo. reuereatur a facie eius omnis terra.* Tremendum enim reuera, ò mater virgo, intelligibilis, glorificatæ, Deoque digne throne: tremendum, inquam, eſt, quod in te editum eſt ſacramentum. Produxiſti enim cœleſtibus terreſtribuſque immenſum atque inuſitatum prorſus miraculum. Cuius rei indicium argumentumque firmiſſimum eſt, quod ad nouum hoc genus ſupernaturalis tui puerperij Angeli in terra cecinerint: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax; in hominibus bona voluntas.* triplici numinum Cantici varietate triplicem ſanctitatis rationem inducentes. Beata tu in generationibus, inter mulieres omnes Deo maximè felix: quia per te impleta eſt terra diuina ipſius gloria. Vt & in Pſalmis canitur: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, & replebitur maieſtate eius omnis terra. fiat, fiat. Et eleuatum eſt,* inquit Propheta, *ſuperliminare a voce, qua clamabant.* quo ſignificatur, templi velum coram arca teſtamenti, quæ tui figuram gerebat, inumbrans, dimotum fuiſſe quo mihi ipſa rei veritas apertè manifeſtetur, perque typos & ſigna, quæ præceſſerant, ego cum reuerentia atque tremore ad ſacramentum, quod in te editum, honorandum venerandumque erudiar, ac per Legis hanc velut delineationem, ab eo, qui vniuerſa incomprehenſibili quadam ratione conſtituit, audacius impudentiuſque fixo oculorum intuitu contemplando refrener. Si enim arcæ quæ ſanctitatis tuæ imaginem tantum [illegible] gerebat, tantus à Deo honos habitus fuit vt [illegible] niſi ſoli ſacerdotali dignitati ad illa,

Amphilochius ex [illegible]

Gen. 1. 28.
Eſa. 6.
Exod. 25. 22.
Agnit[illegible]
Gal. 4. 4.

G

Oſtenſio.
Pſal. 10. 4. & 95. 9.
Luc. 2. 14.

H

Pſal. 110.
Luc. 1. 48.
Pſal. 71. 19.

quæ

A quæ in ipſa recondita erant, cognoſcenda ingreſſus concederetur; velo, quod eidem obtendebatur, tamquam reginæ cuiuſpiam veſtibulum diſtinguente, cuſtodienteque: quis tandem, & qualis venerationis

B Mariæ laus. cultus à nobis, qui minimi ſumus, tibi debetur? tibi, inquam, quæ verè regina es; quæ verè Dei Legislatoris animata arca; quæ verè capax cælum ad Deum, qui nuſquam alioqui capi poteſt, recipiendum facta? Te enim ſanctiſſima virgo, tamquam die clariſſima mundo affulgente, ſuſtinæque ſolem illum producente, odioſus tenebrarum horror depulſus eſt; tyranni potentia irrita effecta; mors deſtructa, infernus abſorptus; omnis inimicitia ante pacis conſpectum diſſoluta; morbi noxij, ſanitatis beneficio iam imminente, procul omnes facceſſere iuſſi; vniuerſúsque terrarum orbis veritatis puriſſimæ eſt luce perfuſus. Ad quæ haud dubiè alludens Salomon in Canticis ſuis ita exorditur: *Patruelis meus mihi, & ego illi: qui paſcit in liliis, donec*

Cant 2.16. B *aſpiret dies, & dimoueantur vmbræ.* Quoniam igitur *Viſus*

Pſal 51 2. *eſt Deus Deorum in Sion, & magnificentia decoris eius in Ieru-*

Pſal 96.11. *ſalem apparuit:* &, *Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia,* iuxta beatum Dauidem: ille eorum omnium perficiendorum perfectus auctor ac Dominus, Legis doctorem atque miniſtrum in partem muneris, ac teſtimonium illorum quæ per Spiritum ſanctum agebantur, conuocauit. Quo factum, vt ſenex ille Symeon imbecillitatem ætatis exuit fideique robur indutus, ante faciem Legis, datorem Legis excipere feſtinauerit; auctorem, inquam, ipſum & præceptorem Legis, Deum Abraham, protectorem Iſaac, Sanctum Iſrael, Moyſæ myſtagogum, quique diuinam ſuam incarna-

Exod. 33. 23. tionem tamquam poſteriora eidem ſe patefacturum promiſerat: illum, qui in mendicitate diues eſt; in infantia ſæculis omnibus prior; in viſione inuiſibilis; in apprehenſione incomprehenſibilis; in paruitate ſupra omnem magnitudinem; in templo ſimul, & in altiſſimis; in throno regio, & in vehiculo Cherubico; qui in ſupernis pariter, & in inferioribus continetur; in forma ſerui, & in forma Dei Patris obediens, & idem Rex vniuerſorum. Atque hinc bo-

C nus ille ſenex, totus in deſiderio, totus in ſpe,

Simeon. totus in lætitia fuit: non iam amplius ſuus, ſed totus eius, qui ab ipſo ſperabatur. Spiritus Sanctus ipſi feliciter annunciauerat; natura iam velut extinctum excitauerat: & priuſquam templum ipſum attigiſſet intelligentiæ oculis veluti extra ſe ſubuolans, vt ſi iam haberet quem diu deſideraſſet; prægenti voluptate geſtit. Sicque ductus, ac per gradus celerrimè conſcendens, ſacrum hactenus penetrale occupat: temploque omiſſo, templi ipſius præſidi ſacras vlnas expandit; quæ talis feſti congratulationi conueniebant, feſtiuo ſermone decantans. Te, inquit, deſidero, Domine Deus patrum, Domine miſericordiæ: qui ſponte tua ac virtute, rerumque vniuerſarum prouidentia ad nos vſque te deijcere; & humiliare illa tanta, tamquam certi fœderis pacti interuenientore, inter cœleſtes atque terrigenas concordem amicitiam conciliare non dedignatus fuiſti. Te quæro rerum omnium Conditorem: te ſumma cupiditate expecto ſolo verbo vniuerſa fouentem

D ac protegentem: te præſtolor vitæ mortiſque dominatorem: te maneo Legis datorem: eiuſdemque ſucceſſorem. tui ſame teneor mortuorum viuificatoris: te ſitio defatigatorum refrigerationem: te auidiſſimè concupiſco mundi fabricatorem & liberatorem. Tu noſter Deus; te adoramus: tu templum noſtrum ſanctum, iſte vota facimus: tu ſanctorum rituum teſtimoniarumque auctor; tibi paremus: tu Deus primus; ante te non eſt factus alius Deus ex Deo Patre; neque poſt te alius Filius futurus eſt Patri conſubſtantialis, eiuſdemque cum ipſo gloriæ. Te cognoſcere, ſolida iuſtitia eſt; tuam potentiam intelligere, radix immortalitatis. Tu ſalutis noſtræ cauſa, lapis ille angularis, exquiſitus ac pretioſus, Sioni iam antea prædictus. Subiecta enim tibi ſunt omnia, tamquam

omnium auctori; tamquam omnia, quum non eſſent, in rerum naturam producenti, conſtitutionemque firmiſſimam inſtabilibus per ſe, tribuenti; tamquam compactori atque cuſtodi omnium conditorum, tamquam naturarum diuerſarum architecto; tamquam manu tua fortiſſima ac ſapientiſſima vniuerſa moderanti; tamquam omnis recti ordinis conſeruatori; denique tamquam vniuerſæ concordiæ ac pacis indiſſolubili connexioni. *In te enim viuimus, & mouemur, &* Act.17 28.

ſumus. Propterea Domine Deus meus, glorificabo te: Exod.15 2.

Laudabo nomen tuum, quoniam feciſti res admirandas, conſilium antiquum, verum; confeſſionem & decorem indutus. Eſa.25.1.

Quid enim Regi ſplendidius purpurea veſte, circumornata coloribus, & diademate circumfulgente? Quid Pſal 103. 2.

porrò Deo, in homines propenſiſſimo, amica hac hominis aſſumtione, quæ clariſſimis ſuis radiis *ſedentes in* Pſal. 42 7

tenebris & vmbra mortis illuminat illuſtratque, magnificentius? Appoſitè ſane te Regem ſæculorum temporarius ille Rex ac famulus tuus faoſtis iam antea con-

F gratulationibus omnibuſque proſequutus eſt dicens:

Speciosus forma præ filiis hominum, in hominibus Deus, & Pſal 44

ipſe homo. Circumcinxiſti enim, per diuinam tuam incarnationem, *iuſtitia* quidem *lumbos tuos*, *circumcinxiſti autem & veritate latera tua*. enim tenera ipſe nihil ſis niſi Eſa.11 5.

veritas atque iuſtitia, omniumque exſultatio. Lætetur igitur mecum hodie cœlum: quoniam miſertus

eſt Dominus populum ſuum. Rorent & nubes iuſtitiam mundo, annuncientque tuba fundamenta terræ Eſa.45 8.

pacem in inferno conſtitutis. adeſt enim dormientium reſurrectio. Producat & terra miſericordiam inhabitantibus eam. *Impletus enim ſum conſolatione,* 2.Cor.7.4.

ſuperabundo gaudio: quòd te videam Seruatorem hominum. Geſtiente autem ſic ſene noſtro, diuinaque lætitia exſultante, quæ antea per figuram Eſaias vaticinatus fuerat, palam ſancta Dei genetrix te ipſa compleuit. Accipiens enim ex puro immaculatoque illo altari ſuo carbunculum illum viuificum atque ineffabilem, carne indutum, ſanctarum manuum ſuarum complexu, tanquam forcipe, iuſto illi porrexit; huiuſmodi, vt mihi quidem videtur, verbis vtens, i-

G pſumque exhortans: Sume ſenex honorate, & Sacerdotum optime; ſume Dominum; & ſpe tua, nequaquam vidua deſtituta, fruere. Suſcipe theſaurum nunquam deficientem, diuitiaſque certiſſimas, vir generoſiſſime. Amplexare potentiam inenarrabilem, vimque incomprehenſibilem, quæ te confirmet, vir ſapientiſſime. Circumplectere magnitudinem infinitam, fortitudinemque inuictam, ſacrorum præfecte præſtantiſſime. Circumplicare illi, qui vera eſt vita, à ſeipſo viuendi originem habens, & viue, ſenex venerabiliſſime. Arcto complexu tibi adiunge incorruptionem, & renouare, virorum iuſtiſſime. Non audax hoc facinus; ne quid trepides, Sacerdotum piiſſime. Satiare illo, quem diu exoptaueras; & delectare tibi dato, ſeu verius ſeipſum dante, Sacrificorum auguſtiſſime. Illuſtrare iuſtitiæ ſole, per puriſſimum carnis aſſumtæ ſpeculum, coruſcante, mortalium religioſiſſime. Ne tibi hæc tranquillitas timorem incutiat, neu manſuetudo perterreat, vir beatiſſime. Ne obſtupeſcas ad lenitatem; neu clementiam exhorreſcas, vir modeſtiſſime. Magno animo eidem adgluinate:

H nec obedientiam differ. Non temeritatis eſt, quod tibi dicitur porrigitur que; ne igitur reſpuas, vir vrbaniſſime. Non comburit ignis gratiæ Domini mei; ſed illuminat, vir omnium æquiſſime. † Rubus mei figuram in ſe repræſentans, te ſubſiſtentiam ignis illius non ſubſiſtentis doceat, vir Legis peritiſſime. Caminus ille velut ventus roris ſuſurrans, tibi œconomiæ huius ſacramentum perſuadeat, magiſter optime. Vterus denique meus tibi documento ſit: in quo contentus fuit is, qui nuſquam alioqui contineri poteſt: ex quo & carnem aſſumſit Verbum illud, carnis expers. Non rurſum tubæ accedentes arcent; non iterum mons fumans appropinquantes terret; non amplius Lex audacius attingentem crudeliter punit. præſentem mi-

† Gregorius Nyſſ. Λόγῳ ἐν τῷ γενν. ... Chryſoſtom. ... The odoret q.8. in Exod. Exod 3.2. Dan 3 21. Exod 19. 16 2 Reg 6.6

A plena inſignis cuiuſdam in homines ſtudij ſunt : demiſſionis, quæ perficiuntur; bonitatis, quæ apparent. Gratè excipe Deum ipſum ad te venientem : ipſe enim auferet iniquitates tuas, & peccata tua expiabit. In te primum mundi vniuerſi informetur luſtratio : in te ac per te innoteſcat gentibus, quæ ſecundum gratiam eſt iuſtificatio. Tu vinculis hiſce primitus dignus. Viuis es Lege ? viue & gratia. Fatigatus es litera ? renouare nunc ſpiritu. exue vetuſtatem ; induere nouitatem. hæc enim te ignorare nequaquam exiſtimo. Ex quibus dictis iuſtus ille fiduciam ſumens, exhortationibuſque Dei matris, Deo ergo homines ſubſeruientis,

Dan 7. 13. obediens, ſenilibus ſuis vlnis *antiquum* illum *dierum*, in infantia exiſtentem, ſuſcepit; Deumque dilaudans

Luc. 2. 29. Simeonis ad Ieſum oratio. ait : *Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum : quod paraſti ante faciem omnium populorum : lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Accepi abs te omnis triſtitiæ expertem lætitiam : tu Domine me lætantem, miſericordiaſque tuas deprædicantem, accipe. Tu animo hoc mihi dediſti gaudium : ego

B gratiarum tibi munus gaudens rependo. Cognouidiuoi tu nos amoris potentiam, noſtra enim cauſa Deus ex te inenarrabiliter & abſque corruptione generatus, eſt homo nunc factus. Agnoſco, ò Deus, tuæ erga nos ſolicitudinis non dicendam magnitudinem : quoniam diuina tua viſcera in noſtrum auxilium emiſiſti. nunc demum intelligo illam Salomonis doctrinam di-

Cant 8. 6. centis : *Fortis vt mors dilectio.* Per eam enim ſtimulus mortis conteretur : per eam mortui vitam videbunt : per eam mors mortem experietur, imperio, quod in nos hactenus exercuerat, deinceps ceſſante : per eam & ſerpens malorum principium capietur & ſubmer-

Pſal. 97. 2. getur. *Notum nobis Domine feciſti ſalutare tuum*, propaginem nobis pacis exſulcans; neque ampliùs errantes erimus. Manifeſtum nobis Domine reddidiſti, non in finem te ſeruos tuos deſpexiſſe; neque opera manuum tuarum, ò bone, oblitum fuiſſe. Miſertus enim miſerabilis noſtræ conditionis, ingenitam tibi at-

C que inexhauſtam bonitatem copioſe in nos effudiſti, per vnigenitum, immutabilem, eiuſdemque tecum ſubſtantiæ Filium tuum, redemtionem noſtram operatus: magnitudine tua ac bonitate indignum iudicans, famulorum tuorum ſalutem, beneficiumque hominum, ac reconciliationem eorum qui te offenderant, famulo cuipiam tuo credere ac commendare; ſed per lumen illud eiuſdem tecum ſubſtantiæ Filium tuum,

Eſai 9. 2. & 42. 7. Pſal. 35. 10. iis, *qui in tenebris & vmbra mortis ſedebant*, lumen donaſti : *vt in lumine tuo*, cognitionis videant lumen : ac per Dominum, terrinque omnium conditorem, placitum tibi fuit, nos in immortalitatem reformare; & per

* Chryſoſt. λογῳ... eum ipſum, * qui nos ex paradiſo deliciarum exterminauerat, reditum in paradiſum nobis elargiri. ad hæc, per eum, qui habet poteſtatem dimittendi pec-

Coloſ. 2. 14. cata, *chirographum contra nos factum deleuiſti* : denique per eum, qui tibi perpetuo aſſidet, quique à diuina tua natura diſcedere non poteſt, firmam nobis ad te adeundi fiduciam, amicamque reconciliationem inbuiſti, vt per Dominum, in quem nulli imperium eſt, Deumque verum, & abſolutæ potentiæ, tantorum bonorum velut ſanctio ſubſcripta, miſericordiam iam conſequutis

D certa atque indubitata beneficij in nos ſui iura conſtituat. Cuius rei & Propheta iam antea meminerat di-

Eſa. 63. 9. cens : *Non Legatus, non Angelus; ſed ipſe Dominus ſeruauit eos, propterea quod amaret eos, & parceret ipſis : & ſuſcepit & exaltauit eos.* atque hæc omnia non ex operibus noſtris in iuſtitia, neque quod nos te amauerimus, (primus enim parens ille noſter ex terra genitus, præſtantiſſimiſque paradiſi delicijs atque habitatione dignus habitus, diuinum tuum ac ſalutare vilipendens præceptum, indignus vitali illo loco eſt iudicatus: atque ita omnem ſuam progeniem, ipſius peccati propaginibus ipſam infundens, in ſummam debilitatem præcipitauit) ſed propter te ipſum, ineffabilemque erga figmentum tuum amorem, miſericordiam in nos

E tuam, Domine, corroboraſti ; noſtramque abs te ſeparationem dolens, teipſum ſuper noſtra corruptione placans, miſerationum tuarum dono accumulaſti. Vnde nobis Adæ ſoboli feſta deinceps cum plauſu aguntur. quod qui Adamum illum formauerat, ſponte ſua nouus Adam factus eſt; Splendorque Domini Dei noſtri nobiſcum habitauit : vt iam videntes Deum facie ad faciem, conſeruemur. Hanc ob cauſam, ò Domine, vt in pace dimittar, abs te peto quæroque. Vidi ſalutare tuum ; abſoluat ergo nunc literæ incuruo iugo. Vidi Regem ſempiternum, quique ſucceſſore caret ; abſoluat ponderoſo hoc ſeruilique collari. Vidi Dominum natura ſua omni dominio ſuperiorem, liberatorem noſtrum ; conſequar igitur libertatis meæ ab ipſo decretum. Solue me Domine iugo condemnationis, & ſubde me iugo iuſtificationis. Solue me iugo maledictionis literæque occidentis, & inſere me numero benedictionis, eorum qui in filiorum tuis ſunt adſcripti, beneficio veri eiuſdemque tecum gloriæ, ac potentiæ Filij. Sint porrò, inquit, hæc diuinis in nos muneribus breuiſſimè ha-

Ad Mariã. F ctenus celebrandis commemorata. Ad te verò quid dicam, ò mater virgo, & virgo mater ? Cuius enim opus non humanum eſt, eius nempe laus quoque hominem excedit. Quamobrem paupertatis hic meæ obſcuritatem donis muneribuſque, quæ in te Spiritus contulit, illuſtrabo : quæque tua ſunt tibi offerens, ex immortalibus pratis ſacrum tuum & à Deo coronatum caput dilaudabo : teque, ò Dauid filia, & Domini ac Dei Dauid mater, patrijs ac peculiaribus tibi hymnis prædicabo. Turpe enim fuerit, atque adeò inauſpicatum, alienis te ornamentis exornari, propria gloria præcellentem. Accipe igitur, ò benigniſſima, diuina pretioſa, tibique vni conuenientia, ò omnibus generationibus excelſior, omnibuſque viſibilibus atque inuiſibilibus operibus longè præſtantior declarata. Felix radix Ieſſe, & ter beata domus Dauid, in qua tu

Pſal. 45. 6. germinaſti. *Deus in medio tui, & non commouebitur. Sanctificauit enim te tabernaculum ſuum Altiſſimus.* In te quip-

Pſal. 45. 5. G pe fœdera ac Dei iuramenta ad patres noſtros finem glorioſiſſimum acceperunt : quia ex te natus eſt Do-

Exod. 3. 2. minus Deus ille virtutum nobiſcum. Atque hoc eſt, quod rubus ille intactus ab incendio, atque illæſus, tui figuram diuinæ cuiuſpiam maieſtatis plenam iam tum velut delineans, Deum in ſe geſtauit, Prophetæ, quando vt ab ipſo videretur, ei placitum fuit, conſpicuum factum. Dura autem rurſus ac prærupta petra,

Exod. 17. 6. quod ex te in vniuerſum orbem beneficium refrigerationque promanauit, & ipſa diu antè exprimens præfiguranſque, populo ex ſiccis terræ hiatibus in deſerto deficienti copioſum gratuitumque produxit auxilium.

Num. 17. 8. Heb. 9. 4. Quin & Sacerdotis virga non obſcuram ſignificationem ſupernaturalis tui partus exhibuit ; in fructum citra vllam culturam efflorescens, Sacerdotis videlicet perennis arrhabonem. Quid? nonne idem Muyſes ille magnus luculentè declarauit, propter figuras intellectu difficiles, quæ te tangebant, diutius in monte commoratus, vt ignota de te, o caſta, ſacramenta edoceretur ? ad rei enim huius ſignificationem ſimilitudinemque exprimendam, arcam fabricare iuſſus, non obiter, veluſque aliud agens, mandatis obtemperare aggreſſus eſt ; quamquam ipſo deſcenden-

H te tragica quædam acccidiſſent ; ſed in quinque atque dimidium cubitos, arcam illam ſuſceptricem Legis, Cherubim coopertam, te Dei ſuſceptricem apertiſſimè repræſentantem, poſtquam conſtruxiſſet, in medium protulit : te inquam repræſentantem, quæ ſine corruptione concepiſti ; & ineffabiliter enim, qui incorruptionis eſt auctor ac firmamentum, peperiſti, idque in fine quinque & dimidij circulorum mundi. Propter te ac intemeratam Dei Verbi ex te incarnationem, ſemper immutabiliter atque indiuiſè in ipſo permanentem, veri illa antea tamquam typus certiſſimus, manna, quod antea in diem intercidebatur ac

Heb. 9. 4. corrumpebatur, in te minimè mutatum, ſed in ſecula

per-

A permanens conſeruabat. Puritatis etiam tuæ Elias 4 Reg. 2. 11 Propheta præcurſor atque imitator in ſpiritu quum eſſet, vitæ illius * igniferæ tibi coronam colligauit; in hunc * Alluſio ad locum vſque diem diuino ſuffragio morte ſuperior declaratus. Eccl. 48 a. Te quoque eiuſdem ſucceſſor Eliſæus, à ſapiente magi- 4 Reg. 2. b. ſtro his ſacris initiatus, tamquam iam exiſtentem, quæ tamen nondum exiſtebas, præfigurans; ſupra naturam Vide Dorotheum in Synopſi de Helia. ſignis quibuſdam, rerum earum, quæ poſtea futuræ eſſent, veris indicibus, auxilium medicinamque indigentibus attulit: nunc per nouam hydriam ſalutare in 4 Reg. 2. 20. ſe ſal continentem, aquas exitiabiles ſanans; ad oſtendendum, mundum per ſacramentum in te iam editum eſſe recreandum: partim verò farina azyma partus 4 Reg. 4. 41. tui, ſatu immunis, typo reſpondente, mortis acerbitatem à cibis profligans: nonnunquam denique virtute 4 Reg. 5. 10. & 5. ſupernaturali res naturales, vt in Iordane, ſuperans; ac per hoc ipſum deſcenſionem Domini noſtri ad inferos, inopinatamque eorum, qui in corruptione detinebantur, liberationem præſignans. Omnia enim hæc, licet longè inferiora, diuinæ tuæ imaginis exprimendæ ſub- B ſeruierunt. Et quid variis hiſce figuris adſcribendis orationis meæ curſum inuoluens implicanſque, vlterius me extendo: quum rem ipſam iure confirmatam ante oculos intueamur? in qua velut eluxerint longè vberius commodiuſque fuerit. Quare Sanctorum, qui per omnes generationes luxerunt, ſpiritualibus narrationibus factiſque prodigioſis valere iuſſis, ad te gaudij huiuſce mei ſermoniſque velut clauum dirigo, prædicatu digniſſima. Benedicta tu, prorſus benedicta, omnibuſque deſiderabilis. In benedictionibus Domini nomen tuum, diuina gratia pleniſſimum, Dei matrem, fidelibuſque tuo lumine prælucens. Tu circumſcriptio, vt ita dicam, eius, qui circumſcribi non poteſt; Eſa. 11. 1. † radix floris ſpecioſiſſimi; mater Plaſmatoris, nutrix altoris, complexio eius, qui cetera complectitur; Heb. 1. 3. portans eum, † qui verbo portat omnia; † porta, per Ezec. 43. 4 quam Deus in carne exortus eſt; † forceps carbunculi illius C purgatorij; ſinus exiguus immenſi illius ſinus, omnia Eſa. 6. 6. in te concludentis; † vellus imperceptibilis roris; deli- Iud. 6. 37. derij † Dauid in Bethleem ille viuificus lacus, ex quo 2. Reg. 23. 15 poculum immortalitatis ſcaturiuit; † propitiatorium, ex Exod. 25. 17 quo Deus hominibus in forma humana innotuit; veſtis abſque macula eius, *qui induit lumen ſicut veſtimentum*; Pſal. 103. 2. Deo nullius alioqui indigenti, quam ante non habuerat, carnem fœnerans; qua omnipotens ille Deus, quod Ierem. 23. 24. ipſi decretum fuerat, homo appareret. Quid hoc ſplendidius? quid hoc ſublimius? qui cœlum terramque implet, cuius ſunt omnes rerum poſſeſſiones, tui indigus efficitur: quippe quum fœnerata eris Deo diuinam incarnationem, quam non habebat. Tu armaſti potentem illum decora corporis armatura, per quam oculis noſtris conſpicuus redditur; vtque eum libero deinceps acceſſu mihi intueri liceat, conceditur. Ephes. 6. 16 qua etiam armatura omnia Maligni ignita tela extinguentur. Euge, euge mater Dei atque ancilla: euge, euge, quæ tibi obnoxium habes illum omnium fœneratorem. Omnes namque Deo debitores quum ſimus, tibi ipſe eſt debitor. Qui enim dixit; *Honora patrem* Exod. 20. 12. *tuum & matrem*; longè præ cæteris in hoc ipſo probare D volens gratiam habebit; præceptumque ipſe ſuum erga eam, quæ ipſi ſpontaneam ex te generationem ſubminiſtrauit, conſeruabit: glorificabitque diuino quodam decore, quam ſibi ille patris expers matrem abſque viri interuentu adſcripſit. Erunt hæc ita, erunt, inquam, ita. neque enim ad inutilem tantùm verborum ornatum ſeruiunt hymni, qui à nobis tibi offeruntur, ſanctiſſimum admirabiliſſimumque Dei habitaculum: neque curſus mundanæ cuiuſpiam nugacitatis, falſæque oblectationis eructamenta, ſpiritalis hæc de te laudatio eſt, ô Deo approbata, Deumque mortalibus generationis principium tribuentem, vberibus tuis ſubiectum habens; ſed certiſſimæ cuiuſdam manifeſtæque veritatis. Deficiet enim nos, quæque poſt nos futuræ ſunt generationes, tempus, ſi tibi matri Regis ſæculorum, dignam tuæ beatitudinis prædicationem tribuere conamur: vt celeberrimus quodam loco Propheta ait, quàm prorſus E incomprehenſibilis ſis, nos erudiens: *Quam magna*, in- Baruch. 3. 24. quit, *domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! magnus, & non habet finem, ſublimis atque immenſus.* Certè enim, certè inquam, propheticum oraculum, mendaciique expers ſermo de magnificatione tui accipiendus eſt: propterea quod ſola ſimul cum Deo, eorum quæ Dei ſunt, partem habere digna fuiſti; ſola Deum generans carne indutum, ex Deo Patre vnigenè ac ſempiternè generatum; vt veraciter ſentiunt qui fidem ſinceram amplectuntur. Ceterum quod reliquum eſt, diſcendi ſtudioſa concio, ſenem noſtrum Dei ſuſceptorem, primumque Doctorem, huc ſalubriter ex virginalium laudum pelago adnauigantem ſuſcipiamus: ac requieſcere faciamus deſiderio illo ſuo diuino iam exſaturatum, opulentiſſimamque hanc de rebus diuinis doctrinam nobis ſuppeditantem; & ad ea, quæ reſtant huiuſce ſermonis, progrediamur; ſine errore ad præſtitutum nobis ſcopum, Dei optimi ductu, curſum dirigentes, ne prorſus ad ea, quæ nobis ex officio incumbunt, velut infructiferi inutileſque tepeſcamus. Ad ſacra igitur hæc piè caſteque F perficienda, Sacerdotium & Prophetia aduocata fuere; glorioſoque Virginis throno biga hæc à Deo excitorum iuſtorum Symeonis & Annæ adſiſtit: qui duo duorum Symeon & Anna typus duorum populorum. populorum apertiſſimas imagines in ſe geſtauerunt. Nam & ſenex populum Iſraeliticum Legemque iam velut effœtam; vidua autem ex Gentibus Eccleſiam, quæ earenus vidua fuerat, præ ſe ferebant. & ille quidem, tamquam ſub Legis perſona loquens, dimiſſionem quærit: hæc autem, Eccleſiæ perſonam induta, confeſſionem contra adferebat, expectantibuſque liberationem in Ieruſalem, ea quæ de Chriſto erant, edicebat: ſicut bene atque appoſitè ac valde egregiè, & feſto huic imprimis conuenientia ab vtroque dicta, conſcripta ſunt. Oportebat enim, ac planè neceſſarium erat, ſenem quidem, qui Legis decretum præceptumque ſciebat, quod ait: *Ipſum audite: & omnis anima, quæ ipſum non audierit,* Deut. 18. 1. G *ex populo exterminabitur*: pacificam à legali illa ſeruitute dimiſſionem efflagitare. Iniuria enim eſt, atque temeritas, Rege præſente ac verba publicè faciente, ſatellitem aliquem contra obloqui; huicque potius, quam illi, ſubditos aures accommodare. Oportebat etiam viduam, ea, quæ rationem omnem excedebant, iam conſecutam, Deo pro tanto beneficio lætè gratias reddere: vtpote quum Legi conſona eſſent, quæ ita gerebantur. Ceterum, quum Propheticæ figuræ, quæ præceſſerant, ad eximias hasce feſtorum celebritates rationem haud dubiè relationemque habuerint, vt dictum eſt, quomodo domus fumo impleta fuiſſe refertur; idque non leuiter, ac velut perfunctoriè, ſed valde ſignificanter, à voce ter Sanctus ingeminare, vt qua, Propheta ait, clamabant cœleſtium myſtæ, neceſſario nunc nobis inquirendum: ſi repetas igitur, ſtudioſe auditor, quod hiſtoriæ adiungitur, cauſam nimirum huiuſce rei inuenies. *Auditu enim*, inquit, *audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicie-* Eſa. 6. 9. Act. 28. 26. *tis.* Poſtquam enim vel ante Iudæorum filij prodigia glorioſa, *quæ Deus ponebat ſuper terram*, ſicut Dauid cecinerat, Pſal. 45. 9. conſpexiſſent; vidiſſent etiam ſignum ex profundo atque ex ſublimi ſimul concurrens inconfuſum prorſus H atque indiuiſum, quemadmodum etiam Eſaias prædi- Eſa. 7. 11. xerat; nempe matrem ſupra naturam, & fœtum ſupra omnem rationem; matrem terreſtrem, & filium cœleſtem; nouam inquam Dei humanitatem, puerperiumque nuptiarum expers (quibus quid fieri poſſit glorioſius? quid erga creaturam præſtantius?) Hæc inquam illi quum vidiſſent, perinde ac ſi non vidiſſent, ſe gerebant, eleuantes omnia, ac velut oſcitantes ad debitam illis laudem tribuendam. ac propterea impleta eſt domus exultationis eorum fumo. Ac rurſus quum audiuiſſent atque etiam vidiſſent rem, quàm quæ videri ſoleat, ſuperiorem; Senem iuſtiſſimum, virum fide digniſſimum, virum meritò ſuſpiciendum, ob id quo ferebatur hic ſtudio; virum S. Spiritu initiatum, virum Legis doctorem, Sacerdotio honoratum, prophetia refulgentem, ipſe

A quam de Chriſto conceperat, vitæ ſibi eſſe extendentem, mortiſque debitum differentem: talem inquam quum vidiſſent exſilientem, benedicentem, præ animi lætitia in aliam formam tranſmutatum, totum præclara quadam mentis commotione extra ſe ad Deum elatum, pulcraque conuerſione in Angelum quempiam tranſlatum, præque immenſitate gaudij, ob tantum bene- Luc.2.32 ficium, gratias decantantem, *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael* annunciantem; & tamen ne ſic quidem animum inducerent, vt audita, quæque ipſis ſuperis veneratiori erant, auſcultarent: propte- Fumus. rea impleta eſt domus exultationis eorum fumo. Fumus autem iræ ſignum atque argumentum; ſicut ſcri- Pſal.17.9. ptum eſt. *Aſcendit fumus in ira eius. & ignis à facie eius ex-* Eccl.16.7. *ardeſcet.* & alibi: *Ingentem incredibiliter exardeſcet ignis.* Quod etiam ſignificans Dominus in venerandis Euangeliis, di- Matth.23.38. cebat Iudæis: *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta.* Præterea: mittens exercitus ſuos Rex, perdidit homici- Matth.22.7. das iſtos, & ciuitatem eorum ſuccendit igni. Atque B huiuſmodi quidem ſunt Iudaicæ infidelitatis, qua gloriam Trinitati debitam deferre recuſant, aduerſiſſima præmia. Poſtquam enim ſanctificati ſunt termini terræ; & gloria Domini plena reddita fuit, maxima Eccleſiæ domus è ter-ſancto præconio, tamquam aqua multa cooperiens maria: euenerunt quidem ipſis, quæ antea fuerant prænunciata; prophetiæ autem principaliter ſignificatæ ipſo rerum euentu, vt diximus, eſt confirmatum: veritatis præcone per ſpiritum, velut digito, tertiumiam, quæ ipſis futura erat, ſubuerſionem Eſa.6.1. demonſtrante, vbi ait: *Anno quo mortuus eſt Ozias Rex,* Ozias. *vidi Dominum.* Ozias quippe apoſtata velut in exemplar totius apoſtatici corporis, & tamquam pro capite eius accipitur. qui etiam pœnam debitam ſuæ te- 2.Paralip.26.19. meritatis luens, in fronte, tamquam in ænea quapiam ſtatua, inſculptam diuinæ virtutis potentiam, lepræque fœditate fœdiſſimæ impietatis retributionem omnibus oſtendit. Sapienter autem ac planè diuinitus ille eo- C rum, quæ iam perfecta ſunt, præſcius, ingratæ ſynagogæ electioni, gratæ illius viduæ Annæ inductionem oppoſuit. cuius etiam nomen Eccleſiam nunc in baptiſmo ſecundum Chriſti Dei gratiam iuſtificatam Anna. ſignificat. Anna enim gratiam ſonat. Ceterùm hic nauem noſtri ſermonis, crucis ſignaculo inſignitam, tamquam in portum appellentes, vt modus iam ratioque eius poſtulat, velis contractis quieſcere ſinamus, tantùm pauculis verbis lætitiæ, vt par eſt, indicibus, ciuitatem magni illius Regis, ſimul cum Eccleſiaſtico populo, cumque præſtantiſſimis Patribus ac fratribus illic degentibus, tamquam ſpiritu amoreque præſcriptores, vna cum ipſis celebremus ſalutemuſ- Pſal.47.1. que. Salue ciuitas magni Regis, in qua ſalutis noſtræ perfecta fuere myſteria. Salue terreſtre quod- Eſa.1.26. dam cælum Sion, *ciuitas* deinceps *fidelis* Domino. Sal- ue atque *illuminare Ieruſalem: venit enim lumen tuum;* Eſa.60.1. lumen ſempiternum; lumen numquam non duraturum; lumen ſupremum; lumen immateriale; lu- D men eiuſdem cum Deo & Patre eſſentiæ; lumen quod eſt in Spiritu, & in quo eſt Pater; lumen illuminans ſecula; lumen illuſtrans ea, quæ ſupra mundum & in mundo ſunt, Chriſtus verus Deus noſter. Salue ciuitas ſancta, atque electa Domino: age in lætitia dies feſtos tuos, qui non ſinunt te veteraſcere. Sal- Pſal.86.3. ue ciuitas feliciſſima. *Quam glorioſa dicta ſunt de te! Sa-* Pſal.131.16. *cerdotes* enim *tui induentur iuſtitiam, & Sancti tui exul-* Ibid.15. *tatione exultabunt*, & mendici † ſaturabuntur panibus. Salue & lætare Ieruſalem: quoniam regnauit Eſa.12.6. Dominus in medio tui; Dominus inquam ille, qui nuda atque immateriali diuinitate naturam noſtram ingreſſus, ex virginali vtero ineffabiliter carnem induit: ille Dominus, qui ex nullius præterea rei communicatione homo factus eſt, quàm ex miſtura illa Adami, à ſerpente ſupplantati. Neque enim Angelos apprehendens Dominus, eos inquam Angelos, qui celeberrimum ordinem ſtatumque ipſis ab initio aſſignatum minimè deſeruerant, ſuam ad nos vſque demiſ-

E tionem obtinuit ille ſemper in Deo Patre exiſtens Deus Verbum: neque ruſus eos, qui luce deciderant, ſceleratos dæmones reſtaurans (aut etiam, † ſecundum quoſdam impuriſſimos teterrimi diaboli patronos, reſtauraturus aliquando) in mundum venit: ſed ſemen Abrahæ apprehendens, iuxta diuiniſſimum † Paulum, ac per id etiam vniuerſum genus humanum, homo incommutabiliter factus eſt, fabricator & plaſtes vniuerſorum: vt ex ipſius nobiſcum communicatione, noſtraque viciſſim ad ipſum acceſſione, peccatum, quod in nos intrauerat, ſiſteretur, penè diſſolutum conſumptumque, ceræ inſtar, à diuino illo igne, † quem veniens Seruator miſit in terram noſtram. Salue porro & tu Eccleſia Catholica, quæ in toto es terrarum orbe, & vna nobiſcum exulta. *Ne timeas grex puſille* maximas inimici tempeſtates: *quia complacuit Patri dare tibi regnum*; & te ſuper collum hoſtium tuorum ambulare. Salue & lætare quondam ſterilis & abſque liberis ad pietatem; nunc verò multos fidei liberos habens. Salue tu quoque Dei popule; *popule accepte, regale ſacerdotium, gens ſancta, popule in acquiſitionem.* enuncia virtutes eius, qui te vocauit ex tenebris in admirabile ſuum lumen: ſuper miſericordia autem ſua glorifica eum. Salue in æternum indeſinens noſtra lætitia, Dei genitrix virgo: ad te enim curſus accurrimus. Tu ſiſti noſtri principium, tu medium, tu finis, pretioſiſſima regni margarita: tu verè omnis ſacrificij pinguedo, tu animatum panis iſtius vitæ altare. Salue amoris Dei Patris theſaure; ſalue Filij erga genus humanum fons propenſionis; ſalue ſancti Spiritus mons inumbrate. Fulguraſti, o genitrix, ſuauis nobis dona producens; fulguraſti luminis ſolaris ardentiſſimis facibus, feruentiſſimæ nempe dilectionis æſtu; quod ante principium conceptum fuerat, in fine pariens: palam faciens occultatum eatenus ſacramentum; ineffabilem inuiſibilis Patris Filium, pacis ſequeſtrum, & admirabili quodam modo omni breuitate minorem factum. Propterea te deprecamur præſtantiſſimam omnium, matriſque honore libere gloriantem, memoriam indeſinentem noſtri retine, ſanctiſſima Dei genitrix; noſtri, inquam, qui in te ornamur; hymniſque diuinis memoriam tui nullo tempore deſituram, ſed perpetuò victuram, celebramus. Tu etiam ſenex honorate Symeon, piæ noſtræ religionis primæ ſuſceptor, reſurrectioniſque fidelium enarrator, intercede pro nobis apud Deum & ſeruatorem, quem vlnis tuis excipere dignus fuiſti. Concinimus enim vna tecum & nos Chriſto, vitæ ac mortis poteſtatem habenti, dicentes: Tu lumen es verum, ex lumine vero; Deus verus, ex Deo vero: vnus Dominus, ante humanitatem aſſumtam, & poſt eam, omni prædicatione proſequendam, idem Dominus: ex te ipſo, & non ſecundum gratiam Deus; propter nos autem etiam perfectus homo: ex te ipſo quidem omnium Rex, ſuperiorem te Regem non agnoſcens, propter nos verò & propter noſtram ſalutem etiam in ſerui forma, immaculatè tamen atque impollutè exiſtens. quum enim ipſa ſis incorruptibilitas, veniſti ſoluere corruptionem; vt incorrupta omnia redderes. Quoniam tua eſt gloria, & poteſtas, magnificentia, & maieſtas, cum Patre & ſancto Spiritu, in ſecula ſeculorum. Amen.

Margin notes (right): † Origeniſtas notat, qui diaboli condemnationis finem ſtatuunt. — Heb.2.16 — Luc.12.49 — Luc.12.32 — Eſai.54.1 — F — 1.Pet.2.9 — G — H

METHODII PATARENSIS

EPISCOPI ET MARTYRIS, DE REBVS QVAE AB INITIO MVNDI CONtigerunt, quæque deinceps contingere debent, Reuelationes, per Paraphraſin tranſlatæ, incerto authore.

B

De præuaricatione Angelicæ naturæ, & illius de cœlo deiectione.

HOMO *cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis.* Pſal. 48. cum autem Lucifer inter omnes Angelos eſſet excelſior à Deo creatus, ac ſpecioſiſſimus, et de eo ſcribitur Ezechielis 31. *Omne lignum paradiſi non eſt aſſimilatum pulchritudini eius, quoniam ſpecioſum eum fecit:* etiam inter ſtantes Angelos non fuit eo dignior. Eminentiã ſuæ naturæ & profunditatem ſuæ ſcientiæ perpendens, in ſuũ creatorem ſuperbiens inſanuit, quòd Deo voluit ſe æquare, vt patet ſecundo ſententiarum diſtin. 6. dixit enim in corde ſuo illud Eſaię 9. *Aſcendam in cœlum.* Vbi magiſter in ſupradicto ſententiarum libro prælato: cœlum vocat æqualitatem diuinam: Deo enim ſe parificare volebat in illa parua morula, in qua creatus fuit, vna cum alijs angelicis creaturis. mox ergo vt creati fuerunt Angeli, quidam Deo adhæſerunt per charitatem, quidam vero cum Lucifero, Deo reſtiterunt per ſuperbiæ prauitatem: & ſic inter vtroſque, hoc eſt, inter rationales Dei creaturas & ſubſtantias primum bellum factum eſt in cœlo. C Vnde ſcribitur in Apoc. 12. cap *Factum eſt prælium magnum in cœlo: Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius, & non præualuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo.* Et ſequitur: *Et proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt in abyſſum.*

D

De iniqua Serpentis perſuaſione, & primorum parentum tranſgreſſione.

VIdens autem Diabolus, ſe expulſum è cœlo, in magna tamen poteſtate relictum, cogitauit quomodo poſſet diſplicere Deo, & in omnibus ſibi contrariari, & quia vidit primum hominem, Adam ſcilicet cum ſua vxore in terreſtri paradiſo collocatum, ſcilicet in loco voluptatis, innocentia decoratum, ac omnium beſtiarum, volatilium & piſcium dominum, nec non poſſeſſurum in cœlo ſedes, quas ipſe cum ſibi adhærentibus per ſuperbiam amiſerat, doluit vehementer: & inuidens eius fœlicitati, propoſuit ipſum debellare & totaliter interficere, cognoſcens quod ex putrida radice, non poſſunt niſi poma vermiculoſa generari. Mouit primum bellum ſuper terram cum primo homine per medium mulieris, & licet miſer homo eſſet fortior dæmone per innocentiam, proiectis tamen armis innocentiæ ſuæ, vt mulieri complaceret, relicto Deo, & tradito paradiſi caſtro ſibi commiſſo, inimico Dei, vt puta diabolo, negata obedientia regi ſupremo, videlicet Deo, libere ſe tradidit, proditor factus in manibus diaboli. Et ſic habita victoria de homine primo, indignatus Deus propter proditionem. & quia ſic armis innocentiæ proiectis captiuum ſe fecerat cum poſteritate ſua, Deus eiecit ipſum de terreſtri paradiſo, vt patet Geneſis 3. & miſit eum in exilium, locum beſtiarum & lachrymarum vallem. Quare Sanctus Dauid memorans exilium primi protoplaſti noſtri, prorupit in verba thematis: *Homo cum in honore eſſet*, loco & capitulo vbi ſupra &c.

F

De primorum parentum præuaricatione & ex paradiſo expulſione.

SCiendum namque eſt, exeuntes Adam & Euam de Paradiſo virgines fuiſſe. Anno autem triceſimo expulſionis eorum de Paradiſo, genuerunt Cain primogenitum & ſororem eius Chalmanan, & poſt triceſimum alium Annum, pepererunt Abel & ſororem eius Debboram. Anno autem triceſimo centeſimo vitæ Adæ occidit Cain fratrem ſuum Abel, & fecerunt planctum ſuper eum Adam quoque & Eua annis centum. Duceuteſimo autem triceſimo anno, primi millenarij, quod eſt primum ſeculum natus eſt Seth vir gygas in ſimilitudine Adæ. Quingenteſimo vero Anno in eadem prima Chiliade, filij Cain abutebantur vxoribus fratrum ſuorum in fornicationibus nimijs. Sexcenteſimo autem Anno ipſius millenarij, viri magno ſtupro amoris & fornicationis & iſtorum mulieres collapſæ ſunt, vel diffuſæ, & in veſaniam verſæ ſunt: nam ſuis viris tanquam pecudes mulieres ſupergreſſæ vtebantur, & facti ſunt homines in vita ſua feræ, vt clarius dicam inuerecundi apparentes omnino, G & in fornicatione omnibus confuſio magna. Octogeſimo vero anno vitæ Adæ, dilatatum eſt ſuper terram fornicationis inquinamentum à filijs fratricidæ Cain. Mortuus eſt autem Adam nongenteſimo & triceſimo vitæ ſuæ in primo millenario, & tunc diſtinctæ ſunt generationes ab inuicem: vt puta generatio Seth à cognatione Cain, & abſtulit Seth ſuam cognationem ſuorum in quendam montem qui erat proximus Paradiſo. Porrò Cain & huius cognatio in campo habitabant, in quo & occiſionem fratris homicidium perpetrauit. Quadringenteſimo autem anno temporibus Iareth, pertranſiit primum millenarium ſeu prima generatio.

H

Quo tempore inceperint malarum artium inuentiones & exercitia.

ANno autem trecenteſimo quadrageſimo Iareth, ſecundi millenarij, ſurrexerunt viri malæ artis inuentores, iniqui, & omni nequitia pleni, ex filijs Cain, vt Iobeth, Tholucel filij Lamech, qui fuit cæcus, qui & Cain interfecit: quos dominatus diabolus conuertit eos poſtea in omnem Magicam artem, & omnem ſpeciem Muſicam componendi. Anno autem quingenteſimo ſecundi millenarij adhuc etiam exarſerunt in nefandam fornicationem omnes homines in Caſtris Cain: priorelque ſunt facti priori generatione, qui & more animalium in alterutrum conuenientes, inſurgebant: quidam in virilem ſexum, & mulieres in muliebrem peruertentes na-

A tutam, & ſimiliter eiſdem turpiſſimis & inceſtis actibus, hi qui erant de cogitatione Cain vtebantur. Septuageſimo autem anno temporis Iareth, ſcilicet vitæ ſuæ, id eſt in ſecunda Chiliade, appoſuit malignus & infeſtus diabolus, bellum fornicationis adiungere filijs Seth, vt concupiſcerent filias Cain, & perfuſi apparuerunt
Gigantes. Gygantes ſuper terram de Seth, qui peccatis in foueam lapſi, atrociſſimi facti ſunt.

Quomodo Deus propter peccata hominum, inundationem vniuerſalem, & diluuium immiſerit, & omnia animantia peremerit.

ET iratus Dominus Deus, in expletione ſecundi millenarij, factum eſt diluuium aquarum. Et omnis creatura prima deleta eſt vel abſorpta, & deperijt generatio primi hominis figmenti. Et ſexcenteſimo duodecimo anno à principio vitæ Adæ, iam trium millium annorum,
Gen. 8. B poſtquam exiuit Noe de arca, ædificauerunt filij Noe nouam poſſeſſionem in exteriora terræ, & appellauerunt nomen regionis illius Tamna, ſecundum nuncupationem filiorum Noe, & numerum illorum qui exierunt de arca.

Quomodo poſt diluuium homines, turrim Babylonis contra Deum ædificare conati fuerint.

CEnteſimo autem anno de tertia Chiliade, natus eſt filius quartus Noe, ſecundum ipſius ſimilitudinẽ, & vocauit nomen eius Ionithum. Treceenteſimo verò anno de tempore trium millium annorum, dedit Noe donationes filio ſuo Ionitho, & dimiſit eum in terram Etham. Et poſt obitum Noe, ſexcenteſimo & nonageſimo anno, in eiſdem trium millium annorum aſcenderunt filij Noe de terra Orientali Etham, &
Geneſ. 11. ædificauerunt ſibi turrim in terra ſen campo Sennaar, & ibi facta eſt diuiſio linguarum, & ex hoc diſperſi ſunt homines ſuper faciem terræ totius. Ionithus autem filius Noe, tenuit introitum in Ethã vſq; ad mare, quod vocatur Eliochora,
C id eſt, Regio ſolis, in qua ſolis ortus fit, & habitauit ibidẽ. Hic Ionithus accepit à Deo donum ſapientiæ ad omnes artes, qui non ſolum literarum & aliquarum artium, verum etiam omnis aſtronomiæ primus fuit inuentor. Ad hunc deſcendens Nemroth, qui erat vir Gygas, & in multis eruditus à Deo, accepit à Ionitho conſilium, in quibus influentijs aſtrorum incipiendum eſſet ei regnare ſuper
Nemroth terram. Hic autem Nemroth natus fuit ex filijs Chus, cui erat pater Cham, & ipſe primus regnauit ſuper terrã. Septuageſimo verò Anno & nonageſimo tertiæ Chiliadis, in qua agebatur nonus annus, de iam dicta Chiliade, ædificata eſt Babylon magna, & regnauit in ea Nemroth. Et poſt hæc fecerunt ſibi filij Cham, regem ex ipſis, cui nomen Pontipus. Et ſeptuageſimo & nonageſimo temporis trium millium annorum anno tertio regni Nemroth, miſerunt viros potentes, ex filijs Iaphet, viros ſapientes & artifices in arte tectoria conſtructores, & deſcenderunt in terram Etham ad Ionithum filium Noe, & ædificauerunt ei ciuitatem, iuxta nominis illius nuncupationem, & pax multa erat in terra Ionithi & Nemroth, vſ-
D que in præſentem diem. Regnum autem Nemroth & filij Sem, & Pontipij filij Cham & Iaphet, contra ſe inuicem rebellabat. Scripſit autem Ionithus Epiſtolam ad Nemroth ita dicens: Quia regnum filiorum Iaphet ipſum incipiet delere regnum Cham. Hæc autem regna primum apparuerunt in terra, & poſt hæc didicerunt omnes gentes conſtituere ſibi regnum. Poſt regnum Nemroth, expleta tertia Chiliade annorum

De bello inter Coſdron. Nemrothiten, contra filios Cham, & deſtructione regni Cham.

E ANno igitur octauo quarta Chiliade, ſemper pugnabant adinuicem vtrorumque regna. Et deuictum eſt regnum Aegyptiorum à regno Nemroth, & obtinuit potentiam Babylonis in ſemine Nemroth, vſque ad Cuſiniſden: hic accepit ſibi vxorem de filijs Cham. Defuncto autem Cuſiniſde, Nemroth ſumpſit aliam nomine Eledem, huius neptis ſuam materteram in vxorem, hæc genuit Eliſdem, Eliſdem verò genuit Coſdron. Ille congregauit ſibi virtutes multas, & ſurrexit aduerſum Cham, & captiuauit & concremauit omnes regiones quæ erant occidentales. In ſecundo autem anno regni Coſdri filij Eliſdem, congregati ſunt filij Cham, & deſcenderunt in terram Etham, vt prælıarent cum rege Coſdro.
F Fuerunt autem trecenta & viginti millia peditum, baculos ſolummodo in manibus continentes: audiens autem de eis Coſdrum, ſubiuit & dimiſit eos vſque dum tranſierunt flumen Tygrim, illuc mittens contra eum exercitum ſuum ſuper Elephantes aſcendentes, omnes eos interfecit, & non eſt relictus ex eis quiſquam: & amplius non appoſuerunt filij Cham, vt pugnarent cum eis, & ex tunc amaricata ſunt regna contra inuicem. Et in fine quatuor millium annorum, ſiue in viceſimo quinto anno de ſupra dicta Chiliade, deſcendit Samſabus in Etham, qui fuit de cognatione Ionithi filij Noe, & depopulatus eſt ab Eufrate fluuio, vſque ad Edon. ſan flumen ſexaginta octo ciuitates ac regiones earum, & pertranſiuit in tribus regnis Indorum, & incendit & deſolauit omnino, & exiuit in deſertum Saba, & concidit caſtra filiorum Iſmael, filij Agar Aegyptiæ ancillæ Saræ vxoris Abrahæ, & expulſi ſunt & fugerunt omnes in ſolitudinem, qui erant de tribu Agar.

Quomodo Iſmaelitæ contriti in montibus, innumerabili multitudine egreſſi de nemoribus, dominati ſunt ſuper regna gentium in terra promiſſionis.

G CVm autem in prædicta eremo in generationibus ſuis multiplicati fuerunt, innumerabili maximaque multitudine annis ducentis & ſeptuaginta, ex Domini Dei permiſſione, filij Iſmael exierunt Arabicum deſertum, & introierunt terram habitabilem, & pugnauerunt cum regibus gentium, & captiuauerunt homines, & dominati ſunt ſuper regna gentium, qui erant in terra promiſſionis, & repleta eſt ea ipſis & de caſtris eorum. Erant autem quaſi locuſtæ, & incedebant nudo corpore, & edebant carnes camelorũ compoſitas in vtribus, & bibebant ſanguinem iumentorum lacte mixto. Cumque igitur obtinuiſſent filij Iſmael vniuerſam terram, & deſolaſſent vrbes & regiones earum, & dominati eſſent in omnibus inſulis, tunc illo quoque tempore, conſtruxerunt ſibi nauigia, & in modum volucrum, his vtentibus, adnabant ſuper aquas maris. Aſcenderunt igitur, & in re-
H gionibus occidentalibus, vſque ad magnam Romam, & Illyricũ & Aegyptum & Theſſalonicam & Sardiniæ magnæ, quæ eſt trans illam Romam, & dominati ſunt terræ in annis ſexaginta, & fecerunt in ea quæcunque voluerunt.

Quomodo Gedeon fortiſſimus pugnator, liberauerit filios Iſrael de ſeruitute Iſmaelitarum.

POſt verò hebdomadas ſeptem & dimidiam, illorum potentiæ, per quam obtinuerunt vniuerſum regnum gentium, ſuperexaltatum eſt cor eorum, dum ſe viderunt obtinuiſſe & damnaſſe omnia. In tempore autem illo facti ſunt eis Tyranni; principes militiæ quatuor, qui fuerunt filij Humeæ, qui ab eis ſic

voca-

A vucabantur, quorum nomina ſunt hæc: Oreb, & Zeb, Zebeæ & Salmana, hi pugnauerunt cum Iſraelitis. Et quemadmodum fecit eis Deus redemptionem de manibus Aegyptiorum per Muyſen famulum ſuum, eodem vero modo, & tunc illo tempore, operator eſt cum eis miſericordiam, & redemit eos ab illis per Gedeon, & liberatus eſt Iſrael de ſeruitute filiorum Iſmael. Hic enim Gedeon deſtruxit caſtra eorum, perſequens eiecit eos de terra habitabili in ſolitudinem & deſertum ex quo prodierant, & illi qui relicti ſunt, dederunt fœdera pacis filijs Iſrael, & exierunt in deſertum exteriorem nouem tribus.

Quomodo filij Iſmael exibunt de deſerto, & obtinebunt totum orbem.

Futuri ſunt autem, vt exeant ſemel, & deuaſtent terram, & obtineant orbem terræ & regiones in introitu pacis à terra Aegypti, vſque ad Aethiopiam, & à flumine B Eufrate, vſque ad Indiam, & à Tygrim vſque ad introitum Naboth regni Ionithi filij Noe, & ab Aquilone vſque ad Romam & Illyricum, Aegyptum & Theſſalonicam & Albaniam & vſque ad mare Ponticum. & in duplum erit iugum illorum, ſuper colla vniuerſarum gentium, & non erit gens aut regnum ſub cœlo, quod poſſit cum eis in prælio, confligendo ſuperare eos vſque ad numerum temporis octo Septimanarum annorum.

Quomodo regnum Romanorum & Chriſtianorum ſupprimet Iſmaelitas, hoc eſt Turcas.

Et poſt hæc deuincentur à regno cœleſti & Romanorũ, quod eſt Chriſtianorum & ſubijcientur ei, etenim hoc regnum magnificabitur ſuper omnia regna gentium totius mundi, & nequaquam delebitur ab vllo in æternum. Habet enim arma inexpugnabilia contra omnes aduerſarios ſuos, hoc ergo regnum deſiderare, à circumgyrantium temporum regnantium regnorum, & hæc eſt C veritas rerum, quæ ſe ipſa clarius oſtendet, abſque vllo errore caliginis vel aliqua ſeductione, à Nemroth enim qui fuit Gygas & primus fundator Babyloniæ, & à Meradach Rege eiuſdem, vſq; ad Baltaſar filium Nabuchodonoſor, qui & Nether nuncupatur, ſuper omnia regna gentium obtinuit regnum Babylonis primatum, quoniam primum regnum ſuper terram. Et tempore Meradach regis Babyloniæ, regnum Aſsyriorum in Aſſadaron Senacherim filium ſui ceſſit, quoniam accepit Senacherim vxorem Gecnae, filiam Theglatphalaſar Regis Aſſyriorum, quæ peperit ei Ardemelech & Haralat, & hi interfecerunt patrem ſuum, & fugerunt in terram Ararat, & vnus eorum regnauit illic eius nomen Aſſadaron, etiam filius eiuſdem Babylone pro patre ſuo Senacherib, enim Nabuchodonoſor, qui erat ea patre Lacedæmonio & matre regina Saba. Cumque Aſſadaron egreſſus fuiſſet ad pugnandum cum Rege Indiæ, & vſque Saba, & deſolaſſet quam plurimas regiones, egreſſus eſt cum eo Nabuchodunoſor. Illo videlicet educente ſecum, conſtituit eum principem militiæ ſuæ, & propter ſapientiam quæ in illo erat, datum eſt ei regnum Babyloniæ, & ſumD pſit ſibi vxorem de Medis nomine Eruldain, & poſt obitum Nabuchodonoſor & Baltaſar filij eius, regnauit Darius Medus, habens iam annos ſexaginta duos. Darius autem duxit vxorem Choran nomine, Perſam genere, de qua natus eſt Choris Perſa. Audi igitur quomodo commixti ſunt hi reges ſibi inuicem, ſiquidem Babylonij Medis, & Medi Perſis, & obtinuit & potentius factum eſt regnum Babylonis quàm Aethiopiæ & Saba & omnia regna gentium, à mare vſque ad Eufratem flumen. Adhuc autem & Dauidicum regnum, & Arabum & Aegyptiorum per Nabuchodonoſor deuictum eſt. Darius ergo Medus ſupergreſſus regnum Chaldæorum ſeu Babyloniæ dominatus eſt regum Medorum, cum hoc & Aethiopum. Choris autem Perſa qui & Cyrus & Spartacus dictus; obtinuit Thraces & redemit filios Iſrael de captiuitate ipſorum, & E remiſit eos omnes in terram promiſſionis, & Hieruſalem, cum multis mulieribus & vaſis aureis & argenteis, reddẽs eis quæ detulerat inde Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum, præcipienſque eis reædificare Templum Dei, quod deſtructum erat ab eodem Nabuchodonoſor, Cyruſque remiſit omnes ad redeundum in Iudæam, & propter hoc factum eſt ſecundum imperium Choris regis Perſarum.

Quomodo quatuor Monarchiæ Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum coniuncta fuerunt.

Audi igitur nunc certiſſime, quomodo hæc quatuor regna conuenerunt in ſimul. Aethiopes enim Macedonis, & Romani Græcis. Hi ſunt quatuor venti commouentes mare magnum. Philippus namque pater Alexandri Magni, cum eſſet Macedo accepit in coniugem Chuſet filiam Regis Aethiopiæ nomine Phool; de qua natus eſt Alexander Græcorum tyrannus. Hic magnam condidit Alexandriam Aegypti, & regnauit in ea annis duodecim. Ille deſcendens in Etham occidit Darium F regem Perſarum, & dominatus eſt multarum regionum & ciuitatum, & demultauit terram & deſcendit vſque ad mare quod vocatur Regio ſolis, vbi conſpexit gentes immundas & aſpectu horribiles. Sunt autem ex filijs Iaphet nepotes, quorum immundiciem videns exhorruit: comedebant enim hi omnem canticorum ſpeciem, omne coinquinabile, id eſt, canes, mures, ſerpentes, morticinorum carnes, abortiua, infirmabilia corpora & ea quæ in aluo nondum per lineamenta coagulata ſunt, vel ex aliqua parte membrorũ producta. Compago formam figmenti poſſit perficere, formam vel figuram exprimere iumentorum, necnon etiam & omnem ſpeciem ferarum immundarum, mortuos autem nequaquam ſepeliunt, ſed ſæpe comedunt illos.

Quomodo Alexander Magnus, Gog & Magog propter eorum turpitudinem in Caſpijs montibus incluſerit.

G Hæc verò vniuerſa contemplatus Alexander Magnus, ab eis immunditer & ſceleriter fieri, timens; ne quando exilientes in terram ſanctam, & illam contaminent à pollutionibus & iniquiſſimis affectionibus, deprecatur eſt Dominum Deum, vt coniungeret montes, & præcipiens congregauit eos, omneſque mulieres eorum & filios & omnia ſcilicet caſtra eorum, & eduxit eos de terra Orientali, & concluſit, minans eos donec introiſſent in finibus aquilonis, & non eſt introitus nec exitus ab oriente vſque in occidentem, per quem aliquis poſſit ad eos tranſire vel ipſi exire. Continuo ergo ſupplicatus eſt Dominum Deum Alexander, & exaudiuit eius obſecrationes, & præcepit Dominus Deus duobus montibus quibus eſt vocabulum, Vbera aquilonis, & adiuncti proximauerunt ad inuicem vſque ad duodecim cubitos, & conſtruxit portas æneas inter illas, & ſuperinduxit eas Aſſurim, vt ſi voluerint eas patefacere cum ferro, vt nõ poſſint aut diſſoluere per ignem, nec valeant vtrumque, ſed ſtatim ignis omnis extinguitur. Talis eſt enim natura Aſ-H ſurim, quia neque ignis ſuſcipit reſolutionem. Vniuerſas enim adinuentiones dæmonum, & calliditates mortiferas, & ſuperuacuas operantur hæ obſcœniſſimę, diſformes & ſordidæ gentes, vnctas magicas artes malorum vtuntur, immunde etiam viuunt in his in quibus ſordida & inhumana pollutio eſt, (magis enim & competenter dicitur) Deo odibilis. Deſtructa ſunt maleficia eorum, ita vt non poſſint neque cum ferro, neque per ignem, vel cum qualibet alia aſtutia, eaſdem reſerare vel aperire portas, & fugere.

Quomodo

A

Quomodo Gog & Magog, exeuntes de Caſpijs montibus obtinebunt terram Iſrael.

Ezech. 39. IN nouiſſimis vero temporibus, ſecundum Ezechielis Prophetiam quæ dicit: *In nouiſſimo die conſummationis mundi exiet Gog & Magog in terram Iſrael*, qui ſunt gentes & reges quos recluſit Alexander Magnus in finibus aquilonis, & in finibus ſeptentrionis, Gog & Magog, Muſach & Thubal, & Anog, & Ageg, & Athenal, & Cephar & Porhim, Hei, & Libij, & Cunei, & Phariſei, & Ceblei, & Lamarchiani, & Chachamij, & Aniahariæ, & Agimardi, & Alan, & Amſagi, qui dicuntur Cinucephali, & Caribei, & Thasbei, & Philiſonici, & Arceni, & Saltarci. H. viginti quatuor reges conſiſtunt recluſi intrinſecus portarum, ut reditu vero de iſtis gentibus, Alexander à pueris ſuis extinctus eſt veneno.

Quomodo mater Alexandri Aethiopiſſa, cuidam Regi Conſtantinopolitano deſponſata fuerit.

B

DEfuncto igitur Alexandro Magno, qui fuit primus Rex Græcorum, regnauerunt quatuor pueri eius, non enim coniunctus eſt aliquando matrimonio. Chuſeth verò mater eius regreſſa eſt in patriam ſuam in Aethiopiam: Biſas igitur, qui & Biſantium condidit, miſit per mare ad Phool regem Aethiopiæ, Germanicum ſui exercitus principem, & pacificauit cum eo, ſcribens ei de Chuſeth matre Alexandri Magni qualiter eam ſibi acciperet in vxorem, & regnare faciat eam: Suſcipiens ergo Phool Rex literas à Germanico, & videns quia detulerat largiſſima dona, accipiens, nimis lætus eſt: Surrexit igitur, & ipſe congregans ex omnibus ſpeciebus Aethiopiæ, ſumensque pariter & filiam ſuam Chuſeth, profectus eſt in Biſantium, habens ſecum triginta milia Aethiopum in comitatu, & ſuſceptus eſt à Byſa, protinus foris transmare, in Calcedonia, cum multa nimiaque alacritate animi, dedit autem & dona copioſa valde, his qui cum eo fuerant. Et introiuit Phool iubilanter, & dedit munera magna, & dona maxima, ſecundum regiam magnanimitatem.

C

Quomodo Romulo primo Romanorum Regi, vxor à Conſtantinopoli per mare nauibus adducta fuerit.

ET accepit Rex Biſas Chuſeth filiam Phool regis Aethiopiæ, ex qua nata eſt filia, quam & nuncupauit nomine ciuitatis Biſantiam, cum qua nuptus eſt Romulus, qui & Armaleus dictus, Rex Romæ, propter nimiam pulchritudinem eius dilexit eam valde. Erat quippe & ipſe ſimplex nimis, & magnanimus, vnde & in dotalibus eius, vt ſunt matrimonialia, donauit ei Romam. Audientes autem optimates eius, indignati ſunt contra eum. Peperit verò ei Biſantia filios tres, quos & nuncupauit, primogenitum quidem ſecundum appellationem patris Armaelum, ſecundum vero Vrbanū, tertiū denominauit Claudium. Regnauerunt igitur hi tres Armaelus quidē in Roma, pro patre ſuo Armaeleo, Vrbanus vero in Biſante ciuitate matris ſuæ, Claudius autem in Alexandria: Obtinuit autem ſemen Chuſeth filia Phool Regis Aethiopiæ

D

regnum Macedonum & Romanorum, & ſemen Aethiopiæ præueniet manus eius Deo, ſecundum Prophetiæ expoſitionem. Prouidens autem beatus Dauid ſpiritualibus oculis, & prænoſcens quod Chuſeth filia Phool Regis Aethiopiæ, inciperet ſoſeitare regnum Romanorum præfatus eſt dicens: *Ab Aethiopia præueniet manum eius Deo.*

Quomodo à ſancta cruce in Hieroſolymis ſuſpenſa, totus muniatur orbis.

QVidam igitur inconſultè conſiderauerunt, dicentes: Quia propter Aethiopum regnum compulſus ſanctus Dauid hæc diceret, ſed mentiti ſunt veritati, qui hæc ita æſtimant. Etenim ex ſemine Aethiopiſſæ conſiſtente regno, hoc conſtructum eſt magnum atque venerabile lignum, ſanctæ & honorificentiſſimæ & viuificatoriæ crucis, & in medio terræ confixum eſt, vnde fortaſſis (vt competit) ipſe eſtatus eſt antiquus pater Dauid, ita prænuncians: Aethiopia præueniet manus eius Deo. Nun eſt autem gens atque regnum ſub cœlo, quod præualere poſſet aut ſuperare regnum Chriſtianorum, ſicut iam præfati ſumus ſuperius, quod in medio terræ, viuificans confixa & ſolidata eſt crux ſancta, ſub qua & orbis terræ munitur, & fines mundi, quare valde ſapienter ſcribitur, conſtare ſecundum latitudinem & altitudinem & profundum. Qualis vel quis poſſet eius virtutem ſuperare, aut vnquā ſanctæ crucis apprehendere potentiam? Sic enim obtinet venerationem Romani imperij dignitas pollens per eum, qui in ea pependit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

E

Quid beatus Paulus, de nouiſſimo die, & Romanorum imperio ſenſerit.

AVdiamus igitur quid prædicator diuinorum, qui in cœlum raptus fuerat, Paulus edocuit, ſignificans de nouiſſimo die & Romanorum imperio: quibuſdam enim in ſecunda ad Theſſalonicenſes epiſtola, ita inquit: F

Rogamus vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vero conuentu in ipſum, vt non cito moueamini à ſenſu veſtro, nec terreamini, neque per Spiritum neque per verbum, neque per Epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet aduentus domini. Ne quis vos ſeducat vllo modo. Quia niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo iniquitatis filius qui eſt perditionis, aduerſarius, & extollens ſe ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita quod in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe quaſi ſit Deus. Et poſt puſillum: *Solummodo nunc* (inquit) *qui tenet teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur iniquus.* Quid igitur eſt de medio tolli, niſi Romanorum imperium? Omnis enim principatus & poteſtas deſtruetur abſque hoc. Nam ab hoc expugnantur & ſuperantur omnia regna, quia & omnes gentes quæ cum eo confligunt, conterentur, & conſumentur ab eo, & obtinebit donec vltima eius hora præueniet manus eius Deo. Etiam ſecundum Apoſtolum dicentem; cumque deſtruetur omnis principatus & poteſtas, & ipſe Rex Romanorum tradiderit regnum Deo patri. Quale regnum? ſcilicet Chriſtianorum, vbi enim G vnquam fuit, vel erit, aut eſt regnum ſiue alia potentia, quæ ſuper hoc emineat? certe nuſquam. Si volueris enim mecum quod certum eſt pertractare, accipe, quæſo te, Moſaycam plebem quæ tantis ſignis & portentis, & in profundum maris Aegyptios etiam exacutientem, vide & Ioſue, ſub quo coram ſol circa Gabaoth ſtetit, & luna circa vallem Hiericho, & alia quàm plura, quædam ſtupenda potius quam admiranda miracula, quæ facta ſunt ipſis, & pene omnem conſidera Hebræorum fortitudinem, quomodo ſub Romanorum imperio dilata & contrita ſit, Titus & Veſpaſianus conciderunt vniuerſos illos. Nunquid templum in aratro expugnans Adrianus non aruit? quod igitur fuit vel erit aliud regnum? Sed nullum videlicet inuenimus. Pro veritate memoriter curam habeamus: nonne mille annis regnauerunt Hebræi & abſciſum eſt regnum eorum? Aegyptij autem trium millium annorum & ipſi nihilominus perierunt. Babylonij quatuor millium annorum regnum habuerunt, ſed & ipſi ſimiliter abſciſſi ſunt. Conciſo igitur Macedonio- H rum regno ſiue Aegyptiorum confixerunt armis aduerſus Regnum Romanorum ſeu Barbarorum, id eſt, Thuſcorum, & ab armis qui ſimul vorterſi abſorpti ab eo ſunt. Ita poſtquam abſorptum fuerit regnum Perſarum, conſurgent prælijs aduerſus regnum Romanorum. Imperium filij Iſmael, filij Agar, quos ſcriptura commemorans auſtrale brachium appellauit. Daniel quoque hoc prædicens, & contradicunt regno Romanorum in numero circumeuntium temporum. In ſeptimo ipſo tempore annorum, hoc eſt in ſeptimo millenario mundi, eo quod appropinquabit conſumatio ſæculi, & non erit longitudo temporum amplius. In nouiſſimo enim millenario, ſeu ſeptimo, tunc à gente in ipſo eradicabitur regnū Perſarum, & in ipſo ſeptimo millenario incipiet exire ſemen Iſmael de

A Et ſimul [illegible] cum exercitu congregabuntur vnanimes in magnam Gabaath, & ibi complebitur quod dictū eſt
Ezech. 39 per Ezechielem prophetam: *Fili hominis, inquit, voca beſtias agri, & volatilia cœli, & exhortare illa dicens: congregamini & venite eo quod magnam ſacrificium immolo vobis, manducate carnes fortium, & bibite ſanguinem excelſorum.* In hac itaque Gabaath cadent, in ore gladij à femine Iſmaelis, qui appellatus eſt Onager, eo quod in ira & in furore mittentur ſuper faciem terræ totius. Super homines quoque & iumenta & beſtias ſylvæ & ſuper omnem ſaltum & plantationē, & ſuper omne nemus, & in omnem ſpeciem fructiferam, & erit aduentus eorum caſtigatio ſine miſericordia, & ibunt cum eis ſuper terram, quatuor illæ plagæ, ſcilicet captiuitas, interitus, perditio quoque, & deſolatio. [illegible] enim Deus Iſrael per Moſen: Nō quia diligit vos Dominus Deus introducet vos in terram promiſſionis, vt hæreditetis eam, ſed propter peccata habitantium in ea. Sic enim filijs Iſmael, non quod eos diligat Dominus Deus, dabit eis potentiam hanc, vt obtineant terram Chriſtianorum, ſed propter peccatum & iniquitates quæ ab eis com-
B mittuntur, ſimilia eis non ſunt facta, & neque fient in omnibus generationibus. Nam induentur viri tunicis adulterarum mulierculatum & ornamentum viri cum viris, quemadmodum cum mulieribus, & hæ more meretricum in fœminabus ſe ipſas componētes, & ſtantes in plateis, & foras ciuitatum palam omnibus, & immutant naturale vſum, in eum qui eſt contra naturam, etiam ſeminibus abutentes, ſicut beatus quoque, & ſanctiſſimus Apoſtolus inquit:
Rom. 1. Similiter & mulieres quod & viri agentes. Similiter & viri dimittentes naturalem vſum in eum qui eſt contra naturam. Conuenerunt itaque viri mulieri pater ſimul & filius illius, & frater, & vniuerſi qui cognatione adiuncti ſunt. Iurgiorabantur enim hæc à meretricibus.

Quomodo Turca & Saraceni ſortem mittent ſuper captiuas Chriſtianos.

ET propter quod ſapientiſſimus Paulus ante temporū ſeriem mortalis exclamans ait: *propter hoc eaſm tradidit illos Deus in ea, contra ignominia. Nam fœmina eorum commutaneriatura ſuam vſum, in eum qui eſt contra naturam, ſimiliter autem & maſculi dimittentes naturalem vſum in eum vſum qui eſt contra naturam. Viri contra naturam exarſerunt in deſiderijs ſuis inuicem & maſculi in maſculos turpitudinem operantes,* & ſic omnæ in hæc omnibus, ſimiliter & retributionem ac *mercedem erroris ſui in ſeipſis recipientes.* Propter hoc igitur tradentur à Deo
C in manus barbarorum, à quibus cadent in omni immunditia & fœtore pollutionis, & cōtaminabuntur mulieres eorum à pollutis barbaris, & mittent ſortes filij Iſmael, ſuper filios & filias eorū, & tradetur terra Perſarū in
Orbis captiuitas ſub Saracenis. corruptione & perditione, & habitatores eius in captiuitatem & occiſionem adducentur. Armenia quoque, & illi qui habitant in ea, in captiuitate & gladio corruent. Capadocia in corruptione & deſolatione erit, & eius habitatores in captiuitate, & iugulatione abſorbebuntur. Cilicia in tribulatione erit, terra Syriæ erit in ſolitudine, & eius habitatores captiui ducentur. Ægyptus quoque, Oriens & Aſia ſub graui tributo auri & argenti erit. Hiſpania gladio peribit, captiui ducentur habitatores eius. Græcia tota in occiſione gladij & perditione & corruptione ducetur. Gallia, Germania, & Agathonia varijs prælijs erunt deuoratæ, & multi ex eis ducentur captiui. Sicilia ſimiliter & habitatores eius in gladio peribunt. Romani
D corrumpentur in occiſione, que gladij erunt, & conuertentur in fugam, in illa Romania. Inſulæ maris erunt in deſolatione, & qui in eis habitant in gladio & captiuitate ducentur. Hominesque in tribulationes immenſas coartabuntur, et [illegible] bulatio ſuper Chriſtianos, qualis antea non [illegible] gariabuntur e in fine ueniura & miſericordia, & appetentur ſ per vires animarum ſuarum pondus auri vel argenti, & erunt [illegible] Aſſyrij & Syriæ, in afflictione temporum maxime. Et replebitur Hieruſalem a gentibus & terra pro [illegible] facie hominum qui captiui ducentur à quatuor v[illegible] qui ſub cœlo ſunt. Et erunt tanquam loculæ in multitudine quæ congre-
F gabuntur à vento, & erit in eis peſtilentia & fames, & exaltabuntur [illegible] exterminatorum, & in ſuperbia abeunt, & loquentur excelſa vſque ad tempus [illegible], & obtinebunt introitum & exitum aquilonis. Et Etham, vſque ad occaſum & meridiem, & erit Chriſtianorum tribolatio maxima, & erunt omnia ſub iugo eorum.

Quomodo Turca & infideles deſtruent Eccleſias, & altaria, facientes abominabilia in locis ſacrata.

HOmines quoque & iumenta, & volatilia, & piſces, & natantia in aquis & etiam aquæ maris obaudient eis, & deſtitutæ ciuitates quæ ab habitatoribus populoſæ fuerunt, viduatæ erunt illorum. Et ſcribent ſibi terminos per ſ[illegible] ſolitudines & ligna ſyluarum, & puluis terræ & lapides & vbertas terræ & piſces maris erunt in introitu eorum, & arbores vel ſud [illegible] agricolarum terræ, & hæredi-
F tas illorum, & quæ [illegible] in Eccleſijs [illegible], ſiue aurum vel argentum, ſiue lapides pretioſi, & omnia ornamenta eorum & indumenta etiam ſacrata, vel prælata, & [illegible], & metalla, & [illegible] omnes, & quicquid pretioſum eſt, illorum erit, & diſtribuent myſteria Dei, & exaltabitur cor eorum vſque adeo, vt mortuos appetant, ſecundum æqualitatem [illegible] virorum. Similiter autem ex pupilis & viduis, & ex facratis locis efcas exigentes, & non miſerabuntur inopi & pauperi.

Quomodo Chriſtiani deducti ad viam anguſtia & tribulationum, irridebuntur per impacles & deludentur.

OMnem enim maiorem natu inhonorant & affligunt egenos, & non habebunt viſcera miſericordiæ neque ſuper imbecillos & infimos, ſed illudent illos, & deridebunt omnes, qui in ſapientia fulgebant, & eos qui in rebus reipublicæ magnificabantur & conticeſcent vniuerſi ſilentio, ex timore non valentes arguere aut proloqui. Quid eſt hoc vel illud? & obſtupeſcunt omnes [illegible] timore qui habitant terram, & erit ſapientia eorum & diſcipli-
G na prodens nulli, nec ſemetipſis, & non ſubſeruient aliquod, neque readdendum vel adijciendum, ad eam quicquam, & non erit qui poſſit immutare aut querulare ſermones eorum, & erit iter eorum à mare vſque ad mare, & ab ortu ſolis vſque ad occaſum, & ab aquilone vſque ad deſertum, & vocabitur iter eorum via anguſtiæ, & gradientur in ea ſenes & ſeniores, inopes & diuites, eſurientes, ſitientes, compedibus vincti, & manicis ligati, & beatificabunt eos qui iam mortui ſunt.

Quomodo onagri & capræ à deſerto exeuntes, omnem ſpeciem beſtiarum ſupergredientur rabie, et beſtiæ ſyluarum fame interibunt.

DIſciplina enim eum increpationibus quæ à Paolo dicta eſt hæc, ait enim: Quia nisi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis. Siquidem diſceſſio eſt diſciplina & correptio, qua corripientur vniuerſi habitatores terræ. Et quomodo onagrum vocauit Dominus Deus Iſ-
H maelem patrem illorum. Propter hoc onagri & capræ à deſerto exeuntes, omnem ſpeciem beſtiarum ſupergredientur rabie, & ab eis manſueti conterentur, & paulatim ſub eis, & perſequentur omnes, & beſtiæ omnes ſyluarum fame interibunt, eo quod diſcuſſæ ſunt regiones terræ. Et abſcindent omne lignum latus, & ſpecies montium diſperdent, quia deſolabuntur vrbes, & erunt regiones ſine via, eo quod diminuta eſt humanitas, & polluetur terra à ſanguine interfectorum, & continebit fructus ſuos. Non enim ſunt homines qui tyrannico more ac barbarico nationes ſimpliciter obtineant, ſed filij ſunt ſolitudinis à deſerto exilientes, & ideo in deſolationem prodeunt, corruptelam & in eo rei [illegible] mittuntur,

tuntur, & odibiles ſunt atque abominabiles omnibus hominibus, & ideo odium ipſis complectuntur.

Quomodo mulieres Chriſtianæ habentes partus in vtero, perfodiantur cum infantibus ſuis gladiis, ab infidelibus & Turcis, & corpora proiecta in plateis earum volatilibus in eſcam & canibus.

ET in principio extram eorum incipientes ab eremo, mulieres habentes partus in vteris, gladio perforabũt, & fœtum pungent ſimul cum matribus, & infantes ab humeris nutricum rapiunt & necant, & multa corpora proijciuntur in plateis, eo quod non ſit qui ſepeliat. Sapientes interficientur, erunt beſtijs in eſcam. Sacerdotes autem intrinſecus ſanctorum locorum occiduntur, & concumbent in eiſdem cum mulieribus in fornicationibus peſſimis, Virgines ſtuprant atque mulieres Deo dicatas turpant, & violant in Eccleſiis in quibus perficitur myſticum ſacramentum, & contaminant ſacrificium celebrandum, & ex ſacris vaſis & calicibus comedent & bibent, ſacras ſtolas induentur, & ex ornamentis Eccleſiarũ, & lapidibus pretioſis adornabant ſe & vxores, & mulieres eorum, & ſuper filios ſuos imponunt & ſuper filias ſuas, & in equis ſuis, & ſuper lectos ſuos expandunt ea. Et iumenta ſua ad ſepulchra ſanctorum alligabunt, tanquã ad præſepia, & reliquias eorum diſpergunt, & erunt homicidæ & corruptores, & ignis probationis generi Chriſtianorum. Etenim ſacratiſſimus Apoſtolus inquit: Nõ enim omnes qui ex Iſraele ſunt & hi Iſraelitæ. ita nõ omnes qui dicuntur Chriſtiani hi ſunt Chriſtiani. Septem enim millia, ſicut ſcriptũ eſt, ſaluati ſunt filiorum Iſraal, qui nõ curuauerunt genua ſua ante Baal, & omnis populus per eos ſaluus factus eſt. Et in ipſo tempore diſſenſionis & perſecutionis filiorum Iſmael, pauci inuenientur Chriſtiani veri, quemadmodum ipſe ſaluator noſter in ſanctis Euangelijs dicit: Vtique veniens filius hominis putas inueniet fidem in terra.

Quomodo Chriſtiani abnegabant fidem, & clerici & monachi res diuinas prophanabant.

MInuetur in tempore illo Spiritus perſectorum, & multi abnegabunt veram fidem & viuificatoriam crucem Chriſti, & ſancta myſteria etiam ſine aliqua vi, vel tormento, aut flagellis abnegant Chriſtum & aſſiſtunt transgreſſoribus. Prœuidẽs autem ſanctus Apoſtolus prædicauit dicens: Quia in temporibus illis recedent quidã à fide, attendentes Spiritibus erroris & dæmoniorum doctrinis, in infidelitate & dolo, mẽdacibus ſermonibus attendentes, & Cautherizantium ſuam conſcientiam, & continuo adijciens idem dicit: In nouiſſimis diebus inſurgent tempora periculoſa, & erunt homines ſemetipſos amantes, amatores pecuniæ, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, inutiles, immundi, ſine affectione, abſq; fœdere, delatores, incontinentes, immoderati, malorum amatores, proditores, ſuſurrones, inflati, luxurioſi, amatores mundi magis quam amatores Dei, ingrati, ſceleſti, ſine pace, criminatores, adulteri, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, timidi, voluptatũ amatores oẽs, imbecilles, & infideles, ſacrilegi, excommunicati, nulla correctione meliorati, & ſemetipſos ſegregabunt ab Eccleſijs ſanctorum, etiam propria voluntate. Idem enim tẽpus aduocat eos in errorẽ. Humiliter vero ſentientes, & quieti, ſuaueſque & veriſſimi cultores Dei, ſapientes etiã & conſcientioſi ſcientificique & iuſti, boni, morigerati & electi, non quæruntur in tempore illo: ſed pro his inquiruntur quicunq; tales ſunt, ſemetipſos amãtes, cupidi pecuniæ, elati, ſuperbi, blaſphematores, raptores, plurũ poſſeſſores, circumuentores, ebrioſi, immiſericordes, transgreſſores, ſine affectione, ſine vinculo charitatis, inſuaues, immundi, vt dixi damnatores, incõtinentes, inmanſueti, inuerecundi, proditores, ſuſurrones, adulatores, proterui inflati, luxurioſi, fornicatores, adulteri, lenones, amatores ſeculi, fures, periurioſi, falſarij, mendaces, plagiarij vt pra-dicimus: habentes quidem pietatis ſpeciem, virtutem eius abnegantes.

Quomodo ex transgreſſione Cleri vulgus in eos præter modum ſæuiet.

TAles miniſtri, contra præcepta Dei erunt dierum illorum, & omnia quæ ab ipſis imperantur, facile perficiuntur. Timentes verò Dominũ in nullo, ſed & omnia mala reputabuntur in cõſpectu oculorum eorum pro nihilo, ſed in vituperatione illorũ ſunt quẽadmodum ſtercora ſub veſtigio conculcata. Erunt enim homines in illa correctione filiorum Iſmael, & venient in neceſſitatibus, vſq; dum deſperẽt de vita ſua in captiuitatibus & calamitatibus ſuis. Et tollitur honor à ſacerdotibus & ſupprimitur myſterium Dei, & quieſcet omne ſacrificium ab Eccleſijs, & erunt ſacerdotes ſicut & populus in eodem tempore, ſeu in ſeptimo hebdomatico tempore.

Quomodo ex fame & peſtilentia plurima pars viuentium morietur.

CVmque igitur complebitur numerus annorum potentiæ eorum, quod obtinuerunt terrã, multiplicabitur etiã & tribulatio ſuper homines, & ſuper iumenta, & erit fames & peſtilentia, & corrumpentur vrbes & proijcientur homines ſuper faciẽ terræ ſicut puluis, & per ſingulos dies in tẽporẽ iſto, adhuc plaga vna adijcietur hominibus, etiã dormiens accubabit humo ad veſperã, & exurgens mane reperiet ad limen ianuæ domus ſuæ, qui ab eo exigat pondus auri & argenti angariantes ſe Expeditur omnis acceptio auri & argenti, & venundabit homo omnia vtenſilia ſua, & ferramenta & opertoria & veſtimẽta, & in ipſo hebdomatico tẽpore vendẽt homines, natos ſuos. Cuius itaq; rei gratia deſpexerit Dominus Deus fideles, vt ſufferant has tribulationes, vt monſtrentur qui ſunt fideliſſimi, vel infideles, & vt ſeparentur paleæ à tritico mundo, eo quod ignis probationis eſt tẽpus illud, & longanimitatẽ fert Deus ſuper tribulationes iuſtorũ fidelium, vt manifeſti appareant electi. Prædixit enim nobis ſaluator noſter ita inquiẽs: Beati eſtis cum exprobrauerint vos, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne verbum malum aduerſum vos, propter me mentientes, gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas qui fuerunt ante vos; qui autem ſuſtinuerit in finem hic ſaluus erit.

Quomodo Turcæ poſt victoriam læti exiſtentes, & conuiuantes, à Romano Rege inter epulas opprimentur.

ET poſt tribulationem, quæ fit à filijs Iſmael, cumque periclitati fuerint homines à tribulationis preſſura, nõ habentes ſpem ſalutis aut redemptionis alicuius de manibus eorum, perſecuti & tribulati ab eis afflictiq; fuerint, in fame, ſiti & nuditate: Barbarorum verò nationes erunt hæc comedentes, bibentes & iocundantes, in victorijs eorum gloriantes & in deſolationibus quibus deſolauerunt Perſidem & Syriam, quoque & Capadociam & Iſauriam, Affricam quoque & Siciliam, & eos qui habitant proxime Romam, & inſulas circumamicti quẽadmodum ſponſi, & blaſphemantes dicunt: Ecce vicimus terram in fortitudine noſtra, & omnes qui habitant in ea, & nequaquam habebunt Chriſtiani ereptionem de manibus noſtris. Tunc ſubito inſurget ſuper eos rex Græcorum ſiue Romanorum in furore magno, & expergiſcetur tanquã homo à ſomno vini, quem æſtimabant homines tanquam mortuum eſſe, & in nihilo vtilem profeciſſe. hic exiet ſuper eos à mari Æthiopum, & mittet gladium & deſolationem in tribu quæ eſt in eorum patria, & captiuabit mulieres eorum & filios illorum.

A *Quomodo quidam filius Regis Romanorum, Turcos & eorum vxores & pueros captiuos abducet & varijs pœnis afficiet.*

SVper habitantes autem terram Promiſſionis, deſcendet filius regis cum gladio, & concident omnes à terra, & cadent ſuper eos timor & tremor vndique, & ipſi & vxores & filij eorum lugebunt infantes ſuos, flentes ſuper eos & omnia caſtra eorum quæ ſunt in terra patrum illorum, in manu Regis Romanorum tradentur in gladio & captiuitate, & morte & corruptione, & erit Rex Romanorum imponens iugum ſuum ſuper eos, ſepties vltra quam erat iugum eorum ſuper terram, & comprehendet eos anguſtia magna, fames, ſitis, & tribulationes, & erunt ſeruientes ipſi & mulieres & filij eorum, & ſeruientes his qui ſibi ſeruiebant, & erit ſeruitus eorum amariſſima centuplum, & duriſſima vltra hanc quam Chriſtianis impoſuerunt, & tunc pacificabuntur terræ quæ ab eis fuerant deſtructæ, & redibit vnuſquiſq; in terram ſuam, & in hæreditatem patrum ſuorum. Armenia, B Cilicia, Iſauria, Africa, Græcia, Sicilia & omnis qui de captiuitate relictus eſt, reuertetur in propria & in paterna ſua, & multiplicabuntur homines ſuper terram quæ deſolata fuerat ſicut locuſtæ in multitudine.

Quomodo rex Romanorum, poſt glorioſam Chriſtianorum victoriam, eos condemnabit & puniet qui veram fidem abnegauerunt.

ÆGyptus vero deſolabitur, Arabia igni concremabitur, & maritimæ pacificabuntur, & omnis indignatio & furor regis Romanorum ſuper eos qui abnegauerunt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum exardeſcet. Et ſedebit terra in pace, & erit pax & tranquillitas magna ſuper terram, qualis nondum eſt facta, neque fiet ſimilis illi, eo quod nouiſſima eſt & in fine ſeculorum. Erit enim lætitia ſuper terram, & commorabuntur homines in pace & reædificabunt ciuitates & manſiones hominum, & liberabuntur ſacerdotes de neceſſitatibus ſuis & requieſcent homines in tempore illo à tribulatio- C nibus ſuis.

Quomodo Chriſtiani nimium gaudentes de victoria & obliti beneficiorum Dei, à repente superuenientibus Gog & Magog opprimentur.

ET hæc eſt pax, quam beatus Apoſtolus expoſuit dicens: *Cum autem dixerint pax & ſecuritas, tunc eis ſuperueniet interitum.* Et continuo Dominus in Euangelio ſic inquiens: *Sicut enim in diebus Noe erant homines manducantes & bibentes, & nubentes, & nuptias contrahentes, ita erit in nouiſſimo die.* In hac igitur pace ſedebunt homines ſuper terrã, cum gaudio & lætitia comedentes, & ſeſe potantes, nubentes, & dantes ad nuptias, exultantes & gaudentes, & ædificantes, conſtruentes, & non erit timor eorum vel ſolicitudo: tunc reſerabuntur portæ Aquilonis, & ingredientur virtutes gentium illarum quas concluſit intus Alexander Magnus, & concutietur omnis terra à conſpectu eorum, & expaueſcent homines, & fugientes conterriti, abſcondent ſe in montibus, & ſpeluncis, & in monumentis, & mortificabuntur à timore, & corripientur præ D pauore quamplurimi, & non erit qui corpora ſepeliat.

Tartari. Gentes namq; quæ exeunt ab Aquilone, comedent carnes hominum, & bibent ſanguinem beſtiarum ſicut aquam, & comedent immunda, ſerpentes, Scorpiones & vniuerſa abominabilia & horribilia beſtiarum, & reptilia quæ repant ſuper terram, iumentorum etiam & corpora mortuorum, & abortiua mulierum, & necabunt pueros & largientur eos matribus ſuis vt comedant eos, & corrumpent terram, & contaminabunt eam, & nullus erit qui poſſit ſtare contra eos.

De natiuitate Antichriſti.

POſt hebdomadam vero temporis cum comprehenderint ciuitatem Ioppen, mittet Dominus Deus vnum ex principibus militiæ ſuæ, & percutiet eos in vno momento temporis. Et poſt hæc deſcendet rex Romanorum, & demorabitur in Hieruſalem ſeptimana temporũ & dimidia, quod eſt 10. anni & dimidium. Et cum complebuntur 10. anni, & dimidius, & apparebit filius perditionis. Hic naſcetur Chorozain, & nutrietur in Bethſaide, & regnabit Capharnaum. Et lætabitur Chorozain eo quod in eo eſt, & Bethſaida propter quod nutritus eſt in E ea, & Caphamaũ eo quod regnauerit in ea. Propter hanc cauſam in Euangelio Dominus tertio ſententiam dedit dicens: Væ tibi Chorozaim, Væ tibi Bethſaida, & tibi Capharnaum, ſi vſq; in cœlum exaltaberis, vſque ad infernum deſcendes.

Quomodo vltimus Rex Romanorum in monte Oliueti, coronam & regnum offeret Deo, & illic morietur.

ET cum hic apparuerit filius perditionis, aſcendet tũc rex Romanorum ſurſum in Golgata, in quo confixũ eſt lignum ſanctæ crucis, in quo loco pro nobis Dominus mortem ſuſtinuit, & tollet rex coronam de capite ſuo, & ponet eam ſuper crucem, & expandet manus ſuas in cœlum, & tradet regnum Chriſtianorum Deo patri, & aſſumetur crux in cœlum, ſimul cum corona regis, propter q́ ſuſpenſus eſt in ea Dominus noſter Ieſus Chriſtus, propter communem omnium ſalutem, ipſa crux incipiet apparere ante eum in aduentu ipſius, ad arguendam perfi- F diam infidelium, & complebitur Prophetia Dauid dicẽtis: In nouiſſimis diebus Æthiopia præueniet manus eius Deo, ex eo quod ex ſemine filiorum Chuſeth, filiæ Phool regis Æthiopię ipſe nouiſſime præuenit manus ſuas Deo, & cum exaltata fuerit crux in cœlum ſurſum, etiam tradet continuo Spiritum ſuum Romanorum Rex, tunc deſtruetur omnis principatus & poteſtas, cum apparuerit filius perditionis. Eſt autem hic de tribu Dan, ſecundum Gen. 49. prophetiam Patriarchæ Iacob, quæ dicit: *Dan ceraſtes in via, & coluber, accubans in ſemita, mordens calcaneum equi, & cadet aſcenſor eius retrorſum, ſalutare tuum ſuſtinens.* Equus igitur eſt veritas & pietas iuſtorum, calcaneum vero nouiſſima dies, & ſancti hi qui in illo tempore ſuper equũ, id eſt, ſuper veram fidem aſcendent, & piiſſime equitabunt, perſequentur à ſerpente ſiue filio perditionis, in calcaneo, id eſt, in nouiſſimo die, in omnib. enim phantaſijs & mendacibus ſermonibus, & operibus ſuis quæ fiunt ab eo.

G *De miraculis factis per Antichriſtum.*

FAciet enim tũc ſigna & prodigia multa, ſuper terram inertia: vel imbecilla ſophiſtica & falſa. Cęci enim reſpicient, claudi ambulabunt, ſurdi audient, & dæmoniaci curabuntur, conuertet ſolem in tenebras, & lunam in ſanguinem apparenter. In omnibus ſuis ſignis fallaciſſimus, & falſiſſimus deceptionum prodigijs ſeducet, ſi poteſt fieri etiam electos, ſicut & Dominus explanauit in Euangelio. Aſpiciens ergo Patriarcha Iacob cordis oculis, cõſiderauit quæ ventura eſſent, in nouiſſimis diebus, à venenoſo ſerpente, vel filio perditionis facienda, quoniam etiam in hominibus tribulatio & anguſtia per eum fieret. Expoſuit ſicut ex perſona generis humani condolens & vocem emittens dixit: Raro expectabo ſalutare tuum Domine. Dominus autem de Antichriſto præfatus eſt dicens: Si fieri poteſt etiam in errorẽ inducet electos. Ingredietur enim hic filius perditionis in Hieruſalem, & ſedebit in templo Dei ſicut Deus, cum homo ſit carnalis, ex ſemine viri & vtero mulieris de tribu Dan, nam & H Iudas Scariotis, qui & traditor Domini extitit, de tribu Dan deſcendit.

De prædicatione Enoch & Heliæ contra Antichriſtum.

CVmq; multiplicata fuerit tribulatio dierũ illorum à filio perditionis, non ſinet diuinitas aſpicere perditionem generis humani quod redemit proprio ſanguine, continuo mittet ſuos famulos ſinceriſſimos atq; chariſſimos, Enoch & Heliam, ad redarguendum eum, & palam omnibus gentibus corripient eius ſeductionem, & oſtendent eum mendacem coram omni homine, & nihil eſſe. Et quia propter interitum & perditionẽ multorum exijt de templo: gentes ergo videntes eum confuſum, ſeductionemq; eius obiurgationibus multis increpatam à famulis Dei, dimittent eum, & fugient ab illo & adhærebunt iuſtis illis. Videns ergo ſeductor ſeſe duriſſime increpatum, ab vniuerſis contemptum, furore & iracundia caleſcens, interficiet illos ſanctos Dei.

De extremo vniuerſali Iudicio.

TVnc apparebit lignum aduentus filij hominis, & veniet in nubibus cœli cum gloria cœleſti, & inter-

A plena inſigni cuiuſdam in homines ſtudij ſunt: demi- ſsionis, quæ perſiciuntur; bonitatis, quæ apparent. Gratè excipe Deum ipſum ad te venientem: ipſe enim auferet iniquitates tuas, & peccata tua expiabit. In te primum mundi vniuerſi reformetur luſtratio: in te ac per te innoteſcat gentibus, quæ ſecundum gratiam eſt iuſtificatio. Tu viuifice hiſce primitiis dignus. Viuus es Lege? viue & gratia. Fatigatus es licet? renouare nunc ſpiritu. exue vetuſtatem; induere nouitatem. hæc enim te ignorare nequaquam exiſtimo. Ex quibus dictis iuſtus ille fiduciam ſumens, exhortationibuſque Dei matris, Deo ergò homines ſubiecturientis, Dan 7 13. obediens, ſenſibus ſuis vlnis *antiquum illum dierum*, in infantia exiſtentem, ſuſcepit; Deumque dilaudans Luc. 2.29 Simeonis ad Ieſum oratio. ait: *Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum: quod paraſti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Accepi abs te omnis triſtitiæ expertem lætitiam: tu Domine me lætantem, miſericordiaſque tuas deprædicantem, accipe. Tu autem hoc mihi dediſti gaudium: ego B gratiarum tibi munus gaudens rependo. Cognoui diuini in nos amoris potentiam, noſtra enim cauſa Deus ex te inenarrabiliter & abſque corruptione generatus, eſt homo nunc factus. Agnoſco, ô Deus, tuæ erga nos ſolicitudinis non dicendam magnitudinem: quoniam diuina tua viſcera in noſtrum auxilium emiſiſti. nunc demum intelligo illam Salomonis doctrinam di- Cant. 8.6. centis: *Fortis vt mors dilectio.* Per eam enim ſtimulus mortis conteretur: per eam mortui vitam videbunt: per eam mors mortem experietur, imperio, quod in nos hactenus exercuerat, deinceps ceſſante: per eam & ſerpens malorum principium capietur & ſubmer- Pſal. 97. 2. getur. *Notum nobis Domine feciſti ſalutare tuum*, propaginem nobis pacis exſuſcitans; neque amplius errantes erimus. Manifeſtum nobis Domine reddidiſti, non in finem te ſermos tuos deſpexiſſe; neque opera manuum tuarum, ô bone, oblitum fuiſſe. Miſertus enim miſerabilis noſtræ conditionis, ingenitam tibi at- C que inexhauſtam bonitatem copioſe in nos effudiſti, per vnigenitum, immutabilem, eiuſdemque tecum ſubſtantiæ Filium tuum, redemptionem noſtram operatus: magnitudine tua ac bonitate indignum iudicans, famulorum tuorum ſalutem, beneficiumque hoc tuum, ac reconciliationem eorum qui te offenderant, famulo cuipiam tuo credere ac commendare; ſed per lumen illud eiuſdem tecum ſubſtantiæ Filium tuum, Eſai 9.2. & 42.7. Pſal. 35.10. iis, *qui in tenebris & vmbra mortis ſedebant*, lumen donaſti: vt *in lumine tuo*, cognitionis videant lumen: ac per Dominum, teſtemque omnium conditorem, placitum tibi fuit, nos in immortalitatem reformare; & per eum ipſum, * qui nos ex paradiſo deliciarum exterminauerat, reditum in paradiſum nobis elargiri. ad * Chryſoſt. λογ. εἰς τὰς μεγάλας παραμονάς τῶν ἁγίων. hæc, per eum, qui habet poteſtatem dimittendi peccata, *chirographum contra nos factum deleuiſti*: denique Coloſ. 2.14. per eum, qui tibi perpetuo aſſidet, quique à diuina tua natura diſcedere non poteſt, humanis nobis ad te adeundi fiduciam, amicamque reconciliationem tribuiſti, vt per Dominum, in quem nulli imperium eſt, Deumque verum, & abſolutæ potentiæ, tantorum bonorum velut ſanctio ſubſcripta, miſericordiam iam conſequutis D certaatque indubitata beneficij in nos ſui iura conſtituat. Cuius rei & Propheta iam antea meminerat di- Eſa. 63 9 cens: *Non Legatus, non Angelus; ſed ipſe Dominus ſeruauit eos, propterea quod amaret eos, & parceret ipſis: & ſuſcepit & exaltauit eos.* atque hæc omnia non ex operibus noſtris in iuſtitia, neque quod nos te amauerimus, (primus enim parens ille noſter ex terra genitus, præſtantiſſimiſque paradiſi delicijs atque habitatione dignus habitus, diuinum tamen ac ſalutare vilipendens præceptum, indignus vitali illo loco eſt iudicatus: atque ita omnem ſuam progeniem, ſpinis peccati propaginibus ipſam immiſcens, in ſummam debilitatem præcipitauit) ſed propter te ipſum, ineffabilemque erga figmentum tuum amorem, miſericordiam in nos

E tuam, Domine, corroboraſti; noſtramque abs te ſeparationem dolens, teipſum ſuper noſtra corruptione placans, miſerationum tuarum dono accumulaſti. Vnde nobis Adæ ſoboli feſta deinceps cum plauſu aguntur: quod qui Adamum illum formauerat, ſponte ſua nouus Adam factus eſt; Splendorque Domini Dei noſtri nobiſcum habitauit: vt iam videntes Deum facie ad faciem, conſeruemur. Hanc ob cauſam, ô Domine, vt in pace dimittar, abs te peto quæſoque. Vidi ſalutare tuum; abſoluat ergo nunc literæ incuruo iugo. Vidi Regem ſempiternum, quique ſucceſſore caret; abſoluas ponderoſo hoc ſeruilique collari. Vidi Dominum natura ſua omni dominio ſuperiorem, liberatorem noſtrum; conſequar igitur libertatis meæ ab ipſo decretum. Solue me Domine iugo condemnationis, & ſubde me iugo iuſtificationis. Solue me iugo maledictionis literæque occidentis, & inſere me numero benedictionis, eorum qui in filiorum tuis ſunt adſcripti, beneficio veri eiuſdemque tecum gloriæ, ac potentiæ Filij. Sint porrò, inquit, hæc diuinis in nos muneribus beatiſſimè hactenus celebrandis commemorata. Ad te verò quid Ad Mariam. F dicam, ô mater virgo, & virgo mater? Cuius enim opus non humanum eſt, eius nempe laus quoque hominem excedit. Quamobrem paupertatis hic meæ obſcuritatem donis muneribuſque, quæ in te Spiritus contulit, illuſtrabo: quæque tua ſunt tibi offerens, ex immortalibus pratis ſacrum tuum & à Deo coronatum caput dilaudabo: teque, ô Dauid filia, & Domini ac Dei Dauid mater, patriis ac peculiaribus tibi hymnis prædicabo. Turpe enim fuerit, atque adeò inauſpicatum, alienis te ornamentis exornari, propria gloria præcellentem. Accipe igitur, ô benigniſſima, dona pretioſa, tibique vni conuenientia, ô omnibus generationibus excelſior, omnibuſque viſibilibus atque inuiſibilibus operibus longè præſtantior declarata. Felix radix Ieſſe, & ter beata domus Dauid, in qua tu germinaſti. *Deus in medio tui, & non commouberis. San-* Pſal. 45. 2. *ctificauit enim te tabernaculum ſuum Altiſſimus.* In te quippe fœdera ac Dei iuramenta ad patres noſtros finem Pſal 45.5 G gloriosiſſimum acceperunt: quia ex te natus eſt Dominus Deus ille virtutum nobiſcum. Atque hoc eſt, Exod 3. 2. Exod 3.2. quod rubus ille intactus ab incendio, atque illæſus, tui figuram diuinæ cuiuſpiam maieſtatis plenam iam tum velut delineans, Deum in ſe geſtauit, Prophetæ, quando vt ab ipſo videretur, ei placitum fuit, conſpicuum factum. Dura autem rurſus ac prærupta petra, quod ex te in vniuerſum orbem beneficium refrigera- Exod. 17.6 tioque promanauit, & ipſa diu antè exprimens præfiguranſque, populo ex ſiccis terræ hiatibus in deſerto deficienti copioſum gratuitumque produxit amnium. Quin & Sacerdotis virga non obſcuram ſignificatio- Num. 17.8 nem ſupernaturalis tui partus exhibuit; in fructum Heb 9 4. citra vllam culturam efflorescens, Sacerdotis videlicet perennis arrhabonem. Quid? nonne idem Moyſes ille magnus luculentè declarauit, propter figuras intellectu difficiles, quæ te tangebant, diuinus in monte commoratus, vt ignota de te, ô caſta, ſacramenta edoceretur? ad rei enim huius ſignificationem ſimilitudinemque exprimendam, arcam fabricare iuſſus, non obiter, velutque aliud agens, mandatis obtemperare aggreſſus eſt; quamquam ipſo deſcendente tragica quædam accidiſſent; ſed in quinque atque H dimidium cubitos, arcam illam ſuſceptricem Legis, Cherubim coopertam, te Dei ſuſceptricem apertiſſimè repræſentantem, poſtquam conſtruxiſſet, in medium protulit. te inquam repræſentantem, quæ ſine corruptione conceptiſti; & ineffabiliter eum, qui incorruptionis eſt auctor ac permanentium, peperiſti, idque in fine quinque & dimidij circulorum mundi. Propter te ac intemeratam Dei Verbi ex te incarnationem, ſemper immutabiliter atque indiuisè in ipſo permanentem, vrna illa aurea tamquam typus certiſſimus, manna, quod antea in diem inueniebatur ac immutabatur, in ſe minimè mutatum, ſed in ſecula Heb 9 4

pei-

A permanens conſtituabat. Puritatis etiam tuæ Elias (4. Reg. 2. 11.) Propheta præcicus atque imitator in ſpiritu quum eſſet, vitæ illius * igniferæ ſibi coronam colligauit; in huuc (* Alluſio ad locum Eccl. 48. 4.) vſque diem diuino ſuffragio morte ſuperior declaratus. Te quoque eiuſdem ſucceſſor Eliſæus, à ſapiente magiſtro his factis imitatus, tamquam iam exiſtentem, quæ (4. Reg. 2. 6.) tamen nondum exiſtebas, præfigurans; ſupra naturam figuris quibuſdam, rerum earum, quæ poſtea futuræ eſſent, veris indicibus, auxilium medicinamque indigentibus attulit: nunc per nouam hydriam ſaturare in (Vide Dorotheum in Synopſi de Helia.) ſe ſal continentem, aquas exitiabiles ſanans; ad oſtendendum, mundum per ſacramentum in terram editum (4. Reg. 2. 20.) eſſe recreandum: partim verò ſatiua azyma partus tui, ſatu immunis, typo reſpondente, mortis acerbitatem à cibis profligans: nonnunquam denique virtute (4. Reg. 4. 41.) ſupernaturali res naturales, vt in Iordane, ſuperans; ac per huc ipſum deſcenſionem Domini noſtri ad inferos, (4. Reg. 6. 10. 4. 5.) inopinatamque eorum, qui in corruptione detinebantur, liberationem præſignans. Omnia enim hæc, licet longè inferiora, diuinæ tuæ imagini experimendæ ſubſeruierunt.

B Et quid varijs hiſce figuris adferendis orationis meæ curſum inuoluens implicansque, vlterius me extendo: quum rem ipſam in te confirmatam ante oculos intueamur? in qua velut elucubrari longè vberius commodiusque fuerit. Quare Sanctorum, qui per omnes generationes fuerunt, ſpiritualibus narrationibus factiſque prodigioſis valere iuſſis, ad te gaudij huiuſce meí ſermoniſque velut clauum dirigo, prædicatu digniſſima. Benedicta tu, prorſus benedicta, omnibuſque deſiderabilis. In benedictionibus Domini nomen tuum, diuina gratia pleniſſimum, Dei mater, fidelibuſque tuo lumine prælucens. Tu circumſcriptio, vt ita dicam, eius, qui circumſcribi non poteſt; † radix floris ſpecioſiſſimi; mater Plaſmatoris, ou- (Eſa. 11. 1.) triix altoris; complexio eius, qui cetera complectitur; portans eum, † qui verbo portat omnia; † porta, per (Heb. 1. 3.) quam Deus in carne exoritur; † forcepa carbunculi illius (Ezec. 43. 4.)

C purgatorij; ſinus exiguus immenſi illius ſinus, omnia (Eſa 6. 6.) in ſe concludentis, † vellus imperceptibilis roris; deſi- (Iud. 6. 37.) derij † Dauid in Bethleem ille viuificus lacus, ex quo (2. Reg. 23. 15.) poculum immortalitatis ſcaturiit; † propitiatorium, ex quo Deus bonitatibus in forma humana innotuit; veſtis (Exod. 25. 17.) abſque macula eius, *qui induit lumen ſicut veſtimentum*; (Pſal. 103. 2.) Deo nullius alioqui indigenti, quam ante non habuerat, carnem fœnerans; qua omnipotens ille Deus, quod ipſi decretum fuerat, homo appareret. Quid hoc (Ierem. 23. 24.) ſplendidius? quid hoc ſublimius? qui cœlum terramque implet, cuius ſunt omnes rerum poſſeſſiones, tui indigus efficitur: quippe quum fœneraueris Deo diuinam incarnationem, quam non habebat. Tu armaſti potentem illum decora corporis armatura, per quam oculis noſtris conſpicuus redditur; vtque eum libero deinceps acceſſu mihi intueri liceat, conceditur. qua etiam armatura omnia Maligni ignita tela extinguen- (Epheſ. 6. 16.) tur. Euge, euge mater Dei atque ancilla: euge, euge, quæ tibi obnoxium habes illum omnium fœneratorem. Omnes namque Deo debitores quum ſimus, tibi ipſe eſt debitor. Qui enim dixit; *Honora patrem* (Exod. 20. 12.) *tuum & matrem*; longè præ cæteris in hoc ipſo probari

D volens gratiam habebit; præceptumque ipſe ſuum erga eam, quæ ipſi ſpontaneam ex ſe generationem ſubminiſtrauit, conſeruabit: glorificabitque diuino quodam decore, quam ſibi ille patris expers matrem abſque viri interuentu adſcripſit. Erunt hæc ita, erunt, inquam, ita. neque enim ad inutilem tantùm verborum ornatum ſeruinos hymnus, qui à nobis tibi offeruntur, ſanctiſſimum admirabiliſſimumque Dei habitaculum: neque rurſus mundanæ cuiuſpiam nugacitatis, fallacique oblectationis eructamenta, ſpiritalis hæc de te laudatio eſt, ò Deo approbata, Deumque mortalibus generationis principium tribuentem, viſceribus tuis ſubiectum habens; ſed certiſſimæ cuiuſdam manifeſtæque veritatis. Deficiet enim nos, quæque poſt nos futuræ ſunt generationes, tempus, ſi tibi matri Regis ſæculorum, dignam tuæ beatitudinis prædicationem tribuere nitamur: et celebrrimus quodam loco Propheta ait, quàm prorſus

E incomprehenſibilis ſis, noſe tendens: *Quam magna*, inquit, *domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! magnum, &* (Baruch. 3. 24.) *non habet finem, ſublimis atque immenſus*. Certè enim, certè inquam, propheticum oraculum, mendacijque expers ſermo de magnificatione tui accipiendus eſt: propterea quod ſola ſimul cum Deo, eorum quæ Dei ſunt, partem habere digna fuiſti; ſola Deum generans carne indutum, ex Deo Patre vnigenè ac ſempiternè generatum; vt veraciter ſentiunt qui fidem ſinceram amplectuntur. Ceterum quod reliquum eſt, diſcendi ſtudioſa concio, ſenem iuſtum Dei ſuſceptorem, piumque Doctorem, huc ſalubriter ex virginalium laudum pelago adnauigantem ſuſcipiamus: ac requieſcere faciamus deſiderio illo ſuo diuino iam exſaturatum, opulentiſſimamque hanc de rebus diuinis doctrinam nobis ſuppeditantem; & ad ea, quæ reſtant huiuſce ſermonis, progrediamur; ſine errore ad præſtitutum nobis ſcopum, Dei optimi ductu, curſum dirigentes, ne prorſus ad ea, quæ nobis ex officio incumbunt, velut infructiferi inutileſque reperiamur.

F Ad ſacra igitur hæc piè caſteque perficienda, Sacerdotium & Prophetia aduncata fuere; glorioſoque Virginis throno biga hæc à Deo excitorum iuſtorum Symeonis & Annæ adſtitit: qui duo duorum populorum apertiſſimas imagines in ſe geſtauerunt. Nam (Symeon & Anna, typus duorum populorum.) & ſenex populum Iſraeliticum Legemque iam velut effœtam; vidua autem ex Gentibus Eccleſiam, quæ externus vidua fuerat, præ ſe ferebant. & ille quidem, tamquam ſub Legis perſona loquens, dimiſſionem quæſiuit: hæc autem, Eccleſiæ perſonam induta, confeſſionem contra adferebat, expectantibuſque liberationem in Ieruſalem, ea quæ de Chriſto erant, edicebat: ſicut bene atque appoſitè ac valde egregiè, & feſto huic imprimis conuenientia ab vtroque dicta, conſcripta ſunt. Oportebat enim, ac planè neceſſarium erat, ſenem quidem, qui Legis decretum præceptumque ſciebat, quod ait: *Ipſum audite: & omnis anima, quæ ipſum non audierit,* (Deut. 18. 15.)

G *ex populo exterminabitur*: pacificam à legali illa inſtitutione dimiſſionem efflagitare. Iniuria enim eſt, atque temeritas, Rege præſente ac verba publicè faciente, ſatellitem aliquem contra obloqui; huicque potius, quam illi, ſubditos aures accommodare. Oportebat etiam viduam, ea, quæ rationem omnem excedebant, iam conſequutam, Deo pro tanto beneficio lætè gratias reddere: vtpote quum Legi conſona eſſent, quæ ita gerebantur. Ceterum, quum Propheticæ figuræ, quæ præceſſerant, ad eximias hasce feſtorum celebritates rationem haud dubiè relationemque habuerint, vt dictum eſt, quomodo domus fumo impleta fuiſſe refertur; idque non leuiter, ac velut perfunctoriè, ſed valde ſignificanter, à voce ter Sanctus ingeminate, vt qua, Propheta ait, clamabant cœleſtium myſtæ, neceſſario nunc nobis inquirendum: ſi reperias igitur, ſtudioſe auditor, quod hiſtoriæ adiungitur, cauſam nimirum huiuſce rei inuenies. *Audietis* enim, inquit, *au-* (Eſa 6. 9. Act. 28. 26.) *ditu, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis.* Poſtquam enim velani Iudæorum filij prodigia glorioſa, *quæ Deus ponebat ſuper terram*, ſicut Dauid cecinerat, (Pſal. 45. 9.) conſpexiſſent; vidiſſent etiam ſignum ex profundo atque ex ſublimi ſimul concurrens inconfuſum prorſus

H atque indiuiſum, quemadmodum etiam Eſaias prædixerat; nempe matrem ſupra naturam, & fœtum ſupra (Eſa. 7. 11.) omnem rationem; matrem terreſtrem, & filium cœleſtem; nouam inquam Dei humanitatem, puerperiumque nuptiarum expers (quibus quid fieri poſſit glorioſius? quid erga creaturam præſtantius?) Hæc inquam illi quum vidiſſent, perinde ac ſi non vidiſſent, ſe gerebant, eleuantes omnia, ac velut obſtinantes ad debitam illis laudem tribuendam. ac propterea impleta eſt domus exultationis eorum fumo. Actutum quum audiuiſſent atque etiam vidiſſent rem, quàm quæ videri ſoleat, ſuperiorem, Senem iuſtiſſimum, virum fide digniſſimum, virum meritò ſuſpiciendum, ubi id quo ferebatur hic ſtudio; virum S. Spiritu incitatum, virum Legis doctorem, Sacerdotio honoratum, prophetia refulgentem, . . e,

A quam de Chriſto conceperat, vitæ lumi es exſcindentem, mortiſque debitum diſſcientem: talem inquam quum vidiſſent exſilientem, beneuminantem, præ animi lætitiam aliam formam tranſmutatum, tutum præclara quadam mentis commotione extra ſe ad Deum elatum, pulcraque conuerſione in Angelum quempiam tranſlatum, præque immenſitate gaudij, ob tantum beneficium, gratias decantantem, *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael* annunciantem; & tamen ne ſic quidem animum inducerent, vt audita, quæque ipſis ſuperis veneratiui erant, auſcultarent: propterea impleta eſt domus exultationis eorum fumo. Fumus autem iræ ſignum atque argumentum; ſicut ſcriptum eſt. *Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exardeſcet.* & alibi: *Ingens incredibilis exardeſcet ignis.* Quod etiam ſignificans Dominus in venerandis Euangelijs, dicebat Iudæis: *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta.* Præterea: *mittens exercitus ſuos Rex, perdidit homicidas iſtos, & ciuitatem eorum ſuccendit igni.* Atque huiuſmodi quidem ſunt Iudaicæ infidelitatis, qua gloriam Trinitati debitam deferre recuſant, aduerſiſſima

Luc. 2. 32

Fumus.

Pſal. 17. 9.

Eccl. 16. 7.

Matth. 23. 38.

Matth. 22. 7.

B præmia. Poſtquam enim ſanctificati ſunt termini terræ; & gloria Domini plena reddita fuit, maxima Eccleſiæ domus è ter-ſancto præconio, tamquam aqua multa cooperiens maria: euenerunt quidem ipſis, quæ antea fuerant prænunciata; prophetiæ autem principium aniè ſignificatæ ipſo rerum euentu, vt diximus, eſt confirmatum: veritatis præcone per ſpiritum, velut digito, teterrimam, quæ ipſis futura erat, ſubuerſionem demonſtrante, vbi ait: *Anno quo mortuus eſt Ozias Rex, vidi Dominum.* Ozias quippe apoſtata velut in exemplar totius apoſtatici corporis, & tamquam pro capite eius accipitur. qui etiam pœnam debitam ſuæ temeritatis luens, in fronte, tamquam in ænea quapiam ſtatua, inſculptam diuinæ vltionis potentiam, lepræque fœditate fœdiſſimæ impietatis retributionem omnibus oſtendit. Sapienter autem ac planè diuinitus ille eorum, quæ iam perfecta ſunt, præſcius, ingratæ ſynagogæ electioni, gratæ illius viduæ Annæ inductionem oppoſuit. cuius etiam nomen Eccleſiam nunc in baptiſmo ſecundum Chriſti Dei gratiam iuſtificatam ſignificat. Anna enim gratiam ſonat. Ceterùm hic nauem noſtri ſermonis, crucis ſignaculo inſignitam, tamquam in portum appellentes, vt modus iam ratioque eius poſtulat, velis contractis quieſcere ſinamus, tantum pauculis verbis lætitiæ, vt par eſt, indicibus, ciuitatem magni illius Regis, ſimul cum Eccleſiaſtico populo, cumque præſtantiſſimis Patribus ac fratribus illic degentibus, tamquam ſpiritu animoque præſentes, vna cum ipſis celebremus ſalutemuſque. Salue ciuitas magni Regis, in qua ſalutis noſtræ perfecta fuere myſteria. Salue terreſtre quoddam cælum Sion, *ciuitas* deinceps *fidelis* Domino. Salue atque *illuminare Ieruſalem: venit enim lumen tuum;* lumen ſempiternum; lumen numquam non duraturum; lumen ſupremum; lumen immateriale; lumen eiuſdem enim Deo & Patre eſſentiæ; lumen quod eſt in Spiritu, & in quo eſt Pater; lumen illuminans ſæcula; lumen illuſtrans ea, quæ ſupra mundum & in mundo ſunt, Chriſtus verus Deus noſter. Salue ciuitas ſancta, atque electa Domino: age in lætitia dies feſtos tuos, qui non ſinunt te veteraſcere. Salue ciuitas feliciſſima. *Quam glorioſa dicta ſunt de te!* *Sacerdotes* enim *tui induentur iuſtitiam, & Sancti tui exultatione exultabunt*, & mendici † ſaturabuntur panibus. Salue & lætare Ieruſalem: quoniam regnauit Dominus in medio tui; Dominus inquam ille, qui nuda atque immateriali diuinitate naturam noſtram ingreſſus, ex virginali vtero ineffabiliter carnem induit: ille Dominus, qui ex nullius præterea rei communicatione homo factus eſt, quàm ex miſtura illa Adami, à ſerpente ſupplantati. Neque enim Angelos apprehendens Dominus, eos inquam Angelos, qui celeberrimum ordinem ſtatumque ipſis ab initio adſignatum numinè deſeruerant, ſuam ad nos vſque deuiſionem obiuit ille ſemper in Deo Patre exiſtens Deus Verbum: neque rurſus eos, qui luce deciderant, ſceleratos dæmones reſtaurans (aut etiam, † ſecundum quoſdam impiiſſimos teterrimi diaboli patronos, reſtauraturus aliquando) in mundum venit: ſed ſemen Abrahæ apprehendens, iuxta diuiniſſimum † Paulum, ac per id etiam vniuerſum genus humanum, homo incommutabiliter factus eſt, fabricator & plaſtes vniuerſorum: vt ex ipſius nobiſcum communicatione, noſtraque viciſſim ad ipſum acceſſione, peccatum, quod in nos intrauerat, tolleretur, penè diſſolutum conſumptumque, ceræ inſtar, à diuino illo igne, † quem veniens Seruator miſit in terram noſtram. Salue porro & tu Eccleſia Catholica, quæ in toto es terrarum orbe, & vna nobiſcum exulta. *Ne timeas grex puſille* maximas inimici tempeſtates: *quia complacuit Patri dare tibi regnum;* & te ſuper collum hoſtium tuorum ambulare. Salue & lætare quondam ſterilis & abſque liberis ad pietatem; nunc vero multos fidei liberos habens. Salue tu quoque Dei popule; *popule accepte, regale ſacerdotium, gens ſancta, popule in acquiſitionem.* enuncia virtutes eius, qui te vocauit ex tenebris in admirabile ſuum lumen: ſuper miſericordia autem ſua glorifica eum. Salue in æternum indeſinens noſtra lætitia, Dei genitrix virgo: ad te enim rurſus accurrimus. Tu feſti noſtri principium, tu medium, tu finis, pretioſiſſima regni margarita: tu verè omnis ſacrificij pinguedo, tu animatum panis iſtius vitæ altare. Salue amoris Dei Patris theſaure; ſalue Filij erga genus humanum fons propenſionis; ſalue ſancti Spiritus mons inumbrate. Fulguraſti, o genitrix, ſuauia nobis dona producens; fulguraſti luminis ſolaris ardentiſſimis facibus, feruentiſſimæ nempe dilectionis æſtu; quod ante principium conceptum fuerat, in fine pariens: palam faciens occultatum eatenus ſacramentum; ineffabilem inuiſibilis Patris Filium, pacis ſequeſtrum, & admirabili quodam modo omni breuitate minorem factum. Propterea te deprecamur præſtantiſſimam omnium, matriſque honore libere gloriantem, memoriam indeſinentem noſtri retine, ſanctiſſima Dei genitrix; noſtri, inquam, qui in te ornamur; hymniſque diuinis memoriam tui nullo tempore deſituram, ſed perpetuò victuram, celebramus. Tu etiam ſenex honoratiſſime Symeon, piæ noſtræ religionis primè ſuſceptor, reſurrectioniſque fidelium enarrator, intercede pro nobis apud Deum & Seruatorem, quem vlnis tuis excipere dignus fuiſti. Concinimus enim vna tecum & nos Chriſto, vitæ ac mortis poteſtatem habenti, dicentes: Tu lumen es verum, ex lumine vero; Deus verus, ex Deo vero: vnus Dominus, ante humanitatem aſſumptam, & poſt eam, omni prædicatione proſequendam, idem Dominus: ex te ipſo, & non ſecundum gratiam Deus; propter nos autem etiam perfectus homo: ex te ipſo quidem omnium Rex, ſuperiorem te Regem non agnoſcens, propter nos verò & propter noſtram ſalutem etiam in ſerui forma, immaculatè tamen atque impollutè exiſtens, quum enim ipſa ſis incorruptibilitas, veniſti ſoluere corruptionem; vt incorrupta omnia redderes. Quoniam tua eſt gloria, & poteſtas, magnificentia, & maieſtas, cum Patre & ſancto Spiritu, in ſecula ſeculorum. Amen.

Eſa. 6. 1.

Ozias.

2 Paralip. 26. 19.

C

Anna.

Pſal. 47. 1.

Eſa. 1. 26.

Eſa. 60. 1.

D

Pſal. 86. 3

Pſal. 131. 16

Ibid. 15.

Eſa. 12. 6

E

† Origenistas notat, qui diaboli condemnationem ſoluunt.

Heb. 2. 16

Luc. 12. 49

Luc. 12. 32.

Eſa. 54. 1

F

1. Pet. 2. 9.

G

H

METHODII PATARENSIS

EPISCOPI ET MARTYRIS, DE REBVS QVAE AB INITIO MVNDI CONtigerunt, quæque deinceps contingere debent, Reuelationes, per Paraphraſin translatæ, incerto authore.

De præuaricatione Angelicæ naturæ, & illius de cœlo deiectione.

HOMO *cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis.* Pſal. 48. cum autem Lucifer inter omnes Angelos eſſet excelſior à Deo creatus, ac ſpecioſiſſimus, vt de eo ſcribitur Ezechielis 28. *Omne lignum paradiſi non eſt aſſimilatum pulchritudini eius, quoniam ſpecioſum eum fecit:* etiam inter ſtantes Angelos non fuit ei dignior. Eminentiã ſuæ naturæ & profunditatem ſuæ ſcientiæ perpendens, in ſuũ creatorem ſuperbiuit in tantum, quòd Deo voluit ſe æquare, vt patet ſecundo ſententiarum diſtin. 6. dixit enim in corde ſuo illud Eſaiæ 9. *Aſcendam in cœlum.* Vbi magiſter in ſupradicto ſententiarum libro præfato: cœlum vocat æqualitatem diuinam: Deo enim ſe parificare volebat in illa parua morula, in qua creatus fuit, vna cum alijs angelicis creaturis. mox ergo vt creati fuerunt Angeli, quidam Deo adhæſerunt per charitatem, quidam vero cum Lucifero, Deo reſtiterunt per ſuperbiæ prauitatem: & ſic inter vtroſque, hoc eſt, inter rationales Dei creaturas & ſubſtantias primum bellum factum eſt in cœlo. Vnde ſcribitur in Apoc. 12. cap. *Factum eſt prælium magnum in cœlo: Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius, & non præualuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo.* Et ſequitur: *Et proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt in abyſſum.*

De iniqua Serpentis perſuaſione, & primorum parentum tranſgreſſione.

VIdens autem Diabolus, ſe expulſum è cœlo, in magna tamen poteſtate relictum, cogitauit quomodo poſſet diſplicere Deo, & in omnibus ſibi contrariari, & quia vidit primum hominem, Adam ſcilicet cum ſua vxore in terreſtri paradiſo collocatum, ſcilicet in loco voluptatis, innocentia decoratum, ac omnium beſtiarum, volantium & piſcium dominium, nec non poſſeſſurum in cœlo ſedes, quas ipſe cum ſibi adhærentibus per ſuperbiam amiſerat, doluit vehementer: & inuidens eius fælicitati, propoſuit ipſum debellare & totaliter interficere, cognoſcens quod ex putrida radice, non poſſunt niſi poma vermiculoſa generari. Mouit primum bellum ſuper terram cum primo homine per medium mulieris, & licet miſer homo eſſet fortior dæmone per innocentiam, proiectis tamen armis innocentiæ ſuæ, vt mulieri complaceret, relicto Deo, & tradito paradiſi caſtro ſibi commiſſo, inimico Dei, vt puta diabolo, negata obedientia regi ſupremo, videlicet Deo, libere ſe tradidit, proditor factus in manibus diaboli. Et ſic habita victoria de homine primo, Indignatus Deus propter proditionem. & quia ſic armis innocentiæ proiectis captiuum ſe fecerat cum poſteritate ſua, Deus eiecit ipſum de terreſtri paradiſo, vt patet Geneſis 3. & miſit eum in exilium, locum beſtiarum & lachrymarum vallem. Quare Sanctus Dauid memorans exilium primi protoplaſti noſtri, prorupit in verba thematis: *Homo cum in honore eſſet*, loco & capitulo vbi ſupra &c.

De primorum parentum præuaricatione & ex paradiſo expulſione.

SCiendum namque eſt, exeuntes Adam & Euam de Paradiſo virgines fuiſſe. Anno autem triceſimo expulſionis eorum de Paradiſo, genuerunt Cain primogenitum & ſororem eius Chalmanan, & poſt triceſimum alium Annum, pepererunt Abel & ſororem eius Debboram. Anno autem triceſimo centeſimo vitæ Adæ occidit Cain fratrem ſuum Abel, & fecerunt planctum ſuper eum Adam quoque & Eua annis centum. Ducenteſimo autem triceſimo anno, primi millenarij, quod eſt primum ſeculum natus eſt Seth vir gygas in ſimilitudine Adæ. Quingenteſimo vero Anno in eadem prima Chiliade, filij Cain abutebantur vxoribus fratrum ſuorum in fornicationibus nimijs. Sexcenteſimo autem Anno ipſius millenarij, viri magno ſtupro amoris & fornicationis & ſtolorum mulieres collapſæ ſunt, vel diffuſæ, & in veſaniam verſæ ſunt: nam ſuis viris tanquam pecudes mulieres ſupergreſſæ vtebantur, & facti ſunt homines in vita ſua ſcitæ, vt clarius dicam inuerecundi apparentes omnino, & in fornicatione omnibus confuſio magna. Octogeſimo vero anno vitæ Adæ, dilatatum eſt ſuper terram fornicationis inquinamentum à filijs fratricidæ Cain. Mortuus eſt autem Adam nongenteſimo & triceſimo vitæ ſuæ in primo millenario, & tunc diſtinctæ ſunt generationes ab inuicem: vt puta generatio Seth à cognatione Cain, & abſtulit Seth ſuam cognationem ſuorum in quendam montem qui erat proximus Paradiſo. Porrò Cain & huius cognatio in campo habitabant, in quo & nefandum fratris homicidium perpetrauit. Quadringenteſimo autem anno temporibus Iareth, pertranſijt primus millenarius ſeu prima generatio.

Quo tempore inceperint malarum artium inuentiones & exercitia.

ANno autem trecenteſimo quadrageſimo Iareth, ſecundi millenarij, ſurrexerunt viri malæ artis inuentores, iniqui, & omni nequitia pleni, ex filijs Cain; vt Iobeth, Tholocel filij Lamech, qui fuit cæcus, qui & Cain interfecit: quos dominatus diabolus conuertit eos poſtea in omnem Magicam artem, & omnem ſpeciem Muſicam componendi. Anno autem quingenteſimo ſecundi millenarij adhuc etiam exarſerunt in nefandam fornicationem omnes homines in Caſtris Cain: peioreſque ſunt facti priori generatione, qui & more animalium in alterutrum conuenientes, inſurgebant: quidam in virilem ſexum, & mulieres in muliebrem peruenientes na-

A tutam, & ſimiliter eiſdem turpiſſimis & inceſtis actibus, hi qui erant de cognatione Cain vtebantur. Septuageſimo autem anno temporis Iareth, ſcilicet vitæ ſuæ, id eſt in ſecunda Chiliade, appoſuit malignus & infeſtus diabolus, bellum fornicationis adiungere filijs Seth, vt concupiſcerent filias Cain, & perfuſi apparuerunt Gygantes ſuper terram de Seth, qui precati in foueam lapſi, atrociſſimi facti ſunt.

Gigantes.

Quomodo Deus propter peccata hominum, inundationem vniuerſalem, & diluuium immiſerit, & omnia animantia perêmerit.

ETiratus Dominus Deus, in expletione ſecundi milleſenarij, factum eſt diluuium aquarum. Et omnis creatura prima deleta eſt vel abſorpta, & deperijt generatio primi hominis figmenti. Et ſexcenteſimo duodecimo anno à principio vitæ Adæ, iam trium millium annorum, poſtquam exiuit Noe de arca, ædificauerunt filij Noe nouam poſſeſſionem in exteriora terræ, & appellauerunt nomen regionis illius Tamna, ſecundum nuncupationem filiorum Noe, & numerum illorum qui exierunt de arca.

Gen. 8

B

Quomodo poſt diluuium homines, turrim Babylonis contra Deum ædificare conati fuerint.

CEnteſimo autem nono de tertia Chiliade, natus eſt filius quartus Noe, ſecundum ipſius ſimilitudinē, & vocauit nomen eius Ionithum. Treceneſimo verò anno de tempore trium millium annorum, dedit Noe donationes filio ſuo Ionitho, & dimiſit eum in terram Etham. Et poſt obitum Noe, ſexceneſimo & nonageſimo anno, in eiſdem trium millium annorum aſcenderunt filij Noe de terra Orientali Etham, & ædificauerunt ſibi turrim in terra ſeu campo Sennaar, & ibi facta eſt diuiſio linguarum, & ea hoc diſperſi ſunt homines ſuper faciem terræ totius. Ionithus autem filius Noe, tenuit introitum in Ethā vſq; ad mare, quod vocatur Elhochora, id eſt, Regio ſolis, in quo ſolis ortus fit, & habitauit ibidē. Hic Ionithus accepit à Deo donum ſapientiæ ad omnes artes, qui non ſolum literarum & aliquarum artium, verum etiam omnis aſtronomiæ primus fuit inuentor. Ad hunc deſcendens Nemroth, qui erat vir Gygas, & in multis eruditus à Deo, accepit à Ionitho conſilium, in quibus influentijs aſtrorum incipiendum eſſet ei regnare ſuper terram. Hic autem Nemroth natus fuit ex filijs Chus, cui erat pater Cham, & ipſe primus regnauit ſuper terrā. Septuageſimo verò Anno & nonageſimo tertiæ Chiliadis, in quo agebatur nonus annus, de iam dicta Chiliade, ædificata eſt Babylon magna, & regnauit in ea Nemroth. Et poſt hæc fecerunt ſibi filij Cham, regem ex ipſis, cui nomen Pontipius. Et ſeptuageſimo & nonageſimo temporis trium millium annorum anno tertio regni Nemroth, miſerunt viros potentes, ex filijs Iaphet, nimis ſapientes & artifices in arte tectoria conſtructores, & deſcenderunt in terram Etham ad Ionithum filium Noe, & ædificauerunt ei ciuitatem, iuxta nominis illius nuncupationem, & pax multa erat in terra Ionithi & Nemroth, vſque in præſentem diem. Regnum autem Nemroth & filij Sem, & Pontipij filij Cham & Iaphet, contra ſe inuicem rebellabat. Scripſit autem Ionithus Epiſtolam ad Nemroth ita dicens: Quia regnum filiorum Iaphet ipſum incipiet delere regnum Cham. Hæc autem regna primum apparuerunt in terra, & poſt hæc didicerunt omnes gentes conſtituere ſibi regnum. Poſt regnum Nemroth, expleta tertia Chiliade annorum.

Geneſ. 11.

C

Nemroth

D

De bello inter Coſdron Nemrothiten, contra filios Cham, & deſtructione regni Cham.

E

ANno igitur octauo quarta Chiliade, ſemper pugnabant ad inuicem vtrorumque regna. Et deuictum eſt regnum Aegyptiorum à regno Nemroth, & obtinuit potentiam Babylonis in ſemine Nemroth, vſque ad Cuſuniſdert: hic accepit ſibi vxorem de filijs Cham. Defuncto autem Cuſuniſde, Nemroth ſumpſit aliam nomine Eledem, huius neptis ſuam materteram in vxorem, hæc genuit Eliſdem, Eliſdem verò genuit Coſdron. Iſte congregauit ſibi virtutes multas, & ſurrexit aduerſum Cham, & captiuauit & concremauit omnes regiones quæ erant occidentales. In ſecundo autem anno regni Coſdri filij Eliſdem, congregati ſunt filij Cham, & deſcenderunt in terram Etham, vt præliarent cum rege Coſdro. Fuerunt autem trecenta & viginti millia peditum, baculos ſolummodo in manibus continentes: audiens autem de eis Coſdrum, ſubriſit & dimiſit eos vſque dum tranſierunt flumen Tygrim, illuc mittens contra eum exercitum ſuum ſuper Elephantes aſcendentes, omnes eos interfecit, & non eſt relictus ex eis quiſquam: & amplius non appoſuerunt filij Cham, vt pugnarent cum eis, & ex tunc amaricata ſunt regna contra inuicem. Et in fine quatuor millium annorum, ſiue in viceſimo quinto anno de ſupra dicta Chiliade, deſcendit Santiſabus in Etham, qui fuit de cognatione Ionithi filij Noe, & depopulatus eſt ab Eufrate fluuio, vſque ad Edorſan flumen ſexaginta octo ciuitates ac regiones eorum, & pertranſiuit in tribus regnis Indorum, & incendit & deſolauit omnino, & exiuit in deſertum Saba, & concidit caſtra filiorum Iſmael, filij Agar Aegyptiæ ancillæ Saræ vxoris Abrahæ, & expulſi ſunt & fugerunt omnes in ſolitudinem, qui erant de tribu Agar.

F

Quomodo Iſmaelitæ enutriti in montibus, innumerabili multitudine egreſſi de nemoribus, dominati ſunt ſuper regna gentium in terra promiſſionis.

G

CVm autem in prædicta eremo in generationibus ſuis multiplicati fuerunt, innumerabili maximaque multitudine annis ducentis & ſeptuaginta, ex Domini Dei permiſſione, filij Iſmael exierunt Arabicum deſertum, & introierunt terram habitabilem, & pugnauerunt cum regibus gentium, & captiuauerunt homines, & dominati ſunt ſuper regna gentium, qui erant in terra promiſſionis, & repleta eſt ex ipſis & de caſtris eorum. Erant autem quaſi locuſtæ, & incedebant nudo corpore, & edebant carnes camelorū compoſitas in vtribus, & bibebant ſanguinem iumentorum lacte mixto. Cumque igitur obtinuiſſent filij Iſmael vniuerſam terram, & deſolaſſent vrbes & regiones earum, & dominati eſſent in omnibus inſulis, tunc illo quoque tempore, conſtruxerunt ſibi nauigia, & in modum volucrum, his ventibus, aduolabant ſuper aquas maris. Aſcenderunt igitur, & in regionibus occidentalibus, vſque ad magnam Romam, & Illyricū & Aegyptum & Theſſalonicam & Sardiniæ magnæ, quæ eſt trans illam Romam, & dominati ſunt terræ in annis ſexaginta, & fecerunt in ea quæcunque voluerunt.

H

Quomodo Gedeon fortiſſimus pugnator, liberauerit filios Iſrael de ſeruitute Iſmaelitarum.

POſt verò hebdomadas ſeptem & dimidiam, illorum potentiæ, per quam obtinuerunt vniuerſum regnum gentium, ſuperexaltatum eſt cor eorum, dum ſe viderunt obtinuiſſe & damnaſſe omnia. In tempore autem illo facti ſunt eis Tyranni; principes militiæ quatuor, qui fuerunt filij Humeæ, qui ab eis ſic

A vocabantur, quorum nomina ſunt hæc: Oreb, & Zeb, Zebeæ & Salmana, hi pugnauerunt cum Iſraeliticis. Et quemadmodum fecit eis Deus redemptionem de manibus Aegyptiorum per Moyſen famulum ſuum, eodem vero modo, & tunc illo tempore, operatus eſt cum eis miſericordiam, & redemit eos ab illis per Gedeon, & liberatus eſt Iſrael de ſeruitute filiorum Iſmael. Hic enim Gedeon deſtruxit caſtra eorum, perſequens eiecit eos de terra habitabili in ſolitudinem & deſertum ea quo prodierant, & illi qui relicti ſunt, dederunt fœdera pacis filijs Iſrael, & ceciderunt in deſertum exteriorem nouem tribus.

Quomodo filij Iſmael exibunt de deſerto, & obtinebunt totam urbem.

FVturi ſunt autem, vt exeant ſemel, & deuaſtent terram, & obtineant orbem terræ & regiones in introitu pacis à terra Aegypti, vſque ad Aethiopiam, & à flumine Eufrate, vſque ad Indiam, & à Tygrim vſque ad introitum B Naboth regni Ionithi filij Noe, & ab Aquilone vſque ad Romam & Illyricum, Aegyptum & Theſſalonicam & Albaniam & vſque ad mare Ponticum. & in duplum erit iugum illorum, ſuper colla vniuerſarum gentium, & non erit gens aut regnum ſub cœlo, quod poſſit cum eis in prælio, confligendo ſuperare eos vſque ad numerum temporis octo Septimanarum annorum.

Quomodo regnum Romanorum & Chriſtianorum ſupprimet Iſmaelitas, hoc eſt Tartas.

ET poſt hæc deuincentur à regno cœleſti & Romanorum, quod eſt Chriſtianorum & ſubijcientur ei, etenim hoc regnum magnificabitur ſuper omnia regna gentium totius mundi, & nequaquam delebitur ab vllo in æternum. Habet enim arma incapugnabilia contra omnes aduerſarios ſuos, hoc ergo regnum deſiderate, à circumgyrantium temporum regnantium regnorum, & hæc eſt C veritas rerum, quæ ſe ipſa clarius oſtendet, abſque vllo errore caliginis vel aliqua ſeductione, à Nemroth enim qui fuit Gygas & primus fundator Babyloniæ, & à Meradach Rege eiuſdem, vſque ad Baltaſar filium Nabuchodonoſor, qui & N. thet nuncupatus, ſuper omnia regna gentium obtinuit regnum Babylonis primatum, quoniam primum regnum ſuper terram. Et tempore Meradach regis Babyloniæ, regnum Aſſyriorum in Aſſadaron Senacherim filium ſucceſſit, quoniam accepit Senacherim vxorem Gecnae, filiam Theglatphalaſar Regis Aſſyriorum, quæ peperit ei Ardemelech & Haralar, & hi interfecerunt patrem ſuum, & fugerunt in terram Ararat, & vnus eorum regnauit illic cui nomen Aſſadaron, etiam illius eiuſdem Babylone pro patre ſuo Senacherib, cum Nabuchodonoſor, qui erat ex parte Lacedæmonio & matre regina Saba. Cumque Aſſadaron egreſſus fuiſſet ad pugnandum cum Rege Indiæ, & vſque Saba, & deſolaſſet quam plurimas regiones, egreſſus eſt cum eo Nabuchodonoſor. Illo videlicet educente ſecum, conſtituit eum principem militiæ ſuæ, & propter ſapientiam quæ in illo erat, datum eſt ei regnum Babyloniæ, & ſum- D pſit ſibi vxorem de Medis nomine Eruldam, & poſt obitum Nabuchodonoſor & Baltaſar filij eius, regnauit Darius Medus, habens iam annos ſexaginta duos. Darius autem duxit vxorem Choran nomine, Perſam genere, de qua natus eſt Choris Perſa. Audi igitur quomodo commixti ſunt hi reges ſibi inuicem, ſiquidem Babyloni Medis, & Medi Perſis, & obtinuit & potentius factum eſt regnum Babylonis quàm Aethiopiæ & Saba & omnia regna gentium, à mare vſque ad Eufratem flumen. Adhuc autem & Dauidicum regnum, & Arabum & Aegyptiorum per Nabuchodonoſor deuictum eſt. Darius ergo Medus ſupergreſſus regnum Chaldæorum ſeu Babyloniæ dominatus eſt regioni Medorum, cum hoc & Aethiopum. Choris autem Perſa qui & Cyrus & Spartaeus dictus: obtinuit Thraces & redeunt filios Iſrael de captiuitate ipſorum, & E remiſit eos omnes in terram promiſſionis, & Hieruſalem, cum multis mulieribus & vaſis aureis & argenteis, reddés eis quæ detulerat inde Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum, præcipienſque eis reædificare Templum Dei, quod deſtructum erat ab eodem Nabuchodonoſor, Cyruſque remiſit omnes ad redeundum in Iudæam, & propter hoc factum eſt ſecundum imperium Choris regis Perſarum.

Quomodo quatuor Monarchia Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum commanſta fuerunt.

AVdi igitur nunc certiſſime, quomodo hæc quatuor regna conuenerunt in ſimul. Aethiopes enim Macedonis, & Romani Græcis. Hi ſunt quatuor venti commouentes mare magnum. Philippus namque pater Alexandri Magni, cum eſſet Macedo accepit in coniugem Chuſet filiam Regis Aethiopiæ nomine Phool, de qua natus eſt Alexander Græcorum tyrannus. Hic magnam condidit Alexandriam Aegypti, & regnauit in ea annis duodecim. Iſte deſcendens in Etham occidit Darium F regem Perſarum, & dominatus eſt multarum regionum & ciuitatum, & demulcauit terram & deſcendit vſque ad mare quod vocatur Regio ſolis, vbi conſpexit gentes immundas & aſpectu horribiles. Sunt autem ea filijs Iaphet nepotes, quorum immundiciem videns exhorruit: comedebant enim hi omnem canticorum ſpeciem, omne coinquinabile, id eſt, canes, muſcas, ſerpentes, morticinorum carnes, abortiua, inſtimabilia corpora & ea quæ in aluo nondum per lineamenta coagulata ſunt, vel ea aliqua parte membrorú producta. Compago formam figmenti poſſit perficere, formam vel figuram captiuere iumentorum, necnon etiam & omnem ſpeciem ferarum immundarum, mortuos autem nequaquam ſepeliunt, ſed ſæpe comedunt illos.

Quomodo Alexander Magnus, Gog & Magog propter eorum turpitudinem in Caſpijs montibus incluſerit.

G HÆc verò vniuerſa contemplatus Alexander Magnus, ab eis immunditer & ſceleriter fieri, timens; ne quando exilientes in terram ſanctam, & illam contaminent à pollutionibus & iniquiſſimis affectionibus, deprecatus eſt Dominum Deum, vt coniungeret montes, & præcipiens congregauit eos, omneſque mulieres eorum & filios & omnia ſcilicet caſtra eorum, & eduxit eos de terra Orientali, & concluſit, minans eos donec introiſſent in finibus aquilonis, & non eſt introitus nec exitus ab oriente vſque in occidentem, per quem aliquis poſſit ad eos tranſire vel ipſi exire. Continuo ergo ſupplicatus eſt Dominum Deum Alexander, & exaudiuit eius obſecrationes, & præcepit Dominus Deus duobus montibus quibus eſt vocabulum, Vbera aquilonis, & adiuncti proximauerunt ad inuicem vſque ad duodecim cubitos, & conſtruxit portas æreas inter illas, & ſuperinduxit eas Aſſurim, vt ſi voluerint eas pateſacere cum ferro, vt nó poſſint aut diſſoluere per ignem, nec valeant vtrunque, ſed ſtatim ignis omnis extinguitur. Talis eſt enim natura Aſ- H ſurim, quia neque ignis ſuſcipit reſolutionem. Vniuerſas enim adinuentiones dæmonum, & calliditates mortiferas, & ſuper has cuas operantur hæ obſcœniſſimæ, deteſtabiles & ſurdidæ gentes, vnctas magicas artea malorum vtuntur, immonde etiam viuunt in his in quibus ſordida & inhumana pollutio eſt, (magis enim & competenter dicitur) Deo odibilis. Deſtructa ſunt maleficia eorum, ita vt non poſſint neque cum ferro, neque per ignem, vel cum qualibet alia aſtutia, eaſdem reſerare vel aperire portas, & fugere.

A

Quomodo Gog & Magog, exeuntes de Caſpijs montibus obtinebunt terram Iſrael.

IN nouiſſimis vero temporibus, ſecundum Ezechielis
Ezech. 38. Prophetiam quæ dicit: *In nouiſſimo die conſummationis mundi exiet Gog & Magog in terram Iſrael*, qui ſunt gentes & reges quos recluſit Alexander Magnus in finibus aquilonis, & in finibus ſeptentrionis, Gog & Magog, Molach & Thubal, & Anog, & Ageg, & Athenal, & Cephar & Pothim, Hei, & Libij, & Cunei, & Pharilei, & Ceblei, & Lamarchiani, & Chachamij, & Amaharthæ, & Agrimardi, & Alan, & Anufagi, qui dicuntur Cinocephali, & Caubei, & Thasbei, & Phiſidonici, & Arceni, & Salitarei. Hi viginti quatuor reges conſiſtunt recluſi intrinſecus portarum, in reditu vero de iſtis gentibus, Alexander à pueris ſuis extinctus eſt veneno.

Quomodo mater Alexandri Aethiopiſſa, cuidam Regi Conſtantinopolitano deſponſata fuerit.

B

DEfuncto igitur Alexandro Magno, qui fuit primus Rex Græcorum, regnauerunt quatuor pueri eius, non enim coniunctus eſt aliquando matrimonio. Chuſeth verò mater eius regreſſa eſt in patriam ſuam in Aethiopiam: Biſas igitur, qui & Biſantium condidit, miſit per mare ad Phool regem Aethiopiæ, Germanicum ſui exercitus principem, & pacificauit cum eo, ſcribens ei de Chuſeth matre Alexandri Magni qualiter eam ſibi acciperet in vxorem, & regnare faciat eam: Suſcipiens ergo Phool Rex literas à Germanico, & videns quia detulerat largiſſima dona, accipiens, nimis lætus eſt: Surrexit igitur, & ipſe congregans ex omnibus ſpeciebus Aethiopiæ, ſimulque pariter & filiam ſuam Chuſeth, profectus eſt in Biſantium, habens ſecum triginta milia Aethiopum in comitatu, & ſuſceptus eſt à Byſa, protinus foris transmare, in Calcedonia, cum multa nimiaque alacritate animi, dedit autem & dona copioſa valde, his qui cum eo fuerant. Et introiuit Phool iubilantes, & dedit munera magna, & dona maxima, ſecundum regiam magnanimitatem.

C

Quomodo Romulo primo Romanorum Regi, vxor à Conſtantinopoli per mare nauibus adducta fuerit.

ET accepit Rex Biſas Chuſeth filiam Phool regis Aethiopiæ, ex qua nata eſt filia, quam & nuncupauit nomine ciuitatis Biſantiam, cum qua nuptus eſt Romulus, qui & Armaeleus dictus, Rex Romæ, propter nimiam pulchritudinem eius dilexit eam valde. Erat quippe & ipſe ſimplex nimis, & magnanimus, vnde & in dotalibus eius, vt ſunt matrimonialia, donauit ei Romam. Audientes autem optimates eius, indignati ſunt contra eum. Peperit verò ei Biſantia filios tres, quos & nuncupauit, primogenitum quidem ſecundum appellationem patris Armaeleum, ſecundum vero Vrbanũ, tertiũ denominauit Claudium. Regnauerunt igitur hi tres Armaelus quidẽ in Roma, pro patre ſuo Armaeleo, Vrbanus vero in Biſante ciuitate matris ſuæ, Claudius autem in Alexandria: Obtinuit autem ſemen Chuſeth filia Phool Regis Aethiopiæ

D

regnum Macedonum & Romanorum, & ſemen Aethiopiæ præueniet manus eius Deo, ſecundum Prophetiæ expoſitionem. Prouidens autem beatus Dauid ſpiritualibus oculis, & præcognoſcens quod Chuſeth filia Phool Regis Aethiopiæ, inciperet ſuſcitare regnum Romanorum præfatus eſt dicens: *Ab Aethiopia præueniet manus eius Deo.*

Quomodo à ſancta cruce in Hieroſolymis ſuſpenſa, totus muniatur orbis.

QVidam igitur inconſultè conſiderauerunt, dicentes: Quia propter Aethiopum regnum compulſus ſanctus Dauid hæc diceret, ſed mentiti ſunt veritati, qui hæc ita æſtimant. Etenim ex ſemine Aethiopiſſæ conſiſtente regno, hoc conſtructum eſt magnum atque venerabile

E

lignum, ſanctæ & honorificentiſſimæ & viuificatoriæ crucis, & in medio terræ confixum eſt, vnde fortaſſis (vt competit) ipſe eſt atue eſt antiquus pater Dauid, ita prænuncians: Aethiopia præueniet manus eius Deo. Non eſt autem gens atque regnum ſub cœlo, quod præualere poſſet aut ſuperare regnum Chriſtianorum, ſicut iam præfati ſumus ſuperius, quod in medio terræ, viuificans confixa & ſolidata eſt crux ſancta, ſub qua & orbis terræ munitur, & fines mundi, quare valde ſapienter ſcribitur, conſtare ſecundum latitudinem & altitudinem & profundum. Qualis vel quis poſſet eius virtutem ſuperare, aut vnquã ſanctæ crucis apprehendere potentiam? Sic enim obtinet venerationem Romani imperij dignitas pollens per eum, qui in ea pependit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Quid beatus Paulus, de nouiſſimo die, & Romanorum imperio ſenſerit.

F

AVdiamus igitur quid prædicator diuinorum, qui in cœlum raptus fuerat, Paulus edocuit, ſignificans de nouiſſimo die & Romanorum imperio: quibuſdam enim in ſecunda ad Theſſalonicenſes epiſtola. ita inquit: 2. Theſ. 2.
Rogamus vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & veſtræ congregationis in ipſum, vt non cito moueamini à ſenſu veſtro, nec terreamini, neque per Spiritum neque per verbum, neque per Epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet aduentus domini. Ne quis vos ſeducat vllo modo. Quia niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo iniquitatis filius qui eſt perditionis, aduerſarius, & extollat ſe ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita quod in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe quaſi ſit Deus. Et poſt puſillum: *Solummodo nunc* (inquit) *qui tenet teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur iniquus.* Quid igitur eſt de medio tolli, niſi Romanorum imperium? Omnis enim principatus & poteſtas deſtruetur abſque hoc. Nam ab hoc expugnantur & ſuperantur omnia regna, quia & omnes gentes quæ cum eo confligunt, conterentur, & conſumentur ab eo, & obtinebit donec vltima eius hora præueniet manus eius Deo. Etiam ſecundum Apoſtolum dicentem, cumque deſtruetur omnis principatus & poteſtas, & ipſe Rex Romanorum tradiderit regnum Deo

G

patri. Quale regnum? ſcilicet Chriſtianorum, vbi enim vnquam fuit, vel erit, aut eſt regnum ſiue alia potentia, quæ ſuper hoc emineat? certe nuſquam. Si volueris enim mecum quod certum eſt pertractare, accipe, quæſo te, Moſaycam plebem quæ tantis ſignis & portentis, & in profundum maris Aegyptios etiam exeuntem, vide & Ioſue, ſub quo etiam ſol circa Gabaoth ſtetit, & luna circa vallem Hiericho, & alia quàm plura, quædam ſtupenda potius quam admiranda miracula, quæ facta ſunt ipſis, & pene omnem conſidera Hebræorum fortitudinem, quomodo ſub Romanorum imperio dilata & contrita ſit, Titus & Veſpaſianus conciderunt vniuerſos illos. Nunquid templum inaratro expugnans Adrianus non aratit? quod igitur fuit vel erit aliud regnum? Sed nullum videlicet inuenimus. Pro veritate memoriter curam habeamus: nonne mille annis regnauerunt Hebræi & abſciſum eſt regnum eorum? Aegyptij autem trium millium annorum & ipſi nihilominus perierunt. Babylonij quatuor millium annorum regnum habuerunt, ſed & ipſi ſimiliter abſciſſi ſunt. Conciſo igitur Macedonio-

H

rum regno ſiue Aegyptiorum conflixerunt armis aduerſus Regnum Romanorum ſeu Barbarorum, id eſt, Thuſcorum, & ab armis qui ſimul vniuerſi abſorpti ab eo ſunt. Ita poſtquam abſorptum fuerit regnum Perſarum, conſurgent prælij aduerſus regnum Romanorum. Impetum filij Iſmael, filij Agar, quos ſcriptura commemorans auſtrale brachium appellauit. Daniel quoque hoc prædicens, & contradicunt regno Romanorum in numero circumeuntium temporum. In ſeptimo ipſo tempore annorum, hoc eſt in ſeptimo millenario mundi, eo quod appropinquabit conſummatio ſæculi, & non erit longitudo temporum amplius. In nouiſſimo enim millenario, ſeu ſeptimo, tunc à gente io ipſo eradicabitur regnũ Perſarum, & in ipſo ſeptimo millenario incipiet exire ſemen Iſma-

A et [illegible] deſertum cum exierint, congregabuntur vnanimes in magnam Gabaath, & illic complebitur quod dictum eſt
Ezech. 39 per Ezechielem prophetam: *Fili hominis*, inquit, *voca beſtias agri, & volatilia cœli, & exhortare illa dicens: congregamini & venite eo quod magnum ſacrificium immolo vobis, manducate carnes fortium, & bibite ſanguinem excelſorum.* In hac itaque Gabaath cadent, in ore gladij à ſemine Iſmaelis, qui appellatus eſt Onager, eo quod in ira & in furore mittuntur ſuper faciem terræ totius. Super homines quoque & iumenta & beſtias ſyluæ & ſuper omnem ſaltum & plantatã, & ſuper omne nemus, & in omnem ſpeciem fructiferam, & erit aduentus eorum caſtigatio ſine miſericordia, & ibunt cum eis ſuper terram, quatuor iſtæ plagæ, ſcilicet captiuitas, interitus, perditio quoq; & deſolatio. Dicit enim Deus Iſrael per Moſen: Non quia diligit vos Dominus Deus introducet vos in terram promiſſionis, vt hæreditemini in ea, ſed propter peccata habitantium in ea. Sic enim filijs Iſmael non quod eos diligat Dominus Deus, dabit eis potentiam hanc, vt obtineant terram Chriſtiano-
B rum, ſed propter peccatum & iniquitates quæ ab eis committuntur, ſimilia eis non ſunt facta, & neque fient in omnibus generationibus. Nam induentur viri tunicis adulterarum mulierculârum & meretricum viri cum viris, quemadmodum cum mulieribus, & [illegible] ſœminabus ſeipſas componẽtes, & ſtantes in plateis, & foras ciuitatum palam omnibus, & immutant naturale viſum, in eum qui eſt contra naturam, etiam ſeminibus abutentes, ſicut beatus quoq; & ſanctiſſimus Apoſtolus inquit:
Rom. 1. Similiter & mulieres quod & viri agentes. Similiter & viri dimittentes naturalem vſum in eum qui eſt contra naturam. Conuenerunt itaque vni mulieri pater ſimul & filius illius, & frater, & vniuerſi qui cognatione adiuncti ſunt, ignotabantur enim hæc à meretricibus.

Quomodo Turca & Saraceni ſortem mittent ſuper captiuos Chriſtianos.

ET propter quod ſapientiſſimus Paulus ante tempora ſ[illegible] ſortaſſis exclamans ait: *propter hoc enim tradidit illos Deus in paſſionem ignominiæ. Nam fœminæ eorum commutant naturalem vſum, in eum qui eſt contra naturam, ſimiliter
C autem & maſculi dimittentes naturalem vſum in eum ejus qui eſt contra naturam. Viri contra naturam exarſerunt in deſiderijs ſuis inuicem & in maſculos turpiter operãtes*, & ſœminæ [illegible] & retributionem *ac mercedem errorum ſui in ſeipſos recipientes.* Propter hoc igitur tradentur à Deo in manibus barbarorum, à quibus cadent in omni immunditia & fœtore pollutionis, & cõtaminabuntur mulieres eorum à pollutis barbaris, & mittent ſortes filij Iſmael, ſuper filios & filias eorũ. & tradetur terra Perſarũ in
Orbis captiuitas ſub Saracenis. corruptione & perditione, & habitatores eius in captiuitatem & occiſionem adducentur. Armenia quoque, & illi qui habitant in ea, in captiuitate & gladio corruent. Capadocia in corruptione & deſolatione erit, & eius habitatores in captiuitate, & iugulatione abſorbebuntur. Cilicia in tribulatione erit, terra Syriæ erit in ſolitudine, & eius habitatores captiui ducentur. Ægyptus quoque, Oriens & Aſia ſub graui tributo auri & argenti erit. Hiſpania gladio peribit, captiui ducentur habitatores eius. Græcia tota in occiſione gladij & perditione & corruptione ducetur. Gallia, Germania, & Agathonia varijs prælijs erunt deuoratæ, & multi ex eis ducentur captiui. Sicilia in [illegible] & habitatores eius in gladio peribunt. Romani
D corrumpentur in occiſione qua gladij erunt, & conuertentur in fugam, in illa Romania. Inſulæ maris erunt in deſolatione, & qui in eis habitant in gladio & captiuitate ducentur. Homineſque in tribulationes immenſas coartabuntur, [illegible] quæ tribulatio ſuper Chriſtianos, qualis antea non [illegible]. Angariabuntur eis [illegible] menſura & miſericordia, & appetentur ſuper vires [illegible] pondus auri vel argenti, & erunt [illegible] Ægypti & Syriæ in afflictione temporum [illegible]. Et [illegible] Hieruſalem à gentibus & terra pro [illegible] qui captiui ducentur à quatuor ventis qui ſub cœlo ſunt. Et erunt tanquam locuſtæ in multitudine quæ congregabuntur à vento, & erit in eis peſtilentia & fames, & ex
E alabitur cor exterminatorum, & in ſuperbia elabetur, & loquentur excelſa vſque ad tempus cõſtitutum eis, & obtinebunt introitum & exitum aquilonis. Et Etham, vſque ad occaſum & meridiem, & erit Chriſtianorum tribulatio maxima, & erunt omnia ſub iugo eorum.

Quomodo Turca & infideles deſtruent Eccleſias, & altaria, facientes abominabilia in locis ſacratis.

HOmines quoque & iumenta, & volatilia, & piſces, & natantia in aquis & etiam aquæ maris obaudient eis, & deſtitutæ ciuitates quæ ab habitatoribus populoſæ fuerunt, viduatæ erunt illorum. Et ſcribent ſibi terminos per ſ[illegible]dines & ligna ſyluarum, & puluis terræ & lapides & vbertas terræ & piſces maris erunt in introitu eorum, & arbores [illegible] agricolarum terræ, & hæreditas diuitum, & quæ [illegible] in Eccleſijs ſanctorum, ſiue
F aurum vel argentum, ſiue lapides pretioſi, & omnis ornamenta eorum & indumenta etiam ſacrata, vel præclara, & ferrum, & metalla, & eſcæ omnes, & quicquid pretioſum eſt, illorum erit, & diſtribuent myſteria Dei, & exaltabitur cor eorum vſque adeo, vt mortuos appetant, ſecundum æqualitatem virtutum. Similiter autem ex pupillis & viduis, & ex ſacratis locis eſcas exigentes, & non miſerabuntur inopi & pauperi.

Quomodo Chriſtiani deducti ad viam anguſtiæ & tribulationis, irridebuntur per infideles & deludentur.

OMnem enim maiorem natu inhonorant & affligent egenos, & non habebunt viſcera miſericordiæ neq; ſuper imbecillos & infirmos, ſed illudent illos, & deridebunt omnes, qui in ſapientia fulgebant, & eos qui in rebus reipublicæ magnificabantur & conticeſcent vniuerſi ſilentio, ex timore non valentes arguere aut proloqui. Quid eſt hoc vel illud? & obſtupeſcunt omnes, & timo-
G re qui habitant terram, & erit ſapientia eorum & diſciplina prodens nulli, nec ſemetipſis. & non ſubſiſtentius aliquod, neque addendum vel adijciendum, ad eam quicquam, & non erit qui poſſit immutare aut querulare ſermones eorum, & erit iter eorum à mare vſque ad mare, & ab ortu ſolis vſque ad occaſum, & ab aquilone vſque ad deſertum, & vocabitur iter eorum via anguſtiæ, & gradiuntur in ea ſenes & ſeniores, inopes & diuites, eſurientes, ſitientes, compedibus vincti, & manicis ligati, & beatificant eos qui iam mortui ſunt.

Quomodo onagri & capreæ à deſerto exeuntes, omnem ſpeciem beſtiarum ſupergredientur rabie, et beſtiæ ſyluarum fame interibunt.

DIſciplina enim cum increpationibus quæ à Paulo dicta eſt hæc ait enim: Quia niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati filius qui eſt perditionis. Siquidem diſceſſio eſt diſciplina vel correptio, qua corripientur vniuerſi habitatores terræ. Et quomodo onagrum vocauit Dominus Deus Iſmaelem patrem illorum. Propter hoc onagri & capreæ
H à deſerto exeuntes, omnem ſpeciem beſtiarum ſupergredientur rabie, & ab eis manſueti conterentur, & pauſitabunt ſub eis, & perſequentur omnes, & beſtiæ omnes ſyluarum fame interibunt, eo quod diſcuſſæ ſunt regiones terræ. Et abſcindent omne lignum ſaltus, & ſpecies montium diſperdent, quia deſolabuntur vrbes, & erunt regiones ſine via, eo quòd diminuta eſt humanitas, & polluetur terra ſanguine interfectorum, & continebit fructus ſuos. Non enim ſunt homines qui tyrannico more ac barbarico nationes ſimpliciter obtinebant, ſed filij ſunt ſolitudinis à deſerto exientes, & ideo in deſolationem prodeunt, corrupti ſunt & in corruptionẽ mittuntur,

A *Quomodo quidam filius Regis Romanorum, Turcos & eorum vxores & pueros captiuos abducet & varijs pœnis afficiet.*

SVper habitantes autem terram Promiſſionis, deſcendet filius regis cum gladio, & concident omnes à terra, & cadent ſuper eos timor & tremor vndique, & ipſi & vxores & filij eorum lugebunt infantes ſuos, flentes ſuper eos & omnia caſtra eorum quæ ſunt in terra patrum illorum, in manu Regis Romanorum tradentur in gladio & captiuitate, & morte & corruptione, & erit Rex Romanorum imponens iugum ſuum ſuper eos, ſepties vltra quam erat iugum eorum ſuper terram, & comprehendet eos anguſtia magna, fames, ſitis, & tribulationes, & erunt ſeruientes ipſi & mulieres & filij eorum, & ſeruientes his qui ſibi ſeruiebant, & erit ſeruitus eorum amariſſima centuplum, & duriſſima vltra hanc quam Chriſtianis impoſuerunt, & tunc pacificabuntur terræ quæ ab eis fuerant deſtructæ, & redibit vnuſquiſq; in terram ſuam, & in hæreditatem patrum ſuorum. B Armenia, Cilicia, Iſauria, Africa, Græcia, Sicilia & omnis qui de captiuitate relictus eſt, reuertetur in propria & in paterna ſua, & multiplicabuntur homines ſuper terram quæ deſolata fuerat ſicut locuſtæ in multitudine.

Quomodo rex Romanorum, poſt glorioſam Chriſtianorum victoriam, eos condemnabit & puniet qui veram fidem abnegauerunt.

ÆGyptus vero deſolabitur, Arabia igni concremabitur, & maritimæ pacificabuntur, & omnis indignatio & furor regis Romanorum ſuper eos qui abnegauerunt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum exardeſcet. Et ſedebit terra in pace, & erit pax & tranquillitas magna ſuper terram, qualis nondum eſt facta, neque fiet ſimilis illi, eo quod nouiſſima eſt & in fine ſeculorum. Erit enim lætitia ſuper terram, & commorabuntur homines in pace & reædificabunt ciuitates & manſiones hominum, & liberabuntur ſacerdotes de neceſſitatibus ſuis & requieſcent homines in tempore illo à tribulationibus ſuis. C

Quomodo Chriſtiani nimium gaudentes de victoria & obliti beneficiorum Dei, à repente ſuperuenientibus Gog & Magog opprimentur.

ET hæc eſt pax, quam beatus Apoſtolus expoſuit dicens: *Cum autem dixerint pax & ſecuritas, tunc eis ſuperueniet interitus.* Et continuo Dominus in Euangelio ſic inquiens: *Sicut enim in diebus Noe erant homines manducantes & bibentes, & nubentes, & nuptias contrahentes, ita erit in nouiſſimo die.* In hac igitur pace ſedebunt homines ſuper terrã, cum gaudio & lætitia comedentes, & ſeſe potantes, nubentes, & dantes ad nuptias, exultantes & gaudentes, & ædificantes, conſtruentes, & non erit timor eorum vel ſolicitudo: tunc reſerabuntur portæ Aquilonis, & ingredientur virtutes gentium illarum quas concluſit intus Alexander Magnus, & concutietur omnis terra à conſpectu eorum, & expaueſcent homines, & fugientes conterriti, abſcondent ſe in montibus, & ſpeluncis, & in monumentis, & mortificabuntur à timore, & corripientur præ pauore quamplurimi, & non erit qui corpora ſepeliat. D

Tartari. Gentes namq; qui exient ab Aquilone, comedent carnes hominum, & bibent ſanguinem beſtiarum ſicut aquam, & comedent immunda, ſerpentes, Scorpiones & vniuerſa abominabilia & horribilia beſtiarum, & reptilia quæ reptant ſuper terram, iumentorum etiam & corpora mortuorum, & abortiua mulierum, & necabunt pueros & largientur eos matribus ſuis vt comedant eos, & corrumpent terram, & contaminabunt eam, & nullus erit qui poſſit ſtare contra eos.

De natiuitate Antichriſti.

POſt hebdomadam vero temporis cum comprehenderint ciuitatem Ioppen, mittet Dominus Deus vnum ex principibus militiæ ſuæ, & percutiet eos in vno momento temporis. Et poſt hæc deſcendet rex Romanorum, & demorabitur in Hieruſalem ſeptimana temporũ & dimidia, quod eſt 10. anni & dimidium. Et cum complebuntur 10. anni, & dimidius, & apparebit filius perditionis. Hic naſcetur Choroſain, & nutrietur in Bethſaide, & regnabit Capharnaum. Et lætabitur Choroſaim eo quod in eo eſt, & Bethſaida propter quod nutritus eſt in ea, & Capharnaũ eo quod regnauerit in ea. E Propter hanc cauſam in Euangelio Dominus tertio ſententiam dedit dicens: Væ tibi Choroſaim, Væ tibi Bethſaida, & tibi Capharnaum, ſi vſq; in cœlum exaltaberis, vſque ad infernum deſcendes.

Quomodo vltimus Rex Romanorum in monte Oliueti, coronam & regnum offeret Deo, & illic morietur.

ET cum hic apparuerit filius perditionis, aſcendet tũc rex Romanorum ſurſum in Golgata, in quo confixũ eſt lignum ſanctæ crucis, in quo loco pro nobis Dominus mortem ſuſtinuit, & tollet rex coronam de capite ſuo, & ponet eam ſuper crucem, & expandet manus ſuas in cœlum, & tradet regnum Chriſtianorum Deo patri, & aſſumetur crux in cœlum, ſimul cum corona regis, propter q̃ ſuſpenſus eſt in ea Dominus noſter Ieſus Chriſtus, propter communem omnium ſalutem, ipſa crux incipiet apparere ante eum in aduentu ipſius, ad arguendam perfidiam infidelium, & complebitur Prophetia Dauid dicẽtis: F In nouiſſimis diebus Æthiopia præueniet manus eius Deo, ex eo quod ex ſemine filiorum Chuſeth, filiæ Phool regis Æthiopię ipſe nouiſſime præuenit manus ſuas Deo, & cum exaltata fuerit crux in cœlum ſurſum, etiam tradet continuo Spiritum ſuum Romanorum Rex, tunc deſtruetur omnis principatus & poteſtas, cum apparuerit filius perditionis. Eſt autem hic de tribu Dan, ſecundum prophetiam Patriarchæ Iacob, quæ dicit: *Dan ceraſtes in via, & coluber, accubans in ſemita, mordens calcaneum equi, & cadet aſcenſor eius retrorſum, ſalutare tuum ſuſtinens.* (*Gen. 49.*) Equus igitur eſt veritas & pietas iuſtorum, calcaneum vero nouiſſima dies, & ſancti hi qui in illo tempore ſuper equũ, id eſt, ſuper veram fidem aſcendent, & pijſſime equitabunt, perſequentur à ſerpente ſiue filio perditionis, in calcaneo, id eſt, in nouiſſimo die, in omnib. enim phantaſijs & mendacibus ſermonibus, & operibus ſuis quæ fiunt ab eo.

G *De miraculis factis per Antichriſtum.*

FAciet enim tũc ſigna & prodigia multa, ſuper terram inertia: vel imbecilla ſophiſtica & falſa. Cęci enim reſpicient, claudi ambulabunt, ſurdi audient, & dæmoniaci curabuntur, conuertet ſolem in tenebras, & lunam in ſanguinem apparenter. In omnibus ſuis ſignis fallaciſſimis, & falſiſſimus deceptionum prodigijs ſeducet, ſi poteſt fieri etiam electos, ſicut & Dominus explanauit in Euangelio. Aſpiciens ergo Patriarcha Iacob cordis oculis, cõſiderauit quæ ventura eſſent, in nouiſſimis diebus, à venenoſo ſerpente, vel filio perditionis facienda, quoniam etiam in hominibus tribulatio & anguſtia per eum fieret. Expoſuit ſicut ex perſona generis humani condolens & vocem emittens dixit: Raro expectabo ſalutare tuum Domine. Dominus autem de Antichriſto præfatus eſt dicens: Si fieri poteſt etiam in errorẽ inducet electos. Ingredietur enim hic filius perditionis in Hieruſalem, & ſedebit in templo Dei ſicut Deus, cum homo ſit carnalis, ex ſemine viri & vtero mulieris de tribu Dan, nam & Iudas Scariotis, qui & traditor Domini extitit, de tribu Dan deſcendit. H

De prædicatione Enoch & Heliæ contra Antichriſtum.

CVmq; multiplicata fuerit tribulatio dierũ illorum à filio perditionis, non ſinet diuinitas aſpicere perditionem generis humani quod redemit proprio ſanguine, continuo mittet ſuos famulos ſinceriſſimos atq; chariſſimos, Enoch & Heliam, ad redarguendum eum, & palam omnibus gentibus corripient eius ſeductionem, & oſtendent eum mendacem coram omni homine, & nihil eſſe. Et quia propter interitum & perditionẽ multorum exijt de templo: gentes ergo videntes eum confuſum, ſeductionemq; eius obiurgationibus multis increpatam à famulis Dei, dimittent eum, & fugient ab illo & adhærebunt iuſtis illis. Videns ergo ſeductor ſeſe duriſſime increpatum, ab vniuerſis contemptum, furore & iracundia caleſcens, interficiet illos ſanctos Dei.

De extremo vniuerſali Iudicio.

TVnc apparebit ſignum aduentus filij hominis, & veniet in nubibus cœli cum gloria cœleſti, & interficiet

A fiet eum Deus Spiritu oris ſui, ſecundum expoſitionem Apoſtolicã. Tunc fulgebunt iuſti tanquam ſtellę in mundo, verbum vitæ in ſe continentes. Impij autem proijcientur in infernum, ex quo eripiamur per gratiam & humanitatem Domini Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt Patri vna cum Spiritu ſancto, omnis honor, & gloria, & magnitudo, & imperium, nunc & in ſempiternum, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE S. PETRO ALEXANDRINO EPISCOPO ET MARTYRE, EX NICEPHORI Eccleſiaſtica Hiſtoria.

a Niceph. Eccleſ. Hiſt. lib. 6. c. 34. b Lib. 7. cap. 16. c Eiuſd. lib. 8. c. 27. d Lib. 6. c. 14. e Lib. 8. c. 2. f Lib. 6. c. 14. g Lib. 17. cap. 27.

Theonas a 19. annis fuit Epiſcopus (Alexandrinum videlicet) habuitq. Petrum ſucceſſorem; qui quidem b certiſſimus Epiſcopalis functionis Canon c & prorſus diuinum exemplar, munere ſuo d annis 12. optime functus eſt. Nam ante perſequutionem; 3. annis facilitorem; reliquis autem, duriorem vitam per grauia certamina exegit, communem Eccleſiarum vtilitatem procurans. e Meletium eiuſque Sectatores (& in his, Arrium quem Diaconum fecerat) excõmunicauit, proſcripſitq., ab Eccleſia; potiſſimum quod ille non perlato periculo perſequutionis, Dæmonibus ſacrificaſſet. f Quæ ex re, & ille, & Arrius quieſcere nolens, conuicijs & maledictis proſcidit Petrum. Qui 9. tandem perſequutionis anno; g virtutis cauſa, & quod ab ineunte ætate in diuinorum Oraculorum literis exercitatus fuerat, correptus nulla ei iuſta obiecta cauſa, capite plexus (nam id Maximinus ita ſtatuerat) magnificè Martyrij Coronam conſequutus eſt, & cum eo alij præterea Ægyptij multi Epiſcopi.

B Si de S. Petro Martyre, & Alexandrino Epiſcopo eiuſq; ſcriptis vberiora ſcire aues, conſulendi tibi Auctores, quos indicant Notæ ad Roman. Martyrolog. 26. Nouem. Item Annales Eccleſiaſtici tomo 2. Anno 300. c. 1. & anno 305. c. 20. & ſeqq. & tom. 3. anno Chriſti 306. c. 44. & ſeqq. & anno 310. c. 2. & ſeqq. & Anno 311. c. 48. quibus clariſſime demonſtratur S. Petrum Anno nono perſecutionis Diocletiani ſub Galerio Maximiano, & non ſub Iouio Maximino eius nepote pertuliſſe martyrium. Quod vero attinet ad hoc opus Canonũ pœnitentialium, eſt illud quidem præclaræ cumprimis auctoritatis, quod etiã approbatur in Canone 2. Trullano, quamuis Canones illi Trullani non ita ſint in pretio. Sed opportune iſta annotauit C Baronius tomo 2. Annal. Anno 305. c. 20. Vtinam fidelius iſto nacti eſſemus exemplar, quod partim textu deprauato, vt apparet, & partim ex parum accurata tranſlatione nonnunquam redditur ſubobſcurum, licet ex his, quæ ſubſequuntur perſpicua cuncta fiant; *ſic ille.* Celebrat Eccleſia Feſtum S. Petri 26. Nouemb.

S. PETRI, ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI ET MARTYRIS, CANONES QVI FERVNTVR IN ſermone de pœnitentia.

Can. I. * Videlicet à Diocletiano imp. inſtitutam, Diocletiano 9. Maximiano 8. Coſſ. vt notat S. Auguſtinus in Breuia. cap. 5.

Quoniam autem quartum Paſcha, perſecutionem † iam apprehendit; ſatis eſt ijs qui delati quidem ſunt, in cuſtodiamque coniecti, tormentaque non ſufferenda & intollerabilia flagella & multas alias graues neceſſitates ſuſtinuerunt, poſtea autem ſunt à carnis imbecillitate proditi: etiã ſi non ab initio ſuſcepti ſunt propter grauem lapſum conſecutum; tamen, quia multum decertarunt & diu reſtiterunt: non enim ſponte ad ea deuenerũt, ſed à carnis imbecillitate proditi (nã & ſtigmata Ieſu in ſuis corporib. oſtentant, & annũ iã tertio deflent) ſi eis ab aduentu ad reuocationẽ in memoriã, alij quadraginta dies iniungantur: quos cum ieiunaſſet, Dominus D noſter Ieſus Chriſtus poſtquam baptizatus fuerat, tentatus eſt à Diabolo. In quibus & ipſi cũ valde exercitati fuerint, & conſtantius ieiunauerint; vigilabunt in orationibus, deinceps meditantes quod dicitur à Domino ad eum qui illum tentat vt ipſum adoret: *Abi retro Satana; ſcriptum eſt enim; Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.*

Matth. 4. Ibidem. Deut. 6.

Bals. *Præſentes Canones tractant de iis qui propriam fidem in perſecutionibus negauerunt, & pœnitentiam egerunt. Et iubet quidem præſens Canon, eis qui poſt multa tormenta ſacrificarunt, vt qui propter imbecillitatem ſe fortiter gerere non potuerunt, & in pœnitentia tres annos tranſegerint, alios quoque quadraginta dies iniungi. & ſic admitti.* E

Meminerit lector, Theodorum Balſamonẽ Græcum eſſe, ſchiſmaticum, Eccleſiæ Romanæ hoſtem, erroribus non paucis defœdatum, vide inter alia quæ notauit Genebrard. libr. 4. Chronolog. Quocirca ſcholia iſta caute legenda, nec eis multum fidendum.

Can. ij.

Iis autem qui poſtquam in cuſtodiam traditi ſunt: & in carcere (tanquam in obſidione) afflictiones graueſq; fœtores paſſi ſunt: poſtea autem ſine bello, tormentorum captiui facti ſunt nimia virium inopia & quadam cæcitate confracti: placet, annum ad aliud tẽpus adiungi (nam ipſi quoq; ſe omnino pro lege Chriſti affligendos dedere;) ſi etiam à fratribus in carcere multam conſolationem aſſecuti ſunt. Quæ quidem multiplicata reddent, liberari cupientes ab acerbiſſima captiuitate diaboli; eius maxime recordantes qui dicit: *Spiritus Domini ſuper me; quam ob cauſam vnxit me: vt pauperibus euangelizarem miſit me, & annunciarem captiuis liberationem, & cæcis viſus recuperationem, & mitterem fractos in remiſſionem, prædicarem annum Domini acceptabilem, & diem retributionis.* F

Bals. *Hic Canon tractat, vt qui in Cuſtodia ſolum male affecti ſunt, & ſine tormentis lapſi ſunt; poſt triennium alius quoque anni pœna puniantur. Si forte enim, inquit, conſolationem aſſecuti ſunt (vtpote, aliquibus Fidelibus, ea quæ ad adminiſtrationem pertinebant, ſuppeditantibus) ij quoque debent veniam obtinere; vt qui grauia pro fide paſſi ſunt.*

Can. iij.

Ijs autem qui nihil eiuſmodi paſſi ſunt, nec fidei fructum oſtenderunt; ſed ad vitium tranſfugerunt, à metu & timiditate proditi, nunc autem veniunt ad pœnitentiam; neceſſe eſt & conueniens, infrugiferæ Ficus parabolam proponere. *Habebat quis ficum plantatam in ſuo vineto, & venit quærens in ea fructum, & non inuenit: dixit autem vinitori; Ecce tres annos, ex quo ego venio quærens fructum in hac ficu, & non inuenio; excide eam; Cur terram inaniter occupat? Ille vero reſpondens dicit illi; Domine dimitte illam hoc quoque anno, donec circa eam fodero & laſtamen iniecero, ſi quidem fructum fecerit: ſin minus, tum in futurum excide.* Qua ante oculos recepta, & oſtenſo digno fructu pœnitentiæ in tanto temporis interuallo, magis iuuabuntur. G

Luc. 13.

Bals. *Eos qui propter ſolum metum, & timiditatem tranſfugerunt, ad pœnitentiam autem reſpexerunt; triennio punit canon ſecundum parabolam ficus quæ eſt in Euangelio. Dominus enim inquit;* Iam tribus annis ad hanc venio quærens fructum, & non inuenio. *Vinitor autem,* Dimitte illam, *inquit,* & adhuc iſto anno.

Can. iiij.

Ijs enim qui ſunt omnino deſperati, & pœnitentiã non agunt, & pellẽ Æthiopis immutabilẽ poſſident, & pardi varietates; dicetur quod alij ficui dictum eſt. *Nequaquam ex te fructus fiat in æternum;* & ideo ſtatim quoq; exaruit. In eis enim impletur quod ab Eccleſiaſte dictum eſt; *quod peruerſum eſt non poterit exornari, & defectus numerari non poterit.* Niſi enim quod peruerſum eſt eorum prius rectum fuerit, fieri nõ poteſt vt id exornetur; & niſi prior defectus expletus fuerit, fieri non poteſt vt id numeretur: vnde & in fine eis eueniet quod à Propheta Eſaia dicitur; *Et videbuntur,* inquit, *membra eorum qui tranſgreſſi ſunt in me. Vermis enim ipſorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt in aſpectum omni carni:* quandoquidem vt & ab ipſo prædictum eſt; *Iniuſti autem ſic fluctuabunt, & requieſcere non poterunt. Non eſt gaudere impijs, dicit Dominus.* H

Matt. 21. Eccleſ. Eſa. 66. Eſa. 57.

Bals. *Quæ prius quidem dicta ſunt; de eis qui lapſi ſunt, pœnitentiam autem egũt, dicta ſunt: Aduerſus eos autẽ qui nulla pœnitentia ducũtur, alterius ficus execrationẽ inducit, ad quã Dominus dicit: Propter infertilitatem:* Fructus amplius ex te non fiat.

Can. 5.

Ijs autem qui ſimularunt (ſicut & Dauid qui ſe epilepticum fingebat, ne moreretur, quamuis reuera epilepticus non eſſet) & non nudè negationem inſcripſerunt; ſed in multis angustijs (tanquam pueri conſilio & prudentia præditi, inter pueros inſipientes) inimicorũ inſidias ludificati ſunt; vel vt qui altaria præterierint, vel tanquam qui chirographum dederint, vel vt qui pro ſe ethnicos immiſerint etiam ſi nonnulli eorum qui confeſſi ſunt; vt audiui, aliquibus eorum ceſſerunt quoniam maxima cautione vitarunt ne ipſi ſuis manibus ignem facerent, & dæ-

A monas impuros ſufferent. Quoniam ergo propter ignorationem eos id feciſſe nó compertum eſt; eis ſemeſtre imponetur in pœnitentia conuerſionis, ſic enim ipſi quoq; magis iuuabuntur, Prophetæ dictum meditantes, & di-

Eſa. 9. centes; *Puellus genitus eſt nobis filius, & datus eſt nobis cuius principatus eſt in humero ſuo, & vocatur nomen eius, Magni conſilij Angelus.* Qui (vt ſcitis) in ſexto mente conceptionis, cum alius infans prædicaſſet ante perſonam aduentus eius, pœnitentiam in remiſſionem peccatorum; conceptus eſt & ipſe ad prædicandam pœnitentiam. Etenim vtroſque audimus imprimis prædicantes, non ſolum de pœnitentia, ſed & de regno cœlorum: quod quidem, vt didicimus, intra nos eſt, quod prope nos ſit verbū quod credimus in ore noſtro & corde noſtro, de quo ipſi etiam commoniti diſcent confitentes ore ſuo, quod Dominus Ieſus: Credentes in corde ſuo, quod Dominus ipſum ſuſ-

Rom. 10. citauit ex mortuis: vt qui audiant quod *corde quidem creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.*

B BALS. *Si qui autem ſimularunt ſe ad aras quidem accedere, vel ſcribere quod fidem negant; non vnde autem & aperte hoc fecerunt, ſed arte aliqua eos qui vim afferebant illuſerunt; ſicut Dauid qui ſe epilepſia correptum ſimulauit cum fugeret Saul & eſſet apud alienigenas, & ita mortem euaſit: illuſerunt autem gentium inſidias, vt puelli conſilio prudentiaq; prædite, pueros ſuſpicientes eluduut. Impioſ enim feſellerunt, quod ſacrificare quidem viſi ſunt, non tamen ſacrificarunt: Forte enim pro ſe ethnicos vel Infideles ſubmiſerunt, & per illos ſacrificare ipſos exiſtimarunt.* En (inquit) *ſemeſtre tempus ſufficiet ad pœnitentiam. Et ſi enim non ſacrificarunt; quia tamen ſacrificare polliciti ſunt vel alios ſubmiſerunt, etiamſi nonnulli eorum eſſe ut quidam qui pro fide teſtimonium dedere. Eos autem pueris quidem confert, vt qui non viriliter idololatriæ reſtiterunt; prudentibus vero, vt qui artificio ſacri ſua declinarunt.*

Can. vj. Ij autem qui ſeruus Chriſtianos pro ſe ſubmiſerunt; ſerui quidem (vt qui ipſi ſub manu eſſent, & quodammodo ipſi quoq; in dominorum cuſtodia eſſent, minisq; ab ipſis territi & propter eorum metum eo compulſi, & lapſi) anno opera pœnitentiæ oſtendent; deinceps diſcentes, vt ſerui Chriſti facere Chriſti voluntatem, & eum

C timere, audientes maxime, quod vnuſquiſq; , ſi quid boni fecerit hoc feret à Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber.

BALS. *Seruos qui dominorum iuſſu ac minis ſacrificarunt, anno puniri hic pater: vt qui cum Domino paruerint; ignoſcit, & graue ſupplicium non infligit: vt qui autem ſint magis Chriſti ſerui, & eum debent magis metuere, mediocrem pœnam imponit. Vnuſquiſque enim* (inquit) *ſecundum magnum Apoſtolum, quod fecerit bonum, a Domino recipiet, ſiue ſeruus ſiue liber.*

Can. vij. Liberi autem, tribus annis in pœnitentia examinabuntur; tum quod diſſimulauerint, tum quod effecerint vt ſerui ſacrificarent; vt qui Apoſtolo non obedierint, qui vult Dominos eadē facere quæ ſerui, remittentes minas: Scientes (inquit) quod veſter quoque ipſorum Dominus, eſt in cœlis, & non eſt apud eum perſonarum acceptio. Si vnum autem omnes habemus Dominum apud quem non eſt perſonarum acceptio; quoniam, & omnia & in omnibus eſt Chriſtus, in Barbaris & Scythis,

D ſeruis & liberis; debent conſiderare quod fecerunt, volentes ſuam ipſorum animam ſeruare. Qui conſeruos noſtros traxerunt ad idololatriam, qui poterant & ipſi effugere, ſi eis, & æqualitatem ipſis præbuiſſent, vt rurſus dicit Apoſtolus.

Can. viij. BALS. *Liberis autem ſeu dominis ſeruorum ſacrificare coactorum, triennij pœnam iniungit, quod & ſacrificare ſimularunt, & omnino annuere viſi ſunt, & quod conſeruos ſacrificare coegerunt, & quod Apoſtolo non paruerunt iubenti ſeruis minas remittere, vtpote cum ipſi quoque Domini Dei ſerui ſint, & famulorum conſerui, atque ipſi quidem feſtinarunt ſuam ſeruare animam, conſeruos autem ſuos ad idololatriam compulerunt, qui poterant effugere.*

Ijs autem qui proditi ſunt, & exciderunt, qui & ipſi ad certamen acceſſerunt (ſe eſſe Chriſtianos confitentes) & in cuſtodiam cum tormentis coniecti ſunt, æquum eſt in exultatione cordis vires ſimul addere, & eis in omnibus communicare, & in orationibus, & in participatione

E Corporis, & Sanguinis, & ſermonis adhortatione: vt qui conſtantius decertauerint, ipſi quoque ſupernæ vocationis brauio dignentur. Etenim *ſepties*, inquit, *cadet iuſtus & reſurget.* Quod quidem ſi omnes quoque lapſi feciſſent; perfectiſſimam, & toto corde ſuſceptam pœnitentiam oſtendiſſent.

BALS. *Quidam tyrannis delati & proditi fuerant, vel etiam ipſi ſe ipſos illis tradiderant; victi autem tormentis; teſtimonio exciderunt: deinde cum pœnitentia ducti eſſent, & quod bonum eſt agnouiſſent, ſe eſſe Chriſtianos confeſſi ſunt, adeo vt in cuſtodiam coniecti, tormenta quoque ſuſtinuerint. Eos ergo æquum cenſet Sanctus, lætanti animo ſuſcipere & ad fidem orthodoxam confirmare, & eis in omnibus communicare, in orationibus & ſacramentorum participatione, verbiſque adhortari vt ſint ad certamen conſtantiores, & cœleſti regno digni habeantur. Ne autem eo quod lapſi ſunt, minime ſuſcipiendi videantur, teſtimonium quoque ex Scriptura inducit, quod eſt. Septies* (id eſt, *ſæpe*) *cadet iuſtus & reſurget. Hoc autem, ſi*

F *etiam* (inquit) *omnes qui à confeſsione exciderunt, feciſſent, vt ſcilicet lapſi reluctarentur, & ſe coram tyrannis Chriſtianos faterentur, perfectiſsimam pœnitentiam oſtendiſſent. Differunt ergo quæ in hoc canone comprehenſa ſunt, ab ijs quæ in primo canone continentur, quod illic quidem, qui propter tormenta lapſi ſunt, ad confitendam coram tyrannis fidem nequaquam conuerſi ſunt: hic autem, qui propter tormenta lapſi ſunt, ex bona pœnitentia, ſub tyrannis Dominum confeſsi ſunt, propterea neque eos cecidiſſe reputabimus.*

Can. 12. Ijs quoque qui tanquam ex ſomno ipſi ad certamen parturiens, & trahere differens proſiliunt; ſibi autem pugnæ maritimæ & multæ fluxuum inundationis tentationem attrahunt, vel potius Fratribus peccatorum carbonem accendunt; ipſis quoque communicandum eſt, vt qui in nomine Chriſti ad id veniant: & ſi verba eius non animaduertant, qui docet non eſſe ingrediendum in tentationem; & eum rurſus in oratione patri di-

Matth. 6. cere, *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo.* Forte autem etiam ignorant, noſtrum Patremfamilias & Dominum noſtrum ſæpe ab ijs qui illi inſidiari volebant

G ſeceſſiſſe, & quandoque etiam libere apud eos non incedebat: & quod etiam quando paſſionis tempus appropinquauit; non ſeipſum tradidit, ſed expectauit donec

Matt. 26. ad eum venirent cum gladijs & fuſtibus. Dicit ergo eis: *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus ad me comprehendendum:* Qui etiam tradiderunt ipſum Pilato. Ad eius quoque ſimilitudinem ijs accidit, qui eius ſcopum ſibi proponentes incedunt, diuinorum eius verborum recordati, per quæ nos confirmans, de perſecutioni-

Matt. 10. bus dicit: *Attendite vobis ipſis; tradent enim vos in Concilia, & in ſuis ſynagogis vos flagellabunt.* Tradent autem dixit; non, vos ipſos tradetis: &; *ad principes & reges ducemini propter nomen meum*; non, vos ipſos ducetis. Nam vos quoque vult à loco in locum tranſilire, dum ſunt qui vos perſe-

Ibidem. quuntur propter nomen eius. Sicut eum rurſus dicentem audimus: *Et quando vos ab hac ciuitate in aliam perſecuti fuerint, fugite in aliam.* Non enim vult nos ad diaboli ſtipatores ſatellitesque confugere, ne ipſis quoque multiplicatæ mortis cauſa ſimus, vt qui ipſos, & aſperiores eſſe

H cogamus, & opera mortifera peragere: ſed expectare & nobis cauere, vigilareque & orare ne intremus in tentationem. Ita Stephanus, eius veſtigijs inſiſtens, Hieroſolymis ab iniquis correptus & in concilium ductus, lapidibus obrutus, in nomine Chriſti glorificatus eſt rogans & dicens; *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Ita Iacobus ſecundus, ab Herode comprehenſus; gladio, capite truncatus eſt. Ita Petrus Apoſtolorum primus, ſæpe comprehenſus & cuſtodiæ traditus ignominiaque affectus, poſtremo Romæ crucifixus eſt. Similiter & inclitus Paulus, ſæpe traditus & ad mortem vſque in periculum adductus, & in multis perſecutionibus afflictionibuſque gloriatus, in eadem vrbe ipſe quoque gladio capite mulctatus eſt: qui, in quibus gloriatus eſt, ipſe in ijs vitam finijt; & quod Damaſci in ſporta noctu per murum demiſſus eſt, & effugit eius manus qui eum conabatur opprimere. Erat enim eis in primis propoſitum euangelizare & verbum Dei docere: in quibus fratres confirman-

A tes vt manerent in fide, hoc quoque dicebant, *quod per multas afflictiones oportet in regnum cælorum ingredi.* Quærebant enim non quod ſibi erat vtile ſed quod multis, vt ſeruarentur. Multa ipſis liceret ad hæc facientia dicere, vt verbo Dei conuenienter facerent; Niſi (vt dicit Apoſtolus) nos tempus narrantes deficeret.

Bals. *Qui e ſomno modo exurgunt; & maximè ſi crudo profundoque ſomno premebantur; non habent conſtantem rationem, ſed perturbatam & inſtabilem. His aſſimilat ſacroſanctus hic Martyr eos qui in certamen proſiliunt; ſeu qui non ordinate ſed ferociter & inconſiderate ſe in certamen intrudunt: parturiens, & trahere differens, pro eo quod eſt, quod nondum in apertum erupit, ſed meditatur, & differt, ſeu cunctatur trahere eos qui decertant. Maxime autem & alii fidelibus peccatorum carbones accendunt, a tyrannis ſcilicet punitiones. Sed & ſi eos qui ſic faciunt reprehendit, iubet tamen fideles eis nihiloſecius communicare: quia propter Chriſtum* B *certamen obierunt, & illius doctrinam ignorarunt, qui docet petere ne tentemur, & quod ne ſe ipſum quidem tradidit, ſed traditus eſt, & non eſſe ad tortores confugiendum, ne plurimis eis cadium cauſa ſint, vt qui eos incitent ad ſumenda de piis ſupplicia. Infert autem & diuerſa ſacra ſcripturæ exempla Canon.*

Can. 10. Clerici ſponte fugiẽtes, poſtea lapſi, indigni ſacro miniſterio.

Vnde non eſt æquum, vt vel clerici, qui ſua ſponte aufugerunt, lapſi autem, & reluctati ſunt, amplius in ſacro miniſterio maneant, vt qui Domini gregem reliquerint, & ipſos vituperauerint; quod nullus fecit ex Apoſtolis: etenim cum multas perſecutiones obiiſſet, & multa certaminum præmia oſtendiſſet beatus Apoſtolus Paulus, ſciens eſſe longe melius diſſolui, & eſſe cum Chriſto, infert, & dicit; *In carne autem manere, magis neceſſarium propter vos.* Conſiderans enim non ſuam ſed multorum vtilitatem magis quam ſuam quietem, neceſſarium exiſtimauit apud fratres manere, & eorum curam gerere. Qui etiam vult eum qui docet eſſe in doctrina typum ſeu formam fidelium. Vnde qui in carcere, contendentes, à miniſterio exciderunt & reluctati ſunt ſenſus plane ſunt C expertes. Quomodo enim petunt quod reliquerunt, cum in ea tempeſtate eſſe poſſent fratribus ſuis vtiles? Quamdiu itaque firmi ſtabileſque manſerunt; eius quod præter rationem fecerant eis venia debebatur. Quando autem lapſi ſunt (vt qui perperam ſe geſſerint, & ſe ipſos vituperauerint) non poſſunt amplius ſacra miniſteria obire, & ideo magis curam gerant, quomodo in humilitate confeſſionem peragant à vana gloria ceſſantes. Eis enim ſufficit cõmunio, quæ diligenter & decorate fit duabus de cauſis: tum ne videantur moleſtia affici, hinc diſſolutionem vi arripientes; tum ne Lapſi aliqui cauſentur ſe propter pœnas occaſionum fuiſſe remiſſos. Qui quidem pluſquam omnes probrum & ignominiam habebunt, ſicut ille qui fundamentum poſuit & non potuit perficere. Incipient enim (inquit) omnes qui prætergrediuntur, eum illudere, dicentes: Hic homo poſuit fundamentum, & non potuit perficere.

Bals. *Deinqui ſua ſponte ad Martyrii certamen confugiunt locutus Pater; nunc de Clericis quoque qui ſunt eiuſmodi loquitur: & dicit quod ſi Clericus ad certamen ſua ſponte profu-* D *git, deinde cum non poſſet ferre tormenta, excidit; & cum rurſus ad ſe rediiſſet, lapſum ſuum reuocauit, & ſe coram tyrannis Chriſtianum confeſſus eſt; is non amplius ſacra Miniſteria obibit, eo quod gregem Domini reliquerit, & eo quod cum ſua quidem ſponte confugerit & tormenta ſufferre non potuerit, ſibi ipſi labem & reprehenſionem attulit. Vt autem populi doctrinam negligerent, & ſuam vtilitatem præferrent; nec Apoſtoli fecerunt. Magnum enim Paulus poſtquam multa tormenta ſubiiſſet, intelligens multo eſſe melius vitam relinquere, maluit viuere & torqueri propter ſalutem & Doctrinam populi. Senſu ergo omnino carent, qui petunt ſacrum Miniſterium à quo ſua ſponte exciderunt. Quomodo enim petunt quod reliquerunt, cum poſſint in hac tempeſtate, perſecutionis ſcilicet, fratribus eſſe vtiles? Si itaque non cecidiſſent, inquit, eius quod præter rationem feciſſent, eis daretur venia: ſpontanea ſcilicet fuga, vel in fratribus docendis & confirmandis, ſocordia. Sin autem propter ſuam inſolentiam & arrogantiam lapſi ſunt (tale enim eſt ſe temere tormentis obiicere audere, nec poſſe tolerare: & propterea de iis triumphatum eſt); non poſſunt amplius ſacra miniſteria obire. Quamobrem magis curent quomodo confeſſionem in humilitate peragant, ceſſantes a petenda* E *ſacri miniſterii vanagloria: ſufficit enim eis cum fidelibus communio, quæ fit propter duo, diligenti cautione rectoque conſilio. Si enim dixerimus nos eos non habere pro communicantibus, & eos moleſtia afficiemus tanquam ſententiam ferentes, eos; vt ſeu mutatos, hinc diſſolui, ſeu mori. & alios quoque qui fortaſſe lapſi ſunt & volunt ad quod bonum eſt redire, remiſſos ad hoc & negligentes efficiemus, cauſantes ſe fidelibus non eſſe communicaturos, etiam ſi poſt lapſum fidem confeſſi fuerint: qui ſi non conuertantur, plus probri & ignominiæ quam omnes ſuſceperint, maiorique dedecore affecti fuerint quemadmodum & qui fecit fundamentum, domum autem non fecit. Eis enim ſunt ſimiles, qui ad tormenta quidem propter Chriſtũ confugerunt, & veluti pulchro iacto fundamento, id quod honeſtum eſt perficere non potuerunt. Nota ergo, quod ea confeſſio quidem propter Chriſtum reſtituit eum qui ſemel a clero abalienatus eſt propter lapſum.*

Can. 11. F

Qui enim primum in perſecutionis feruore proſilierunt iudicium circumſtantes, & ſanctos martyres, qui ad brauium ſupernæ vocationis feſtinabant, aſpicientes, honeſta æmulatione incitati, ſe ipſos ad hoc tradiderunt magna libertate vtentes, maxime videntes eos qui ſubtrahebantur labi, propter quos interius excitati, & quodam veluti ſono impulſi ad debellandum eſſe efferentem aduerſarium, ad id contendebant, ne apud [illegible] prudens eſſe videretur, ob ea in quibus eius calliditate inferiores eſſe viſi ſunt, etiam ſi ſe ipſum vinci ab iis, qui ſe fortiter & conſtanter geſſerunt, qui ſcuticarum flagellorumque tormenta, & gladii aciem, & ignis vſtulationem, & aquarum immerſiones tolerãter tulerunt, eũ latuit. Iis quoque qui vt ex fide preces & orationes fiant perſequuntur, vel iis qui in cuſtodia puniti ſunt, & à fame, & ſiti traditi ſunt, vel pro iis qui extra cuſtodiam ſcuticis & flagellis in iudicio torti ſunt, poſtea autem à carnis imbecillitate victi fuere æquum eſt annuere. Cum iis enim qui lugent, & mœrent pro iis qui in certamine victi ſunt à magnis maligni diaboli viribus, ſiue pro parentibus, vel fratribus, vel liberis, vna dolore, & triſtitia affici neminem G quidquam penitus lædit. Scimus enim etiam propter aliorum fidem, quoſdam eſſe Dei bonitatem aſſecutos, & in peccatorum remiſſione, & corporis ſanitate, & mortuorum reſurrectione. Memores itaque multorum laborum, & miſeriarum, quas pro Chriſti nomine ſuſtinuerunt, cum ipſi etiam pœnitentiam egerint, & quod à ſe factum eſt per proditionem in corporis afflictione, & mortificatione defleuerint, & ſe præterea teſtentur, in vita ſua fuiſſe à ciuitate alienos, ſimul oremus, & poſtulemus pro eorum reconciliatione cum aliis quæ decet per eum, qui eſt nobis aduocatus apud Patrem, & nostris peccatis propitium exhibentem. Et ſi quis, inquit, peccauerit, *habemus aduocatum apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & is eſt propitiatio pro peccatis noſtris.*

Fides omnius alteri prodeſt.

1. Ioh. 2.

Bals. *Cum ſuperius dixiſſet ſanctus, quod qui ſua ſponte confugerunt, & lapſi ſunt quidem, pœnitentiam autem non egerunt, nec ſuum lapſum reuocauerunt, plus dedecoris, & ignominiæ ſubibunt, vt qui non ſupra fundamentum certum quoque fabricauerint, ſeu quod bonum eſt non perfecerint, nunc huius & reliquorum conformationem inducit dicens. Qui enim in perſecutionis feruore, ſeu vehementia ſtantes, & videntes ſanctorum Martyria, & quomodo cœleſtes coronas diuino zelo accipere contendant, ſe ipſos dabant Martyrio cum multa libertate, & maxime quia videbant quoſdam ſubtractos, pro eo quod eſt ſeductos & deceptos à Diabolo, & lapſos, ſeu negantes pietatem. Quamobrem interius accenſi ſeu corde inflammati, vt qui audirent ſe per hoc debiliaſſe, ac viciſſe ſuperbum aduerſarium Diabolum, ſtuduerunt ſubire Martyrium, ne glorietur Diabolus, & ſibi prudens eſſe videatur: vt qui calliditate ſua & malitia eos vicerit, qui ſua ſponte ad Martyrium confugerunt: etiam ſi eum latuit ſe magis victum ab athletis qui tormenta fortiter perpeſſi ſunt. Fidelibus ergo orantibus æquum eſt pro ipſis ſupplici affectu, & eiuſmodi annuere, ſiue in hoc concurrere, quod etiam viſum eſt, & nihil lædit vna cum parentibus vel alia neceſſitudine coniunctis, pro iis qui Teſtimonium dederunt martyriumque ſubierunt, ſed lapſi ſunt diaboli arte, & inſidiis, dolore & triſtitia affici. Scimus enim quod*

H

Orandũ pro ſpoliatis & lapſis.

multi

A

multi bonitatem & miſericordiam Dei conſecuti ſunt per aliorum orationes. Et ideo & ipſis dari a Deo peccatorum remiſſionem poſtulabimus. & alii qui lapſi ſunt, & poſtea errorem renouarunt, & pietatem confeſſi ſunt communicabimus. memores eorum quæ ante lapſum propter Deum ſuſtinuerunt certaminum, & etiam bona eorum poſt ea pœnitentia, & quod ſeipſos teſtati ſunt eſſe a ciuitate alienos propter peccatum: & non ſolum ipſis communicabimus, ſed & pro eorum propitiatione orabimus, cum aliis quæ decet, ſeu cum aliis bonis operibus quæ debent ab ipſis fieri, ieiunio ſcilicet, eleemoſyna, & pœnitentia, per quæ, qui pro nobis eſt aduocatus, patrem nobis propitium beneuolumq; efficiat. Deinde & ſacra ſcripturæ ſententia vſus eſt. Ea verò eſt ex prima Catholica Epiſtola ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ Ioannis.

Iis enim qui pecuniam dederunt, ne vt a ... improbitatis moleſtia omni ea parte remoti eſſe ... tamen intendi non poteſt. Damnum enim, & iacturam pecuniarum ſuſtinuerunt, ne ipſi animæ detrimento afficerentur, vel ipſam etiam perderent, quod alij propter turpe lucrũ non fecerunt, quamuis Dominus dicat. *Quid enim homini
B
Matth. 8. Luc. 9. Matth. 8. proderit, ſi vniuerſum mundum lucratus fuerit, animæ autem detrimento fuerit affectus: vel eam etiam perdiderit? Et rurſus, Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.* In illis enim apparuerunt qui Deo, ſeruierunt: eaoſis, conculcatis, contemptiſq; pecuniis, & ideo compleuerunt quod ſcriptum eſt, Precium redemptionis animæ hominis, propriæ diuitiæ.
Act. 17. Nam in Actibus Apoſtolorum legimus, eos qui pro Paulo, & Sila Theſſalonicæ ad magiſtratus trahebantur, cum multis pecuniis fuiſſe dimiſſos. Poſtquàm enim ipſos propter nomen multum onerarent, & multitudinem magiſtratuſq; perturbaſſent, *ab Iaſone, inquit, & reliquis ſatiſdatione accepta, eos dimiſerunt. Fratres autem noctu protinus Paulum, & Silam miſerunt in Berœam.*

Bals. *Poſtquam ſanctus de iis qui ſua ſponte ad Martyrium coniunguntur, perfeciſſet, dicit eos non eſſe reprehendendos, qui ipſos datis pecuniis a tormentorum afflictione liberarunt. Maluerunt enim ſuarum pecuniarum quam ſuæ animæ iacturam facere. Deinde hoc ipſum confirmat, & affert diuerſa ſcripturæ exempla ex*
C
Actibus Apoſtolorum de Beato Paulo Apoſtolo & aliis.

Vnde nec eos qui omnia reliquerunt propter ſalutem animæ & ſeceſſerunt; licet accuſare tanquam aliis pro-
Act. 19. pter ipſos detentis. Nam & Epheſi pro Paulo Caium, & Ariſtarchum in Theatro comprehenderunt vnà cũ Paulo peregrinantes, qui volebat ad populum adire; quoniã propter ipſum qui perſuaſerat, & multam turbam ad Dei cultum induxerat, ſeditio facta fuerat, non ſiuerunt eũ, inquit, diſcipuli. Quia etiam nonnulli, ex Aſioticis magiſtratibus, qui erant amici, miſerunt ad eum & ſuaſerũt,
Ibidem. ne ſe Theatro daret. Si quis autem cum iis, contendere, pertexerint, qui animum ei adhibent, qui dicit. *Seruans*
Geneſ. 19. *ſerua animam tuam, & ne retro aſpexeris.* Petrus quoq; Apoſtolorum princeps eis in mentem reuocetur, qui iam in cuſtodiam erat coniectus, & traditus quatuor quaternionibus militum ad eum ſeruandum. Qui cum noctu fu-
Act. 12. giſſet, & ex Iudæorum manu ſeruatus eſſet, iuſſu Angeli Domini facto, inquit, die erat non paruus tumultus in militibus. Herodes autem cum eum quæſiuiſſet, & non inueniſſet, interrogatos cuſtodes iuſſit ſuffocari, propter quos nulla culpa in Petrum confertur: Licebat enim eis illo viſo quod factum fuerat effugere, ſicut & omnes in-
Matth. 2. tantes qui erant in Bethleem, & in omnibus eius finibus,
D
ſi ſciuiſſent eorum parentes quod erat futurum, qui à crudeli homicida Herode ſublati ſunt, vt vnus qui ab eo quærebatur infans periret, qui & ipſe iuſſu Angeli Dei effugit, qui celeriter iam cœperat ſpolia accipere, & acriter præparare, ſecundum appellationem nominis quem-
Iſa. 8. admodum ſcriptum eſt. *Voca nomen eius, celeriter ſpolia, velociter depopulare, eo quod priuſquam infans ſciat vocare Matrem & patrem, capiat poteſtatem Damaſci, & ſpolia Samariæ, coram*
Matth. 2. *Rege Aſſyriorum.* Magi ergo vt iam ſpoliati, infantem humiliter & ſuppliciter adorant, ſuos theſauros aperientes, & ei offerentes, maximè opportuna, & magnifica dona, aurum, & thus, & myrrham, vt regi, & Deo, & homini: vnde ad regem Aſſyrium non amplius reuerti voluerunt
Ibidem. à prouidentia vetiti. *Reſponſo autem, inquit, accepto ne reuerterentur ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Vnde cùm vidiſſet cruoris ſitiens ſanguinolentus Herodes, ſe a Magis illuſum, valde fuit commotus. *Et*

E
Matth. 2. *mittens, inquit, interfecit omnes infantes qui erant in Bethleem, & in omnibus eius finibus, a bimatu, & infra, eo tempore quod à Magis diligenter didicerat.* Cum quibus & alium prius na-
Matth. 23. tum infantem, cum interſecuturus quæſiuiſſet, & non inueniſſet, patrem eius. Zachariam interfecit inter templum & altare, cum effugiſſet filius cum matre Elizabeth. Vnde nec vllo modo reprehenduntur.

Bals. *Si qui autem, inquit, relictis ſuis facultatibus ſeceſſerunt, ne detenti forte in periculum vocentur, vt qui non poſſent ad finem vſq; in confeſſione perſiſtere, propter tortorum ſæuitiam, non culpabuntur, etiam ſi alij detenti ſunt, & puniti propter ipſos. Et adducit in exemplum eius rei gratia, Caium & Ariſtarchum, qui pro Paulo detenti fuerunt; milites qui Petrum ſeruabant, & infantes qui ab Herode interfecti ſunt propter Chriſtum, & venerabilem ſanctumq; Præcurſorem.*

Si qui autem vim multam & neceſſitatem paſſi ſunt, quiq; & in ore ferrum, & vincula acceperunt & propter
F
bonam fidei affectionem, ſuas quoq; manus vri fortiter pertulerunt ad Prophanum ſacrificium, eis inuitis, adductas, quemadmodum mihi ſcripſerunt ea cuſtodia beatiſſimi Martyres de iis qui in Libya, & alij etiam in ſacris comminiſtri, ij ſimul teſtificantibus reliquis quoq; fratribus, poſſunt eſſe in ſacro miniſterio inter confeſſores collocati, vt & qui in multis tormentis mortificati, & non amplius potuerint, vel loqui, vel dicere, vel moueri, vt reſiſterent iis qui vim afferebant. Neq; enim eorum improbitati aſſenſi ſunt. Quemadmodum ergo à comminiſtris ruſſus audiui, annumerabitur inter confeſſores, & quicunq; ſecundum Timotheum vitam inſti-
1. Tim. 6. tuit, parens ei quoq; qui dicit, *Perſequere iuſtitiã, pietatem, fidem, dilectionem, tolerantiam, lenitatem. Certa Pulchrum certamen fidei. Apprehende vitam cœleſtem, in quam vocatus es, & confeſſus coram multis teſtibus confeſſionem.*

Bals. *Eos qui vi tyrannica viſi ſunt ex idolothytis carnes*
G
comedere, vel ex Græcis libationibus vinum bibere (Fortè enim in terram deiectis, & in eorum orchamis ſeu ferramentis iunctis, vt ſemper aperta eſſent, tyranni in eorum fauces vinum infundebant, & carnes iniiciebant, vel etiam in eorum manibus carbonibus cum thure impoſitis ſacrificare cogebant) ſi eſſent quidem Clerici in eodem quoq; rurſus gradu eſſe decreuit Canon, vt qui collocati ſunt cum Confeſſoribus. Laici autem reputentur vt Martyres, quod ij nec ſua voluntate fecerint, nec actioni omnino aſſenſi ſint: quemadmodum inter Confeſſores quoq; numerabuntur, qui propter tormentorum neceſſitatem diſſoluta corporis firmitate, non valentes iis reſiſtere, qui in ora eorum vinum ex libaminibus effundebant. Deinceps autem de iis qui conſcientiæ Martyrium ſeu teſtimonium peragunt dicit, & illos cum Confeſſoribus connumerat.

Non reprehendet nos quiſpiam, quartam & ſextam feriam obſeruantes in quibus nobis ieiunare ſecundum
Traditio de ieiunijs. 4. & 6. feriæ. traditionem præceptum eſt. Quartam quidem propter initum à Iudæis conſilium de proditione Domini: ſextam autem, quòd ipſe pro nobis paſſus ſit. Diem enim Dominicum lætitiæ diem agimus, quòd in eo reſurrexerit, in quo nec genua quidem flectere accepimus.

H

Bals. *Conſequenter ſexto Canoni Apoſtolico, qui decreuit non eſſe a nobis ieiunandum diebus dominicis † vel ſabbatis, præter vnum Sabbatum, magnum ſcilicet, & LXIX. qui valde punit eos, qui ſacra Quadrageſima non ieiunant, omnique quarta, & ſexta feria, præſens quoq; decreuit.*

† Deieiunio Sabbathi ſecundum Græcorum Balſamõ, quem Romana Eccleſia non ſeruat, vide Bellarminũ lib. 2. de bonis operibus in particulari ca. 18. & Apparatum ſacrum Ant. Poſſeuini in S. Pet. Alexandri.

Finis.

A

PIO ET CANDIDO LECTORI,

Raphael Bagata Archipresbyt. Eccl. SS. Apoſtolorum, & Baptiſta Peretus Rector Eccleſiæ S. Teuteriæ S.

Hæc præfatio ſupra hoc eodem ſeculo pag. 83. ante Zenon. ſermones inſeri debet, per incuriam enim ibi omiſſa eſt.

SANCTVS Zeno Veronæ Epiſcopus, & Patronus difficillimis temporibus in magnis tempeſtatibus admirabili conſtantia Veronenſem rexit Eccleſiam, ac Galieni Imperatoris tempore martyrio coronatus eſt. Floruit non ſolum vitæ ſanctitate, & paſtorali vigilantia, ſed doctrina, & dicendi laude: quod eius ſermones ſumma grauitate, & Apoſtolico quondam illius ſeculi ſpiritu conſcripti abunde teſtantur. Eſt idem Sanctus Zeno inter vetuſtiſſimos Eccleſiæ ſcriptores connumerandus, cum doctiſſimis viris Origeni, & glorioſiſſimo martyri Cypriano æqualis fuerit. Is Veronæ pater patriæ nominatus eſt, & Doctor inſignis, quo Doctoris nomine in Eccleſia etiam Mediolanenſi decoratur. Is Græciæ etiam Chriſti Euangelium prædicauit. Extant apud nos huius Sancti Zenonis ſermones in vetuſto ex membranis manuſcripto codice. Iidem à Guarino literis Græcis, & Latinis erudito, in antiquiſſimo volumine Epiſcopatus

B

fuerunt reperti, & a bibliopola quodam anno M.D.VIII. rudibus, & mendoſis admodum typis Venetiis fuerunt editi, S. Zenonis nomine, vt de eorum authore nullo modo ſit dubitandum. Nunc verò politioribus formis exactè recogniti, emendati, & expurgati Auguſtini Valerij Veronæ item Epiſcopi, & S.R.E. Cardinalis Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi iuſſu pro ſolertia eius, vigili, & ſolita paſtorali cura impreſſi ſunt, & diſtributi iuxta eruditum illum ordinem quem vir eximiæ doctrinæ, & iudicij F. Fœlix Cardinalis de Montealto, nunc S.D.N. Sixtus V. in ſua operum S. Ambroſij editione ſecutus eſt: primus enim locus iis ſermonibus attributus eſt, qui veteris teſtamenti locos explanant: proximus illis, qui noui: poſtremo loco ii, qui de virtutibus, & vitiis tractant, collati ſunt. Neq; verò reprehendat quiſpiam martyris nomen huic editioni additum, quo vulgata illa caret: oportuit

C

enim ſancto ſermonum authori tribuere martyrij gloriam, quam illi (vt omittamus vetuſtiſſima B. Gregorij Papæ, Vener. Bedæ, Viuardi & aliorum teſtimonia) recentiſſimum martyrologium iuſſu Gregorij XIII. Pont. Max. editum attribuit. Obiiciet fortaſſe aliquis hos ſermones alterius Zenonis eſſe martyre poſterioris, Veronæ item Epiſcopi, cuius mentio fit à S. Ambroſio epiſtola prima ad Syagrium: At ille locus primum nihil habet, vnde probetur ille Zeno horum author eſſe ſermonum. Deinde non ita probat eum eſſe Veronæ Epiſcopum, vt conuincat: cum enim S. Ambroſius aggreſſus fuiſſet prædicare (vt legimus in vita S. Euſebij Bononiæ Epiſcopi lib. 1. de Epiſcopis Bononienſibus) ſacratam Deo virginitatem, Bononienſes eius prædicatione permoti eodem Euſebio authore virgines ipſi ſuas paſſim Mediolanum velandas

D

mittebant. cuius rei etiam idem S. Ambroſius meminit lib. 1. de virginibus: vbi etiam teſtatur virgines vel ab ipſa Mauritania Mediolanum, vt velarentur, & ſacrarentur, veniſſe: eadem ratione credendum eſt, virginem illam Indiciam nomine, de qua ibi fit mentio, Mediolanum S. Ambroſio eidem Zenoni viro ſanctæ memoriæ probandam, & benedicendam traditam fuiſſe: id enim facile ex eadem epiſtola colligitur. Soror enim ipſa S. Ambroſij, cum eſſet Mediolani, teſtatur Indiciam Romæ domi ſuæ Ambroſio abſente habitaſſe: Quædam vero Paterna nomine S. Ambroſij (ille ipſam appellat) filio nunquā ab Indicia diſceſſerat: Indicia autem Veronæ, quo cum ſorore ſua noua nupta profecta fuerat, apud eam, pariete tamen interiecto, paruo videtur tempore habitaſſe: vnde apparet Indiciam alibi, quam Veronæ ſacrata virginali benedictione cognitam fuiſſe, præſertim cum poſt tot annos à benedictione (vt inquit S. Ambroſius, nota corruptionis inureretur. Accedit præterea Eccleſiæ Veronenſis perpetua traditio, quam certis rationibus firmam ex canonū præſcripto tueri debemus, quæ præter Zenonem Epiſcopum, & Martyrem, qua de re in libello de Sanctis Veronenſibus Epiſcopis vberius tractatum eſt, nullum alium Zenonem agnouit Epiſcopum: quam quidem traditionem teſtatur etiam Epiſcoporum Veronenſium ſeries in aula Epiſcopali depicta: in qua vnus tantum Zeno VIII. Epiſcopus cernitur. Dicet alius ab authore horū ſermonum confutatos eſſe errores Arij, qui viuo Zenone martyre non erat. Reſpondemus, cum Epiphanius ſcribat patrem

E

Arij fuiſſe Origenem, & S. Thomas fontem eiuſdem extitiſſe, errores qui ab Ario diſſeminati ſunt, fuiſſe antequam Arius naſceretur: vt errores Lutheri antequam peſtiferam illam hæreſim Lutherus diſſeminaſſet, conuicti fuerunt. Quod ſi is contendat errores illos Origeni falſo tributos, vt Pamphilus martyr, & alij aliqui nobiles ſcriptores putauerunt, non conuincet cauſam non fuiſſe, vt S. Zenoni neceſſe non fuerit illam peſtem, quod Filius non ſit coæternus Patri, refellere. Quod obiicitur ſermonem de continentia non eſſe S. Zenonis martyris, cum in eo legatur author abfuiſſe à S. Pauli doctrina diuulgata annis quadringentis, & eo amplius: & totus penè orbis tunc fuiſſe Chriſtianus. Dicimus textum, ſicut multis in locis eſt mendoſus, ita vt ſæpe ſit in numeris ibi eſſe

F

deprauatum. Iam verò cum diſſeminatum per omnes prouincias eſſet Euangelium à multis receptum, ea in loco author ponit, vt ſit totum pro parte. Antiquiſſimi authoris eſt indicium cum ſæpe ad Iudæos ſermones habuerit: catechumenos ad immergendum ſe in ſacrum fontem inuitauerit: reprehenderit Græcos tunc ad fidem Chriſti conuerſos, quod vana ſua ſapientia etiam in Eccleſiam Dei vana quædam de Deo introducerent, vt ſerm. 1. de Pſalm. 130. Idem oſtenditur, cum in ſerm. de ſpirituali ædificatione domus Dei author demōſtrat tunc non fuiſſe illo templa Chriſtianis conſtructa, ſed nouum populum, & minimū numero extitiſſe. Ad Neophytos porro ſerm. 4. cum de iis mentionem facit, qui vniuerſam rem familiarem pauperibus erogarent, quippe Dei templū eſſent,

G

cum templum idololatriæ antea extruxiſſent. Idipſum præterea licet perſpicere ad Neophytos ſerm. 5. cum eos hortatur author, vt idololatriam fugiant, & ne captent amplius auguria. Quid? nonne id clarè patet ex ſerm. 1. de Paſcha, & ſerm. de patientia? quorum altero interpretatur autumnum ſui temporis martyres ſignificare, patientiam in altero coronam martyrū appellat quotidianam? B. Thecla, S. Pauli Apoſtoli diſcipula, & prima illius ſexus martyr in ſermone de timore, in exemplum timoris Domini adducitur. Quoſdam meminit in ſermone de reſurrectione in idololatria ſuo tempore obiiſſe: & Chriſtianos quoſdam arguit corporum reſurrectionem non credentes. Ab eo præterea deſcripta eſt S. Archadij martyris vita, ſuo tempore, vt Petrus Epiſcopus Equilinus teſtatur, martyrio in Mauritania coronati. His profecto, & huiuſmodi aliis quamplurimis antiquiſſimus horum ſermonum author demonſtratur. Quod autem tres, ſiue quatuor ſermones in his reperiantur, quos S. Zenoni aliqui putant aſcribi non poſſe, nempè qui inſcribitur, de præcepto, attende tibi: Sermo de Euangelio ſecundum Lucam, de duplici tentationum ſpecie. Sermo de liuore, &

H

inuidia, & ſermo de ieiunio: qui inter S. Baſilij homilias Græcè ſcripti reperiuntur: Quamuis argumenta non deſint, quibus probare liceret eos quoq; ſermones ad S. Zenonem noſtrum pertinere, cum etiam plurimos ſummo ſtudio, & grauiſſimis laboribus in Græcia multo antè S. Baſilium prædicando ad fidem Chriſti conuerteret, tamen ea in re contentioſi eſſe nolumus. Ad id verò, quod author bibliothecæ ſanctæ ſcribit, nempe ſeptem ſermones in Pſal. quos enumerauit, eſſe deſcriptos ex S. Hilarij commentariis, dicimus illum quoad numerū errasse: ſermones enim in Pſalm. 79. & in Pſalm. 100. in commentariis S. Hilarij non reperiuntur. Quoad reliquos quinq; cum duo ſermones de Pſal. 130. in his ſermonibus legantur, ſecundus verò ſit certis quibuſdam vocabulis, & ii-

dem

A dem fere ſententiis ſimilis priori, qui quidem prior in commentariis S. Hilarij non reperitur, cum etiam ſecundum ſcilicet dicimus à S. Zenone more ſuo fuiſſe aliqua ratione repetitum: & propterea ad illum pertinere: ſed in commentariis S. Hilarij ab aliquo fuiſſe inſertum, quemadmodum videmus inter opera Hieronymi, Auguſtini, & aliquorum ſanctorum patrum conciones, & libellos non ignobilium authorum irrepſiſſe. An vero reliqui quatuor eadem ratione fuerint in iiſdem commentariis inſerti, necne, aliorum ſit iudicium. Nos verò, qui in eodem vetuſto codice manu ſcripto hos etiam ſermones ſimul cum quatuor, quos vt iam diximus, apud S. Baſilium Græcè deſcriptos reperimus, defraudare S. Zenonem debita ſuæ laudis poſſeſſione non ſumus auſi. Neq; lectorem debuimus tam vtili & iocunda lectione priuare. De ſtylo quod obiicitur, vario dicendi modo ſermones conſcriptos: ſi quis rectè eos perpendent, pauciſſimis exceptis eiuſdem ſtyli comperiet: inſunt enim eadem ſæpe vo-
B cabula, eadem verborum diſpoſitio, & connexio. Neq; tutum eſt ſemper ex ſtyli varietate in paucis maximè de authore fieri iudicium: non enim quilibet author ſcripta ſua eadem dicendi phraſi ſemper contexuit: hoc namq; & Auguſtino, & Hieronymo & aliis ſanctis patribus, quin imo & S. Paulo Apoſt. contigiſſe, vt tomo 2. vitarum ſanctorum in præfatione ad lectorem ait Aloyſius Lipomanus huius Eccleſiæ Veron. Epiſcopus quandoq; reperimus, vt pro locorum, temporum, & perſonarum qualitate modo altius, modo demiſſius loquantur. Imperfecti ſermones, quos S. Zenonē diuerſis temporibus ſcripſiſſe probabile eſt, ab aliquo eius diſcipulo fideliter collecti ſunt: cum præſertim quædam in eis ſint, quæ eadem fere ſunt, quod author minime feciſſet: neq; quiſpiam alius, qui eos ex diuerſis authoribus colligere voluiſſet. Ex his igitur licet cognoſcere, quanta iniuria Doctor eximius S. Zeno eodem bibliothecæ loco honore ſuo defraudatus fuerit ſcriptis ſuis luculentiſſimis ſpoliatus: cui opinioni, & iudicio in hac re non ſatis oculato refragatur Blondus Flauius de illuſtrata Italia regione noua: Petrus Epiſcopus Equilinus in vita S. Zenonis, & Ioannes Stœffler Iu-
E ſtingenſis Mathematicus in Calendario Romano: qui prius ſuperiori ſeculo, quàm typis fuiſſent excuſi, ſermones, S. Zenoni attribuunt. Noſtra vero ætate præter F. Leandrū Albertū Bononienſem Ord. Præd. in deſcriptione Italiæ, & Onuphrium Panuinium in chronico manuſcripto, vanam illius trutinam, & iudicium refellit idem Aloyſius Lipomanus & Laurentius Surius Carthuſianus, viri iudicio, pietate & varia, & recondita eruditione inſignes, & ſacrarum hiſtoriarum in primis ſcientiſſimi: qui non modo oratione, ſed etiam vſu ipſo S. Zenonis eſſe docuerunt: quorum alter in ſuam catenam commentariorum in Geneſim ſententias ex hiſce ſermonibus quaſi floſculos decerptos nomine Zenonis intexuit: vterq; verò inter ſanctorum vitas prudentia ſumma, laboreq; incredibili collectas ſermones integros B. Zenonis nomine inſignitos inſeruerunt. His grauiſſimis authoribus acce-
F dit vita S. Zenonis, quæ iam multis ſeculis fuit conſcripta, in qua membra aliquot horum ſermonum, de quibus eſt diſputatio, leguntur. Monemus autem prætermiſſum eſſe S. Gaudentij Epiſcopi Brixienſis ſermonem, qui excuſis ſermonibus S. Zenonis fuerat additus, quod in vetuſto codice manuſcripto non reperitur. Hæc de S. Zenonis ſermonibus: vt piiſſimi, & benigniſſimi paſtoris, ac patris noſtri mandato, qua debuimus obſeruantia pareremus. Fruere igitur, candide lector, his ſermonibus Martyris Epiſcopi: qui magno Dei munere nobis relicti ſunt: quos cum attentè legeris, ſenties te ad virtutis, & pietatis ſtudium mirabiliter excitari, & hominem in quo Chriſtus loquebatur, planè agnoſces. Veronæ M.D. LXXXVI. Cæterum bis pro aſſertione ſermonum S. Zenonis prudenter & erudite adductis non obſtantibus magnis coniecturis exiſtimat Baronius in not. ad Rom. Martyr. 12. Aprilis nonnullos ex ſubiectis ſermonibus non eſſe poſſe S. Zenonis Veronenſis Epiſcopi, qui ſub Galieno martyr occubuit, eos præſertim in quibus Arriana hæreſis confutatur. Tu ipſum conſule; nam multas rationes & optimas coniecturas ad id probandum ſe habere profitetur.

C

G

F I N I S.

D

H

Digitized by Google